PROSPERI

FAGNANI

COMMENTARIA

IN QUINTUM LIBRUM

DECRETALIUM.



VENETIIS, M.DC.XCVI.

Apud Paulum Balleonium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

RUBRICÆ ET CAPITULA HUJUS QUINTI LIBRI DECRETALIUM.

de *Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus.* pag. 5

OMnipotens, 5
Qualiter & quando, il ſecondo. 13
Si conſtiterit. 8
Sicut olim. 22

de *Adulteriis, & Stupro.* 147

PErvenit. 147

de *Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſma.* 117

COnſultationi. 117

de *Clericis pugnantibus in duello.* 142

HEnricus. 142

de *Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.* 191

ILlud. 194
Poſtulaſti. 194
Si quis Presbyter. 191

de *Clerico per ſaltum promoto.* 197

TUæ litteræ. 197

de *Colluſione detegenda.* 190

AUdivimus. 190

de *Crimine falſi.* 167

AD falſariorum. 183
Ex conſcientia. 188
Falſidicus. 167
Licet. 180
Super eo. 178

de *exceſſibus Prælatorum, & ſubditorum.* 205

ACcedentibus. 214
Ex litteris. 213
Nimis iniqua. 218
Nimis prava. 219
Sicut unire. 205

de *Furtis.* 153

EX litteris. 153

de *Hæreticis.* 88

ABſolutos. 98
Ad abolendam. 88
Cùm Chriſtus. 88
Vergentis. 94

de *Homicidio voluntario, vel caſuali.* 119

AD audientiam. 130
De cetero. 127
Interfeciſti. 120
Petitio. 138
Quidam. 140
Sicut dignum. 123
Significaſti, il ſecondo. 136
Si quis. 119
Suſcepimus. 124
Tua nos. 137

de *Judæis, & Saracenis, & eorum Servis.* 87

POſtulaſti. 87

de *Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.* 79

QUia nonnullis. 81
Quoniam. 79
Super ſpecula. 84

Digitized by Google

de *Maledicis.* 191

INnotuit. 191

Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant. 67

PRæterea. 67
Quoniam. 77

de *Novi operis nuntiatione.* 228

CUm ex injuncto. 228

de *Pœnis.* 281

LIcet. 285
Presbyteri. 281
Tuæ. 288

de *Pœnitentiis, & remiſſionibus.* 288

CUm ex eo. 317
Manifeſta. 288
Ne pro dilatione. 320
Officii. 303
Omnis. 307
Quæſitum. 300
Qui Presbyterum. 290

de *Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum.* 234

CUm capella. 253
Cùm & plantare. 239
Cùm olim, il primo. 252
Cùm olim, il ſecondo. 250
Epiſcopalia. 234
Ex parte, il ſecondo. 258
Ex parte, il terzo. 277
In his. 277
Patentibus. 241
Quanto. 274
Quod nonnullis. 271
Quoniam. 266
Tuarum. 243
Ut privilegia. 267

de *Schiſmaticis, & ordinatis ab eis.* 100

QUod à prædeceſſore. 100

de *Sententia excommunicationis.* 327

A Nobis, il primo. 329
A nobis, il ſecondo. 340
Contingit, il ſecondo. 367
Cùm illorum. 347
Cùm non ab homine. 327
Cùm pro cauſa. 337
Cùm voluntate. 376
In audientia. 336
Inquiſitioni. 367
Nuper. 343
Perpendimus. 334
Per tuas. 351
Pervenit. 327
Reſponſo. 357
Sacro. 370
Si aliquando. 355
Ut famæ. 350

de *Simonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.* 29

ACcuſatum. 34
Ex diligenti. 36
In ordinando. 29
Licèt Heli. 47
Mandato. 60
Nobis. 37
Per tuas, il primo. 51
Quotiens. 35
Tua nos. 56

de *Verborum ſignificatione.* 385

NOvimus. 385
Olim. 379

de *Uſuris.* 153

COnſuluit. 158
In Civitate. 153
Naviganti. 159

PRO-

PROSPERI FAGNANI
COMMENTARIA
In Quintum Librum
DECRETALIUM.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS, & Denuntiationibus.

Gregorius Conſtantiæ Auguſtæ.

CAPUT IV.

OMnipotens Deus: & infrà. Valdè grave eſt, ut vir, de quo tanta & talia denuntiantur (cùm antè requiri & diſcuti debeant) honoretur.

SVMMARIVM.

1 *ACcuſatus, vel denunciatus, de aliquo crimine, interim ad dignitates, officia, vel beneficia promoveri non poteſt, & num. 2. Sive ſint dignitates Eccleſiaſticæ, ſive ſæculares, num. 5.*
Et licèt infamia non præceſſerit, num. 12. & 32. & 33.
Fallit primò ſi ex accuſatione, vel denunciatione orta ſit infamia apud perſonas viles dumtaxat, num. 13.
Fallit ſecundò ſi accuſatio non teneat, num. 14.
Fallit tertiò ſi accuſatio fiat civiliter non ad pœnam, ſed ad intereſſe, num. 15.
Fallit quartò ſi accuſetur Collegium, num. 16.
Fallit quintò ſi crimen ſit leve, num. 17.
2 *Accuſati opinio gravatur ex ſola pendentia accuſationis.*
3 *Accuſatio ſola non conſtituit aliquem reum, vel crimnoſum.*
4 *Appellatione pendente ſtatus condemnati integer eſt, nec inter infames interim eſt habendus.*
6 *Accuſatus etiam ante ſententiam honores petere prohibetur, ſecus poſt annum, niſi per ipſum ſteterit, quo minus cauſa expediretur.*
7 *Accuſatus pendente accuſatione à quibus actibus prohibeatur, & num. ſeqq.*
8 *Et à quibus non, & num. ſeqq.*
9 *Notarius accuſatione pendente poteſt conficere inſtrumenta, de quibus eſt rogatus, ſed novum officium aſſumere non poteſt.*
10 *Accuſationis pendentia præiudicat in quærendis, ſed non in quæſitis.*
11 *Accuſatio ſuperveniens non impedit iam promotum adminiſtrare, niſi ſit ſuſpectus de dilapidatione.*
14 *Sententia condemnatoria etiam ſuper crimine aliàs famoſo ſi nulla ſit, non imprimit notam infamiæ.*
15 *Accuſatio de crimine etiam famoſo, ſi fiat civiliter, non infamat.*
16 *Accuſatio Collegio, illius perſonæ promoveri poſſunt, niſi in accuſatione ſint ſpecialiter nominatæ.*
17 *Crimina gravia quæ ſint, & quæ levia.*
18 *Electio non caſſatur ſi crimen in modum exceptionis probatum contra electum ſit modicum.*
19 *Accuſatus ſi pendente iudicio fuerit promotus, & poſtea repertus innocens, an talis promotio teneat, necne? & num. ſeqq. uſque ad num. 25.*
20 *Miles factus pendente liberali cauſa, licèt poſtea appareat liber, debet exauctorari, niſi per calumniam petitus fuerit in ſervitutem.*
21 *Animal quod ita ſanatum eſt, ut in priſtinum ſtatum reſtitueretur, perinde habendum eſt quaſi nunquam morboſum fuiſſet.*
22 *Attendi non debet quod fuit, ſed quod eſt.*
23 *Veritas rerum erroribus geſtorum non viciatur.*
24 *Habilitas promoti attenditur tempore promotionis, & declaratio innocentiæ debet præcedere.*
25 *Accuſatus an poſſit eligi accuſatione pendente, & num. ſeqq. uſque in finem.*
26 *Inquiſitus pendente inquiſitione ineligibilis eſt, & num. 34.*
Inquiſitio non fit niſi contra infamatum, n. 26. & 34.
27 *Litteræ ad beneficia non facta mentione de pendentia inquiſitionis ſuper infamia, & collatio inde ſequuta lite non terminata, non valent.*
28 *Inquiſitio in caſibus, in quibus poteſt fieri non præcedente infamia, non impedit electionem.*
29 *Accuſatio, denuntiatio, & exceptio, electionem impediunt, ſi infamia præceſſerit, & num. ſeq.*
30 *Infamia facti reddit quem ineligibilem etiam ſine aliqua litis motione.*
31 *Etiamſi pœnitentiam egerit.*

32 *Accuſatus, vel denunciatus, aut contra quem excipitur, eligi poteſt ſi infamia non præceſſit.*
33 *Infamia ſola, quæ oritur ex accuſatione, denunciatione, & exceptione, non impedit electionem.*

1 OMnipotens, Jo. Andr. non ſummat, quia breve eſt;
ſed ſecundum Ant. de Butr. & Jo. de Anan. ſumma-
tur ſic: Accuſatus; vel denunciatus accuſatione, vel de-
nunciatione pendente, non poteſt ad dignitates promove-
ri; vel ſic ſecundum Abb. & Marian. Socin. qui de aliquo
crimine accuſatur, vel denunciatur, interim promoveri
non poteſt; vel ſecundum Card. Pendente proceſſu ſuper
crimine, reus non promovetur. Hoc dicit.
2 Nota primò, ex pendentia accuſationis, vel denuncia-
tionis uſque adeo gravari opinionem accuſati, vel denun-
ciati, ut ad dignitates promoveri non poſſit, prout *hic* no-
tant gloſ. 1. Hoſt. *in prin. in verb. Nunciantur*, Burr. Abb. &
Felin. omnes in 1. *notab.* & Mar. Socin. *num.* 3. *&* 4. nec ad
3 officia, vel beneficia ſecundùm Abb. autem. Quamvis
enim ſola accuſatione non conſtituat aliquem reum, vel
criminoſum, ut *cap. ult.* 15. *quæſt. ult.* niſi etiam ſit convi-
ctus: nec ſola nominatio ſufficiat, ut in *cap. Multi*, 2.
4 *quæſt.* 1. etſi condemnatus appellavit, ſtatus ejus integer ſit,
l. unic. ff. nihil innovand. pendent. appellat. nec inter infa-
mes interim ſit habendus, *l. Furti*, *ff. de his qui notantur infam.* nihilominus impeditur interim ab honoribus, ut
hic, & in *cap. Tantis Daniel*, 81. *diſt.* & notat gloſſa in *cap. Nonne, in verb. ſententia*, 8. *quæſt.* 4.
5 Amplia primò iſtum textum, ut vendicet ſibi locum
non modò in dignitatibus Eccleſiaſticis, verùm etiam in
ſæcularibus, ut *l. Reus*, 1. *Reſponſ. ff. de muneribus, & honor.*
6 ubi dicitur: *reus delatus etiam ante ſententiam honores pe-
tere principalibus conſtitutionibus prohibetur: nec intereſt an
plebeius, vel decurio fuerit*, *& l.* 1. *Cod. de reis poſtul. lib.* 10.
ubi ſic legitur: *reos criminis poſtulatos novos honores appe-
tere non debere antequam purgaverint innocentiam ſuam*; &
à Divis parentibus noſtris, & à me ſæpè reſcriptum eſt.
Ad idem textus in *l. Qui ſtatus, ff. de re milit.* & in *l. Qui li-
bertate, ff. de liber. cauſ.* & hic notant gloſ. 1. Anch. *in* 1.
notab. Abbas *num.* 2. & Maur. Socin. *num.* 1. elapſo tamen
anno poſtquam reus delatus eſt, benè poterit promoveri,
niſi per ipſum ſteterit, quominus cauſa intra annum expe-
diretur, ut dicitur *in dict. l. Reus*, & notat gloſs. *in cap. Tantis Daniel, in verb. Obrepſit*, 81. *diſt.* ſimiliter accuſa-
tus pendente accuſatione non poteſt ad ordines promove-
ri, *d. c. Tantis Daniel*, *c. Laici*, 33. *diſt. c. Fin. in fin. ſu-*
7 *pra de teſtibus*. Item non poteſt alium accuſare, quia non
relatione criminis, ſed innocentia reus purgatur, ut *leg. Is qui, ff. de publicis iudiciis, & dict. cap. fin.* Item non poteſt
teſtificari in criminali cauſa præterquam in criminibus ex-
ceptis, ut eſt caſus in eodem *cap. fin.* Item alterius procu-
rator eſſe non poteſt, *l. Reum, Cod. de procurat.* prout hæc
notantur per gloſſ. 1. *in dict. cap. final.* & *hic* per Anchar. &
Jo. de Anan. *in* 1. *notab.*
8 Verumtamen accuſatio non impedit bonorum admini-
ſtrationem, ut plenè notat Bartol. *in l. poſt contractum*, *ff. de donationib.* nec teſtificationem, *l. Qui à latronibus*, §.
1. *ff. de teſtam.* nec exactionem debiti à debitoribus, ut
9 *l. reo*, *ff. de ſolut.* Item Tabellio accuſatione pendente
poteſt conficere inſtrumenta, de quibus eſt rogatus, argum.
l. Quod ſi fortè, §. 1. & *l. Reo criminis*, *ff. de ſolutionib.* li-
cèt novum officium interim aſſumere non poſſit, ut *d. l. Reum*, & *l. Is qui reus*, *ff. de public. iudic.* & tradit Baldus
in d. c. fin. num. 2. *de teſtibus*, & Felin. *hic num.* 1. *circa fin.*
10 *verſ. Item adde Bald.* Rationem diverſitatis inter hæc, &
præcedentia reddunt Anchar. *hic num.* 2. Jo. de Anan. *nu.* 3.
quia hæc ſunt quæſita, & in perſona jam fundata, illa verò
ſunt quærenda: & potentia accuſationis præjudicat in quæ-
rendis, non in quæſitis, ut notat gloſs. in *c. Sæpe, in verb. Rata manet, de appellation.* Mar. Socin. *hic num.* 3. & Felin.
in 2. *notab.* facit text. in *l. Pluribus*, §. *Et ſi placeat*, ibi:
Servitus acquiri non poteſt, acquiſita tamen conſervatur, *ff. de verbor. obligat.* & in *l.* 1. §. *Quamvis autem*, *ff. de poſtu-
land.* ibi: *Sed melius eſt ut retinere quidem dicamus iam ac-
ceptum magiſtratum poſſe, aſpirare autem ad novum penitus
prohiberi*: & in §. *ultim.* 15. *quæſt.* 1. cum concordantibus,
de quibus ibi in gloſſa *in verb. Deiiciunt*.
11 Et ex hoc inferunt Anchar. & Jo. de Anan. proximè ci-
tati, ut accuſatio ſuperveniens non impediat Prælatum
jam promotum adminiſtrare, ut notat præcis. gloſ. *in dict. c. Sæpe*, hoc tamen fallit ſi accuſatus, vel denunciatus eſ-
ſet ſuſpectus de dilapidatione, ut eſt textus *in cap. ultim.*
& ibi Doctores *infra eodem*, Felin. *hic num.* 1. *verſ. In quan-
tum Doctores*, Hoſt. *in cap. Accuſatum, num.* 2. *de Simon.* &
ibi etiam Io. Andr. *num.* 1. *verſ. Sicut propter*.
Amplia ſecundò iſtum textum ut locum habeat etiamſi 12
infamia non præceſſerit, ſed ſit criminoſus occultus, quia
nihilominus ſola pendentia accuſationis, vel denuncia-
tionis impedit promotionem: ut hic & in concord. ſupra
citatis *num.* 5. & notat Mar. Soc. *hic num.* 5. & eſt ex men-
te gloſſ. Hoſt. & aliorum, quos ſupra citavimus *num.* 2. Di-
ſtinctio enim an præceſſerit infamia, necne, ſit tantùm in
electione, non autem in promotione, ut patebit infra *n.* 29.
& ſeqq. uſque in fin.
Amplia tertiò, etiamſi ſequatur ſententia ſuper innocen- 13
tia promoti, accuſatione pendente, prout limitat Felin. *hic
num.* 3. & plenè examinabitur infra *in* 1. *dubio à num.* 19.
uſque ad num. 25.
Hunc limita primò, textum noſtrum ut locum habeat
quando ex accuſatione, vel denunciatione orta eſt infamia
apud bonos, & graves homines, ſecus ſi apud perſonas
viles, quia tunc pendentia accuſationis, vel denunciatio-
nis non impedit promotionem; ita notabiliter determinat
Hoſtienſis *in cap. Meminimus*, *num.* 2. *verſ. Nec obſtat*,
infra eodem, quem ibi Doctores omnes ſequuntur, dolen-
tes quod hic non poſuerint hanc limitationem, ut dicit Fe-
lin. *hic num.* 2.
Limita ſecundò iſtum textum, dummodò accuſatio te- 14
neat, & facta ſit à legitimo, textus eſt in *dict. c. Memini-
mus*, & tradit Felin. *hic d. num.* 2. *verſ. Item limita ſe-
cundo*, nec mirum, quia nec ſententia condemnatoria
etiam ſuper crimine aliàs famoſo imprimit notam infamiæ
ſi ſit nulla ex defectu juriſdictionis, vel ex inordinato pro-
ceſſu, aut ſi appareat lata ſine cauſæ cognitione, vel de-
negata audientia ipſi condemnato. Caſus eſt in *cap. In pri-
mis*, *verſ. Quia ergo Stephanus Epiſcopus* 2. *quæſt.* 1. & in
crimine uſurarum ex facto reſpondit Gemin. *conſ.* 77. *Quia
ſuper præmiſſis per totum*, maximè *num.* 4. *verſ. Secundo ra-
tione proceſſus*.
Limita tertiò, niſi accuſatio de crimine etiam famoſo fiat 15
civiliter ad intereſſe, & non criminaliter ad pœnam, ſeu
vindictam, tunc enim non impedit promotionem, quia in-
famiam non corripit, *cap. Tua*, *de procurat. cap. Super his
infra eodem*, & tradit Gemin. *d. conſ.* 77. *num.* 4. *verſ. Ter-
tio ratione cauſa*, poſt Innocentium *in cap. Qualiter el ſecon-
do in gloſſa Magna, verſ. Et nota quod tres*, *infra eodem*,
niſi in caſibus, ut ibi per Innocentium.
Limita quartò, niſi accuſetur Collegium, quia pendente 16
lite aliquis de Collegio non impeditur promoveri niſi per-
ſona illa in accuſatione ſit ſpecialiter nominata, ut poſt Vin-
centium probat Archid. *in cap. Tantis Daniel*, *num.* 5. 81.
diſt. quem ſequitur Felin. *hic d. num.* 2. *verſ. Tertio*, niſi
eſſet accuſatum unum Collegium, & Henr. Boich. *in c. Ac-
cuſatum num.* 9. *de Simon.*
Limita quintò, & declara hanc Decretalem ut locum 17
habeat dummodò crimen, de quo aliquis accuſatur, vel
denunciatur, ſit grave, ut probat iſta litera ibi, de quo
tanta, & talia nunciantur: nam *verb. Tanta*, exponitur
ideſt gravia, ſecundùm Hoſtien. & Jo. Andr. *hic in princ.
in verb. Tanta*, qualia ſunt homicidium, ſacrilegium,
adulterium, fornicatio, falſum teſtimonium, rapina,
furtum, longa iracundia, ebrietas aſſidua, & alia, de qui-
bus in *c. Unum orarium*, §. *Alias* 25. *diſtinct.* ſecus ſi cri-
men ſit tale, ut quamvis eſſet probatum, tamen promotio-
nem ejus non impediret, puta quia eſt de minoribus, &
levioribus criminibus, ſeu peccatis, qualia ſunt in cibo,
& potu plus accipere, quàm neceſſe eſt; plus loqui, quàm
oporter; plus tacere, quàm expedit; pauperem importu-
nè petentem exaſperare, & alia ſimilia, de quibus habe-
tur in *dict. cap. Unum orarium*, §. *Alias ea demum*, *verſ.
Quæ autem ſint minuta peccata*, 25. *diſtinct.* Item inter le-
via poteſt numerari venatio, habita tamen diſtinctione
utrum fiat ob neceſſitatem, necne; ut legitur, & notatur
in *cap.* 1. *&* 2. *infra de cler. venator.* & in Clem. *Ne in agro*,
§. *Porro, de ſtat. Monach.* & ebrietas non aſſidua, *cap.* 1. 35.
diſtin. Item facere ſtrepitum in Synodo, *cap. In loco*, 6.
quæſt. 4. ſecundum Hoſt. *in ſumm. de tempor. ordinat.* §.
Et cui, *verſ. Leve vero eſt*. Quod tamen intellige
quan-

Digitized by Google

quando illi, qui in talia crimina incidunt, corrigibiles ſunt,
alias propter contumaciam fient mortalia ex contemptu,
ut *d. c. Unum orarium*, §. *Nunc autem*, 25. *diſtin.* de quo
tamen dic, ut plenè ſcripſi *in cap. A crapula, n.*25. 27. 31. *&*
18 32. *ſupra de vit. & honeſt. Clericor.* & talis poteſt promove-
ri accuſatione, & proceſſu hujuſmodi non obſtante, ut fir-
mat Henr. Boich. *in cap. Accuſatum, n.*6. *de Simon.* allegat
Compoſtellan. *in cap. Dudum, il ſecondo, ſuper ver. Obiecta,
verſ. Item numquid exceptione, ſupra, de elect.* ubi ait: [Si in
modum exceptionis probatum ſit crimen contra electum,
non ſemper Superior caſſabit electionem: imò ſi modicum
ſit crimen, nec eſt ſcandalum, aliam pœnam imponet, &
ſic diſpenſabit ſi talis ſit Superior, qui ſuper tali crimine
diſpenſare poſſit.] arg. *c. Quod ſicut, de elect. & c. Solici-
tudo* 52. *diſt.*
19 Sed hic conſurgit dubium quid ſi accuſatus, aut denun-
ciatus, vel inquiſitus pendente judicio fuerit promotus, &
poſtea per ſententiam pronuncietur innocens, numquid ta-
lis promotio teneat, necne?

Goffred. hic, & Vincent. *in cap. fin. de teſtibus*, quos re-
fert hic Jo. Andr. *n.*3. *verſ. Dicit hic Goffred.* tenuerunt ſic
promotum eſſe removendum, licèt poſtea reperiatur inno-
xius, per *l. Qui ſtatus, ff. de re militar. & l. Qui cum uno*, §.
Reus, eod. tit. niſi ſecundum Goffredum appareret per ca-
lumniam fuiſſe accuſatum, per *l. Qui de libertate, ff. de li-*
20 *beral. cauſ.* ubi ſi pendente cauſa liberali aliquis fuerit fa-
ctus miles, licèt poſtea apparuerit liber, debet exauctorari;
ſed ſi per calumniam petitus fuerit in ſervitutem, in militia
retinetur; idem tenet gloſſ. Joannis *in cap. Tantis Daniel,
in verb. Obrepſit*, 81. *diſt.* dicens: [Ex quo ſe promoveri fe-
cit lite pendente, deponendus eſt, etiamſi innócens inve-
niatur,] alleg. hoc *cap. & d. l. Qui de libertate.* Similiter
Damaſus ſub hoc tit. relatus à Jo. And. *n.*3. *verſ. Damaſus*,
ubi licèt ſub dubio fortè, dicit talem eſſe deponendum, quia
contempſit legis prohibitionem; ergo promotio nulla, per
l. Non dubium, C. de Legib.
21 Sed Bartholomæus Brixienſis *in q. ſua Veneriali* 80. quæ
incipit: *Eſto quod pendente accuſatione, inter tractatus com-
munes, tom.* 17. *fol.*59. ſequendo Tancredum tenet contra-
rium, id eſt talem non eſſe deponendum, per *l. Quod ita
ſanatum, ff. de edilit. edict.* ubi dicitur quod ita ſanatum
eſt, ut in priſtinum ſtatum reſtitueretur, perinde haben-
22 dum eſt quaſi nunquam morboſum fuiſſet. Ergo à ſimili
cùm iſte ſit repertus innoxius, perinde habendus eſt, ac ſi
nunquam fuiſſet criminoſus, non enim debet reſpici quod
fuit, ſed quod eſt, ut *cap. Ferrum de terra, in fine*, 50. *diſt.*
23 & veritas rerum erroribus geſtorum non vitiatur, *l. Illici-
tas*, §. 1. *ff. de offic. Præſid.* utramque opinionem putat ſatis
probabilem Marian. Socinus *hic num.* 5. *circa finem*.

Sed tu adverte: nam Bartholom. Brixien. revera non
diſcrepat à prima opinione Goffredi, & Vincentii, nam etſi
dicat cum Tancredo accuſatum non eſſe deponendum ſi
poſtea fuerit repertus innocens, tamen immediatè ſubjun-
git *dict. l. Qui de libertate, ff. de liberal. cauſ.* non eſſe
contrariam, quia ut ibi dicitur, ſi miles per calumniam pe-
tatur in ſervitutem, in militiam retineatur. Tenet ergo
Bartholom. Brixien. promotum pendente accuſatione tunc
non eſſe removendum, quando per calumniam fuit accu-
ſatus: ergo ceſſante calumnia ſentit eſſe removendum; &
ſic concordat cum opinione Goffredi; unde nil mirum ſi
Ant. de Butr. *hic n.*7. & quidam alii eum allegent pro pri-
ma opinione, ſcilicet quod promotus pendente accuſatio-
ne ſit removendus, quamvis appareat innocens.

Conclude igitur ſecundùm diſtinctionem Goffredi, quod
aut apparet accuſatorem moveri ad accuſandum ut pro-
motionem impediat: & tunc tenet promotio, juxta tex-
tum in *dict. l. Qui de libertate*, aut movetur juſta, & ra-
tionabili credulitate, & tunc non tenet promotio per hanc
Decretalem, & per jura ſuperius allegata: & in hoc tan-
dem reſidet Mar. Soc. *ubi ſupra*, Archid. *in dict. cap. Tan-
tis Daniel, num.*4. 81. *diſt.* Præpoſ. *ibid. num.*30. & hic fir-
mant Card. *num.*1. *verſ. Quæro quid ſi accuſatus*, Anchar.
*num.*7. & Felin. *num.*3. ubi ampliat hoc c. etiamſi ſequatur
ſententia ſuper innocentia promoti pendente cauſa crimi-
nali, quia nihilominus requiritur nova electio, ſeu promo-
tio, niſi appareret accuſatorem per calumniam accuſaſſe,
24 juxta limitationem Goffredi: & hoc teneas, nam declara-
tio innocentiæ procedere debet, & non ſufficit eam ſubſe-
qui, ut notat Vincentius *in cap. Non debet de Teſtibus*: in
talibus enim principium eſt ſpectandum, ut *cap. Dudum,
ſupra de election. & c. Super eo, eod. tit. lib.*6. & cùm prin-
cipium fuerit vitioſum, & contra jura, declaratio innocen-
tiæ poſtea ſubſequens non retrotrahitur, ut per Anchar. &
Card. *loc. cit.* ad hoc bonus textus *in cap. Si celebrat. de
cler. excommun. miniſtr.* ubi excommunicatus minori excom-
municatione non poteſt eligi ad beneficium, quia non poſ-
ſet Sacramenta miniſtrare: & ſic inſpicitur an electionis
tempore electus ſit habilis ad exercitium, quod requirit be-
neficium, nec ſuperveniens habilitas, quæ poteſt superve-
nire, cùm excommunicatus minori facillimè abſolvatur,
eſt in conſideratione, & ita illum text. ad hoc ponderat
Præpoſ. *in d. c. Tantis Daniel, num.*3. *verſ. Pro illa opinio-
ne*, 81. *diſt.* facit text. *in cap. Si eo tempore*, cum ibi notat.
*de reſcript. lib.*6.

In Gloſſa 1. *in fine* QUÆRO, cùm hic dicatur pendente 25
accuſatione accuſatum non debere honorari, nunquid in-
terim poſſit eligi.

Jo. Andr. *hic n.*1. *verſ. Dicit Innocentius*, & alii poſt eum
recitant duas opiniones. Prima opinio eſt Innocentii hic in
principio, qui conſtituit differentiam inter promotionem,
& electionem: nam ſecundùm eum quamvis pendente ac-
cuſatione non debeat aliquis ad dignitatem promoveri, ut
hic, & in concordantibus; tamen poteſt eligi, & lectio te-
net, ſed non confirmabitur, niſi prius purget innocentiam
ſuam, vel alias abſolvatur. Fundamentum hujus opinionis
eſt, quia ſi talis non poſſet eligi, daretur locus fraudibus, &
figmentis, & materia delinquendi aperiretur: nam vacan-
te Eccleſia ſi quiſpiam ſuſpicaretur aliquem fore eligen-
dum, ſtatim poſſet illum per ſe, vel per alium accuſare, ut
ſic impediret ejus electionem; quod eſſet abſurdum, ad hoc
*c. Sicut il ſecondo, verſ. Quamvis, infr. de Simon. cap. Quan-
to, ad fin. ſupra de divort.* quam rationem adducit Innoc.
*in c. Accuſatum, n.*2. *infra de Simon.*

Secunda opinio eſt aliorum, qui tenent electionem non
valere, & ad vitandum inconveniens ſupra conſideratum
dicunt eſſe præfigendum terminum accuſatori trium men-
ſium, vel ſecundùm arbitrium judicis, infra quem debeat
accuſator probare accuſationem ſuam, allegant §. *Si quis
autem*, in Auth. *De Sanctiſſ. Epiſcop.* ſed ut dicit Joan.
Andr. *hic n.*1. *verſ. Alii vero*, & ante eum Innoc. *in d. c.
Accuſatum, n.*2. *verſ. Alii contra*, ille textus hoc non pro-
bat, quia non loquitur de eligendo, ſed de electo, & confir-
mato in Epiſcopum, cui tres menſes dantur ad munus con-
ſecrationis ſuſcipiendum, ut *c. Quoniam* 75. *diſt. & c.*1. 100.
diſt. innovatis à Conc. Trid. *c.*2. *ſeſſ.*23.

Tu verò in hoc articulo clarius, & plenius diſtingue ex 26
mente Hoſt. *hic n.*1. & aliorum, de quibus infra *n.* 34. aut
proceditur per viam inquiſitionis, aut per viam accuſatio-
nis, denunciationis, vel exceptionis.

Primo caſu, cùm infamia debeat ſemper præcedere in-
quiſitionem, ut *cap. Qualiter il ſecondo, cap. Cum oporteat,
& c. Inquiſitionis, infra eodem, & c. Licet Heli, de Simon.*
inquiſitus non poterit eligi, ut *cap. Cum in cunctis, de elect.
& c. Tantis Daniel*, 81. *diſtinct.* & in hoc primo membro
conveniunt Doctores omnes in *c. Accuſatum, infra de Si-
mon.* Hoſt. Jo. Andr. & reliqui omnes *hic* præſertim Cardin.
num. 1. *poſt med.* ibi: [& per hoc dico, quod de inquiſito
indiſtinctè dicendum eſt eum repelli, quia non fit niſi præ-
cedente infamia,] Abbas *num.*4. *ver. Et ideo ſic puto dicen-
dum*, & Mar. Socin. *n.*6. *verſ. Tu vero diſtingue*, Calder. *conſ.*
20. *Pendente inquiſitione, de præbend.* ubi conſuluit litteras 27
ad beneficia non facta mentione de pendentia inquiſitionis
ſuper infamia de criminibus furti, & homicidii, & collatio-
nem inde ſequutam lite non terminata non valere: & idem
repetit *in conſ.* 4. *Fuit formata inquiſitio, de accuſation.* 28
Quamobrem ſi procederetur per viam inquiſitionis in ca-
ſibus, in quibus poteſt procedi non præcedente infamia, ut
quia de mandato Papæ, vel quia expreſsè, vel tacitè renun-
ciatum eſſet proceſſui ſuper fama ſecundum ea, quæ legun-
tur, & notantur in *c.*2. *de accuſat. lib.*6. tunc magis atten-
deretur quantum ad hoc infamia, quam proceſſus, ſeu mo-
dus procedendi, & ſic talis inquiſitio non impediret ele-
ctionem, quia ceſſante ratione legis ceſſat lex, *l. Adigere*, §.
Quamvis, ff. de iurepatr. cum ſimilibus, & ita per hanc ra-
tionem firmat Henric. Boich. in *d. c. Accuſatum, nu.*9. *verſ.
Si vero procedatur de Simon.*

Secundò caſu ſubdiſtingue: nam aut contra accuſatum, 29
vel denunciatum, aut contra quem de crimine excipitur,

Digitized by Google

30 præceſſit infamia; & tunc ſimiliter eligi non poteſt, quia ſola infamia facti reddit eum ineligibilem, ut *l. 2. C. de dignitat. lib. 12.* & in regula infamibus, *de regul. iur. lib. 6. & d. cap. Cum in cunctis, de elect. cum ſimilib.* & in hoc pariter conveniunt unanimiter DD. *in d. c. Accuſatum, de Simon.* & in hoc cap. ubi in ſpecie Anchar. *n. 5.* dicit etiam ſine aliqua litis motione infamatum de crimine videri ineligibilem, cùm infamia facti repellat quemlibet à promotione dignitatis; & idem repetunt Abbas *num. 4. verſ. Si vero eſt*
31 *accuſatus*, & Mar. Soc. *num. 7. verſ. Secundo caſu.* Quod locum habet etiam ſi pœnitentiam egerit, quia nihilominus aliqua infamia reſperſus etiamſi nullus eum accuſaverit, promoveri non debet, arg. à contrario in *c. ult. infra de furt.* & tenet Guilel. Naſo, quem referunt, & ſequuntur in *cap. Tantis Daniel 81. diſt.* Archid. *num. 3.* Gemin. *num. 2.* Turrecr. *num. 3.* & Præpoſ. *num. 2.*

32 Aut infamia non præceſſit, ſed eſt criminoſus occultus; & tunc accuſatus, vel denunciatus, aut contra quem excipitur, promoveri quidem non poteſt, vt *d. l. Reus delatus, ff. de muner. & honoribus*, & oſtenſum eſt ſupra *num. 1. 2. & 12.* Sed tamen benè poteſt eligi, tum quia aliàs poſſet malitioſè accuſari, vt dixi ſupra *num. 25.* tum quia eligi non eſt promoveri, *c. Eam te*, & ibi dixi *nu. 3. & 5. de reſcript.* & in hoc caſu ut prædixi, reſidet Innoc. cuius opinionem dicunt eſſe veriorem, Hoſt. *in dict. c. Accuſatum num. 2. in fin. verſ. Prima opinio de Simonia*, & Jo. Andr. *hic num. 1. circa fin. verſ. Dicit Hoſt.* & ſic ſola infamia, quæ oritur ex proceſſu accuſationis, vel denunciationis, licèt repellat à promotione, non tamen impedit electionem celebrari, ut formaliter inquit Anchar. *hic num. 5. verſ. Sola ergo infamia*, & idem in exceptione, quia non impedit electionem ubi infamia non præceſſerit, vt *c. Super eo, de elect.* & hic notat Mar. Soc. *num. 5. circa finem, verſ. Si vero ageretur.*

Supradicta diſtinctio fuit originaliter Innoc. *in d. cap.* 34
Accuſatum num. 2. verſ. Hac autem Decretalis de Simon. ubi diſtinguit inter inquiſitionem, & accuſationem, denunciationem, & exceptionem, ut inquiſitus eligi non poſſit, quia inquiſitio fieri non debet niſi contra infamatum, *d. c. Licet de Simon.* & electus bonum teſtimonium debet habere etiam ab his, qui foris ſunt: ergo iſte, qui diffamatus eſt,
eligi non poteſt. Sed accuſatus, vel denunciatus, aut con- 35
tra quem de crimine excipitur indiſtinctè poſſit eligi, quia eſt in facultate cujuſque alium accuſare, vel denunciare, aut contra eum excipere etſi nulla infamia præcedente, & conſequenter ab electione repellere, vel removere; & ita ſentit Innocentius ſolam accuſationem, denunciationem, vel exceptionem non reddere aliquem ineligibilem, niſi præceſſerit infamia: & ſubdit hoc eſſe magis conſonum rationi; & cum eo concordant ibi Hoſt. *num. 2.* vbi diſtinguit inter accuſatum occultum, & accuſatum diffamatum, id eſt qui diffamatus erat ante accuſationem. Primus ſcilicet occultus non prohibetur eligi: ſecundus verò, ſcilicet diffamatus eligi prohibetur, ſicut & ille contra quem fit inquiſitio, quæ non fit niſi contra infamatum. Talis ergo repellitur, quia fama electi in nullo debet vacillare: eandem diſtinctionem probat in *dict. cap. Accuſatum*, Henric. Boich. *num. 8. verſ. Sed Hoſtienſis diſtinguit*, & in hoc cap. Card. *n. 2. poſt med. verſ. Tene ergo primum*, & apertius Anchar. dicens veram Innocentii diſtinctionem *num. 4. in fin. verſ. Et per hæc vera videtur*, Abb. *num. 4.* licèt aliquantum vacillet, & Marian. Socin. *num. 7.*

DE ACCUSATIONIBUS.

Alexander III.

CAPUT XII.

SI conſtiterit, quòd D. Eccleſia non perpetuò conceſſa, ſed ad tempus fuerit commendata: & de vinolentia, & quòd in taberna pernoctaverit, ita quòd altera die nulla præmiſſa dormitione Miſſam cantaſſet: & infrà. Si de hoc rationabiliter convictus fuerit in judicio ante Epiſcopum ſuum: ſive accuſatus, vel ad rationem poſitus ſine coactione fuerit confeſſus: ei ſuper eadem Eccleſia perpetuum ſilentium imponatis, ipſum ab impetitione B. deſiſtere compellentes. Cęterùm ſi eidem fuit Eccleſia canonicè conceſſa & tradita, & poſteà de crimine aliquo non fuit convictus, propter quod de jure debeat ſpoliari: vel poſt appellationem (ſicut aliquando allegavit) Eccleſia illa fuerit ſpoliatus, ipſam ei faciatis reſtitui, & in pace dimitti.

SVMMARIVM.

1 *Presbyter in potatione pernoctans, & Miſſam celebrans officio, & beneficio privari debet.*
2 *Presbyter qui inter paſtum, aut potum, & Miſſæ celebrationem non dormit, an præſumatur celebraſſe non ieiunus, & num. 16.*
3 *Communicare in die Cœnæ non ieiuno ſtomacho quamvis olim licuerit, hodie tamen eſt mortale.*
4 *Eucharistia cur a ieiunis tantùm ſumenda ſit.*
5 *Ebrietas ſola non eſt ſufficiens cauſa privationis beneficii.*
6 *Intellectus huius cap. uſque ad num. 22.*
7 *Ebrietas cognita licèt non aſſidua ſemper ſecundum ſe eſt mortale peccatum.*
8 *Ebrius vino ſepultus ignorat quid loquatur.*
9 *Lex non debet ferri ſuper impoſſibili.*
10 *Dormitio poſt cibum, vel potum an debeat præcedere celebrationem Miſſæ, & num. 13.*
11 *Ieiunus quando quis dicatur ad effectum ſumendi Euchariſtiam, & num. ſeqq. & num. 16. & ſeq.*
12 *Dies in Romana Eccleſia incipit à media nocte.*
13 *Digeſtio cibi, vel potus an debeat præcedere ſumptionem Euchariſtiæ, & num. . .*
14 *Sacerdoti an liceat comedere poſt matutinum, cùm dicitur ſero, & mane miſſam celebrare non præmiſſa dormitione, aut digeſtione, & num. 20.*
15 *Presbyter pernoctans in taberna præſumitur bibiſſe poſt mediam noctem, & num. 21.*
16 *Presbyter qui poſt mediam noctem cibum, vel potum ſumpſit, & mane celebravit an ſit beneficio privandus, & num. ſeqq.*
17 *Cibus etiam non nutriens, & per modum medicinæ ſumptus poſt mediam noctem impedit Miſſæ celebrationem.*
18 *Ieiunium naturæ, & Eccleſiæ in quo differant.*
19 *Pernoctare quid ſit.*
20 *Presbyter qui cibum, aut potum ſumpſit ante mediam noctem etiam non præmiſſa dormitione, vel digeſtione poteſt celebrare.*
21 *Presbyter vinolentus ſi in taberna non pernoctavit an in dubio præſumatur celebraſſe non ieiunus.*
22 *Ebrietas an ſit peccatum.*
Ebrietas dupliciter accipitur, ibidem.
23 *Ebrietas continetur ſub gula ſicut ſpecies ſub genere.*
24 *Ebrii quæ ſit pœna.*
25 *Ebrius in foro temporali ſi ſteterit in metis finibus ebrietatis nulla pœna tenetur.*
26 *Ebrius qui ſua culpa in ebrietatem incidit, & ebrius exiſtens hominem interfecit, vel mutilavit an, & quando ſit irregularis, & num. ſeqq. uſque in finem.*
27 *Ebrietas contracta ignoranter, & ſine culpa nullam pœnam meretur.*
28 *Voluntarium duplex.*

29 *Miles*

Digitized by Google

29 *Miles armata militia, & cœleſtis militia æquiparantur.*
30 *Miles ebrius qui ſe ipſum vulneravit à militia removetur.*
31 *Ebrius meretur duplices maledictiones.*
32 *Pittacus ebrio delinquenti duplicem pœnam imponendam eſſe conſtituit.*
33 *Covarruviæ opinio adſtruens ebrium ſua culpa non eſſe irregularem ex homicidio, refellitur.*
34 *Ebrius, & furioſus æquiparantur.*
35 *Delictum in ebrietate commiſſum non conſtituit novam ſpeciem peccati, ſed eſt circumſtantia peccati præcedentis.*
36 *Voluntarium ſecundum ſe eſt de ratione intrinſeca peccati actualis, non autem irregularitatis, & cur.*
37 *Ignorantia, & error perinde ac furor, & ebrietas excludunt conſenſum.*
38 *Irregularitas contrahitur ex homicidio ignoranter, & præter intentionem commiſſo quoties culpa præceſſit caſum.*
39 *Pater qui dormiens in lecto infantem ſuffocavit an ſit irregularis.*
40 *Irregularitas contrahitur etiam ex cauſa remota ad homicidium ordinata quando quis dabat operam rei illicitæ.*
41 *Ebrii ſunt in duplici differentia, & nu. 46.*
42 *In homicidio ebrii conſiderari poſſunt tres actus, & numer. 46.*
43 *Irregularis non eſt præbens homicidio cauſam remotam, & ad homicidium non ordinatam, etiamſi daret operam rei illicitæ.*
44 *In ebrietate oportet veniam habere.*
45 *Delinquentes per ebrietatem non dicuntur ſtudioſè delinquere, ſed impetuoſe; & adeo mitius puniuntur arbitrio iudicis.*
46 *Ebrietas voluntaria quæ dicatur.*
47 *Ebrii pluries iniuriantur, quàm ſobrii.*
48 *Ebrietas voluntaria eſt culpa mortalis.*
49 *Ebrius ſua culpa qui in ebrietate homicidium commiſit indiſtinctè abſtinere debet à miniſterio altaris.*
50 *Dubia res dicitur ubi ſunt opiniones ex utraque parte probabiles.*
51 *Opinio tutior in foro pœnitentiali, vel quaſi ex præcepto eligenda eſt tam in dubio facti, quàm iuris etiam abſoluti ubi vertitur peccati periculum.*
52 *Irregularitatis inſtituendæ cauſa quæ fuerit.*

1 SI *conſtiterit*. Legitur variè, ſed ſecundum intellectum quem communem dicit Marian. Socin. Hoc intendit. Presbyter ebrioſus Miſſam celebrans ante ebrietatis digeſtionem beneficio privandus eſt, & officio. Ego verò arbitror hanc lecturam non poſſe ſuſtineri, ut dicam infrà in 2. *notab.* unde ſic ſumo textum. Presbyter in potatione pernoctans, & Miſſam celebrans officio, & beneficio privari debet. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In prima inſtruit Judicem quando ſit contra actorem pronunciandum. In ſecunda quando pro actore contra reum, ibi, *Cæterum*.

2 Nota primò, Presbyterum, qui inter paſtum, aut potum ſumptum, & Miſſæ celebrationem non dormit præſumi celebraſſe ante digeſtionem, & ſic non jejuno ſtomacho ſecundùm gloſ. *in verb. Dormitione*, & Marian. Soccin. *num.6. in 3. notab.* quod fieri non debet, *ut in cap. Sacramenta, de conſecr. diſt.* 1. *& in cap. Liquido, de conſecr.*
3 *diſt.* 2. Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 13. Quod enim licuit olim in die Cœnæ communicare ſtomacho non jejuno, *ut in d. cap. Sacramenta*, quod eſt Concilii Carthaginenſis III. *cap.* 29. procedit ſecundùm conſuetudinem aliquando apud aliquos obſervatam, ut in repræſentationem Dominicæ Cœnæ illo die à non jejunis corpus Chriſti ſumeretur. Quem morem dicuntur retinuiſſe Corinthii, & diu poſtea ſervarunt Eccleſiæ Alexandrinæ, Ægypti, & Thebaidos. Sed nunc hoc abrogatum eſt, ut notat gloſ. ibi, *in ver. excepto:* & declarat S. Thomas *in 3. p. qu.* 80. *art.8. ad* 3. nec eſt ſervandum, imò eſt mortale ſecundùm Petr. de Palude apud Silveſt. *in ver. Euchariſtia 3. num.* 8.
4 Placuit enim Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret quàm cæteri cibi, & per univerſum orbem mos iſte ſervatur, ut legitur in *d. cap. Liquido*. Alias rationes ſubjicit S. Thomas *d. art.* 8. *in corp. & in 4. ſent. diſt.* 8. *q.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 1. Abrogatio prædictæ conſuetudinis habetur etiam in canone 29. Synodi Trullanæ *tom.5.Concil.pag.*350. *col.*1. Lutetiæ Pariſiorum. Sed horum canonum quæ, & quanta ſit authoritas vide *eod. tom.* 5. *pag.* 311. Verumtamen quod ſpectat ad præſumptionem indigeſtionis, de qua ſuprà, ut dicit Marian. Soccin. *loco citat.* conſiderari debet diſtantia temporis, & qualitas, & quantitas ſumpti cibi, vel potus, & diſtantia jejunii præcedentis. Poſſet enim eſſe tam modicæ quantitatis, aut tam facilis digeſtionis, ut Presbyter brevi digeſſiſſe præſumeretur. Sed de hoc dicam plenius in ſecundo notab. præſertim *num.* 17.

Secundò nota, Presbyterum propter ſolam ebrietatem 5
non eſſe privandum beneficio: nam textus præcipit inquiri non tantùm de ebrietate, ſed etiam an celebraverit non præmiſſa dormitione; & ſic alterum non ſufficit ſecundùm Abb. qui amplius dicit ebrietatem ſi rara fuerit non eſſe peccatū mortale, ut in *c. Unum orarium,* §. *Nunc autem, verſ. aliàs ea demum*, & *verſ. Ebrietas*, 25. *diſt.* & cum eo tranſeunt Marian Soccin. *nu.* 5. *in ſecundo notab.* & Felin. *ibidem in 2. notab. num.*2.

Sed tu adverte, quia in his dictis Abbatis, & Docto- 6
rum in ſumma hujus textus implicantur quatuor propoſitiones, quæ videntur omninò falſæ. Primò enim ſupponunt DD. hanc decretalem loqui de Presbytero ebrioſo, id eſt de eo, qui eſt in conſuetudine ſe inebriandi: talis enim dicitur propriè ebrioſus ſecundùm Bald. *in cap. A crapula, num.*1. *ſupra de vita, & honeſt. Cleric.* qui alibi dicitur ebrietati deſerviens, ut in *cap. Epiſcopus*, 35. *diſt.* & ibi poſt Hugon. declarat Archid. *nu.*1. *in verſ. Deſerviens*, Turrecr *num.*12. & Præpoſ. *num.* 3. *verſ. Quæro an iſti clerici*. Sed hoc eſt falſum, quia hæc decretalis nuſquam loquitur de ebrioſo, ſed de vinolento, qui in taberna pernoctavit, id eſt per totam noctem potando, & ſe inebriando vigilavit, ut explicat Hoſt. *nu.* 2. *in ver. Pernoctaverit*: unde ad incurrendam hanc pœnam ſatis eſt, ut ſemel tantùm pernoctaverit in potatione, & mane non præmiſſa dormitione Miſſam celebraverit, prout revera intelligunt DD. licèt incautè ſummaverint textum in Presbytero ebrioſo.

Deinde ſupponunt Doctores ebrietatem ſi rara ſit non 7
eſſe peccatum mortale, quod ſimiliter non benè dicunt, quia ebrietas dummodo ſit cognita, & ſic voluntaria licèt non ſit aſſidua, ſemper ſecundùm ſe eſt mortale peccatum, ut docet S. Thomas in 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. Archid. Turrecr. & omnes in *cap. Sexto die*, 35. *diſt.* & dixi plenè in *d. c. A Crapula, à num.* 24. *uſque ad num.* 33. *de vit. & honeſt. Clericor.* ubi oſtendi Canoniſtas ibi, & hic fuiſſe lapſos in intellectu dicti §. *Nunc autem*: & hinc exiſtimo factum eſſe, ut Jo.And.& omnes intellexerint hunc tex. in ebrioſo, quia ſcilicet in ea fuerunt opinione, ut ebrietas eſſet tantummodo peccatum veniale, niſi eſſet aſſidua; quod tamen eſt falſum, ut ibi dixi. Tertiò Doctores ſupponunt Presbyterum non incidere in hanc pœnam niſi celebrationem Miſſæ præceſſerit ebrietas; quod ſimiliter non eſt verum ſi intelligatur de ebrietate prout parit exilium mentis, & privat uſu rationis.

Non enim poteſt contingere hic caſus ut Presbyter ſit e- 8
brius, & non præmiſſa digeſtione Miſſam celebret ſecun-
dùm lecturam quam Marian. Soccin. dicit communem, 9
quia vino ſepultus ignorat quid loquatur, *cap. Sanè*, 15. *q.*1. & ita hæc Conſtitutio lata eſſet ſuper impoſſibili contra *cap. Erit autem lex*, 4. *diſt.* Ebrietas ergo de qua Doctores loquuntur non eſt accipienda prout ſignificat alienationem mentis contingentem ex immoderato uſu vini, ſed pro ipſo actu immoderatæ potationis ſecundùm diſtinctionem S. Thom. *in 2.2.q.* 150. *art.* 1. Loquitur enim hic
textus de Sacerdote non ebrio, ſed vinolento. Quartò & 10
ultimò ſupponunt Doctores inter potum aſſumptum, & celebrationem Miſſæ debere intercedere dormitionem ita ut alias præſumatur indigeſtus, & non jejunus, ut dixi
ſupra in primo notab. Quod itidem non eſt verum indi- 11
ſtinctè: nam ut inquit D. Thomas *in 3. part. quæſt.*80. *art.* 8. *ad ſecundum: Cum dicitur quod hoc Sacramentum prius quam alii cibi debet in os Chriſtiani intrare non eſt intelligendum abſolutè reſpectu totius temporis; alioquin qui ſemel comediſſet, vel bibiſſet nunquam poſſet hoc Sacramentum*

acci-

Digitized by Google

accipere, ſed eſt intelligendum quantum ad eundem diem: & licet principium diei ſecundùm diverſos diverſimodè acci-
12 *piatur, nam quidam à media nocte, quidam ab ortu ſolis diem incipiunt. (de quibus vide gloſſam primam in l. More Romano, ff. de fer.) Eccleſia tamen Romana diem à media nocte incipit; & ideò ſi poſt mediam noctem aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi, vel potus, non poteſt eadem die*
13 *hoc ſumere Sacramentum: poteſt verò ſi ante mediam noctem: nec refert utrum poſt cibum, vel potum aſſumptum dormierit, aut etiam digeſtus ſit quantum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis quam patiuntur homines propter inſomnietatem, vel indigeſtionem, ex quibus ſi mens multum perturbetur, homo redditur*
14 *ineptus ad ſumptionem hujus Sacramenti.* Hæc S. Thomas: & ſequitur S. Antoninus apud Silveſt. *in verb. Euchariſtia, 3. q. 7. num. 9.* dicens non impedire ſcilicet neceſſariò etſi de congruo quod quis poſt cibum non dormierit, aut non ſi facta digeſtio dummodo poſt noctem mediam non comederit, aut biberit etiamſi comediſſet, aut bibiſſet poſt matutinum, cùm dicitur ſerò, licèt non multum liceat poſt illud bibere, & multò minus comedere, niſi neceſſi-
15 tas urgeat. Nec obſtat ſecundum Petrum de Palude apud Silveſt. *ubi ſupra* hæc Decretalis, ubi qui pernoctavit in taberna ſine ſomno privatur Eccleſia, qui cùm in taberna apponatur vinum, veriſimiliter poſt mediam noctem bibit, & celebravit; & ſic eſt præſumptio juris, contra quam, ut ipſe dicit, non admittitur probatio, vel ſaltem cui ſtatur quamdiu contrarium non probetur.

16 Ex his omnibus cùm quæritur an ſit puniendus Sacerdos, qui poſt cibum, vel potum aſſumptum non præmiſſa dormitione celebravit perſtringendo dicta Theologorum, & Canoniſtarum ego arbitror tres caſus eſſe diſtinguendos.

Primus eſt, cùm certum eſt Presbyterum ſumpſiſſe cibum, vel potum poſt mediam noctem, & manè celebraſſe; & hoc primo caſu abſque dubio eſt puniendus. Ratio eſt, quia accipiendo diem prout accipit Eccleſia Romana, Corpus Chriſti non fuit primus cibus, qui pro illa die intravit in os ipſius, ut præcipitur in *d. c. Liquido, de conſecrat. diſt. 2.* & ſic non jejunus celebravit contra text. ibi, &
17 in *d. cap. Sacramenta, de conſecr. diſt. 1.* Nec verum eſt, quod hic Mar. Soccin. *in 3. notab.* videlicet conſiderandam eſſe quantitatem, & qualitatem cibi, vel potus, & intervallum temporis: imò enim ſive cibus, & potus ſit multus, ſive modicus, & ſive ſit difficilis, ſive facilis digeſtionis indiſtinctè ſi fuerit aſſumptus poſt mediam noctem impedit celebrationem Miſſæ, etiamſi non nutriat, & fuerit aſſumptus per modum medicinæ, ut declarat Sanctus Thomas *in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 4. q. 2.* Etenim in reverentiam ſanctitatis hujus Sacramenti inſtitutum eſt, ut os Chriſtiani ſuſcipientis Corpus Chriſti quaſi novum ad ipſum ſumendum accedat. Quantalibet autem cibi aſſumptio hanc auſert novitatem, & ideò quælibet cibi ſumptio impedimentum præbet Euchariſtiæ ſumptioni; ut per eum: Unde opinio Goffredi, & Joannis aſſerentium cibum prohiberi prout nutrit, & ideò quod ſumitur per modum medicinæ non impedire miſsæ celebrationem, ut modicum gingiberis, communiter reprobatur; & eam confutat Paludan. *in 4. diſt. 8.* & Heruec. relati à Silveſtro
18 *in verb. Euchariſtia, 3. num. 8. verſ. & intellige.* Ratio eſt, quia ad debitam ſumptionem Dominici corporis non exigitur jejunium Eccleſiæ, quod non ſolvitur, niſi per ſecundam ſumptionem illorum, quæ in cibum, & refectionem de ſe conſueverunt aſsumi, ſed exigitur jejunium naturæ, quo dicitur jejunus qui poſt mediam noctem nihil cibi, aut potus etiam per modum medicinæ aſſumpſit. Ita S. Thom. *loc. cit. in reſp. ad 2. & in 3. p. 2. q. 80. art. 8. ad 4.* Albert. Magnus, & alij, quos cit. Silveſt. *ubi ſup.* Crederem tamen non incidere in pœnam hujus Canonis Presbyterum, qui electuarium ſumeret, aut modicum vini deguſtaret illico poſt mediam noctem, & manè miſſam celebraret, quia hic textus loquitur de Presbytero vinolento, qui in taberna pernoctavit, id eſt qui in potatione totam
19 noctem inſumpſit, ſecundum Hoſt. *hic num. 2.* Pernoctare enim noctem totam ſignificat, ut *l. Vrbana, §. Pernoctare, ff. de verbor. ſignificat.* & notat gloſſa *hic in verb. Pernoctaverit*: quæ verba huic non adaptantur, & conſequenter nec diſpoſitio, *l. Ita autem, §. Geſſiſſe, ff. de adminiſtr. tutor. l. 4. §. Toties, ff. de damno infecto.* Et quamvis hic celebrando ſit in culpa, tamen pœna privationis beneficij, de qua hic non videtur tali delicto commenſurari, *ad cap. At ſi clerici, de adulter.* & hoc caſu ſalvari poteſt conſideratio Mariani Socini, quod attendi debeat qualitas, & quantitas ſumpti cibi, & intervallum inter cibum aſſumptum, & celebrationem: & quod notat gloſ. in *d. cap. Sacramenta, in verb. A ieiunus, de conſecr. diſt. 1.* dum firmat jejunum dici celebrata, id eſt abſoluta digeſtione, unde an habeat locum pœna privationis necne, arbitrio judicis relinquendum erit.

Secundus caſus eſt cum è contra certum eſt Presbyte- 20
rum ſumpſiſse cibum, vel potum ante mediam noctem, non autem poſt; & hoc caſu etiamſi non præmiſſa dormitione, vel digeſtione miſsam celebraverit non eſt culpabilis, nec puniendus, quia dicitur jejunus pro illa die ſecundum jejunium naturæ, juxta ſententiam D. Th. & aliorum, de quibus ſuprà. Neque hoc caſu locum habet hæc Decretalis, quia qui cibum, aut potum ſumpſit duntaxat ante mediam noctem non dicitur in potatione pernoctaſse, prout requiritur ad inquirendam hanc pœnam, ut proximè dictum eſt.

Tertius caſus eſt cùm dubium eſt, an Sacerdos cibum, 21
vel potum ſumpſerit ante, vel poſt mediam noctem: & tunc ſubdiſtingue: nam aut pernoctavit in taberna, aut non; ſi pernoctavit, præſumitur bibiſse etiam poſt mediam noctem: unde niſi probaverit contrarium puniendus erit ut hic; & in hoc tertio caſu propriè loquitur hæc Decretalis. Conſtito enim de vinolentia, & de pernoctatione in taberna, hinc deducitur præſumptio, quod totam noctem in potando inſumpſerit, & ita celebraverit non jejunus ſecundum Petrum de Palude, & Silveſtrum ſupra citatos. Aut non pernoctavit in taberna, & tunc in dubio non præſumitur comediſse, vel bibiſse poſt mediam noctem, niſi hoc probetur: neque hoc caſu intrat pœna, de qua hic. Patet, quia textus mandat copulativè inquiri de tribus, primò de vinolentia Presbyteri, ſecundò quod pernoctaverit in taberna, tertiò quod miſsam altera die celebraverit: ergo in dubio non ſufficit ſola probatio vinolentiæ in genere ſine circumſtantia temporis, quia ex illa cognoſci non poteſt an presbyter potaverit ante, vel poſt mediam noctem; ſed requiritur probatio, quod pernoctaverit in taberna: ex hoc enim reſultat ſufficiens probatio per juris præſumptionem quod etiam poſt mediam noctem potaverit, & ſic celebraverit non jejunus, & ita intellige hanc Decretalem.

QUÆRO, an ebrietas ſit peccatum. 22

Solutio: [Ebrietas poteſt dupliciter accipi, uno modo prout ſignificat ipſum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato: ex quo fit ut non ſit compos rationis; & ſecundum hoc ebrietas non nominat culpam, ſed defectum pœnalem conſequentem ex culpa. Alio modo ebrietas poteſt nominare actum quo quis in hunc defectum incidit, qui poteſt cauſare ebrietatem dupliciter. Uno modo ex nimia fortitudine vini præter opinionem bibentis, & ſic etiam ebrietas poteſt accidere ſine peccato, præcipuè ſi non ex negligentia hominis contingat, & ſic creditur
Noe inebriatus fuiſſe, *Gen. 9.* Alio modo ex inordinata 23
concupiſcentia & uſu vini, & ſic ebrietas ponitur eſſe peccatum, & continetur ſub gula, ſicut ſpecies ſub genere. Dividitur enim crapula in commeſſationem, & ebrietatem, quæ prohibet Apoſtol. *ad Rom. 13.* dicens, *Non in commeſſationibus, & ebrietatibus.*] Ita S. Thomas *in 2. 2. quæſt. 150. art. 1.* Turrecrem. *in cap. Sexto die, nu. 6. 35. diſt.* & Silveſter *in verb. Ebrietas, in princip.* quale autem peccatum ſit ebrietas an ſcilicet veniale, vel mortale dixi latè in *c. A crapula, à num. 24. ſupra de vita & honeſt. clericor.*

Secundò QUÆRO quæ ſit pœna ebrij. 24

Solutio. In foro pœnitentiali pœna eſt arbitraria, *cap. Menſuram, de pœnit. diſt. 1.* in foro autem judiciali Eccleſiaſtico olim procedendum erat, juxta Canonem Apoſtolorum 42. relatum in *c. 1. 35. diſt.* ubi ſic legitur: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ebrietati deſerviens*, (id eſt aſſuetus ſe inebriare ſecundum Hug. Archid. Turrecr. Præpoſ.) *aut deſinat, aut deponatur: Subdiaconus autem, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens aut deſinat, aut communione privetur, ſimiliter & laicus.* Item Concilium Agathenſe *cap. 41.* quod refertur in *c. Ante omnia, ead. diſt.* ſtatuit Clericum quem ebrium fuiſſe conſtiterit aut triginta dierum ſpatio à communione ſubmovendum, aut

corpo-

Digitized by Google

corporali ſubdendum ſupplicio, id eſt recipiat, quadraginta ictus, ut ibi exponit gloſſa. Sed an, & quo ordine clerici propter ebrietatem poſſint ſubjici verberibus, & quomodo in prædictis pœnis ſit procedendum, dic ut ibi per Præpoſ. *num.* 1. Hodie verò contra quoslibet clericos ebrioſos, ſeu ebrietati deſervientes ſervanda erit diſpoſitio *d. cap. A crapula;* ut ſcilicet ſi moniti non deſiſtant, ab
25 officio, vel beneficio ſuſpendantur. In foro autem temporali laicus propter ebrietatem nulla pœna tenetur, ſecundùm Marian. Socin. *hic num.* 21. & hæc vera ſi ebrius ſteterit in meris finibus ebrietatis: ſed ſi aliud delictum in ebrietate commiſerit juxta textum in *l. Omne delictum*, §. *penultim. ff. de re militar.* tunc dicendum, ut in quæſt. ſequenti.

26 Ultimò QUÆRO, an qui ſua culpa in ebrietatem incidit, & ebrius exiſtens hominem interfecit, aut mutilavit efficiatur irregularis, necne.

27 Hæc quæſtio proponitur de eo, qui culpa propria effectus eſt ebrius; nam ſi ſine culpa puta quia eo ignorante alius miſcuit ſal cum vino, vel dentem caballinum, vel quid ſimile, aut quia ſumpto vino moderatè ignorans illius potentiam præter conſuetudinem, & opinionem contraxit ebrietatem, expeditum eſſet hunc non eſſe aliqua pœna puniendum, nec irregularitatem incurrere, quoniam talis nec venialiter quidem peccat, ut docet Sanct. Thomas, Archid. Turrecrem. & alii citati ſupra in 1. q. Jo. a Capiſtrano in dict. *c. A crapula*, *num.* 7. & 8. *de vita & honeſt. cleric.* & ſic credimus de Noe *Gen.* 9. & de Loth, qui commiſit inceſtum, à quo excuſatus eſt ſecundum Auguſtin. contra Fauſtum, ut in *c. Inebriaverunt*, 15. q. 1. Dicit enim textus Geneſ. 14. *Et ne tunc quidem ſenſerit quando concubuerit, nec quando illa ſurrexerit;* & ita hunc non eſſe irregularem cenſet Mar. Soc. in *c. Ad audientiam*, *num.* 55. *infra de homicid.* & Covarr. in Clem. *Si furioſus, in 3. part. num. 3. verſ. Sed quoad irregularitatem, eodem tit.* nec quiſquam diſſentit. Dubium igitur reſtringitur ad eum, qui ſua culpa in ebrietatem incidit; & quidem ſi dedit operam, ut inebriaretur, & ſciebat ſe conſueviſſe in ebrietate arma ſumere, & homines perſequi, & percutere, procul dubio efficitur irregularis, quia per immoderatam potionem dedit operam rei illicitæ, & ad occaſionem periculoſæ ex his quæ ſolent accidere: ita Mar. Soc. in dict. *cap. Ad audientiam*, *num.* 56. & Covarr. in dict. Clem. *Si furioſus, in 3. part. ſub num. 4. verſ. Poſſet quidem vera cenſeri;* & hic caſus ſimiliter eſt extra omne dubium.

Major difficultas eſt quid dicendum in ebrio, qui ex ſimplici culpa in ebrietatem incidit immoderatè bibendo, &
28 in ebrietate homicidium commiſit. Et quidem S. Thomas *in 1. 2. quæſt. 77. art. 7.* cui ſubſcripſit Silveſtr. *in verb. Ebrietas, num. 5.* ſentit abſolutè hunc eſſe irregularem. Ait enim; *aliquid eſſe poſſe voluntarium vel ſecundum ſe ſicut quando voluntas directè in ipſum fertur: vel ſecundum cauſam quando voluntas fertur in cauſam, & non in effectum, ut patet in eo, qui voluntariè inebriatur: Ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur quod per ebrietatem committit.* Idem apertiùs firmant Zenzelin. Card. & Imol. in d. Clem. *Si furioſus, de homicid.* quos ſequuntur Villadiego *de irregul. c. de percuſſore, col.* 11. Silveſter *in verb. Homicidium*, 3. q. 4. *& alii.*

Quibus primò ſuffragatur *cap. Sanè*, & *c. Inebriaverunt*, 15. *quæſt.* 1. ubi patet delinquentem in ipſa ebrietate non eſſe omninò immunem à culpa, nec à pœna.

29 Deinde ſecundùm Mar. Soc. in dict. *c. ad Audientiam*, *num.* 57. hoc probat textus expreſſus in *l. Omne delictum*, *ff. de re militari:* nam miles cœleſtis militiæ, & miles armatæ militiæ videntur æquiparari, ut *l. Miles*, & ibi no-
30 tatur, *ff. de re iudic.* Sed miles armatæ militiæ in ebrietate ſeipſum vulnerans, aut aliàs mortem ſibi conſciſcens à militia removetur, ut dict. *l. Omne delictum*, §. *pen.* prout hunc text. in propoſito adducunt etiam in *cap. A crapula*, *de vita & honeſt. cleric.* Hoſt. *num.* 8. *in verb. Suſpendatur*, & Jo. Andr. *num.* 3. *in verb. Beneficio*, ergo & fortius miles cœleſtis militiæ, ut eſt clericus, debet deponi ab altaris miniſterio, & per conſequens videtur in irregularitatem incidere.

31 Tertiò favet eidem ſententiæ authoritas Ariſtot. 3. *Ethic. c.* 5. dum docet ebrium mereri duplices maledictiones, videlicet ut explicat D. Thom. in 1. 2. *q.* 76. *art.* 4. *ad quartum*, propter duo peccata quæ committit, ſcilicet ebrietatem, & aliud peccatum, quod ex ebrietate ſequitur.

Similiter ut ibi Euſtatius refert Pittacus unus ex ſeptem 32
Græciæ Sapientibus ebrio delinquenti duplicem pœnam infligendam eſſe conſtituit, alteram propter ebrietatem, alteram propter crimen in ebrietate patratum; cujus rei etiam meminit S. Thomas ubi ſupra, & Covarr. in d. Clem. *Si furioſus in 3. p. num. 4. in fin.*

Sed contrariam ſententiam pluribus conatur tueri idem 33
Covarr. *eodem num. 4. in princip. verſ. Supereſt igitur difficultas.*

Movetur primò, quia ebrius, & furioſus æquiparan- 34
tur *cap. Venter*, 35. *diſt.* ſed furioſus non eſt irregularis propter homicidium in furore commiſſum, ut in d. Clem. *Si furioſus*, ergo nec ebrius. Sed hoc argumentum poteſt in oppoſitum retorqueri; nam furioſus, qui propria culpa in furorem incidit, irregularis efficitur, ſi in furore aliquem interfecerit aut mutilaverit, ut dixi in d. *cap. Ad audientiam*, *num.* 24. *infra de homicid.* ergo, & ebrius, qui ſua culpa incidit in ebrietatem.

Deinde movetur quia homicidium ebrii proceſſit ab eo, qui caret uſu rationis, ergo irregularitatem non inducit. At nego conſequentiam, quia irregularitas non contrahitur hoc caſu ex eo, quod homicidium ſit voluntarium in ſe, ſed quia eſt voluntarium in ſua cauſa propter culpam præcedentem, ut ex mente D. Thomæ ſuperius dictum eſt, & patebit infra *num.* 36. 37. & 38.

Movetur tertiò, quia ebrius non punitur propter ho- 35
micidium commiſſum, ſed propter ebrietatem illam, quæ graviori pęna eſt digna propter circumſtantiam homicidii, cui cauſam præbuit: quod videtur cenſiſſe D. Bonavent. *in 2. ſent. diſt. 22. art. 1. q. 3.* dum ait: *nec furioſum, nec ebrium quamvis uterque illorum ſit ſua culpa uſu rationis privatus poſſe committere novam culpam, ſed omne malum quod durante furore, vel ebrietate factum fuerit eſſe circumſtantiam, quæ aggravat ebrietatis, aut furoris peccatum:* quem locum citat etiam Alphonſus à Caſtro tenens hanc opinionem *lib. 2. de poteſtate leg. pœnal. cap. 14. verſ. Prima principalis concluſio.*

Verùm hoc argumentum eò tantùm ſpectat, ut oſten- 36
dat delictum in ebrietate, vel furore commiſſum non conſtituere novam ſpeciem peccati, ſed eſſe circumſtantiam peccati præcedentis, quod & nos fatemur; quia voluntarium eſt de ratione intrinſeca peccati actualis, *cap. Maiores*, §. *verum*, *de Baptiſ.* nec poteſt eſſe voluntarium in eo, qui caret uſu rationis. Sed non eſt bona conſequentia: homicidium in ebrietate commiſſum non eſt nova ſpecies peccati, quia non eſt voluntarium; ergo ex illo non contrahitur irregularitas. Ratio eſt, quia ad irregularitatem, quæ non eſt peccatum, ſed pœna peccati non requiritur ut delictum ipſum ſit voluntarium in ſe, ut requiritur ad eſſe peccati, ſed ſatis eſt ut culpa præceſſerit, ut optimè explicat D. Thomas *in 4. diſt 17. q. 2. art. 2. q. 4. ad 2.* ait enim: *Effectus conſequens qui peccatum aggravat iam in actu præceſſit, velut in cauſa; & ideo quando commiſſum eſt totam ſuam quantitatem habuit, & ex effectu conſequenti non accreſcit aliquid quoad culpæ rationem etſi accreſcit, quoad pœnam accidentalem.* Hæc S. Thomas, quem ſe-
quitur Silveſt. *in ver. Ebrietas*, *num.* 5. Id quod patet a- 37
pertiſſimè in omni homicidio caſuali, & præter intentionem commiſſo: illud enim non poteſt dici peccatum homicidii cùm voluntarium non ſit, quia ignorantia, & error, perinde ac furor, & ebrietas excludunt conſenſum, *cap. Quamvis*, 38. *diſt. l. Cum Aquiliana*, *ff. de tranſact. l. Sed hoc ita*, *ff. de aqua plu. arcen. l. Non idcirco*, *C. de iur. & fact. ignor.* quia voluntas non fertur niſi in præcognitum, ut patet in 3. *de Anima comm.* 39. imò nil magis contrarium conſenſui, quam error, *l. Si per errorem*, *ff.*
de iuriſd. omn. iudic. & tamen jura paſſim clamant ex ho- 38
micidio caſuali ignoranter, ſeu per errorem commiſſo irregularitatem induci, quoties culpa, vel negligentia præceſſit caſum, ut in *cap. Continebatur*, *cap. Suſcepimus*, & *cap. Ad audientiam*, *infra de homicid.* cum ſexcentis ſi-
mil. Sicut etiam dormiens uſu rationis caret non ſecus ac 39
furioſus, infans, vel ebrius, ut in dict. Clem. *Si furioſus, de homicid.* & tamen ſi in ſomniis filium in lecto ſuffocaverit, irregularis efficitur propter culpam, vel negligentiam, quæ homicidium præceſſit, ut eſt textus in *cap. Quæſitum*, & ibi DD. *de pœnis. & remiſſ. cap. Conſuluiſti*,

2. q.

Digitized by Google

2. q. 5. *cap. fin.* cum ibi notatis, *de iis quæ fil. occider.* plenè Silveſt. *in ver. Homicidium, ſecundo, num.* 15. *in* 23. *quæſt.* Itaque licèt homicidium ebrii non ſit peccatum ab ebrietate diſtinctum, ſed circumſtantia ebrietatis, ſemper tamen ex illo incurritur irregularitas, ſi præceſſit culpa, ſicut incurritur ab ignorante, ſeu errante, vel dormiente, licèt in his quoque homicidium propter defectum conſenſus non ſit, nova ſpecies culpæ, ſed circumſtantia culpæ præcedentis.

40 Movetur quartò idem Covarruvias, quia ebrietas non eſt cauſa proxima, nec immediata occiſionis, ſed cauſa mediata, & remota, arg. *cap. Quia diverſitatem, de conceſſ. preben.* nam culpa fuit cauſa ebrietatis, ebrietas verò cauſa occiſionis. Sed hæc quoque ratio infirma eſt, quia ad contrahendam irregularitatem non requiritur, ut quis præbuerit cauſam proximam, ſeu immediatam homicidio, ſed ſatis eſt ut præbuerit remotam quando dabat operam rei illicitæ, ſi cauſa fuerit aliquo modo ad homicidium ordinata, *cap. Continebatur*, ſecundum unum intellectum, & *cap. Suſcepimus, de homicid.* & eſt communis regula in materia irregularitatis, ut dixi in *cap. Ad audientiam, num.* 19. & 33. *eod. tit.*

41 Quid dicendum? Cogitabam opiniones poſſe conciliari fœdere diſtinctionis: Dupliciter enim ex ſimplici culpa poteſt aliquis in ebrietatem incidere ex mente S. Thomę *in* 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 2. Uno modo cùm percipit uſum vini eſſe immoderatum, non tamen æſtimat inebriare potentem, & ita ex inordinata concupiſcentia, & uſu vini contigit ei ebrietas præter intentionem, & conſuetudinem: & hoc primo caſu exiſtimo hunc eſſe immunem ab irregularitate, ſi contracta ebrietate aliquem occidat, aut mutilet.

42 Moveor quia in homicidio hujuſmodi conſiderari poſſunt tres actus. Primus eſt ipſa potatio, ſecundus ebrietas, tertius hominis occiſio. In primum actum duntaxat hoc caſu fertur voluntas directè, nempe quia talis tantùm voluit bibere vinum immoderatè. In ſecundum fertur voluntas indirectè, & per accidens. In tertium verò, id eſt in occiſionem aut nullo modo nec per ſe, nec per accidens fertur voluntas, aut per accidens quidem,
43 ſed valdè remotè. Atqui ex cauſa valdè remota, & ad homicidium non ordinata irregularitas non contrahitur etiam ab illo, qui dabat operam rei illicitæ, ut eſt caſus in *cap. Exhibita, infra de homicid.* ubi puer qui ludens lapidem jecit in alium puerum, ut timorem illi incuteret, & ſic dabat operam rei illicitæ non contraxit irregularitatem ex eo quod ille à projecto lapide non percuſſus corruens, & capite illiſus ad petram ex aliorum incuria obiit, ut ibi deciditur, & latiùs probavi in *cap. De cætero, num.* 13. *eodem tit.* & in hoc primo caſu ſalvari poteſt opinio Alphonſi à Caſtro, & Covarr. ut ipſemet videtur declarare in dict. Clem. *Si furioſus, part.* 3.
44 *nu.* 4. *verſ. Tamdem quarto:* & ita etiam intelligi poteſt, quod docuit Ariſtot. 2. *Ethic.* In ebrietate oportet veniam habere: & quod habetur in *l. Omne delictum*, §. *Per vinum, ff. de re milit.* videlicet per vinum, aut laſciviam pſos clementius eſſe puniendos.

45 Et quod ait Bald. in *cap. A crapula, num.* 3. *ſupra de vita, & honeſt. Cleric.* id eſt delinquentes per ebrietatem non dici ſtudioſè delinquere, ſed impetuoſè, & ideò mitius puniendos eſſe juxta text. in *l. Reſpiciendum*, §. *Delinquunt, ff. de pœnis*, idque Judicis arbitrio relinqui tradiderunt Roman. in *l.* 1. *num.* 9. *ff. de verb. obligat.* Dec. in *cap.* 1. *in fine, de teſtib.* & alii apud Menoch. *de arbitrar. iudic. lib.* 2. *centur.* 4. *caſu* 326. & hunc venialiter tantùm peccare docuit S. Thomas præællegatus in 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 2.

Alio modo poteſt quis in ebrietatem incidere cùm ad- 46
vertit potum eſſe immoderatum, & inebriantem, & tamen vult magis ebrietatem incurrere, quàm à potu abſtinere, & ſic voluntariè inebriatur, & factus ebrius hominem occidit, aut mutilat; & hunc non auderem excuſare ab irregularitate, quia ejus voluntas proximiùs accedit ad homicidium, quàm in primo caſu. In illo enim ſolus potus fuit voluntarius, ex potu verò præter intentionem contigit ebrietas, & ex ebrietate homicidium. In hoc verò non tantùm potus fuit voluntarius, ſed etiam ebrietas, ex qua immediatè homicidium proceſſit. Unde hic fuit illata culpa, & dedit cauſam proximam homicidio; aut remotam quidem, ſed tamen ad homicidium ordinatam, quæ ſufficit ad incurrendam irregularitatem
ſecundùm Marian. Socin. in *cap. De cætero, num.* 9. & ibi 47
dixi *num.* 16. *de homicid.* præcognoſcere enim debuit, & potuit facilè poſſe contingere, ut in ebrietate aliquem percuteret, vel offenderet; quia pluries injuriantur ebrii, quàm ſobrii, ut patet per Philoſoph. 2. *Politicor.* & per D. Thomam *in* 1. 2. *quæſt.* 76. *num.* 4. *ad* 4. *in fin.* & Bald. in *l.* 1. *num.* 40. *C. Unde vi.* Et propterea *Proverb.* 20. dicitur *tumultuoſa ebrietas*, ut in *c. Luxurioſa*, 35. *diſt.* alii legunt *contumelioſa*, ut Jo. à Capiſtr. in *c. A crapula, in* 1. *notab.*
ſupra, de vita, & honeſt. Clericor. & culpam mortalem 48
eſſe ſe ſcienter inebriare probat S. Thom. in 2. 2. *quæſt.* 150. *d. art.* 2. Abb. Antiq. in d. *cap. A crapula, num.* 3. per textum in *cap. Nullus de conſecr. diſt.* 5. Navarr. *in Manuali cap.* 23. *num.* 121. & dixi latiſſimè in eod. *cap. A crapula, à num.* 24. & in hoc ſecundo caſu procedit opinio ejuſdem D. Thomæ *in* 1. 2. *quæſt.* 77. *art.* 7. Loquitur enim expreſsè de illo, qui voluntariè inebriatur.

Cæterùm in practica arbitror indiſtinctè ebrium homi- 49
cidam debere ſe irregularem reputare, & abſtinere à miniſterio altaris hoc præcipuo fundamento, quia cùm in hoc articulo ſint ex utraque parte authoritates, & rationes probabiles, hinc ſtatus rei dubius conſtituitur, ut patet
in 1. *Topicor. cap.* 9. *in princ.* ubi problemata idcircò di- 50
cuntur dubitationem habere, quia de utriſque ſunt rationes ſuaſibiles: & latiſſimè probavi in *cap. Ne innitaris, à*
num. 135. *uſque ad num.* 171. *de Conſt.* In dubio autem 51
non tantùm facti, ſed etiam juris tenetur quis ex præcepto in foro pœnitentiali, vel quaſi pœnitentiali amplecti partem tutiorem præſertim in materia irregularitatis, ut ſimiliter probavi in eod. *cap. Ne innitaris, à num.* 71. *uſque ad num.* 229. ubi etiam oſtendi falſam eſſe differentiam, quam nonnulli ex recentioribus Theologis ſubtiliter excogitarunt inter dubium juris abſolutum, & dubium juris, & perſonæ ſimul.

Accedit quod vix poſſet eſſe ſine ſcandalo, ut ebrius ex 52
immoderato uſu vini hodie homicidium committeret, & cras nulla prævia diſpenſatione miniſtraret in altari corpus; & ſanguinem Chriſti; & cauſa inſtituendæ irregularitatis ſecundum Laud. & Cardin. in Clem. 1. *numer.* 2. *in* 18. *quæſt. de homicid.* Fuit horror & ſcandalum inde oriens, quia abominabile eſt, ut qui intinxit manus in ſanguinem humanum offerat ſanguinem, & hoſtiam immaculatam Deo. De quo tamen vide per Marian. Socin. in dict. *cap. Ad audientiam, num.* 66. *de homicid.*

DE ACCUSATIONIBUS.

Innocentius III. in Concilio generali.

CAPUT XXIV.

11 QUaliter & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum ſubditorum exceſſus, ex auctoritatibus novi & veteris teſtamenti colligitur evidenter: ex quibus poſteà proceſſerunt canonicæ ſanctiones: ſicut olim apertè diſtinximus, & nunc ſacri approbatione Concilii confirmamus: Legitur enim in Euangelio, quòd villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audivit ab illo, Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris ampliùs villicare. Et in Geneſi Dominus ait: Deſcendam, & videbo utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Ex quibus auctoritatibus manifeſtè probatur, quòd non ſolùm cùm ſubditus, verumetiam cùm Prælatus excedit, ſi per clamorem & famam ad aures ſuperioris pervenerit, non quidem à malevolis & maledicis, ſed à providis & honeſtis, nec ſemel tantùm, ſed ſæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat, debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentiùs perſcrutari, ut (ſi rei popoſcerit qualitas) canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis: non tamquam idem ſit accuſator & judex, ſed quaſi denuntiante fama, vel deferente clamore, officii ſui debitum exequatur. Licèt autem hoc ſit obſervandum in ſubditis, diligentiùs tamen eſt obſervandum in Prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam. Et quia non poſſunt omnibus complacere, cùm ex officio ſuo teneantur non ſolùm arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, nonnumquam verò ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur. Et ideò ſancti Patres providè ſtatuerunt, ut accuſatio Prælatorum non facilè admittatur: ne concuſſis columnis, corruat ædificium: niſi diligens adhibeatur cautela, per quàm non ſolùm falſæ, ſed etiam malignæ criminationi janua præcludatur. Verùm ita voluerunt providere Prælatis, ne criminarentur injuſtè, ut tamen caverent, ne delinquerent inſolenter: contra morbum utrumque invenientes congruam medicinam: videlicet, ut criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis, ideſt degradationem intenditur, niſi legitima præcedat inſcriptio, nullatenus admittatur. Sed cùm ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, ut jam clamor aſcendat, qui diutiùs ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, vel ſine periculo tolerari, abſque dubitationis ſcrupulo ad inquirendum & puniendum ejus exceſſus, non ex odii fomite, ſed charitatis procedatur affectu: quatenus ſi fuerit gravis exceſſus, & ſi non degradetur ab ordine, ab adminiſtratione tamen amoveatur omninò: quod eſt ſecundùm ſententiam Euangelicam, à villicatione villicum amovere, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem. Debet igitur eſſe præſens is, contra quem facienda eſt inquiſitio, niſi ſe per contumaciam abſentaverit: & exponenda ſunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi ſeipſum: & non ſolùm dicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ſunt ei, ut quid, & à quo ſit dictum appareat, publicanda; necnon exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ, ne per ſuppreſſionem nominum, infamandi, per exceptionum verò excluſionem deponendi falſum, audacia præbeatur. Ad corrigendos itaque ſubditorum exceſſus tantò diligentiùs debet Prælatus aſſurgere, quantò damnabiliùs eorum offenſas deſereret incorrectas. Contra quos, ut de notoriis exceſſibus taceatur, & ſi tribus modis poſſit procedi, per accuſationem videlicet, denuntiationem, & inquiſitionem ipſorum; ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne fortè per leve compendium ad grave diſpendium veniatur: ſicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio, ſic & denuntiationem charitativa monitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio prævenire: illo ſemper adhibito moderamine, ut juxta formam judicii, ſententiæ quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares perſonas non credimus uſquequaque ſervandum: quæ, cùm cauſa requirit, faciliùs & liberiùs à ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoveri.

SVMMARIVM.

1 INquirere debet Superior contra ſubditum maximè Prælatum de his tantùm, ſuper quibus præceſſit infamia, & n. 9. & 11.

2 Prælatus diffamatus maximè de dilapidatione poteſt per ſuperiorem compelli ad reddendam rationem adminiſtrationis.

3 Secus ſi diffamatus non ſit, & n. ſeq.

4 Prælatus in quibus differat à tutore.

5 Inquirenda eſt veritas ab eo, contra quem fit inquiſitio, priuſquam à teſtibus.

6 Inquiſitio eſt permiſſa non ſolùm cùm agitur ad vindictam publicam, ſed etiam ubi agitur civiliter ad utilitatem Eccleſiæ.

7 Inquiſitio in cauſis civilibus eſt permiſſa, ſi ſpectant ad publicam utilitatem principaliter.

8 Inquiſitio facienda eſt in loco ubi quis laborat infamia.

9 Ad inquiſitionem ex fama ut procedi poſſit tam contra ſubditum, quàm contra Prælatum quæ requirantur.

10 Inquiſitio ut fieri debeat, requiritur, ut fama ad aures ſuperioris pervenerit, nec ſufficit, ut pervenerit ad alios.

11 Inquiſitio nec contra Prælatum, nec contra ſubditum fieri poteſt, niſi infamia præceſſerit.

12 Epiſcopus non debet contra ſubditum in criminalibus procedere, niſi adhibitis ſecum Canonicis Eccleſiæ Cathedralis.

13 Epiſcopus in cauſis criminalibus non tenetur ſequi conſilium Capituli, ſed ſatis eſt ut illud requirat.

14 Sed de conſuetudine procedunt Epiſcopi ſoli ſine Capitulo, & valet talis conſuetudo.

Digitized by Google

15 *Et quid ſi Capitula ſint exempta.*

16 *Iudex in iudicio inquiſitionis locum accuſatoris non tenet.*

17 *Fama in inquiſitionis iudicio tenet locum accuſatoris, & num. 69.*

18 *Inquiſitio an ſit remedium ordinarium, vel extraordinarium, & n. ſeq.*

19 *Inquiſitio iam incepta ceſſat ſuperveniente accuſatore.*

20 *Prælati ſunt poſiti tamquam ſignum ad ſagittam.*

21 *Prælatus malus timet bonum ſubditum.*

22 *Prælati cum teneantur ſubditos arguere, & increpare, odium multorum incurrunt, & n. 27.*

23 *Criminoſus primò eſt arguendus, ſecundo increpandus, tertio ſuſpendendus, quartò excommunicandus, quintò deponendus.*

24 *Morbis variis parare varias medicinas oportet.*

25 *Accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio.*

26 *Fallit in quinque caſibus, remiſſive.*

27 *Inquiſitio non ita facile eſt facienda contra Prælatum, ſicut contra ſubditum.*

Contra Prælatum requiritur infamia, quæ ſine ſcandalo diſſimulari non poteſt, vel ſine periculo tolerari, ibid. & num. 47.

28 *Inquiſitio quando fit contra aliquem, debet ille eſſe præsẽs.*

29 *In inquiſitione quis ordo ſit ſervandus.*

30 *Inquiſitio ſi primo fieret, & poſteà traderentur Capitula nihil ageretur.*

31 *Quod procedit in inquiſitione ſpeciali, ſecus in generali, in qua non dantur capitula.*

32 *Proceſſus inquiſitionis non traditis reo capitulis valet ſi non opponatur.*

33 *Confeſſionem ſuam inquiſitus non poteſt impugnare ſub prætextu, quod capitula ſibi tradita non fuerint, vel infamia non præceſſerit.*

34 *Iudex quot modis procedere poſſit ſuper crimine, & num. ſeq.*

35 *Sententia forma in quolibet procedendi modo ſequi debet iuxta formam iudicii, & n. 79.*

36 *In Romana Curia agitur de crimine duobus modis.*

37 *Proceſſus diverſi, quando diverſis modis in diverſis inſtantiis facti ſunt, & nullus per ſe ſufficit ad condemnationem an poſſint ſimul cumulari, & n. ſeq.*

38 *Probatio unius modi agendi non facit fidem in alio modo agendi, vel ſuper alio articulo.*

39 *Proceſſus ſuper crimine factus ſuper uno modo agendi, ſi ſit perfectus, non impedit alium procedendi modum.*

40 *Inquiſitio quotuplex ſit, & an in qualibet inquiſitione ſit ſervanda forma huius capituli, & n. ſeqq. uſq; ad n. 62.*

41 *Inquiſitio generaliſſima quæ dicatur.*

42 *Et quæ inquiſitio generalis.*

43 *Capitula tradi non debent quando inquiritur ſuper ſtatu Eccleſiæ.*

44 *Inquiſitio ſpecialis quæ ſit, & n. 55.*

45 *Si fiat non ad pœnam imponendam, ſed ex debito officii, non requirit infamiam.*

46 *Idem ſi fiat ad denunciationem publici Officialis.*

48 *Probationes ſuper fama leviores ſufficiunt contra ſubditum, quàm contra Prælatum.*

49 *Inquiſitio contra Regularem, ſi fiat ad correctionem, non requirit formam huius cap.*

50 *Si vero fiat, ut ab adminiſtratione removeatur, ſervanda eſt hæc forma quoad quædam, & n. 98.*

51 *Prælati Regulares ex levioribus cauſis ab adminiſtratione removentur, quàm ſæculares, & n. 110.*

52 *Et ſpectanda eſt conſuetudo ſpecialis locorum Religioſorum.*

53 *Priores, & officiales minores inſtituuntur, & deſtituuntur pro libito Abbatis etiam ſine cauſa, & n. 102.*

54 *Inquiſitio alia eſt præparatoria, ſeu generalis ad inveniendum delinquentem, alia ſolemnis ad puniendum, quæ à Canoniſtis dicitur ſpecialis, & n. 56.*

55 *Inquiſitionis ſpecialis diffinitio.*

56 *Inquiſitionis generalis, & ſpecialis communis practica quæ ſit, & n. ſeq. & n. 60.*

57 *Inquiſitio generalis, quæ fit ad inveniendum delinquentem non requirit infamiam.*

58 *Inquiſitio generalis tranſit in ſpecialem quando teſtes in genere interrogati nominant delinquentem in ſpecie, & num. 61.*

59 *Inquiſitio ſpecialis contra certam perſonam ſive ex officio, ſive ad denunciationem alterius fieri non poteſt niſi infamia præcedente.*

60 *Inquiſitio ſpecialis non præcedente diffamatione eſt nulla, nec obſtat contraria conſuetudo.*

61 *Inquiſitio generalis, in qua per teſtes aliquis nominatur, ſine alia fama aperit viam ad ſpecialem inquiſitionem.*

62 *Inquiſitio ſuper crimine, quæ fit ex mero iudicis officio an, & in quo differat ab inquiſitione, quæ fit ad querelam, ſeu denunciationem partis, & n. ſeqq. uſque ad n. 68.*

63 *Iudex inquirens ex mero officio recipit iuramentum ab illis, contra quos eſt facienda inquiſitio, ſecus ſi ad alterius inſtantiam.*

64 *Iudex procedens ſuper crimine ex officio non tenetur recipere probationes ſuper fama, ſed ſatis eſt, ut de ea ſibi conſtet.*

65 *Iudex procedens ad inſtantiam alterius admittit probationes contrarias ſuper bona fama, ſecus quando procedit ex officio.*

66 *Litis conteſtatio fit cum promovente inquiſitionem quando iudex procedit ad denunciationem.*

67 *Teſtes recipi poſſunt etiam publicatis atteſtationibus quando iudex procedit ex officio.*

68 *Inquiſitionis iudicium in quo differat à iudicio per viam accuſationis, & per viam denunciationis, & num. ſeqq. uſque ad n. 84.*

70 *Teſtes in iudicio inquiſitionis recipiuntur lite non conteſtata.*

71 *Teſtes admittuntur etiam minus idonei, quando fit inquiſitio tam in capite, quàm in membris, & ſuper ſtatu Eccleſiæ.*

72 *Accuſatio, & denunciatio fit etiam de occultis criminibus dummodo probari poſſint: inquiſitio ſecus.*

73 *Accuſatus ſuper occultis reſpondere compellitur, quia iurat de calumnia.*

74 *Inquiſitus de dilapidatione interim ab adminiſtratione removetur conſtito de ſuſpicione, ſecus in accuſato.*

75 *Prælatus de gravi crimine inquiſitus, & convictus ab adminiſtratione totaliter removetur: Accuſatus vero deponitur.*

76 *Degradatio accipitur etiam pro verbali depoſitione.*

77 *Et eſt pœna capitalis.*

78 *Iudex in iudicio denunciationis non debet pœnam ordinariam imponere, ſed pœnitentiam compellere, & n. ſeq.*

79 *Denunciatio triplex Euangelica, Iudicialis, & Canonica: & in qualibet diverſa feruntur ſententia.*

80 *Inquirentis officium eſt veritatem invenire.*

81 *Denunciationis finis eſt emendatio fratris: Accuſationis vero punitio criminis ad publicam vindictam.*

82 *Accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, denunciationem charitativa correctio, inquiſitionem clamoſa inſinuatio.*

83 *Monitio in accuſatione, & inquiſitione non requiritur; etiamſi procedatur per inquiſitionem ad denunciationem alterius.*

84 *Fama qualiter probetur.*

85 *Teſtes ſuper fama interrogati qualiter debeant deponere.*

86 *Fama in criminalibus an aliquem gradum probationis conſtituat, & n. ſeqq.*

87 *Fama eſt ſufficiens indicium ad inquirendum contra eum, qui maleficium commiſit.*

88 *Fama in criminalibus nec ſemiplenam facit probationem, niſi de crimine civiliter agatur.*

89 *Et ſine adminiculis an ſit ſufficiens indicium ad torturã.*

90 *Prælatus an ſtatim lata ſententia ſuper crimine intelligatur ipſo iure privatus dignitate, vel beneficio.*

91 *Sententia lata ſuper crimine quos effectus producat.*

92 *Condemnatus in pœnam, quæ ſtatim aufert libertatem, perdit teſtamenti factionem, ſed non ea, quæ ſibi competunt ratione publici officii.*

93 *Beneficia eius, qui per ſententiam fuit depoſitus, poſſunt per Epiſcopum alteri conferri.*

94 *Depoſitus ſpoliari poteſt etiam beneficiis, quæ poſſidet in aliis diœceſibus.*

95 *Prælato condemnato an ſtatim liceat electoribus ad electionem alterius procedere.*

96 *Prælatus poſt ſententiam condemnatoriam an remaneat poſſeſſor dignitatis, vel beneficii.*

Infa-

Digitized by Google

97 *Infamia, quæ ex pœna procedit evidentior eſt, quàm quæ ex ſententia.*
98 *Inquiſitio, quæ formatur contra Regulares quot habeat ſpecialia.*
99 *Ordo juris in inquiſitione, quæ fit contra Regulares non eſt ad unguem obſervandus quoad ſubſtantialia judicii: ſecus quoad veritatis probationem.*
101 *Exceptiones tot non recipiuntur contra Regulares, quot contra ſæculares.*

1 Q*Ualiter, & quando, il ſecondo*. Superior contra ſub-
ditum maximè Prælatum de his tantùm inquiret ſu-
per quibus præceſſit infamia: & tunc eum vocabit, arti-
culos ipſi tradet, nomina, & dicta teſtium ei publicabit,
& exceptiones, & defenſiones illius admittet, & ab ad-
miniſtratione removebit illum, ſi appareat graviter deli-
qniſſe. Hic ordo non eſt ad unguem in Regularibus obſer-
vandus. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. Butr. Cardin.
Anchar. Abb. Joan. de Anan. Aretin. Mar. Soccin. Felin. &
Bero. Dicebat Hoſtien. Ponuntur hic auctoritates utriuſque
teſtamenti, & ipſarum mens, ex quibus colligitur quali-
ter, quando, & contra quem, & à quo ſit inquiſitio fa-
cienda, & quis ſit effectus. Cardin. dicebat: Ponit theori-
cam, & practicam inquiſitionis melius, quàm alia quævis
lex, vel Decretalis, eamque adeò luculenter reperit Mar.
Socinus, ut Felynus *in princ.* formaliter dixerit; non tra-
ctabo in iſta Decretali multa, prout requirit ejus fama,
quia per ſolemnitatem repetitionis D. Mariani adeò eſt oc-
cupatus campus, ut exiſtimem ſuperfluum, quod diſtinctiſ-
ſimè tractatum eſt iterum revolvere. Dividitur in qua-
tuor partes ſecundum Petrum de Sampſon. & Abbatem
Antiq. Prima dicit quando inquiſitio ſit facienda. Secun-
da qualiter. Tertia ad quid. Quarta limitat; ſecunda
ibi, *Debet*, tertia ibi, *Ad corrigendos*; quarta ibi, *Hunc
tamen*.

2 Nota primò ibi, *Villicus ille, qui diffamatus erat*. Præ-
latum diffamatum maximè de dilapidatione poſſe per ſupe-
riorem compelli ad reddendam rationem adminiſtrationis:
quod denotatur per verbum *Villicus*, quod denotat Præ-
lationem, ſecundum Hoſt. *hic num.* 2. & notat Abbas *n.* 4.
3 Mar. Socin. *num.* 17. & Aretin. *in 4. notab.* Ergo a contra-
rio, ſecundum eos ſi non ſit diffamatus, non videtur poſ-
ſe compelli; ſed oppoſitum tenet gloſ. *hic in verb. Redde ra-
tionem*: ea ratione, quia Prælatus æquiparatur tutori, &
procurator eſt, non Dominus, *cap. 2. ſupra de dolo c. 2. q.*
4 *12. d. 1.* Et ideò debet reddere rationem adminiſtrationis
ſuæ tamquam Tutor. *l. 2. C. de iudic.* Sed poteſt dici aliud
eſſe in tutore, & aliud in Prælato: nam tutor eſt tempora-
lis, & ejus adminiſtratio finitur pubertate, ut *Inſtitut.
Quibus modis tutel. final. per totum*: & ideò tenetur redde-
re rationem finita tutela indiſtinctè, *ut l. Actus, & l. Ad-
verſus ff. de adminiſtrat. tutor. & l. Niſi finita ff. de tutel. &
ration. diſ. quo ſit*, ut Gubernatores, & Adminiſtratores
Hoſpitalium & piorum locorum: licet non ſint ſuſpecti de
dilapidatione, adinſtar tutorum, & curatorum teneantur
ſingulis annis de ſua adminiſtratione rationem reddere, ut
in Clement. *Quia contingit §. Illi etiam de religioſis domib.*
& in Concilio Tridentino *cap. 9. ſeſſ. 22.* At Prælatus eſt
perpetuus, quia beneficium non poteſt dari ad tempus per
alium, quàm per Papam, ut dicit gloſſ. notab. *in cap. Ve-
niens in verb. Ordinaſti, ſupra de fil. Presbyt.* Item tutor,
non poteſt procuratorem conſtituere ante litem conteſta-
tam, *l. Neque C. de procurat.* Secus in Prælato, ut notatur
in cap. 1. ſupra de procurat. Item tutor non utitur bonis pu-
pilli, ſicut Prælatus utitur bonis Eccleſiæ. Item tutela eſt
onus, Prælatura eſt honor, & Prælatus habet liberam, &
generalem adminiſtrationem in bonis Eccleſiæ, & poteſt do-
nare aliqua bona, ſi hoc habeat conſuetudo: tutor non,
cap. Cæterùm de donat. Unde nil mirum ſi Præla-
tus non eſt cogendus reddere rationem, niſi laboret
infamia, ut hic per Ant. de Butr. *num.* 23. & Anchar. *n.* 12.
& 31.

5 Secundò nota ibi, *Quid hoc audio de te*: Eſſe prius ex-
quirendam veritatem ab eo, contra quem fit inquiſitio,
quàm à teſtibus; prout fecit iſte Dominus; nam ſi puram,
& meram confiteatur contra ſe veritatem, cùm eo mitiùs
eſt agendum, *cap. Innotuit §. Multa ſupra de elect.* nec eſt
opus teſtibus, ut hic notat gloſſ. 3. *in addit.* Hoſt. *num.* 2.
in verb. Redde rationem, Joan. Andr. *num.* 3. Butr. *num.* 5.
verſ. Per hanc Decretalem, & Cardin. *num.* 3. *verſ. Nota
quod antequam*, dicens ita ſervari, ut ante omnia petatur
ab inquiſito de veritate. Et adverte, quia auctoritas novi 6
teſtamenti hic allegata concernit inquiſitionem faciendam
ſuper crimine dilapidationis: auctoritas autem veteris te-
ſtamenti concernit crimina graviora, ex quibus conjun-
ctim collige ſecundùm Petr. de Anchar. *hic in 5. notab.* Jo.
de Anan. *num. 6. verſ. Nota quod ille num.* 7. & Aretin.
num. 6. inquiſitionem eſſe permiſſam non ſolùm cùm agi-
tur ſuper rebus Eccleſiaſticis, ne dilapidentur: & ſic ad uti-
litatem Eccleſiarum inquiſitio eſt permiſſa ſingulariter pro
utilitate publica. Unde in cauſis merè civilibus ſi ſpectant 7
ad publicam utilitatem principaliter, inquiſitio eſt permiſſa,
*ut l. Si vacantia C. de bon. vac. & l. Miſſi opinatores C. de
executor. tribut. lib.* 10. imò & quandoque ad utilitatem pri-
vatam permiſſum eſt judici inquirere, ut patet in uſuris, *c.
ad noſtram, il ſecondo, ſupra de iureiurand.*

Tertiò nota ibi: *deſcendam, & videbo*. Prælatum de- 8
bere deſcendere ad locum, ubi quis dicitur infamatus,
quia ibi melius veritas reperitur, ubi aliquis eſt notus,
*cap. Poſtquam de elect. cap. Quaſdam, & cap. Quanto de
præſumpt.* & quia poteſt de criminibus eſſe diffamatus in
uno loco, & non in alio: in loco igitur ubi eſt infamia,
& non in alio eſt inquirendum, ut notatur *in d. c. Ad no-
ſtram, il ſecondo, de iureiur. & in c. Cum deputati de iudic.* &
per Anchar. *hic in 6. notab.* & Jo. de Anan. *n. 7. circa finem,
verſ. Nota quod Prælatus*.

Quartò nota in verſ. *Ex quibus auctoritatibus*, tria requi- 9
ſita ad hoc ut ex fama poſſit ad inquiſitionem procedi tam
contra ſubditum, quam contra Prælatum. Primum eſt,
ut fama, & clamor ad aures ſuperioris devenerit; ſecun-
dum, ut fama non habuerit ortum à malevolis, & male-
dicis, ſed à providis, & boneſtis; tertium, ut non ſemel
tantùm, ſed pluries hæc fama invaluerit, ut in littera, &
notat Butr. *n.* 4. Mar. Soc. *n.* 19. & Aretin. *n.* 10. Quid au-
tem ſi fama, & de illius ſpeciebus, & requiſitis, & in qui-
bus differant rumor, & fama, egi latiſſimè *in c. Veſtra ſu-
pra de cohabit. cleric. & mulier.*

Quintò nota ibi, *Verum clamorem, qui venit ad me*: tunc 10
demum teneri Prælatum inquirere, quando ad eum perve-
nit diffamatio: facit etiam textus ibi, ad aures ſuperioris:
unde non adſtringitur inquirere quando fama ſolum perve-
nit ad alios ſecundum Hoſt. *n. 4. verſ. Qui venit ad me*, Butr.
n. 8. & Marian. Socin. *n.* 18.

Sextò nota ibi, *Si per clamorem, & famam ad aures Su-* 11
perioris pervenerit. Nec contra Prælatum, nec contra ſubdi-
tum poſſe ſuperiorem inquirere niſi infamia præceſſerit, ut
hic eſt caſus ſecundum omnes; ſed de hoc latiùs dicam infra
in prima quæſt.

Septimò nota ibi, *Coram Eccleſiæ Senioribus*. Prælatum 12
non debere contra ſubditum in criminalibus procedere, ni-
ſi adhibitis ſecum Canonicis Eccleſiæ Cathedralis: nam ju- 13
riſdictionem aliàs non exercet Epiſcopus ſine Conſilio Ca-
pituli, *ut cap. Epiſcopus nullus* 15. *q.* 7. *cap. Novit, & cap.
Quanto de his quæ fiunt à Prælatis*, & hic notat Butr. *n.* 10.
Cardin. *num.* 7. Abb. *num.* 6. Joan. de Anan. *num.* 9. Mar.
Socin. *n.* 24. & 25. Aretin. *in 7. not.* & Bero. *n.* 17. Ergo non
tenetur illius conſilium ſequi, ſed ſatis eſt, ut illud requirat,
& coram Capitulo cognoſcat, *cap. Cum olim, de arbitris*,
nam & textus *in cap. Epiſcopus nullus*, ſolam præſentiam
requirit; & textus noſter dicit, coram Senioribus. Ergo 14
Epiſcopus poteſt inquirere etiam Capitulo invito, arg. *l.
Coram ff. de verbor. ſignific.* ſed hodie fortè propter ignoran-
tiam Canonicorum communiter Epiſcopi contra eos præ-
ſcripſerunt, ut ipſi ſoli abſque Capituli conſilio de crimini-
bus inquirant, & juriſdictionem exerceant, & valet talis
præſcriptio, ſeu conſuetudo, ut in c. 3. & ibi gloſ. 1. *de con-
ſuetud. lib.* 6. & probatur *in cap. Irrefragabili, & in c. Pa-
ſtoralis de offic. ordin.* & tenet Abb. Mar. Soc. & Bero. *in lo-
cis ſupracitat.* Fallit in Capitulis, quæ exemptionis privi- 15
legio, vel alio ſpeciali jure ſe tuentur adverſus juriſdictio-
nem Epiſcopi: tunc enim contra Capitulares delinquen-
tes Epiſcopus non poteſt ſolus procedere, ſed ſervata for-
ma à Concilio Tridentino præſcripta *in c. 6. ſeſſ. 25. de re-
form.* non obſtantibus conſuetudinibus etiam immemora-
bilibus, de quo dic, ut ſcripſi *in d. c. Irrefragabili §. Exceſ-
ſus*

ſut num. 9. & 10. 20. & 21. de offic. Ordinar.

16 Octavò, nota ibi: *Nam tamquam idem ſit accuſator, & iudex*. In judicio inquiſitionis judicem non tenere locum accuſatoris, & hoc ideò, quia alia debet eſſe perſona judicis, alia accuſatoris, *ut cap. Forus infra de verb. ſignif. & cap. 1. 4. q. 4.* ſunt enim hæc officia incompatibilia, ſecundum Cardin. *hic num.* 8. Abb. *num.* 7. Aret. *num.* 11. & Mat. Socin. *num.* 27. Fama ergo in
17 inquiſitione ſuccedit loco accuſatoris, ut innuit littera ibi. Sed quaſi denunciante fama, vel deferente clamore, & notant Hoſtien. *n.* 10. *in verb. Deferente*, Joan. Andr. *num.* 13. *in eodem verb.* Butr. *n.* 5. Cardin. *num.* 8. Anch. *num.* 10. Joan. de Anan. *eodem num.* & Bero. *num.* 23. & ita tenere communiter Canoniſtas affirmat Præpoſitus *in cap. Accuſatione num. 41. verſ. Item dixi de crimine 2. q.* 8. & poſt eum Julius Clarus *in pract. §. fin. quæſt. 6. poſt*
18 *princ.* Et ex hoc dicunt aliqui inquiſitionem eſſe remedium, & judicium extraordinarium, quòd non concurrit cum
19 ordinario, imò ſuperveniente accuſatore ceſſat inquiſitio jam incepta, ut notat Dynus *in cap. Factum legitimè, vol. 2. in fin. verſ. Unde ſunt argumenta de regul. iur. lib. 6.* & Bartol. *in l. 2. §. Si ante extraneus num. 2. ff. de adulter.* quos ſequitur Anchar. *loco cit.* hoc tamen requirit altiorem indaginem, & Bald. *in l. Ea quidem num. 38. verſ. Quod iſti dicunt Cod. de accuſat.* dicit inquiſitionem de jure Canonico eſſe auxilium ordinarium; & allegat Innoc. *in c. Dilecto de ſentent. excommun. lib. 9.* ſecus de jure civili, quia licet fama videatur accuſare; tamen accuſator tenetur ſe inſcribere, *ut l. fin. C. de accuſat.* ſed ſecundùm Canones in inquiſitione ceſſat ſubſcriptio. Ergo &c. Magis tamen communis opinio eſt etiam ſecundum Canones Inquiſitionis remedium eſſe extraordinarium: & in ſpecie hanc eſſe communem opinionem atteſtatur Alciatus *in c. 1. num. 14. de offic. Ordinar.* Hier. *in Apoſtill. ad Angel. de malef. in verb. Hæc eſt quædam inquiſitio poſt num.* 80. Decius *in rubr. de iud. num. 37. & num. 43. verſ. Et quod iudicium inquiſitionis*, prout illum refert Boſſius *in tit. de Inquiſitione num.* 17. & Clarus *in pract. §. fin. q. 3. verſ. Debes autem ſcire*: & ratio hujus concluſionis eſt, quia de jure communi regulariter quilibet admittitur ad accuſandum, niſi expreſsè prohibitus reperiatur, *l. Qui accuſare ff. de accuſat. §. 1.* In primis verbis: meritò accuſatio dicitur remedium ordinarium: contra verò judicium Inquiſitionis dicitur extraordinarium, quia de jure communi regulariter judex non poteſt ex officio procedere per viam inquiſitionis, ut dicit gloſ. *in l. 2. §. Si publico in ver. Sive accuſatore ff. de adulter.* quæ in hoc eſt communiter approbata, ut dicit Alber. *in d. l. ea quidem, poſt num. 4. C. de accuſat.* prout illum refert Apoſtilla præallegat. ad Angel. *de malef. poſt num.* 48. & hanc opinionem ſequuti ſunt omnes antiqui Doctores, ut inquit Mat. Socin. *hic num.* 16. quam etiam dicit communem Raphael Cuman. *conſ. 136. circa fin.* quos refert, & ſequitur Clarus *loco citato*: meritò ergo judicium Inquiſitionis dicitur extraordinarium: Vel conciliando opiniones diſtingue, ut hic per Mar. Socin. *num.* 89. quicquid tamen ſit de jure, hæc omnia ceſſant ex conſuetudine hujus temporis, ſecundum quam etiam de jure civili permiſſum eſt judici procedere ex officio, & ſic per inquiſitionem, prout de hac generali conſuetudine atteſtatur Gand. *in tit. Quomodo cognoſcatur de malef. per inquiſitionem, poſt num. 6. verſ. Sed hodie*, quem refert Bald. *in d. l. Ea quidem num. 137. circa fin. verſ. Alii dicunt C. de accuſat.* Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de inquiſ. §. Quando autem in princ.* ubi dicit judices fori ſæcularis facere ſibi regulam inquirendi de quolibet maleficio: & alii plures congeſti à Julio Claro *d. quæſt. 3. verſ. Sed certè*. Unde ſtante hac conſuetudine facienda eſt concluſio in contrarium, ideſt inquiſitionem remedium eſſe ita ordinarium, prout eſt remedium accuſationis: & ita dixit Andr. de Piſis relatus à Bald. *in l. 1. §. In initio poſt num. 7. verſ. Sed nunquid ff. de offic. Præfect. Urbis*: quod dictum ſequuntur omnes, ut hic dicit Jo. de Anan. *in §. Licet autem num. 9.* & Clar. *loc. cit.*

20 Nonò nota in verſ. *Licet autem*, Prælatos omnes poſitos tamquam ſignum ad ſagittam; & ad hoc quotidie allegatur hoc cap. Quòd dupliciter poteſt intelligi, primò ſcilicet ut eſſe debeant virtutibus ornati, ut à ſubditis eorum operationes trahantur in exemplum *cap. Magna, verſ. Quod enim agitur à prælatis ſupra de voto, cap. Viliſſimus 1. quæſt. 1. §. Nunc autem 25. diſt.* Concil. Tridentin. *cap. 1. ſeſſion. 25. de reformat.* imò, ut inquit Caſſiodor. *lib. 3. Ethicor.* facilius quippe eſt errare naturam, quàm diſſimilem poſſit Princeps formare Rempublicam, & Ariſtot. *in 1. Oeconom.* inquit, [Impoſſibile eſt non diligentes Dominos diligentes facere Vicarios.] *Qualis enim Rector civitatis, tales & habitantes in ea.* Eccleſ. *cap.* 10. Et hinc fit, ut malus Prælatus timeat 21
bonum ſubditum, ut dicit textus *in l. Priſco in verb. Debebis, Cod. de Palat. ſacr. largition. lib.* 12. & ideò Herodus metuebat Joannem ſciens virum juſtum, & ſanctum, ut legitur *Marci* 6.

Secundò modo poteſt intelligi, ut Prælati ſint tamquam 22
ſignum ad ſagittam, quia propter juriſdictionalia, quæ exercent, incurrunt inimicitiam, & malevolentiam multorum: nam ut legitur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 6. Subdit Epiſcopo tametſi iure correpti fuerint, magnoperè tamen eum odiſſe, & tamquam iniuria affecti ſint magna illi crimina obiicere ſolent, ut quoquo pacto poſſint, ei moleſtiam exhibeant, cuius vexationis timor plerumque illum ad inquirenda, & punienda eorum delicta ſegniorem reddit*. Et Evariſtus Papa Epiſt. 2. *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui præpoſitos ſuos perverſè reprehendunt, ſi vel parum ipſis moleſti extiterint*. Refertur *in cap. Sunt nonnulli 2. q. 7.* Prior intellectus magis placet ratione effectus: ſed hic poſterior eſt magis amicus litteræ, in qua redditur ratio, quia cùm Prælati ex officio ſuo teneantur ſubditos arguere, & increpare, &c. odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur.

Decimò nota in eodem verſ. *Licet autem*: bonum 23
ordinem debitæ correctionis: eſt enim criminoſus primò arguendus, ſecundò increpandus, tertiò ſuſpendendus, quartò ligandus, ideſt excommunicandus: unde & dicitur; coerce, corripe, excommunica, degrada, *ut cap. Fortè 23. quæſt. 4.* de quo dic ut legitur, & notatur *in cap. Cum non ab homine ſupra de iudic.* ſecundum Hoſtien. *hic num.* 21. Joan. Andr. *num.* 15. Abbat. *in 7.*
notab. & Mar. Socin. *num.* 31. Et ex hoc collige, ſecun- 24
dum Anchar. *in 12. notab.* poteſtatem multiplicem ſuperiori conceſſam ſuper criminibus puniendis, quia variis morbis parare varias medicinas oportet, non ut imperitus medicus, qui uno collyrio omnium oculos vult curare, *cap. Neceſſe 29. diſt. cap. Ut conſtitueretur 50. diſt.* Unde Seneca *in tractat. de Ira*: *Civitati curandæ adhibitus ſum: pro cuinſque morbo medicina curetur, hunc ſanat verecundia, hunc dolor, hunc ſervitus, hunc egeſtas: ita legum præſidem, civitatiſque rectorem decet verbis quamdiu poteſt ingenuè curare, æquitatemque boni, & æqui conſtituat; deinde tranſeat ad triſtiorem orationem, noviſſimè ad pœnas, & has leves, & revocabiles imponat; ultima ſupplicia ultimis ſceleribus imponat, ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.*

Undecimò nota ibi, *niſi legitima præcedat inſcriptio*, 25
accuſationem criminalem, quæ tendit ad depoſitionem Prælati, nullatenus eſſe admittendam, niſi prius accu-
ſator legitimè ſe inſcribat, ut hic *& in c. Super his, ſupra* 26
eod. & in c. Licet Heli, infra de Simonia. Quod limita in quinque caſibus, quos recenſet gloſ. *in d. c. Super his, in ver. Oportet inſcribi*.

Duodecimò nota ibi, *Qui diutius ſine ſcandalo diſ-* 27
ſimulari non poſſit, non ita facilè inquirendum eſſe contra Prælatum, ſicut contra ſubditum: nam contra ſubditum ſufficit præcedens infamia non ſcandaloſa, ſed contra Prælatum oportet, ut præcedat infamia, quæ ſine ſcandalo diſſimulari non poteſt, vel ſine periculo tolerari, ut in littera: & eſt ſpeciale in prælato propter rationem in textu expreſſam, quia facilè à ſubditis falſa crimina eis impinguntur, cùm incurrat ob executionem officii odium plurimorum, ut dixi ſupra *in 9. notab.* & dic ſine ſcandalo, ut quia diffamatur de delicto incontinentiæ, de quo ſubditi multum ſcandalizantur, *cap. Veſtra, & cap. Tua, de Cohabitat. Cler. & mulier.* Nec ſcandalo obviari poteſt, niſi fiat inquiſitio: & dic ſine periculo, ut quia eſt infamatus de dilapidatione, vel de hæreſi: unde ſi ſuperior diſſi-

mu-

mularet, inde ſequi poſſet rerum eccleſiaſticarum diſtra-
ctio, *cap. Prælatorum, infra eodem*, & reſpectu hæreſis a-
liorum infectio, Clem. 1. §. *Verum de hæreticis*, unde di-
cit Innoc. & poſt eum Jo. Andr. *nu.* 22. & Anchar. *num.* 15.
quando timetur periculum, poſſe contra prælatum proce-
di ſine multa infamia, arg. *cap. fin. 7. q. ult. & cap. Quieſca-
mus, 42. diſt.* de quo dic plenius, ut per Innocent. in *cap. Li-
cet Heli, num. 1. infra de Simonia*, & hanc differentiam
inter prælatum, & ſubditum perpendunt hic Abb. *num.* 9.
& Marian. Socin. *num.* 40.
28 Decimotertiò nota in §. *Debet*, quod is, contra quem
inquiritur, debet eſſe præſens: quod patet ex auctoritate
Euangelica ibi, *Redde rationem villicationis tuæ*, & ſi præ-
ſens erat villicus, cui dominus loquebatur, ſecundum
Hoſt. *num.* 15. *in ver. Debet*, & Jo. Andr. *nu.* 22. *in ver. Igi-
tur:* vel idcircò debet eſſe præſens, quia tenetur rationem
reddere, quæ non benè redditur niſi per præſentes, ut *l.
Cum ſervus, ff. de condit. & demonſtrat.* ſecundum Anchar.
hic num. 18. & hoc verum niſi contumaciter ſe abſentave-
rit, ut in textu, quia tunc poteſt contra ipſum ad ſenten-
tiam procedi, ſecundum ea, quæ leguntur, & notantur
in *cap. veritatis, ſupra de dolo, & contum. & in c. Quoniam
frequenter, ut lite non conteſt.* Item nota ordinem in inqui-
29 ſitione ſervandum: Debent enim inquiſito exponi capitu-
la, ſuper quibus eſt inquirendum, eique ſtatuendus eſt ter-
minus ad faciendas ſuas defenſiones. Item nomina, &
dicta teſtium ſunt ei publicanda, & danda ſunt nomina
ſimul cum dictis; & non ſegregatim, quia alioquin reus
neſciret quid à quo dictum eſſet, ſecundum Jo. Andr. *hic
num.* 26. *in ver. Quid a quo*. Item legitimæ exceptiones, &
replicationes admittendæ, ut in litera, & notant Jo. And.
30 Butr. Cardin. & omnes *in ſumm. text.* Quare ſi primo
fieret inquiſitio, & poſtea traderentur capitula nihil age-
retur, quia pervertitur ordo, *cap. Cum petitum, ſupra de
elect.* ſecundum Hoſt. *hic num.* 15. *in ver. Fuerit*, & Joan.
Andr. *num.* 25. *in eodem ver.* & Butr. *num.* 38. & tandem
probatis criminibus, ab adminiſtratione removebitur, ſi
eam habet, ut in litera; & notant omnes *in ſummar. tex-
31 tus*. Hæc tamen procedunt in inquiſitione ſpeciali, quæ
fit contra certam perſonam, & ſuper certo crimine: ſecus
verò in inquiſitione generali, quia tunc nõ dantur capitula,
nec eſt cui dentur, ſed generaliter inquiritur, prout hic
32 declarant Anchar. *in 18. notab.* & Abb. *in 13. not.* Num-
quid autem valeat proceſſus in inquiſitione ſpeciali ſi fiat
inquiſitio non traditis reo capitulis, dicendum eſt valere,
33 ſi non opponatur: unde ſi confeſſus fuerit crimina, con-
feſſionem impugnare non poterit quo minùs puniatur ex
ipſa, eo prætextu, quod capitula ſibi tradita non fuerint.
vel non fuerit infamatus, ut *cap. 1. de accuſat. lib. 6.* Joan.
Andr. *hic num.* 25. & Abbas *ubi ſupra*.
34 Decimoquartò nota in §. *Ad corrigendos*, quatuor mo-
dis procedendi ſuper crimine. Primus eſt per viam noto-
rietatis, de quo non vult loqui textus dum dicit, ut de
notoriis exceſſibus taceatur, de quo vide *cap. Manifeſta,
& cap. de manifeſta*, 29. 1. & bonam gloſ. in *c. Ad noſtram,
il terzo, in verb. Obſervandus, de iureiuran.* & Speculator
in tit. de not. crimin. & latiſſimè Salic. in *l. ea quidem, à
nu.* 58. *uſque ad num.* 92. & præcipuè *n.* 84. *cum duobus ſeqq.
C. de accuſat.* Secundus modus eſt per viam denunciatio-
nis, de qua in *cap. Novit, ſupra de iudic. & cap. Si pec-
caverit, 2. quæſt.* 1. & per Speculat. *in tit. de denunciat.* &
per Abb. in dict. *cap. Ad noſtram, de iureiur.* Tertius per
viam accuſationis, de quo per totum hunc titulum.
Quartus modus per viam inquiſitionis, de qua præcipuè
agitur in hoc cap. & largo modo ſecundum Abbatem *in* 14.
notab. Poteſt dari quintus modus, ſcilicet per viam exce-
ptionis, ut in *cap. ſuper his ſup. eod.* Item ſextus per viam
actionis, *cap. Ex parte, de reſcript. cap. Querelam de iu-
reiur.* quæ impropriè dicitur accuſatio, de quo dic ut in
cap. Per tuas, il primo, inf. de Simon. quos modos recen-
ſet hic Hoſtien. *nu.* 19. Jo. Andr. *nu.* 28. Petr. de Anchar. *in*
23. *notab.* Abb. *in* 14. *notab.* Jo. de Anan. *in §. Ad corrigen-
35 dos, ante nu.* 1. & Mar. Soc. *num.* 47. Conveniunt autem
iſti modi in hoc, quod in quolibet juxta formam judicii
ſequi debet forma ſententiæ, ut in littera ibi: *Illo ſemper
adhibito moderamine, ut iuxta formam iudicii ſententiæ
quoque forma dictetur*, & ad hoc quotidie allegatur hoc
cap. ſecundum Abb. *in 14. notab.* unde dicit fatuum eſſe
judicem, qui aliter condemnat, quam fuerit petitum, ut

l. fin. C. de fideicomm. libert. Dicit tamen Hoſt. *num.* 19. In 36
Curia Romana agi de criminibus duobus modis, ſcilicet
per modum juſtitiæ, & per modum gratiæ: per modum
juſtitiæ ſex modis ſuperiùs expreſſis, per modum verò
gratiæ proceditur per viam proviſionis, diviſionis, &
compoſitionis, ut latiùs per eumdem Hoſt. dicto *num.* 19.
& Joan. Andr. *num.* 28. qui etiam tractant quando diverſi
proceſſus diverſis modis in diverſis inſtantiis facti ſunt 37
contra aliquem, & nullus ſufficit ad condemnationem,
ſed collati ſimul ſufficiunt, An cumulatio fieri poſſit. Qui-
dam affirmant eam poſſe fieri, quaſi dulcis ſit mixtura bo-
norum, *cap. Novit, in fin. 12. diſt.* & argum. §. *Si duorum,
inſtit. de rerum diviſ.* & quia Reipublicæ intereſt, ne ma-
leficia remaneant impunita, *cap. Ut fama de ſent. excomm.*
Sed contra eſt, quia probatio unius modi agendi, non 38
facit fidem in alio modo agendi, vel ſuper alio articulo,
*cap. Veniens, il ſecondo, §. 1. verſ. Quo audito, & §. Nos
igitur, ſup. de teſtib.* & quia res inter alios acta, &c. *cap.
penult. in princ. cum ſuis concord. ſup. de re iudicat.* & quia
poteſt timeri, ne per leve compendium ad grave diſpen-
dium veniatur, ut hic ſequitur in littera; & quia ſecundum
formam judicii ſententia eſt dictanda, ut in textu in *verb.
Illo ſemper*. Et hanc partem ſequuntur hic Doctores, niſi
cumulatio fieret de plenitudine poteſtatis, ut concludunt
Hoſtienſ. & Joan. Andr. *in locis ſupracitatis:* cum quibus
concordant Ant. de Butr. *num.* 45. Joan. de Anan. in §. *Ad* 39
corrigendos, num. 1. & alii communiter. Ex his collige
proceſſum ſuper crimine factum altero de prædictis modis
non impedire alium procedendi modum: quod intellige
verum quando proceſſus eſt perfectus: aliàs dic ut notatur
in *cap. De his ſupra eodem*, ſecundum Anchar. *num.* 24. Jo.
de Anan. *ubi ſupra*.
QUÆRO, An in qualibet inquiſitione debeat ſervari 40
forma hujus cap.
Solutio dicit Hoſtienſis hic *num.* 6. triplicem eſſe inqui-
ſitionem, videlicet generaliſſimam, generalem, & ſpe-
cialem. Generaliſſima eſt, quæ fit ex mero, & puro offi- 41
cio judicis, ut quando agitur, & quæritur in Conciliis
generalibus, vel provincialibus generaliter de ſtatu provin-
ciarum, ſeu provinciæ quantum ad Eccleſias, & perſonas
in melius reformandum, ut *cap. te Sicut olim, infra eod.
cap. Grave, de præbend. & §. Ut autem omnis Eccleſiaſticus
ſtatus*, in Authent. *de Sanctiſſim. Epiſc.* Concilium Tolet.
tertium, cap. 18. *cap. Concilia, 17. diſt. cap. De Conciliis, &
cap. Propter Eccleſiaſticas cum ſeq. 18. diſtinct.* Concilium
Aurel. 3. *cap.* 1. Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſ-
ſion.* 10. Concil. Tridentinum *cap. 2. ſeſſion. 24. de reform.* 42
Generalis eſt quæ fit tam in capite, quam in membris ali-
cujus Eccleſiæ civitatis, vel caſtri, vel alterius loci dum
Prælatus viſitat ex eodem mero & puro officio, *cap. 1. &
cap. Irrefragabili, de offic. Ordinar. cap. Placuit*, 10 *quæſt.* 1.
*cap. Excommunicamus, §. Et adiicimus, infra de Hære-
ticis, cap. 1. §. Sanè, de cenſ. lib. 6.* Concil. Tolet. 4. *cap.* 35.
Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. cap.* 3. & in
his duobus caſibus dicit Hoſt. non habere locum formam
hujus Concilii, ſed ſicut generaliſſima, vel generalis ex
puro & mero officio fit inquiſitio, ſic etiam generaliter,
& compendioſè proceditur contra omnes. Unde dicebat 43
Abbas Antiquus *hic num. 2. prope fin.* Capitula tradi non
debere quando inquiritur ſuper ſtatu Eccleſiæ, ſed ſolum
quando inquiritur contra certam perſonam. Fit etiam
inquiſitio generalis extra viſitationem aliquo impetente,
ſeu denunciante, vel ex officio fama deferente, in quo
caſu ſimiliter dicit Hoſtienſ. formam hujus Concilii non
eſſe ſervandam, ſed aliam, de qua in *cap. Cum I. & A. &
cap. ſeq. de re iudic.* Licet ſubdat illa capitula poſſe etiam
intelligi de ſingulari inquiſitione tantùm, ut ibi notatur,
& cum Hoſtienſ. concordant hic Joan. Andr. *num.* 7. &
alii inferius citandi, *num.* 54. Marian. Socin *numer.* 56.
Specialis, ſive ſingularis eſt, quæ fit contra certam perſo- 44
nam: & in hac diſtingue ſecundum Abb. *nu.* 11. *verſ. Quæ-
dam eſt inquiſitio ſpecialis*, ex mente Hoſtienſis *num.* 7. &
8. Nam quandoque fit talis inquiſitio, non ad pœnam 45
imponendam, ſed ex debito officii, veluti ut matrimo-
nium non contrahatur propter aliquod impedimentum,
vel ut non promoveatur quis ad Prælaturam, ſeu non con-
firmetur electus, ſi reperiretur vitioſus: & in tali inquiſi-
tione non exigitur infamia, *cap. final. de clandeſt. deſpon-
ſat. cap. Poſtquam, cap. Cum dilecti, & cap. Nihil, de
elect.*

elect. cum multis ſimilibus : & vide quod notat Innocentius
in cap. 1. *de exceſſ. Prælator.* & Hoſtienſis in *cap. unic. Vt
Eccleſiaſt. benef.* Et idem eſt ubicumque judex ex puro, &
mero officio procedit, in his maximè, in quibus imminet
periculum animarum, ut patet in *cap. Ad noſtram, il ſe-
condo, ſupra de iureiurand. & in cap.* 1. *de offic. Ordin. & in
l.* 1. *& l. In confirmando, ff. de confirm. tutor. & in l.* 3. *ff. de
ſuſpect. tutor.* de quo dic pleniùs, ut notatur per Hoſtien-
ſem *in ſumma de criminibus ſine ordine puniendis, §. final.*
46 Quandoque verò hæc ſpecialis inquiſitio fit ad pœnam
imponendam: & tunc ſubdiſtingue, nam aut proceditur
ad denunciationem illius, ad quem hoc pertinet ex offi-
cio; & non eſt opus ut præcedat infamia, *l. Ea quidem,
Cod. de accuſation. cap. Prætereà, de teſtibus cogen.* non
tamen denunciatur niſi notorium, aliàs non creditur de-
nunciatoribus, ut notatur in *cap. Nullus, il ſecondo, §.
Aliquando, 4. quæſt. 4.* & per Doctores, maximè per Sali-
cetum in dict. *l. Ea quidem.* Aut fit non ad denunciatio-
47 nem publici officialis, ſed fama deferente, & tunc aut
proceditur contra Prælatum ſæcularem, aut contra ſubdi-
tum etiam ſæcularem, aut contra regularem. Primò ca-
ſu contra ſæcularem Prælatum non ſufficit ſimplex fama,
vel clamor, & ſi frequens ſit, niſi ſit tanta, quæ ſcanda-
lum generet, vel ſine periculo tolerari non poſſit, ut dixi
ſupra *in 12. notab.* Secundò caſu contra ſubditum ſæcula-
rem ſufficit fama frequens, & clamoſa, & ſi non generet
ſcandalum ut in litera, & dixi in *eodem 12. notab.* & in
utroque iſtorum membrorum ſervari debet forma, quæ
48 hic traditur in §. *Debet.* Ac proptereà requiritur probatio
famæ, de qua notatur in *cap. Cum oporteat, §. final. in 1.
reſponſo, ſupra eodem*: quod tamen totum eſt arbitrio bo-
ni judicis relinquendum, ea tamen habita conſideratione,
ut leviores probationes ſufficiant contra ſubditum, quam
contra prælatum, ut patet in *cap. Licet Heli, infra de
Simonia, & in cap. Paſtoralis, in 1. reſponſ. in fin. ſupra
de offic. delegat.* & argument. *cap. Cum illorum, §. Si vero
clauſtralis, & §. præced. infra de ſentent. excommun. & l. 3.
ff. de alienand. iudic. cauſ. fact.* ſecundum Hoſtienſem, &
Joan. Andr.
49 Tertiò caſu cùm fit inquiſitio contra Regularem iterum
ſubdiſtingue: nam aut fit ad correctionem, ſeu ad pœni-
tentiam ſecundum regulam: Et non eſt opus ſervare
formam hic præſcriptam, ſed juxta eamdem regulam
proceditur de plano, ut *cap. Reprehenſibilis, & cap. Cum
ſpeciali, ſupra de appellat. cap. final. de Regular. cap. in Sin-
gulis, & cap. Ea qua, de ſtatu Monachorum.* Aut fit in-
50 quiſitio, ut ab adminiſtratione removeatur, & tunc quan-
do agitur de Abbate, vel Priore Conventuali, aut curam
habente, & auctoritate Superioris inſtituto, quamvis
non ad unguem, tamen quoad quædam ſervanda eſt
forma hujus Capituli, ut ſcilicet vocetur, ut ſe poſſit de-
fendere, ut patet in *cap. Ad petitionem, §. Cum igitur, ſu-
pra eodem, & infra c. Olim, §. Si vero, & in cap. Per tuas,*
51 *de Simonia.* Verumtamen ex levioribus cauſis removeri
poteſt, quàm ſæcularis, ut dicitur in dict. *cap. Per tuas,
in fin. & in cap. final. infra eodem, & hic in fin. in §. Hunc*
52 *tamen ordinem.* Sed & conſuetudo ſpecialis locorum re-
ligioſorum in hoc ſpectanda eſt, ut ſubjicitur in dict. *cap.
fin.* & legitur, & notatur in *cap. Quia nos, de appellat.* Si
verò agitur de ſimplici Priore, vel Officiali, ſeu aliam
53 obedientiam, tenente, talis inſtituitur, & deſtituitur pro
libito Abbatis etiam ſine cauſa, ut legitur & notatur in
*cap. Cum ad monaſterium, §. Tales, & in cap. Monachi,
§. Prioratus, & §. Priores, ſupra de ſtatu Monachorum,
& in capit. Volentes, §. final. de privilegio, libr. 6.* & la-
tius dicam infra *num.* 102.
54 Ita in hac materia inquiſitionis diſtinguit hic Hoſtien-
ſis *num. 7. & 8.* & latius in ſumma de inquiſitionibus, &
cum eo concordant hic Joan. Andr. *num. 7. 8. & 9.* Hen-
ric. Boich. *à numer. 1. uſque ad num. 7.* Butr. *num. 9.* Car-
dinal. *in §. Hunc tamen, num. 6. poſt med. verſ. Alii aliter
dividunt.* Anchar. *num. 38. poſt med. verſ.* Hoſtienſ. *et-
iam hic dicit.* Abb. *num.* 11. & Joan. de Anan. *in §. De-
bet, num. 6.*
Legiſtæ tamen aliter diſtinguunt; nam omiſſa illa gene-
raliſſima inquiſitione, quæ fit per Officiales ad præſcrip-
tum, *l. Cognovit, ff. de offic. Præſid.* cujus loco hodie
ſucceſſit proclama, ſeu bannum generale contra omnes
homines malæ conditionis & famæ, quod faciunt poteſta-
tes in principio eorum officii, ut teſtatur Angel. *de maleſ.
in verb. Hac eſt quædam inquiſitio, num. 3.* & Julius Clarus
in pract. §. final. quæſt. 3. in princ. Dicunt Legiſtæ duas tan-
tùm eſſe inquiſitionum ſpecies. Altera dicitur præparato-
ria, quam aliqui appellant generalem, quæ fit ad inve-
niendum delinquentem, & judex generaliter inquirit
quiſnam delictum commiſerit, informationes generales
deſuper aſſumendo. Altera dicitur ſolemnis, quæ fit ad
puniendum contra particularem perſonam, de cujus de-
licto jam Curia notitiam habuit. Et hanc Canoniſtæ ſpe- 55
cialem appellant, & diffiniunt eſſe jus quoddam per offi-
cium procedendi ad condemnandum, & puniendum fa-
cinoroſos homines de territorio inquirentis de aliquo cri-
mine non à malevolis infamatos, ut per Præpoſitum
in *cap. de accuſatione, numer. 41. 2. quæſt. 8.* Ita diſtinguit
Bartol. in *l. 2. §. Si publico, numer. 9. ff. de adulter.* & Sa-
lyc. in *l. Ea quidem, num. 31. Cod. de accuſation.* quos re- 56
fert, & ſequitur Bero. *hic num.* 33. Et fuit originalis diſtin-
ctio Innocentii in *cap. Bona, il primo, num. 5. ſupra de elect.*
ubi formaliter inquit. [Item nota, quod ſic ſervat totus
mundus, quod contingente maleficio notorio ſtatim in-
quirit judex generaliter non contra certam perſonam, &
facta inquiſitione vocat nominatos in inquiſitione de
maleficio, ut ſe defendat; & quod longam interpretatio-
nem recipit ex iteratione factorum mutari non debet, *l.
Minime, & l. Si de interpretatione, & l. ſeq. ff. de Legi-
bus,* & ſic cùm maleficium ſic notoriè factum eſt, ſed quis
illud fecerit, eſt incertum, judex nullo vocato procedit
ad inquiſitionem illius maleficii, ſcilicet per quos ſit fa-
ctum; & idem ſi certum ſit de aliquibus perſonis, & de a-
liquibus incertum: & hæc inquiſitio, quæ fit de incerta
perſona, eſt tantum præparatoria alterius inquiſitionis;
nam contra perſonam in prima inquiſitione nominatam
recipietur nova inquiſitio, & iidem teſtes, qui dixerunt
in prima, ſcilicet, quando contra nullam perſonam age-
batur, iterum recipientur in ſecunda, quando contra
certam perſonam agitur, argum. *cap. Veniens, ſupra de
teſtibus.*] Hactenus verba Innocentii: quem refert Bald.
in *l. Edita, in ſecunda lectura, num. 30. ad finem, verſ. Et
dicit Innocentius, Cod. de edendo,* Angel. in *l. Ea quidem,
num. 5. Cod. de Accuſat.* dicens ita obſervare communem
conſuetudinem mundi, Jo. de Anan. in *cap. Inquiſitionis,
num. 5. verſ. Sed adverte*: & ibi etiam Felin. *eodem numer.
ſupra eodem,* Præpoſ. in *cap. de accuſatione, num. 40. verſ.
Et de hoc dicit Innocen. 2. quæſt. 8.* alios cumulat Menoch.
de præſumpt. lib. 1. præſumpt. 88. num. 7. & 8. Communis 57
igitur practica eſt ut ſi non ſit porrecta contra aliquem que-
rela, vel denunciatio, vel aliter aperta via judici ad ſpe-
cialiter inquirendum, ſed tantum conſtet delictum fuiſſe
commiſſum, judex ſtatim ex officio inquirat generaliter
interrogando teſtes, quos putat de negotio informatos in
genere, an ſciant quis delictum commiſerit neminem no-
minando; Et in hac generali, ſeu præparatoria inquiſitio-
ne, quæ fit ad inveniendum criminoſum non requiritur
ut infamia præcedat: & ita omnes fatentur, ut inquit Be-
ro. *hic num.* 34. & Jul. Clarus *in praxi §. final. quæſt. 6. verſ.
Scias etiam.* Quando verò certus eſt delinquens, puta
quia porrecta eſt contra aliquem querela, vel denunciatio,
tunc judex non inquirit generaliter, ſed ſpecialiter inter-
rogando teſtes, quid ſciant de contentis in ipſa querela,
vel denunciatione, in qua ille eſt ſpecialiter nominatus, 58
tunc autem illa inquiſitio generalis tranſit in ſpecialem,
quando teſtes, qui ſunt in genere interrogati, nominant
ipſi in ſpecie delinquentem, nam eo caſu illa denomina-
tio aperit viam judici ad inquirendum ſpecialiter contra
illum nominatum, id eſt ad alias informationes contra eum
aſſumendas, ita Jul. Clar. *in d. §. fin. q. 5. verſ. Poterit igi-
tur*; & conſtat ex verbis Innocentii ſuperius relatis, *nu.* 56.
Et ad hanc ſpecialem inquiſitionem ſive fiat ex officio, ſive 59
ad querelam, vel denunciationem, judex devenire non po-
teſt, niſi præcedente infamia, juxta text. hic: & eſt commu-
nis opinio, de qua teſtantur Ang. in *l. Si vacantia, nu. 177.
C. de bon. vac. lib. 10.* Boſſ. *in pract. tit. de inquiſit. nu. 21. &
in tit. de indit. n. 75. in fin.* Marſ. *in pract. crimin. in §. Con-
ſtante, n. 22.* Hyppol. Rimin. *conſ. crimin. diverſ. 105 nu. 27.
lib. 1.* Grat. *conſ. 57. nu. 11. lib. 2.* Roland. *conſ. 24. nu. 21. &
ſeq. vol. 1. & conſ. 3. nu. 15. vol. 3. & conſ. 57 num. 29. vol. 4.*
Clar. *in pract. §. final, q. 6. verſ. Idem etiam.*
Cæterùm adverte: nam quicquid ſit de jure, hodie 60
iſta

iſta diffamationis ſolemnitas in inquiſitionibus receſſit ab Aula, ſecundùm Clar. *dict. quæſt. 6. verſ. Præterea ſcias:* nam hodie practica ſervat, ut judex conſtito de delicto, aſſumendo informationes, in genere, interroget primò teſtes, quos putat informatos, an ſciant quis illud maleficium commiſerit, & ſi dicant ſe neſcire, tunc interrogat eos ſuper diffamatione neminem nominando, ſed in genere interrogando, an ſaltem ſciant contra quos de illo delicto fama laboret, & ſi dicunt aliquem diffamatum, tunc contra illum ſpecialiter inquirendo, ad citationem, vel ad capturam, juxta inditiorum qualitatem procedit, & ſic unico contextu ſuper veritate criminis, & ſuper diffamatione informationes aſſumuntur, ut ibi per eum, qui proptereà ſubdit ſe numquam vidiſſe aliquem proceſſum fieri, qui à diffamatione inciperet. Sed contra hujuſmodi practicam inſurgit Rolandus à Valle *in conſ. 57. num. 26. & ſequent. volum. 4.* nam ſecundùm eum licèt teſtimonium Clari ſit magnum; tamen eſt ſpernendum, quia omnes Doctores tam antiqui, quàm moderni concludunt, & exclamant in inquiſitione famam debere præcedere, nec aliquis eorum dicit de conſuetudine contrarium ſervari, prout dicit Clarus. Quininno, ut inquit Ludovic. Cat. *conſ. crimin. diverſ. 99. nu. 1. lib. 1. in paucis:* totus mundus ſequitur hanc concluſionem, quod inquiſitio non præcedente diffamatione facta, nulla, & invalida ſit. Idem ſalvando Clarum, dicit ipſe Rolandus illius practicam procedere in ſtatu Mediolani, prout ipſe loquitur, & ubi erat verſatus, & non alibi. Verùm ut noviſſimè obſervat Proſper Farinacius *in pract. titul. de inquiſit. quæſt. 9. numer. 21. verſ. Ego verò.* Conſuetudo, de qua loquitur Clarus, non eſt contra juris diſpoſitionem: non enim ipſe dicit ſimpliciter, & indiſtinctè in inquiſitione de conſuetudine famam non debere præcedere, quia hoc eſſet contra auctoritates novi, & veteris teſtamenti, de quibus in hoc c. contra canonicas ſanctiones, & unanimem Canoniſtarum conſenſum; ſed tantùm dicit ſecundum practicam, qua hodie utuntur in inquirendo, non requiri, ut præcedat infamia, quia commiſſo delicto non incipiunt a ſpeciali inquiſitione contra aliquem, in quo caſu debet præcedere infamia, ſecundùm omnes, ſed à generali aſſumptione informationum, videlicet quis illud delictum commiſerit: in qua generali informatione, & inquiſitione conveniunt omnes, non eſſe neceſſarium, ut fama præcedat, & concluſum eſt ſupra *num. 57.* Deinde ſubdit Cla-
61 rus, quod ſi teſtes in genere interrogati aliquem nominaverint in ſpecie, poterit judex ex generali illa inquiſitione devenire ad ſpecialem contra nominatum etiam nulla præcedente fama, & hoc ſimiliter non eſt contra concluſiones Doctorum. Imò generalis inquiſitio, in qua per teſtes aliquis fuit nominatus, ſine alia forma aperit viam ad ſpecialem inquiſitionem juxta theoricam, & practicam Innocentii, quàm ſervat totus mundus, ut dictum eſt ſupra *num. 56.* & prædictis adde Mar. Socin. *hic art. 1. in 1. quæſt.* ubi tradit novem capita diſtinctionum in inquiſitionis materia, & egregiè ſingula dictionum capita exemplificat.

62 Secundò QUÆRO, Cùm ad ſpecialem inquiſitionem ſuper certo delicto, & contra certam perſonam, quæ verè & propriè dicitur inquiſitio, ſecundùm Præpoſitum in *cap. De accuſatione, num. 41. 2. quæſt. 8.* judex procedere poſſit tam ex ſuo mero officio, quàm ad partis querelam, ſeu denunciationem: an, & in quo iſti duo modi procedendi inter ſe differant.

63 Solutio. Gloſſa magna hic videtur aſſignare tres differentias inter proceſſum faciendū ex mero judicis officio, & illum, qui fit alio impetente, ſeu promovente inquiſitioné.

Prima differentia eſt, quia quando procedit ex mero officio, tunc recipit juramentum ab illis contra quos eſt facienda inquiſitio; ſed quando procedit ad inſtantiam alterius, hoc juramentum non recipit, ne inſtruat adverſariū, ſed ipſe adverſarius debet probare ea, quæ denunciavit.

64 Secunda differentia eſt, quia quando procedit ex officio, non tenetur recipere probationem ſuper fama; ſatis enim eſt, ut de ea conſtet ſibi: ſecus quando procedit ad alterius inſtantiam, & cum gloſſa quoad hanc differentiam concordat Petrus de Sampſone, & Abb. Antiq. *n. 3.* qui ſimiliter diſtinguunt inter inquiſitionem, quam facit judex alio proſequente, & illam, quam facit à ſe ipſo, & ex officio ſuo, ut in primo caſu non procedat judex ſuper inquiſitione veritatis, niſi probetur infamia per eum, qui fuit promotor inquiſitionis: ſed in ſecundo, quando ex officio, tunc poſtquam conſtat judici de infamia, de veritate inquiret, licèt inquiſitus neget ſe infamatum; nec tenetur ipſe judex fidem facere de infamia: cui enim faceret fidem, cùm ipſe ſit judex? Si tamen inquiſitus propter hoc appellaret, tunc coram judice appellationis teneretur primus judex de infamia facere plenam fidem, & ſequitur Jo. Andr. *nu. 36.* Anchar. *n. 29.* Abb. *n. 17. verſ. Secunda differentia eſt,* Angel. in *l. Si vacantia, n. 177. C. de bonis vacan. lib. 10.* ubi videtur tenere, diffamationem non requiri quando judex non ad poſtulationem partis, ſed ex mero officio inquireret, & dicit Auguſt. ad Ang. *de malef. in ver. Hac eſt quædam inquiſitio, n. 57.* Aſſeſſores hoc communiter obſervare: ſed certè in hoc contra Angel. eſt magis communis opinio, ut inquit Hieron. *in Apoſtill. ad Angel. de malef. in loco præalleg. n. 68. verſ. Quartò in quantum,* quem refert Grat. *conſ. 57. n. 11. lib. 2.* & Roland. *conſ. 24. circa fin. lib. 1.* Boſſ. *in tit. de indit. n. 73. in fin.* Hyppol. Rimin. *inter conſilia criminalia diverſ. conſ. 105. nu. 27. lib. 1.* & Jul. Clar. *in pract. §. fin. q. 6. verſ. Idem etiam,* ſubdens eam eſſe rationi magis conſentaneam; nam quando proceditur ex mero officio, tunc magis neceſſaria eſſe debet diffamatio, quæ ſuccedit loco accuſatoris, ut dicunt Scribentes in hoc cap. ob quam rationem aliis etiam relatis hanc opinionem ſimiliter dicit eſſe veriorem; & magis communem Proſper Farinac. *in pract. tit. de inquiſit. q. 9. n. 4. verſ. Non tamen per hoc recedas.* Tu tamen adverte, quia gloſſa, & Canoniſtæ noſtri non dicunt diffamationem non requiri quando judex ex officio procedit, imò dicunt etiam eo caſu judicem debere per ſe inquirere de fama; ſed tantum aſſerunt ſatis eſſe, ut de hujuſmodi fama conſtet judici, qui non tenetur de ea fidem facere, nec probationes aſſumere quando procedit ex officio ſuo, ſed ſolum quando procedit alio inquiſitionem promovente; & ita utroque caſu diffamationem requirunt, & ſolum conſtituunt differentiam ſuper illius probatione.

Tertia differentia, quia ſi judex procedit ad inſtantiam 65
alterius, admittit probationes contrarias ſuper bona fama: ſecus quando procedit ex officio: & ratio diverſitatis eſt, quia non ita præſumitur contra judicem, ſicut contra partem, argum. *cap. In noſtra, de procurator. & cap. Ad audientiam, de præſcript.*

Quarta differentia ultra gloſ. ponitur per Doctores, quia 66
quando proceditur ad inſtantiam, fit litis conteſtatio cum promovente inquiſitionem, ut in *cap. Cum dilectus, de purgat. canon.* ſecus quando ex officio proceditur, quia non eſt cum quo fiat litis conteſtatio; ſed fit quædam quaſi conteſtatio inter infamiam, quæ tenet locum accuſatoris, & reſponſionem inquiſiti.

Quinta differentia, quia quando proceditur ex officio, 67
poſſunt recipi teſtes etiam publicatis atteſtationibus; tunc enim ceſſat ratio timoris ſubornationis, cùm ſemper teſtium dicta ſint nota judici: ſecus quando proceditur ad inſtantiam partis, ut notatur in *cap. Cum clamor, ſupra de teſtib.* & has duas differentias ultra gloſ. ponit in ſpecie Abb. *n. 17.*

Tertiò QUÆRO, cùm ſupra *in 14. notab.* dictum ſit 68
tribus modis principaliter poſſe procedi ſuper crimine, videlicet per viam inquiſitionis, accuſationis, & denunciationis, in quibus differat judicium inquiſitionis ab aliis judiciis.

Solutio. Dic ſecundum Speculat. *in tit. de inquiſitione,* 69
§. 1. num. 33. in pluribus differre. Primò enim in judicio inquiſitionis fama habetur loco accuſatoris, ut hic, & in *cap. Licet Heli, de Simon.* & dictum eſt ſupra *in octavo notab.* in aliis autem nullus regulariter ſine accuſatore, vel denunciatore damnatur, ut *cap. Relatum, 5. quæſt. 3. & cap. Unico, ſupra ut Eccleſ. Benef.* Secundò, in cau- 70
ſa inquiſitionis teſtes recipiuntur lite non conteſtata, quod non contingit in aliis regulariter, *cap. Quoniam, §. Sunt & alii, ſupra ut lite non conteſtata.* Tertiò in ju- 71
dicio inquiſitionis recipiuntur minus idonei teſtes cùm ſit inquiſitio tam in capite, quàm in membris, vel ſuper ſtatu Eccleſiæ, ut notat idem Speculator *in dict. §. 1. numer. 21.* quod non fit in aliis cauſis, ut *cap. Ex parte A, ſupra de teſtibus, §. In teſtibus, 4. quæſt. 3.* Quar- 72
tò inquiſitio fit de manifeſtis per famam, ut hic, non de occultis, ut in *cap. Qualiter, in fin. ſupra eod.* Alia verò judicia inſtituuntur etiam ſuper occultis, dummodo probari poſſit, *cap. Plerumque, 2. q. 7.* unde accuſatus etiam 73

Digitized by Google

ſuper occultis reſpondere compellitur, quia jurat de calu-
mnia, *cap. 1. de iuramen. calumn.* ſecundum Hoſt. *hic nu.*
16. Joan. Andr. *num.* 25. *in verb. Facultatem*, & Butr. *nu.*
39. & ad *cap. Non tibi, de pœnit. diſt.* 1. quod videtur in-
74 nuere oppoſitum, reſponde ut per eos. Quintò in inqui-
ſitione proceditur quandoque ad remotionem dum nego-
tium agitur, *cap. Quia ea*, 3. *q.* 2. probata tamen prius ſuſpi-
cione dilapidationis, *cap. Licet Heli, verſ. Quia vero, &
c. Per tuas, de Simon. & cap. fin. infra eod.* & in aliis judi-
ciis ſecus, ut *cap. Volumus*, 16. *qu.* 4. *cap.* 1. *de iudic. cap.*
75 *Nemo*, 8. *quaeſt.* 4. Sextò in judicio inquiſitionis, ſi crimen
ſit grave, prælatus convictus ab adminiſtratione totaliter
removetur, ut hic in textu ibi: *Quatenus ſi fuerit gravis
exceſſus, & ſi non degradetur ab ordine, ab adminiſtratio-
ne tamen amoveatur omnino:* & notat Bernar. in gloſ. 1.
verſ. Crimine vero ſic probato, cum quo concordant Hoſt.
num. 23. Joan. Andr. *num.* 30. Henric. Boich. *num.* 13. &
communiter omnes. In judicio verò accuſationis præla-
tus de gravi crimine convictus deponitur, ut *cap. Inquiſi-
tionis, & cap. Super his, ſupra eod. cap. Tua de pœnis, cap.
Unum orarium, §. Criminis*, 25. *diſt.* & hic in text. ibi:
Criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis, id
eſt degradationem intenditur, & dic degradationem, id-
76 eſt depoſitionem: nam etiam verbalis depoſitio ab ordine
dicitur degradatio, quia privat, & dejicit, *cap. Degra-
77 datio, de pœnis, lib.* 6. ſecundum Abbatem *hic n.* 10. & Mar.
Socin, *nu.* 42. & eſt pœna capitalis, quæ ſequitur ex accuſa-
tione, ut inquit Hoſt. *hic num.* 13. & ſic mitiùs punitur in-
quiſitus, quam accuſatus, ut in præcitatis juribus, & no-
tat. Bald. in *l. Ea quidem nu.* 49. *C. de accuſat.* Jo. de Anan.
in *cap. Inquiſitionis*, *nu.* 4. *ſupra eodem*, de quo dic plenius,
ut hic per Henrich. Boich. *nu.* 12. & iſtis duobus modis de-
bet judex imponere pœnam ordinariam, & non pœniten-
78 tiam, ſecundum Abb. *in* 4. *not.* prædictas ſex differentias
ponit Speculator citatus ſupra *num.* 69. & ex illo Mar. Soc.
hic nu. 92. In denunciatione autem judex non debet pœnam
ordinariam imponere, ſed tantùm ad pœnitentiam com-
79 pellere, ut per Abbatem ubi ſupra. Verùm ut dicit Hen-
rich. Boich. *num.* 14. ſicut denunciatio diverſimodè fieri
poteſt, & natura diverſa eſt, ſic quoque diverſæ ſenten-
tiæ formabuntur. Nam ſi denunciatio ſit euangelica,
pœnitentia injungetur; ſi judicialis, ad ſatisfactionem
condemnabitur; ſi canonica, pœna infligetur, vel pecca-
tum fieri inhibebitur, vel aliter ſecundum quod requirit
denunciationis modus, ſententiabitur; de quo dic ut le-
gitur, & notatur in *cap. Novit*, *in primo reſponſ. ſupra de
iudic.* & ſecundum hanc diſtinctionem intelliguntur illa
verba textus, ut juxta formam judicii ſententiæ quoque
forma dictetur, ſecundum Hoſt. *num.* 23. *verſ. In denuncia-
tione*, Jo. Andr. *nu.* 30. *eodem verſ.* & Henric. Boich. *nu.* 14.
cum quibus ſatis concordat. Archid. in *cap. Si peccaverit*,
80 *nu.* 15. 2. *quaeſt.* 1. Septimò iſti tres modi tendunt ad diver-
ſos fines, ſecundum Abbatem *hic in* 14. *notab.* nam inqui-
rentis officium eſt veritatem invenire, ut per Azor. *inſtit.
de offic. iudic. in princ. cap. Qualiter, de offic. iudic.* & notat
Bald. in *l. Edita*, *num.* 30. *circa finem verſ. Aut loquimur in
proceſſu inquiſitionis*, *C. de edendo*: ſed accuſatio fit ad pu-
81 niendum, & ad publicam vindictam, *l. Non ignorat*, &
*l. Si quis, C. de his, qui accuſar. non poſ. cap. Inquiſitionis,
& c. Super his, ſupra eod.* Bald. *loco citato*; denunciatio ve-
rò fit ad correctionem, ut dicitur in d. *cap. Super his*, *c. Si
peccaverit*, 2. *q.* 1. in denunciatione enim attenditur emen-
datio fratris, ſed in accuſatione punitio criminis, S. Thom.
in 2. 2. *q.* 67. *art.* 3. *ad* 3. & *q.* 66. *art.* 1. *in corpor.* & *in* 4. *ſen-
82 tent. diſt.* 35. *art.* 3. *ad* 6. Octavò, ſicut accuſationem legi-
tima præcedere debet inſcriptio, ſic & denunciationem
charitativa correctio, & inquiſitionem clamoſa debet in-
ſinuatio prævenire, ut hic dicitur in §. *Ad corrigendos*, &
eſt repetitum in *c. Licet Heli, de Simon.* Cùm enim accu-
ſatio inſtituatur ad depoſitionem, ne aperiatur via calum-
niandi, accuſator debet ſe inſcribere, ut in *cap. Super his,
ſupra eodem*, id eſt ſe obligare ad eandem pœnam, ſi non
probaverit, quam reus debuiſſet ſi probaſſet; ut *cap. Quiſ-
quis, & cap. Qui crimen*, 2. *quaeſt.* 8. & notat gloſſa in dict.
cap. Super his, in verb. Oportet inſcribi, & de hac pœna
talionis vide quod legitur, & notatur in *cap. Quod debe-
tur*, 14. *q.* 1. & *in cap. Sex differentiae*, 23. *quaeſt.* 3. per Al-
bert. *in l. fin. Cod. de accuſat.* & per D. Thom. *in* 2. 2. *q.* 68.
art. 4. *in corp.* & *in* 4. *ſent. diſt.* 41. *art.* 5. *q.* 2. *ad primum*; &
de forma accuſationis tria continente, vide textum in *l.
Libellorum, C. de accuſationibus*, quæ eſt canonizata in *c.
Per ſcripta, §. Sed Calixtus, verſ. Libellorum*, 2. *q.* 8. In in-
quiſitione autem non requiritur inſcriptio, ut dicitur in d.
cap. Super his, ſupra eodem, quia ceſſat ſuſpicio calumniæ
tum ob præcedentem infamiam, tum quia non eſt ibi, qui
ſe opponat, & ſe inſcribat, ut ibi per Felin *num.* 2. *in fin.*
In denunciatione ſimiliter non requiritur inſcriptio, ſeu
obligatio ad pœnam talionis, quia non inſtituitur ad pu-
niendum, ſed ad corrigendum, ut dictum eſt; & ideò
denunciationem debet præcedere admonitio, ſeu chari-
tativa correctio, ut in juribus ſupra citatis; & egregiè de-
clarat S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. & *in* 4. *ſent. diſt.* 19. *q.*
2. *art.* 3. *q.* 3. quæ tamen admonitio in accuſatione, & in- 83
quiſitione non requiritur, etiamſi fiat alio denunciante,
ſeu promovente, ſed ſtatim poteſt procedi ad inquirendum,
ut hic firmat gloſ. noſtra, Hoſt. *n.* 7. & Jo. Andr. *num.* 37.
& plenè Aret. *num.* 39. & docet S. Thom. *d. diſt.* 19. *quaeſt.*
2. *art.* 5. *q.* 1. *ad* 4. ubi ait in accuſatione non agi ad emen-
dationem peccantis, ſed ad bonum commune, ſcilicet juſti-
tiam conſervandam per punitionem delinquentis; & ideò
accuſationem in judicio bona conſcientia fieri poſſe etiam-
ſi admonitio non præcedat, nec eſſe contra præceptum
Domini, quod intelligitur quando agitur ad emendatio-
nem peccantis: inquiſitionem verò faciendam non eſſe,
niſi de notorio peccato, quia oportet ut inquiſitionem præ-
cedat clamoſa inſinuatio, & ideò ſecreta admonitio non
requiritur de neceſſitate.

Quartò QUÆRO, quomodo probetur fama. 84

Solutio. Secundum Innocentium *hic num.* 1. teſtis depo- 85
nere debet, eum, de quo agitur de tali crimine diffama-
tum eſſe, & interrogatus apud quos ſit diffamatus, re-
ſpondere tenetur apud tales, & niſi eos nominet, non vi-
detur reddere bonam cauſam dicti ſui; & ratio eſt, quia a-
liter ſciri non poteſt, an illi ſint viles, & malevoli, an ve-
rò fide digni, de quo ante omnia judici conſtare debet, ut
hic in *verſ. Ex quibus auctoritatibus*. Debet ergo dicere,
apud tales, & tales eſt ſuſpectus; quia hæc ab eis audivi,
vel vidi eos vitare ipſius familiaritatem: & ſubdit Inno-
centius ſufficere ſi dicatur a duobus ſe audiviſſe, quia
textus noſter loquitur in plurali, ibi, *providis & bonis viris*.
Ergo ſufficiunt duo, *l. Ubi numerus, ff. de teſtibus*. Adver-
te tamen, quia non ſufficit ſi teſtis dicat apud duos eſſe ſu-
ſpectum, quia ex hoc non eſſet probata fama, ut *cap. In-
quiſitionis, in fine, ſupra eodem*, ſed oportet eum addere in
ſuo teſtimonio; quod hoc ipſum, quod audivit ab illis
duobus, clamat major pars viciniæ: & hoc intendit hæc
littera, dum dicit, quod illi providi viri debeant dicere,
quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat, ad idem
textus in *cap. Super eo, ſupra de eo, qui cognovit conſang. uxor.
ſuæ, & c.* 2. *infra de purgat. canon.* Quidam tamen ut ſob-
jicit Innoc. *num.* 4. *verſ. In præſenti autem caſu*, non im-
probabiliter dicunt ſatis eſſe, ut teſtes etiam nullis perſo-
nis expreſſis dicant, rumor, & infamia eſt per viciniam:
reſervatur enim alteri parti facultas probandi infamiam
hanc eſſe tantùm apud viles, aut malevolos, vel ab ipſis or-
tum habuiſſe: quo probato non procedit inquiſitio, arg.
cap. In cunctis, 11. *quaeſt.* 3. & hic non cavetur, ut teſtis
debeat hoc dicere, ſed tantùm ut ſuperior non debeat ad
inquiſitionem procedere, niſi clamoſa inſinuatio per bo-
nos, & graves ad eum pervenerit: & cum his dictis In-
nocentii concordant hic Jo. Andr. *num.* 11. Anchar. *nu.* 33.
Abbas *num.* 1. & 4. Cardin. *in* 6. *Hunc tamen*, *num.* 9. &
communiter DD. ut atteſtatur Alexand. *conſ.* 100. *ſuper pri-
mo caſu poſt num.* 4. *verſ. Sextus teſtis*, *lib.* 1. Aretin. in
cap. Cum oporteat, poſt num. 58. *verſ. Communiter tamen,
ſupra eodem*, ubi etiam teſtatur de magis communi, & pra-
cticam opinione Gandin. *in rubrica Quomodo, de maleſ. co-
gnoſ. per inquiſitionem, poſt num.* 11. & alii plures, quos
noviſſimè cumulat Farin. *de indic. & tortura*, *quaeſt.* 47. *nu.*
227. & *num.* 236.

Sextò QUÆRO, An fama in criminalibus aliquem 86
gradum probationis conſtituat.

Solutio. Explorati juris eſt ſolam famam, quæ 87
eſt contra aliquem, quod maleficium commiſerit,
eſſe ſufficiens inditium ad inquirendum contra eum,
ut hic eſt textus apertus. Idque fatentur omnes,
ut inquit Julius Clarus *in pract.* §. *final. quaeſt.* 6. *in
princip. & quaeſt.* 21. *verſ. Fama ſola*, quia, fama

ſucce-

Digitized by Google

ſuccedit loco accuſatoris, ut dictum eſt ſupra in 8. notab.
quandoque verò fama tribuit materiam indicendi purga-
tionem canonicam, *cap Presbyter ſi à plebe*, 2. *q.* 7. *& c.*
Accedens, ſupra eodem, cum ſimilibus: quandoque tribuit
materiam ſuſpendendi à beneficio, & officio donec ſe pur-
gaverit; concurrentibus tamen requiſitis, de quibus per
Marian. Soc. in *cap. Nos inter, nu.* 3. *infra de purgat. canon.*
quandoque coadjuvat probationes jam factas, ſeu alia ad-
88 minicula, ut *c. Præterea, ſupra de teſtibus*, gradum tamen
probationis non facit, ſecundum Mar. Socin. *hic num.* 635.
quia in criminalibus probationes debent eſſe luce clariores,
ut *l. Sciant cuncti, C. de probat. c. Sciant*, 2. *q.* 8. *& c. Epipha-
nium*, 5. *quæſt.* 6. ubi probatur nec ſemiplenam facere pro-
bationem, niſi de crimine civiliter ageretur; & ſentit
gloſſa in *cap. Veniens, ii primo, in verb. Illorum de teſtibus*,
quam ait eſſe communiter approbatam Bero. *hic nu.* 78. &
hanc eſſe communem opinionem atteſtatur etiam Decius
in eodem *cap. Veniens, num.* 25. & ita etiam ſe habere com-
munem practicam affirmat Salic. in *l. Ea quidem, num.* 133.
C. de accuſ. & Berttard. *conſ.* 126. *num.* 11. *lib.* 7. quos re-
fert, & ſequitur Jul. Clarus *in pract. §. fin. q.* 21. *verſ. Fama
ſola*, ibi, Fama enim in criminalibus non probat neque
etiam ſemiplenè; unde ſine adminiculis non eſt ſufficiens
89 inditium ad torturam, & ita tenent communiter DD. ut ait
Marſil. in *l. De minore, §. Plurium, n.* 30. *ff. de queſt. & conſ.*
3. *n.* 4. *in fin.* hanc etiam dicunt communem concluſionem
Jaſ. *in rep. l. Admonendi, nu.* 207. *ff. de iureiur.* Cravet. *conſ.*
41. *n.* 6. Blanch. *ad l. fin. n.* 312. *verſ. Unde Baldus, ff. de queſt.*
Grammat. *conſ.* 42. *num.* 15. dicens ita per aſſeſſores obſer-
vari, Duen. alios referens, & communem dicens *in reg.*
300. *in* 4. *fallen. & in reg.* 301. *in princip.* & alii plurimi a-
pud Farinac. *de indit. & tortur. quæſt.* 47. *num.* 4. & quam-
vis in hoc articulo magna ſit controverſia inter Scribentes,
& Jo. Andr. ad Speculat. *in tit. de notor. crimin. §. Fama,
in verb. Veniens, circ. fin.* quem refert Marſil. in dict. *l. De mi-
nore, §. Plurium, num.* 30. *& conſ.* 72. *num.* 16. atteſtetur
contrarium ſervari de conſuetudine, ut ſcilicet fama ſola
ſit ſufficiens ad torturam, prout etiam ſe vidiſſe aliquan-
do per aſſeſſores obſervari refert Gandinus *de malef. in tit.
de queſt. num.* 39. Tamen Julius Clarus *in d. quæſt.* 21. *verſ.
Fama ſola, circa med.* dicit ſe fuiſſe ſemper ſequutum
communem opinionem, quam etiam audivit ſemper ob-
ſervari ab aliis juſtis judicibus, ut ſcilicet nunquam proce-
datur ad torturam ex ſola fama, niſi cum ea concurrat a-
liquod aliud adminiculum; & ſubdit ſe credere eam tu-
tiorem, & veriorem; & quamvis ad torquendum videa-
tur ſufficere minus quàm ſemiplena probatio, nihilomi-
nus cùm fama ſit inditium a delicto valde remotum, &
multum fallax, ut quotidiè experientia docet; putat Cla-
rus judicem tutius facturum, ſi nullo alio adminiculo con-
currente reum tormentis non ſubjiciat; in aliis autem
quàm criminalibus an fama faciat plenam, vel ſemi-
plenam probationem, diſtingue plures caſus, ut hic ple-
nè per Mar. Socin. *num.* 621. *circa fin. verſ. Circa tertium
membrum.*
90 Septimò QUÆRO, an ſtatim lata ſententia ſuper cri-
mine, prælatus intelligatur ipſo jure privatus dignitate,
vel beneficio, adeò ut beneficia hujuſmodi poſſint alteri
conſiteri.
91 Pro ſolutione Innocentius *hic num.* 10. latiùs proſequi-
tur articulum quos effectus producat ſententia, & diſtin-
92 guit plures caſus. Quandoque enim talis eſt pœna impo-
ſita ex delicto intentato, quæ ſtatim auſert libertatem:
& tunc ſtatim lata ſententia ſuper crimine non licebit con-
demnato teſtamentum condere, nec poterit ex teſtamen-
to aliquid capere, *l. Qui ultro, ff. de pœnis, l.* 1. *§. à Præ-
fecto, ff. de Legat.* 3. quod tamen fallit in his, quæ con-
demnato competerent ratione publici officii, ut prælato;
nam geſta per eum tenent, donec in officio toleratur, *cap.
Nonne*, 8. *qu.* 4. quod ſi oppoſitum diceremus, ſequere-
tur abſurdum, quia condemnatus depoſiti, vel mandati
eſt infamis, ut *l. Furti, §. penult. & ult. ff. de his, qui no-
tantur infamia*: numquid ergo dicemus propter hoc ſen-
tentias ab eo latas ulterius non valere? *c.* 1. 3. *quæſt.* 7. Ab-
ſit: omnia enim tolerantur propter officium, quod ad-
miniſtrat, *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor, cap. Servan-
dum*, 14. *diſtinct.* & prædicta ſunt vera, niſi eſſet lata
ſententia depoſitionis, vel eſſet ſpoliatus inſigniis digni-
tatis: tunc enim ſententia a tali lata non teneret, *l.* 2.

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

*§. Igitur, ff. de his, qui notantur infam. l. Cùm Prætor, ff.
de iudic.* non enim poteſt dici amodò toleratus, ſed intru-
ſus, facit *cap. Veritatis, ſupra de dolo, & contum. & c.
Tanta, infra de exceſſib. prælat.* & ex hoc infert Innoc. *d.
num.* 10. *verſ. Credimus tamen*, ut Epiſcopus diœceſanus 93
poſſit alteri conferre beneficia, quæ ſic depoſitus habet ſub
eo, *c. Multi*, 2. *quæſt.* 1. Nec obſtat *c. Super his, ſupra eo-
dem*; quia ibi loquitur, cùm probatur crimen per modum
exceptionis, quo caſu judex non poteſt ſuper alio judica-
re, *c. Licet Heli, de Simon.* Sed hic loquitur cùm probatur
per viam accuſationis, vel inquiſitionis, quo caſu per
ſententiam efficitur crimen notorium, *c. Veſtra, & cap.
Tua, de cohabit. cler. & mulier.* ex quo ſequitur, ut non 94
ſolùm beneficiis, quæ poſſidet in Diœceſi Epiſcopi pronun-
ciantis, ſed & in quacumque alia ſpoliari poſſit, *cap. Poſtu-
laſti, ſupra de foro compet.* Neque hoc contingit ex eo quod
res cum uno acta, aliis proſit, ſed quia per hoc efficitur
res notoria: unde benè ſequitur pœna ablationis beneficii,
quia ſententia non inducitur ad probandum, quod per
eam dicatur privatus, ſed inducitur ad probationem cri-
minis, ſcilicet quod ſit notorium; & ideò per talem ſen-
tentiam probaretur infamis, & à teſtimonio, vel ab ordi-
nibus repelleretur, *c. Teſtimonium, de teſtib.* & cum his
dictis Innocentii concordant hi Jo. Andr. *num.* 21. Butr.
in fin. Anchar. *num.* 39. Card. *in §. Hunc tamen, num.* 17.
& alii communiter.
Sed hic incidenter QUÆRITUR, An prælato con- 95
demnato liceat Capitulo, ſive Electoribus ad electionem
alterius procedere. Punctus quæſtionis videtur ad hoc re- 96
ſtringi, an poſt ſententiam condemnatoriam prælatus re-
maneat poſſeſſor dignitatis, & beneficii, vel privatus ſit:
ſi enim remaneat, quamvis injuſtè poſſideat, non videtur
alius poſſe deligi propter illam poſſeſſionem, *c. Cum noſtris,
de conceſſ. præben.* concludit Innoc. *eod. nu.* 10. *poſt medium,
verſ. Clerici autem*, quandoque judex pronunciat tantum-
modo ſuper delicto, puta prælatum commiſiſſe homici-
dium, quandoque pronunciat etiam ſuper pœna, ut quia
privat, vel perpetuò ſuſpendit. Primò caſu non licet alium
eligere, niſi electoribus fuerit eligendi poteſtas data. Se-
cundò autem caſu licet Canonicis eligere quando pœna,
ſuper qua eſt pronunciatum, infamiam irrogat, veluti ſi
prælatus ſuſpendatur perpetuò propter furtum, vel aliud
publicum crimen, de quo damnatus eſt: tunc enim alius in
locum ejus eligi poteſt. Et idem ſi ſola pœna ſine ſententia 97
ſuper crimine infligitur, ex qua irrogatur infamia: eviden-
tior enim eſt infamia quæ ex pœna procedit, quàm quæ ex
ſententia: ſecus verò ſi non ſuſpendatur ex tali cauſa infa-
miam irrogante, ut *cap. in loco*, 5. *qu.* 4. ſecundum Innoc.
cum quo ſimiliter concordant Jo. Andr. *d. num.* 21. *verſ.
Clerici autem*, & alii proximè citati. Quæ perpetuò com-
menda memoriæ, quia valdè utilia ſunt ad ſciendum an
quando prælatus per ſententiam eſt privatus dignitate, vel
eſt de tali crimine condemnatus, quod ſufficit ad privatio-
nem, ut electores poſſint alium eligere; an ve quando pœna
privationis ipſo jure à ſtatuto, vel à conſtitutione imponi-
tur ſtatim ſine alia ſententia declaratoria, liceat ad alterius
electionem procedere: ſolutio enim patet ex prædictis; &
facit *c. Venerabilem, de elect. cap. Ad Apoſtolica, in fin. de
re iudic. lib.* 6. *cap. Licet Epiſcopus, de præben. eod. lib.* &
quod notatur per DD. in *cap. Cum ſecundum leges, de hæ-
ret. lib.* 6. & quod ſcripſi in *c. Ad abolendam, à num.* 28.
uſque ad nu. 44. *infr. eod. tit.* Quot autem ſint genera pœ-
narum de jure canonico, & quam proportionem habeant
cum pœnis de jure civili impoſitis, latiſſimè hic proſequi-
tur Innocentius *à nu.* 6. cui Jo. Andr. *nu.* 18. & cæteri om-
nes ſubſcribunt, & adde Hoſt. *in ſumma, de pœnis, §. Quot
ſint ſpecies pœnarum, ut §§. ſeqq.*
Ultimò QUÆRO in §. *Hunc tamen ordinem*, quot 98
ſint ſpecialia in inquiſitione, quæ formatur contra regu-
lares.
Solutio. Ex hoc §. tria ſpecialia colliguntur ſecundùm
Mar. Socin. *hic num.* 52. Primùm ſpeciale eſt, quia in 99
inquiſitione, quæ fit contra eos, ordo juris non eſt ſer-
vandus uſquequaque, ut dicitur in litera, id eſt omnino,
ſecundùm Cardin. in hoc §. *in princip.* ſeu ad unguem ſe-
cundùm Jo. Andr. & omnes *in ſumm. textus*. Et hoc intel-
ligas quoad ſubſtantialia judicii: hæc enim in cauſis regu-
larium aliquatenus remittuntur, non autem quoad verita-
tis probationé, nam illa nequaquã omittenda eſt, ut in Clem.

Digitized by Google

Sæpè, de verb. ſignif. unde Hoſt. *hic num.* 24. *circa fin.* & Jo. Andr. *num.* 31. exponunt verbum, *uſquequaque*, ideſt ad unguem quoad ſubtilitates, licet non ſit veritas omittenda: & adde Feder. de Senis *conſ.* 105. *Conſueverunt viſitatores*, & Lapum *allegat.* 73. incipien. *Prælatus regularis*,
100 *num.* 5. *verſ. Item huiuſmodi*. Secundum ſpeciale eſt, quia facilius poſſunt removeri regulares ab adminiſtrationibus, quàm ſæculares prælati, unde leviores cauſæ, & leviores probationes videntur ſufficere ſecundum Hoſt. *num.* 23. *in fin. in ver. Facilius*, & Jo. Andr. *num.* 31. *in eod. verb.* & hoc denotat idem *verb. Facilius*, poſitum hic in textu.
101 Tertium ſpeciale eſt, quia contra regulares, non recipiuntur tot exceptiones, ſicut contra ſæculares, nec in ipſis exceptionibus neceſſe eſt ſervare ordinem ad unguem, ſecundùm Hoſtien. Jo. Andr. & Mar. Socin. proximè citatos, & hoc denotat *ver. Liberius*, poſitum *hic in fin.* & 102
prædicta intellige de prælatis, qui per electionem canonicam inſtituuntur, non autem de prioribus & officialibus minoribus, quia tales ad libitum Abbatis ſine ulla cauſa, & nullo juris ordine ſervato à ſuis adminiſtrationibus removeri poſſunt, ut dixi ſupra *num.* 53. & ſcripſit pleniùs in *cap. Cum ad monaſterium*, §. *Tales*, *à num.* 23. *uſque ad nu.* 43. *ſupra, de ſtatu monach. & in cap. Per tuas*, *il primo*, *nu.* 8. *& num.* 41. *&* 45. *infra de Simonia*.

DE ACCUSATIONIBUS,

Idem Innocentius III. in eodem Concilio generali.

CAPUT XXV.

Sicut olim à ſanctis Patribus noſcitur inſtitutum: Metropolitani ſingulis annis, cum ſuis ſuffraganeis, Provincialia non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis exceſſibus & moribus reformandis, præſertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum: Canonicas regulas, maximè quæ ſtatutæ ſunt in hoc generali Concilio, relegentes, ut eas faciant obſervari, debitam pœnam tranſgreſſoribus infligendo. Ut autem id valeat efficaciùs adimpleri, per ſingulas diœceſes ſtatuant perſonas idoneas, providas videlicet & honeſtas, quæ per totum annum, ſimpliciter & de plano, abſque ulla juriſdictione, ſolicitè inveſtigent, quæ correctione vel reformatione ſunt digna: & ea fideliter perferant ad Metropolitanum & ſuffraganeos, & alios in Concilio ſubſequenti: ut ſuper his & aliis, prout utilitati & honeſtati congruerit, provida deliberatione procedant: & quæ ſtatuerint, faciant obſervari: publicaturi ea in Epiſcopalibus ſynodis annuatim per ſingulas diœceſes celebrandis. Quiſquis autem hoc ſalutare ſtatutum neglexerit adimplere, à ſui executione officii ſuſpendatur.

S V M M A R I V M.

1 *Concilium provinciale celebrare tenentur Metropolitani ſingulis annis de iure communi, & num.* 19.
2 *Teſtes ſynodales per ſingulas Diœceſes deputari debent in qualibet provinciali Concilio.*
Quod ſit eorum officium, & poteſtas, ibid. & nu. ſeqq. & num. 6.
3 *Quibus qualitatibus præditi eſſe debeant.*
Et in quibus differant à teſtibus ſynodalibus deputandis in Synodo diœceſana, num. 5.
4 *Arcana Regni alieni ſcrutari non convenit.*
6 *Teſtes ſynodales in provinciali Concilio deputandi non requiritur ut ſint iurati.*
7. *Si ſint de loco, ubi inquirunt, propriis ſumptibus vivere debent.*
8 *Sin minus à quo ſint procurandi.*
9 *Sumptus habere debent moderatos, ſed non poſſunt aliquem coercere.*
10 *Synodum diœceſanam Epiſcopi tenentur cogere ſingulis annis, & in ea publicare ſtatuta provincialis Concilii, & num.* 109.
11 *Et legitimè impediti poſſunt illam celebrare per Procuratorem, vel Vicarium generalem.*
12 *Requiritur tamen ſpeciale mandatum.*
13 *Concilia provincialia quibus ex cauſis olim à Sanctis Patribus inſtituta fuerint.*
14 *Ad Metropolitanum ſpectat provinciale Concilium indicere, convocare, & celebrare.*
15 *Etiam ſine auctoritate Primatis, ſeu Patriarchæ.*
16 *Et Metropolitano impedito, ad Coepiſcopum antiquiorem.*
17 *Et idem ſede Metropolitana vacante.*
18 *Et antiquior dicitur Epiſcopus, qui eſt antiquior inter comprovinciales, non autem exemptus, licet ſit comprovincialibus antiquior.*
19 *Concilium provinciale quoties, & quando ſit celebrandum, & num. ſeqq.*
20 *Quid ex Concilio Nicæno.*
21 *Quid ex Concilio Chalcedonenſi.*
22 *Et quid ex Concilio Lateranenſi noviſſimo, & Tridentino.*
23 *Indulgetur Archiepiſcopo Limano in Indiis ob nimiam Suffraganeorum diſtantiam, ut Concilium provinciale ſexto quoque anno celebrare valeat.*
24 *In Concilio quolibet provinciali indicendus eſt dies futuri Concilii.*
25 *Formula litterarum indictionis remiſſivè.*
26 *Concilium provinciale fieri debet in loco proportionato reſpectu eorum, qui convenire debent.*
27 *Et electio loci ad Archiepiſcopum pertinet, qui concurrentibus neceſſariis Eccleſiam Metropolitanam relinquere non debet.*
28 *Concilio provinciali qui teneantur intereſſe.*
29 *Et quo ordine ſedere debeant, & num. ſeq.*
30 *In Epiſcopis attenditur tempus ordinationis, non dignitas Eccleſiarum, vel earum ordo, & præeminentia.*
31 *In Concilio provinciali qui votum habeant deciſivum, vel conſultivum, & num.* 34.
32 *Votum prius dandum ab iis, qui inferioris ordinis ſunt.*
33 *Metropolitano, & Suffraganeis diſcrepantibus quænam ſententia prævalere debeat, & num. ſeq. & numer.* 104.
35 *In Concilio provinciali quæ ſint tractanda, & ſtatuenda, & quæ ſit illius authoritas, & iuriſdictio, nu. ſeq. uſque ad num.* 97.
36 *Decreta Concilii Tridentini recipienda.*
Et perlegenda, num. 39. *&* 71.
37 *Hæreſes anathematizandæ.*
38 *Fidei profeſſio facienda.*
40 *Exceſſus corrigendi, & controverſiæ componendæ, & num.* 61.
41 *Querelæ etiam contra Metropolitanum recipiendæ, & terminandæ, & num.* 46.
42 *Si cauſæ expediri non poterunt, iudicibus deputatis committendæ.*
43 *Contra Epiſcopos etiam ex officio inquirendum, & ſuper quibus, & num.* 50. *&* 59.
44 *De gravioribus cauſis Epiſcoporum non cognoſcendum.*
45 *Sed ſummariæ informationes ſumi poterunt ad Papam tranſmittendæ.*
46 *Minores cauſæ qualiter recipiendæ, & terminandæ etiam contra Metropolitanum, & num. ſeq.*
47 *Epiſcopis tantum committendæ, niſi ex cauſa Concilium aliter iudicaverit.*
48 *Negotia indefinita extra ſynodum non committenda*
niſi

Digitized by Google

niſi in caſibus in Iure, & in Concilio Tridentino expreſſis.

49 *A deputatis à Concilio appellandum ad Primatem Patriarcham, vel Papam.*

51 *Ab examinatoribus ſynodalibus officii ratio reponenda.*

52 *Cauſæ inferiorum clericorum minus propriè ad provinciale Concilium pertinent.*

53 *Cauſæ vertentes in prima inſtantia coram Suffraganeis quando in Concilio eractandæ.*

54 *Introductæ coram Ordinarius in prima inſtantia non avocandæ.*

55 *Sed pendentes coram Archiepiſcopo avocari poterunt.*

56 *Appellari poteſt ab Ordinario ad Concilium provinciale omiſſo Archiepiſcopo, & ab ipſo Archiepiſcopo ad Concilium, ſed non è converſo.*

57 *Viſitationem diœceſis, quam Epiſcopi impediti facere poſſunt per ſuos generales Vicarios, Concilium provinciale ſuſpendere non poteſt.*

58 *Procedit in cauſis criminalibus contra Proviſores, ſeu Vicarios Generales etiam Archiepiſcopi.*

60 *Pauperum querelas contra quoſcumque iudices, & potentiores recipit.*

61 *Poſt cauſas, & controverſias ad correctionem, & reformationem procedet.*

62 *Vt Seminaria in diœceſi vel provincia erigantur, & ſalubriter ordinentur, providebit.*

63 *Formam inſtructionis pro promovendis ad Cathedrales Eccleſias præſcribet arbitrio Papæ approbandam.*

64 *Cognoſcet de cauſis, ob quas Eccleſiæ Suffraganeorum à Metropolitano viſitari debent.*

65 *Præſcribet formulam ad debitum in divinis officiis regimen.*

66 *Formam examinis per concurſum obſervandam curabit, ſcietque ſibi à Pio V. ademptam facultatem eidem formæ aliquid addendi, vel minuendi.*

67 *Expendet ſi quæ Cathedrales ſint uniendæ, & redditibus augendæ, & confecta inſtrumenta ad Papam tranſmittet.*

68 *De abuſibus, & quæſtionibus circa imagines, & reliquias Sanctorum iudicabit, & qualiter.*

69 *In Capitulorum generalium defectum circa regularium reformationes providebit, & num.90.*

70 *Abuſus circa indulgentias ad Papam deferc.*

72 *Decretum de matrimoniis clandeſtinis in ſingulis Parochiis publicari præcipiet.*

73 *Iudices ſynodales deſignabit.*

74 *Item Iudices, qui de alienationibus etiam à Sede Apoſtolica confirmatis, iudicent.*

75 *Maiorem auctoritatem habet Synodus provincialis ex Concilio Tridentino, quam de iure communi.*

76 *Contra ius regulariter ſtatuere non poteſt, ſed ſolum præter ius, & n.78.*

78 *De rebus fidei, & maioribus cauſis non poteſt quicquam tractare, vel diffinire.*

79 *Suis decretis poteſt adiuvare ius commune, pœnas novas addendo, vel antiquas augendo.*

80 *Abſtinere debet à novis decretis, quæ iure communi & Pontificiis conſtitutionibus minus conſonant, etiam in caſibus à iure permiſſis.*

81 *Supplere debet ubi per antiquos Canones, vel ultimum generale Concilium non eſt ſufficienter proviſum.*

82 *In quæſtionibus controverſis a diffinitionibus abſtinebit, præſertim circa ſacramenta, cenſuras, & alios conſcientiæ caſus, & num. 91.*

83 *Cauſam non ſummariam non poteſt ſummariam efficere, nec inſtantiam facere breviorem.*

84 *Nec appellationes prohibere.*

85 *Nec ordinem iudicii prætermittere.*

86 *De iuriſdictione eccleſiaſtica, & ſæculari conſultius erit nihil ſtatuere.*

87 *Exemptos non ligat ſuis decretis, niſi in caſibus, in quibus Epiſcopis, vel Concilio poteſtas in eos tributa eſt.*

88 *Cum capitulis exemptis, & Regularibus, quomodo ſe gerere debeat.*

89 *Quoad monaſteria exempta Epiſcopi ſunt executores eorum, quæ continentur in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de regular.*

90 *Et eorum negligentia ſupplebit ſynodus provincialis.*

91 *Explicabit quæ ſcitu ſunt neceſſaria circa ſacramenta, & clericorum functiones.*

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

92 *Adhortationes frequentes interſeret in his, quæ ſub iuriſdictione ipſius non cadunt.*

93 *Concilii provincialis decreta quo ſtylo ſint conſcribenda.*

94 *A Metropolitano, & Epiſcopis ſubſcribantur ſub correctione Sedis Apoſtolicæ.*

95 *Ad quam in unum volumen redacta pro emendatione, & approbatione tranſmittantur.*

96 *His additis quæ ſynodus iudicabit Sanctiſſimo proponenda pro felici profectu provinciæ.*

97 *In Concilio provinciali quæ ſit Metropolitani auctoritas, & num.ſeqq. uſque ad num.105.*

98 *Diſſolvere non poteſt Concilium ſine conſilio, & aſſenſu Coepiſcoporum, ibid.*

Nec cuſpiam ſilentium indicere, aut alia hic expreſſa facere ſine eorum conſilio, & aſſenſu.

99 *Poteſt tamen mandare, ne quis loquatur extra locum, aut ſynodum perturbet.*

100 *An, & quando poſſit cognoſcere cauſas ſuffraganeorum, vel eis ſubiectorum.*

101 *Contra Epiſcopos uſurpantes in Concilio vel extra illius iuriſdictionẽ non poteſt procedere niſi extra Conciliũ.*

102 *Non poteſt viſitare ſuffraganeos niſi cauſa cognita, & probata in Concilio provinciali.*

103 *Nec ſufficit, ut Concilium declaret eum poſſe viſitare eo quod adſint querelæ contra Epiſcopos.*

104 *Metropolitanus, & Epiſcopi in Concilio provinciali ſunt coniudices.*

105 *Metropolitani, & Epiſcopi negligentes cogere provincialem, vel diœceſanam ſynodum qua pœna ſint puniendi, & num.ſeqq.*

106 *Suſpenduntur ab executione officii non ipſo iure, ſed per ſententiam.*

107 *Nec aliquid novi induxerunt Concilium Lateranen. & Trident. & num.109.*

108 Incurrat *verbum eſt latæ ſententia niſi habeat relationem ad antiquas pœnas, quæ requirant ſententiam hominis, & num.ſeq.*

109 *Synodum diœceſanam Epiſcopi negligentes celebrare infra ſex menſes, & in ea publicare decreta provincialis Concilii incurrunt pœnam ſuſpenſionis duorum menſium.*

110 *Et qui verentur accedere mittant procuratores ad ſe excuſandum, non impediti cogantur, & fiat ſynodus cum iis, qui poſſunt venire, & veniunt.*

111 *Ad Concilium provinciale Epiſcopi non accedentes quas pœnas incurrant.*

112 *Et quæ ſint legitima impedimenta non accedendi remiſſivè.*

S*icut olim*. Metropolitani, ad correctionem exceſ- 1
ſuum, & reformationem ſingulis annis facere debent provinciale Concilium, in quo ſtatuere debent per ſingulas diœceſes perſonas idoneas, quæ ſolicitè inveſtigent, & in ſequenti Concilio referant corrigenda: & Epiſcopi facere debent ſynodus Epiſcopales ſingulis annis, & publicare agitata in Concilio provinciali: & hæc negligentes ab executione officii ſuſpenduntur. Hoc dicit in ſumma, ſecundùm Abb. Mar. Socin. Jo. de Anan. & Felin. Dividitur in tres partes. Prima providet de provinciali Concilio, & de agendis in illo. Secunda de teſtibus ſynodalibus & ipſorum officio. Tertia de pœna hoc non ſervantium: & obiter interſerit de Epiſcopalibus ſynodis: ſecunda ibi, *ut autem*; tertia ibi, *Quiſquis*.

Nota primò ibi, *ſingulis annis*. Metropolitanos hoc jure inſpecto teneri quotannis celebrare provinciale Conciliũ: hoc tamen, (ut inquit Hoſt. *hic in princ.*) parvi Metropolitani ſervant, quia aliqui nunquam iſtud Concilium celebrant, alii vix ſemel in vita ſua, & qui melius faciunt de biennio in biennium: allegat *c. Propter eccleſiaſticas*, 18. *diſt.* Sed ſecundùm Card. & Jo. de Anan. ille textus non dicit ſemel in biennio, ſed bis in anno. Utcumque tamen ſit hodie, & malè hujuſmodi Concilia communiter non celebrantur, ut per Abb. *in 2. not.* & Felin. *in princ.* Unde dicit Ancb. quia Prælati in hoc malè ſe gerunt, cùm de jure teneantur; ideò malè tractabuntur, prout eis referunt Jo. de Anan. & Fel. *hic in princ.* Dixi *hoc iure inſpecto*, quia hodie celebrari debent de triẽnio in trienniũ, ut dicam infra *in* 3. *q.*

2 Secundò nota ibi, *ſtatuant*. In quolibet provinciali
Concilio deputandos eſſe per ſingulas diœceſes aliquot per-
ſonas, quæ per totum annum, & hodie per totum trien-
nium ſolicitè inveſtigent quæ correctione, vel reforma-
tione ſunt digna, & ea fideliter perſerant ad Metropolita-
num, & ſuffraganeos in ſequenti ſynodo provinciali, ut
in littera. Atque ita ſunt iſti quaſi teſtes ſynodales nullam
juriſdictionem habentes, & vocantur Inquiſitores, ut
hic in gloſ. *ult.* ſeu Viſitatores ſecundùm Hoſt. *num.* 4. &
à Legiſtis appellantur Denunciatores, de quibus hic plu-
3 ra per Felin. *in primo*, *& ſeqq.* Et pondera qualitates,
quas habere debent. Requiritur enim ut ſint idonei, &
providi, ut procul videant, & de notorijs, & de mani-
feſtis inveſtigent de plano interrogando ſeniores, & hone-
ſtiores. Item ut ſint honeſti, ne corrupti aliquem falsò
infament, vel deferant; *cap. Nemo, infra de ſimonia*; &
4 melius eſt, ut ſint de eadem diœceſi, quàm de extranea,
argum. *cap. Quia propter, de elect. ibi*, *tres de Collegio fide
digni*: nam alieni regni arcana ſcrutari non convenit, *l.*
4. *poſt princip. Cod. de commer. & mercat.* Et quia præſu-
muntur citius percipere veritatem, argum. *cap. Quoſdam
ſupra de præſumpt. cap. Quante, & cap. Veniens, il ſecun-
do, ad finem de teſtibus*: & ideò aliis ſunt præferendi, *cap.
Videtur ſupra, Qui matrim. accuſ. poſſ.* Hoſtien. *hic num.*
5. Jo. And. *eod. num.*

5 Similes Inquiſitores, ſeu Denunciatores deputandi
ſunt ab Epiſcopo in diœceſana ſynodo, ut in *cap. Si Epi-
ſcopus in ſynodo*, 35. *quæſt.* 6. Sed alii ſunt hi, quam illi,
& tam primi, quam ſecundi ſtatui debent, ſecundùm
Hoſtien. Jo. And. *num.* 4. *in verb. Statuant*. Hæc tamen
differentia quod primi, de quibus loquitur hæc Decreta-
lis, ſtatui debent a Præſidentibus Concilio Provinciali;
ſecundi vero à ſingulis Epiſcopis in eorum ſynodis, ſecun-
6 dùm eos. Item primi non requiritur ut ſint jurati, cùm
de hoc nihil dicatur in littera, ſed ſufficit, ut ſint providi,
& honeſti, & tales, quibus meritò ſit credendum, licèt
ſi juramentum exigatur, non ſit improbandum, ſecun-
dùm Hoſt. *num.* 6. *in verb. Juriſdictione*, & Joan. Andr. *n.*
11. At ſecundi præſtant juramentum ad præſcriptum dict.
cap. Epiſcopus in ſynodo, 35. *q.* 6.

7 Demum Inquiſitores, de quibus hic, ſi ſunt de loco,
ubi inquirunt, vivent de proprio ſicut vocati in partem
8 ſolicitudinis, *cap. Qui ſe*, 3. *qu.* 6. Sed ſi mittantur Dele-
gati, mittens procurabit illos, ut in Auth. *De mandat.
Princip.* §. *Illud quoque*, & in Auth. *Inſuper. Quod præſtat ab
his*, §. 1, *col.* 2. ſecundùm Vincent. hic relat. à Joan. Andr.
num. 10 Verùm ſecundùm Hoſtien. *num.* 6. Procurabun-
tur iſti a Parochis, ad quos divertent: neque enim cogun-
tur propriis ſtipendiis militare, *cap. Cum ex officii, ſupra
de præſcript. cap. Iam nunc*, 28. *quæſt.* 1. Nec officium ſuum
debet eis eſſe damnoſum, argum. 4. *quæſt.* 3. §. *Venturis*.
9 Sumptus tamen debent habere moderatos, ſed non poſ-
ſunt aliquem coercere cùm juriſdictione careant, ſed de-
bent referre Epiſcopo, ut ipſos coerceat, quia ſaltem ad
hoſpitalitatem tenentur, ut leg. & not. in *cap.* 1. *ſupra de
contrah. empt.* ſecundum Hoſtien. *eod. num.* 6. At verò de-
nunciatores eligendi in diœceſana ſynodo non videntur à
quoquam eſſe procurandi, quia eliguntur ſeptem, & eò
amplius de qualibet parochia, ut in *cap. Epiſcopus*. Unde
applicatur ratio Vincentii, de qua ſupra *num.* 7. Quod vi-
vere debeant de proprio ex quo aſſumuntur de loco, ubi
inquirunt.

10 Tertiò nota ibi, *annuatim celebrandis*. Epiſcopos te-
neri ſingulis annis cogere diœceſanam ſynodum, & in
ea publicare ſtatuta provincialis Concilii: quod ſi legiti-
11 mis de cauſis eſſent impediti, poſſent ſynodum celebrare
per procuratorem, vel Vicarium Generalem, ut S. Con-
gregatio declaravit, cùm Concilium Tridentinum *cap.* 2.
verſ. Synodi quoque, *ſeſſ.* 24. imperſonaliter loquatur, &
de jure firmat Henric. Botthæus *de ſynodo Epiſcopi part.* 2.
12 *quæſt.* 1. *in princip.* Requiritur tamen ad hoc ſpeciale man-
datum, ut ibi per eum *num.* 2.

Ultimò nota ex fine litteræ pœnam non celebrantium
ſtatis temporibus provincialem, vel diœceſanam ſyno-
dum, de quo latiùs dicam in 10. quæſtione.

Quoniam hic agitur principaliter de ſynodo provincia-
li, opportunè inferendam duxi quandam de ipſa ſynodo
veluti tractationem præcipuè ex decretis Tridentini Con-
cilii, & S. Congregationis declarationibus excerptam, &
per quæſtiones exaratam, ut uſui eſſe poſſit ad multorum
utilitatem.

Primò igitur QUÆRO, ex quibus cauſis Epiſcoporum 13
Concilia à SS. Patribus olim inſtituta fuerint.

Solutio. Conveniebant olim in unum Epiſcopi, ut de
incidentibus caſibus fieret diſceptatio, & ſalubris de Ec-
cleſiaſtica obſervatione collatio, quatenus, & præterita
corrigerentur, & regulam futura ſuſciperent, Gregor.
lib. 12. *cap.* 31. *& lib.* 7. *cap.* 110. In quibus conventibus
præcipuè tractabatur de corrigendis exceſſibus, & mori-
bus reformandis, præſertim in Clero, de controverſiis
componendis, de tollendis abuſibus, de inducenda obſer-
vatione ultimi Concilii Generalis, deque Eccleſiaſtica di-
ſciplina ſenſim reſtituenda, ut patet hic in textu, & *diſt.*
18. *per totam*. Hæc autem ferè præſtabantur, canonicas
regulas, maximè quæ in ultimo generali Concilio ſtatutæ
eſſent, relegendo; debitas pœnas tranſgreſſoribus infligen-
do; Juſtitiam expeditè ſingulis eam poſcentibus miniſtran-
do; ea, quæ in poſtremo Concilio ſpecialiter mandata
fuiſſent exequendo; nonnulla etiam ad majorem, faci-
lioremque obſervationem ſacrorum Canonum per mo-
dum regulæ dirigendo, ac prout rerum, & perſonarum
qualitates poſtulant erudiendo, comminando, & exhor-
tando, ut hic & in dict. *diſtinct.* 18. & de origine hujus
inſtitutionis adde Concilium Lateranen. noviſſimum ſub
Leone X. *ſeſſ.* 10. *in Conſtitut.* quæ incipit, *Regimini circa
finem*, §. *Maturè quoque conſiderantes*, *tom.* 4. *Concilio-
rum*, *par.* 2. *pag.* 99. *col.* 1. quæ eſt repetita in Bullar. *tom.* 1.
pag. 482. §. 12.

Secundò QUÆRO ad quem ſpectet provinciale Con- 14
cilium indicere, convocare, & celebrare.

Solutio. Dic ad Metropolitanum hoc munus pertine-
re, ut hic, & in *cap. Si Epiſcopus cum duobus ſequentibus*
18. *diſtinct. & in cap. Quod ſicut*, §. *Præterea*, *ſupra de
elect.* etiam ſine auctoritate Primatis, ſeu Patriarchæ, 15
cap. De Conciliis, & ibi Præpoſ. *num.* 2. *eadem diſtinct.* 18.
Henric Botthæus *de ſynodo Epiſcopi*, *p. par. quæſt.* 6. *num.*
20. Et Metropolitano legitimè impedito id munus perti- 16
net ad Coepiſcopum antiquiorem, ut in Concilio Tri-
dentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. Idemque dicendum ſede Me- 17
tropolitana vacante, ut per Archid. & Gemin. in *cap.
Placuit*, *num.* 2. Bellam. & Turrecrem. in *cap. Propter
eccleſiaſticas*, *num.* 8. & Præpoſ. in *cap. De Conciliis*, *in* 3.
not. 18. *diſt.*

Sed dubitatum fuit quis eſſet Epiſcopus antiquior, nem- 18
pe an antiquior comprovincialis, vel Epiſcopus exemptus,
ſi ipſe ſit comprovincialibus antiquior. Dubium ingere-
bat Breve Sanctiſſimi ad Cardinalem Epiſcopum Burgen.
qui ſynodum Toletanam, cui adhæret, elegit, licèt ex-
emptum quoad ea, quæ antiquitatem, & prælationem
in ipſa provinciali ſynodo concernerent, pari cum reli-
quis ejus ſynodi Epiſcopis jure cenſeri, & ſi promotio ſua
in Epiſcopum aliorum Epiſcoporum provinciæ Toletanæ
antiquior exiſtat, illam ſynodum ipſe, Archiepiſcopo im-
pedito, cogere, eique præſidere, & alia quæ in ea parte
ad Epiſcopum, aut illo abſente, vel impedito, ad Coepi-
ſcopum antiquiorem juxta dicti Concilij decreta perti-
nent, facere, gerere, & exequi poſſe, & debere perinde ac
ſi alias ſuffraganeorum ipſius Archiepiſcopi antiquior eſſet,
prout in hac parte exiſtit. Sed hujuſmodi Breve S. Congre-
gatio cenſuit intelligendum quoad intereſſentiam Concilii
provincialis tantùm, & receptionem decretorum ejus, non
quoad reliqua, conſiderata mente Concilii in eo decreto,
in quo dum ſtatuitur, ut exempti teneantur eligere ali-
quem Metropolitanum, declaratur etiam quare id facien-
dum ſit, ut ſcilicet in ejus ſynodo ſimul cum aliis interſint,
& quæ ibi ordinata fuerint, obſervent, in reliquis omnibus
eorum exemptiones, & privilegia expreſſim præſervando.
Unde quemadmodum Concilium præter intereſſentiam
ſynodi, & obſervationem ſtatutorum illius, ad quæ
obligat exemptos eam ſynodum eligentes, in reliquis
eorum privilegia ſuffraganeorum tacite conſervare vi-
detur.

Tertiò QUÆRO quoties, & quando provinciale 19
Concilium ſit celebrandum.

Solutio. Secundùm antiquam regulam celebrari debe- 20
bat bis in anno per ſingulas provincias, *cap. Pervenit* 18.
diſtinct. Semel quidem ante diem Quadrageſimæ: ſecun-
dum verò circa Tempora Autumni, ut in *cap. Habeatur*

ead.

Digitized by Google

ead. diſt. & quamvis in cap. ſeq. dicatur ſemel eſſe convocandum poſt tertiam hebdomadam Paſchæ, & ſecundum Idibus Octobris: tamen primus Canon cùm ſit Nicæni Concilii propter majorem autboritatem præjudicat ſecundo, ut notat gloſ. 1. Archidiac. & Præpoſ. *in d. cap. Habeatur*. Vel certè ſecundum eos iſti Canones loquuntur ſecundum diverſas conſuetudines. Unde congruè dici poteſt eſſe in optione Archiepiſcopi ſynodum convocare ante Quadrageſimam, vel inter Paſcha, & Pentecoſtes,
21 ut ibi per Præpoſ. *num.4.* Sed poſtea in ſexta ſynodo univerſali antiqua Conſtitutio fuit correcta, ac propter fatigationem, & ut opportunè haberentur ad iter agendum, qui congregandi erant, à ſanctis Patribus diffinitum fuit, ut omnibus modis hoc Concilium fieret ſemel in anno, ut *in cap. Quoniam quidem, ead. diſt.* & hoc ſtatutum ſextæ ſynodi innovatur hic à Concilio generali, ut in gloſ. prima, & præcipitur obſervari *in cap. Cum ſit, inf. de Iudæis*. Sed & ſecundum leges civiles Patriarchæ, & Metropolitani tenebantur Epiſcopos Comprovinciales ſemel, aut bis in anno ad ſe convocare, ut in Authent. *de Sanctiſs. Epiſcopis, cap.* 10. §. *Vt autem omnis Eccleſiaſticus ſtatus, col-*
22 *lat. 9.* Verum quia neque hoc ſervabant Metropolitani, ut dixi ſupra in primo notab. Idcirco in Concilio Lateranenſi noviſſimo ſub Leone X. *in loco ſupracitato in fine primæ quæſtionis*, antiqua jura fuerunt correcta, & ordinatum fuit, ut de cætero provincialia Concilia fierent ſingulis trienniis. Sed & Tridentinum Concilium *ſeſſ. 24. cap. 2.* ſtatuit, ut *Metropolitani intra annum ad minus à fine ipſius Concilii: & deinde quolibet ſaltem triennio poſt octavam Paſchæ Reſurrectionis, ſeu alio commodiori tempore pro more provinciæ non prætermittant ſynodum in provincia ſua cogere*. Hæc ibi. Et pondera illam dictionem, *ſaltem*, quæ innuit Metropolitanum poſſe infra triennium etiam pluries ſynodum convocare, ſi rationabilis cauſa ſubſit, ſicut olim etiam poſt ſextam ſynodum celebrari poterat bis in anno, ſi neceſſitas cogebat, ut notat Præpoſ. *in cap. De Conciliis, num.6.* 18. *diſt.* Henric. Botthæus *de ſynodo Epiſcopi in prima parte num.54.* Ultra triennium, tamen protrahi non debet, ut *in d. c. 2.*

23 Cæterum cùm Archiepiſcopus de Lima trium Regum in Indiis conquereretur ſe non poſſe, juxta decretum *d. cap. 2. ſeſſ.* 24. celebrare ſynodum provincialem ob nimiam ſuffraganeorum diſtantiam ad decies fere centena paſſuum millia. Et S. Congregatio Concilii cenſuiſſet terminum cogendi Concilium provinciale de licentia Sanctiſſimi poſſe prorogari ad alios tres annos, ut ſingulis ſexenniis celebrari debeat: Sanctiſſimus annuit.

24 Porrò ex canone Concilii Toletani IV. ſtatutum eſt, ut quæ ſynodus deinceps futura eſſet, ejus conſtitutus dies denunciaretur, indicareturque in ſynodo, quæ illam ordine ſequentem proximè antecederet. Et hunc morem laudabilem ſervat Eccleſia Mediolanenſis in indictione provincialis Concilii, ut *tom. 4. Concilior. part. 2. pag.* 547. *col.2. litt.B.* & utinam ſervarent Archiepiſcopi omnes, quia ſic indictione adſtricti celebrationem ſynodi ad bonum regimen Eccleſiarum tam utilem, & neceſſariam
25 non prætermitterent. Formula autem litterarum indictionis Concilii habetur in fine actorum Eccleſiæ Mediolan. *eodem tom.4. part.2. pag.564. col.2.*

26 Quarto QUÆRO, Ubi ſit congregandum provinciale Concilium.

Solutio. In Congregationibus Conciliorum haberi debet ratio, ut hi qui vocandi ſunt, non fatigentur propter diſcrimina itinerum, ut *c. Quoniam quidem*, 18. *diſt.* Debent enim fieri hujuſmodi Congregationes, & Conventus in loco non multum remoto, imò proportionato reſpectu eorum, qui debent convenire, ut ibi notat Præpoſitus *n.1.* & Henric. Botthæus *de Synodo Epiſc. part. 1. quæſt. 10. num.56.*

27 Et cùm dubitatum fuerit ad quem ſpectet electio loci pro Synodo provinciali celebranda: S. Congregatio cenſuit ſpectare ad Archiepiſcopum, qui tamen ceſſantibus juſtis impedimentis, Metropolitanam Eccleſiam, modò in ea adſint commoditates ad id neceſſariæ, relinquere non debet.

28 Quintò QUÆRO, Quinam provinciali Concilio intereſſe teneantur.

Solutio. De Metropolitano, & Epiſcopis ſuffraganeis, ſeu comprovincialibus non eſt dubium, ut hic, *& in cap. Quoniam quidem, cap. Si Epiſcopus, cap. Placuit, & cap. Si quis Epiſcoporum*, 18. *diſt.* De aliis verò, & præcipuè de Capitulis Cathedralium Eccleſiarum ſunt opiniones Doctorum in *cap. fin. ſupra de his quæ fiunt à Prælatis, & in c. Grave, de præbend.* ut per Præpoſit. *in cap. Propter Eccleſiaſticas, il primo, num.9. eadem diſtinct.* Tu dicas, ut plenè ſcripſi in *dict. cap. final.* & adde quod dicam in duabus quæſtionibus proximè ſequentibus.

Sextò QUÆRO, quo ordine ſedere debeant Epiſcopi, 29
& alii in provinciali Concilio.

Solutio. Epiſcopos ſecundum ordinationis ſuæ tempus 30
ſive ad conſedendum in Concilio, ſive ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re ſua attendere loca decrevit Gregorius, ut in *cap. fin.* 17. *diſtinct.* conſervato Metropolitani primatu, ut in *cap. Placuit*, 18. *diſtinct.* Unde cùm fuerit quæſitum, An in Conciliis provincialibus quoad Epiſcoporum præcedentiam attendendum ſit tempus ordinationis, vel dignitas Eccleſiarum, vel earum ordo, & præeminentia: S. Congregatio Concilii cenſuit attendendum tempus ordinationis Epiſcoporum. De Capitulis verò Cathedralium Eccleſiarum, Abbatibus, Commendatariis, Dignitatibus, & Capitulorum Deputatis dic, ut ſcripſi in *cap. fin. in ult. q. de his quæ fiunt à Prælatis*.

De ordine autem ad celebrandum provinciale Concilium vide Pontificale Romanum ſub tit. De ordine ad Concilium provinciale celebrandum, & noviſſimè Cerem. Epiſcoporum *lib.1. cap.22.*

Septimo QUÆRO, qui votum habeant deciſivum, 31
vel conſultivum in ſynodo provinciali.

Solutio. Non omnium, qui ſynodo interſunt idem eſt ſuffragium: Nam Metropolitanus, & Epiſcopi tantum votum habent deciſivum. Abbates verò, Commendatarii, Capitolares, Capitulorumque Deputati vocem habent dumtaxat conſultivam, Innoc. & DD. communiter in *cap. Grave, ſupra de præbend.* Abb. *in cap. fin. num. 2. de his, quæ fiunt à Prælat.* Præpoſitus *in cap. Propter Eccleſiaſticas, il primo, num. 9. verſ. Vel aliter*, 18. *diſtinct.* Sed Epiſcoporum procuratores poſſunt ex ſententia S. Congregationis, ſi Concilio provinciali placuerit, etiam deciſivam habere. Laici verò, qui ex eadem S. Congregatione ad provinciale Concilium invitati, intereſſe poſſunt, in eo vocem conſultivam habent. Et poteſt unuſquiſque ex iis, qui ſynodo interſunt, ad eam referre de his,
quæ ibi ſunt pertractanda. Et votum prius dandum eſt ab 32
iis, qui inferioris ordinis ſunt.

Octavo QUÆRO, Diſcrepantibus ſententiis inter Me- 33
tropolitanum, & Epiſcopos ſuffraganeos, quænam ſententia prævalere debeat.

Solutio. Dubitavit olim Epiſcopus Ulixbonen. quando in Concilio provinciali Metropolitanus eſt unius ſententiæ: ſuffraganei autem omnes ſunt alterius, cuira prævaleat, & num Sanctiſſimus ſit conſulendus. Quod dubium tranſmiſſum fuit à Card. Alciato per manus Cardinalium S. Congregationis Concilii cum his allegationibus, videlicet conſiderari poterit Canon Apoſtolorum 35. relatus in *cap. Per ſingulas primo, & ſecundo, & cap. Archiepiſcopus 9. quæſt.* 3. ubi dicitur [Epiſcopos provinciæ nihil poſſe agere abſque Metropolitani ſcientia, ſeu conſenſu:] & ita DD. in *dict. cap. Per ſingulas*, præſertim Archid. Bellam. Turrecrem. & Brixien. dicunt formalia verba: [Quod Epiſcopi provinciæ ſine Metropolitani conſenſu nihil poſſunt ſtatuere neque agere, quod pertineat ad diſpoſitionem, & communia negotia provinciæ; nec Metropolitanus ſine omnium ſuorum Epiſcoporum comprovincialium conſenſu agere quid velit, quod ad provinciam pertineat: etſi Epiſcopi reſiſtant, ipſe autem in hoc obduret, ad Apoſtolicam Sedem referendum eſt.] Item 6. *quæſt. 4. cap. Si quis Epiſcopus in aliquibus*, dicitur: *diſcrepantibus provinciæ Epiſcopis, inter quos ſit & Metropolitanus, adeundum eſſe Primatem*. Nec obſtat *cap. Nec Epiſcopi, de tempor. ordinat.* dum *in fin.* dicitur, quod Metropolitanus debet conſentire majori parti ſuorum ſuffraganeorum: nam dupliciter reſpondetur. Primò; quod etſi Archiepiſcopus id non faciat, tamen ſententia ſua valebit, ut in terminis dicunt ibi Innoc. Hoſt. Jo. Andr. Butr. & Abbas. Secundò, quod ibi agitur de materia conſecrationis, in qua communis opinio eſt, quod quando Archiepiſcopus eſt unius ſententiæ, & reliqui omnes ſuffraganei ab ea diſſentiunt: tunc adeundus eſt Superior, nempè Primas, vel

Papa:

Papa: ita poſt Hugon. concludit Gloſs, Archid. Gemin.
Card, Alexand. Turrecrem, *in cap. 1. 65. diſtin l. in verb.
Contradicant.*
. Die 11. Octobr. 1576. S. Congregat. cenſuit amplius
deliberandum ſuper hoc dubio, & videndum Abbatem in
cap. final. de his, quæ fiunt a Prelatis ſine conſenſu Capituli.
34 Die 10. Januarii 1577. Congregatio publica Mo. Col.
Geſs. Lanc. Alciat, Senonen. M. Alt. S. Sixtus, Caraſ. Quatuor nempe Mor. Geſs. Lancel. Caraſ. cenſuerant ſententiam ſuffraganeorum præferendam eſſe ſententiæ Metropolitani, quia illi habent votum deciſivum, & ſunt Conjudices: item per Hoſt. *in cap. 1. de Libell. oblat. ad finem*, ubi
dicit in ſynodo Metropolitanum, & ſuffraganeos eſſe
conjudices, & Metropolitanum debere cum conſilio, &
aſſenſu ſuffraganeorum, ſeu majoris partis pronunciare.
Item ex Jacobatio *de Concilio lib. 6. art. 2. verſ Nono facit*:
ubi inquit, quod prævalet ſententia provincialis Concilii
ſententiæ Archiepiſcopi. Alii nempe Colum. Alciat. Senon. Mo. Alt. (nam S. Sixti quid ſentiret non aperuit) dixerunt neutri ſententiæ adhærendum nec ſuffraganeorum,
nec Metropolitani, ſed abſolute in quacumque cauſa adeundum Papam, ex theorica gloſs. in *d. cap. 1. 65. diſt. & c.
fin. 63. diſt.* Ita referendum Sanctiſſimo.

Sanctiſſimus die 4. Januarii audita relatione Congregationis inclinavit potiùs in opinionem illam, quod prævaleat ſententia ſuffraganeorum, & quia votum habent deciſivum, & quia DD. dicunt, quod debet Metropolitanus ſtatuere de conſilio, & aſſenſu eorum, ſeu majoris
partis: nec putavit obſtare exemplum communis opinionis in conſecratione, quia in ea non videntur eſſe conjudices. Minus obſtare: quod verba ita concipiantur, *Nos
Metropolitanus decernimus*: quia cùm id debeat cum conſilio, & aſſenſu eorum facere; inde colligitur, quod tenetur ſequi eos, ſeu majorem partem eorum. Tamen
Sanctitas ſua non decidit, ſed dixit quærendum prius, in
quia re Metropolitanus nunc diſſentiat à ſuffraganeis. Ita
dec latandum poſtea.
35 Nonò QUÆRO, quæ ſint tractanda, & ſtatuenda
in ſynodo provinciali, & quæ ſit illius auctoritas, & juriſdictio.
36 Solutio. Exequendum eſt ante omnia, quod S. Concilium Tridentinum ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præſidium præcepit *in cap. 2. ſeſſ.* 25. nempe ut
in prima ſynodo provinciali omnes palam recipiant omnia, & ſingula, quæ in eodem Concilio Tridentino definita, & ſtatuta ſunt: necnon veram obedientiam ſummo
Romano Pontifici ſpondeant, & profiteantur; Simulque
hæreſes omnes in ſacris Canonibus, & generalibus Con-
37 ciliis, & præſertim ab eodem Concilio Tridentino damnatas publicè deteſtentur, & anathematizent: ſi qua in
38 provincia adhuc factum non eſt omnino quamprimum
fiat, & in ſingulis habendis ſynodis iteretur repetita ſaltem fidei profeſſione juxta formulam à Sede Apoſtolica
præſcriptam.
39 Utile quoque admodum eſſet, & conveniret, ut in
primo Patrum conventu perlegerentur Concilii Tridentini decreta, ſi non omnia, ſaltem ea, quæ ad fidem pertinent, prout Innoc. III. hic mandat fieri de ſuo Concilio VI. generali, ut patet ibi: *maxime quæ ſtatuta ſunt in
hoc generali Concilio relegentes*: & prout olim Epheſinum
Concilium legi conſueverat in ſynodis provincialibus, teſte Iſidoro de celebratione Concilii, idque ſuccedebat loco
illarum inſtitutionum, & collationum, quæ de præcipuis
fidei Myſteriis in primis diebus habebantur.
40 Hoc primum peracto, ad corrigendos exceſſus, & controverſias componendas animum advertere oportebit, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra *in prima quæſtione*, ut juſtitia viam præparante omnes unanimi conſenſu ad alia
41 exequenda expeditius procedant. Quapropter expoſtulantium querelæ, & accuſationes non modo contra inferioris
ordinis clericos, ſed potiſſimum contra Epiſcopos, ipſumque Metropolitanum æquis auribus excipientur, & prout
juſtitia ſuaſerit, terminabuntur, *cap. De Conciliis*, 18. *diſt.*
43 Quod ſi pleniores probationes, & exactiorem cognitionem poſtulent, quàm ut brevi illo tempore expediri poſſint: judicibus à Synodo provinciali deputatis cognoſcendæ, ac diffiniendæ committentur, ad præſcriptum Con-
43 cilii Tridentini *cap. 5. in fin. ſeſſ.* 24. Nec ſolùm ad petitionem aliorum, ſed etiam ex officio Synodus provincialis
inquiret contra Epiſcopos in univerſum, *ſeſſion. 25. cap. 1.*
Quomodo ſe habeant erga ſuos conſanguineos, & familiares, & quomodo ſe gerant erga ſubditos: ſpecialiter
autem cognoſcet an deliquerint circa reſidentiam; & ſi abſentiæ cauſas, licentiaſque à Metropolitano, vel ſuffraganeo antiquiori obtentas prætenderint, de iiſdem cauſis. &
licentiis judicabit, ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis
canonicis errantes puniantur, ut *ſeſſion. 23. cap. 1.* An decreto Concilii de viſitationibus, & procuratione viſitationis cauſa accipiendi fraudem fecerint, ut ſi id compertum
fuerit, canonicis pœnis, aliiſque arbitrio Synodi abſque
ulla ſpe veniæ mulctentur, *ſeſſione 24. cap.* 3. An concubinas, vel alias ſuſpectas mulieres domi aut extra teneant,
aut cum iis ullam habeant conſuetudinem: ſi autem innotuerit aliquem ex Epiſcopis ab hujuſmodi crimine non abſtinere, à Synodo provinciali admonebitur, ut ſi admonitus ſe non emendaverit, ipſo facto ſuſpenſionem incurrat, & contra eum ad ulteriora procedatur, juxta Concilii Tridentini decretum *ſeſſ. 25. cap.* 14.
De gravioribus tamen cauſis criminalibus Epiſcoporum, 44
quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, Synodus
provincialis cognoſcere non poteſt: poterit tamen de his 45
contra aliquem ex Epiſcopis ſuſpectum, vel accuſatum capere ſummariam informationem, & formare proceſſum
ad effectum tranſmittendi ad Summum Pontificem Ro- 46
manum. Minores autem eorumdem cauſæ, & ipſiuſmet
Archiepiſcopi, quia alibi, quam in Concilio provinciali
cognoſci, & terminari non poſſunt, ſi delatæ fuerint, recipientur, ſed non ita paſſim, ut levioribus quibuſcumque querelis aures faciles accommodentur, ut *ſeſſ. 24. cap.* 5.
Has tamen non ſolùm ipſum Concilium, etiam ſi non ad- 47
ſit numerus duodecim Epiſcoporum à jure requiſitus, ſed
etiam ab ipſo deputati cognoſcere poterunt, qui regulariter ob reverentiam Pontificalis officii ex S. Congregationis
ſententia nonniſi Epiſcopi erunt, ſi ex cauſa Concilium
aliter non judicaverit. Et advertendum tam Concilium,
quàm dictos deputatos non ad majorem, quam ad charitativam correctionem procedere debere, ſed tantum pronunciare etiam aliqua informatione extrajudicialiter ſumpta, & deputati id præſtare poterunt etiam poſt terminatum, & finitum Concilium. Quæ omnia locum habent
etiam in cauſis criminalibus contra ipſummet Archiepiſcopum, non item in civilibus.
Porrò judicibus, & perſonis particularibus negotia, 48
quæ indefinita remanent tempore diſſolutionis, aut finis
Concilii, ut illa ipſi determinent poſt finem impoſito Concilio, committi non poterunt, niſi in cauſis in Concilio
Tridentino, & in jure expreſſis: & à judicibus prædictis, 49
qui de proximo de dictis negociis, ſeu cauſis cognoverint,
appellari debet ad Primatem, Patriarcham, vel Papam.
Similiter cognoſcet contra negligentes Epiſcopos in iis, 50
quæ eorum muneris ſunt, explendis, & quæ ſpecialiter in
poſtremo Concilio generali ipſis mandata ſunt, *ſeſſ. 23. cap.
3. cum ſeq.* maximè circa ordinationes clericorum, Seminariorum inſtitutiones, *eadem ſeſſ. cap.* 18. & Eccleſiarum
curatarum proviſiones, quæ nonniſi per concurſum fieri
poſſunt, *ſeſſ. 24. cap.* 18.
Ab examinatoribus prætereà, qui in Synodo diœceſa- 51
na eligi debent, ut de qualitatibus eorum, qui Parochialibus Eccleſiis præficiendi ſunt renuncient muneris, officiique eorum ratio expoſci poterit, *ſeſſ. 24. d. c.* 18.
Cauſæ verò, & controverſiæ inter clericos inferiores, 52
quia ab eorum Ordinariis facilè deffiniri poſſunt, minus
propriè ad provinciale Concilium pertinere noſcuntur.
Omnes verò cauſas vertentes in prima inſtantia coram 53
Epiſcopis ſuffraganeis ex ſententia Sacræ Congregationis
poterit Concilium cognoſcere; & non ſolum illas, quæ
ſpecialiter ejus judicio à jure, & Concilio reſervatæ ſunt,
ſed de omnibus tam civilibus, quam criminalibus, quæ
dubiæ non ſint, quæque brevi tempore poſſunt expediri,
& alioqui juxta canonicas ſanctiones in eo tractari, & deferri poſſunt. Si tamen in prima inſtantia coram locorum 54
Ordinariis illæ introductæ reperiantur, non poterunt avocari, niſi in caſibus à jure permiſſis. Item nec cauſas pen- 55
dentes coram Archiepiſcopo poterit ad ſe avocare.
Appellari etiam poterit ad ipſummet Concilium in cau- 56
ſis pendentibus coram Epiſcopo, vel ejus Vicario, omiſſo
Archiepiſcopo ad Concilium, ſicuti ad Papam: à Conci-

lio

Digitized by Google

lio verò ad Archiepiſcopum, vel ejus officialem appellari non poterit.

57 Viſitationem autem omnium Epiſcoporum ſuffraganeorum, quam Epiſcopi legitimè impediti per ſuos generales Vicarios faciunt ſuſpendere, donec Concilium diffinitum fuerit, minimè poteſt.

58 Contra Proviſores, ſeu Vicarios generales etiam ipſiuſmet Archiepiſcopi in cauſis criminalibus procedet.

59 Generaliter autem erit procedendum, ut quæ de vita, honeſtate, cultu, eorum officiis, & functionibus a ſacris canonibus maximè in poſtremo generali Concilio decreta ſunt, obſerventur, contra eos, qui talium decretorum contemptores, tranſgreſſoreſque delati, repertique fuerint, ſeverè ad relinquendum exemplum advertendo, *ſeſſ. 23. cap. 1.*

60 Pauperum inſuper querelas contra quoſcumque judices, & potentiores tam Eccleſiaſticos, quàm laicos in Synodis provincialibus admiſſas fuiſſe veterum Conciliorum teſtimonio, & ratione comprobatur: maximè enim pertinet ad Epiſcoporum curam pauperum defenſionem adverſus potentes ſuſcipere, ut oppreſſores prius ſacerdotali admonitione redarguant, & ſi contempſerint emandari, eorum inſolentia Regis auribus intimetur. Quare cauſam hanc vexationis pauperum Synodus provincialis negligere non debebit, ex Concilio Carthaginenſe V. *cap. 9.* & Toletano IV. *cap. 13.*

61 Ubi vero privatorum querelis, & debitæ inquiſitioni ſatisfactum fuerit, & delatis controverſiis compoſitis, vel commiſſis, proferent Epiſcopi ea, quæ correctione, vel reformatione digna comperint per teſtes ſynodales in eorum diœceſibus ut ſuper his, & aliis ab ipſis proponendis, prout utilitati, vel honeſtati congruerit, Synodus provincialis provida deliberatione procedat, & ſtatuat obſervanda.

62 Nihil autem Synodo provinciali erit antiquius, quàm ut ea, quæ ſpecialiter Patres Concilii Tridentini fidei, & diligentiæ illius crediderunt, ſedulò exequatur: proinde in eam curam incumbet, ut Seminaria in qualibet diœceſi inſtituantur, & conſerventur *ſeſſ. 23. cap. 18. ad finem.* Quod ſi ob paupertatem aliquarum Eccleſiarum eiuſmodi collegia intelliget erigi non poſſe, curabit ex fructibus duarum, aut plurium talium Eccleſiarum in metropolitana, aut in alia provincia commodiori unum, aut plura collegia erigenda. Et præterea ſi in his, quæ de Seminario in Concilio Tridentino ordinata ſunt, difficultates, aut impedimenta contigerint: Synodus pro regionis more, pro Eccleſiarum, & beneficiorum qualitate etiam quæ ad felicem Seminarii profectum neceſſaria, & opportuna videbuntur, decernet, & providebit.

63 Præſcribet propriam examinis, ſeu inquiſitionis aut inſtructionis faciendæ formulam de promovendis ad Eccleſias Cathedrales Sanctiſſimi Romani Pontificis arbitrio approbandam, *ſeſſ. 24. cap. 1.*

64 Cognoſcet, & probabit cauſas, ob quas Cathedrales Eccleſiæ, & diœceſes ſuffraganeorum à metropolitano viſitari debeant, *eadem ſeſſ. cap. 3.*

65 De his, quæ ad debitum in divinis officiis regimen ſpectant, deque congrua in his canendi, ſeu modulandi ratione, de certa lege in Choro conveniendi, & permanendi, ſimulque de omnibus Eccleſiæ miniſtris, quæ neceſſariæ erunt, & ſi qua hujuſmodi pro cujuſque provinciæ utilitate, & moribus certam cuique formulam præſcribet, *ſeſſ. 24. cap. 12. in fin.*

66 Formam à Concilio Tridentino in proviſionibus Eccleſiarum parochialium præſcriptam, & Pii V. Conſtitutione firmiùs ſancitam, obſervandam promulgabit, ſciens facultatem ſibi à Concilio Tridentino tributam *ſeſſ. 23. cap. 18.* circa prædictam examinationis formam, addendi ſcilicet, aut remittendi quæ cenſuiſſet ead. Pii V. conſtitutione ademptam fuiſſe.

67 Examinabit, vocatis his, quorum intereſt, & diligenter expendet, ſi quas Eccleſias Cathedrales propter earum anguſtiam, tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat, confecta de præmiſſis inſtrumenta ad Summum Romanum Pontificem remittet, *ſeſſ. 24. cap. 13.*

68 De imaginibus, & reliquiis Sanctorum ſi quis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel aliqua de ipſis gravior quæſtio incidat, Synodus provincialis judicabit, ita tamen ut nihil inconſulto Romano Pontifice novum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur, *ſeſſ. 25. de Invocatione Sanctorum in fin.*

In exequendis decretis reformationis regularium ſupplebit, & coercebit, & in defectum Capitulorum generalium eadem Synodus per deputationem aliquorum eiuſdem Ordinis providebit, *ſeſſ. 25. de Regul. cap. ult.* 69

Abuſus indulgentiarum, quos Epiſcopi in ſuis Eccleſiis collegerint, in Synodo provinciali referentur, ut aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cognita ſtatim ad Summum Pontificem deferantur, cujus auctoritate quod univerſali Eccleſiæ expedit, ſtatuatur, *ſeſſ. 25. in decreto de indulgent.* 70

Publicanda quoque erunt in Synodo provinciali ſpecialiter quæ in Concilio Triden. de reſidentia ſub Paulo III. & Pio IV. ſtatuta ſunt, & ſi quæ alia ejuſdem Concilii decreta in primis neceſſaria, atque utilia cenſebuntur, *ſeſſ. 6. cap. 1. & 2. & ſeſſ. 23. cap. 1.* 71

Cùm Decretum Concilii Tridentini de Clandeſtinis matrimoniis, tam in unaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Eccleſia parochiali factæ numerandos, nec hujuſmodi publicationi requiſitæ a Concilio Tridentino æquivaleat publicatio, quæ fit in Synodo provinciali, ut Sacr. Congregatio declaravit: & præcipiendum erit omnibus Epiſcopis, & aliis, ad quos talis executio ſpectare poteſt, ut dictum decretum de clandeſtinis matrimoniis, ita ut editum eſt, nihil addendo, detrahendo, aut immutando, in ſingulis parochiis quàmprimum publicetur, *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim.* 72

Deſignabuntur in Synodo judices, quibus alioqui ad id aptis cauſæ Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ committi poſſint, *ſeſſ. 25. cap. 10.* 73

Deputabunt item judices, qui de locationibus rerum Eccleſiaſticarum etiam auctoritate Apoſtolica confirmatis judicare valeant, iuxta Tridentini Concilii decretum, ut quas a triginta annis citra ad damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe judicaverint, irritas declarent, de quibus *ſeſſ. 25. cap. 11.* 74

Atque hæc ferè ſunt, quæ Synodus provincialis ex Con- 75
cilio Tridentino præſtare debet, ſuper quibus amplior eſt
illius poteſtas, quàm iure communi eidem competat, *c. Epi-*
ſcoporum, 18. diſtin. cùm in præmiſſis non propria, ſed
Concilii univerſalis auctoritate nitetur. In cæteris enim 76
cauſis, & negotiis meminiſſe oportebit Epiſcoporum Con-
cilia non habere vim conſtituendi, ſed auctoritatem im-
ponendi, & inducendi quod aliàs ſtatutum, & generali-
ter, ſeu ſpecialiter obſeruari præceptum: multòque mi- 77
nus in huiuſmodi Conciliis de rebus fidei, & maioribus
cauſis tractati, aut quicquam diffiniri poteſt, *c. Maiores,*
de baptiſm. Non tamen horum poteſtas adeò reſtringitur, 78
quin multa ſtatuere poſſint circa ea, quæ totam provin-
ciam concernunt præter ius commune, & quandoque
etiam contra illud ex cauſa urgenti veriſimiliter à Canone
non prævisa, ſecundum ea, quæ fusè adnotavi in *c. Dile-* 79
ctus, ſupra de tempor. ordinat. & in *c. Quod ſuper his, de*
maior. & obedient. Suiſque decretis ius commune adjuvare
addendo novas pœnas, vel antiquas augendo.

Cæterùm ad evitandam omnem ambitionis, & præ- 80
ſumptionis ſuſpicionem abſtinendum erit à promulgandis
novis decretis, quæ iure communi, & Pontificiis conſti-
tutionibus minus conſonant, etiam in caſibus aliàs per-
miſſis, DD. *in d. cap. Quod ſuper his, de maior. & obedien.*
& ubi per antiquos Canones, vel ultimum generale Con- 81
cilium, aut Summorum Pontificum Conſtitutiones pro-
viſum non fuerit, vel minus ſufficienter, ſupplebit Syno-
dus provincialis ſuis Conſtitutionibus, ut Eccleſiaſtica di-
ſciplina reſtituatur, prout meliùs, & faciliùs videbitur.

In rebus dubiis, & de jure controverſis non facilè diffinitiones fiant, præſertim ubi grave aliquod præjudicium parari poteſt, veluti in materia Sacramentorum enodando, aut explicandis caſibus uſurarum, & aliorum vitiorum, quibus timoratæ conſcientiæ irretiri poſſunt. 82

Si circa judicia, illorumque expeditiones fuerit decernendum, meminiſſe oportebit non poſſe Epiſcopos, nec Synodum provincialem cauſam, quæ ſui natura, aut ex juris diſpoſitione ſummaria non ſit, ſummariam efficere, neque breviorem reddere inſtantiam, aut ea, quæ de 83

jure

Digitized by Google

jure communi in cauſis ſummariis ſervanda ſunt, præci-
84 dere, minuſque appellationes in caſibus, in quibus aliàs
permittuntur, prohibere: nec prætermittere modum, &
85 ordinem a jure, & Concilio Tridentino præcipuè in pu-
niendis, corrigendiſque exceſſibus præſcriptum.
86 In materia juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ſæcularis
conſultiùs erit nihil ſtatuere, quàm ut appareat ex juribus
Eccleſiæ aliquid eſſe imminutum, vel uſurpatum: vide-
tur etiam abſtinendum à mentione legum ſæcularium,
præſertim ſi affines ſint illis, quæ à Sede Apoſtolica impro-
batæ fuerunt.
87 Noverint etiam exemptos decretis Concilii provincialis
non obligari, niſi in caſibus, in quibus à jure commu-
ni, Concilio Tridentino, & Summorum Pontificum
Conſtitutionibus ſpecialiter Epiſcopis, aut Concilio pro-
vinciali in ipſos poteſtas tributa eſt, ut Sac. Congregat.
cenſuit.
88 Quid obſervandum ſit cum Capitulis exemptis, & Epi-
ſcoporum juriſdictioni non ſubjectis apertè ſtatuitur in
Concilio Tridentino *ſeſs.6. cap.4. & ſeſs.25. cap. 6.* quod ſi
illius executio quoad hoc habitura ſit impedimenta, vel
difficultates, quæ ſuperari non poſſint ſatis erit nihil de-
cernere, quàm aliquid ſtatuere, quod ipſius Concilii decre-
tis non conſentiat.
Cum regularibus quomodo Synodus provincialis pro-
cedere poſſit, aut debeat, ediſcere poterit ex Concilio
Tridentino *ſeſſ. 25. de Regular.* & ex poſterioribus Rom.
Pontif. ea de re Conſtitutionibus, præſertim Gregorii XV.
quæ incipit, *Inſcrutabili Dei providentia:* quorum aucto-
ritate niſi ſpecialiter nitantur decreta Synodalia, utique
arctabunt illa tantùm Monaſteria; quæ ipſis Ordinariis
89 ſunt ſubjecta. In aliis autem Monaſteriis Epiſcopi ſcire
debent ſe à Concilio Tridentino datos eſſe executores eo-
rum, quæ in decretis *d. ſeſſ.25. de Regul.* continentur: In
90 quibus provinciale Concilium Epiſcoporum negligentiam
ſupplere, & coercere debet, eo tamen modo, & forma,
prout in ipſo Concilio Tridentino diſpoſitum eſt, *ead. ſeſſ.
cap. ult.*
Et quia non omnia Conſtitutionibus præciſè, & ſub
pœnis comprehendi poſſunt, aut expedit; nec omnes,
quibus uſui eſſe poſſunt decreta Synodi, ſubjiciuntur il-
lius juriſdictioni: advertendum erit ne decreta ipſa videan-
tur minus conſideratè concepta, ſeu ſcripta, aut executione
fruſtrentur.
91 Quoniam verò Prælati munus eſt docere, ac doceri,
cap. Non oportet, 18. *diſtinct.* Suſcipiet Synodus banc quo-
que partem erudiendi tam Epiſcopos, qui ad Synodum
accedunt, ut doceant, & doceantur, quàm inferiores,
maximè ſacerdotes, quorum ignorantia valde periculoſa
eſt in his, quæ animarum curam, & ſalutem concer-
nunt. De Sacramentis igitur, eorumque adminiſtratio-
ne explicabit quæ ſcitu ſunt neceſſaria, eaque accuratiùs
ediſci mandabit. De ſingulis clericorum functionibus di-
ligenter edocebit: & quæ in materia morum ſolent fre-
quenter ſcrupulum inijcere timoratis conſcientiis, elucida-
bit adhærendo probatis auctoritatibus, & receptis in Ec-
cleſia Catholica ſententiis.
92 Interſeret etiam Synodus provincialis frequentes exhor-
tationes de rebus, quæ opportunè occurrent, & ſub ju-
riſdictione, & coercitione illius non cadunt, nec pœnis
ſanciri poſſunt: & cùm ſermo dirigatur ad perſonas, quæ
non ligantur provincialibus decretis, ſanè in quibusvis
generibus cauſarum, & negotiorum, ſi exhortationes hu-
juſmodi fuerint plenæ paternæ charitatis, non minus effi-
caces eſſe poterunt ad perſuadendum, quàm ſi eam legibus
præciperentur.
93 Porrò ipſa Synodi decreta puro, & Eccleſiaſtico ſtylo
conſcribantur, ut Chriſtianam pietatem non rudem ſim-
plicitatem potiùs quàm exquiſitam latinitatem redoleant.
Uſitata igitur à Sanctis Patribus, & Sum. Pontif. verba
in rebus præcipuè Eccleſiaſticis uſurpentur, nec nova vo-
cabula in Eccleſia ex prophanis Ethnicorum ſcriptis inve-
hantur, quæ rebus obſcuritatem offendere, & catholicis
ſtomachum movere poſſint.
94 Demum cùm provinciale Concilium abſolvendum erit,
quæcumque in eo conſtituta fuerint, coram Patribus Con-
cilii relegentur; quibus ſub judicio, & correctione S. Se-
dis Apoſtolicæ cum metropolitano reliqui comprovincia-
les Epiſcopi ſubſcribent,

Illa in unum volumen redacta antequam publicentur ad 95
S. D. N. cum literis metropolitani, vel totius Synodi tranſ-
mittentur, ut à Sede Apoſtolica revideantur, corrigan-
tur, atque probentur, itaque correcta executioni deman-
dentur. His etiam ſubjici poterunt ea, quæ ad promo- 96
vendum provinciæ profectum in Eccleſiaſtica diſciplina,
vel ad occurrendum impedimentis, atque periculis Sy-
nodus provincialis Sanctiſſimus D.N. proponenda judica-
verit.
Decimò QUÆRO, Quæ ſit metropolitani auctoritas 97
in Synodo provinciali. Solutio patebit ex ſubjectis decla-
rationibus Sacræ Congreg. Concilii.
Cùm quæreretur, An Archiepiſcopus ſolus juſtis de 98
cauſis poſſet abſque aliis Epiſcopis diſſolvere Concilium,
S. Congregatio cenſuit non poſſe, niſi de conſilio, & aſ-
ſenſu Coepiſcoporum. Archiepiſcopus ex S. Congregatio-
ne licet ſit Caput Concilii, & Præſidens, nonniſi conſilio,
& aſſenſu Coepiſcoporum poterit cuipiam ſilentium indi-
cere, vel jubere aliquod ſcriptum, aut libellum legi, vel
tunc non legi, ſeu mandare aliquem tunc exire à Conci-
lio, vel intrare, etiamſi accedat, ut aliquis ex Epiſcopis
impediat, aut perturbet, aut cum Archiepiſcopo minus
urbanè ſe gerat: cùm tamen ipſius ſit Concilium dirige- 99
re, poterit ex ſe mandare ne quis loquatur extra locum, ne-
ve perturbetur Concilium.
An metropolitanus poſſit cognoſcere de cauſis civili- 100
bus Epiſcoporum, necnon eorum, qui dictis Epiſcopis
ſunt ſubditi: S. Congregatio cenſuit poſſe, etiam quando
Epiſcopus adit contra Epiſcopum, cæteroqui non poſſe ni-
ſi in caſibus in jure expreſſis.
An Archiepiſcopus poſſit procedere per cenſuras, & 101
alias pœnas contra Epiſcopos illos, qui uſurpant Archie-
piſcopi juriſdictionem in Concilio, ſive extra illud, vo-
lentes cognoſcere de aliquibus cauſis ad tribunal, & cu-
riam ipſius Archiepiſcopi pertinentibus: S. Congregatio
cenſuit non poſſe, niſi extra Concilium provinciale juxta
canonicas ſanctiones.
Et cùm ex Concilio Tridentino caveatur, ut Archiepi- 102
ſcopus poſſit viſitare ſuffraganeos cauſa cognita, & pro-
bata in Concilio provinciali: An neceſſarium erit facere 103
informationem de cauſis urgentibus, ut debeant viſitari,
& primitus Epiſcopum vocari, & audiri in Concilio pro-
vinciali, ut videatur quid reſpondeat antequam Concil.
provinciale ordinet, & declaret an ſit locus, ut Archiepi-
ſcopus viſitet: Sac. Congregatio cenſuit Epiſcopum au-
diendum, nec ſufficere, ut Concilium provinciale decla-
ret, quod dictus Archiepiſcopus poteſt viſitare ſuffraga-
neos, eo quod adſit querela, & libellus, ſeu memoriale
contra dictos Epiſcopos, & perſonas ſuarum diœceſum,
abſque eo quod dictus Epiſcopus, & reliquæ perſonæ ſint
præſentes, niſi cauſæ viſitationis decernendæ cognoſcantur
& probentur.
Verùm cùm hæc omnia in Concilio provinciali ex ſuf- 104
fraganeorum, & metropolitani ſententia peragi debeant,
ſi metropolitanus eſt unius ſententiæ, ſuffraganei autem
alterius: S. D. N. dixit ſententiam prævalere ſuffraganeo-
rum, & hoc quia habent votum deciſivum, & ſunt con-
judices; & quia Doctores dicunt, quod debet metro-
politanus ſtatuere de conſilio, & aſſenſu eorum, ſeu ma-
joris partis, ut plenius dictum eſt ſupra in octava quæ-
ſtione.
Undecimò QUÆRO qua pœna ſint puniendi metro- 105
politani, & Epiſcopi negligentes ſtatis temporibus celebra-
re provincialem, vel diœceſanam Synodum.
Solutio, textus in *c. Quoniam quidem*, 18. *diſtin.* ſim- 106
pliciter dicit, canonicis pœnis ſubjaceat: nec aperit quæ-
nam ſint hujuſmodi pœnę. Sed in hoc cap. expreſsè ſtatui-
tur, ut quiſquis neglexerit hæc adimplere, a ſui execu-
tione officii ſuſpendatur. Non eſt ergo pœna latæ ſenten- 107
tiæ, ſed ferendæ ſecundum Hoſt. *hic in fin.* & Joan. Andr.
num. 7. in verb. Suſpendantur. Et ita intelligo decretum
Lateran. Concilii ſub Leone X. *in Conſtitutione ſupracitata
in fine primæ quæſt.* ibi: *Circa hoc autem negligentes pœnas
in eiſdem canonibus contentas ſe noverint incurſuros.* Nec
non Concilii Tridentini in *d. cap. 2. in fin. ſeſſ. 24.* ibi: *Quod
ſi in his tam metropolitani, quam Epiſcopi, &c. negligentes
fuerint, pœnas ſacris canonibus ſancitas incurrant.* Nam 108
etſi *verb. incurrant*, ex ſui natura ſit latæ ſententiæ, Clem.
1. *de decim.* & ibi gloſ. *in verb. Incurrant*, Paul. Laur. Imol.
& Card.

& Card. *in* 27. *quæſt. de uſur. cap. ult.* & ibi gloſ. *in verb. Incurrat, de offic. deleg. lib.* 6. Tiraquel. *in l. Si unquam, in verb. Revertatur, num.* 145. *C. de revoc. donat.* & ex ſententia S. Congregationis dixi *in c. Sacro, in 3. quæſt. infra de ſententia excommunicationis*, tameo ſecus eſt hoc caſu, cùm præcitata decreta relationem habeant ad pœnas à jure ſtatutas: & ita S. Congreg. intellexit verba d. c. 2. ut in ſubjectis declarationibus.

109 Dubitatum fuit primò, An Epiſcopi negligentes in congreganda diœceſana Synodo infra ſex menſes poſt celebratum provinciale Concilium, ut in ea notificent ejuſdem provincialis Concilii decreta, incurrant pœnam ſuſpenſionis duorum menſium, juxta *cap. fin.* 18. *diſt.*

Secundò, An ex decreto *cap.* 2. *ſeſſ.* 24. Tridentini Concilii dici poſſit imponi Epiſcopo non celebranti quotannis diœceſanam Synodum, pœnam ſuſpenſionis, de qua in *cap. Sicut olim, de accuſ.*

Tertiò, Dato quod cenſeatur impoſita, an ipſa pœna, quæ ſecundum *dict. c. Sicut olim*, incurritur mediante ſententia, hodie ipſo jure incurratur propter illa verba *d. cap. 2. in fin.* ibi, pœnas ſacris canonibus ſancitas incurrant.

Ad primum S. Congregatio reſpondet Epiſcopum teneri, ad congregandam dictam Synodum diœceſanam juxta *dict. c. fin.* & DD. *ibid.* Nec Tridentinum Concilium Epiſcopum ab hoc onere liberavit: ideo ad tollendum omnem ſcrupulum ab eo, qui omiſit eam Synodum celebrare, petendam abſolutionem à Papa, & monendum Epiſcopum per litteras Congregationis, ut deinceps ſervet *d. cap. fin.*

Ad ſecundum cenſuit incurrere pœnam ſuſpenſionis, quia *d. c. Sicut*, diſponit æquè in diœceſana Synodo, ac in provinciali, ut per Abb. ibid. in ſummar. & in *cap.* 2. *ſeſſ.* 24. Trid. Conc. colligitur appoſita pœna Epiſcopis negligentibus convocare diœceſanam, in ultimis verbis *d. c.* 2. ibi: *Si metropolitani, vel Epiſcopi negligentes fuerint, &c.* quæ verba debent referri tam ad provincialem, quàm diœceſanam Synodum. Quam Congregationis ſententiam itidem Sanctiſſimus approbavit, & Epiſcopo abſolutionem conceſſit.

Ad tertium cenſuit per Concil. Tridentin. non eſſe alteratum, nec immutatum modum incurrendi pœnam *d. c. Sicut olim*; quia Concilium utitur illis verbis, *Incurrat pœnas ſancitas*, quæ nihil innovant.

110 Rurſus Epiſcopus Comen. jam annum omiſerat celebrare Synodum diœceſanam duabus de cauſis. Primò, quia Clerus Valtellinæ, & Clavenæ ſuæ diœceſis nec venerat, nec excuſatores miſerat formidine ſuorum dominorum temporalium Catholicæ Fidei oppugnatorum. Secundò, quia cùm nunquam eſſet celebrata Synodus provincialis cenſuit Epiſcopus ſuperſedendum donec celebraretur, ut quæ in ea ſtatuerentur, & ederentur decreta, legi poſſent in Synodo diœceſana.

S. Congregatio negotium hoc ad Sanctiſſimum rejecit, qui nullam ex rationibus, ſeu excuſationibus approbavit, ideò dixit, quod Epiſcopus quotannis celebret Synodum ſuam diœceſanam, ut tenetur, & qui verentur accedere: ſatis eſſe, ut mittant Procuratores ad excuſandum ſe: reliqui verò, qui nullam cauſam habent quominus ad Synodum accedant, cogantur, & fiat Synodus cum ijs, qui poſſunt venire, & veniunt. Pro omiſſione autem in præteritum facta; Sanctitas Sua abſolvit Epiſcopum, & diſpenſat quatenus opus ſit.

111 Duodecimò, & ultimò QUÆRO pro complemento materiæ, quæ ſit pœna Epiſcoporum non accedentium ad Synodum provincialem.

Solutio: Variæ pœnæ à ſacris canonibus ſtatutæ reperiuntur: nam in *cap. Si ægrotans*, 5. *quæſt.* 3. à communione ſuſpenditur. Item in *c. Si quis*, 18. *diſtin.* alienus erit à fratrum communione uſque ad ſequentem Synodum. Item in *cap. Si Epiſcopus Metropolitanus, eadem diſtinctione*. Uſque ad proximam ſynodum à charitate fratrum, & Eccleſiæ communione priventur. Item in *cap. Si quis Epiſcoporum, d. diſtinct.* 18. Uſque ad futurum Concilium cunctorum Epiſcoporum communione privetur. Item in *cap. Placuit, eadem diſtinct.* Eccleſiæ ſuæ communione debent eſſe contenti: id eſt cum aliis Epiſcopis non communicent, ut ibi in gloſ. ult. Unde non erit talis Epiſcopus prohibitus celebrare divina officia, & ſacramenta recipere, nec cum cæteris Epiſcopis, vel aliis communicare, ſed tantùm ſuſpenſus erit à communibus negociis cum aliis Epiſcopis, nec poterit intereſſe ſcrutinio Epiſcoporum, nec eorum conſecrationi, & aliis communiter pertractandis cum Metropolitano, & Epiſcopis: & ſequitur Præpoſitus in *dict. cap. Placuit, in fin.* Cardin. Jacobat. *de Concil. lib.* 2. *articul.* 5. *in princip. fol.* 111. Item ex Concilio Toletano XI. *cap.* 15. Unius anni communione privetur. Item ex Concilio apud Alterin. *cap.* 11. Burcard. *lib.* 1. *cap.* 52. Ivo *part.* 5. *cap.* 162. Pro prima vice graviter objurgentur; deinde interdicitur eis Miſſas celebrare. Item ex Concilio Meldenſi 37. Ceſſet ab officio donec ſatisfaciat fratribus. Item ex VIII. ſynodo, *cap.* 17. Metropolitanus, qui ad ſynodum Patriarchæ vocatus ire neglexerit, primo tempore ſegregetur, & durante contumacia deponatur.

112 De impedimentis autem non accedentium ad ſynodum provincialem vide quod ſcripſi in *c. Ego N. à num. 9. ſupra de jurejur.*

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.

Gregorius Generali Synodo præſidens.

CAPUT I.

IN ordinando: & infrà. Sicut non debet Epiſcopus manum, quam imponit; ita nec miniſter, vel notarius in ordinatione ejus, vocem vel calamum vendere. Pro ordinatione igitur vel uſu pallii, ſeu chartis atque paſtellis, eum qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibemus.

SUMMARIUM.

1 *PRo Ordinibus conferendis, vel inſtrumentis ſuper eis conficiendis Epiſcopus, vel Miniſtri, aut Notarii nihil temporale exigere debent, & num. ſeq.*

2 *Principale quando debet eſſe gratuitum, ita & omnia acceſſoria.*

3 *Paſtellus quid ſit.*

4 *Simonia non committitur in contractu gratuito.*

5 *Emptionis, & venditionis nomine in diffinitione ſimoniæ venit omnis contractus non gratuitus.*

6 *Ordinatori non licet aliquid temporale etiam ſponte oblatum accipere pro collatione ordinum.*

7 Date *verbum liberalitatem notat, non neceſſitatem.*

8 *Ordinatori an liceat aliquid ultrò oblatum ab ordinato accipere non pro ſpiritualibus, ſed ex charitate ſine pacto expreſſo, vel tacito, & num. ſeqq.*

9 *Et quid poſt Concilium Tridentinum num.* 11.

10 *Sanguinem elicit, qui multum emungit.*

12 *Conſuetudo etiam immemorabilis accipiendi ab ordinatis ad primam tonſuram forfices, pectines, & mappulas, præter faculas eſt corruptela.*

13 *Ordinator nullam oblationem ab ordinatis poteſt accipere præter eam, quæ à Pontificali Romano fieri conſuevit.*

14 *Notarius an pro inſtrumentis conficiendis in collatione*

Digitized by Google

tione ordinis, vel beneficiis, aut pro litteris dimiſſoriis, ſeu teſtimonialibus poſſit aliquam mercedem accipere ſaltem à ſponte dantibus, & num. ſeqq. uſque in finem.

15 *Quid ſi percipiat ſalarium ex publico, & num. 20. & 27.*

16 *Et quid ſi non percipiat, & num. 22. & 27.*

Et quid ſi ſalarium non ſit congruum, num. 21. & num. 29.

Et quid in Notario Epiſcopi, num. 18. & 28.

Et quid in extraneo, num. 19. & 23. & 28.

Et quid ſi officium Notarii ſit neceſſarium ad probationem ordinis, num. 20. & 28.

Et quid poſt Conc. Trid. num. 27.

17 *Notarii Papæ poſſunt mercedem accipere juxta taxationem factam pro qualibet Bulla.*

24 *Notarius accipiendo aliquid ſponte oblatum ab ordinatis, ſi non ea intentione ab initio ad hoc acceſſit, ſimoniam non committit.*

25 *Præſertim ſi conſuetudo vigeat aliquid offerendi, quod pietatem, & devotionem præſeferat.*

26 *Et quid ex Concilio provinciali Mediolanenſi.*

27 *Tridentini Concilii decretum* ſeſſ. 21. cap. 1. *expenditur, & num. ſeqq.*

30 *Negativa univerſalis*, Nullus, *excludit omnia etiam minima.*

31 *Cancellarius quam mercedem poſſit accipere pro qualibet ſcriptura collationis, vel inſtitutionis, & num. 34. & 35.*

32 *Simonia Epiſcopus nihil poteſt accipere in caſibus hic enumeratis: Notarius vero in aliquibus tantum accipere poteſt mercedem ſuo labori convenientem ſi ex publico ſalarium non habeat, & num. ſeqq. uſque in finem.*

33 *Miſſam bis in die celebrandi an, & quando Epiſcopus poſſit licentiam concedere, & num. 37.*

36 *Pro decretis in teſtamentis Clericorum interpoſitis ſi quid Epiſcopus de iure, vel conſuetudine poteſt accipere, non debet excedere taxam conſuetam.*

38 *Diſpenſationes ab Epiſcopo, & Vicario ſunt gratis exequendæ non obſtante immemorabili.*

Notarius quartam partem aurei accipere poteſt pro examine teſtium.

39 *Examinatores pro examine, & approbatione ad parochiales nihil poſſunt accipere.*

40 *Conſuetudo ne quis in Eccleſia ſepeliatur ſine licentia Epiſcopi ſervari debet; ſed ut pro dicta licentia ſex ſcuta exigantur; tollenda eſt, vel ita moderanda, ut exactum pauperibus, vel Eccleſiæ erogetur.*

41 *Parochi ſervare debent edictum Epiſcopi de ſponſis matrimonio non coniungendis ſine ipſius licentia, quæ tamen gratis dari debet, licet conſuetudo donandi aliquid Epiſcopo in ſignum lætitiæ non videatur penitus improbanda.*

42 *Ex conſuetudine exigendi à Beneficiatis donativum in ingreſſu Epiſcopi, non licet denegare litterarum executionem, vel poſſeſſionem beneficiatis poſt ingreſſum non ſoluto donativo.*

44 *Annata pro beneficiis de novo inſtituendis ab Epiſcopo exegi non debet: Notario vero proceſſum ſcribenti aliquid honeſtum ſolvere non videtur inconveniens.*

44 *In Capellania dignitati unita Epiſcopus retinet omnia iura ſibi ante unionem competentia; niſi ſecus in litteris Apoſtolicis diſponatur.*

45 *Ordinationes generales fieri non debent in capella privata, ſed in Eccleſia Cathedrali.*

46 *Parochi, & beneficiati, qui ſuo muneri plene ſatisfecerint, non prohibentur alios impeditos coadiuvare: ſed non pro licentia ſaltem poſt Concilium nihil exigendum.*

47 *Notarii, & alii miniſtri Epiſcopi abſtinere debent ab omnibus exactionibus inſolitis, vel immoderatis.*

48 *Notarius ſi exigat pro inſtrumento ordinationis, ſeu litteris dimiſſoriis ultra decimam aurei partem, committit ſimoniam, non tamen iure Divino damnatam.*

IN *ordinando*. Jo. Andr. non ſummat, quia breve eſt. 1
Sed ſecundùm Cardinalem ſic ſummari poteſt: Pro
conferendis ordinibus, vel inſtrumentis ſuper eis conficiendis,
nihil exigi debet, & idem de pallii datione. Vel
aliter ſecundùm Jo. de Anan. Mar. Socinum, & Felin.
Epiſcopus pro ordine ab eo conferendo, vel miniſtri, aut
Notarii nihil temporale exigere debent. Hoc dicit: & eſt
B. Gregorii in ſynodo Romæ habita, *cap.* 88. & refertur in
cap. Sicut Epiſcopum, 1. *quæſt.* 2. Dividitur in duas partes
prout ſunt duo dicta; ſecunda ibi, *pro ordinatione*.

Nota primò ex principio text. Fas non eſſe Epiſcopo aliquid
temporale accipere pro manus impoſitione, ſcilicet
ordinatoria: de hac enim loquitur hæc littera, ut patet
ex parte deciſa, necnon ibi, pro ordinatione, & notat
gloſ. 1. & communiter Doctores, licèt ex identitate rationis
idem ſit dicendum in omni manus impoſitione, quæ
multiplex eſt, ut plenè per gloſ. 2. Archid. & Turrecr. in
cap. Manus, 1. *quæſt.* 1.

Secundò nota ibi, *ita nec miniſter*. Sicut principale 2
debet eſſe gratuitum, ita & omnia acceſſoria, & circumferentia.
Unde quemadmodum prohibetur Epiſcopus aliquid
temporale pro collatione ordinis recipere, ita & omnes
alii ejus miniſtri non tantùm pro ordine, ſed etiam
pro chartis, vel paſtellis, id eſt parva ceræ maſſa in modum
paſtæ: & hoc ne fraus committatur, neve fiat indi- 3
rectè, quod directè fieri non poteſt, ut *hic in gloſ.* 3. & notant
Anton. de Butr. *in* 2. *notab.* Abb. *num.* 2. & Mar. Socin.
in 1. *notab.* qui ex hoc infert ad multas quæſtiones. Pro
miniſtro autem intellige Archidiaconum, qui examinat
promovendos, *cap. Ad hæc, circa finem, ſupra de offic. Archidiac.*
ut exponit *hic* gloſ. 2. Hoſtien. *num.* 1. & Jo. Andr.
num. 6. & colligitur ex littera ibi, *vocem*: nam Ordinatore
interrogante, *ſcis eos dignos*? Prior Diaconorum reſpondet,
quantum humana fragilitas, &c. ut *cap. un. ſupra de ſcrut. in ordin. facien.*
Vel quia cùm examinat, vocat
ordinandos, ut ait gloſ. 1. in *dict. cap. Sicut Epiſcopum*,
1. *quæſt.* 2. Vel pro miniſtro intellige Diaconum, qui Euangelium
legit, ſecundùm Innoc. *in princip.* & quod infra
dicit *vocem expone*, id eſt lectionem Euangelicam, ſecundùm
Goffred. & Abb. Antiq. *in ver. Vocem*: & hoc magis
conſonat antiquæ, ſecundùm Jo. Andr. *num.* 6. Cardinal.
num. 2. *verſ. Quæro de intellectu textus*, & Abb. Sicul.
num. 3. Legebatur enim: [In ordinando Epiſcopo Pontifex
manum imponat, euangelicam verò lectionem miniſter
legit, confirmationis autem ejus epiſtolam Notarius
ſcribit] ut refertur ab Ant. Auguſt. *in prima Collect. Decret. lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 1.

Tertiò nota ibi, *vocem, vel calamum vendere*. Simo- 4
niam non induci ex contractu gratuito: quia verbum,
vendere, contractum gratuitum non comprehendit, cùm
venditio non procedat ſine pretio, *l.* 2. §. *Sine pretio, ff.
de contrahend. empt.* & hic notat gloſ. 3. Hoſt. *num.* 4. &
Butr. *num.* 6. Cæterùm *venditionis* nomen non intelligas 5
ſtrictè, ſed in latiori ſignificatione: nam etſi ſimonia ſit
ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale,
vel ſpirituali annexum; tamen ſub nomine emptionis, &
venditionis comprehenditur omnis contractus non
gratuitus, ut declarat S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.*
1. *ad* 5.

Ultimò nota ibi, *aliquid dare prohibemus*. Pro colla- 6
tione ordinis non modo non licere ipſi Ordinatori aliquid
temporale exigere, ſed nec ultrò oblatum accipere; nam 7
verbum, *dare*, liberalitatem notat, non neceſſitatem; ut
l. Rem legatam, ff. de adimen. legat. & legitur, & notatur
in cap. 1. *ſupra de donat.* & ita ex hac littera colligunt Hoſt.
num. 4. *in verb. Dare*, & Joan. Andr. *eod. num.* Signanter 8
dixi pro collatione ordinis, quia ſecus eſſet ſi oblatio fieret
non pro ipſa collatione, ſed ex charitate, ut notabiliter
declarat idem Hoſtien. *ubi ſupra*, dicens: [Si tamen
non pro his ſpiritualibus, ſed ex charitate, ſine pacto expreſſo,
vel tacito aliquid etiam ordinatori, & ab ordinato
gratuitum offeratur, non reprobamus,] ut *cap. Etſi
quæſtiones*, §. 1. 2. *& in fin. infra eodem*. Et meritò quia 9
oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis
petitione proceſſit, ut legitur in *cap. Sicut Epiſcopum*,
1. *quæſt.* 2. Ad idem *cap. Quicquid*, 1. *quæſt.* 1. ibi,
Niſi voluntariè oblata: licèt à Codice regio abſit illa dictio,
niſi, ut eſt adnotatum in calce illius canonis. Facit *cap. Dilectus*,
il ſecondo, *infra eodem*, ibi, *illud tamen gratanter*

tur recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum:
& per hunc intellectum, ut Hoſtienſis ſubdir, & geſtis
10 damnatur ſimoniaca, & reprobatur interpretatio nimis
rigida, & amara, quod & fieri debet, argum. *l. Si id
quod, §. Si quas ſervi operas, ff. de donation. inter virum, &
uxor. l. penult. ff. Ad exhibendum, cap. Intelligentia, &
cap. Præterea, infra de verb. ſignificat.* nam qui multum
emungit, elicit ſanguinem, *cap. Denique, 4. diſtinction.*
& eum Hoſtien. totidem ferè verbis tranſeunt *hic* Joann.
Andr. *num.* 4. Butr. *num. 2. in prima oppoſ. & num. 7. verſ. Si
eſt de ſubſtantia collationis*, Cardin. *in fin.* Anchar. *num.* 3.
Abb. *num.* 4. & Joan. de Anan. *num.* 9.

Quorum ſententiæ, quod ſpectat ad jus commune, &
ipſe accedo, cum duobus tamen temperamentis. Primum
eſt, ut quod offertur, ſit modicum, ut per Butr. *in loco
proximè citato.* Alterum, ut non detur in ipſo actu ordi-
nationis, ſed ex intervallo, ut hic per Card. *in fin.* & pro-
batur in *d. cap. Sicut Epiſcopum*, 1. *quæſt.* 2. ibi, *poſt acce-
ptas chartas, & pallium.* Facit optimè textus in *cap. Emen-
dari*, 1. *quæſt.* 1. Opus enim per ſe laudabile ratione tem-
poris reprobatur, ne malignandi occaſionem inducat;
ideòque licèt nummos in concham mittere opus pietatis
ſit, tamen tempore ſuſcipiendi baptiſmi ſimoniæ ſuſpicio-
nem ingerit, ut ibi, & argum. *l. un. in fin. ff. ad l. Iuliam
de ambitu*, & notat gloſ. 1. *in d. c. Emendari.*

11 Porrò hæc vendicant ſibi locum jure communi inſpe-
cto: verùm hodie opinio Hoſtienſis reperitur correcta à
Concilio Trident. in *cap. 1. ſeſſ.* 21. Nam Sancta Synodus
ad tollendam omnem ſuſpicionem, ſuſtulit etiam ſpontè
oblata, quæ ſi nihilominus acciperentur, non propterea
ſimonia induceretur, ceſſante ſcilicet omni pactione ta-
cita, vel expreſſa, ſed ſolum incurrerentur pœnæ eo de-
creto inflictæ: & quamvis ex *c. Etſi quæſtiones, infra eod.*
in ſpontè oblatis attendenda ſint perſonæ dantis, & acci-
pientis qualitas, quantitas muneris, & donantis tempus:
ſecundùm verba illa Concilii, *etiam ſpontè oblatum quovis
prætextu, & ex quacumque de cauſa;* tollunt omnem præ-
textum, & omnem cauſam, ut nulla poſſit eſſe accipien-
tis excuſatio, nullave tergiverſatio. Adde quod etiam de
jure communi contra Hoſtien. facit textus in *d. cap. Sicut
Epiſcopum*, 1. *quæſt.* 2. quia dum permittit ordinato gratiæ
tantummodo cauſa aliquid dare, non dicit ipſi ordinatori,
ſed quibuslibet de Clero; & ſic quod de aliis conceſſit, de
ordinatore videtur negaſſe, ad gloſ. *in cap. Qualis, in verb.
Negatur*, 25. *diſtinct.*

12 Ab his tamen excipe id, quod datur ab ordinatis ex
præſcripto Pontificalis Romani. Unde Sacra Congregatio
Concilii alias cenſuit conſuetudinem etiam immemorabi-
lem percipiendi ab ordinatis ad primam tonſuram forfices,
pectines, & mappas, præter ſaculas, pariterque mappas
à Presbyteris, intelligi perinde ac corruptelam revocatam
13 nullamque in ea functione oblationem percipi poſſe, præ-
ter eam, quam quis dum ſacris ordinibus initiatur, Pon-
tificali Romano permittente conſuevit offerre: ex quibus
infertur nec ex laudabili conſuetudine, *c. Ad Apoſtolicam,
infra eod.* aliquid accipi poſſe.

14 QUÆRO generaliter, an Notarius pro inſtrumentis
conficiendis in collatione ordinis, vel beneficii, aut pro
litteris dimiſſoriis, ſeu teſtimonialibus poſſit aliquam mer-
cedem accipere, ſaltem à ſpontè dantibus.

Doctores in hac quæſtione, & in intellectu hujus De-
cretalis multùm ſe involuunt, & in varias ſcinduntur opi-
niones, quas hìc plenè inter alios recenſet Jo. de Anan. in
gloſ. *penult. num.* 12.

15 Quidam enim diſtinxerunt an Notarius percipiat ſala-
rium ex publico, necne? Si percipiet, dicunt ei non li-
cere aliquid accipere: & in hoc caſu intelligunt hoc cap. ſi
16 verò ſalarium non percipiat, aſſerunt non eſſe illi interdi-
ctum operas ſuas, vel ſcripturam vendere, cùm nemo
cogatur de proprio beneficium facere, *cap. Precaria*, 10.
quæſt. 2. & in hac opinione fuit originaliter Hugo, ut nota-
tur in *cap. Sicut Epiſcopum*, in gloſ. *Calamum*, 1. *quæſt.* 2.
& Bernard. *hic in gloſ.* 3. eamque veram eſſe affirmat Card.
num. 1. in prima oppoſitione, quam etiam ſequitur Abb.
num. 3. circa finem, verſ. Et ideo ſimpliciter.

17 Et propterea Alanus hìc dicebat, Notarios Papæ licitè
poſſe mercedem accipere juxta taxationem factam pro
qualibet Bulla, quia non habent ſalarium à Papa, vel quia
in Curia Romana non habet locum ſimonia, ſicut nec
lex Julia *de ambitu, ut l. un. ff. ad leg. Iul. de ambit.* & facit
quod notatur in *cap. Presbyter*, 92. *diſtin.* & in *c. ult.* 1.
quæſt. 6. & hoc dictum Alani ſequuntur *hic* Butr. *num.* 3.
Cardin. *num. 1. in 2. oppoſ.* Anchar. *num.* 2. Abb. *num.* 5. Jo.
de Anan. *in 2. notab.* licèt hoc corrigendum eſſe dicat Hoſt.
num. 3. verſ. Et ſecundum hoc, & alii præallegati.

Alii verò diſtinxerunt inter Notarium Epiſcopi, cui ſci- 18
licet Epiſcopus hoc officium commiſit, & Notarium ex-
traneum. In primo caſu dicunt procedere hanc Decreta-
lem, ita ut Notarius Epiſcopi teneatur gratis omnino mi-
niſterium ſuum impendere. In ſecundo autem caſu ad- 19
mittunt Notarium extraneum nedum petere poſſe juſtum
ſalarium, ſed etiam aliquantulum plus juſto propter ma-
gnitudinem negotii: ita expreſsè Innoc. *hic in ver. Nota-
rius, verſ. Si autem alius*, & paulò infra *verſ. Vel dic quod
loquitur*, cui totidem ferè verbis ſubſcribunt Hoſtienſ.
num. 3. Joan. Andr. *num.* 7. & idem Hoſtienſis in *cap. Si-
cut, num. 5. circa finem, ſupra Ne Cler. vel Monach.*

Sed alii ſimul jungunt ambas diſtinctiones ſuperiùs pro- 20
poſitas, dicunt enim: Aut Notarius habet ſalarium ex pu-
blico; & tunc ſubdiſtinguunt, an officium talis Notarii
ſit de ſubſtantia ordinationis, & hoc primo caſu non liceat
ei aliquid recipere, cùm ejus officium ſit de conferentibus
adminiſtrationem. Aut non eſt de ſubſtantia; & tunc ſi 21
ſalarium, quod ſolvitur non congruit ſcribenti conſidera-
to labore, & negotii qualitate, licita ſit receptio. Ra-
tio, quia non debet quis cogi militare propriis ſtipendiis,
ut in *c. Cum ex officii, de præſcript.* ſin autem ſalarium ut
ſupra ſit congruum, tunc receptio non ſit licita, quin-
potius ſimoniaca, ita diſtinxit Ant. de Butr. *hic n. 7. verſ.
Dic ergo*, ſi ſalarium recipit ex publico, & Jo. de Anan.
num. 12. verſ. Quandoque aliquid recipitur: & quamvis Abb.
hic num. 3. verſ. Ad primum conclude, hanc diſtinctionem
impugnat, eo quod nullo caſu officium ſcriptorum poſſit
eſſe neceſſarium ad ordinem ritè conferendum: tamen il-
lam ſalvat Jo. de Anan. *num. 12. col. penult. verſ. Tu conſi-
dera*, dicens hanc fuiſſe mentem Doctorum, quod ex pri-
vilegio, ſtatuto, vel conſuetudine erat inductum, ut
ordinatio, vel traditio pallii, vel collatio beneficii non
poſſet probari niſi per inſtrumenta, vel chartas ſcriptas
per certos Notarios ad hoc deputatos, & hoc reſpectu of-
ficium talis Notarii dici poterat neceſſariò requiri ad ordi-
nem legitimè conferendum, id eſt ad illius probationem,
ne alioquin de ordinatione dubitari contingeret, ut in *cap.
Legum*, 2. *quæſt.* 1. & notat gloſ. in *d. cap. Sicut Epiſcopum,
in verb. Calamum*, 1. *quæſt.* 2. paria enim ſunt non eſſe, vel
probari non poſſe, *l. Duo ſunt Titii, ff. de teſtam. tutel.*
cum aliis allegatis per gloſ. *final. in c. Cum dilecti ſupra de
accuſat.*

Verùm Laurentius in *dict. cap. Sicut Epiſcopum*, in præ- 22
citata gloſ. *in verb. Calamum*, reprobavit ſuprafcriptas di-
ſtinctiones, cenſuitque Notarium non poſſe aliquid exi-
gere pro hujuſmodi ſcriptura; nec diſtinguendum eſſe an
habeat ſalarium ex publico, necne: qui textus prohibet,
ut in collatione ordinis; nec pro labore, nec ultra liceat
aliquid recipere. Unde Epiſcopus curare debebit, ut ſi-
ne muneris alicujus acceptione ſcribatur: & hanc opinio-
nem dicit poſſe defendi Cardinal. *hic num. 1. in prima oppo-
ſit. verſ. Ego tamen dico*, argum. hujus litteræ, quæ ex-
preſsè prohibet miniſtros, vel Notarios aliquid capere,
nec ullam adhibet diſtinctionem. Et ad contrarium gloſ- 23
ſa, quod quis non teneatur de ſuo facere beneficium, &
propriis ſtipendiis militare, reſpondet Cardinal. Notarium
extraneum non debere ſe ingerere illicitè in officio, quod
debet eſſe gratuitum. Ideòque tenentur Epiſcopi deputa-
re aliquos, qui hoc liberaliter expleant, licèt hoc non fa-
ciant, & minus benè, ſecundum eum.

In omnibus tamen ſuprafcriptis caſibus, in quibus Do- 24
ctores negant licere Notario aliquid recipere, intelligunt
hoc procedere quando ex pacto, & conventione recipit.
Sed ſi gratis, & ſpontè aliquid offeratur, & ſine omni in-
tentione ab initio ad hoc acceſſerit, ſimoniam non com-
mittit, *cap. Cum ſit Romana, infra eodem*, ſive ſit Nota-
rius ordinationis, ſive extraneus, & ſive ſalarium habeat
ex publico, ſive non: & in hoc conveniunt gloſ. *hic in
verb. Vendere*, Innocentius *poſt med. verſ. Si quis autem*,
Abb. Antiq. *in fin.* Hoſtienſis *num.* 3. Joan. Andr. *num. 7.
verſ. Si omnino eſſet extraneus;* & reliqui omnes: præſer-
tim ſi conſuetudo vigeat aliquid offerendi, quod pieta- 25
tem,

Digitized by Google

tem, & devotionem præſeferat, ut *cap. Ad Apoſtolicam, infra eodem*, ſecundum Innoc. *ubi ſupra*, Hoſtien. *d. num.* 3. *verſ. Maxime ubi conſuetudo*, & Jo. And. *d. num.* 7. *verſ. Sed etiam talibus locis*.

26 In Concilio tamen provinciali quinto Mediolanenſi *in titul. de Cancellario, & Notariis, tom.* 4. *Conciliorum p.* 2. *pag.* 542. *col.* 2. Recenſentur quamplura inſtrumenta, & ſcripturæ, quæ a Cancellario, & Notariis confici, & gratis dari debent; *& pag. ſeq. col.* 1. expreſsè cautum legitur, ut qui aliquid etiam à ſpontè dantibus perceperit, tum in conſcientiæ foro ne ſuum faciat, ſed pauperibus loci erogare omnino debeat; tum quadruplo mulctetur, quod vel in Eccleſiæ inſtaurationem, vel in Sacriſtiæ uſum erogetur.

27 In hac varietate ſupervenit jus noviſſimum Concilii Tridentini in *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 21. quo diſertis verbis ſtatuitur, ut Notarii in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus decimam tantùm unius auri partem accipere poſſint: dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo: nec Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eiſdem ordinum collationibus directè, vel indirectè provenire poſſit; tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines etiam immemorabiles, ut corruptelas caſſando, & interdicendo.

Quo decreto S. Synodus inter opiniones ſupraſcriptas non obſcurè probavit primam diſtinctionem Hugonis, & Bernardi, de qua ſupra *num.* 15. videlicet, ut Notarius non habens ſalarium ex publico poſſit mercedem accipere pro inſtrumento, ſeu litteris teſtimonialibus collationis ordinis; ſecus ſi habeat ſalarium: & conſequenter Concilium rejecit opinionem Laurentii, de qua ſupra *num.* 22. Qui indiſtinctè negavit Notarium aliquid accipere poſſe etiam ſi nullum ei ſalarium ſit conſtitutum: nam hoc caſu ex Concilio licet mercedem accipere. Quatenus tamen Hugo, & Bernardus permiſerunt Notario publicum ſalarium non habenti inſtrumentum collationis vendere, & ſine limitatione pretium exigere, Concilium hoc non admiſit, ſed mercedem taxavit, & reduxit ad decimam unius auri partem, vulgò julium unum pro ſingulis litteris dimiſſoriis, vel teſtimonialibus.

28 Rurſus Concilium non approbavit diſtinctionem Innoc. & ſequacium inter Notarium Epiſcopi, ſeu ordinationis, & Notarium extraneum; ſed ſi Notarius non percipiat ſalarium ex publico, & non obſtet contraria conſuetudo, permittit ei accipere decimam partem unius auri, nec diſtinguit an ſit Notarius extraneus, vel ad hoc officium deputatus; & in Cancellario Epiſcopi ſæpius hoc declaravit Sac. Congregatio Concilii, ut dicam infra
29 *num.* 31. *&* 35. Et eodem modo non videtur Concilium admiſiſſe aliam diſtinctionem Antonii de Butr. de qua ſupra num. 20. videlicet an ſalarium Notarii ſit congruum, nec ne; ſed ita denium voluit licere Notario mercedem acci-
30 pere ſi ſalarium nullum ei ſit conſtiturum. Et pondera univerſalem negativam, *nullum*, quæ excludit ſalarium quantumcumque minimum, gloſ. *in cap. Statutum*, §. *Inſuper, in verb. Nullum, de reſcript. lib* 6. gloſ. *in cap. Nemo poteſt, il primo, in verb. Obligari, de reg. iur. eodem lib.* Gemin. *conſ.* 35. *num.* 5. Cravet. *conſ.* 294. *num.* 6. Unde ſibi imputet Notarius, qui modicum ſalarium acceptavit; per hoc enim ſe tacitè adſtrinxit ad operas ſuas pro illo modico impendendas, exemplo ejus, qui beneficium acceptavit, nam tenetur illi inſervire quantumcumque ſit tenue, ut leg. & notat. in *cap. Conquerente, ſupra de Cler. non reſid.*

31 Porrò quemadmodum hæc Decretalis, licèt in ſpecie loquatur in ordine, tamen à quibuſdam generaliter intelligitur etiam in beneficio, ut hic refert Innoc. *in princ. in verb. Notarius, eodem modo*, licèt Concilium in *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 21. loquatur ſpecificè in collatione ordinum: tamen S. Congregatio id ipſum declaravit in collatione beneficii, licèt ratione majoris laboris mercedem pinguiorem arbitrata fuerit. Sæpius enim cenſuit, Cancellarium poſſe pro qualibet ſcriptura collationis, vel inſtitutionis accipere mercedem ſuo labori convenientem, quæ tamen ſcriptura, ſigillo, & cæteris omnibus computatis, unum aurum non excedat, & dummodo ipſi Cancellario ſalarium nullum pro officio ſuo exercendo præſtitutum ſit, & ex pecunia, quam accipit, nihil prorſus emolumenti collatores, aut inſtitutores etiam occaſione ſigilli ullo modo directè, vel indirectè percipiant.

In aliis autem pluribus caſibus ſicut Epiſcopi, ita & eorum Cancellarii tenentur operam ſuam gratis præſtare, ut 32
patet ex infraſcriptis reſolutionibus Sac. Congregationis Concilii in cauſa Vicenſi, & Sac. Congregationis Epiſcoporum in cauſa Gerunden. tenoris infraſcripti, videlicet.

Capitulum Vicenſe obtulit Sac. Congregationi Concilii ſupplicem libellum, quo conquerebatur tam Epiſcopum Vicenſem, quàm ejus Notarios, & ſcribas pro diverſis ſcripturis negociorum ad ejus juriſdictionem pertinentium non modicam pecuniarum quantitatem exigere, petebatque mandari Epiſcopo, ut ab ejuſmodi exactionibus abſtineret atque Notarios, & ſcribas coerceret, ne plus debita mercede reciperent.

Scripturæ autem negociorum, atque actunm prædictorum a Capitulo ſigillarim expreſſæ, hæ fuerunt.

Collationum, inſtitutionum, ſeu proviſionum per obitum, vel reſignationem etiam ex cauſa permutationis, vel aliàs.

Dimiſſoriarum, ſeu teſtimonialium, quæ conceduntur Presbyteris, ſeu Clericis ad alienas diœceſis tranſituris.

Licentiarum recipiendi ordines ab aliis Epiſcopis.

Licentiarum bis in die celebrandi,

Licentiarum dicendi Miſſas.

Licentiarum dicendi Miſſas matutino tempore, quas matutinales vocant diebus Dominicis, & feſtivis.

Licentiarum audiendi confeſſiones.

Licentiarum adminiſtrandi Sacramenta.

Licentiarum deſerviendi beneficiis Curatis.

Licentiarum deſerviendi beneficiis ſimplicibus.

Licentiarum ordinandi ſe ad titulum patrimonii, ſeu approbationem hujuſmodi titulorum.

Licentiarum abſentandi ſe ab Eccleſiis, & beneficiis.

Licentiarum quæſtuandi.

Licentiarum ſepeliendi cadavera intus Eccleſiam.

Mandatorum de publicando in Eccleſia initiandos ſacris, vel minoribus ordinibus, vel tonſuræ clericali.

Diſpenſationum ad duo beneficia etiam ſimilia ſub eodem recto.

Approbationum concurrentium ad vacantes parochiales in menſibus reſervatis, quæ ad Curiam Romanam tranſmittuntur.

Approbationum Juriſpatronatus ex fundatione, vel dotatione.

Creationum Notariorum in parochialibus, & commiſſionum regiminis ſcribariarum earumdem vacan.

Deputationum Oeconomorum dum beneficia vacant.

Executionum litterarum Apoſtolicarum gratiam, ſeu juſtitiam concernentium.

Die ſeptima Februarii 1602. Propoſito in Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hoc ſupplici libello, Patres primum mirati ſunt aliqua ex ſuprapoſitis capitulis aliquo modo etiam abſq; ulla mercede concedi, nempe licentiam tum bis in die, tum etiam matutino tempore Miſſas celebrandi; & proinde mandarunt Epiſcopo ſignificari, num hæc ipſe concedat, quemadmodum proponitur.

Deinde quoad pecuniæ, ſeu mercedis exactionem, ac ſolutionem pertinet, reſponderunt, Epiſcopo quidem in nullo ex ſupradictorum capitum licere quicquam accipere, vel percipere directè, vel indirectè. Notario, vel Cancellario nihil etiam licere accipere in plurimis ex iiſdem capitibus, nempè propter approbationem ad audiendas confeſſiones; propter licentiam adminiſtrandi Sacramenta; ob licentiam deſerviendi beneficiis; ob licentiam ſepeliendi defunctorum corpora in Eccleſia; ob licentiam, ut quis poſſit abeſſe à beneficiis; ob mandata publicandi in Eccleſia eos, qui primam tonſuram, vel minores, ſacroſve ordines ſuſcipere voluerint; adeò ut in nullo ſupradictorum caſuum neque ratione ſcripturæ, nec ſigilli, nec laboris, nec alio titulo aliquid à quopiam percipere queat, ſed gratis hæc omnia his, quorum intereſt, debeant præſtari. Verùm quoad alia capita ita demum Notarium, vel

Can-

Digitized by Google

Cancellarium poſse aliquid percipere, ſi nullum ſibi ſalarium, vel ſtipendium ſit conſtitutum, eumque congruam tantùm ſui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis, vel inſtitutionis Curatarum Eccleſiarum, vel deputationis Vicariorum in illis, unum aurum, & quoad litteras dimiſſorias, aut teſtimoniales decimam unius auri partem nunquam excedat.

Et cùm pro parte Epiſcopi ad impediendam hujus decreti executionem habitus eſſet recurſus ad Commiſſarium Cameræ, eo quod Cameræ intereſſet, quæ tempore ſedium Epiſcopalium in Hiſpania vacantium emolumenta ſupradicta percipere conſueverat; Commiſſarius inhibitionem conceſſit: ac propterea Capitulo petente inhibitionis moderationem, Sanctiſſimus D. N. mandavit, ut de hac re in Congregatione utraque parte audita, iterum ageretur.

33 In Congregatione præterita cùm Procurator Capituli Vicen. eſſet conqueſtus, quod Epiſcopus pecuniam exigeret pro licentia bis in die celebrandi: S. Congregatio mandavit ſignificari Epiſcopo, ut ne dum aliquid propterea non exigeret, ſed nec ullam licentiam bis in die celebrandi ullo modo concederet.

Nunc idem Procurator petiit hujuſmodi decreti moderationem: allegat *cap. Conſuluiſti, de celebratione Miſſar.*

Sac. Congregatio die 28. Februarii 1602. cenſuit hoc cap. Demendum ex decreto, & ex litteris, quæ dabuntur ad Epiſcopum, & relinquendum in diſpoſitione juris communis.

Exemplum litterarum ad Epiſcopum Vicen. propoſito, atque perlecto in Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ſupplici libello his litteris adjuncto, quem Procurator Capituli iſtius Cathedralis exhibuit, Illuſtriſſimi Patres eis ſingulis deguſtatis, atque perpenſis, reſponderunt, Epiſcopo quidem in nullo ſupradictorum capitum licere quicquam accipere, vel percipere directè, vel indirectè. Notario autem, vel Cancellario nihil etiam licere accipere in plurimis ex eiſdem capitibus; nempè propter approbationem ad audiendas confeſſiones; propter licentiam adminiſtrandi ſacramenta; ob licentiam deſerviendi beneficiis; ob licentiam ſepeliendi defunctorum corpora in Eccleſia; ob licentiam ut quis poſſit abeſſe à beneficiis; ob licentiam celebrandi Miſſas; ob licentiam colligendi eleemoſynas; ob mandata publicandi in Eccleſia eos, qui primam tonſuram, vel minores, ſacroſque ordines ſuſcipere voluerint; adeout in nullo ſupradictorum caſuum, neque ratione ſcripturæ, nec ſigilli, nec laboris, nec alio titulo aliquid à quopiam percipi queat, ſed gratis hæc omnia his, quorum intereſt, debeat præſtari.

34 Verùm quoad alia capita ita demum poſſe Notarium, vel Cancellarium aliquid percipere, ſi nullum ſibi ſalarium, vel ſtipendium fuerit conſtitutum: tuncque congruam tantùm ſui laboris mercedem, quæ quoad litteras collationis, vel inſtitutionis Curatarum Eccleſiarum, vel deputationem Vicariorum in illis unum aureum; & quoad litteras dimiſſorias, aut teſtimoniales, decimam unius auri partem nunquam excedat. Tenet amplitudo Tua non obſcurè in ſingulis hiſce capitibus Congregationis ſententiam, cui conformius adhærebit, quò magis decet Prælatos à pecuniæ ſtudio eſſe abhorrentes. Deus Amplitudinem Tuam incolumen ſervet.

Romæ die 8. Martii 1602.

Decreta S. Congregationis Epiſcoporum Die 25. Octobris 1588.

RElatis, & latè diſcuſſis in S. Congregatione Illuſtriſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, ac viſitationibus Apoſtolicis deputatorum junctis capitibus S. D. N. nomine Canonicorum, & Capituli Gerunden. Eccleſiæ per memoriale Sanctitati ſuæ porrectum exhibitis unà cum reſponſionibus nomine Reverendiſſimi D. Epiſcopi deſuper factis, partium Procuratoribus etiam in contradictorio ſæpius auditis: eadem Sac. Congregatio, cui negotium fuit remiſſum à Sanctitate ſua ſuper unoquoque reſpondendum fore cenſuit prout infra.

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Ad primum, & ſecundum quatenus aſſerit R. D. Epi- 35
ſcopum à proviſis in forma dignum à Sede Apoſtolica exigere pro collatione in vim Apoſtolici mandati facienda julios duos pro quolibet decreto valoris beneficii, & pro collationibus, quæ ipſe facit jure ordinario, pro qualibet proviſione aliquando ſex, aliquando ſeptem ſcuta; & à proviſis ab inferioribus etiam exemptis, quorum collationes ab ejus Vicario vult approbari, & ratificari, ſub ſolutione præfata. S. Congregatio inhærendo reſponſioni jam factæ per Illuſtriſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales pro interpretatione, & executione S. Concilii Tridentini deputatos, dicit pro collatione, aut inſtitutione Eccleſiarum Curatarum Cancellarium poſſe in ſingulis accipere mercedem ſuo labori convenientem, quæ tamen ſcriptura, ſigillo, & cæteris omnibus computatis unum aurum non excedat; & dummodo ipſi Cancellario ſalarium nullum pro officio ſuo exercendo conſtitutum ſit, & ex pecunia, quam accipit, nihil prorſus emolumenti collatores, aut inſtitutores ullo modo directè, vel indirectè percipiant: & idem ſervandum in omnibus aliis etiam ſimplicibus beneficiis quibuſcumque.

Ad tertium ſuper juribus competentibus dicto Epiſco- 36
po ex conſuetudine pro decretis per eum in teſtamentis clericorum interpoſitis, illorumque ut ajunt, inſolita exactione: dicitur, quod ſi aliquid de jure, vel præſcripta conſuetudine exigi debeat propter decreta in teſtamentis interponi ſolita ab Epiſcopo non excedatur taxa, ſeu ſumma antiquitus conſueta, quæ ſemel ſolvatur etiamſi plura legata pia in eodem ſcripta ſint teſtamento, & de illa ab Epiſcopo, non autem ab hæredibus, vel ab alio merces Notarii detur.

Ad quartum ſuper licentiis bis celebrandi, ac pecuniis, 37
quæ pro illarum expeditione, ut aſſeritur, ſolvuntur, miratur Sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis: nam id nonniſi ex magna neceſſitate fieri debet, & magna cautela, ut puta in locis, ut perpauciſſimi ſunt ſacerdotes, vel adſint impedimenta adverſariorum Fidei, vel quid ſimile, quæ ceſſant eo in loco, ubi vix evenire poſſint alii caſus à jure permiſſi; nec concedi poteſt hæc licentia ab Epiſcopo generaliter quaſi privilegium alicujus ſacerdotis, ſed tantum in aliquo caſu particulari neceſſitatis cauſa ab Epiſcopo examinanda; & ſi quando concedi contingat, gratis prorſus etiam quoad mercedem Notarii concedatur.

Ad quintum, & ſextum ſuper pecuniis, quæ ab Epiſcopo, ut fertur, exiguntur pro litteris dimiſſoriis, & teſtimonialibus, aut commendatitiis, necnon publicationis, ut ipſi vocant, quæ promovendis ad ſacros ordines concedi ſolent: dicitur ad unguem ſervari debere decretum S. Concilii Tridentini *cap. 1. de reform. ſeſſ.* 21.

Ad ſeptimum ſuper ſolutionibus, quas fieri exponitur, pro licentiis exercendi curam animarum, confeſſiones audiendi, coadjutoriis, earumque revocatione: dicitur gratis omnino licentias concedendas, ex decreto ejuſdem S. Concilii *cap. 15. de reform. ſeſſ.* 23.

Ad octavum ſuper exactione, quæ fieri præſupponitur 38
unius argentei pro diſpenſationibus matrimonialibus exequendis, litterarum Apoſtolicarum clauſulis non obſtantibus: inhærendo reſponſo deſuper facto per ſupradictos Illuſtriſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales Concilii prædicti Interpretes, dicitur pro diſpenſationibus matrimonialibus non licere Epiſcopo, vel ejus Vicario quidquam accipere, vel ratione taxæ, etiam ex immemorabili conſuetudine, nec ratione ſigilli, vel alicujus alterius rei: quapropter decretum illud, quod poni ſolet in litteris diſpenſationum matrimonialium, ut nihil muneris, aut premii etiam ſpontè oblati accipi poſſit pro illarum executione, ita intelligendum eſt, ut neque Ordinarius ipſe, neque Vicarius ejus quidquam prorſus etiam pro mercede laboris, quam ex ea re ſuſceperint, capere poſſint: Notarios verò pro examine teſtium quartam partem auri, ſeu ducati licitè accipere poſſe.

Ad nonum ſuper exactione, quam fieri aſſerunt ju- 39
liorum quatuor ab examinatis, & approbatis ad Parochiales obtinendas examinatori ſolvendorum: dicitur abolendam fore, gratiſque examen, & approbationem eſſe faciendam, juxta decretum S. Concilii

prædicta *cap. 18. de reform. ſeſſ.* 24. ſub pœnis in eo contentis.

40 Ad decimum ſuper exactione ſcutorum ſex; quam facere dicunt Epiſcopum à Presbyteris volentibus ſepeliri in ambitu Eccleſiæ contra formam decretorum ſynodalium, & provincialium: dicitur ſervandam fore conſuetudinem ſi qua eſt Eccleſiæ Gerunden ejuſque provinciæ, non permittendo quemquam ſepeliri intra Eccleſiam abſq; Epiſcopi licentia: ſed quod pro ea ſolvantur ſcuta ſex, non benè ſonat, & potius ad avaritiam, quam ad reprimendas importunorum preces, videtur inductum; ideò vel tollendam, vel moderandam, ut aliquid honeſtum ſolvatur pauperibus erogandum, vel ſaltem in Eccleſiæ ejuſdem manifeſtam, & apparentem utilitatem convertendum.

41 Ad undecimum ſuper edicto, quo Parochis prohibetur, ne ſponſos matrimonio conjungant, etiam ſolemnitatibus à Tridentino Concilio requiſitis, expletis, niſi habeant in ſcriptis licentiam; quæ tamen non datur abſque ſolutione, ut aſſeritur, dimidii unius Julii. Dicitur quod ſi ex aliqua rationabili cauſa prohibetur, ne Parochi ſolemnitatibus à dicto Concilio ordinatis, matrimonio aliquos conjungere poſſint, niſi habita prius licentia ab Epiſcopo; hoc jure ipſi Epiſcopo lex aliqua præſcribenda non eſt, ſed ſervatis omnino, quæ ex eodem Concilio ſubſtantialia ſunt, quoad ſolemnitates dumtaxat, ſuæ tantum conſcientiæ, & regimini relinquendum: Similiter etiamſi quomodolibet in aliquo Caſtro, ſeu Oppido id prohibere convenit, quod tamen nonniſi ex aliqua urgenti cauſa faciendum videtur: ſicut enim Epiſcopus ſummoperè debet animadvertere ne matrimonia ſine ſolemnitatibus prædictis fiant; ita etiam cavere ne difficiliores reddantur matrimoniorum contractus novas ſine magna cauſa addendo neceſſitates: ſi tamen aliqua licentia opus erit, nihil omnino etiam à Notario pro ea exigatur, ſed ſi ex antiqua forſan præſcripta conſuetudine aliquid Epiſcopo, quaſi in ſignum lætitiæ donari gratis ſoleat, non videtur penitus improbandum.

42 Ad duodecimum ſuper eo, quod Epiſcopus ampliar, ut aſſeritur, conſuetudinem exigendi donativum ſibi factum in ejus ingreſſu, ut exigatur etiam ab obtinentibus beneficium poſt ingreſſum, denegando etiam litterarum executionem, & beneficiorum poſſeſſionem, donativo prius non ſoluto: dicitur id reprobatum eſſe, ex decreto S. Concilii Tridentini *cap. 24. ſeſſ.* 24. & propterea abſtinendum, prout abſtineri per procuratorem Epiſcopi reſponſum fuit.

43 Ad decimumtertium ſuper annata, quam prætendit Epiſcopus, ut fertur, pro beneficiis de novo erigendis, ſeu inſtituendis: dicitur benè à procuratore Epiſcopi reſponſum fuiſſe negando hujuſmodi annatam exigi; & propterea ut ita ſit, decernendam fore, ut nihil exigatur, niſi ubicumque neceſſariò aliquis proceſſus fiet; tunc enim Notario ſcribenti pro ſuo labore aliquid honeſtum eſſe ſolvendum, non videtur inconveniens.

44 Ad decimumquartum ſuper eo, quod Epiſcopus, ſi capellania uniatur dignitati, quæ alias in nihil contribuere tenetur, vult ratione capellaniæ ab obtinente dignitatem exigere jus viſitationis, & donativum. Reſpondetur omnia jura, quæ Epiſcopo competebant in capellania ante unionem, remanere Epiſcopo, niſi contrarium in ipſa unione Apoſtolica auctoritate fuerit expreſsè diſpoſitum.

Ad decimumquintum ſuper eo quod Epiſcopus utatur nimis frequenter cenſuris, ut objicitur, in cauſis civilibus, & parvi momenti: dicitur, Epiſcopum non debere inferre cenſuras, niſi ſervata forma d. Sac. Concilii *cap. 3. de reform. ſeſſ.* 25.

Ad decimumſextum de perſona Vicarii, & Officialis generalis, confidit S. Congregatio Epiſcopum talem Vicarium, ſeu Officialem generalem conſtituere, qualem inſignem illam decet Eccleſiam.

Ad decimumſeptimum ſuper eo, quod Epiſcopus ordi- 45
nes generales confert ut plurimum in capella Eccleſiæ remota, & obſcura, & quandoque in alia ejus palatii nulla præcedente intimatione, nec vocatis canonicis: dicitur ab Epiſcopo ſervandum fore in omnibus decretum S. Concilii prædicti *cap. 8. de reform. ſeſſ.* 23.

Ad decimumoctavum ſuper eo, quod Epiſcopus 46
non permittit, ut exponitur, Parochos, & Beneficiatos facere ſervitium alterius Beneficiati in eadem Eccleſia, vel alia etiam proviſi non reſidentis, niſi habita licentia, & pro ea juliis octo, & denariis quatuor perſolutis dicitur quod ubicumque Parochus ſuæ parochiæ curæ animarum ſibi commiſſarum, & Beneficiatus muneri ſuo plenè ſatisfecerit, ſi quod tempus ſuperſit, ut quandocumque alterum fortè impeditum adjuvet, non videtur prohibendum: quod autem pro licentia aliqua taxa ſolvatur, ſaltem poſt Concil. Trid. nullo modo probatur.

Optaret tandem Sac. Congregatio, ut Epiſcopis pro 47
ſua pietate, & populi ſibi commiſſi ædificatione non ſolùm ipſe, quod ſperatur, ſed etiam agat ut alii officiales, & miniſtri, & notarii abſtineant ab omnibus exactionibus, vel inſolitis, vel immoderatis, ita ut appareat nihil ex cupiditate, ſed omnia ab eo honeſte, & moderatè fieri ad Dei gloriam, & ſalutem animarum. Actum in Sac. Congregatione die, & anno ſuperiùs annotatis.

Portò in omnibus ſupraſcriptis caſibus, in quibus 48
Notario aliquid accipere non licet, ſi de facto accipiat, eſt ſimoniacum, quia prohibitum: non prohibitum, quia ſimoniacum, ſecundùm Petr. Hiſpan. Lau. & Goffred. quos hic refert Joan. Andr. *num. 6. in fine*, licèt Vincent. contra: & ita intelligo infraſcriptam reſolutionem Sacræ Congregationis Concilii videlicet.

An Notarii pro litteris dimiſſorialibus plus quam decimam unius auri partem accipientes contra id, quod ſtatuitur decreto Concilii Tridentini *cap. 1. ſeſſ.* 21. ſimoniam committere cenſeantur: Sacra Congregatio cenſuit committere ſimoniam: alioquin ſi hoc eſſet naturaliter, & intrinſecè malum non potuiſſet Eccleſia ſtatuere, ut liceret Notario decimam auri partem accipere, ut notatur in *cap. Ex parte, il primo in gloſ. dimittere, de offic. delegat.*

Et de ſupradicta diſtinctione vide quod latiſſimè ſcripſi in *cap. Cum pridem, à num. 2. uſque ad num.* 30. *ſupra de pactis*; ubi etiam habes articulum, quem hic proſequitur Abb. *num.* 6. videlicet, an Papa poſſit involvi crimine ſimoniæ, *in 3. quæſt. à num. 53. uſque ad num.* 141.

D E S I M O N I A.

Deodatus Papa.

C A P U T IV.

ACcuſatum ſimoniacum, neceſſe habuimus prohibere, ne Miſſarum ſolemnia celebraret, donec quid eſſet, verius conſtitiſſet.

S V M M A R I V M.

1 *ACcuſatus de ſimonia, de qua prius erat infamatus, eſt ipſo iure ſuſpenſus tam quoad ſe, quàm quoad alios.*
Et quid poſt Conſtitutionem Martini V. Ad evitanda, num. 9.

2 *Simoniacus in ordine habet characterem vitioſum.*

3 *Accu-*

Digitized by Google

3 *Accuſatus de ſimonia non præcedente infamia eſt ſuſpectus quoad ſe, ſed non quoad alios.*

4 *Simoniacus pendente accuſatione ab adminiſtratione Divinorum prohibetur.*

5 *Prohibitio Divinorum eſt ſuſpenſio.*

6 *Accuſatus de ſimonia interim ſuſpenditur à celebratione Miſſæ.*

7 *Suſpectus, & excommunicatus à iure poteſt ſuſpendi, & excommunicari ab homine.*

8 *Simonia eſt morbus cancroſus, in quo opus eſt ferro ignito.*

9 *Accuſatus, & infamatus de ſimonia hodie non eſt ſuſpectus quoad alios, niſi ſit publicè denunciatus per ſententiam.*

10 *Inquiſitio, vel accuſatio, denunciatio, & exceptio an impediant promotionem, vel electionem.*

1 ACcuſatum. Ad faciliorem intelligentiam præmitte hoc cap. & cap. ſequens habere locum in accuſato de ſimonia, qui prius erat publicè diffamatus, & de quo aliqua ſigna apparebant, ut *cap. Sicut il primo, infra eodem*. Talis enim erat ipſo jure ſuſpenſus tam quoad ſe,
2 quàm quoad alios, *cap. Præter hoc*, §. *Verum, in fin.* 32. *diſtin. cap. Quibuſdam, & cap. Reperiuntur*, 1. *quæſt.* 1. Præſertim ſimoniacus in ordine, qui habet characterem vitio-
3 ſum, ut *cap. Tanta, infra eodem*. Secus verò ſi accuſatus eſſet aliàs ſimoniacus occultus; quia tunc quamvis eſſet ſuſpectus quoad ſe, ſicut quilibet exiſtens in peccato mortali, non tamen quoad alios, ut *cap. ult. ſupra de cohabitat. Cler. & mulier. cap. Sacerdotes*, 1. *quæſt.* 1. & ita intelligunt hoc *cap. cum cap. ſeq.* gloſſa 1. *hic*, Innocentius, Abbas Antiq. & Hoſtienſis omnes *in princip.* But. *num.* 3. *& 4. verſ. Vel dicit gloſſa*, & alii communiter.

4 Hoc præmiſſo, cùm Papa hic dicat, neceſſe habuimus prohibere, ne accuſatus de ſimonia Miſſarum ſolemnia celebraret: hinc emerſerunt duo intellectus ad hanc Decretalem. Primus eſt exponendo verbum *prohibere*, ſcilicet de facto, non autem de jure: nam cùm talis in veritate jam eſſet ipſo jure ſuſpectus, non fuiſſet neceſſe illum de novo ſuſpendere, ſed ne divina celebraret prohibere, hoc referens ad nudam prohibitionem facti, non autem juris, ſecundùm Hoſtienſ. *hic num.* 2. Joan. Andr. *num.* 1. *in verb. Prohibere*, Butr. *num.* 4. & Cardin. *ante num.* 1. *verſ. Sed poteſt legi*: & juxta hanc lecturam Decretalis ſummatur ſic ſecundùm Abbatem, Joan. de Anan. Mar. Socin. & Felin. Simoniacus pendente accuſatione ab adminiſtratione divinorum prohibetur. Hoc dicit cum c. ſeq.

Secundus intellectus, qui magis placet Cardin. accipit 5
verb. Prohibere, pro ſuſpenſione, quia prohibitio divinorum eſt ſuſpenſio, *cap. Is cui, de ſentent. excommunic. lib.* 6. & juxta hanc lecturam ſic ſummat Cardinalis. Ac- 6
cuſatus de ſimonia interim ſuſpenditur à celebratione Miſſæ: hoc intendit cum cap. ſeq. Quod ſi objicias, qua- 7
re ergo ſuſpenditur, cùm jam ſuſpenſus ſit? Reſpondetur ſecundùm Hoſtien. Joan. Andr. Butr. & Card. proximè citatos, ſuſpenſum à jure poſſe nihilominus ſuſpendi ab homine: nam & excommunicatus excommunicatur, ut *cap. Ita quorundam, infra de Iudæis, & leg.* & not. *in cap. Cum pro cauſa, & in cap. Officii, de ſent. excommunic.*

Quamvis autem hoc cap. & cap. ſequens loquatur de 8
ſimonia, quæ ut ait Goffred. *in cap. Tanta, infra eodem*, & Joan. Andr. *hic num.* 2. eſt morbus cancroſus, in quo opus eſt ferro ignito, *cap. Reperiuntur*, 1. *quæſt.* 1. tamen obtinent etiam in aliis criminibus, ſecundum Innoc. *hic num.* 1. *verſ. Et non obtinet ſolum in ſimonia*, & Hoſtienſ. *in princ. per l.* 1. *C. de reis poſtulatis, lib.* 10. *& cap. Presbyter*, 3. *quæſt.* 5.

Cæterùm adverte, quia licèt inſpecta juris communis 9
diſpoſitione accuſatus de ſimonia, vel alio crimine, de quo prius erat infamatus, ſit ipſo jure ſuſpenſus etiam quoad alios, ut dictum eſt ſupra in principio: hodie tamen hoc non obtinet, niſi etiam ſit ſuſpenſus, & publicè denunciatus per ſententiam hominis; quia ex Conſtitutione Martini V. edita in Concilio Conſtantienſi, quæ incipit, *Ad evitanda ſcandala*; licitè communicamus etiam in divinis officiis, & receptione Sacramentorum excommunicatis, ſuſpectis, & interdictis, niſi ſint publicè denunciati per ſententiam hominis, aut notorii Clericorum percuſſores: de cujus Conſtitutionis intellectu, & robore latiſſimè diſſeruimus in *cap. Quod à prædeceſſore, infra de ſchiſmaticis*, ubi plenè videas. Hæc de celebratione divinorum, & Sacramentorum adminiſtratione.

Quid autem juris ſit in promotione, vel electione vi- 10
delicet an impediatur per inquiſitionem, vel accuſationem, denunciationem, & exceptionem, diſtingue ut plenè ſcripſi in *cap. Omnipotens, ſupra de accuſat.* & *hic* per Innocentium, & Henric. Boich.

DE SIMONIA.

Idem Deodatus Papa.

CAPUT V.

QUotiens: & infrà. Pervenit ad nos, quòd per ſimoniacam hæreſim fueris ordinatus, proptereà neceſſe habuimus te prohibere ne Miſſarum ſolemnia celebrare debuiſſes, donec quid ſit, verius diſcerneremus.

QUotiens. Idem dicit, quod præcedens, niſi quod illud cap. loquitur in accuſato de ſimonia, de qua tamen erat publicè infamatus, ut dixi *num.* 1. hoc verò de inquiſito, qui ſimiliter erat infamatus, cùm inquiſitio non fiat niſi præcedente infamia, *cap. Qualiter, il ſecondo, cap. Cùm oporteat, & cap. Inquiſitionis, ſupra de accuſat.* Rurſus illud loquitur de ſimonia in genere; hoc verò ſpecificat de ſimoniaco in ordine: quare ad intellectus hujus cap. vide quæ ſcripſi in cap. præcedenti.

Digitized by Google

DE SIMONIA.

Alexander III.

CAPUT XVII.

EX diligenti tua relatione innotuit, quòd H. Cant. Archidiaconus te induxit, ut ei homagium faceres, & fidelitatem præſtares: ita quòd ipſe tibi beneficium Eccleſiaſticum annis ſingulis exhiberet. Unde quoniam hujuſmodi obligatio illicita, & contra tuæ ſalutis, nec non & ſuæ profectum exiſtit, abſolvi à nobis inſtantiùs poſtulaſti: adjiciens, quòd ab eo deinceps nihil omnino de beneficio acciperes conſtituto. Quocirca nos tuam petitionem honeſtam, & favorabilem attendentes: te à præfati Archidiaconi homagio & fidelitate (præſertim cùm hæc taliter præſtita divinis & humanis legibus contraire noſcantur) abſolvimus: ita quòd ab Epiſcopo vel ſacerdote diſcreto, pœnitentiam inde condignam recipias. Verùm ne aliqua propter hoc nota vel infamia poſſis reſpergi, abſolutionis noſtræ litteras tibi duximus indulgendas: quibus contra latrantium morſus tutus & præmunitus exiſtas; & quas in teſtimonium indulgentiæ noſtræ valeas demonſtrare.

SVMMARIVM.

1 *HOmagium facere pro habendis ſpiritualibus ſimoniacum eſt.*
2 *Homagium eſt munus ab obſequio.*
3 *Simoniacum eſt contra divinas, & humanas leges dare aliquid temporale pro collatione beneficii Eccleſiaſtici.*
Intellectus huius capituli, ibidem, & num. ſeqq. uſque in finem.
4 *Lex divina, & humana quæ dicatur, & num. ſeqq.*
5 *Simonia crimen eſt merè Eccleſiaſticum.*
6 *Ius divinum an dici poſſit ab Eccleſia extenſum.*
7 *Papa recipiendo pecuniam pro beneficii collatione an involvatur crimine ſimoniæ.*

1 EX *diligenti*. Pro habendis ſpiritualibus homagium facere ſimoniacum eſt: hoc dicit, ſunt duæ partes. In prima ponitur ſupplicantis narratio, petitio, & obligatio. In ſecunda petitionis exauditio cum determinatione, & litterarum datio, ibi, *Quocirca*.

Nota primò ex hac Decretali, ſimoniacum eſſe homagium facere, ſeu fidelitatem præſtare pro beneficio Eccleſiaſtico obtinendo, ut hic eſt caſus, & in *cap. fin. infra de reg. iur.* ubi dicitur indignum eſſe, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus homagium
2 quis facere compellatur: eſt enim munus ab obſequio indebitè impenſo, quod ſimoniam inducit, *c. Sunt nonnulli, 1. quæſt. 1.* & hic notat gloſſa 1. & DD.

3 Secundò nota litteram ibi, *cùm hæc taliter præſtita divinis, & humanis legibus contraire noſcantur*: & deinde collige ſimoniacum eſſe, & lege divina prohibitum præſtare homagium, & ſic dare aliquid temporale pro collatione
4 beneficii Eccleſiaſtici. Et quamvis gloſſa in *verb. Divinis*; exponat verbum illud, *divinis*, id eſt canonicis prout exponitur in *cap. Quod ſuſpecti, 3. quæſt. 5.* & verbum *humanis*, interpretetur, id eſt civilibus, dum allegat *l. Si quemquam, C. de Epiſcop. & Cleric.* & Authen. *de Sanctiſs. Epiſcop. circa princ. §. Sed neque collat. 9.* & hanc expoſitionem ſequatur Præpoſ. *in c. Latorem, num. 31. 1. quæſt. 1.* Hæc tamen primæ gloſſæ expoſitio non videtur admittenda; quia cùm crimen ſimoniæ ſit merè Eccleſiaſticum, & leges civiles non poſſint ſe de illo intromittere, gloſſ. *fin. in cap. Cum ſit generale, de foro competent.* quam ſequuntur communiter Doctores teſte Jo. de Anan. *in cap. 1. num. 9. ſupra eodem*, & Julio Claro *in pract. crimin. §. Si-*
5 *monia, num. 7. verſ. Hoc crimen*. Verbum illud, *humanis*, non poteſt exponi pro civilibus; quia non eſt credendum hunc canonem voluiſſe canonizare leges civiles: de hoc crimine ſtatuentes, & ponentes falcem in meſſem alienam, ut in *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ*, cum ibi notatis per DD. *ſupra de Conſtit.* Sed intelligi debet humanis, id eſt canonicis, ſeu Eccleſiaſticis, & conſequenter præcedens verbum, *divinis*, cùm ponatur ad differentiam canonicarum, non poteſt exponi pro canonicis, alioquin perinde eſſet ac ſi dixiſſet textus, cùm hoc canonicis, & canonicis legibus noſcatur contraire: & ſic eſſet nugatoria propoſitio. Unde meritò gloſſa tranſit ad ſecundam expoſitionem intelligendo propriè illud verbum, *divinis*, quia hoc eſt contra vetus, & novum teſtamentum, ut in *c. Qui ſtudet, 1. quæſt. 1.*

Nec relevat, quod Præpoſ. *in cap. Latorem, num. 31. verſ.* 6
Non obſtat, 1. quæſt. 1. dicat illam gloſſam eſſe intelligendam de jure divino ab Eccleſia extenſo, dum allegat textum in *dict. cap. Qui ſtudet*, qui loquitur de ſimonia in ordine. Imò enim hinc potius colligitur gloſſam ſenſiſſe pari paſſu ambulare ſimoniam in ordine, & in beneficio, dum ad probandum ſimoniam in beneficiis eſſe damnatam in veteri, & novo Teſtamento adducit textum, qui loquitur de ſimonia in ordine. Præterquamquod jus divinum extenſum verè, & propriè non eſt aliud à jure divino, ſicut patet in naturalibus; nam pellis extenſa, eſt eadem met pellis: nec propriè hæc dicitur extenſio, ſed comprehenſio, argum. *l. Neque, ff. de legibus*, & eorum, quæ notant Cyn. & Bart. *in l. 1. C. de interdict.* Quod ſi extenſio ſimoniæ fieret ultra jus divinum, jam non verificaretur, quod dicit gloſſa ſimoniam in beneficio eſſe prohibitam in veteri, & novo teſtamento: nam potius eſſet prohibita ex Conſtitutione
Eccleſiæ. Atque ita hic juncta gloſſa eſt caſus apertus con- 7
tra eos, qui tenent vendere titulum beneficii Eccleſiaſtici non eſſe ſimoniacum, quia prohibitum, cùm tituli beneficiales ſint de jure poſitivo; inter quos recenſentur Henric. Boich. *in cap. 1. in princip. Ne Prælat. vices ſuas*, & Cardin. *in cap. 1. num. 2. ſupra eodem*, inferentes propterea Papam recipiendo pecuniam pro beneficii collatione non involvi crimine ſimoniæ. Et de communi opinione teſtantur Jo. de Anan. *in d. cap. 1. poſt num. 7.* Felin. *ibid. num. 2. & in cap. Ex parte, il primo, num. 1. verſ. Dicunt hic moderni, de offic. Deleg.* Præpoſ. *in d. cap. Latorem, num. 29. 1. quæſt. 1.* & Jul. Clar. *in d. §. Simonia, num. 5. verſ. Quæro etiam*. Sed in contrarium ut vides, eſt textus hic, & ad idem ſunt jura aperta *in cap. Ex multis, 1. quæſt. 3.* cui reſponderi non poteſt, ut inquit Felin. *in cap. 1. num. 2. verſ. Sed fortius urget, ſupra eodem*. Item *in cap. Salvator, in cap. Si quis dator, & in cap. Si quis obiecerit, ead. cauſ. & quæſt. & in cap. Presbyter, 1. quæſt. 1.* Hunc articulum latiſſimè proſequor in *cap. Cum pridem, ſupra de pact.* ubi à num. 42. uſque ad num. 50. expendo ſingula jura proximè citata, & totam materiam examino per quinque principales quæſtiones à num. 2. uſque in finem, ibi videas.

DE

Digitized by Google

DE SIMONIA.

Cœleſtinus III.

CAPUT XXVII.

NObis fuit ex parte tua intimatum, quòd cùm quatuor eſſent à capitulo conſtituti; qui debebant quemdam eligere in Plebanum, amici ejus, de cujus electione ſpes habebatur, uni vel omnibus eligentium promiſerunt, ſe pecuniam ſoluturos; eo tamen ignorante, qui hujuſmodi promiſſione interveniente poſtmodum eſt electus: & infrà. Quia igitur ſuper hoc conſulere nos voluiſti: Conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quòd niſi conſtaret illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitioſè feciſſe: quamvis ipſe promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio, tamquam ſimoniaca pravitate præſumpta, eſt penitùs reprobanda: & infrà. Ad ultimum, quod in fine conſultationis tuæ invenimus, hoc duximus reſpondendum: Quòd aliquis in Eccleſiæ cujuslibet Prælatum electus, & ut dictum eſt, per pravitatem ſimoniacam reprobatus, ab Epiſcopo ſuo diſpenſationem aliquam obtinere de jure non poteſt.

SUMMARIUM.

1 *ELectio ſimoniaca eſt caſſanda ſi electoribus propter hoc ſit promiſſa pecunia, quamvis electus ignoret.*
2 *Non diſpenſat Epiſcopus cum electo reprobato propter vitium ſimoniæ, & num. 9.*
3 *Electio eſt ſimoniaca etiam cùm pecunia promittitur uni tantùm electoribus, licet electus hoc ignoret, & num. 16. & ſeqq.*
4 *Electio tota cur inficiatur ex voto unius ſimoniaci, non autem ex voto unius excõmunicati ignoranter adhibiti.*
5 *Preſẽtatio, collatio, & electio vitiantur ex ſimonia unius, ſi competant pluribus ut univerſis. Secus ſi ut ſingulis.*
6 *Electio eodem modo eſt ſimoniaca, ſi pecunia electoribus ſit promiſſa, ac ſi ſoluta fuerit.*
7 *Simonia non tantum realis, ſed etiam conventionalis reddit electionem ipſo iure nullam, & num. 13.*
8 *Electio quamvis ſit ſimoniaca, non tamen vitiatur quando pecunia eligentibus datur, vel promittitur malitioſè, & in fraudem electi, & num. 32.*
9 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus poſt electionem caſſatam cum ſimoniace electo etiam ignorante.*
10 *Electio Papæ per ſimoniam celebrata an, & quando ſit ipſo iure nulla, & num. ſeqq. uſque ad num. 102.*
Quid ſi ipſemet electus cum Cardinalibus votum dantibus ſimoniam commiſerit, num. 11. & 56.
Et quid ſi alius eam cõmiſerit electo contradicente, n. 30.
Et quid ſi ille hoc fecerit malitioſè, & in fraudem electi, num. 32.
Et quid ſi non malitioſè, ſed tamen electo ignorante, n. 35. uſque ad num. 83.
Et quid ſi electus poſtea ratum habuerit, num. 83.
Et quid ſi ſimonia per alium commiſſa fuerit electo ſciente, & tacente, num. 96.
11 *Electio Papæ celebrata per ſimoniam commiſſam cum Cardinalibus votum dantibus ab ipſomet electo, vel ab alio de illius voluntate, eſt ipſo iure nulla ex Conſtitutione Iulii II. & num. 56.*
12 *Nec per ſucceſſivam inthronizationem, vel adorationem, aut curſum temporis convaleſcit.*
Conſtitutio Iulii II. an ſit intelligenda de illa tantùm ſimonia, quæ notoria eſt, ibid. & num. 78.
13 *Conſtitutio Iulii II. irritat electionem Papæ factam per ſimoniam etiam conventionalem.*
14 *Pretium dare, & habere fidem de pretio paria ſunt.*
15 *Simoniaca eſt electio etiam cùm quis promittit quod ſe obligabit pecuniam ſolvere poſtquam fuerit electus.*
16 *Electio ſimoniaca eſt nulla, etiamſi pecunia de voluntate electi promiſſa fuerit uni tantùm ex Cardinalibus votum dantibus, & num. 55.*
Etiamſi votum illud non ſit neceſſarium ad integrandam electionem, ſed ſuperabundet, & num. 18.
17 Aliquis *verbum, quamvis ſit relativum diverſitatis, eſt tamen diſtributivum, & verificatur etiam in uno.*
19 *Electio ſimoniaca non ſuſtinetur ex eo quod eligentes dicant ſe non fuiſſe pecunia motos ad eligendum, quia alias electuri erant.*
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Declaratur num. 20. & 108. & ſeq.
21 *Cardinalis, qui dicit ſe non dediſſe votum electo, à quo pecuniam recepit, non eſt audiendus, & electio eſt nulla, ſi proceſſum fuerit per formam ſcrutinii.*
Idem ſi quaſi per inſpirationem, num. 23.
Et quid ſi per compromiſſum, n. 24. uſque ad n. 30.
22 *Electio Papæ per ſcrutinium debet eſſe ſecreta ita ut nomen eligentis numquam publicetur.*
23 *Electio Papæ quaſi per inſpirationem pro forma requirit ut nullus præcedat de perſona ſpecialis tractatus, atque ut fiat ab omnibus Cardinalibus communiter nemine diſſentiente.*
24 *Compromiſſarii ſimpliciter dati non arctantur ad eligendum per ſcrutinium ſecretum.*
25 *Conſtitutio Iulii II. an irritet electionem quando ſolus electus ſimoniam commiſit, non autem eligentes, & num. ſeq. uſque ad num. 30.*
26 *Electus quamvis non concurrat in ſua electione activè, concurrit tamen paſſivè, & num. 29.*
27 *Electus aliquando eſt ſimoniacus, ſed non ſimoniacè electus, num. 54. & 111.*
29 *Eligere ſeipſum nemo poteſt etiam cùm proceditur per viam compromiſſi.*
30 *Simonia cum electoribus commiſſa non imputatur electo contradicenti.*
31 *Niſi poſtea ratum habuerit.*
32 *Simonia malitioſè, & in fraudem commiſſa ad hoc ut electio ſit nulla, non nocet electo.*
Et quid ſi electus ratum habuerit, num. 34.
33 *Fraus per coniecturas probatur.*
35 *Electio facta per ſimoniam cum electoribus commiſſam electo ignorante an ſit nulla ipſo iure, & num. ſeqq. uſque ad num. 83.*
36 Penitus *dictio importat nullitatem ipſo iure, etiamſi præponatur verbo futuri temporis.*
Declaratur, num. 69.
37 *Promoti per ſimoniam ipſis ignorantibus commiſſam de rigore iuris tenẽtur Eccleſias dimittere, & n. 58. & 69.*
38 *Sed poſt dimiſſionem ex miſericordia tolerantur, & num. 70.*
40 *Electo à duabus partibus Cardinalium obiici poſſunt defectus intrinſeci, qui inficiunt naturalia electionis principia, & num. ſeq.*
41 *Et qui ſint huiuſmodi defectus.*
42 *Defectus principiorum naturalium, ſuper quibus fundatur eſſentia rei ipſam tollit.*
Exceptio, qua ſubiectum negatur, ſemper admittenda eſt, ibidem.
43 *Electum in Papam à duabus partibus Cardinalium non repellunt defectus extrinſeci. Et qui ſint tales defectus.*
44 *Naturalia difficilius immutantur, quàm accidentalia.*
45 *Simonia eſt defectus intrinſecus eligentium animos ab intra vulnerans, & inficiens.*
Contrarium, num. 62. & ſeqq.
46 *Electio eſt nulla de iure naturali quando quis eſt intruſus, vel ſimoniacè electus, & num. 52.*

Contrarium, num. 80. & ſeqq.
Declaratur, num. 82.
47 Electio ob defectus intrinſecos redditur nulla etiam electo ignorante.
48 Ignorantia excludit delictum, ſed non legitimat actum.
49 Et quamvis excuſet à pœna, non tamen dat robur actui aliàs invalido.
50 Sancti Thomæ doctrina de ignoranter promoto per ſimoniam expenditur, & num. ſeqq. & num. 80. & 82.
Spiritualia quæcumque qui muneris interventu aſſequitur contra voluntatem, & ordinationem Domini, ea licitè retinere non poteſt, ibid.
Declaratur, num. 81.
51 Privatio quandoque non eſt pœna, ſed effectus iniuſtæ acquiſitionis.
Simoniacè promotus ignoranter tenetur reſignare beneficium cum fructibus extantibus, non autem bona fide conſumptis, ibid. & num. 80.
52 Dignitas acquiſita per ſimoniam ſe ignorante commiſſam dimittenda eſt in foro animæ non in pœnam criminis, ſed ex natura rei, quæ vendibilis non eſt.
Contrarium, num. 80. & ſeq.
Declaratur, num. 82.
53 Conſtitutio Iulii II. an comprehendat electum per ſimoniam ab alio commiſſam ipſo ignorante, & num. 71.
54 Electus nonnunquam eſt ſimoniacè promotus, ſed non eſt ſimoniacus.
55 Simonia perinde nocet ſi fuerit commiſſa cum uno eligentium, ac cum omnibus quoad vitium electionis, ſed non quoad pœnam eorum, qui non peccaverunt.
56 Electo à duabus partibus Cardinalium de iure communi obiici non poteſt quod electio ſit ſimoniaca, etiamſi ipſemet ſimoniam commiſerit, & num. 60. & ſeq.
Et quid ex Conſtitutione Iulii II. à num. 71.
57 Intellectus, c. Si quis pecunia, 79. diſt.
59 Cardinales ſi fuerint accuſati, & convicti quod Papam ſimoniacè elegerint, non propterea electus erit deponendus.
60 Hæreſis ſtrictè ſumpta obiici poteſt contra electum in Romanum Pontificem.
61 Simonia dicitur hæreſis, ſed largè, & impropriè.
Declaratur, num. 82.
62 Simonia quamvis aliqualiter captivet affectum, tamen naturali conſenſui directo, & per ſe non obviat, & num. 65.
63 Cauſa eadem contrariorum naturaliter eſſe non poteſt.
64 Metus electionem inficit ipſo iure.
65 Pecuniæ receptio libertatem eligentium prorſus non tollit.
66 Matrimonium carnale ſicut ſpirituale libertatem conſenſus requirit.
67 Electionem inferiorum per ſimoniam electo ignorante commiſſam non eſſe nullam, quibus fundamentis probetur.
68 Pœna impoſita per verbum futuri temporis intelligitur per ſententiam, & num. 79.
Pœna non cenſetur ipſo iure inflicta, niſi iure id caveatur, ibidem.
72 Conſtitutio Iulii II. ſupponit crimen in ſimoniacè electo, cui graviſſimas pœnas infligit, & num. ſeqq.
Simonia punibilis non committitur abſque peccato, ibidem.
73 Ignorantia excludit delictum, & num. 76. & ſeqq.
74 Simonia punibilis non cadit in ignorante, & num. 77.
75 Anathema quis eſſe non poteſt pro peccatis alienis.
77 Committere quis non dicitur per ſe vel alium, quod prorſus ignorat.
78 Ignorantia ſimoniæ probatur per iuramentum electi, niſi ex adverſo probetur ſcientia.
81 Gratis data gratis dari debent, ut iuſta ſit datio, niſi ignorantia à peccato excuſet, & num. ſeq.
82 Simoniaca hæreſis quæ ex natura rei impedit acquiſitionem ſpiritualium quæ ſit.
Baptizati, & ordinati ignoranter per ſimoniacam hæreſim recipiunt characterem, & gratiam ſacramentalem, ibidem verſ. Quinimo.
83 Simonia committitur quandocumque electus conſenſerit ſive ante electionem, ſive poſt.
Declaratur, num. 85.
84 Ratihabitio in maleficiis retrotrahitur, & mandato comparatur.
85 Ratum quis habere non poteſt, quod ſuo nomine geſtum non eſt.
86 Simoniam propriè non committit, qui poſteaquam contradixit, & ius plenum acquiſivit, pecuniam ſolvit.
87 Simoniam committere non dicitur ratam habens dationem pecuniæ non ſuo nomine factam, ſed tamen cogendus eſt beneficio renunciare.
89 Fallit in Papa.
90 Electio Papæ de iure communi non inficitur ex eo, quod electus ratam habeat pecuniæ ſolutionem ſuo nomine factam eligentibus.
Et quid ex Conſtitutione Iulii II. num. 93.
91 Fictio non poteſt operari, quod veritas ipſa non operatur.
92 Fictum non habet eſſe realiter, ſed intellectualiter.
93 Verba intelligi debent ſecundum veritatem, & non ſecundum fictionem.
94 Diſpoſitio loquens de aliquo actu in materia ſtricta non comprehendit fictum.
95 Fictio fundatur ſuper falſo.
96 Electus qui novit ſimoniam cum eligentibus commiſſam, tacendo, & non contradicendo conſentire videtur.
97 Simoniam ſcientes ſive expreſsè conſenſerint, ſive tacuerint, ſive turbare noluerint, ſimoniaci ſunt, & ſimoniacè promoti.
98 Simoniam non committit verè, ſed præſumptivè qui tacet, & non contradicit.
99 Taciturnitas eſt quid medium inter conſenſum, & contradictionem.
100 Taciturnitas non ſufficit in re gravi, & oneroſa: ſed requiritur expreſſus conſenſus.
101 Conſtitutio Iulii II. intelligi debet de ſimonia vera, non autem de præſumpta, quæ elicitur ex ſcientia, & taciturnitate electi.
102 Electio Papæ propter ſimoniam commiſſam de voluntate electi cum aliquo votum non habente an ſit irrita nec ne, & num. ſeqq. uſque in fin.
103 Quid ſi pecunia alicui Magnati ſoluta fuerit ad hoc ut libertatem electionis de facto non impediat.
Et quid ſi fuerit ſoluta ad hoc, ut quempiam ex electoribus inducat ad eligendum, & num. 107.
104 Vexationem pecunia redimere in iure ſpirituali quæſito non eſt ſimoniacum. Secus in iure quærendo, & num. ſequent.
105 Simoniacus eſt electus, & beneficio renunciare tenetur, ſi de illius voluntate pecunia ſoluta fuerit contradictori, ut à contradictione deſiſtat.
106 Simoniacum non eſt ſi eligentes inſcio electo dent alicui Magnati pecuniam, ut eos in ſua libertate eligendi de facto non impediat.
107 Simoniacum eſt dare pecuniam amico, vel conſanguineo eligentis, ut eum inducat ad eligendum; idque ſi fiat de voluntate electi, irrita eſt electio.
108 Fallit ſi eligens alias electurus erat, & num. ſeq.
109 Preces non inducunt ſimoniam ſi eligendus aliàs erit idoneus.
110 Simoniacum eſt ſi quis det pecuniam non ordinatori, ſed alteri pro ordine, quem aliàs obtenturus erat.
111 Simoniacus eſt electus, qui pecuniam dedit amico, vel conſanguineo eligentium, ſed electio non eſt ſimoniaca ſi aliàs electuri erant, & num. ſeqq.
112 Regiminis locus quærentibus, & ambientibus eſt denegandus.

NObis. Electio ſimoniaca eſt caſſanda ſi electori- 1
bus propter hoc ſit promiſſa pecunia, quamvis electus ignoret, niſi hoc factum fuerit in fraudem electi. Hoc dicit primò ſecundùm Joan. Andr. & omnes. Secunda pars legitur ſimpliciter ſecundùm Innocent.

Sed juxta intellectum gloſſæ, qui magis conſonat litteræ, & videtur communiter approbari, hoc intendit, Cùm electo reprobat, propter vitium ſimoniæ tamen diſpenſat Epiſcopus: & ita ſunt duæ partes principales. Secunda ibi, ad ultimum. Prima ſubdividitur in

in conſultationem, & reſponſionem. Secunda ibi, *Quia
igitur*.
Nota primò ibi, *Vni, vel omnibus*. Simoniacam eſſe
electionem non modo cùm promittitur pecunia omnibus
3 electoribus, ſed etiam cùm promittitur uni tantum, pro-
ut *hic* notant Hoſt. *in princip. in ver. Vni, vel omnibus*. Jo.
Andr. *num. 1. in verb. Vni*, Ancharan. *in 2. notab.* Cardin.
in ult. quaeſt. Abb. Jo. de Anan. & Marian. Socin. omnes
in primo notab. & decidit Rota coram Cardinali Seraphi-
4 no *deciſ.* 516. *num.* 1. Atque ita electio celebrata in plena
concordia inficitur propter ſimoniæ vitium ab uno ex
eligentibus perpetratum etiam electo ignorante, ut hic
eſt caſus, & latius dicam infra *num.* 16. Quod videtur
mirabile ſecundum Abbatem, quia interventus unius ex-
communicati ad electionem ignoranter admiſſi non vi-
tiat totum actum, ut *cap. fin. de Procurat.* & notatur in
cap. Illa de elect. Sed ratio diverſitatis poteſt eſſe ſecundum
Marian. Socin. quia actus unius excommunicati non at-
tribuitur in ſolidum electioni, ſed actus ſimoniaci in ſoli-
dum electioni attribuitur. Sed hæc ratio plenè non ſatis-
facit, quia adhuc remanet dubium cur magis tribuatur
electioni in ſolidum actus ſimoniaci, quàm excommu-
nicati: Jo. de Anania *num.* 1. dicit vitium excommunica-
tionis eſſe perſonale, ſed vitium ſimoniæ quodammodo
dici poſſe vitium reale, & magis actum reſpicere, quàm
perſonam. Judicio meo poteſt eſſe ratio, quia votum ex-
communicati non eſt nullum propter delictum circa ele-
ctionem commiſſum, & ideo in illam non influit, nec no-
cet ignorantibus: at votum ſimoniaci eſt infectum ob vi-
tium quod intrinſecè ineſt electioni, cujus eſt pars: unde
nil mirum ſi votum unius pecunia venditum, & corruptum
totam maſſam electionis corrumpat, arg. *cap. Si ad ſcriptu-
ras, 9. diſt. & cap. Per inquiſitionem, ſupra de elect.* & hæc
fortè fuit intentio Mar. Socini, & Jo. de Anan.
5 Procedit autem concluſio ſupra firmata tam in ele-
ctione, quam in collatione, & præſentatione, dummo-
do tamen hæc competant pluribus ut univerſis, ſeu col-
legialiter, prout loquitur hæc Decretalis: hoc enim ca-
ſu omnium eſt electio, collatio, & præſentatio, ideòque
ſimonia cum altero commiſſa inficit, & vitiat totam ele-
ctionem, collationem, & præſentationem, ut dictum
eſt. Secus verò ſi hæc competant pluribus ut ſingulis: non
autem jure collegii, quia tunc quilibet per ſe confert,
ſeu præſentat, & tot ſunt collatores, vel patroni: ideòque
una collatio, vel præſentatio vitioſa in alterum non in-
fluit, ſed habet locum regula Sexti, *Vtile per inutile, &c.*
& in his terminis loquitur Rota *deciſ.* 550. *num.* 2. *part.* 4.
diverſ. quam noviſſimè ſequitur Nicol. Garz. *de benefic.
part.* 8. *cap.* 1. *num.* 12. & vide quod ſcripſi in *cap. Maſſana,
ſupra de elect.*
6 Secundò nota ibi, *promiſerunt ſe pecuniam ſoluturos*: co-
dem modo ſimoniacam eſſe electionem ſi ſola promiſſio
pecuniæ præceſſerit, ac ſi ſolutio præceſſiſſet, concordat
cap. Veniens, ſupra eodem, pari enim paſſu ambulant pro-
miſſio, & ſolutio, ut *l. final. C. Ad l. Falcid.* & ita hic fir-
mant Hoſt. *num.* 1. Anchar. *in 3. notab.* Abb. & Jo. de Anan.
ambo in 2. *notab.* & Felin. *num.* 2. qui plura obiicit, & ob-
7 jectis reſpondet. Quod nota contra opinionem illorum,
qui dixerunt electionem ſimoniacè factam eſſe nullam,
dumtaxat ſi ſimonia ſit realis ab utraque parte completa,
ſecus ſi ſit conventionalis: quos copioſè cumulat Nicol.
Garz. *de benef. part.* 8. *cap.* 1. *num.* 17. *& ſeqq.* in contrarium
enim eſt hoc cap. quod clarè loquitur de ſimonia conven-
tionali, & concordat Conſtitutio Martini V. edita in Con-
cilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 43. *de ſimonia, incipien. Multæ to.* 3.
Concil. part. 2. *fol.* 942. pro qua ſententia plures etiam citat
idem Garz. *d. c.* 1. *num.* 28.
8 Tertiò nota ibi, *per fraudem*; & ſigna caſum ſingula-
rem ſecundùm Abb. *num.* 4. & Felin. *num.* 1. *verſ. Nota
textum ſingularem*, in quo electio eſt ſimoniaca, & tamen
non vitiatur, videlicet cùm pecunia datur, vel promittitur
eligentibus malitioſè, & in fraudem electi, de quo latiùs di-
cam infra *num.* 32.
9 Quartò nota ibi, *reprobanda*, electionem factam inter-
ventu pecuniæ eligentibus datæ, vel promiſſæ non eſſe
nullam ipſo jure ſecundùm unum intellectum: ſed an hoc
ſit verum, plenius examinabitur infra n. 40. & 56.
Ultimò nota ex fine litteræ textum expreſſum, quod Epi-
ſcopus cum electo etiam ignorante per ſimoniacam pravi-
tatem diſpenſare non poteſt; ſed obſtat textus in *cap. de ſi-
moniace, ſupra eod.*
Pro ſolutione Innocentius hic dat tres intellectus: com-
muniter tamen Doctores videntur intelligere hunc tex-
tum poſt electionem reprobatam, ut ſatis innuit littera ibi,
electus, & per pravitatem ſimoniacam reprobatus: & eſt
ratio cur Epiſcopus tunc diſpenſare nequeat, videlicet pro-
pter criminis enormitatem; tum quia eſt notorium juris
per ſententiam, *cap. Vt conſtitueretur, & cap. De his,*
50. *diſtinct.* & tunc intellectum approbat Tancred. *hic
gloſs. ult.* Innoc. *ad fin.* Hoſtien. *num.* 1. *in verb. Ignoran-
te, & circa fin.* & Joan. Andr. *in extrem. verb.* De hac
materia dic, ut plenè notatur in prædicta Decretali, *de
ſimon.*
QUÆRO, poſita Extravag. Julii II. incip. *Cum tam di-* 10
vino, an, & quando electio Romani Pontificis per ſimo-
niam celebrata ſit ipſo jure nulla.
Ut quæſtionis ſolutio ſit clarior, exiſtimo ſex caſus eſ- 11
ſe diſtinguendos. Primus caſus eſt, cùm ſimonia com-
miſſa fuit cum Cardinalibus votum dantibus ab ipſomet
electo, vel ab alio de illius voluntate; & hic primus
caſus eſſet ſatis dubius, ſi ſolutio petenda eſſet à jure com-
muni; quia non levis eſt inter Doctores controverſia, An
electio Papæ per pecuniam celebrata ſit nulla ipſo jure,
necne, & an de vitio ſimoniæ contra electum excipi
poſſit: quod plenè in utramque partem examinabitur in-
fra *num.* 35. *&* 67. Verùm inſpecta diſpoſitione præcitatæ 12
Extravag. Julii II. articulus eſt valde clarus, quia in illa
diſertis verbis decernitur, ac diffinitur, ut electio Roma-
ni Pontificis celebrata per ſimoniam eo ipſo adeò ſit nul-
la, ut nec etiam per ſucceſſivam intronizationem, ſeu
temporis curſum, vel omnium Cardinalium adoratio-
nem convaleſcat, & contra ſic electum objici poſſit à
quocumque Cardinali de hujuſmodi crimine tamquam de
vera, & indubitata hæreſi, idemque electus non apoſto-
licus, ſed apoſtaticus habeatur, ut latius in ipſa Conſti-
tutione, quam poſtea idem Pontifex confirmavit appro-
bante generali Concilio Lateranenſi in alia Conſtitutione,
quæ incipit, *Si Summus*: habetur utraque in Bullar. *tom.*
1. *pagina* 403. *& ſeqq.* Quamobrem hoc caſu abſque dubio 13
concludendum eſt electionem ut præfertur celebratam, eſ-
ſe ipſo jure nullam; non tamen omitto Petrum Andream
Gammar. *in repet. huius Extravag. num.* 33. *tomo* 6. *Repet.
fol.* 42. ejus ſententiæ fuiſſe, ut ad multa abſurda vitan-
da, quæ illic congeſſit, Extravagans intelligenda ſit in
ea tantum ſimonia, quæ notoria, & manifeſta eſt, ubi
latius per eum.
Amplia primò hanc concluſionem, ut procedat non 14
tantum ſi ſimonia fuerit realis, ab utraque parte comple-
ta, ſed etiam ſi fuerit conventionalis, eo quod pecunia
de voluntate electi promiſſa fuerit electoribus, ſed non
ſoluta; nam nihilominus irrita eſt electio, quia Conſti-
tutio Julii II. apertè loquitur etiam de ſimonia conventio-
nali, ut patet ibi, *in dando, promittendo, vel recipiendo
pecunias*, necnon ibi, *promiſſiones, & obligationes*. Un-
de in electione Summi Pontificis hodie ceſſat controverſia,
de qua ſupra *num.* 7. Et ita in terminis hujus Extravag. fir-
mat Petrus Andr. Gammar. in illius interpretatione in
verb. *promittendo, num.* 119. *tomo* 6. *Repet. fol.* 46. & me-
ritò: nam dare pretium, vel habere fidem de pretio paria
ſunt, §. *Item pretium*, inſtit. *de empt. & vend.* & qui ha-
bet actionem, videtur habere rem, *l. Rem in bonis, ff. de
acquir. rer. dom.* & actiones, ac jura bonis hæreditariis an-
numerantur, *c. Nulli, de rebus eccleſ. non alien.* Quod 15
procedit ſecundum eum, etiamſi promittat quod ſe obliga-
bit quando eum elegerit: nam eodem modo eſt ſimonia;
cùm hujuſmodi obligatio ſe habeat inſtar ſimplicis obliga-
tionis, allegat Alexand. in *l. Cum fundum, §. Servum, verſ.
Nota circuitum, ff. Si cert. pet.*
Amplia ſecundò, prædictam concluſionem ut locum 16
habeat etiamſi pecunia de voluntate electi data, vel pro-
miſſa fuerit uni tantùm ex Cardinalibus votum danti-
bus; nam quoad vitium electionis nihil intereſt an ſimo-
nia commiſſa fuerit cum omnibus eligentibus, vel cum
uno tantùm, ut eſt textus apertus hic in illis verbis, *uni,
vel omnibus eligentium promiſerunt ſe pecuniam ſoluturos*,
& latius dictum eſt ſupra in 1. notab. & in electione 17
Papæ conſtat ex prædicta Extravag. Julii II. ibi, *ab aliquo,
ſeu aliquibus de cœtu Cardinalium*, necnon ibi, *per ſe*,

vel alium, *ſeu alios:* nam verbum *aliquis*, quamvis ſit relativum diverſitatis, ut not. gloſ. in Clem. 1. *in verb. Incerta*, *de præbend.* eſt tamen diſtributivum ita ut non ad diverſitatem, ſed ad perſonas ſingulares ſit referendum, ſecundum Gemin. *conſil.* 65. *Diſcutiam*, *num.* 27. & verificetur etiam in uno, ut *l. Qui filiabus*, §. *Si quis ita*, *ff. de legat.* 1. cum aliis allegat. per Bartolum qui hoc notat *in conſ. ſuo* 57. *Anacellus in fine lib.* 1. facit gloſ. in Clem. 1. *in verb. Aut aliqua*, *de foro comp.* cùm præſertim verba d. Extravagantis alternativè ſint poſita, *ab aliquo*, *ſeu aliquibus*, unde perinde eſt ac ſi dictum eſſet, *ab uno*, *vel pluribus*, *l. Si ita ſtipulatus*, *ff. de verborum obligat. cum ſimilib.* Et ita hoc ipſum verbum Extrav. exponit Petrus Andr. Gammar. *in illius repetitione*, *in verb. Aliquo*, *num.* 11. *tom.* 6. *re-*
18 *pet. fol.* 46. Quinimò hæc ampliatio procedit etiamſi votum ſimoniacè non ſit neceſſarium ad integrandam electionem, ſed ſuperabundet, eo quod electus etiam voto illo non computato habuerit ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium ad præſcriptum *c. Licet de vitanda*, *de elect.* adhuc enim electio irrita eſt, *& utile per inutile vitiatur*, Quod deduco apertiſſimè ex præcitata Extravag. Julii II. quæ primò decernit ipſo jure nullam electionem Romani Pontificis factam per ſimoniam commiſſam etiam ab uno ex Cardinalibus votum dantibus, ut ſupra proximè probatum eſt, ordinando litteram ad eum modum, quem ponit idem Gammar. *in verb. electionem*, *num.* 110. *verſ. At dic melius*. Deinde Bulla proſequitur, ac diffinit hanc electionem factam per ſimoniam commiſſam etiam ab uno eſſe irritam, quamvis celebrata fuerit in plena concordia ab omnibus, & ſingulis Cardinalibus nemine diſcrepante. Ergo patet evidenter unicum illud votum ſimoniacum reddere electionem infectam, ac nullam, licèt ſit ſuperfluum: quandoquidem ſi ad nullitatem electionis ſatis eſt ut ſimonia ſit commiſſa ab uno ex electoribus, & electio hujuſmodi ex Bulla eſt invalida etiamſi facta fuerit unanimiter ab omnibus, & ſingulis Cardinalibus nullo diſſentiente. Certè ad hanc nullitatem inducendam non eſt neceſſe ut votum ſimoniaci concurrat ad integrandam electionem, quippe quæ ad ſui validitatem non requirit niſi ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi exiſtentium, ut in prædicta Decretali, *Licet de vitanda*, & in Conſtitutione Gregorii XV. quæ incipit, *Æterni patris filius*, §. *Quod ſi electio*.

19 Amplia tertiò prædictam concluſionem ut vendicet ſibi locum etiamſi Cardinalis, cui de voluntate electi pecunia tradita, vel promiſſa fuit affirmet ſe non fuiſſe pecunia motum ad eligendum, quia aliàs electurus erat: nam nihilominus electio juribus non ſubſiſtit. Idque verius eſſe aſſerunt hic Vincent. gloſ. 2. Hoſt. *num.* 1. *in verb. Electus*, & ſequuntur Doctores communiter. Conſtat enim promiſſionem interveniſſe ante electionem, à qua omnis pactio, vel promiſſio abeſſe debet, qualiſcumque fuerit intentio eligentis, argum. in illa palea, *c. Novit*, 100. *diſt. c. Placuit*, 1. *quæſt.* 1. *& quæſt.* 2. *cap. Quam pio*, *c. Veniens*, *ſupra eod.* Præterea, ut inquit Jo. And. *hic num.* 5. in gloſ. 2. non apparet quomodo talis intentio probari poſſit, niſi per ipſum, cui tamquam ſoli, & criminoſo, & in facto ſuo deponenti non eſt credendum; alioquin facilè eſſet cuique per pecuniam eligenti aſſerere ſe fuiſſe aliàs electum: quod ſi dicatur; imò poterit hoc probare per alios, cum quibus dixerat prius ſe velle illum eligere. Reſpondet Joan. Andr. fortè falſum tunc dicebat, facit *c. Auditis*, *de elect.* ſed eſto verum dixerit, potuiſſet tamen animum mutare, ſi pecuniam non recepiſſet: facit quod notat idem Jo. Andr. in *c. Tua*, *ſupra de ſponſal.* & prædictas conſiderationes *hic* ſequuntur Henr. Boich. & Anchar. ambo *num.* 5. Butr. *num.* 7. Cardin. *num.* 1. Abb. *num.* 5. Jo. de Anan. *eod. num.*
20 & Felin. *num.* 2. *verſ. In gloſſa ſecunda*. Hanc tamen ampliationem notabiliter limita ut procedat prout loquitur, quando pecunia de voluntate electi data, vel promiſſa fuit alicui ex electoribus ſecus ſi extraneo ad hoc ut preces, vel auctoritatem ſuam cum electoribus interponat; quia tunc electio non eſt nulla ſi alias electuri erant, ut plenè dicam infra *in* 2. *quæſt. num.* 108.

21 Amplia quartò, eandem concluſionem ut procedat etiamſi Cardinalis dicat ſe non dediſſe votum electo, à quo pecuniam recepit, ut eum eligeret: adhuc enim puto irri-
22 tam eſſe electionem ſi proceſſum fuerit per formam ſcrutinii, vel quaſi inſpirationis: nam ſi per formam ſcrutinii Cardinalis, qui dicit ſe non dediſſe votum electo, à quo recepit pecuniam non eſt audiendus, quia cùm electio per ſcrutinium hodie ſit celebranda per ſecreta ſchedularum ſuffragia ita ut nomen eligentis nunquam publicetur, ex præcitata Conſtitutione Gregorii XV. de elect. Romani Pontificis, §. *Quod ſi electio Cardinalis probare non poteſt*, ſe non dediſſe votum electo, nec ad eam probationem eſt admittendus, quia obſtat Conſtitutio, quæ vult ut electionis negotium quam ſecretiſſimè tranſigatur, ut ibi in littera: facit gloſſ. *in cap. De forma*, *in verb. De ſecreto*, 22. *quæſt.* 5. & textus *in cap. Omnis*, §. *Caveat autem*, *infra de pœnitent. & remiſſion.* Quod ſi proceſſum fuerit ad electio- 23
nem quaſi per inſpirationem, non tenet electio, tum quia de ſubſtantia talis formæ eſt, ut nullus præcedat de perſona ſpeciali tractatus, ut in dict. Bulla Gregoriana, §. *Quod ſi electio*. Alioquin dicitur electio potius per inſtigationem, quam per inſpirationem, ut notatur in *cap. Quia propter*, *ſupra de elect.* ubi propterea Hoſtienſis, Abb. & alii inferunt fuiſſe caſſatam electionem Parmenſis electi, quam Bernardi gloſſa dictaverat, quia in ea dicebatur habito diligenti tractatu, fuit per inſpirationem quaſi electus: ſequitur Ripa *reſponſ.* 5. *incip. Appellatio*, *num.* 10. *in tit. de elect.* Quod ſi etiam tractatus aliàs licitus vitiat electionem quaſi inſpiratam: quantò magis tractatus ſimoniacus inter electum, & eligentem? Tum quia non poteſt eſſe electio quaſi inſpirata ubi intervenit ſimoniæ labes, quia Deus non eſt author iniquitatis, *c. Viſis*, juncta gloſs. *in verb. Cum ver.* 23. *quæſt.* 4. unde legitur Oſeæ 8. *Fecerunt ſibi Regem*, *& non per me: Principem*, *& non per conſilium meum*, *cap. Audacter*, 8. *quæſt.* 1. tum denique & fortius, quia ſi Cardinalis, recepit pecuniam non dedit votum electo: ergo non poteſt eſſe electio quaſi per inſpirationem, quæ ad ſui validitatem requirit, ut fiat ab omnibus Cardinalibus communiter nemine diſſentiente, *cap. Quia propter*, *de elect.* & clarè ſtatuitur in præcitat. §. *Quod ſi electio*.

Sin autem proceſſum fuerit ad electionem per formam 24
compromiſſi, res non caret difficultate, quia eligens benè probare poteſt ſe non dediſſe votum electo, cùm compromiſſarii ſimpliciter dati non arctentur ad eligendum per ſcrutinium ſecretum, ut notat gloſs. *in cap. Cum dilectus*, *in ver. Examinatis ſupra de elect.* Ant. de Butr. *in c. Quia propter*, *n.* 45. *eodem tit.* hoc igitur caſu in dubium vertitur an electio ſit valida.

Pro parte affirmativa facit, quia Bulla Julii II. irritat 25
electionem, quam celebrari, vel fieri contigerit per ſimoniam; hoc autem caſu non fuit celebrata per ſimoniam, quia Cardinalis, qui pecuniam recepit, in electum non conſenſit, nec illi votum dedit, ut ſupponitur in quæſtione: unde cùm tali electioni verba Conſtitutionis non adaptentur, nec illius diſpoſitio adaptari debet, *l.* 4. §. *Toties*, & ibi Bartol. *ff. de damn. infect. c. Tua*, *de ſponſal. cum ſimilib.* ut per Gemin. *conſil.* 88. *incip. Innocentius*, *num.* 4. *verſ. Cum ergo concurrant*, cum præſertim Conſtitutio tamquam pœnalis, & exorbitans a jure communi ſtrictè ut intelligenda, *cap. In pœnis*, *cap. Odia*, *& cap. Quæ contra jus, de regula jur. lib.* 6. Nec obſtat ſi dicatur, quamvis electus non 26
concurrat in electione activè eo quod ſuffragium electi etiam in hac forma in numero ſuffragiorum non computetur, ut in Bulla Gregoriana in dicto §. *Quod ſi electio*, concurrit tamen paſſivè, cum requiratur illius conſenſus, *c. Cum inter Canonicos*, *de elect.* & ſic electio dici poteſt aliquo reſpectu per ipſum electum celebrata. Nam re- 27
ſpondetur Conſtitutionem non loqui de celebratione electionis paſſiva, ſed activa, ut oſtendunt illa verba, *Aliquibus de cœtu Cardinalium votum dantibus:* quando autem electus ſimoniam commiſit cum Cardinali, qui dedit votum alteri, quam electo, utique electio dici non poteſt activè celebrata per ſimoniam: quamvis enim electus ſit ſimoniacus, quippe qui pro ſua electione pecuniam dedit, vel promiſit; non tamen eſt ſimoniacè electus, ut not. gloſs. *in c. de Regularibus*, *in verb. Ignorantibus*, *ſupra eodem*, & ita hoc non eſt vitium electionis, ſed perſonæ electi, contra quem de ſimonia excipi non poteſt, ut notat gloſ. 1. *in c. Si quis pecunia*, & ibi etiam Turrecrem. *nu.* 3. *&* 4. & Præpoſ. *num.* 1, *verſ. Ego non recederem*, 79. *diſtin.* & latius dicam *infra num.* 56. 60. *& ſeqq.*

In

Digitized by Google

28 In contrarium facit, quia Extravag. Julii II. irritat electionem ſimoniacè factam ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo, ſeu aliquibus de cœtu Cardinalium votum dantibus: unde cùm loquatur alternativè, ſatis eſt ad nullitatem inducendam ut electio ſimoniacè facta fuerit per ſolum electum, cùm in diſpoſitione alternativa ſufficiat alterutrum verificari, *l. Si quis ita ſtipulatus, in ſecundo reſp. ff. de verb. obligat. cap. Inter cæteras, cum materia ſu-*
29 *pra de reſcript.* Electus autem electionem ſuam facere non poteſt niſi paſſivè, cùm nemo poſſit ſeipſum eligere, *cap. Per veſtras, ſupra de jurepatron. cap. final. de inſtit.* etiam cùm proceditur per viam compromiſſi, ut expreſsè diſponitur in dict. Conſtitut. Gregorii XV. dict. §. *Quod ſi electio.* Ergo Extravag. Julii II. irritat etiam electionem paſſivè factam ab ipſo tantum electo per ſimoniacam pravitatem. Et ita illius verba de paſſiva electione intelligit Pet. Andr. Gammar. ſecundum unum intellectum *in præcit. repet. in verb. electionem, n. 110. tom. 6. Repetit. fol. 42.* At reſponderi poteſt, litteram Extravagantis aliter eſſe ordinandam, ita ſcilicet ut *verb. ab eo*, referatur ad verbum, *commiſſam*, non autem ad verbum, *fieri*, adeò ut ſit ſenſus, ut irrita ſit electio facta quomodolibet per ſimoniam commiſſam ab eo; quem elegi contigerit, vel ab aliquo cœtu Cardinalium votum dantium; & haoc lecturam uti meliorem amplectitur idem Gammar. *d. num. 110. verſ. At dic melius*, & hoc ſenſu prædicta Conſtitutio non irritat electionem ſimoniaci, niſi etiam electio activè celebrata fuerit per ſimoniam. Hoc autem caſu, in quo compromiſſarius non dedit votum electo, à quo pecuniam accepit, non poteſt dici activè celebrata per ſimoniam, & conſequenter non eſt nulla: & hoc credo verius.

30 Secundus caſus eſt, cùm pecunia pro electione fuit data vel promiſſa alicui, ſeu aliquibus, de cœtu Cardinalium votum dantibus, non quidem ab electo, ſed ab altero, ipſo tamen electo prohibente, & contradicente, & extra dubium eſt electionem eſſe validam, & ſimoniam ab eligentibus commiſſam eidem electo non imputari. Caſus eſt apertus in *cap. Sicut tuis, infra eodem*, ſecun-
31 dum Jo. Andr. Butr. Cardin. Abb. & omnes *ibi in ſummario*. Niſi tamen poſtea conſenſerit pecuniam ſolvendo promiſſam vel reddendo ſolutam, ut ibi dicitur, & notat gloſſ. *ibidem, in verb. Conſenſerit*, ſed an hoc ſit verum in Papa tangam infra in quinto caſu *num. 83.*

32 Tertius caſus eſt, cùm alicui ex electoribus malitiosè, & in fraudem electi detur pecunia ad hoc ut electio ſit ſimoniaca, & invalida; & tunc manifeſtum eſt hanc fraudem electo minimè obeſſe, quamvis id ſciat, & non contradicat, prout ſunt jura clara in hoc *cap. Nobis, in verb. Quod niſi conſtaret, & in d. cap. Sicut tuis, §. Alioquin contingeret, infra eodem*, & docet S. Thomas *in 2. 2. q. 100. artic. 6. ad tertium, verſ. Niſi forte inimicus:* malitiis namque hominum non eſt indulgendum, *cap. Significante, ſupra qui matrimon. accuſ. poſſ. cum concord.* de quibus hic in gloſſ. *in verb. Malitiosè*; & fraus & dolus non debet cuiquam patrocinari, *Cap. Cum univerſorum, ſupra de rerum permut. cap. Officii, de teſtament.* nec quiſquam prægravari alterius odio, *l. Si quis in ſuo, C. de inoff. teſtam.* & eſt ſimile in eo, qui propter odium aliquem ad dignitatem nominat, ut *l. Uni, C. Si propter inimic. cred. fact. lib. 10.* & notatur in *capite Honoratus, 74. diſtinct.* De hu-
33 juſmodi autem fraude conſtare poterit ex conjecturis, veluti cùm ab inimicis eſt data pecunia, qui ſe opponebant electioni, ſecundum Jo. Andr. *hic num. 2. in verb. Malitiosè*, Butr. *num. 3.* Abb. *num. 4.* Joan. de Anan. *eod. num.* & Felin. *nu. 1. verſ. Et probabitur:* generaliter enim fraus per conjecturas probatur, *cap. 2. de renunc. lib. 6. l. Dolum, Cod. de dol.* Abb. *ubi ſupra*, Bart. & Doctores in *l. Poſt contractum, ff. de donat.* Menoch. *de præſumpt. lib. 5.*
34 *præſumpt. 3. num. 43.* Cæterùm ſi electus ratum haberet pactum, ei noceret non obſtante quod electores fraudulenter feciſſent, ſecundùm Alan. Vincent. & Philipp. & poſt eos Jo. Andr. *hic num. 5.* Cardin. *nu. 1. in 1. q. verſ. Et dic*, & S. Thom. *in 2. 2. q. 100. art. 6. ad tertium, verſ. Niſi forte poſtmodum pacto conſenſerit:* ſed an hoc ſit verum in electione Papæ, vide quod ſtatim dicam infra in quinto caſu.

35 Quartus caſus eſt ubi ſimonia per alium commiſſa fuit cum Cardinalibus votum dantibus electo prorſus ignorante; & hic quidem caſus eſt valde difficilis; & ideò plenius examinabitur.

Pro nullitate electionis adducitur primò hoc cap. in illis 36
verbis, *eſt penitus reprobanda*, quæ probant electionem eſſe ipſo jure nullam, ſi pecunia propter hoc promiſſa fuerit electoribus, licèt electus hoc ignoret. Ponderando dictionem, *penitus*, quæ importat nullitatem ipſo jure, ut notat gloſ. *fin. in l. Si qui advocatorum, C. de poſtul.* quam ſequitur, & commendat Corſett. *in ſuis ſingularibus, in ver. Penitus*, Felin. *in cap. Rodulphus, num. 34. ſupra de reſcript.* etiamſi præponatur verbo futuri temporis, ut tenet gloſ. *fin. in cap. Quam ſit, de elect. lib. 6.* facit *cap. Religioſus, in ver. Omnino evacuetur, eod. tit. & lib.* & in terminis textus noſtri ſic firmat Felin. in *cap. Inſinuatum in princ. verſ. Et pro iſta concluſione, ſupra eodem, gloſſa pragmat. ſanct. tit. de elect. §. Deinde eligant, in ver. Ipſo jure*, & Boer. *deciſ. 117. ſub num. 4.*

Deinde ad hanc partem inducuntur jura, quę dicunt pro- 37
motos per ſimoniam ipſis ignorantibus commiſſam teneri Eccleſias dimittere (ſcilicet de facto, ut declarat Covarr. *in reg. Peccatum, in 2. p. §. 8. num. 8. verſ. Igitur pontificiæ deciſiones*; & eſt ſimile in *cap. Litteras, ſupra de conceſſ. præ-* 38
ben) & poſt dimiſſionem ex miſericordia tolerari, *cap. Quicumque, 1. q. 5. cap. Sicut tuis, infra eod. cap. De regularibus, & cap. Ex inſinuatione ſupra eod.*

Tertiò adducitur *cap. penult. ſupra de elect.* ex quo textu 39
Abb. *ibi num. 2.* notat electionem factam per ſimoniam etiam electo ignorante eſſe nullam, quia malitiosè facta extitit, & idem tenent ibidem Barbat. gloſ. *pragmat. ſanct. loc. cit.* Capel. Tholoſ. *deciſ. 429. num. 3. de ſequeſtr. poſſeſſ.* Sarnen. *in reg. de triennali, quæſt. 12. num. 8 verſ. Et iſta*, ubi teſtatur hanc opinionem approbaſſe Dominos de Rota *in una Meſſanen. Capellaniæ menſe Maio* 1536. coram Petro Vortio, Creſcent. *deciſ. 4. de ſimon.* Rota *deciſ. 191. num. 5. par. 1. divers.* & alii recentiores apud Nicol. Garz. *de benef. par. 8. cap. 1. num. 6.*

Quartò ponderatur pro hac ſententia quod etſi ex præ- 40
ſcripto *cap. Licet de vitanda, ſupra de elect.* contra electum à duabus partibus Cardinalium nulla exceptio opponi poſſit; tamen ut declarat ibi Bellamera *num. 39.* Qui- 41
dam ſunt defectus intrinſeci, qui ſcilicet ab intra directè, & per ſe inficiunt naturalia electionis principia, cujuſmodi ſunt defectus poteſtatis eo quod electio facta ſit per non Cardinales, & in poſſeſſionem Cardinalatus non exiſtentes. Item defectus numeri, ut quia celebrata à minori numero, quàm à duabus partibus Cardinalium. Item defectus rei, ſeu materiæ eo quod celebrata ad Eccleſiam non vacantem. Item defectus perſonæ electi, ut quia hæreticus, judæus, vel paganus, vel quia Papatui renunciaverit, ſecundum ea, quæ leguntur & notantur in *cap. 1. de renunc. lib. 6.* Item defectus formæ electionis, ut quia non intervenerit conſenſus eligentium, argum. *l. Obligationum ſubſtantia, in fin ff. de act. & oblig. & l. Non figura, eod. tit. c. Intelligentia, & c. In his, infra de verborum ſignif.* Item defectus libertatis in conſenſu, ut *cap. In nomine Domini, §. Quod ſi pravorum, & §. Quod ſi quis contra hoc noſtrum decretum, 23. diſtinct. c. 1. & c. Si quis pecunia, 79. diſtinct.* plenè Bellam. in dict. *cap. Licet, num. 42.* & de his quidem defectibus benè excipi poteſt contra electum in Romanum Pontificem, dummodo de illis conſtet ad eum modum, quod declarat Bellam. *ibidem in 2.*
oppoſ. in 3. dub. principali num. 33. & eſt ratio, quia ex his 42
redditur electio ipſo jure nulla, ut patet ex notatis per Innoc. in prædicta Decretali, *Licet, de elect. in verb. Etſi contempt. n. ...* & ratio rationis eſt, quia defectus principiorum naturalium, ſuper quibus fundatur eſſentia rei, ipſam tollit, *l. Julianus, §. Sed & ſi quis, ff. ad exhibend. argum. cap. Cum Paulus, 1. q. 1. & cap. Veniens, de presbyt. non baptiz.* & exceptio, qua ſubjectum negatur, ſemper admittenda eſt, ut dixit Abbas in *cap. Ex parte, il ſecundo, de effic. deleg.* & in dict. *cap. Licet*, Bart. *in l. Divus, ff. de milit. teſtam.* & poſt eos Petr. Andr. Gammar. *in repetit. Extrav. Cum tam divini, Julii II. num. 25. tomo 6.*
repet. pag. 42. Alii verò ſunt defectus extrinſeci, qui ſcili- 43
cet naturalibus principiis electionis directè & per ſe obviant: nec illa directè, & per ſe inficiunt, ſed ab extra veniunt per Conſtitutiones poſitivas, ſicut excommunicatio, vel ſuſpenſio in eligentibus: aut defectus Ordinis, vel ætatis in electo, aut ſolemnitatis in forma Concilii generalis, *c. Quia propter, de elect.* & defectus tales ele-

ctum

44 ctum in Papam à duabus partibus minimè repellunt; &
eſt ratio diverſitatis, quia naturalia difficilius imminuan-
tur, quàm accidentalia ſecundum ea, quæ notantur per
Innocent. in *cap. Qui in Eccleſiarum, num. 3. de Conſtit.
& in cap. Quia plerique, num. 5. de immun. Eccleſ.* Ideo-
que tametſi jus poſitivum prædictæ Decretalis tollat hujuſ-
modi defectus extrinſecos, tamen defectus intrinſecos non
tollit: neque enim ab antiquis juribus receditur, niſi qua-
tenus reperitur expreſſum, gloſ. in *cap. Conſtitutionem,*
45 *in verb. Prorogamus, de Regul. lib. 6.* Modò ad propoſitum
noſtrum, ſimonia realis, vel Conventionalis in electione
Papæ interveniens videtur eſſe defectus intrinſecus animos
eligentium ab intra vulnerans, & inficiens: quoniam qui
pro aliquo eligendo pecuniam, vel promiſſionem recipit,
libertatem conſenſus ligat, juxta illud vulgare, *Munera
ſumpta ligant, &c.* & ita inficitur electio, quia ut legitur
in *cap. Ubi periculum, §. Cæterum, de elect. lib. 6.* cùm
arbitrium inordinatus captivat affectus, vel ad certum ali-
quem obligationis cujuſque neceſſitas adigit ceſſat electio,
dum libertas adimitur eligendi; & hoc eſt quod voluit In-
noc. in *cap. Quod ſicut, num. 8. verſ. In alio autem caſu,*
46 *de elect.* dum dixit electionem eſſe nullam de jure natura-
li quando quis eſt intruſus, vel ſimoniacè electus: & ita
per hæc fundamenta firmat Card. Bellam. in dict. *cap. Li-
cet de vitanda, nu. 3. verſ. Secundo moveor, eod. tit.* Po-
47 ſito autem hoc fundamento, quod defectus ſimoniæ ſit in-
trinſecus, & electionem inficiat ex naturalibus principiis,
hinc reſultat ut electio ſit nulla, etiamſi electus ignotave-
rit ſimoniam à Cardinalibus eligentibus fuiſſe commiſſam:
nam ſicut electio celebrata per metum, vel impreſſionem
aut ſine conſenſu duarum partium non ſuſtinetur propter
ignorantiam electi, ita nec electio facta per ſimoniam,
cùm omnes æquè ſint defectus intrinſeci: ad quod facit
optimè textus in *cap. In nomine Domini, 23. diſt. & in c. Si
quis pecunia, 79. diſtin.* ubi quoad hoc ut electus in Papam
habeatur pro Apoſtolico parificantur hæc tria, videlicet ut
electio celebrata fuerit per pecuniam, vel per impreſſio-
nem, vel ſine concordi electione Cardinalium; & genera-
48 le eſt ut ignorantia excludat delictum, tamen non legiti-
met actum, ut Baldus inquit per illum textum in *cap. In-
49 notuit, num. 8. de elect.* & quamvis excuſet à pœna, non
tamen dat robur actui aliàs invalido, ut in terminis ſimo-
niæ eſt textus hic, ubi dicitur ignoranti non imputari ad
pœnam, vel ad culpam, quod pro illius confirmatione
pecunia fuit promiſſa, & nihilominus electio caſſatur tan-
quam ſimoniaca.

50 Quintò ad hanc partem inducitur authoritas S. Thomæ
in 2. 2. quæſt. 100. art. 6. in corpore, ubi ſic ait: *Reſpondeo
dicendum quod nullus poteſt licitè retinere id, quod contra
voluntatem domini acquiſivit, puta ſi aliquis diſpenſator de
rebus domini ſui daret aliquid contra voluntatem, & ordi-
nationem domini ſui, ille qui acciperet, licitè retinere non
poſſet: Dominus autem, cuius Eccleſiæ Prælati ſunt diſpen-
ſatores, & miniſtri, ordinavit ut ſpiritualia gratis daren-
tur, ſecundum illud Matthæi 10. Gratis accepiſtis, gratis
date: & ideo qui muneris interventu ſpiritualia quæcumque aſ-
ſequitur ea licitè retinere non poteſt.* Hæc ibi: *& in reſponſ.*
51 *ad tertium: Ad hoc ut aliquis privetur eo, quod accepit non
ſolum eſt pœna peccati, ſed etiam quandoque eſt effectus ac-
quiſitionis injuſtæ, puta cùm aliquis emit rem aliquam ab eo,
qui vendere non poteſt; & ideo ſi eo neſciente, nec volente
per alios alicuius promotio ſimoniacè procuratur, tenetur re-
ſignare beneficium, quod eſt conſecutus cum fructibus extan-
tibus, non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia*
52 *bona fide poſſedit.* Hæc S. Thom. ex cujus contextu quili-
bet percipere poteſt electionem ſimoniacam nullam eſſe,
nec jus aliquod tribuere electo etiam ignoranti, non qui-
dem in pœnam criminis, ſed quia ex natura rei jure ipſo
naturali hæc acquiſitio impediatur divina voluntate, ſine
qua ſpiritualia vendi non poſſunt: materia enim vendibi-
lis non eſt; ideòque titulo emptionis acquiri nequit. In-
deque fit ut dignitas acquiſita per ſimoniam etiam electo
ignorante commiſſam etiam in foro conſcientiæ ſit dimit-
tenda poſteaquam electus ſciverit vitium ſimoniæ, quia
ipſa acquiſitio peccat propria natura rei, quæ in venditio-
ne deduci non poteſt abſque conſenſu divino: cùm enim
res non ſit vendibilis, parùm refert an emptor emerit ſcien-
ter, vel ignoranter, an bona, vel mala fide, & ita ex præ-
dictis locis D. Thomæ deducit Covarr. *in reg. Peccatum,
in 2. par. relect. 1. §. 8 num. 8.*

Sextò pro hac parte adduci poteſt prædicta Extravag. Ju- 53
lii II. qua decernitur irrita electio Papæ celebrata per ſimo-
niam commiſſam per ſe, vel alium, nec diſtinguitur an
ille, an alius id fecerit electo ſciente, vel ignorante: unde
videtur intelligenda generaliter, & indiſtinctè ut ſic re-
cipiat interpretationem paſſivam a jure communi, ſecun-
dum quod talis electio eſt nulla, non obſtante electi igno-
rantia, ut oſtenſum eſt ſupra *in l. 2. C. de noxal. cum ſimi-
lib.* & eo magis, quia Bulla loquitur de electione per ſimo-
niam celebrata ſeu facta: negari autem non poteſt quin e- 54
lectio hoc caſu facta, ſeu celebrata fuerit ſimoniacè, & ele-
ctus ſimoniacè promotus, licèt ipſe propter ignorantiam
non ſit ſimoniacus, ut *cap. de ſimoniace*, & notat gloſſ.
*in cap. de Regularibus, in verb. Ignorantibus, ſupra eo-
dem tit.*

Non obſtat, quod Conſtitutio Julii II. tamquam pœ- 55
nalis non liget ignorantes: nam reſpondet Joan. Andr. in
hoc *cap. nu. 1. in verb. Uni*, poſt Hoſt. *in princ. in eod. verb.*
tantùm valet ſi pecunia detur uni tantùm quantum ſi detur
omnibus eligentibus quoad vitium electionis, ſed non
quoad pœnam eligentium, qui non peccaverunt, *cap.
Quæſivit, de his, quæ fiunt à maior. par. Capituli, & c. Non
ſatis, ſup. eod.* idem Butr. *hic num. 4.* dicens, quamvis
delictum unius præiudicet alteri quoad invaliditatem ele-
ctionis non tamen quoad hoc ut alii puniantur, cum ex u-
nius delicto alius prægravari non debeat, & ſequuntur Car-
din. *in fin.* & Joan. de Anan. *num. 1. in fine, verſ. Nec et-
iam erit idem.*

Cæterùm etſi prædicta valdè urgere videantur, illis ta- 56
men minimè obſtantibus conſtanter affirmo electionem
eſſe validam, ſive conſideremus diſpoſitionem juris com-
munis, ſive Conſtitutionem Julii II. nam quod ſpectat ad
jus commune Doctores crebriori calculo tenent contra e-
lectum in Papá objici non poſſe quod electio ſit ſimoniaca,
etiamſi ipſemet electus pro ſua electione pecuniam dederit
eligentibus, & ita in *cap. Si quis pecunia, 79. diſtinct.* fir-
mant Hugo gloſ. 1 Archid. & Gem. ambo *num. 1.* Turre-
crem. *nu. 3. & 4.* & Præpoſ. *num. 1. verſ. Ego non recede-
rem*, ubi aſſerit hanc eſſe communem opinionem: & ad
textum ibi, quo ſtatuitur, ut *Si quis pecunia, vel gratia hu-* 57
*mana, vel populari, ſive militari tumultu ſine concordi &
canonica electione, ac benedictione Cardinalium fuerit Apo-
ſtolica Sedi inthronizatus, non apoſtolicus, ſed apoſtaticus
habeatur.* reſpondent Canonem illum intelligi de electo
non à Cardinalibus, ſed ab aliis eligendi poteſtatem non
habentibus, ut innuunt verba illa, *ſine concordi electione
Cardinalium.* Et quamvis hunc intellectum multis argu-
mentis confutet ibi Bellam. *in princ. verſ. Quid dicendum*,
& fuſiùs in *cap. Licet de vitanda, de elect. à num. 38. in ter-
tia principali oppoſit.* mordicus tenens electionem Romani
Pontificis celebratam per ſimoniam de jure communi eſſe
nullam ipſo jure. Communem tamen opinionem tuetur,
& objectis reſpondet Præpoſ. *loc. cit.* quinimò ſententiam
Bellam. à nullo receptam eſſe atteſtatur Petr. Andr. Gam-
mar. in repetit. Extravag. *Cum tam divino Iulii II. num.
32. in fin. tomo 6. repetit. fol. 42. & fol. 45. num. 94.* ubi ſi-
militer communem ſententiam ſequitur, & pro ea indu-
cit verba dict. Extravag. ibi, *Statuimus, &c.* quæ jus no-
vum inducunt, *cap. In his, de verborum ſignificat. & cap.
Decernimus, de iudic.* Ergo electus per ſimoniam ante
illam Extravag. erat verus Papa, ut ibi per eum: alioquin
nec Julius potuiſſet illam Conſtitutionem condere, quip-
pe qui per ſimoniam ad Pontificatum evectus dicitur, ſi
credimus eidem Gammar. id atteſtanti in *ead. repetit. num.
3. & 26.* Quod ſi non vitiatur electio quando ipſemet ele-
ctus ſimoniam commiſit, ut firmatum eſt; quantò minùs
vitiabitur quando ſimonia fuit commiſſa per alium ipſo
ignorante? argum. *cap. De ſimoniace, ſupra eodem, & c.
Sicut tuis, infra eodem.* Nec refragatur hæc Decretalis, 58
& alia jura ſupracitata *num. 36. & 37.* quæ videntur innue-
re electionem ſimoniacam eſſe invalidam, licèt electus
hoc ignoraverit. Quoniam loquuntur in electionibus in-
feriorum, non autem in electione ſummi Pontificis, cui
jura illa nec poſſunt congruè adaptari: nam textus in *cap.
Quicumque, 1. q. 5. & in cap. De Regularibus, ſupra eodem.*
Diſponunt, ut qui eccleſias adepti ſunt, vel ad religionem
recepti per ſimoniam ipſis ignorantibus commiſſam, co-
gantur eccleſias dimittere, & loco renunciare. At nullus
mot-

Digitized by Google

mortalium eſt judex qui poſſit Romanum Antiſtitem coge-
re ad renunciandum, *cap. Nemo*, *cap. Aliorum*, *& cap.*
Facta ſubditorum, 9. *quæſt.* 3. *& cap. Si Papa*, ubi Turre-
crem. 40. *diſtinct.* Et in terminis quæſtionis noſtræ ita
tenent Hugo & gloſ. *prima in cap. Si quis pecunia*, 97. *di-*
59 *ſtin.* ubi quærunt: Pone quod aliquis accuſat Cardinales
quod ſimoniacè elegerint Papam, (hoc enim licitè poteſt
fieri, ut in *cap. Si tranſitus*, 79. *diſtinct.*) numquid ſi
probata fuerit ſimonia, Papa deponeretur? & reſpondent
non? argum. *cap. Interrogatum*, 2. *q.* 5. *l. Denunciaſſe*, *ff.*
de adulter. & ſequuntur ibi Turrecrem. & Præpoſit. am-
bo *num.* 4. *verſ. Item in cap. præſenti*.
60 Præterea ex decretali *Licet de vitanda*, *de elect.* contra
electum in Romanum Pontificem a duabus partibus Car-
dinalium nulla exceptio poteſt opponi, ut ibi notant gloſ.
Compoſt. Innoc. Hoſt. Joan. Andr. Butr. & omnes. Et
quamvis excipi poſſit de crimine hæreſis, ut *cap. Si Papa*,
40. *diſtinct.* Hoc tamen intelligitur de hæreſi ſtrictè ſum-
pta, quæ eſt contra articulos fidei, ſecundum Hugonem
relatum à Turrecrem. in dict. *cap. Si quis pecunia*, *num.* 3.
61 79. *diſtinct.* At ſimonia licèt dicatur hæreſis, *cap. Eos*,
qui, *cap. Fertur*, *& cap. Liqueat*, 1. *quæſt.* 1. Non eſt ta-
men hæreſis propriè, & ſtrictè, ut notant Hugo, gloſ. 1.
Archid. Gemin. Turrecrem. & Præpoſ. in dict. *cap. Si quis*
pecunia. Quamobrem dato etiam & non conceſſo, ut e-
lectio ſimoniaca eſſet invalida, tamen de illa contra ele-
ctum excipi non poſſet, quia non eſt judex in terris, qui
de hoc poſſit judicare, ut in dict. *cap. Licet*, & in aliis ju-
ribus ſupracitatis, *num.* 58. *in fin.* Et ita per hanc ratio-
nem firmat gloſ. not. in *cap.* 1. *in verb. Et canonica*, 79. *di-*
ſtinct. dicens: *Si eſt electus à duabus partibus amodo nulla*
admittitur contra ipſum exceptio, nec de vitio eligentium,
vel electi, quia non eſſet coram quo judice exceptiones illæ
proponerentur; unde ſi tertia pars vellet probare electionem
eſſe ſimoniacam, non audiretur, ut cap. Licet, de elect. qui
tamen ſic eligunt peccant, & electio talis vitioſa eſt. Ha-
ctenus gloſſ. a qua nemo diſcrepat, ne ipſe quidem Cardi-
nalis Bellam. author opinionis oppoſitæ, ut per eum in
dict. *cap. Si quis pecunia*, *numer.* 18. *verſ. In eadem gloſſa*
ibi, *deponeretur*, quæ omnia longè magis ſibi vendicant
locum quando ſimonia ab electoribus commiſſa fuit electo
ignorante, quo caſu nec Bellamera videtur à cæteris diſ-
ſentire.
62 Et confirmatur, quia vitium ſimoniæ in electione Pa-
pæ non eſt defectus intrinſecus, ſed extrinſecus: nam
etſi notam inurat eligentibus, tamen principiis naturali-
bus electionis directè, & per ſe non obviat, nec illam
63 naturaliter inficit, nec intrinſecè opponitur conſenſui na-
turali; alioquin corruptio conſenſus procederet immedia-
tè ab eodem conſenſu; & tamen eadem cauſa contrario-
rum naturaliter eſſe non poteſt, *l. Qu; hominem*, *in fin. ff.*
64 *de ſolution.* Licèt ſecus ſit in metu, quia etſi cauſetur ab
extra, tamen ab intra conſenſum generat. & ſic naturali-
bus electionis principiis directè contrariatur. Præterea in
metu Conſtitutione Canonica expreſsè cautum eſt, ut e-
lectionem inficiat ipſo jure, ut in *cap. In nomine Domini*,
§. *Quod pravorum*, *& §. Quod ſi quis contra*, 23. *diſtinct.*
At ſi de ſimonia hoc non reperitur jure cautum, quia li-
cet ſecundum aliquos hoc videatur expreſſum quoad alias
electiones, ut in *cap. final. ſupra de elect.* in Papali tamen
electione hoc nullibi ordinatur, quin potius contrarium
elicitur ex prædicta decretali, *Licet de vitanda*, dum ibi
diſponitur ut electus à duabus partibus Cardinalium ab u-
niverſali Eccleſia; Romanus Pontifex habeatur abſque
ulla exceptione. Canones autem loquentes de electioni-
bus inferiorum ſervari debent in electione Romani Ponti-
ficis in illis tantum caſibus, in quibus nihil in ſpecie repe-
ritur diſpoſitum circa electionem Papalem, ſecundum
theoricam quam tradunt Bellam. *num.* 4. & Præpoſitus *nu.*
2. *in cap. Si quis Apoſtolica*, 79. *diſtin.*
65 Ad hæc etſi pecuniæ receptio aliquantiſper immineat li-
bertatem conſenſus, & eligentium captivet affectum, ut
in *cap. Ubi periculum*, §. *Cæterum*, *de elect. lib.* 6. tamen
66 eorum libertatem prorſus non tollit; quod ſic probo. Ita-
que requirit libertatem conſenſus matrimonium carnale,
ſicut ſpirituale: adeò ut ſicut electio per impreſſionem ce-
lebrata, ita matrimonium metu contractum ſit ipſo jure
nullum, *cap. Veniens*, *il ſecondo*, *& cap. Conſultationi*,
de ſponſal. & notat gloſſa in *cap. Bone*, *il primo*, *in verb.*
Metuebant, *verſ. In ſpirituali*, *de elect.* & tamen ſi prop-
ter pecuniam ſibi traditam vel promiſſam, ſeu ob ſponſa-
litiam largitatem quis inducatur ad contrahendum, nemo
dixerit matrimonium eſſe nullum, *l. Cum veterum*, & ibi
Baldus, & Salicet. *C. de donat. ante nupt. cum ſimilib.* Er-
go ſicut pecuniæ receptio non evacuat libertatem conſen-
ſus in conjugio carnali; ita nec in ſpirituali, *cap. Inter cor-*
poralia, *de translat. Epiſcop.* & conſequenter vitium ſi-
moniæ in eligentibus non eſt defectus intrinſecus. Rurſus
ſi quis amore, vel odio moveretur ad aliquem eligendum,
nemo auderet affirmare ob eam cauſam conſenſum non
eſſe liberum, ac proinde electionem eſſe irritam. Ergo
non minus liber dicendus eſt conſenſus ex eo, quod quis
ad eligendum moveatur cupiditate pecuniæ: ejuſmodi e-
nim animi paſſiones à pari procedunt, & æquè huma-
num judicium pervertunt, *cap. Quatuor modis*, 11.
quæſt. 3.
Quibus demum accedit, quod de jure veriùs videtur nec 67
electionem inferiorum factam per ſimoniam eſſe nullam
ipſo jure ſi electus hoc ignoraverit: nam nullus textus re-
peritur, qui expreſsè dicat electionem hujuſmodi eſſe
ipſo jure nullam, ſed reprobandam, ut hic, & in *cap. pe-*
nult. ſup. de elect. Quippe nulla pœna cenſetur ipſo jure im-
poſita niſi jure id caveatur, gloſſa 2. *in cap. ult. de ſurepatr.*
& quamvis quædam jura dicat ſic electum à die notitiæ te- 68
neri ad renunciandum, ut *cap. Quicumque*, 1. *quæſt.* 5. *c. De*
Regularibus, *& cap. Ex inſinuatione*, *ſupra eodem*. Per hoc
tamen potiùs innuunt eum habere aliquod jus, cùm pri-
vatio præſupponat habitum, *cap. Ad diſſolvendum*, *ſupra*
de deſponſat. impuber. *l. Decem*, *ff. de verbor. obligat.* Nec 69
refragatur verbum, *penitus*, hic poſitum quia refertur ad
poteſtatem, quæ adimitur Epiſcopo diſpenſandi pro illa
vice, ut infra §. *Ad ultimum*, non autem ad nullitatem
electionis, ut per Navar. loco proximè citando, ac præ-
terea dictio *penitus*, vel *omnino*, quando adjicitur verbis
futuri temporis denotantibus executionem, non mutat
naturam verbi, ut declarat Felinus in *cap. R⸗dulphus*, *nu-*
mer. 34. *in verb. Omnino de reſcript.* & hanc partem ſe-
quuntur idem Felinus in dict. *cap. Inſinuatum*, *num.* 5. *ſu-*
pra eodem, Joan. Coraſ. *de benefic.* 4. *part. cap.* 1. *num.* 3.
eamque pluribus comprobat, veriorem dicit, & ab obje-
ctis tuetur Navarr. *in conſil.* 95. incip. *An collatio*, *de ſi-*
monia, cui etiam adhæſit *conſil.* 73. *Titius nu.* 3. *conſil.* 97.
Si quæſtionibus, *num.* 7. *eodem titul.* & in Manuali *cap.* 25.
num. 113.
Et nihilominus quatenus etiam aliæ electiones ſimonia- 70
cæ eſſent omnino irritæ; tamen jura ſubveniunt ignoran-
tibus, ita ut poſteaquam à die notitiæ dimiſerint Eccle-
ſias, quas per ſimoniacam pravitatem ab aliis commiſſam
ſunt conſequuti, ex miſericordia tolerentur, quamvis de
juris rigore ſint deponendi, ut eſt textus in *cap. Quicum-*
que, 1. *quæſt.* 5. ubi de parvulis, qui per pecuniam à pa-
rentibus datam adepti ſunt Eccleſias, in *cap. De Regularib.*
& cap. Ex inſinuatione, *ſupra eodem*. Hæc autem adapta-
ri nequeunt electioni Romani Pontificis, qui neque de
rigore juris deponi, neque ea miſericordia tolerari poteſt,
cùm non ſit ſuperior, ad quem poſſit recurſus haberi, ut
dicitur in dict. *cap. Licet de vitanda*, *de elect.* & alioquin
durius augeretur cum Romana Eccleſia; in qua tamen ob
eam rationem quod Superiorem non habeat, potius ali-
quid ſpeciale eſt indulgendum, ſicut legitur in prædicta
Decret. *Licet*.
Quod autem ſpectat ad Extravag. Julii II. exiſtimo eam 71
nullo prorſus modo locum habere in electo ignorante ſi-
moniam per alios commiſſam. Moveor primò, quia Con-
ſtitutio non loquitur explicitè de electo, qui ſimoniam
ignoravit. Ergo hic caſus tamquam à Conſtitutione
omiſſus remanſit in diſpoſitione juris communis, *l. Com-*
modiſſime, *ff. de liber. & poſthum.* De jure communi au-
tem electio ſummi Pontificis per ſimoniam celebrata inſcio
electo vel non eſt nulla, vel certè contra electum de ſimo-
nia excipi non poteſt, ut abundè oſtenſum eſt ſupra à *num.*
59. & Conſtitutio hac in parte recipit interpretationem
paſſivam à jure communi, *l. Iuris gentium*, §. *Si paciſcar*,
ff. de pactis, *l.* 1. *C. de noxal.* gloſ. Bart. & DD. *in l. Scien-*
dum, *ff. qui ſatisdar. cogant.* Rota *deciſ.* 98. *num.* 7. *par.* 5.
recent.
Moveor ſecundò, quia eadem Conſtitutio ſimoniacè 72
electum privat ipſo jure Cardinalatus honore, eique alias
gra-

Digitized by Google

graviſſimas pœnas infligit: ergo ſupponit peccatum in per-
ſona electi, *cap. 2. de Conſtitut. l. Gracchus, C. Ad leg. Iul.
de adulter.* nam certi juris eſt ſimoniam punibilem non
committi abſque peccato, ut dixit Rota poſt Conſ. Proſp.
Farinac. *deciſ.* 234. *num.* 2. allegans Navarr. *in Manuali
cap.* 23. *num.* 107. *&* 109. & Gabriel. *conſ.* 177. *nu.* 4. At
73 non poteſt eſſe peccatum ubi eſt ignorantia, *cap. Eos, §.
Ex hac itaque authoritate*, 1. *quaſt.* 5. quia de ratione
peccati intrinſeca eſt, ut ſit voluntarium, *cap. Maiores,
§. Verum, de Baptiſ.* Ignorantia verò voluntarium exclu-
dit, *cap. Quamvis*, 39. *diſtinct. l. Cum Aquiliana, ff. de
tranſact. & l. Si ignorans, ff. Locati*, cùm voluntas non
feratur niſi in præcognitum, ut patet *in tertio de anima
commen.* 39. Igitur prædicta Conſtitutio tanquam pœnalis
locum non habet in electo ignorante, qui nihil peccavit:
nam ut legitur in *cap. Quaſivit, de his, qua fiunt à maior.
par. Capituli*, peccata ſuos authores tenere debent, nec
pœna eſt ulterius protrahenda quam delictum fuerit in
74 excedente repertum. Atque ita pœnam privationis non
habere locum in eo, qui conſcius non fuit ſimoniæ per a-
lios commiſſæ, tenet gloſſ. in *cap. Quicumque, in verb.
Pro magna*, 1. *quaſt.* 5. Et propter ſimoniam unius, alios,
qui non conſenſerunt, puniendos non eſſe firmant in hoc
cap. Nobis, Hoſt. *in princ. in verb. Vni, vel omnibus*, Jo.
Andr. *num.* 1. *in verb. Vni*, Butr. *num.* 4. Card. *in fine*,
& Jo. de Anan. *num.* 1. *in fin. verſ. Nec etiam erit idem*,
& generaliter ſimoniam punibilem non cadere in ignoran-
tem reſolvit Rota *in praallegat. deciſ.* 234. *numer.* 2. *verſ.
Vnde ſequitur alia concluſio.*
75 Moveor tertiò, quia Extravagans Julii II. decernit ut
non ſolum electio per ſimoniam celebrata eo ipſo ſit nulla,
ſed etiam ut contra ſic electum de ſimoniaca labe à quo-
cumque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, oppo-
ni, & excipi poſſit, ſicut de vera, & indubitata hæreſi,
& idem electus non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habea-
tur, & ab omnibus vitetur, ut magnus Ethnicus, publi-
canus, & hæreſiarcha. Quæ omnia nemo non videt nul-
latenus congruere electo ignoranti, ſed illi tantùm, qui
ſimoniam commiſit vel ſimoniacæ electioni aſſenſum præ-
buit: injuſtitia enim eſſet, ut quis pro peccatis alterius
76 eſſet anathema: nam *anima qua peccavit ipſa morietur*.
Ezechielis 18. *cap. Si habes*, 24. *quaſt.* 3. *cap. Cum itaque*,
1. *quaſt.* 4. & nullus crimen maculat neſcientem, textus
in cap. 1. *&* 2. *& per tot. eadem cauſ. & quaſt.* Navarr. *d.
conſ.* 95. *num.* 4. *de ſimon.*
77 Demum moveor authoritate Petri Andreæ Gammari in
repetitione prædictæ Extravagantis Julii II. *tomo* 6. *repet.
fol.* 47. *num.* 137. qui explicans verba, *per ſe, vel alium*,
quærit, Quid ſi ille alius commiſerit ſimoniam electo
ignorante, & reſpondet ſe credere pœnam Conſtitutionis
non habere locum niſi electus conſenſerit, quia inquit,
[Iſta Conſtitutio infert pœnam ob crimen, quod non
committit qui ignorat, *l. 2. C. Ne ſanct. Bapt. l. Generali,
C. de Decurion. lib.* 10. nam neque per me, neque per a-
lium commiſiſſe dicor quod prorſus ignoravi, *l. Si igno-
rans, ff. de Locat.* & faciunt notata in *reg. Qui per alium,
de regul. iur. lib.* 6. Alioquin poſſet quis in fraudem eligen-
di committere ſimoniam, ut electus deinde à Pontificatu
dejiceretur, *cap. Sicut, & cap. Nobis, de Simon.* & licèt
poſteà detegatur ſimonia, non propterea Papa cogetur re-
nunciare, quamvis ſecus dicamus in aliis beneficiis pro-
pter *cap. Matthaus, eodem titul.* nam contra electum
in Pontificem non poteſt opponi aliqua exceptio, quæ non
78 ſit in jure expreſſa.] Hæc ille: & quamvis ſubdat, quod
quando ſimonia illa eſſet adeò notoria, ut non eſſet veriſi-
mile electum ignoraſſe, ſecus fortè dicendum per notata
in *cap. Innotuit, in verb. Ignorantiam, de elect.* & tunc
dubitandum eſſet, an ignorantia probari poſſit per pro-
prium juramentum, ex quo de illius præjudicio agitur: ni-
hilominus tandem concludit dicens, tutior eſt opinio, ut
dicamus ignorantiam quocumque caſu probari per jura-
mentum ipſius electi, niſi ex adverſo probetur ſcientia,
per ea, quæ tradunt Joan. Andr. & alii in *reg. Praſumitur
de reg. iur. lib.* 6. & Philipp. Franc. in *cap. Eos, de tempor.
ordin. eod. lib.*
Non obſtant modo adducta in contrarium. Ad primum
enim nempe ad textum noſtrum abundè reſponſum eſt ſu-
pra *num.* 67. *&* 69.
Ad ſecundum ſimiliter patet reſponſio ex dictis ſu-
pra *numer.* 68. *& numer.* 70.
Ad tertium reſpondetur, textum in dict. *cap. penultim.* 79
poſſe in contrarium retorqueri, quia dicit, *ſi alicuius ele-
ctionem per ſimoniam eo ignorante, ac ratum non habente
commiſſam contigerit reprobari*; quæ cùm ſint verba
futuri temporis, ſupponunt electionem non eſſe ipſo jure
nullam, ſed ſolum poſſe contingere, ut reprobetur, ſci-
licet per ſententiam, *cap. 2. de Haret. lib.* 6. & tradit Na-
varr. *dict. conſ.* 95. *num.* 3. *de ſimon.* Abb. verò Caſſad. &
Gomeſ. obiter loquuntur, ut ibi obſervat Navarr. *num.* 5.
verſ. 2.
Ad quartum abundè reſponſum eſt ſuprà, à *numer.* 62.
ubi oſtenſum eſt vitium ſimoniæ eſſe defectum extrinſe-
cum, de quo excipi non poteſt contra electum in Roma-
num Pontificem.
Ad quintum reſponderi poteſt cum Navarro *in pracitat.* 80
conſ. 95. *num.* 5. *verſ. Tertiò, de ſimon.* authoritatem ſan-
cti Thomæ minimè obſtare, quin potiùs facere pro hac
parte: nam ibi in reſponſione ad tertium docet promo-
tum per ſimoniam ab aliis ipſo ignorante commiſſam tene-
ri reſignare beneficium, & reſtituere fructus extantes, non
autem bona fide conſumptos; quod nulla ratione defendi
poſſet ſi collatio eſſet omninò invalida, quia nullatenus
poſſet excuſari à reſtitutione fructuum conſumptorum, ni-
ſi illa ſimoniaca collatio, promotio, vel electio valeret,
donec inciperet ſcire illius nullitatem. Et quamvis regula- 81
riter gratis debeant dari ad hoc ut juſta ſit datio, hoc ta-
men fallit quando ignorantia juſta à peccato excuſat, do-
nec ſuperveniat ſcientia ad id neceſſaria. Covarruvias in
contrarium citatus fatetur frequentiorem ſententiam ha-
bere, ut hujuſmodi electio in foro externo ſit valida, do-
nec à judice reſcindatur; quin etiam maluiſſet contrariam
opinionem ſectari, niſi putaſſet ſibi obſtare verba S. Tho-
mæ; quæ tamen revera non obſtant, quin potiùs favent,
ut dictum eſt, & advertit Navarr. *dict. nu.* 5. *verſ. Secun-
do.* Præterea advertit Petr. Andr. Gammar. in dict. Extra- 82
vag. *Cum tam divino*, Julii II. *num.* 18. *tom.* 6. *Repet. fol.*
42. Quamvis Eccleſia, quæ de manifeſtis tantùm judicat,
cap. A nobis, de ſent. excommun. Pro comperto habeat ſi-
moniam committi quandocumque pro re ſpirituali conſe-
quenda datur æſtimabile quidquam: tamen quoad rei ve-
ritatem attinet, is tantum ſimoniam committit, qui ac-
cipit rem ut pretium ſpiritualis exiſtimans ſpiritualem eſſe
in commercio noſtro; quare Act. 15. *Repulſus eſt Simon
Magus à Petro quod exiſtimaverit ſe poſſe donum Dei pecu-
nia poſſidere*: eſt enim hæreticus, qui ſic ſentit: & ita rem
hanc declarare videtur Innocent. in *cap. Quotiens, ſupra
eodem*, & S. Thom. *in* 2. 2. *quaſt.* 100. *in 4. ſent. diſtinct.*
13. Itaque dum idem S. Doct. *loco ſupracit. nu.* 50. Docuit
impediri acquiſitionem rei ſpiritualis non in pœnam cri-
minis, ſed quia res invendibilis eſt ſine voluntate Domi-
ni, qui præcepit ſpiritualia gratis dari; & ideò ſic promo-
tum retinere non poſſe in foro animæ quod injuſtè acquiſi-
vit per ſimoniam etiam ſe ignorante commiſſam; intelligi
debet in eo caſu, in quo quis dat pecuniam, ut pretium
rei ſpiritualis intendens eam mercari ut venalem, quaſi ſit
in commercio humano, ac pretio æſtimabilis. Hoc au-
tem non contigit hoc caſu, quia dans pecuniam electori
non intendit emere pro eligendo poteſtatem aliquam ſpiri-
tualem, ſed tantummodo mediante pecunia electorem
inducere ad ſuffragium ferendum; unde quamvis graviſſi-
mè peccet, & ſimoniam committat quoad Eccleſiam;
non tamen incidit in illam ſpeciem ſimoniæ, quæ hæreſis
eſt, & impedit acquiſitionem ſpiritualium intrinſecè, &
ex propria rei natura; & conſequenter circumſcripta Ec-
cleſiæ Conſtitutione electus, qui ſimoniam ignoravit, di-
gnitatem ſic acquiſitam in foro animæ dimittere non tene-
tur. Quinimò veriùs exiſtimo nec per ſimoniacam hære-
ſim impediri neſcientibus acquiſitionem ſpiritualium.
Quod manifeſtè probatur exemplo parvulorum, qui ſi
baptizentur a ſimoniacis, non modo recipiunt characte-
rem Baptiſmi propter efficaciam Sacramenti, ſed etiam
gratiam. Idemque patet de ordinatis a ſimoniacis per pra-
vam manus ſimoniacæ impoſitionem, ut habetur in §.
*Conſtat, poſt cap. per Eſaiam, & in §. Sicut ergo, poſt cap.
Statuimus, il primo*, 1. *quaſt.* 1. Nec obſtat, quod ſacra-
menta ſimoniacorum ſicut & cæterorum hæreticorum li-
cèt ſint vera quantum ad formam; inania tamen, & fal-
ſa ſunt quantum ad effectum, cùm non poſſint in cordibus
homi-

hominum gignere cœleſtem gratiam, ut legitur in §. *Quid in his*, *poſt cap. Sicut Eunuchus*, *eadem cau. & quæſt.* quoniam hoc verum eſt, quando ſacramenta accipiuntur à ſimoniacis ex certa ſcientia in contemptum Eccleſiæ, ut ibi declarat Archid. *num. 4. in verb. Gignere*, Turrecrem. & Præpoſ. uterque *in fin.* & clarè probatur in §. *Cum ergo*, *verſ. Poteſt etiam intelligi*, 1. *quæſt.* 1. ubi dicitur: [Sicut Chriſtus venditus non venditori, vel ementi, ſed eis, qui neſcientes aderant, dona ſuæ gratiæ contulit, ſic & Spiritus Sanctus non vendenti, vel ementi, ſed his, qui de manibus eorum ignorantia ducti ſacramenta Dominica accipiunt, ſuæ gratiæ effectum largiri probatur.] Hæc ibi: unde patet evidenter authoritatem illam, *gratis accepiſtis*, *gratis date*, non obſtare ignorantibus quo minus ſpiritualia acquirant; & conſequenter electio facta per ſimoniam electo ignorante non eſt irrita jure ipſo naturali, & divino, ſed tantummodo ſecundùm unam opinionem jure eccleſiaſtico poſitivo, quod ut ſæpiùs repetitum eſt, loquitur de electionibus inferiorum Prælatorum, nec protenditur ad electionem Romani Pontificis.

83 Ad ſextum, nempe ad Extravag. Julii II. *Satis ſuperque reſponſum eſt ſupra*, *à num.* 71.

Quintus caſus eſt, cùm ſimonia committitur ab eligentibus ipſo electo ignorante, ſed tamen poſtea ratum habente. Et quod electio ſit caſſanda, videtur textus in *cap. Sicut tuis*, *infra eodem*: ubi deciditur non eſſe imputandum electo confirmato ad culpam, vel ad pœnam, ſi pecunia pro illius confirmatione promiſſa, & ſoluta fuerit ipſo ignorante, niſi poſteà conſenſerit pecuniam ſolvendo promiſſam, vel reddendo ſolutam, ubi gloſ. in *verbo Conſenſerit*, dicit, ſimoniam committi quandocumque conſenſerit electus, quia conſentire eſt quandocumque conſentire & ante, & poſt: ſimilis gloſ. eſt *in cap. penult. in verb. Ratum non habente*, *ſupra de elect.* & probatur in *cap. Eos*, 1. *quæſt.* 1. ubi *Alienus omnino à ſacerdotio pronunciatur is*, *qui aliquando dederit*, *vel acceperit pecuniam in aliquo tempore ſive ante manus impoſitionem*, *ſive in ipſa manus impoſitione*, *ſive poſt*: *accipere enim eſt quandocumque accipere*: hæc ibi; Ad idem textus in *cap. Si quis obiecerit*, *in fin. & in cap. Si quis præbendas*, ibi, *ante*, *vel poſt à quoquam aliquid exigatur*, 1. *q.* 3. & docet S. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 100 *art.* 6. *ad* 3. *verſ. Niſi forte poſtmodum*, & eſt ratio ſecundùm gloſ. præalleg. in dict. *cap. Sicut tuis*;
84 quia in maleficiis ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, *cap. Netum*, 2. *quæſt.* 1. *cap. Cum ad ſedem*, *in fin. ſupra de reſtit. ſpoliat. l.* 1. §. *Quotiens*, *ff. de vi*, *&*
85 *vi armata*. Cæterùm adverte, quia hoc procedit ſi pecunia fuerit ſoluta nomine electi, alias ſecus, ſecundùm Abb. in d. *cap. Sicut tuis*, *num.* 8. & Mar. Soc. *ibidem num.* 24. nam de jure canonico non poteſt quis ratum habere quod ſuo nomine geſtum non eſt, ita ut ſit vera ratihabitio, & retrotrahitur, *cap. Cum quis*, *de ſent. excomm. lib.* 6. *&*
86 *cap. Ratum*, *de reg. iur. eod. lib.* Ideòque ſolvens pecuniam poſteaquam contradixit, & ſic jus plenum ſibi quæſitum, propriè non committit ſimoniam; quia aliud eſt emere, vel vendere, aliud emptioni, vel venditioni conſentire,
87 *l. Aliud*, *ff. de re iudic.* Quamobrem ratam habens dationem pecuniæ non ſuo nomine factam, non dicitur committere ſimoniam, licèt graviter peccet, ut dict. *cap. Cum quis*, & quamvis ut ſubdunt in dict. *cap. Sicut tuis*, Abb. dict. *num.* 8. *verſ. An autem*, & Marian. Socin. *num.* 26.
88 hoc caſu ratum habens teneatur dimittere beneficium, vel poſſit privari habita conſideratione ad ſimoniam prius commiſſam cum peccato poſteà ſubſequuto, ad præſcrip-
89 tum illius Decretalis, *verſ. Niſi poſteà conſenſeris*; tamen hoc non poteſt habere locum in electo in Romanum Pontificem, quia cùm ſit verus Papa, *cap. Licet*, *de elect.* non eſt judex, qui poſſit eum privare, *cap. Aliorum*, 9. *quæſt.* 3. & notant gloſ. 1. *in cap. Si quis pecunia*, & ibi etiam Turrecrem. *num.* 3. 79. *diſt.* & latiùs dictum eſt ſupra *num.* 58. *cum duobus ſeqq. & num.* 70.

Concludendo igitur, aut pecunia non fuit ſoluta nomine electi, & ratihabitio non retrotrahitur, ita ut reddat electionem ſimoniacam, nec electus à quoquam cogi po-
90 teſt ad renunciandum, ut proximè dictum eſt. Aut pecunia ſoluta fuit nomine electi; & hoc caſu ratihabitio retrotrahitur, & ſic electio dici poteſt per ſimoniam celebrata, dict. *cap. Sicut tuis*. Verumtamen de jure communi electio Papalis ex hoc capite non eſt nulla; quia ſi nec ſimonia ab electo in Papam ante ipſam electionem commiſſa per rei veritatem inficit electionem, ut plenè firmatum eſt ſupra *num.* 56. 60. *& ſeq.* longè minùs eam inficit quando non fuit commiſſa à principio verè, ſed ſolùm per juris fictionem, quia ſcilicet jus fingit ſimoniam ab initio interceſſiſſe ratihabitionem retrotrahendo, ſeu retrofingendo, ut ſic ratihabitio non ſit mandatum, quod eſt impoſſibile, ſed mandato comparetur, juxta *reg. Ratihabitionem*, *de reg. iur. lib.* 6. *& l. fin.* & ibi Bald. *in princip. Cod. ad Macedonian.* Ratio eſt, quia fictio nunquam poteſt operari 91
quod veritas ipſa non operatur, ut ibi notat gloſſa *unica poſt med. verſ. Ratio quia ratihabitio*, quinimò in eodem caſu fictio non eſt tantæ potentiæ ſicut veritas, & naturalis actus, *l. Si actor*, juncta gloſſa *ff. de iureiur. & l. Quamvis*, §. *Marcellus*, *&* §. *ſeq. ff. ad Velleian.* fictum enim 92
non habet eſſe realiter, ſed intellectualiter, & fictum non eſt, ſed intelligitur eſſe, text. *in l. Qui in utero*, *ff. de ſtatu homin.* & quod ibi notatur. An autem hoc caſu intret 93
Conſtitutio Julii II. non ſatis conſtat, quia irritat electionem factam per ſimoniam commiſſam ab eo, quem eligi contigerit, videtur intelligenda in caſu vero, videlicet quando ipſe ante electionem verè ſolvit, vel promiſit pecuniam eligentibus, non autem in caſu ficto, quando ſcilicet propter ratihabitionem, quæ intellectualiter retrotrahitur, ab initio fingitur ſimoniam commiſiſſe; nam regulariter verba intelligi debent ſecundùm veritatem, & non ſecundùm fictionem, *l.* 1. §. *Servi*, *ff. ad Syllanian.* & in materia ſtricta, diſpoſitio loquens de aliquo actu non 94
comprehendit fictum, *l. Adoptivum*, *ff. de in ius vocan.* & notat Bartolus in ſua *quæſt.* 3. *num.* 12. & Baldus *in conſ.* 24. *Statute Civitatis*, *in fine*, *lib.* 1. & eo magis quia 95
Conſtitutio vult ut contra electum ex ipi poſſit de crimine ſimoniæ tamquam de vera, & indubitata hæreſi: quæ verba omnino excludunt fictionem, quæ fundatur ſuper falſo, ut poſt Boattin. notat Joann. Andr. in *cap. Literas*, *num.* 3. *ſupra de tempor. ordin.* ſuper quo tamen cogitabis.

Sextus, & ultimus caſus eſt quando aliquis ex Car- 96
dinalibus votum dantibus recepit à tertio pecuniam ſciente, & tacente electo: & hoc caſu ſi liceret arguere ab electione inferiorum ad electionem Summi Pontificis, veriùs eſſet electionem fore nullam, per textum in *cap. Sicut tuis*, *infra eodem*, ubi hoc tenet gloſſa *in verb. præbere*, & Butr. *num* 6. & alii communiter; quia tacendo, & non contradicendo conſentire videtur, *cap. Si ſervus ſciente*, 54. *diſt. l. Si ut proponis*, *C. de nupt.* ad idem textus in *cap. De Regularib. ſupra eod.* ubi ſufficit ſola ſcientia pecuniæ à tertio ſolutæ ad hoc ut monachi cenſeantur ſimoniaci, & ſimoniacè recepti, & ibi notant Hoſtien. *in princ.* & Joan. Andr. *num.* 1. *in ver. Scientibus*, ubi dicunt ſcientes ſive 97
expreſsè conſenſerint, ſive tacuerint, ſive turbare noluerint, eſſe ſimoniacos, & ſimoniacè promotos: & eſt ſententia D. Thomæ *in* 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad primum*, quem ſequuntur communiter Theologi, ut atteſtatur Covarr. *in reg. Peccatum in* 2. *p.* §. 8.

Cæterum non auderem hæc jura extendere ad electio- 98
nem Romani Pontificis: conſidero enim hoc caſu non agi de ſimonia expreſſa, & vera, ſed de tacita, & præſumpta: nam ex eo quod electus ſciverit ſimoniam pro ſui electione ab aliis commiſſam, & non contradixerit, jura eliciunt præſumptionem tacitæ acquieſcentiæ, ſecundùm ea, quæ notantur per Legiſtas in *l. Quæ dotis*, *ff. ſolut. matrim.* & per Canoniſtas in *c. Nonne*, *ſupra de præſumpt. & in reg. Is qui tacet*, *de reg. iur. lib.* 6. & ſic talis non eſt ſimoniacus verè, ſed præſumptivè, ut in ſpecie notat gloſſa præallegata in *cap. Sicut tuis*, *in verb. Præbere*, *infra eodem*, dum ait, & ſic iſte Abbas conſenſiſſe præſumitur, ſi poſtquam intellexerit, non contradixiſſet, & conſentit ibi Hoſtien. *num.* 5. & alii. At jure communi inſpecto contra electum in Papam objici non poteſt quod per ſeipſum verè ſimoniam commiſerit pecuniam eligentibus dando, vel promittendo, ſecundùm communem opinionem Doctorum in *cap. Si quis pecunia*, 79. dic ut plenè dixi ſupra *num.* 55. *& ſeq.* Ergo longe minus objici poteſt, quod ſimoniam commiſerit præſumptive, ſeu per interpretationem, ſcilicet ſimoniæ per alios commiſſæ non contradicendo: nam præſumptio, ſeu fictio non eſt tantæ potentiæ, quantæ eſt veritas, & naturalis actus, ut inquit Bald. *conſ.* 337. *In primis videndum*, *num.* 2. *verſ. Item nec debet*,

99 *bet*, *lib.* 1. & taciturnitas eſt quid medium inter conſenſum, & contradictionem, ut probatur in dict. *cap. Sicut tuis*, *in verſ. Quia tamen longè diverſum eſt*, & ibi notant Butr. *num.* 6. & Anchar. *in* 8. *notab.* qui enim tacet non loquitur; unde nec fatetur, nec negat, *l. Qui tacet*,
100 *ff. de reg. iur.* & in re gravi, & oneroſa requiritur expreſſus conſenſus, nec ſufficit taciturnitas, ut inquit Abb. in *cap. In cauſis*, *num.* 3. *verſ. Nec ſufficit*, *ſupra de elect.*
101 Conſtitutio Julii II. cùm ſit pœnalis, & exorbitans à jure communi, eſt ſtrictè intelligenda, *cap. Penè*, *de pœnit. diſt.* 1. *cap. Quæ à iure*, & Joan. Andr. *de reg. iur. lib.* 6. *l. Vt gradatim*, §. *Et ſi lege*, *ff. de muner. & honor.* Oldrad. *conſ.* 150. *In Eccleſia Valentina*, *num.* 3. *verſ. Præſertim*, & in ſimilibus Conſtitutionibus Apoſtolicis multoties reſolvit Rota, ut *deciſ.* 591. *num.* 2. *par.* 1. *& deciſ.* 783. *num.* 9. *par.* 2. *recent.* & ideò dum irritat electionem factam per ſimoniam commiſſam ab eo, quem eligi contigerit, extendi non debet ad eum, qui tacet, & non contradicit, ſed videtur intelligenda de ſimonia vera, ut innuit illud verbum, *commiſſam*, non autem in præſumpta, quæ elicitur ex ſcientia, & taciturnitate, ut patet ex his, quæ dixi ſupra *num.* 93. *& ſeqq.* Præſertim verò, quia Conſtitutio diſponit ut contra electum excipi poſſit de crimine ſimoniæ tanquam de vera, & indubitata hæreſi: quæ ſanè verba nullatenus adaptari poſſunt electo, qui ſolùm tacuit, & non contradixit. Unde cùm hoc caſu non habeamus Canonem, vel Conſtitutionem Apoſtolicam expreſsè diſponentem in electione Summi Pontificis, ſtabimus juri antiquo, *cap. Cum expediat*, *de elect. lib.* 6. gloſ. *in cap. Conſtitutionem*, *in ver. Prorogamus*, *de regular. eod. lib.*

102 Secundò principaliter QUÆRO, Si pro electione Romani Pontificis de voluntate electi data, vel promiſſa fuerit pecunia alicui votum non habenti, an hujuſmodi electio ſit irrita, necne.

103 Pro clariori ſolutione duo caſus ſunt diſtinguendi. Primus eſt, cùm pecunia de voluntate electi ſoluta, vel promiſſa fuit Regio Oratori, vel alteri ad hoc ut Cardinalibus eum eligere volentibus nomine regio, vel aliàs de facto obicem non ponat, ſed eligendi poteſtatem Cardinalibus liberam dimittat: & dicunt quidam non eſſe ſimoniacum, quia licet ad vexationem redimendam dare pecuniam alicui jus non habenti ad hoc ut à vexatione deſiſtat, & injuſta impedimenta ſubmoveat, ſecundùm illud Apoſt. ad Eph. 5. *Redimentes tempus*, *quoniam dies mali ſunt*: & eſt argument. optimum in *cap. Dilectus*, *il primo*, *infra eodem*, ubi hoc tenet gloſ. prima dicens veriùs & æquiùs eſſe, & Hoſt. *num.* 1. *verſ. Quid ergo*, idem firmat gloſ. in *cap. Cum pridem*, *in ver. Illicitæ pactionis*, *verſ. Si verò*, *ſupra de pact.*

104 Sed cave, quia hoc procedit in jure quæſito, prout loquuntur gloſſæ præallegatæ: ſecus in jure quærendo, quia tunc ſimoniacum eſt dare alteri pecuniam, ut ab injuſta vexatione deſiſtat, textus eſt in *cap. Matthæus*, *ſupra eo-*
105 *dem*, ubi ſic contradicens electo pro pecunia de voluntate electi tradita à contradictione ceſſat, electus poſteà confirmatus eſt ſimoniacus, & beneficio renunciare tenetur: & ita ibi eſt caſus ſecundùm Joan. Andr. Butr. Cardin. Abbat. & omnes, & hanc diſtinctionem inter jus quæſitum, & jus quærendum poſuit Joan. Andr. in dict. *cap. Dilectus*, *num.* 5. quem communiter Doctores ſequuntur; idemque docet S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 2. *ad* 5. dicens: *antequam alicui acquiratur ius in Epiſcopatu*, *vel quacumque dignitate*, *vel præbenda per electionem*, *vel proviſionem*, *ſeu collationem ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula pecunia redimere*: *ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam*; *ſed poſtquam ius alicui acquiſitum eſt*, *licet per pecuniam iniuſta impedimenta removere*. Hæc S. Thomas, & conſentiunt Rebuff. *in Praxi benefic. tit. de ſimon. in renunciat. num.* 18. *cum ſeqq.* Redoan. *de ſimon. par.* 2. *cap.* 31. *nu.* 48. *& par.* 3. *cap.* 2. *nu.* 5. Menoch. *conſ.* 67. *numer.* 17. *cum ſeqq.* Navarr. *in Manuali cap.* 23. *num.* 102. *& conſ.* 47. *num.* 44. *hoc tit.* Cardinal. Tolet. *in Summa lib.* 5. *cap.* 90. latè Suarez *de relig. tomo* 1. *lib.* 4. *de ſimonia*, *cap.* 19. *num.* 17. *& cap.* 50. *in princip.* Et ad ſecundum membrum Divi Thomæ pertinet exemplum Gregorii Magni, qui pecuniam ſolvit Mauritio Imperatori pro confirmatione: nam, ut inquit Baronius *ad annum* 690. *pag.* 5. *lit. D. verſ. Cæterum*. *Etſi pendenda ab ipſo Gregorio fuerit Imperatori eadem pecuniæ quantitas*: *quæ à prædeceſſoribus Gothorum temporibus exacta eſt*; *haud tamen in crimen adduci potuit quaſi redemptum pecunia Pontificatum obtinuerit*: *etenim electio*, *ut dictum eſt*, *legitimè facta illi contulit Pontificatum*, *non Imperatoris confirmatio tyrannicè uſurpata*, *quæ pecunia licitè redimi potuit*, *cùm non redimeretur ea Pontificatus*, *ſed executio muneris eo modo* (*quo aliter liceret*) *ab illata vexatione ſe liberando*. Hæc Baronius. Ita hoc primo caſu videtur eſſe locus Conſtitutioni Julii II. de ſimoniaca Papæ electione; cum limitatione tamen, de qua infra *num.* 108.

Verùm ſi aliquis ex Cardinalibus inſcio electo aliquid temporale daret, vel promitteret Legato Regio, vel alteri 106
ad hoc ut ipſum in exercitio ſuæ poteſtatis eligendi de facto non perturbaret, fortè non eſſet ſimonia, quia cùm Cardinales jus habeant eligendi Romanum Pontificem ex conceſſione Apoſtolicæ Sedis, & ex vetuſtiſſima conſuetudine, *cap. In nomine Domini*, 23. *diſt. cum ſuis concordan.* videtur eis licere ſine labe ſimoniæ pecuniam ſolvere ad redimendam vexationem ſibi de facto illatam, vel inferendam in hoc jure ſibi quæſito, juxta primum membrum diſtinctionis ſuperiùs poſitæ: & hoc voluit præcitata gloſſa in *cap. Cum pridem*, *in verb. Illicitæ pactionis*, *ſupra de pactis*, dum ait: *Si cùm ius habeo*, *dedero tibi pecuniam redimendo vexationem meam*, *non pecco*. Non enim hoc caſu Cardinales pecunia mediante parant ſibi viam ad jus ſpeciale obtinendum, ſed jus jam ſibi acquiſitum conſervant, & ſic ceſſat ratio ſimoniæ per D. Thomam conſiderata. Tamen cogitabis.

Secundus caſus eſt, cùm pecunia fuit tradita, vel pro- 107
miſſa Magnati, vel amico, ſeu conſanguineo alicujus Cardinalis ad hoc ut eum inducat ad aliquem eligendum: & hoc ſi fiat ſciente, & conſentiente electo, procul dubio eſt ſimoniacum, & vitioſa eſt electio, ut videtur caſus in *cap. Præſentium*, 1. *qu.* 5. ubi pecunia pro ordinatione Sacerdotis non fuit data eidem Sacerdoti, nec Epiſcopo, ſed cuidam Principi amico Epiſcopi: & tamen textus decidit ſic ordinatum ex miſericordia eſſe tolerandum in ordine, ea præcipua ratione, quia tam ipſe Presbyter, quàm Epiſcopus factum ignoravit. Ergo à contrario ſecus ſi ſciviſſent: & confirmatur, quia ſi non licet abſque vitio ſimoniæ ſibi viam ſtruere ad futuram electionem removendo impedimenta, ut concluſum eſt in caſu præcedenti; longè minùs id licebit diſponendo per interpoſitam perſonam Cardinales electores ad eligendum.

Fallit hæc concluſio quando eligentes erant aliàs electu- 108
ri: tunc enim datio pecuniæ etiam de voluntate electi non vitiat electionem, ex quo aliàs erat eligendus, arg. *l.* 3. *C. Si ex falſo inſtrum. c. Cum I. & A. ſupra de re iudic. & §.*
ult. 1. *q.* 6. ubi hoc videtur expreſſum. Sicut dicimus pre- 109
ces non inducere ſimoniam, ex quo eligendus aliàs erat idoneus; de quo in *cap. Tua*, *ſupra de ætat. & qualitat.* & in hac opinione reſidet hic Goffred. Et quamvis gloſſa ſecunda Vincent. & alii teneant ſimoniam eſſe, non obſtante quod electores eſſent aliàs electuri, ut nos ſupra firmavimus *num.* 19. tamen opinio gloſſæ, & ſequacium procedit quando pecunia de voluntate electi data fuit ipſiſmet electoribus: tunc enim ſimoniaca eſt electio, nec attenditur qua intentione Cardinales elegerint, ut ibi diximus. Secus verò ſi pecunia etiam de conſenſu electi fuerit data extraneo votum non habenti, ut in hoc caſu; quia tunc licèt electus ſit ſimoniacus, electio tamen non eſt ſi-
moniaca; ita ſingulariter declarat Hoſt. in *cap. Tanta nu.* 110
1. *in ver. Præter ſimoniacum*, *verſ. Item nota*, *ſupra eod.* dicens: [Item nota quod ſi quis obtinuerit ordinem, vel beneficium dando pecuniam non ordinatori, ſed alii quod obtenturus erat etiam ſi pecuniam non dediſſet, non eſt ſimoniacum, argum. §. *fin.* 1. *quæſt.* 6. ſin autem aliàs non erat obtenturus, vel etiam obtenturus erat ſi ordinatori dedit, ſimoniacum eſt, *cap. Quam pio*, *& c. Quæſitum*, 1. *quæſt.* 2. *& quæſt.* 3. *cap. Si quis obiecerit*, *& cap. fin. & q.* 6. *c.* 1.] Hactenus Hoſtien. cum quo ſimpliciter tranſeunt hic Jo. Andr. *num.* 5. Butr. *num.* 7. *verſ. Dic ſi pecunia*, &
Anchar. *in fin.* Et quamvis in hoc articulo Abb. *num.* 5. 111
verſ. Sed adverte, concordando opiniones teneat ſimoniacam eſſe electionem quando pecunia ab ipſomet electo, vel de illius voluntate tradita, vel promiſſa fuit extraneo, præſertim amico, vel conſanguineo eligentium, non obſtante quod aliàs fuiſſent eum electuri, & cum Abb. conſen-

Digitized by Google

ſentiant Marian. Socin. *num.* 8. *verſ. Conclude*, & Joann. de Anan. *num.* 5. *verſ. Sed adverte*. Tamen non videtur recedendum à diſtinctione Hoſtienſis, tum ob illius authoritatem, & ſequacium: tum quia multum intereſt, an pecunia ab electo data fuerit extraneo votum non habenti ad hoc, ut preces, vel authoritatem ſuam interponat cum electoribus, ut eum eligant; an verò ab ipſo electo, vel ab
112 alio data fuerit ipſiſmet electoribus. Nam in primo caſu quamvis electus ſimoniam commiſerit eo quod pro jure ſpirituali quærendo non debeat aliquid dari, ut notatur in *cap. Ad aures*, *ſupra eodem*, & locus regiminis quærentibus, & ambientibus ſit denegandus, *cap. In ſcripturis*, 8. *queſt.* 1. tamen electio ipſa non eſſet ſimoniaca, cùm electores pecuniam non receperint, & aliàs electuri eſſent.

In ſecundo autem caſu, cùm pecunia fuerit tradita electoribus, electio non fuit libera, & fortè electores mutaſſent opinionem ſi pecuniam non accepiſſent: unde electio proculdubio eſt infecta, & ſimoniaca, ut in juribus ſupra citatis ab Hoſtien. Prætereà in primo caſu cùm electores crimen non commiſerint, benè probare poterunt ſe aliàs electuros fuiſſe ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra *num.* 19. Sècus in ſecundo caſu, quia tamquam criminoſi, & in facto proprio deponentes non eſſent audiendi; & ſic rationes, quas hìc ponderat Joan. Andr. *num.* 5. *in gloſ.* 2. vigent tantummodo in hoc ſecundo caſu, non autem in primo; unde ipſe conſentit cum opinione Hoſtienſ. licèt Butr. *n.* 7. eum aliter intelligat, & non bene ſecundùm Abb. & Jo. de Anan. *locis citatis*. Hoc autem multò magis procedit in terminis Extravag. Julii II. quæ non irritat electionem ſimoniaci, ſed electionem celebratam per ſimoniam; & requirit ut electus non tantùm ſit ſimoniacus, ſed etiam ut ſimoniacè electus fuerit, ut patet ex dictis ſupra *num.* 27.

DE SIMONIA.

Innocentius III, Priori S. Victoris, Magiſtris J. Bonon. & L. Modicen. Canonicis.

CAPUT XXXI.

Licèt Heli ſummus ſacerdos in ſe bonus exiſteret, quia tamen filiorum exceſſus efficaciter non corripuit, & in ſe pariter & in ipſis animadverſionis divinæ vindictam excepit: dum filiis ejus in bello peremptis, ipſe de ſella corruens fractis cervicibus expiravit. Ad corrigendos igitur ſubditorum exceſſus, tantò diligentius debet Prælatus aſſurgere, quantò damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas. Contra quos (ut de notoriis exceſſibus taceatur) & ſi tribus modis procedi poſſit, per accuſationem videlicet, denuntiationem, & inquiſitionem ipſorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ſicut accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, ſic & denuntiationem, charitativa correctio, & inquiſitionem clamoſa debet inſinuatio prævenire. Deſcendam (inquit Dominus) & videbo utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Tunc enim clamor pervenit ad Prælatum, cum per publicam famam, aut inſinuationem frequentem, ſubditorum ſibi referuntur exceſſus, & tunc debet deſcendere & videre, ideſt mittere & inquirere, utrum clamorem, qui venit, veritas comitetur. Nam juxta Canonicas ſanctiones ſi quid de quocumque clerico ad aures Prælati pervenerit, quod eum juſtè poſſit offendere, non facilè credere debet, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita, ſed coram Eccleſiæ ſenioribus diligenter eſt veritas perſcrutanda, ut ſi rei popoſcerit qualitas, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis, non tamquam ſit idem accuſator & judex, ſed quaſi fama deferente, vel denuntiante clamore, ſui officii debitum exequatur, eo ſemper adhibitio moderamine, ut juxta judicii formam, ſententiæ quoque forma dictetur. Cùm igitur de Abbate Pompoſiano ea nobis frequenter inſinuata fuiſſent, quæ ab honeſtate regulari nimium diſſonabant, monachis ad præſentiam noſtram accedentibus, quidam ex ipſis nobis ipſum Abbatem de ſimonia, perjurio, dilapidatione, ac inſufficientia detulerunt. Contra quos eùm idem Abbas exciperet, quòd denuntiationem hujuſmodi fraterna correctio, ſecundùm regulam Euangelicam non præceſſerat: & iidem conſtanter aſſererent, quòd correctionem hujuſmodi præmiſiſſent: Licèt ad probandum hæc duorum monachorum juramenta fuiſſent exhibita: quia tamen ſuper hoc ipſi nondum contendere deſiſtebant: Nos, ut prædiximus, frequentibus clamoribus excitati, ex officio noſtro voluimus inquirere de præmiſſis: omnes monachos, qui vel cum ipſo, vel contra ipſum acceſſerant, juramenti vinculo aſtringentes, ut de propoſitis plenam, quam ſcirent, exponerent veritatem: quorum depoſitiones in ſcripturis redactæ, cùm publicatæ fuiſſent, ſuper illis cœperunt multipliciter diſputare. Quia verò tum ex aſſertione monachorum, tum ex ipſius Abbatis confeſſione cognovimus, quòd idem non modicam ſummam pecuniæ relictam à prædeceſſore ſuo expenderat, & in alia ſumma majori monaſterium obligarat: Nos eum, quaſi de dilapidatione ſuſpectum, ab adminiſtratione Abbatiæ duximus ſuſpendendum: & quia ſimonia multis modis contra ipſum Abbatem videbatur eſſe probata: ipſe contra teſtes multas exceptiones oppoſuit, ſuper quibus fuit multipliciter diſputatum: aliis aſſerentibus in crimine ſimoniæ, ſicut in crimine læſæ majeſtatis omnes indifferenter, tam infames, quàm criminoſos, non ſolùm ad accuſandum, ſed etiam ad teſtificandum admittendos: cùm ad inſtar publici criminis, & læſæ majeſtatis procedat accuſatio ſimoniæ: aliis è contrario reſpondentibus, quòd licèt hæc duo crimina quantum ad accuſationem, quaſi paria judicentur, differunt tamen in multis: cùm alia pœna pro uno, & alia pro altero inferatur: & inter perſonas accuſatorum & teſtium ſit utique diſtinguendum: cùm non per accuſatores, ſed per teſtes crimina comprobentur. Ne verò vel innocentiæ puritas confuſa ſuccumberet, vel ſimoniæ pravitas effugeret impunita: Nos æquitate penſata, illas dumtaxat exceptiones oppoſitas probandas admiſimus, quæ probatæ non de zelo juſtitiæ, ſed de malignitatis fomite procedere viderentur.

SVM-

S V M M A R I V M.

1 *Monachi de ſimonia, periurio, dilapidatione, & inſufficientia ſuum denunciare poſſunt Abbatem.*
2 *Abbas adverſus teſtes deponentes contra cum ſuper ſimonia in iudicio inquiſitionis poteſt excipere quod ſunt inimici, & conſpiratores: alias vero exceptiones criminum opponere non poſſunt.*
3 *Prælati, qui non corrigunt ſubditos, dicuntur eos occidere, & puniuntur à Deo tam in hoc ſæculo, quàm in futuro, & num. ſeq.*
4 *Heli ſummus Sacerdos qualiter fuerit punitus à Deo, quia filios non corripuerat.*
5 *Correctio duplex coactiva, & oſtenſiva, ſeu fraterna, & utraque eſt in præcepto.*
6 *Correctio coactiva eſt actus iuſtitiæ, correctio fraterna eſt actus charitatis.*
7 *Prælatus non debet eſſe facilis ad credendum in præiudicium alterius.*
8 *Credendi facilitas, ceſſante proximi præiudicio, eſt ſignum ſimplicitatis, & iuſtitiæ.*
9 *Monitio requiritur in iudicio inquiſitionis etiam ſi fiat ad denunciationem alterius.*
10 *Prælatus ex ſola pendentia iudicii ſuper dilapidatione non removetur, niſi alia probatio adſit.*
11 *Sufficiunt tamen coniecturæ.*
12 *Prælatus convincitur eſſe ſuſpectus de dilapidatione ſi probetur Eccleſiam fuiſſe divitem, & nunc eſſe pauperem.*
13 *Nec excuſatur, ſi dicat ſe expenſas feciſſe attenta conditione ſua magna nobilitatis.*
14 *Expenſæ reſtringi debent à Prælato quantumcumque nobili iuxta facultates Eccleſiæ.*
15 *Dilapidatio dicitur cum res immobiles alienantur; cum vero mobiles, dicitur quaſi dilapidatio.*
16 *Teſtes in crimine læſæ maieſtatis, hereſis, & ſimoniæ admittuntur & criminoſi, dummodo non ſint conſpiratores, vel inimici capitales.*
17 *Epiſcopus an poſſit facere edictum, ut quilibet clericus oſtendat titulum ſui beneficii ſub pœna privationis, & num. ſeqq. uſque ad num. 34.*
18 *Clericus poſſidet Eccleſiam, Diœceſanus dicit quod minus canonicè eam tenet: Clericus petit libellum ſibi offerri: Epiſcopus vult inquirere dicens collationem ad ſe devolutam, an erit locus recuſationi.*
19 *Titulum ſuæ poſſeſſionis licèt non cogatur quis oſtendere, tamen ſpeciale eſt in poſſeſſore beneficii, ut cùm de inſtitutione agitur, eam probare debeat per inſtrumentum, & num. 23.*
20 *Intellectus*, cap. Ordinarii, de off. ord. lib. 6. *& nu. 21. & num. 25.*
Beneficia plura curata, vel aliàs incompatibilia obtinentes cogi poſſunt ab Ordinariis ad ſuas diſpenſationes exhibendas, num. 20.
21 *Et quid in obtinentibus unum, vel plura compatibilia, & num. ſeqq.*
22 *Statutum Epiſcopi privans Beneficiatos, qui infra menſem titulum inſtitutionis ſuæ in memorialibus Epiſcopi non ponunt, validum eſt.*
23 *Beneficii poſſeſſio non ſufficit ſine canonica inſtitutione.*
24 *Titulum ſui beneficii non cogitur Clericus oſtendere quando tertius agit contra ipſum, allegans ſe habere ius in præbenda.*
25 *Argumentum à contrario ſenſu non ſemper pro lege, & certa ratione ſuſcipitur.*
26 *Epiſcopus in viſitatione poteſt cogere Clericos viſitatos ad exhibitionem ſuorum titulorum ex ſententia Sac. Congregationis Concilii.*
27 *Beneficiatus an cogi poſſit oſtendere titulum ſui beneficii, ſi eius poſſeſſio ſit antiqua, & num. ſeqq.*
28 *Et an ſit admittendus ad probationem per iuramentum, & num. 29. & 30. & 32. & quæ poſſeſſio ad hunc effectum dicatur recens, vel antiqua, num. 31.*
30 *Epiſcopi noviter promoti ſolent publicare edictum generale, ut unuſquiſque teneatur fidem facere de titulo ſui beneficii.*
31 *Poſſeſſio dicitur antiqua ad effectum præſumendi titulum ſi ſit decennalis.*
32 *Clericus qui per decennium poſſedit plura beneficia incompatibilia, & allegat ſe titulum amiſiſſe, an ſit admittendus ad probationem tituli per iuramentum.*
33 *Beneficia incompatibilia obtinentes cogi poſſunt ab Epiſcopo ad diſpenſationem exhibendam, & titulos oſtendendos, non obſtante temporis longinquitate, niſi beneficia ad iuriſdictionem Epiſcopi non ſpectarent.*
34 *Epiſcopus in civitate poteſt compellere clericos ad oſtendendas dimiſſorias, quarum vigore ordinati ſunt.*

L*Icèt Heli*. Abbas Antiquus ſic ſummat hanc Decre- 1
talem. Monachi de ſimonia, perjurio, dilapidatione, & inſufficientia ſuum denunciare poſſunt Abbatem:
ſed melius Joannes Andr. & communiter ſequentes ſum- 2
mant ſic: Abbas adverſus teſtes, qui depoſuerunt contra cum de ſimonia in judicio inquiſitionis, excipere poteſt, quod ſunt inimici, & conſpiratores: aliàs verò exceptiones criminum opponere non poteſt. Hoc dicit. Dividitur, ut per Jo. Andr.
Nota primò ibi, *In ſe bonus exiſteret*; durum verbum 3
pro Prælatis, ſecundùm Abbatem Antiq. hic *num.* 2. quia quantumcumque boni ſint, tamen ſi non corrigunt ſubditos, puniuntur à Deo, non ſolùm æternaliter, ſed etiam in hoc ſæculo, ut hic, & in *cap. Legant Epiſcopi*, 37. *diſt.* quia non corrigendo dicuntur occidere, *cap. Epheſius*, 43.
diſt. Unde Heli ſummus Sacerdos, licèt in ſe bonus, ta- 4
men quia efficaciter filiorum exceſſus non corripuit, ipſis filiis in bello peremptis, cecidit de ſella retrorſum, & fractis cervicibus expiravit, ut in textu; & Dominus revelavit Samueli ſe judicaturum domum Heli, quia noverat filios ſuos indignè agere, & eos non corripuerat. Hiſtoriam habes *lib.* 1. *Regum cap.* 3. *&* 4. eamque complectitur Abbas Antiquus his verſibus:

Funere crudeli fractis cervicibus Heli,
Corruit à ſella triſti veniente novella.

Corruptè enim legitur *Chriſto veniente*. Intelligitur au- 5
tem hoc cap. non ſolùm de correctione coactiva, quæ fit à Prælato per pœnæ impoſitionem ad bonum publicum, ut alii timentes à peccato deterreantur, ſed etiam de oſtenſiva, ſeu fraterna, quæ fit à Prælato ad emendationem
proximi; utraque enim eſt in præcepto, ut docet S. Tho- 6
mas *in* 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 2. *in corp.* ſed coactiva eſt actus juſtitiæ, fraterna verò eſt actus charitatis, ut idem tradit *d. art.* 2. *ad tertium*.
Secundò nota in *verſ. Contra quos*, tres modos procedendi ſuper crimine, videlicet per accuſationem, denuntiationem, & inquiſitionem: concordat textus in *cap. Qualiter, & quando, il ſecondo, ſupra de accuſat.* in quibus autem differant ipſi tres modi notat Speculator *in tit. de iuriſd.* §. 1. *num.* 33. & ſcripſi plenè in dict. *cap. Qualiter, in* 3. *quæſt. à num.* 68. *uſque ad num.* 83.
Tertiò nota ibi, *Clamoſa debet inſinuatio prævenire*, ad ſpecialem inquiſitionem ſuper certo crimine, & contra certam perſonam procedendum non eſſe niſi infamia præcedente, ut hic, & in dict. *cap. Qualiter, il ſecondo*, & dixi ibi in *in prima quæſt. à num.* 40. *de accuſat.*
Quartò nota ibi, *Non facile credere*, Prælatum, vel 7
judicem non debere eſſe facilem ad credendum his, quæ aſſeruntur: quod verum eſt quantũ ad præjudicium alterius, *cap.* 1. *cum duobus cap. ſeqq.* 3. *quæſt.* 9. & ita intelligitur, *cap. Non ſolum*, 11. *quæſt.* 3. *& cap. Si quid vero*, 86. *di-*
ſtin. Sed ceſſante proximi præjudicio facilitas credendi non 8
eſt vituperanda, quin potiùs laudanda, quia eſt ſignum innocentiæ, id eſt ſimplicitatis, & juſtitiæ, ut *cap. Innocens*, juncta gloſſa 1. 22. *quæſt.* 4. *& cap. In cunctis*, 11. *quæſt.* 3. unde primo ad Corinth. *c.* 13. 7. *Charitas omnia ſuffert, omnia credit*; ad quod vide bonam gloſ. in *c. Quam magnum, in ver. Non poſſunt*, 23. *q.* 4.
Quintò nota in *verſ. Contra quos*, quod quando fit in- 9
quiſitio contra aliquem ſuper crimine in vim præcedentis denuntiationis requiritur, ut præcedat monitio: quod probat ſingulariter iſte textus ſecundùm Marian. Socin. hic *num.* 16. & Aretin. in *cap. Qualiter, & quando, num.* 32. *verſ. Et probatur iſta concluſio, ſupra de accuſat.* nam hic controvertebatur inter denuntiatores, & denuntiatum, quod non præceſſiſſet trina monitio, prout requirebatur,

Digitized by Google

tur, & determinat Papa, quia intendebat præcedente fama procedere ex officio; idcircò curandum non eſſe de illa controverſia, quinimò ex fine hujus literæ, & *cap. Per tuas, infra eod. apparet*, quod ipſimet Monachi, qui denunciaverunt Abbatem, proſequebantur inquiſitionem; de quo dic plenius, ut per Aretin. *loc. cit.* & per Mar. Soc. in eodem *cap. Qualiter, in 9. q.* & ibi dixi *num.* 83.

10 Sextò nota in *verſ. Quia verò*: ex ſola pendentia judicii ſuper dilapidatione Prælatum non eſſe removendum ab adminiſtratione, ut hic per Mar. Socin. *num.* 17. & tenet Innoc. *numer.* 4. *in ver. Quaſi de dilapidatione*, dicens: Nota non per ſolam accuſationem removetur, niſi alia probatio adſit, ut hic. Nec obſtat, quod tutor pendente judicio ſuper ſuſpicione debeat ab adminiſtratione abſtinere, ut §. *Si quis, inſtitut. de ſuſcept. tut. & l. Eum quem, Cod. Eodem*; quoniam aliud eſt in tutore, qui non habet niſi nudam adminiſtrationem, ſicut & procurator, unde faciliùs removetur, argumen. *l. Quæ omnia, ff. de procurator.* Aliud eſt in Prælato, qui jus habet in rebus ad dignitatem pertinentibus; & idcircò difficiliùs ei tollitur adminiſtratio, ſecundùm Innocentium ubi ſuprà, & ſcripſi pleniùs in *cap. Qualiter, & quando, il ſecondo, in primo notab. ſupra de accuſat.* & ibi vide plures differentias inter Prælatum, & tutorem. Requiritur ergo, ut probetur dilapidatio ad hoc ut Prælatus ab adminiſtratione removeri poſſit: ſufficit tamen probatio ex ſolis conjecturis, ut
11 probat hæc littera ſecundùm Hoſtienſem *numer. 9. verſ. Probatur autem ſuſpicio*, Joan. Andr. *num.* 14. & Marian. Socin. *num.* 28. Quinimò quantumque leviter appareat de ſuſpicione dilapidationis, ab adminiſtratione removetur, ut inquit Innocentius dict. *num. 4. in ver. Quaſi de dilapidatione*, & ex illo Hoſtien. *num.* 8. *per l. Quod ſi fortè, de ſolut. l. Tutor. C. de ſuſpect. tutor. & cap. Quia, 3. quæſt.* 2. quod eſt ſpeciale in hoc crimine ſuſpicionis, dilapidationis, ſecundùm Mar. Socin. dict. *num.* 18. Maximè quia ſuſpectio pendente lite non eſt magni præjudicii, aliàs verò in criminalibus probationes debent eſſe luce clariores, *l. final. C. de probat.* quæ eſt canonizata in *cap. Sciant cuncti, 2. quæſt.* 8.

12 Septimò nota ibi, *non modicam ſummam pecuniæ*. Unum modum convincendi Prælatum de ſuſpicione, dilapidatione, videlicet probando Eccleſiam fuiſſe divitem, & nunc eſſe pauperem, ſeu Eccleſiam non fuiſſe ære alie-
13 no gravatam, & nunc eſſe, nec excuſatur Prælatus, ſecundum Hoſtien. *num. 9. ante medium*, ſi dicat ſe expenſas feciſſe attenta conditione ſuæ magnæ nobilitatis, quia
14 quantumque ſit nobilis, debet reſtringere, & moderari expenſas juxta facultates Eccleſiæ prout juriſconſultus conſuluit tutori in adminiſtratione rerum pupilli, ut *l. Ius alimentorum, §. In amplis, ff. Ubi pupilli educ. debent.* ad hoc tamen vide quod ſcripſi in *cap. Si quis ſanè, numer. 29. & ſeqq. ſupra de peccul. cleric.*

15 Octavò nota ibi, *Quaſi de dilapidatione*, ex conſumptione rerum mobilium non dici propriè dilapidationem, ſed quaſi dilapidationem: nam dilapidatio propriè dicitur alienatio bonorum immobilium, ut *ff. de reb. eorum, & C. de prædiis minor. per totum*, & hanc differentiam colligunt hic Hoſtien. *num.* 7. Jo. Andr. *nu. 11. in verb. Quaſi*, Abbas *num. 9. in eod. ver.* & reliqui omnes.

16 Ultimò nota in *verſ. Aliis aſſerentibus*. In crimine læſæ majeſtatis admitti teſtes indifferenter, etiam criminoſos, dummodo non ſint conſpiratores, vel inimici, ſcilicet capitales, ut in *cap. Proximo, infra eodem*. Simile in crimine hæreſis favore fidei, ut *cap. Filii, in fin. de hæret. lib.* 6. & in ſimoniaca pravitate eſt caſus in hoc cap. ſecundum omnes, *in ſummario, & in dict. cap. Proximo*. Hæc enim crimina quantum ad accuſandum, & teſtificandum parificantur, ut hic, & in *cap. Sane, 15. quæſt.* 4. ſecundùm Hoſtien. hic *num.* 11. Differunt autem in multis & per eum.

17 Extra gloſſam quærunt Doctores hic, an Epiſcopus poſſit facere edictum, ut quilibet Clericus oſtendat titulum ſui beneficii ſub pœna privationis.

Emerſit aliàs hæc quæſtio, ut in ſubjecta facti ſpecie.

Conqueſtus eſt Archiepiſcopus Sipontinus, quod Archiepiſcopus Tranenſis in viſitatione Eccleſiæ S. Jacobi inſtituta ex auctoritate tum S. Concilii Tridentini, tum Sacræ Congregationis ejuſdem Concilii Interpretis compellere tentaverit Clericos ad oſtendendum titulos ſuorum beneficiorum, & dimiſſorias, quarum vigore ordinati ſunt. Sed nihil affert unde querela appareat juſta: nam jus, & conſuetudo expoſcit, ut Viſitator inquirat de titulis illorum, ſaltem beneficiorum, quæ obtinentur in Eccleſia, quæ viſitatur, præſertim ſi curata ſit, *cap. Ordinarii, de offic. Ordinar. lib.* 6. ubi Archid. *num.* 1. inquit, Si Clericus malè tenet Eccleſiam, certum eſt, quod animam ſuam damnat, & alias animas Parochianorum ipſius Eccleſiæ decipit, *cap. Dudum, il ſecondo, ſupra de elect.* & ideò inquiſitio fit de talibus etiam generalis, *cap. Grave, ſupra de præbend.* Unde ſecundùm Innocent. in *cap. De cætero, num. 1. verſ. Item Epiſcopo, de tranſact.* relatum ab Archidiac. *ubi ſupra*: ſalvum manet Epiſcopi jus in inſtitutione alicujus Clerici etiam ex officio ſuo ratione ſuæ juriſdictionis inquirendi contra eum: & quod talia per officium expediantur, patet in *cap. Unico, ſupra. Ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione, &c.* ad idem *cap. Perniciosam, & cap. Irrefragabili, de offic. Ordinar. & cap. Ad aures, de exceſſ. Prælator.* & notat ipſe Archidiac. in *cap. Non eſt, num. 2. de conſuetud. lib.* 6. & in hac opinione fuit Hoſtien- 18
ſis hic *num.* 4. ubi ſic format quæſtionem. [Quod ſi Clericus poſſideat eccleſiam diœceſanus dicit, quod minus canonicè eam tenet. Clericus petit, ut offeratur libellus: ſed dicit Epiſcopus, ego volo inquirere, cùm tanto tempore vacaverit Eccleſia, ut jure ad me devoluta ſit conferendi poteſtas. Reſpondet Clericus, ideò magis habeo vos ſuſpectum, quia quaſi cauſam veſtram proſequimini; numquid igitur eſt locus recuſationi ex hac cauſa? Reſolvit Hoſtienſis non eſſe locum, quia ſicut à correctione non appellatur, ita nec occaſione correctionis poterit fieri recuſatio. Et ſic videtur loqui, *cap. Super eo, il ſecondo, §. In cauſis, de appellat.* Neque offerendus eſt libellus, quia niſi clericus probet ſe canonicè inſtitutum, hoc eſt auctoritate diœceſani, vel alterius, ad quem ſpectat, omninò removendus eſt ex officio etiam ſine libello, *cap. Ex frequentibus, ſupra de inſtitut.* Non eſt ergo dandus libellus, nec differenda inquiſitio, quia in talibus periculum eſt in mora, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur in *cap. fin. in princip. infra de pæn. in cap. Matthæus, ſupra eodem, in cap. Cum inter univerſas, & in cap. Ne pro defectu, ſupra de elect.* Nec obſtat textus in *cap. Conquerente, ſupra de reſtitut. ſpoliat.* quia ibi nullus ordo ſervatus fuit, ſed Epiſcopus non citatum, non confeſſum, non convictum, nec aliqua præmiſſa inquiſitione clericum illum voluntate capitanea beneficio ſpoliavit:] Ita Hoſtienſis cum quo totidem ferè verbis concordant hic Joan. Andr. *num.* 7. Butr. *num.* 13. Cardin. *num.* 7. Anchar. *eodem num.* Abb. *num.* 22. Joan. de Anan. *num.* 27. & Fe-
lin. *num.* 17. Pro hac ſententia addit Goffredus in *cap. Ex* 19
inſinuatione, de procurat. relatus ab Archidiacono in dict. *cap. Ordinarii, num. 1. de officio Ordinar. lib.* 6. Speciale eſſe, ut cùm agitur de inſtitutione, detinens probare debeat ſuam inſtitutionem per inſtrumentum: & eſt ſimile in *cap. Legum, 2. quæſt.* 1. Sicut eſt ſpeciale in eo, qui poſſidet, vel pro hærede, vel pro poſſeſſore, ut *l. Cogi, Cod. de petit. hæredit.* & in liberto Eccleſiæ, qui quamvis ſit in quaſi poſſeſſione libertatis, nihilominus probare cogitur ſuam manumiſſionem, ut *cap. Longinquitate, & cap. Liberti, 12. quæſt.* 2. & ita in his caſibus non obtinent jura, quæ dicunt non debere poſſeſſorem cogi ad oſtendendum titulum ſuæ poſſeſſionis, §. 1. 2. *quæſt.* 5. gloſ. in *cap. 1. in verb. Titulum, de præſcript. lib.* 6. & quod actore non probante reus abſolvitur, *cap. Unico, Ut Eccleſiaſtica beneficia*.

Sed dices Concilium Lugdunenſe in d. *cap. Ordinarii,* 20
de offic. Ordin. lib. 6. loquitur de obtinentibus ex diſpenſatione plura Curata, vel aliàs incompatibilia beneficia, ſta-
tuitque ut tales compellantur ab Ordinariis exhibere ſuas 21
diſpenſationes. Ergo obtinentes unicum beneficium, vel plura compatibilia cogi non poterunt ad ſuos titulos exhibendos: & ita in puncto reſpondit Petr. de Anchar. *in conſ.* 60. incipien *Duplici ratione*: ubi conſuluit ſententiam Vicarii Epiſcopi ſuper privatione beneficiorum propter non exhibitum titulum in termino fuiſſe nullam eo præcipuè fundamento, quia in ſuo caſu non agebatur de obtinentibus beneficia incompatibilia: & ideò dictum *cap. Ordinarii*, in quo Vicarius ſe fundavit, non faciebat ad propoſitum, quia loquitur, cùm quis poſſidet contra

jus commune plura curata, vel dignitates, quo caſu præſumitur contra ipſum poſſeſſorem. Non mirum ergo ſi Ordinarius poteſt illum arctare, ut titulum oſtendat, quia præſumitur illicitè poſſidere, *cap. Contra morem*: ubi hoc tenet gloſ. *in verb. Oſtende*, 100. *diſtinct.* Secus verò cùm quis poſſidet beneficia ſimplicia, quod poteſt ſecundùm jus commune, ut *cap. Cum jam dudum*; *de prabend.* Tunc enim poſtquam Ordinarius paſſus eſt eum ſemel poſſidere, niſi oſtendat, quod minus canonicè poſſideat, non poteſt eum propter titulum non exhibitum ſpoliare, *cap. Ex ore de his, quæ fiunt à maior par. Capituli*, *cap. Diverſis, de cler. coniugat.* Ita Ancharan. qui addit hoc ipſum tenuiſſe Zenzelinum in dicto *cap. Ordinarii*: & ſe idem ibi ſcripſiſſe; & ſequitur illud conſilium Felinus *hic numer.* 17. *verſ. Quinta concluſio*, *& verſ. Limita primo*.

Sed quidquid dicant iſti, veriùs videtur Epiſcopum ex officio poſſe quemlibet Clericum ſibi ſubjectum compellere ad exhibitionem tituli, etiam ſi unicum obtineat beneficium; & in hoc caſu, id eſt de clerico obtinente Eccleſiam in ſingulari, & non plures eccleſias loquantur, Hoſtienſis, Archidiac. & ſequaces, & probant illorum rationes: & ita Hoſtienſem intellexit etiam Feder. de Sen. *in conſ.* 234. *ſuper primo*, *num.* 3. *col.* 3. *in princ. verſ. Et eſt ſimile*: Et idem tradidit Joan. Andr. in *cap. Mora*, *num.* 8.
22 *& 9. de reg. iur. lib.* 6. ubi firmat Epiſcopum poſſe facere ſtatutum, ſeu edictum quo privet beneficiatos, qui infra menſem titulum inſtitutionis ſuæ in memorialibus Epi-
23 ſcopi poni non faciant: & valere tale ſtatutum, quia eſt juri conſonum, cùm ad Epiſcopum ſpectet ſcire qualiter ſubditi ſua beneficia teneant, & ſubditi de ſua inſtitutione fidem facere debent, cùm poſſeſſio ſide canonica inſtitutione non ſufficiat, *cap. Beneficium*, *de regul. iur. lib.* 6. Lapus *allegat.* 78. *Vacaverat Eccleſia*, *num.* 11. *verſ. Ad tertiam quæſtionem*, *& allegat.* 89. *Factum ſuper quo*, *num.* 15. *circa medium*, *verſ. Et faciat ad hoc ſecundum eos*, Roman. *conſ.* 177. *Licuit ipſi Notario*, *nu.* 3. ubi ait, communem eſſe deciſionem, ut Epiſcopus ex proprio officio poſſit clericum beneficiatum compellere ad oſtendendum titulum ſuæ poſſeſſionis. Et pro hac parte eſt gloſſa ordinaria, & notabilis in *cap. Beneficium*, *in verb. Obtinere*, *circa medium*, *verſ. Et nota*, quod hæc regula *de reg. iur. lib.* 6. Ubi primò ex regula illius textus ſumit argumentum contra clericum, qui eſt in poſſeſſione beneficii ſui, & petitur ab eo titulus poſſeſſionis, ſcilicet inſtitutio, quod teneatur illam oſtendere, & hoc probat per rationes Goffredi, Hoſtienſis, & Archidiaconi ſuperiùs relati: deinde arguit in contrarium per jura, quæ dicunt neminem cogendum oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis: tertiò recitat opinionem Joannis, & Laurentii in *cap. Contra morem*, 100. *diſtinct.* quod clericus habens duo beneficia cogitur dicere titulum: habenti autem unum ſolùm ſufficit poſſeſſionem oſtendere. Demum ſolvit gloſſa dicens primam opinionem eſſe veram, cùm Epiſcopus ex officio vult videre inſtitutionem Clerici, & hoc probari in *cap. Dilecto*, *de prabend. &*
24 *in cap. Unico*, *Ut Eccleſiaſtica beneficia*; ſecundam verò opinionem dicit procedere quando tertius agit contra clericum fortè allegans ſe habere jus in præbenda: tunc enim actor, qui aſſeverat, probare debet, ut *cap. Actor.* 6. *quæſt. ult. & dict. cap. Unico*, *& l. Actor. C. de probat.* & cum hac conciliatione gloſſæ tranſeunt ibi communiter Canoniſtæ, & Felin. *hic numer.* 16. & communem dicit Romanus *in præallegat. conſ.* 177. *in fin.* Stat igitur concluſio, quod Epiſcopus ex officio ſuo poteſt cogere clericum ad exhibitionem tituli, etiamſi unicum ſolùm poſſi-
25 deat beneficium. Et quamvis textus in dict. *cap. Ordinarii*, *de offic. Ordinar. lib.* 6. loquatur in pluribus Curatis,
26 tamen ut inquit Archid. ibi *num.* 1. *circa medium*, de talibus loquitur propter majus periculum: non tamen propter hoc prohibet de aliis beneficiis non curatis: nam non ſemper contrarius ſenſus auctoritatis pro lege, & certa ratione ſuſcipiendus eſt, ut legitur, & notatur in *c. Si qui à ſimoniacis*, 1. *q.* 1. atque hanc ſententiam puto ſequutam fuiſſe Sac. Congregationem Concilii, dum reſpondit viſitantibus Epiſcopis licere clericos viſitatos cogere ad exhibitionem ſuorum titulorum: hujuſmodi enim coactio fieri poteſt, vel per ſubtractionem fructuum, vel per excommunicationem, vel per privationem beneficii, ſecundùm Doctores. Aliàs quomodo cognoſcet viſitator onera fortè annexa beneficio, & quomodo providebit ne Eccleſia debitis fraudetur ſervitiis.

Verumtamen ut dicit Lapus *d. alleg.* 78. *num.* 8. Producens titulum etiam qui non ſit in forma authentica, excuſatur à pœna edicti, & idem ſi producat titulum infectum. Epiſcopus tamen poterit procedere, ut juſtificet titulum, ſed non poterit eum privare ex edicto, quaſi de titulo non docuerit, ut per eum.

Prædicta intellige vera in facto recenti, in antiquo e- 27
nim aliud eſſet, ut dicit Hoſtienſis *hic num.* 5. *verſ. Supradicta intelligas*. Tum quia Prælatus tamdiu tacuit, unde 28
ei eſt imputandum, *cap.* 1. *de frigid. & malef.* tum quia fortè ob temporis antiquitatem difficiliter titulus probari poſſet; probationes enim citò cadunt, & ideò ad delationem juramenti fortè recurrendum eſſet in tali caſu, argum. *l. Hac conſultiſſima*, *§. At cum humana*, *C. Qui teſtamenta facere poſſunt*, *& l. Generaliter*, *in primo reſponſo*, *C. de rebus cred.* & hanc declarationem Hoſtien. ſequuntur hic Joan. Andr. *num.* 7. *ad fin. verſ. Intelligit*, Hoſtien. Butr. *num.* 13. *verſ. Caſus eſt hodie*, Cardin. *num.* 7. *verſ. Non autem ſemper*, Anchar. *eodem num.* 7. *verſ. Et prædicta*, & Felin. *num.* 10. Calder. *conſ.* 302. *alias* 10. *de renunciat.* Feder. de Sen. *in conſ.* 234. *col.* 2. *circa medium*, *verſ. Et eſt ſimile*, Gemmian. *conſ.* 87. *numer.* 2. *verſ. Corroboratur*, Felin. *conſ.* 2. *nu.* 27. *& ſeq.* & dicit hic Jo. de Anan. *numer.* 34. *ad finem*, *verſ. Tu autem conſidera*, omnes Doctores tenere hanc diſtinctionem. An poſſeſſio ſit recens vel antiqua.

Sed tu adverte ſecundum Abbatem hic *num.* 22. *in fine*, 29
& Joan. de Anan. *num.* 27. quia hæc videntur contra notata per gloſ. & Jo. Andr. in *d. cap.* 1. *de reg. iur. lib.* 6. & per Archid. in dict. *cap. Ordinarii*, *de off. Ordinar. eodem lib. & cap. Contra morem*, 100. *diſtinct.* nam communis concluſio videtur eſſe, ut ex quo Epiſcopus tacitè conſentit, non poſſit amplius ex officio compellere ſubditum ad oſtendendum titulum. Quamobrem in hoc articulo diſtingue ſecundùm eos; nam ut factum eſt antiquum, ſed ſuperior exquirens titulum numquam conſenſit tacitè, vel expreſsè, ut quia de recenti adeptus eſt Epiſcopatum, vel diu ſtetit in captivitate: & tunc habebit locum opinio Hoſtienſis, quod propter facti antiquitatem admittatur probatio per juramentum, argum. *l. Si arbiter*, *ff. de probat.* & eorum, quæ notantur in *cap. Illud*, *de præſumpt.* militat enim aliqua præſumptio pro titulo, ex quo fuit toleratus per prædeceſſorem, & hanc opinionem Hoſt. ſic declaratam ſingulariter notabis ſecundùm Abbatem, quia 30
quotidie occurrit in practica: nam ſtatim atque in Epiſcopum aliquis promovetur, hodie ſolet publicare edictum generale, ut unuſquiſque teneatur fidem facere de titulo ſui beneficii. Itaque ſecundùm Abbatem ſub *num.* 23. hæc quæſtio decidenda eſt inſpecta longinquitate temporis, & qualitate beneficii, & ſuperioris prædeceſſoris, qui illum toleravit: nam ſi factum ſit antiquum, ſeu non multum recens, & iſte ſuperior eum toleravit tamquam beneficiatum, tunc non erit cogendus ad illum titulum probandum etiam per juramentum, quia ſuperior viſus eſt conſenſiſſe, argum. *cap. Ex ore*, *de his*, *quæ fiunt à maior. par. Cap.* poteſt tamen ipſe ſuperior aſſumere in ſe onus probandi defectum tituli, argum. *cap. Dilecto*, *de prab. & l. Cura*, *ff. de probat.* ſi verò ſuperior non conſenſit tacitè, vel expreſsè, tunc poteſt eum compellere ad faciendam plenam fidem de titulo, argum. dict. *cap.* 3. *de inſtit.* & notat præallegat. gloſ. in *cap.* 1. *de reg. iur. lib.* 6. & facit *cap. Legi*, 2. *quæſt.* 1. & quod notat Innoc. in *cap. Super his*, *num.* 11. *ſupra de accuſat.*

Quod ſi quæras quando poſſeſſio beneficii dicatur re- 31
cens, vel antiqua, Jo. de Anan. hic *num.* 35. videtur concludere poſſeſſionem cenſeri antiquam quando eſt triennalis per Clem. 1. *de ſequeſt. poſſeſſ. & fruct.* ubi ſecundùm eum illa dicitur recens poſſeſſio beneficii, quando quis non poſſedit per completum triennium: ſed melius Felin. hic *num.* 11. dicit ad hoc, ut poſſeſſio dicatur antiqua ad hunc effectum præſumendi titulum beneficii requiri decennium, quia ſic intelligunt Doctores in *l. Qui in aliena*, *ff. de acquirend. hæred.* & tenet Abbas in *cap. Illud*, *num.* 8. *ad finem*, *verſ. Unde dico*, *de præſumpt.*

Sed dubitari poteſt numquid ſufficiat talis probatio per 32
juramentum juncta antiquitate temporis ſi jus commune ſit contra eum, qui beneficium poſſidet, ut quis obti-

net

Digitized by Google

net duo beneficia incompatibilia, aut ſit minor, vel aliàs incapax beneficii, & allegat ſe habuiſſe literas diſpenſationis, ſed eas amiſiſſe: concludit Abbas hic *num. 24.* in eo; qui poſſidet plura beneficia contra jus commune non ſufficere tacitum conſenſum Epiſcopi ex diuturna tolerantia inſurgente, cùm conſentire non poſſit, ad hoc dict. *cap. Ordinarii, de off. ord. lib. 6.* quod loquitur indiſtinctè ſecundùm eum.

33 Hodie eſt expeditum, quia Concilium Tridentinum innovando textum in dict. *cap. Ordinarii*, ſtatuit, ut Ordinarii locorum quoſcumque plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica obtinentes diſpenſationes ſuas exhibere diſtrictè compellant: & Sacra Congregatio conſulta. An temporis longinquitas obſtet, ut obtinentes beneficia incompatibilia non poſſint compelli ab Epiſcopo ad diſpenſationem exhibendam, eorumque titulos oſtendendos. Reſpondit non obſtare, niſi beneficia ad juriſdictionem Epiſcopi non ſpectarent, ut ſi eſſent membra Sancti Antonii Viennen. ſeu aliorum.

34 De exhibitione dimiſſoriarum idem ſentiendum eſt eo maximè, quia exercentes curam animarum in Eccleſia S. Jacobi approbandi ſunt ab Archiepiſcopo Tranen. & diœceſani ibi ſervientes dimiſſorias ab alio, quàm ab Archiepiſcopo Tranen. recipere non poſſunt, juxta declarationem Sacræ Congregationis. Cùm ergo hinc ſtatus clericorum colligatur, an ſcilicet aliter promoti ſint ſuſpenſi, vel irregulares, & an idonei ſint ad curam exercendam, ſubterfugere non poſſunt quin tales dimiſſorias oſtendant, idque pertinet nedum ad diœceſanos, ſed etiam ad extraneos, quatenus inſervire intendant in dicta Eccleſia, ut doceant ſe ritè ordinatos, vel dimiſſos à propriis Prælatis, ad hoc *cap. Cum nullus, de tempor. ordinat. lib. 6. & cap. 8. ſeſſ. 23.*

Procurator Archiepiſcopi Sipontini iteratis vicibus citatus nihil hucuſque ad fundandas querelas ſui principalis deduxit: quare videtur vel cauſæ cedere, vel judicium eludere, & neutro caſu amplius expectandus; ſed literis S. Congregationis arguendus quod Clericos S. Jacobi animoſos, & contumaces reddat ad contradicendum ordinationibus, & decretis Archiepiſcopi Tranenſis in viſitatione legitimè inſtituta, & principaliter quo ad hæc duo capita exhibitionis titulorum, & dimiſſoriarum. In reliquis ſi ſe gravatum indebitè ſenſerit ad S. Congregationem recurrat; interim decreta Archiepiſcopi Tranen. auctoritate Sacræ Congregationis emanata exequatur, alioquin noverit Tranen. pœnas comminatas, & ſuſpenſas legitimè executurum. Et ita, &c.

DE SIMONIA.

Idem Innocentius III.

CAPUT XXXII.

PEr tuas nobis litteras intimaſti, te dubitare ſuper quadam epiſtola Decretali; quam nos aſſeris edidiſſe, de teſtibus admittendis contra ſimoniacam pravitatem. Noveris igitur, quòd nos illam epiſtolam, quæ ſic incipit: Quamvis ad abolendam, nequaquam edidimus; ſed aliam, quæ ſic incipit: Licèt Heli, nos edidiſſe fatemur: ad cujus intelligentiam credimus diſtinguendum, utrùm is, contra quem agitur de ſimoniaca pravitate, denuntietur ſimpliciter, aut criminaliter accuſetur; & utrùm agatur ſecundùm juris rigorem, an ſecundùm temperantiam æquitatis. Item utrùm ipſe ſit regularis, qui jam renunciaverit mundo, an ſæcularis, qui adhuc in mundo exiſtit: & an inferioris gradus, an excellentioris ſit dignitatis. Ad hæc, utrùm antè fuiſſet claræ opinionis & bonæ famæ, an graviter infamatus & valdè ſuſpectus: & utrùm de facili poſſit puniri, an ſine ſcandalo nequeat condemnari. Prætereà utrùm teſtes ſint honeſti, an criminoſi: & an ſint emendati de crimine, an adhuc in crimine perſeverent. Rurſus ſi crimina ſint eadem, vel minora, an paria, vel majora: utrùmve teſtes ex zelo juſtitiæ, an ex malignitatis fomite depoſuiſſe credantur. Denique utrùm ad pravitatem ſimoniacam detegendam ſola dicta teſtium inducantur, an alia etiam adminicula ſuffragentur. Hæc omnia ſunt ad intelligentiam illius epiſtolæ diſtinguenda. Ille quidem Pompoſianus Abbas, qui jampridem renuntiavit mundo, erat de ſimonia, perjurio, dilapidatione, ac inſufficientia graviter infamatus. Cùmque per monachos, qui juraverant perhibere teſtimonium veritati, ſimonia multis modis videretur eſſe probata, ipſe contra teſtes multas exceptiones oppoſuit, conſpirationes videlicet, inimicitias capitales, furtum, & adulterium, ut eos à teſtimonio removeret. Nos verò (ne innocentiæ puritas confuſa ſuccumberet, vel ſimoniæ pravitas effugeret impunita) illas dumtaxat exceptiones probandas admiſimus, quibus fortè probatis, teſtes non zelo juſtitiæ, ſed malignitatis fomite proceſſiſſe conſtaret: ut conſpirationes, & inimicitias capitales: cæteras autem exceptiones, ut furti, & adulterii propter immanitatem hæreſis ſimoniacæ (ad cujus comparationem cætera crimina quaſi pro nihilo reputantur) duximus repellendas: quoniam & ſi probatæ fidem teſtium debilitarent in aliquo, non tamen evacuarent ex toto, aliis adminiculis ſuffragantibus, præſertim cùm teſtes de crimine fuerint emendati. Tales igitur contra talem taliter duximus admittendos: non ſecundùm rigorem juris, ſed ſecundùm temperantiam æquitatis; cùm ageretur non criminaliter, ut deponeretur ab ordine; ſed civiliter, ut ab adminiſtratione amoveretur, tamquam immeritus, & damnoſus. Et utique tales Prælati ex levioribus cauſis poſſunt ab adminiſtrationibus amoveri, ſicut quorumdam religioſorum approbata conſuetudo depoſcit. Unde prædictus Abbas non expectata ſententia, quaſi malè conſcius ſibi ceſſit.

SVMMARIVM.

1 Credimus, verbum à legiſlatore prolatum inducit juris diſpoſitionem.
2 Idem de verbo, videtur.
3 Teſtes criminoſi concurrentibus qualitatibus hic præſcriptis admittuntur in criminibus exceptis, non tamen ut faciant plenam fidem, niſi conjunctis aliis adminiculis.
4 Simonia dicitur hæreſis, ad cujus comparationem cætera crimina quaſi pro nihilo reputantur.
5 Inimicitiæ in criminibus exceptis, niſi ſint capitales, non repellunt teſtes, ſed fidem minuunt.
6 Ordo juris in cauſis regularium non ſolùm in parte remittitur, ſed etiam fit aliqualis remiſſio juſtitiæ.
7 Prælatus regularis ſi ſit captus à Turcis, vel Saracenis, an alius in ejus locum eligi poſſit, an vero ex captivitate reverſus in priſtinum ſtatum ſit reponendus: latè diſcutitur ut num. ſeqq. uſque in fin.
8 Prælati regulares, qui à Capitulo eliguntur, & à Superiore confirmantur, removeri non poſſunt niſi ex juſta cauſa, & juris ordine ſervato, & numer. 44. & 45.
9 Non tamen in regularibus requiritur cauſa tam gravis, ſicut in ſæcularibus.
10 Priores minores, & officiales regulares removeri poſſunt pro libito Abbatis, ſine ulla cauſa, & num. 41.
11 Beneficia regularia ſunt manualia, niſi ſint electiva.
12 Prælatus ab hoſtibus captus non eſt ipſo jure privatus ſua dignitate, nec privandus per ſententiam, & numer. ſeqq.
13 Epiſcopo à paganis, vel Schiſmaticis capto non inſtituitur alius in locum ipſius, ſed Capitulum adminiſtrat ad tempus, & num. 21. & 33.
14 Eccleſia per captivitatem Prælati non vacat verè, ſed fictè, ſeu interpretativè.
15 Dictio, Ac ſi, fictionem importat.
16 Captivitas eſt mors civilis, quæ non æquiparatur naturali, niſi in caſibus in jure expreſſis.
17 Capti in bello ſervi capientium efficiuntur ſi bellum ſit juſtum, & num. 38.
Hoc tamen non obtinet in Epiſcopis captis à Turcis, vel Saracenis, num. 19.
18 Servitus eſt mors civilis, quæ morti naturali aſſimilatur.
20 Epiſcopus à Paganis, vel Schiſmaticis bello captus non efficitur ſervus capientium.
21 Vicarii juriſdictio an expiret Epiſcopo ab hoſtibus capto.
22 Prælatus ſi efficiatur inhabilis etiam perpetuò non removetur, ſed datur ei coadjutor, vel adminiſtrator.
23 Captivorum calamitati eſt miſerendum, & num. 26.
24 Prælati regulares non ita pingue jus habent ſicut ſæculares.
25 Prælatus regularis etſi removeri poſſit levioribus ex cauſis, requiritur tamen delictum, & illius probatio.
26 Prælatus non debet privari jure ſuo propter captivitatem.
27 Captus ab hoſtibus, & poſteà reverſus recuperat omnia jure poſtliminii, tam ſecundùm leges ſæculi, quàm ſecundùm Canones, & num. ſeqq. & num. 33. & 43.
28 Clerico de captivitate redeunti Eccleſia debet reſtitui quantocumque tempore detentus fuerit, & nu. 27.
29 Epiſcopus ab hoſtibus expulſus in alia Eccleſia intitulatus, ceſſante hoſtilitate reſtituendus eſt primæ Eccleſiæ, & qui medio tempore fuit ſubſtitutus, debet eam dimittere.
30 Beneficia ſub conditione non dantur, nec ad tempus.
31 Papa ſub conditione, & ad certum tempus poteſt aliquem inſtituere Prælatum.
32 Prælatus non poteſt inſtitui ſub conditione à jure reprobata, ſed benè ſub conditione tacita à jure inducta.
34 Marito ex captivitate reverſo reddenda eſt mulier, licet medio tempore bona fide alteri nupſerit, nec habenda eſt ratio juris civilis, aliud ſtatuentis.
35 Poſtliminii diffinitio.
36 Poſtliminii reverſis ſecundùm leges datur actio reſtitutoria intra quadriennium; ſed ſecundùm Canones recuperant omnia non obſtante quocumque temporis curſu, & num. ſeqq.
37 Præſcriptio non currit durante captivitate.
38 Poſtliminii jus ſecundùm Canones locum nõ habet quantum ad hoc, ut Chriſtiani ſervi efficiantur capientium, ſed benè quantum ad hoc, ut reverſi omnia recuperent.
39 Poſtliminio carent qui armis victi turpiter ſe dediderũt.
40 Clerici non debent movere arma corporalia etiam contra hoſtes, nec propria perſona pugnare, ſed tamen adeſſe, & hortari.
41 Poſtliminii jus non habet locum in officiis minoribus regularium, ſed benè in prælaturis electivis, etiamſi non ſint perpetua, ſed ad certum tempus, & num. ſeq.
42 Tutor ſi ſit captus ab hoſtibus, deſinit eſſe tutor, ſed reverſus recipit tutelam jure poſtliminii.
43 Poſtliminio reverſus ſtatũ recuperat priſtinum, & munera etiam civilia, & cuncta ei incolumia ſervantur.
44 Poſtliminium duo habet capita; alterum fundatur ſuper veritate, alterum ſuper fictione.
45 Captus à Piratis, vel latronibus etiam ſecundùm leges civiles liber permanet, & retinet omnia jura ſua, & fictio poſtliminii non eſt neceſſaria.
46 Provincialis Carmelitarum à Barbaris captus, ac poſtea liberatus à Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium jubetur in poſſeſſione Provincialatus manuteneri, & ad liberum illius exercitium reintegrari, caſſata alterius Provincialis electione.

PEr tuas, il primo. Hoc cap. eſt gloſſa cap. præcedentis: nam tendit ad declarationem illius, an, & quando teſtes criminoſi admittantur in crimine ſimoniæ; & in effectu idem dicit, quod præcedens Abbas Siculus, & eſt ex mente Jo. Andr. & ſequacium; unde Petr. de Sampſone, & Abb. Antiq. ponebant verſus, quod dicebant fuiſſe Roderici Hiſpani Epiſcopi Palentini. *Doctrinam tibi talem tradere Papa conatur. Qualiter, in quales, per quos, quæ culpa probatur: Addo medium Cœli, ſic diſtinguas licèt Heli*: & ſunt duæ partes. In prima Conſultat. In ſecunda reſponſio ibi, *Noverit*: & hæc ſubdividitur ut per Joan. Andr.

Nota primò ibi: *Credimus*, verbum *Credimus*, à legiſlatore prolatum inducere juris diſpoſitionem, ut hic, & in *cap. Nuper*, & *cap. Per tuas, de ſentent. excommun.* & *in cap. Conſultis*, & ibi dixi *nu. 4. de Regular.* unde Hoſt. & Joan. Andr. in *cap. Cum olim, de ſent. & re judic.* exponunt verbum *credimus*, id eſt, *ſtatuimus*, ut ibi dixi *n. 18.* & hic notat Mar. Socin. *num. 2.* & idem de verbo, *videtur*, ut *cap. De quarta, de præſcript.* & *in cap. Præterea, de appellat.* & *in cap. 2. de fide inſtrum. cap. De cætera*, & ibi dixi *num. 2. de homicidio*. 1

Secundò nota ibi, *diſtinguendum*, plura, quæ in judicio criminali ſunt per judicem conſideranda tam circa modum agendi, quàm circa perſonam rei, & perſonas teſtium, & atteſtationes, & alias probationes: quæ omnia proſequere, ut hic per Mar. Soc. à *num. 33.* 2

Tertiò nota in *verſ. Cumque per monachos*, ſecundùm communem intellectum in crimine ſimoniæ, & per conſequens, & in aliis criminibus exceptis admitti teſtes criminoſos concurrentibus qualitatibus, de quibus in litera, non tamen ut faciant plenam fidem; niſi conjunctis aliis adminiculis, ut hic per Anchar. *in 5. notab.* Abbas *num. 4.* & Mar. Soc. *num. 7.* 3

Quartò nota ibi, *Propter immanitatem hæreſis ſimoniacæ*; ſimoniam dici hæreſim, ad cujus comparationem cætera crimina quaſi pro nihilo reputantur ut hic in textu, & *in cap. ult. q. 7.* & *in cap. Tanta, ſupra eodem*, ſed an, & quando ſimonia ſit hæreſis propriè, dixi in *cap. Cum pridem, num. 24. ſupra de pactis*. 4

Quintò nota ibi, *Inimicitias capitales*. Non quaslibet inimicitias repellere teſtes à teſtimonio ferendo in crimine ſimoniæ, & conſequenter in aliis criminibus exceptis, ſed capitales dumtaxat: nam aliæ inimicitiæ non repellunt, argum. *l. Licet, ff. de arbitrar. §. Inimicitia, inſtitut. de excuſat. tut.* & hic notat gloſ. *in verb. Inimicitias capitales*, 5

Jo.

Digitized by Google

Jo. Andr. *num.* 9. Butr. *num.* 3. Anchar. *num.* 5. Mar. Soc.
num. 10. & alii communiter, Hippol. de Marſil. in *l.* 1. §.
Præterea per illum textum, in princ. & num. 11. *ff. de quæ-
ſtionibus*, & ita omnes tenere atteſtatur Jo. de Anan. in
cap. Cum oporteat, num. 6. & ibi etiam Felin. *num.* 8. *ſupra
de accuſat.* & ita Jul. Clarus *in pract.* §. *fin. quæſt.* 24. *verſ.
Item quæro*, & noviſſimè Proſper Fatinac. *quæſt.* 53. *de op-
poſit. contra perſonas teſtium, num.* 52.

6 Ultimò nota ex ultimis verbis textus. Contra regulares
Prælatos non ſolum remitti in parte ordinem juris, ſed et-
iam fieri aliqualem juſtitiæ remiſſionem, quia ex leviori-
bus cauſis removentur, ut in textu, & not. Abbas *numer.*
4. *in fin.* & Marian. Socin. *num.* 13. ad idem textus in
cap. Qualiter, & quando, il ſecondo, §. *Hunc tamen ordi-
nem, ſupra de accuſationibus, & in cap. Cum ſpeciali*, §.
Cæterum, de appellat.

7 Hinc ſumpta occaſione QUÆRO, Si Prælatus regula-
ris ſit captus à Turcis, vel Saracenis an hæc ſit juſta cauſa
alium in ejus locum eligendi: an ve ex captivitate poſtea re-
verſus, in priſtinum ſtatum ſit reponendus.

8 Ad evidentiam præmittendum eſt Prælatos regulares,
ut Provinciales, Abbates, Priores conventuales, & con-
ſimiles, qui à Capitulo canonicè eliguntur, & à ſuperio-
re confirmantur, non eſſe ad nutum amovibiles; & quam-
vis in pluribus Religionibus ſint triennales, tamen duran-
te triennio removeri non poſſe niſi ex juſta cauſa, & ju-
ris ordine ſervato, textus eſt clarus in *cap. Monachi*, §.
Priores, ſupra de ſtatu Monachorum, cujus hæc ſunt ver-
ba: *Priores autem cùm in Eccleſiis conventualibus per ele-
ctionem Capitulorum ſuorum canonicè fuerint inſtituti, niſi
pro manifeſta, & rationabili cauſa non mutentur*, & ibi
notat gloſſa *in verb. non mutentur*, Innoc. *ad finem, in eo-
dem verb.* Hoſt. *num.* 5. Joan. Andr. *num.* 12. & commu-
9 niter DD. Et quamvis in *cap. Qualiter, & quando, il ſe-
condo*, §. *Hunc tamen de accuſat.* dicatur juris formam
circa regulares perſonas non eſſe uſquequaque ſervandam,
quæ cùm cauſa requirit faciliùs, & liberiùs à ſuis poſſunt
adminiſtrationibus amoveri: tamen hæc verba potiùs de-
monſtrant eos non poſſe amoveri ad nutum, imò ſuppo-
nunt cauſam neceſſariam, ut patet ibi, *Cum cauſa requi-
rit*; unde ſenſus eſt, ut cauſa non adeò gravis in regula-
ribus exigatur, ſicut exigitur ad privandum clericos ſæcu-
lares ſuis dignitatibus, & beneficiis, ſed ex levioribus cau-
ſis ab adminiſtratione removeri poſſint, ut hic dicitur in
fine rationabilibus tamen & manifeſtis, ut expreſsè habetur
in dict. *cap. Qualiter*, & notat gloſſ. in *cap. Cum ad mona-
ſterium, in verb. Amoveri, de ſtatu monachorum*, & la-
tiùs infra ſubjiciam, *num.* 41. *&* 42. nec refragatur textus
in eodem *cap. Cum ad monaſterium*, §. *Tales*, qui videtur
contrarium innuere in illis verbis, *Nec alicui committatur
aliqua obedientia perpetuò poſſidenda, tamquam in ſua ſibi
vita locetur, ſed cum oportuerit amoveri, ſine contradi-
ctione qualibet revocetur.* Nam reſpondetur illum textum
non loqui de Prioribus conventualibus, ſeu Prælatis,
10 qui à Capitulo eliguntur, ſed de Prioribus minoribus, qui
per electionem canonicam non creantur, ſed ſuperior eis
committit adminiſtrationem, & tales non confirmantur,
ſed ſunt obedientiarii, & ad nutum ipſius ſuperioris amo-
vibiles: & ita textum in dict. §. *Tales*, cum textu in
dict. *cap. Monachi*, conciliant communiter DD. & in
ſpecie præcitat. gloſſ. in d. *cap. Monachi, in verb. Non mu-
tentur*, Innoc. *ibidem ad fin. in eodem verb.* Hoſt. *numer.* 5.
dicens, priores minores pro voluntate Abbatis hodie mit-
ti poſſe in prioratus, & in craſtinum revocari, Jo. Andr.
num. 12. *verſ. Alii ad voluntatem:* item gloſſ. in dict. *cap.
Cùm ad monaſterium, in ver. Perpetuo*, & ibi etiam Hoſt.
num. 20. *in eod. verb.* item gloſſ. in *Clem.* 1. *in verb. Revo-
cari, poſt med. verſ. Suas, de ſupplend. negligent. prælator.*
& hanc ipſam diſtinctionem inter Prælatos electivos, &
officiales minores poſuerunt Hoſt. Joan. Andr. & commu-
niter DD. in dict. *cap. Qualiter*, & ibi dixi *nu.* 51. *cum duo-
bus ſeqq.* & nullus diſcrepat, & de his prioratibus, & offi-
11 ciis minoribus intelligendi ſunt Doctores, qui dicunt prio-
ratus, & beneficia regularium eſſe manualia, non autem
de electivis, ut Caſſador. *deciſ.* 4. *num.* 3. *& deciſ.* 12. *num.*
9. *de præben.* Millis *in repertor. in verb. Beneficia regularia,
num.* 30. Rebuff. *in tractat. de pacif. poſſeſſ. num.* 280. & alii
paſſim; unde ſi aliquis ex dictis prioribus, & officialibus
minoribus fieret captivus, abſque dubio liceret Abbati

alium in ejus locum ſubſtituere, cùm tales etiam ſine ulla
cauſa amoveri poſſint, ut dicunt Hoſt. & alii ſupra citati:
& latè probavi in d. *cap. Cum ad monaſterium, à num.* 30.
uſque ad nu. 43. Sed de iſtis non eſt hic ſermo.

His præcognitis ad primam partem quæſtionis propoſi- 12
tæ videtur negativè reſpondendum, quia Prælatus ab ho-
ſtibus captus non eſt ipſo jure privatus ſua dignitate, nec
captivitas eſt juſta cauſa eum privandi per ſententiam,
& alium in ejus locum eligendi, ſed tantummodo depu-
tandi adminiſtratorem temporalem, vel Vicarium, ſeu
viſitatorem, qui durante illius captivitate provinciam, 13
vel monaſterium regat, textus eſt in *cap. Si Epiſcopus, de
ſupplen. neglig. Prælat. lib.* 6. ubi eſt caſus expreſſus, quod
Epiſcopo à Paganis, vel Schiſmaticis capto non inſtitui-
tur alius in locum ipſius, ſed Capitulum in ſpiritualibus,
& temporalibus adminiſtrat donec eum libertati reſtitui
contigerit, vel donec Sedes Apoſtolica per Capitulum
conſulenda aliud duxerit ordinandum: ubi gloſſ. *ultim.* di- 14
cit. Fortè viſitatorem dando, ut *cap. final. eodem tit. &
lib.* Et eſt ratio, quia per captivitatem Prælati Eccleſia,
non vacat, ut ait gloſſ. in dict. *cap. Si Epiſcopus, in verb.
Sed Capitulum*, nec illa eſt vacatio vera, ſed ficta, ſeu in-
terpretativa, ut tradit ibi Philippus Probus *in addit. ad
Monach. in princ.* Joan. Franciſcus Pavinus *in tit. de offic.
& poteſt. Capit. ſed vacant. prælud.* 7. *num.* 13. & innuit
text. ibi: Ac ſi ſedes per mortem vacaret. Nam dictio, *Ac* 15
ſi, fictionem importat, *l. Si alterius, ff. de hered. inſtit.
l. Quamvis*, & ibi gloſſ. 1. *ff. de bon. author. iudic. poſſid.* &
ſic illa eſt mors ficta, ſeu civilis, ut ibi notat Jo. Monach. 16
num. 1. & Archid. *in princ.* quæ non æquiparatur veræ,
ſeu naturali niſi in caſibus in jure expreſſis: & hoc pro re-
gula eſſe tenendum dicit gloſſ. in *cap. Placuit, il ſecondo,
in verb. Mortuus, verſ. & hoc teneas pro regula*, 16. q. 1.
Non eſt autem in jure expreſſum, ut mors civilis, eccleſia
quaſi vacante per captivitatem Prælati, æquiparetur natu-
rali quoad inſtitutionem, ſeu electionem ſucceſſoris, ſed
tantum quoad hoc, ut Capitulum ad tempus ſuccedat in
adminiſtratione, ut in dicto *cap. Si Epiſcopus*. Ergo in re-
liquis ſtabimus regulæ *leg. Sancimus, Cod. de teſtamentis,
leg. Præcipimus, in fin. Cod. de appellat.* & textum in dicto
cap. Si Epiſcopus, non eſſe extendendum ad alios caſus fir-
mat Alexander *conſil.* 110. *Adeo gravis, nu.* 3. *circa finem,
verſ. Et poſito, & num.* 4. *lib.* 6.

Quinimò tametſi capti in bello ſervi efficiantur capien- 17
tium, ſi bellum ſit juſtum, *l. Naturalem*, §. *ult. ff. de ac-
quirend. rerum domin. l. Hoſtes, ff. de captiv. & poſtlim. re-
verſ.* §. *Item ea, Inſtitut. de rer. diviſ.* & ſervitus ſit mors 18
civilis, quæ morti naturali aſſimulatur, *l. Intercidit, ff. de
condit. & demonſtrat. l. Servitutem, ff. de reg. iur.* gloſſ. in *l.
Rei capitalis, in verb. amiſſio, ff. de pœnis*; nihilominus 19
in Chriſtianis captis à Turcis, vel Saracenis hoc non obti-
net, quia ſervi capientium minimè efficiuntur, nec quan-
tum ad hoc ſunt ſervandæ leges Romanorum, quæ de ca-
ptivis apud hoſtes loquuntur, nec ſunt neceſſariæ fictio- 20
nes legis Corneliæ, & poſtliminii, ut pluribus probat Co-
varr. *in regula peccatum, par.* 2. §. 11. Et quamvis gloſſ. in
dicto *cap. Si Epiſcopus, in verb. Libertati*, dicat: Servus
enim factus erat, tamen intelligitur ſecundùm leges Roma-
norum, quas allegat, & Geminian. *ibi circa finem*, quæ- 21
rit ſolum: quid ſi Epiſcopus captus habebat Vicarium
tempore captionis, an per capturam expiret ejus manda-
tum, ita ut non poſſit exequi officium ſuum? & reſpon-
det expirare, quia per mortem Epiſcopi expirat mandatum,
ut not. gloſſ. *fin. in Clem. fin. de procurat.* & textus in dicto
cap. Si Epiſcopus, æquiparat mortem civili naturali quoad
juriſdictionis exercitium, vel dato quod mandatum non
expiret, tamen non poteſt juriſdictionem exercere, quia
iſto caſu devolvitur ad Capitulum. Ita formaliter Gemin.
cum quo concordant ibi Franch. *ad fin. verſ. In gloſ. fin.* &
Prob. *ad Monach. in princip.* & ſic Geminian. tenet Præ-
latum captum eſſe mortuum civiliter tantummodo quo-
ad exercitium juriſdictionis: & ſic ſupponit habitum re-
manere apud ipſum; & conſequenter eum non efficit ſer-
vum capientium, nec libertatem amittere niſi de facto:
& ita intelligi debet littera d. *cap. Si Epiſcopus*, in illis ver-
bis; *donec eum libertati reſtitui contigerit*. Quamobrem
cùm Prælatus captus à Turcis, vel Schiſmaticis ſecundùm
Canones non ſit in ſervitutem redactus, nec ſit mortuus ci-
viliter quantum ad habitum juriſdictionis, & jus Prælaturæ,

Digitized by Google

ſed omnino quantum ad juriſdictionis exercitium, nulla ratio ſinit, ut alius in ejus locum ſubſtituatur, ut dicit textus in *capite Quamvis triſte*, ibi: *Quia ergo viventem ab officio ſuo neceſſitas non crimen abducit, alium loco eius, niſi eo recuſante, nulla ſinit ratio ordinari*, *7. quaſt. 1.*

22 Confirmantur prædicta, quia ſi Prælatus efficiatur inhabilis ad officium exercendum propter morbum etiam perpetuum, & incurabilem, non privatur officio, vel beneficio ſed datur ei coadjutor, ut *capite Ex parte*, ibi: *gravi & incurabili morbo: & capit. final. de cleric. ægrot. & in capit. unico*, *§. Verum*, ibi: *perpetuo impeditus: eodem titulo lib. 6.* Et probavi lariſſimè in dict. *cap. fin. à num. 40.* Et de Epiſcopo extra mentem poſito ſunt jura clara in *cap. Scripſit*, & in dicto *cap. Quamvis triſte*, *7. quaſtion. 1.* & in Generali Ordinis Humiliatorum mente capto conſuluit Petrus de Ancharan. *in conſ.* 188. incip. *Viſis conſiliis, num. 7. verſ. Permittendum eſt etiam pro veritate, & num. 12.* Ergo ſimiliter ſi Prælatus impediatur officium ſuum exercere propter captivitatem, non eſt ab officio removendus, ſed ei dandus eſt adminiſtrator, vel Vicarius, qui durante captivitate vices illius ſuppleat in exercitio juriſdictionis: nam ut legitur in *cap. Satis perverſum*, *56. diſtinct.* Satis perverſum, & contra eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, ut fruſtra pro quorundam voluntatibus quis privetur, quem ſua culpa, vel facinus ab officii, quo fungitur gradu non dejicit: & nimis reprehenſibile eſſe manifeſtum eſt, ut Prælato vivente alius ſubſtituatur, quæ ſunt verba textus in *cap. Petiiſti*, *7. quaſt. 1.* Nemo enim ſine culpa privandus eſt jure ſuo, *cap. Inventum*, *16. quaſt. 1. cap. 1. de judic.* & de Prælato regulari tradit gloſſ. in *cap. Monachi*, *in verb. Non mutentur*, *de*

23 *ſtatu Monachorum*, quin potius captivorum calamitati eſt miſerendum, *cap. Non ſatis*, *& cap. Pulchra*, *86. diſtin. cap. Aurum*, *& cap. Sacrorum*, *12. quaſt. 2.* facit textus in *l. Quamvis*, *ff. ſolut. matrimonio*, *& in l. Si pro redemptione*, *C. de donationib.*

24 Nec obſtat ſi dicas hæc procedere in Epiſcopis, & Prælatis ſæcularibus, qui matrimonium ſpirituale contrahunt cum Eccleſia, *cap. Inter corporalia*, *cap. Quanto*, *& cap. Licèt*, *ſupra de translat. Epiſcop.* & propterea à ſuis adminiſtrationibus ſine cauſa gravi, & probata amoveri non poſſunt, ut in d. *cap. Qualiter*, *il ſecondo*, *§. Licèt autem de accuſationib.* & in præcitatis juribus; Ar ſecus eſſe in Prælatis regularibus, quia non ita pingue jus habent ſicut ſæculares, ut inquit gloſſ. *hic in verb. Levioribus*, & ideò poſſunt faciliùs, & libertiùs removeri, ut dicitur in d. *cap. Qualiter*, *in §. Hunc tamen ordinem*.

25 Id inquam, non obſtat, quia etſi in regularibus Prælatis leviores cauſæ ſufficiant, ut habetur hic *in fin.* Requiritur tamen cauſa delicti, & de tali intelligitur hoc capit. Quod loquitur ubi de crimine civiliter agitur, ut Prælatus regularis ab adminiſtratione removeatur tanquam immeritus, & damnoſus, ut in textu in *verſ. Tales igitur*, & notat Abbas *in primo notab.* & Marian. Soc. *numer.* 11. Similiter de cauſa criminis intelligitur dictum *cap. Qualiter*, quo primò præſcribit ordinem procedendi per inquiſitionem in cauſis criminalibus tam contra Prælatum, quam contra ſubditum, & concludit probato gravi crimine eum eſſe removendum ab adminiſtratione, ac deinde declarat hunc ordinem non eſſe in regularibus obſervandum uſquequaque, id eſt per omnia, vel ad unguem, ſecundum Cardin. *in dict. §. Hunc tamen ordinem*, *in princip.* quaſi dicat etiam ad remotionem Prælati regularis requiritur cauſa, & probatio criminis, ſed non eſt neceſſe, ut crimen ſit adeò grave ſicut in Prælatis ſæcularibus; idque apertiùs eſt expreſſum in dicto *cap. Monachi*, *§. Priores*, *de ſtatu Monach.* ubi poſteaquam textus dixit: [Prælati regulares per electionem canonicè inſtituti ſine manifeſta, & rationabili cauſa non mutentur,] immediatè declarando qualis debeat eſſe hujuſmodi cauſa, ſubjunxit, videlicet: [Si fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur;] ecce quod ad remotionem Prælati regularis ſemper requiritur delictum, & hoc probandum eſt, ut dicit ibi gloſ-

26 ſa *ult.* Ac captivitas non eſt delictum, & ubi delictum non eſt ibi non debet eſſe pœna, *c. Cognoſcentes*, *de Conſtitutionibus*, gloſſ. *in cap. Si beneficia*, *in verb. Sine culpa*, *de prabend. lib. 5.* Nec Prælatus captivus ſine culpa privari debet jure ſuo, gloſſ. *penultim. in dict. cap. Monachi*, imò inhumanum eſt nimis talem affligere, cui potiùs eſt miſerendum, *cap. Licèt de cenſibus*, & ibi gloſſ. *in verb. Miſereri*, Abb. *conſ. 47. num. 3. lib. 1.* facit *cap. Cum percuſſio*, *7. quaſt. 1.* ibi: *Non debet à nobis addi flagellatis afflictio*, *cap. Ex parte*, ibi: *nec afflictio afflicto ſit addenda*, *de Clericis ægrotant. cap. Iudicas*, ibi: *Cui magis conſulendum ſit, & compatiendum, quàm puniendum, aut aliquo modo feriendum*, *3. quaſt. 9. cap. At ſi clerici*, *§. de Adulteriis*, *de judiciis*, ibi: *nec duplici debeat ipſum contritione conterere*, *& l. Navis onuſta*, *§. Cum autem*, ibi: *quia non debet duplici damno onerari*, *ff. ad legem Rhodiam*, *de iactu*, *cum ſimilib.*

Sed ſi urgeas ex cauſa publica utilitatis, ne ſcilicet provincia, vel monaſterium debito regimine deſtituatur etiam ſine culpa, poſſe quem privari jure ſuo, *leg. Item ſi verberatum*, *§. 1. ff. de rei vendicat. leg. Lucius*, *ff. de eviction.* plenè Antonius Gabriel. *commun. conclusion. in tit. de iure quaſito non tollend. concl. 2. num. 1.* & dixi in *cap. Cæterum*, *num. 32 de reſcript.* Reſpondebimus cauſam publicæ utilitatis poſſe tantùm conſiderari in datione Vicarii: vel adminiſtratoris, qui durante captivitate Prælati juriſdictionem exerceat, juxta textum in dict. *cap. Si Epiſcopus*, *de ſupplend. neglig. Prælat. lib. 6.* non autem in privatione ipſius Prælati, & electione ſucceſſoris; nullum enim eſt publicum incommodum, ut Prælatus captivus titulum, & habitum dignitatis retineat, dummodo adſit alius, qui illius vices ſuppleat, & durante illius impedimento, in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtret, ut per Abbatem in *cap. Tua nos*, *num. 4. de cleric. ægrot.* & probatur ex doctrina Innocentii communiter recepta in *cap. Niſi cum pridem*, *numer. 4. in verb. Malitiam*, *verſ. Nos dicimus*, *de renunc.* ponderando eam, ut dixi in dicto *cap. Cæterum*, *num. 51. de reſcript.* Quinimò remotio Prælati captivi eſſet potiùs contra jus, & utilitatem publicam, quia hoc exemplo deterriti non invenirentur, qui vellent onus regiminis ſubire, argum. *c. 1. de cler. ægrot.* & notat gloſſ. in *c. Cum percuſſio in figuratione caſus*, *7. quaſt. 1.* & Abbas in dict. *cap. 1. in 3. notab.* ubi formaliter inquit: [Nota quod exiſtenti in impotentia ſerviendi non debet ſubtrahi beneficium, ne ex hoc turbetur ſtatus Eccleſiæ,] Roman. *conſil. 467. num. 7. verſ. Quarto per textum in dict. cap. 1.* ubi ſimiliter ait remotionem officialis ſine culpa tendere non ad conſervationem, & bonum ſtatum officii, ſed potiùs ad ejus ſubverſionem, eo conſiderato quod difficulter reperiretur, qui hoc officium ſubiret regiminis. Hæc quoad primam partem quæſtionis.

Circa ſecundam partem reſpondendum videtur Prelatum è captivitate reverſum in priſtinam dignitatem, & adminiſtrationem eſſe reponendum amoto quocumque alio interim electo, ſeu inſtituto. 27

Quod probatur primò per textum in *cap. Prima actione*, *16. q. 3.* ubi Concilium Hiſpalenſe II. cui Iſidorus interfuit *cap.* 1. ſtatuit in hæc verba. [Placuit ut omnis parochia, quam antiqua ditione ante militarem hoſtilitatem retinuiſſe Eccleſiam ſuam quiſque comprobaret, ejus privilegio reſtitueretur; ſicut enim per legem mundialem, iis quos Barbarica feritas captiva neceſſitate tranſvexit, poſtliminio revertentibus redditur antiqua poſſeſſio, non aliter & Eccleſia receptura eſt parochiam, quam ante tenuit cum rebus ſuis ſive ab aliis eccleſiis poſſideantur, ſive in cujuslibet poſſeſſionem transfuſa ſit: non enim erit objicienda præſcriptio temporis, ubi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.]

Probatur ſecundò in *cap. Cum per Bellicam*, *34. quaſt. 1.* ubi Leo Papa ſcribens Nicetæ Acquilejenſi Epiſcop. *epiſtola 77. cap. 1. & ſeqq.* ſic ait: *Remotis malis, quæ hoſtilitas intulit, unicuique hoc, quod legitimè habuit reformetur, omnique ſtudio procurandum eſt, ut recipiat unuſquiſque quod proprium eſt.* Et infrà: *Sic enim multa, quæ ad eos, qui in captivitatem ducti ſunt, pertinebant, [illegible] ius alienum tranſire potuerunt; & tamen plenum [illegible] eſt; ut eiſdem reverſis propria reformentur, [illegible] in mancipiis, vel in agris, aut etiam in [illegible] nibus ritè ſervatur, quanto magis in [illegible] gratione faciendum eſt, ut ſic quod [illegible] batum eſt, pacis remedio reformetur* [illegible] *Coniugiorum*, deſumit argumentum [illegible] reſtitui clerico de captivitate redeunti, quantum [illegible]

Digitized by Google

tempore detentus fuerit, ſi probat juſtum impedimentum, cùm Eccleſia ſit uxor clerici, *cap. Sicut vir*, *& cap. Sicut alterius*, 7. *quæſt.* 1. & cum gloſſ. concordant Hugo, & Turrecr. *num.* 1.

29 Probatur tertiò in *cap. Paſtoralis*, 8. *quæſt.* 1. ubi cùm Joannes Liſitanæ Civitatis Epiſcopus ab hoſtibus eſſet repulſus, & Liſitana Civitas in captivitatem redacta, Gregorius Papa dedit ei Eccleſiam Syllatinam hac conditione, ut ceſſante hoſtilitate ad ſuam Eccleſiam reverteretur: qui textus ad rem noſtram dupliciter inducitur, & primò ſic: Si Prælatus Eccleſiæ ab hoſtibus captivatæ, ceſſante hoſtilitate reſtituendus eſt primæ Eccleſiæ, non obſtante quod medio tempore fuerit inordinatus ſeu intitulatus in alia Eccleſia, ut in dict. *cap. Paſtoralis*; multò fortiùs ceſſante captivitate Prælatus debet reſtitui ſuæ dignitati in caſu noſtro, cùm medio tempore in nulla alia Eccleſia fuerit intitulatus. Secundò ſic, ſi prælato ab hoſtibus expulſo, is, qui medio tempore à Papa fuit ſubſtitutus, ceſſante hoſtilitate debet Eccleſiam dimittere, eamque primo prælato reſtituere ſecundum Hug. Arch. & omnes in d. *cap. Paſtoralis*. Ergo à fortiori is, qui durante captivitate prælati à Capitulo fuit electus, ea ceſſante, debet dimittere dignitatem, eamque reſtituere prælato ab hoſtibus reverſo. Sed
30 dices: Prælatus non poteſt conſtitui ad certum tempus, vel ſub conditione, quia beneficia ſub conditione non dantur, *c. Quamvis*, 7. *q.* 1. *c. Sanctorum*, 70. *diſt.* nec convenit moribus noſtris temporales filios habere, *l. Quæſitum*, *ff. de adoption. l. Actus legitimi*, *ff. de reg. iur.* Sicut nec libertas ad tempus datur, *l. Libertas*, *ff. de manumiſſ. teſtam.* nec hæreditas, §. *Heres*, *inſtit. de heredib. inſtit.* nec matrimo-
31 nium, *cap. Solet*, 32. *q.* 1. Ergo nec Epiſcopus Eccleſiæ captivatæ in alia Eccleſia intitulatus, nec alius in ejus locum electus vel inſtitutus removeri debent, licèt captivitas ceſſaverit, gloſ. 1. in d. *cap. Paſtoralis*, 7. *quæſt.* 1. ſolvit objectum tripliciter. Prima ſolutio eſt, quòd inſtitutio hoc caſu ſit pura, ſed reſolvatur ſub conditione, ſi Prælatus à captivitate liberetur, *l.* 2. *ff. de in diem addict.* & eſt ſimile in *cap. Veniens*, *de fil. presbyteror.* & *in cap. Illo*, *de pignor.* Secunda ſolutio eſt, quod jure poſtliminii reſtituitur ei prior Epiſcopatus, ut in d. *cap. Prima actione*, 16. *q.* 3. Tertia ſolutio, quod Papa ſub conditione, vel ad certum tempus poteſt aliquem inſtituere prælatum, ſicut miles ſub conditione, & ad certum tempus inſtituit hæredem, *l. In frau-*
32 *dem*, §. *Similis*, *ff. de militar. teſtam.* Quarta, & melior ſolutio eſt, quam ponit Archid. in d. *cap. Paſtoralis*, *nu.* 2. quod Prælatus non poſſit inſtitui ſub conditione à jure reprobata, & ſic loquitur d. *c. Quam pio*, 1. *q.* 2. & *c. fin. ſup. de pact. cum ſimilib.* ſecus autem eſt ubi tacita conditio à jure inducta eſt; & ſic loquitur d. *cap. Paſtoralis*, quia dum inſtituitur Prælatus ex cauſa captivitatis, tali inſtitutioni ineſt tacita conditio à jure inducta, videlicet ut ſi hoſtilitas ceſſaverit, teneatur redire ad primam Eccleſiam.

33 Probatur quartò in præallegato *cap. Si Epiſcopus*, *de ſupplend. neglig. prælat. lib.* 6. ubi Epiſcopo à paganis, vel ſchiſmaticis capto datur adminiſtratio Capitulo non in perpetuum, ſed ut dicit textus, donec eum libertati reſtitui contigerit: recuperat enim jura ſua quaſi jure poſtliminii, ut dicit gloſſa ibi, *in verb. Libertati*, & Petr. de Anchar. in 3. *notab.* dicens: nota in *verb. Donec*, quod adminiſtratio Capituli iſto caſu durat Epiſcopo exiſtente capto, liberatus autem jura ſua recuperat: facit textus in *cap.* 1. *de Paroch.* ubi Prælatus hæreticus ad unitatem Eccleſiæ converſus, quamvis intereà alius in ejus locum fuerit inſtitutus ex miſericordia reintegratur: ergo fortiùs eſt reintegrandus hoc caſu prælatus captivus, cùm hoc fiat non ex miſericordia, ſed ex juſtitia, ut expreſsè habetur in dict. *cap. Cum per bellicam*, 34. *quæſt.* 1. ibi: *Punctum iuſtitiæ eſt*, *ut eiſdem reverſis propria reformentur.* Id eſt reſtituantur per actionem reſciſſoriam, quæ reverſis ab hoſtibus datur pro bonis ſuis retrahendis, ſecundùm Turrecrem. *in ver. Reformentur*.

34 Probatur quintò arguendo à matrimonio carnali ad ſpirituale, quod argumentum eſt validum in jure, ut *cap. Sicut vir*, 7. *quæſt.* 1. & *cap. Inter corporalia*, *de translat. Epiſcop.* nam marito ex captivitate reverſo reddenda eſt uxor ſua, licèt medio tempore alteri nupſerit bona fide credens primum virum eſſe mortuum, ut graviſſimis rationibus oſtendit Leo Papa in d. *cap. Cum per bellicam*, & Innoc. in *cap. ſeq.* 34. *quæſt.* 1. Ergo ſimiliter prælato ab hoſtibus redeunti reſtituenda eſt Eccleſia ſponſa ſua, cùm qua dicitur conjugium ſpirituale, vel quaſi contraxiſſe, ut in præcitatis juribus: & in puncto arguit gloſ. in d. *c. Cum per bellicam*, *in verb. Coniugiorum*. Nec habenda eſt ratio juris civilis, ſecundùm quod matrimonium per captivitatem diſſolvitur, & uxor non reſtituitur marito redeunti, niſi novus adſit conſenſus, ut *l. Cum duæ*, ibi: [Non ut pater filium ita uxorem maritus jure poſtliminii recipit, ſed conſenſu reintegratur matrimonium,] *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* Quoniam lex civilis in hoc repugnat juri divino, quia à Deo jungitur uxor viro, & quos Deus conjunxit homo non ſeparet: & ſic eſt neceſſe, ut etiam renuente uxore legitimarum fœdera nuptiarum reintegrentur, ut legitur in dict. *cap. Cum per bellicam*.

Probatur denique aliis omiſſis ex natura poſtliminii, 35
quod diffinitur eſſe jus amiſſæ rei recuperandæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtaurandæ, ut *l. Poſtliminium*, *ff. de captivis*, & *poſtlimin. reverſ.* gloſſ. 2. in dict. *cap. Prima actione*, 16. *quæſt.* 3. Et quamvis ſecundum leges poſt- 36
liminio reverſis detur actio reſciſſoria intra quadriennium, ut §. *Rurſus inſtitut. de actionibus*, *l. ultim. Cod. de in integr. reſtitut.* Turrecrem. in dict. *cap. Cum per bellicam*, *in verb. Reformentur*, 34. *quæſt.* 1. & ſi non potuerit agere in hoc quadriennio, per aliquot dies reſtituatur ad eos, *l. Sed & ſi per prætorem*, §. *Si feriæ*, *ff. Ex quibus cauſ. maior.* tamen ſecundùm Canones cum exiſtenti in captivita- 37
te, ſeu hoſtilitate non currat præſcriptio, ut dict. *cap. Prima actione*, 16. *quæſt.* 3. non dabitur reſciſſoria, ſed per quantumcumque temporis prælatus fuerit in captivitate jura omnia recuperabit jure poſtliminii, ut notat ibi gloſ. *in verb. Poſtliminium*.

Et ex his patet uſquequaque verum non eſſe, quod ali- 38
qui regulares dixerunt jus poſtliminii non habere amplius locum, ſecundum Canones, ex Covar. *in reg. Peccatum*, *par.* 2. §. 11. *num.* 6. & Molin. *de iuſt. & iure tom.* 1. *diſp.* 118. §. *Obſerva tamen*. Quoniam hoc vendicat ſibi locum tantummodo ad hoc, ut infideles nullum acquirant dominium in Chriſtianis captivis, cujus contrarium erat cautum de jure civili, ſecundùm quod capti ab hoſtibus eorum ſervi efficiebantur, ut §. *Servi*, *inſtitut. de iur. perſon.* gloſ. *in* §. *Si ab hoſtibus*, *in verb. Pendet inſtitut. quibus mod. ius patr. poteſt. ſolvitur*; & ſic loquuntur præcitati auctores, ſed non procedit quantum ad recuperationem jurium, ac rerum: nam quantum ad hoc ex captivitate reverſus etiam ſecundùm Canones recuperat omnia jure poſtliminii, prout ſunt jura clara in dict. *cap. Prima actione*, 16. *quæſt.* 3. & in dict. *cap. Cum per bellicam*, 34. *quæſt.* 1. & tenent ubique gloſſatores; unde jure optimo dicit gloſa in §. *Item ea*, *in ver. Recipiunt*, *inſtitut. de rer. diviſion.* poſtliminii, & captivitatis jura hodie non ſervari quantum ad perſonas, ſcilicet ut Chriſtiani per captivitatem ſervi efficiantur, ſed benè quantum ad res, ſcilicet ut recuperent omnia, quæ prius habebant: idemque tradidit Bart. in *l. Hoſtes*, *ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ.* & ex illo Franciſcus Arias *in tractat. de bello*, & *bellator. numer.* 160. inter tractatus communes *tom.* 12. *fol.* 192. & Joan. Lup. *in eodem tract. in* 3. *quæſt.* §. *Si ſumus in caſu ſæcularium*, *nu.* 4. *eodem tom.* 12. *fol.* 169. *col.* 3. Idque expreſsè agnovit Covarr. *dict.* §. *Undecimo*, *num.* 6. *poſt med.* ubi diſertis verbis ſic ait: [Quamvis in iis, quæ poſſunt in favorem cedere captivorum, æquiſſimum ſit, imò omni ex parte juſtum eaſdem leges, ſcilicet de poſtliminio loquentes, ſervari: nec enim Reipublicæ Chriſtianæ convenit præter ipſam captivitatis afflictionem damnum aliud aut detrimentum Chriſtianis apud Saracenos, aut Turcas captivis irrogari?] hæc Covarr.

Rurſus non obſtat, quod poſtliminio careant qui armis 39
victi hoſtibus ſe dediderunt, ut dicitur in *l. Poſtliminio*, *ff. de capt. & poſtliminio reverſ.* quia licèt non ſpontè, tamen coacta voluntas non eſt, ut ait ibi gloſſa *in verb. Hoſtibus*. Nam reſpondetur illum textum procedere in iis, qui cùm dimicare deberent, ſe turpiter dediderunt, quo caſu propter ignominiam carent jure poſtliminii, ut declarat textus *in l.* 2. *ff. eod.* ſed hoc non obtinet in clericis, qui corporalia neſcientes arma ſolum Deum, & propugnatorem ſuum quando ei placuerit miſereri, patienter expectant, dicit text. in *cap. Porro*, 16. *quæſt.* 3. ubi gloſ. *in verb. Arma*, deſumit argumentum, quod clerici non 40
debent movere arma corporalia etiam contra hoſtes, *cap.*

Digitized by Google

Quicunque, 23. q. 8. Nam lacrymæ, & orationes ſunt arma Clericorum, *cap. Convenior, ead. cauſ. & quæſt.* unde quamvis clerici in bello juſto poſſint alios hortari ad pugnam contra hoſtes, *cap. Igitur*, *cap. Hortatu*, *cap. Omni timore*, *cap. Ut pridem*, 23. *quæſt. ult. cap. Dominicus*, 23. q. 2. *& cap. Adrianus*, *diſtinct.* 63. propria tamen perſona pugnare non poſſunt, *d. cap. Quicunque*, *& cap. Clerici*, 23. *quæſt.* 8. nam eorum officium reddit eos inhabiles ad pugnandum, *cap. Ex multa*, *ad fin. de voto*, & notat gloſ. in *cap. Petitio*, *in verb. remordet*, & ibi etiam Butr. *num.* 4. *de homicid.* Bald. *conſ.* 469. *Ad bellum juſtum*, *vol.* 1. & docet S. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *ad* 2.

41 Demum non obſtat, quod dixerunt nonnulli regulares jus poſtliminii non habere locum in officiis temporalibus, quales ſunt adminiſtrationes regularium, ut *cap. Cum ad monaſterium*, §. *Tales*, *verſ. Nec alicui*, *de ſtat. Monachor.* Sed ſolùm in officiis, & beneficiis perpetuis, quales ſunt epiſcopatus: de quibus loquitur dict. *cap. Paſtorale*, 7. q. 1. *& cap. Si Epiſcopus*, *de ſupplen. neglig. prœl. lib.* 6. Nam reſpondetur hoc verum eſſe in officiis minoribus, ad quæ regulares non aſſumuntur per electionem canonicam, ſed ſunt obedientiarii, & ad nutum ſuperiorum amovibiles, de quibus loquitur dict. §. *Tales*, & in talibus admittimus non habere locum jus poſtliminii, quia removeri poſſunt pro libitu Abbatis, & ſine ulla cauſa, ut clarè oſtenſum eſt ſuprà in præludiis *num.* 10. & 11. At ſecus eſt in prælatis, qui canonicè eliguntur, qui ſive ſint perpetui, ſive ad tempus determinatum, puta triennium, vel biennium, eo tempore durante juris ordine non ſervato, & ſine juſta, & rationabili cauſa removeri non poſſunt, ut eſt textus in *cap. Monachi*, §. *Priores*, *de ſtatu monachor.* & fusè probatum eſt ſupra *num.* 8.

42 & quod poſtliminium habeat locum etiam in officiis ad certum tempus duraturis probatur exemplo tutoris, cujus officium non eſt perpetuum, ſed temporale, & finitur pubertate, ut *inſtitut. quibus modis tutel. finit. per tot.* item ſi tutor ſit captus ab hoſtibus deſinit eſſe tutor, ut *inſtitut. de Atil. tut.* §. *Ab hoſtibus*: & tamen reverſus recipit tu-

43 telam jure poſtliminii, ut ibi dicitur, quo jure alia quoque omnia recuperat, ut ibi notat gloſ. *in verb. Iure poſtliminii*, ut eſt textus in *l. Poſtliminii*, ibi: *Omnia reſtituuntur ei jura ac ſi captus ab hoſtibus non eſſet*, *ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ.* & in *l. Cum duo*, ibi: *recuperet & ipſe jus ſuum*, & in *l. Hoſtes*, ibi: *ab hoſtibus autem captus*, *&c. poſtliminio ſtatum recuperat priſtinum*, *ff. eodem*, & *inſtit. quibus mod. juſpatronatus poteſt ſolv.* §. *ſi ab hoſtibus*; unde & munia civilia recuperat, *l. Liber captus*, *C. eodem*, *l. Libertas*, §. *Poſtliminium*, *ff. Ad municipal.* & incolumia cuncta ei ſervanda ſunt, *l. fin. verſ. Reddantur*, *C. de captiv. & poſtlim.* & eſt ratio, quia ut ibi dicit gloſ. *in ver. Pendet*; poſtliminium habet duo capita, unum eſt 44
quia reverſus recuperat omnia: & hoc fundamentum eſt ſuper veritate: aliud eſt quia is, qui captus eſt, fingitur in civitate ſemper fuiſſe, & ſemper habuiſſe jura, quod eſt contra veritatem; unde quemadmodum prælatus regularis ſi verè in ſuo monaſterio, vel provincia ſemper fuiſſet triennio ſuo, vel biennio durante, jura prælationis retinuiſſet, ut probatum eſt ſupra *num.* 8. & *num.* 41. & 42. eodem modo ſi fuit captus ab hoſtibus, quia ex ſecundo capite poſtliminii fingitur ſemper fuiſſe in ſuo monaſterio vel provincia, cum poſtea revertitur ex primo poſtliminii capite jura omnia prælationis recuperat, ita juſtitia exigente, ut in dict. *cap. Cum per bellicam*, 34. *quæſt.* 1. & naturali æquitate, ut dicitur in *l. Poſtliminium*, *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.*

Quæ omnia multò fortiùs vendicant ſibi locum ubi prælatus non fuit captus ab hoſtibus, ſed à piratis, vel latronibus, quia tunc etiam ſecundùm leges civiles liber permanet, ut in dict. *l. Poſtliminium*, ibi: *A piratis, vel latronibus capti liberi permanent*, & ideò retinet omnia jura ſua, & fictio poſtliminii non eſt neceſſaria, ut dicit text. in *l. Hoſtes*, *ff. eodem*, & in *l. Qui à latronibus*, *ff. de teſtamen.* ubi gloſſ. 1. & Bart. *numer.* 2. *verſ. Solve*, & alii Scribentes. 45

Contigit non ita pridem hic caſus in Patre Joanne Cheron Provinciali Carmelitarum Vaſconiæ, qui rediens à Capitulo generali in Urbe celebrato die 31. Maij 1648. fuit in mari captus à Turcis, & cùm Generalis Ordinis de illius captivitate certior factus fuiſſet, creavit Vicarium Provincialem; ſed eo conquerente, quod Vicario nomine non poſſet provinciam gubernare, & regularis obſervantia multum periclitaretur, cùmque nulla ſpes ſubeſſet redemptionis Patris Cheron, Comitia Provincialia indixit, in quibus die 8. Maji 1650. idem Vicarius in Provincialem electus eſt. Sed die 6. Aprilis immediatè præcedentis antiquus Provincialis præter ſpem redemptus Romam venit, & poſtulavit ſibi reddi Provincialatum; ſed Generali renuente, recurſum habuit ad SS. D. N. reque à Sanctitate Sua ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium delata, tametſi nonnulli regulares contenderent electionem ſecundi Provincialis fuiſſe legitimam, nec Provincialem redemptum poſſe provincialatum repetere, ut in ſpecie P. Lezana in ſuis conſultationibus noviſſimè impreſſis *conſultatione* 42. nihilominus Sacra Congregatio mandavit Generali Ordinis, ut P. Cheron in poſſeſſione provincialatus manuteneret, & ad liberum illius exercitium reſtitueret, & reintegraret electionem novi Provincialis cum omnibus inde ſequutis caſſando, & annullando, contrariis non obſtantibus, die 12. Auguſti 1650. 4

DE SIMONIA.

Idem Innocentius III. Decano Belvaceñ.

CAPUT XXXIV.

TUa nos duxit diſcretio conſulendos: & infrà. Devotioni tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi quis clericus cum conditione vel pacto largiatur, aut offerat bona ſua, ut illa poſtmodum pro præbenda retineat, & in canonicum admittatur: hujuſmodi oblatio vel receptio fieri non poterit ſine vitio ſimoniæ: cùm in talibus omnis pactio aut conventio ceſſare debeat, juxta Canonicas ſanctiones. Si verò purè ac ſine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in canonicum admittatur, & bona ſua retinere ſibi liceat pro præbenda, & clerici ejuſdem Eccleſiæ purè conſentiant: hujuſmodi receptio fieri poterit abſque ſcrupulo ſimoniacæ pravitatis. Licèt autem taliter duximus reſpondendum: quia nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare: ſi tamen is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci: & elerici [sic], qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri: ſine dubio tam ille quàm iſti apud diſtrictum judicem (qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum) culpabiles judicantur.

Digitized by Google

S V M M A R I V M.

1 *Simoniacus eſt clericus, qui confert Eccleſia bona ſua eo pacto ut recipiatur in canonicum, & illa ſibi retineat pro prabenda.*
2 *Ius Canonia eſt quid ſpirituale, & non cadit in laicum.*
3 *Simoniacum eſt beneficium fundare, vel dotare eo pacto, ut ſibi conferatur.*
4 *Simoniacum eſt pactum praſentandi ſeipſum à fundatore appoſitum in erectione beneficii, & irrita eſt erectio, & inſtitutio inde ſequuta, & num. ſeq.*
5 *Praſentato acquiritur ius ſpirituale ad beneficium obtinendum, & Epiſcopus compelli poteſt inſtituere.*
6 *Simoniacum eſt pro praſentatione aliquid temporale dare vel accipere.*
7 *Beneficium obtinens à ſe fundatum cum pacto praſentandi ſeipſum an faciat fructus ſuos, & num. ſeq. uſq; ad num. 15.*
8 *Simoniacus eſt intruſus, carens titulo vero, & putativo.*
9 *Et ſemper eſt in mora reſtituendi ſicut fur.*
10. *Et tenetur ad reſtitutionem omnium fructuum etiam qui percipi potuiſſent à diligenti poſſeſſore.*
11 *Dominium ſequuta traditione transfertur ex contractu etiam inutili: non tamen nullo, & contra legem.*
12 *Clauſula*, & non aliàs &c. *facit diſpoſitionem conditionalem.*
13 *Pecunia per ſimoniam collata an, & quando ſit reſtituenda ei, qui contulit.*
14 *Retentio facilius datur, quàm petitio.*
15 *Pactum omne, & conventio in beneficialibus, & aliis ſpiritualibus ſimoniam inducit.*
16 *Simonia non eſt deducere in pactum iuris communis diſpoſitione.*
17 *Etiamſi in actu receptionis fuerit oppoſitum.*
18 *Collatio beneficii ſub conditione, ſi reſederis, valida eſt.*
19 *Collatio beneficii facta eo pacto, ut proviſus ſolvat penſionem collatori debitam, non eſt ſimoniaca.*
20 *Simoniacus non eſt Sacerdos abſolvens pœnitentem eo pacto, ut rem ſibi ſublatam reſtituat.*
21 *Peccatum non dimittitur niſi reſtituatur ablatum.*
22 *Pactum dandi ſpirituale pro ſpirituali an fieri poſſit ſine vitio ſimonia remiſſive.*
23 *Simoniacum non eſt in actu receptionis, vel ingreſſus ad ius ſpirituale aliquid dare, vel offerre ſine pacto, vel conditione.*
24 *Gratis recipi poteſt gratis oblatum.*
25 *Simoniam non inducit datio mutua ſpiritualium, & temporalium, quoties una non cauſatur ab alia.*
26 *Secus ſi actus ſint correſpectivi.*
27 *Eſt tamen vitanda propter ſpeciem mali.*
28 *Accuſatus non debet ingredi domum iudicis.*
Opus per ſe laudabile, ratione temporis reprobatur, ibid. & num. ſeqq.
29 *Simonia ſuſpicionem praſefert nummos in concham mittere, dum baptiſmus ſuſcipitur.*
30 *Fructuum deductiones, & ſolutiones, qua ex prava conſuetudine, aut conſtitutionibus ſunt tempore ingreſſus, vel poſſeſſionis, reprobantur a Conc. Trident. & Conſtit. Pii V.*
31 *Preces humiles à digno oblata pro beneficio obtinendo ſimonia, aut ambitionis vitium non inducunt.*
32 *Secus ſi ab indigno.*
33 *Preces, quas pro ſe quis porrigit, ut in Pralatum eligatur, ambitioſa ſunt, & illicita.*
34 *Epiſcopatum appetere non licet.*
35 *Primatus fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe horret.*
36 *Munuſcula conferentes Pralatis, & rogantes pro beneficio adipiſcendo an ſimoniam committant.*
37 *Electus offerens ordinatori, vel conſecratori ſuo electuarium, vel aliud quidpiam modici pretii, non cenſetur ſimoniacus, ibid.*
38 *Conſuetudo, cuius vigore canonicus novus ſingulis canonicis chirothecas diſtribuit poſt admiſſionem ad fructus, & diſtributiones, ſublata eſt a Conc. & Bulla Pii V.*
39 *Simonia eſt quoad Deum, & in parvis, & in magnis muneribus, ſi animus iudicis ex eis flectatur.*
40 *Simonia mentalis ſolum Deum habet ultorem, & num. 45.*
41 *Eccleſia non iudicat de occultis, & n. 45.*
42 *Simonia mentalis non inducitur in ſimoniacis de iure Eccleſiaſtico, ſed tantum in ſimoniacis de iure divino.*
Contrarium, num. 44.
43 *Simonia in beneficialibus an ſit prohibita de iure divino remiſſivè.*
44 *Simonia mentalis peccatum per ſolam pœnitentiam abolentur.*
45 *Intellectus*, c. fin. infra eod. *ibid.*
Eccleſia ultioni non ſubduntur qua in finibus nuda voluntatis conſiſtunt.

T*Va nos*. Si Clericus eo pacto bona ſua confert Eccle- 1
ſiæ, ut recipiatur in canonicum, & illa ſibi retineat
pro præbenda, ſimoniacus eſt: ſecus ſi hoc fiat ſine pacto
hoc dicit: dividitur in duas partes. In prima ponitur deciſa
conſultatio. In ſecunda reſponſio, ibi, *Devotioni*: &
hæc ſubdividitur in duo membra. Secundum ibi, *Si verò*,
cuius limitatio ſubnectitur ibi, *Licet autem*.
Nota primò jus canoniæ eſſe quid ſpirituale; unde non 2
cadit in laicum, ut in c. 2. cum ſi notatis per Innoc. *ſupra
de inſtitut.* Ideòque pro jure canoniæ obtinendo ſimoniacum
eſt temporale aliquid dare, vel promittere, ut hic decidi-
tur: concordat *c. Iacobus, infra eod.* & notant *hic*
Anton. de Butrio *num.* 2. Abbas *num.* 3. & Marian Socin.
num. 4. in 3. notab.
Secundò nota eſſe ſimoniam fundare, vel dotare Cano- 3
nicatum, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum eo pacto, ut
beneficium illud ſibi conferatur, de quo hic eſt caſus apertus.
Unde cùm quidam clericus non ita pridem ſua bona 4
patrimonialia contuliſſet pro erectione Archipresbyteratus
in Cathedrali Eccleſia cum reſervatione juriſpatronatus
eo pacto adjecto, ut poſſit ſeipſum præſentare, & non
aliàs: conſultus ab eodem clerico reſpondi erectionem, &
inſtitutionem inde ſequutam fuiſſe ſimoniacam: & nullam
per hanc decretalem, & opus eſſe nova erectione, & pro-
viſione Sedis Apoſtolicæ, quam poſtea idem clericus im-
petravit à S. D. N. Urbano VIII. Ex præſentatione enim 5
acquiritur præſentato jus ſpirituale ad beneficium obti-
nendum, & Epiſcopus poteſt compelli ad inſtituendum, ut
in *cap. Cum Bertoldus*, & ibi Abbas *num.* 11. *de re iudicat.*
& in *cap. Dilectus, de offic. Legati.*
Unde ſicut ſimoniacum eſt dare aliquid temporale pro 6
collatione, ſeu receptione, ut hic, aut pro inſtitutione,
ut in *c. Auctoritate*, & ibi Abb. *de inſtitut. c. In tantum*,
& *c. Audivimus, infra eodem*, cum concord. ita & pro præ-
ſentatione, ut pluribus probat Lambert. *de iurepatr. in 2.
part. 1. lib. in 9. quaſt. princ. art.* 11. *num.* 1. & ſæpius con-
cludit Rota Roman. ut teſtatur Horat. Mandoſ. ad Roman.
conſil. 317. *Circa propoſitum.*
Amplius conſultus, an prædictus clericus ſuos fecerit 7
fructus Archipresbyteratus, ut præfertur, erecti; reſpon-
di feciſſe à die datæ litterarum Apoſtolicarum, & habitæ
poſſeſſionis ad præſcriptum Extravag. *Iniunctæ, de elect.*
Quo verò ad fructus antea perceptos, cùm in litteris nulla
fiat condonatio imò appoſita ſit clauſula. Per hoc tamen 8
non intendimus geſta per Ordinarium aliquatenus appro-
bare: dubitatio emergit, quia ſimoniacus eſt intruſus ca-
rens titulo vero, & putativo, & dicitur fur, & invaſor,
cap. Ordinationes, 1. *& 9. q.* 1. Et ideò ſemper eſt in mora 9
reſtituendi ſicut fur, ut dicunt Tancredus, & Joannes, quos
ſequitur gloſſa communiter approbata in *cap. Niſi cum pri-
dem, in verb. Sed dumtaxat, de renunciat.* Jo. Andr. *ibidem
num.* 4. Baldus *num.* 1. Ant. de Butr. *num.* 8. *verſ. Concludenter
mentem gloſſa, & verſ. Infertur tertio*, Henric. *colum.* 1.
ante med. verſ. Aut non habet titulum, & Cardinal. *in §.
Intueri, num.* 2. & ſimoniacum in beneficio teneri ad reſti-
tutionem omnium fructuum etiam qui percipi potuiſſent 10
a diligenti poſſeſſore, docet Sanct. Thomas *in 2. 2. quaſt.*
100. *art. 1. ad 2. & in 4. diſt.* 25. *quaſt.* 3. *art.* 1. *quaſtiunc.* 3.
ad 2. & Silveſter poſt Archidiac. *in verb. Simonia, num.* 13.
verſ. Octavo.
Cæterùm etſi memoratus clericus ſuos non fecerit fru- 11
ctus tanquam beneficiales, ſeu Eccleſiaſticos, eo quod
erectio

Digitized by Google

‑rectio canonicatus, & inſtitutio nulla fuerit, ut prædi-
xi; tamen videtur illos feciſſe ſuos tamquam patrimonia-
les, & laicales; quia oblatio bonorum, quam fecit Ec-
cleſiæ cum pacto præſentandi ſeipſum fuit invalida tam-
quam ſimoniaca, ut hic in textu, & conſequenter cleri-
cus dominium bonorum oblatorum à ſe non abdicavit nec
illud tranſtulit in Eccleſiam ex contractu nullo, & vitio-
ſo: nam licèt regulariter ex contractu etiam inutili tranſ-
feratur dominium ſequuta traditione, ut *l. Eleganter, in
princ. ff. de pignerit. act.* tamen ſecus eſt, ſi contractus ſit
nullus, & contra legem, ut not. Bart. *in l. 1. §. Si vir in
fin. ff. de acquir. poſſeſſ.* Paul. de Caſtro *conſ. 244. Viſo &
examinato, in fine lib. 2.* & ex contractu à lege improbato
12 nec poſſeſſionem transferri reſpondit Alex. *conſ. 69. circa
primum, num. 14. lib. 5.* præſertim ſtante clauſula, *& non
alias aliter nec alio modo*, quam dictus clericus adjecit pa-
cto præſentandi ſeipſum, quæ facit diſpoſitionem condi-
tionalem, ita ut niſi conditio purificetur, perinde ſit ac ſi
ab initio bona ſua Eccleſiæ non obtuliſſet, ut per Cæphal.
conſ. 118. num. 13. & 14. lib. 1.

13 Nec obſtat ſi dicitur: Pecunia per ſimoniam collata Ec-
cleſiæ ſæculari non eſt reſtituenda ei qui contulit, quia
turpiter, & contra juſtitiam dedit; ſed Eccleſiæ in cujus
ignominiam data fuit, ut in *cap. De hoc, ſupra eodem, cap.
Si quis in atrio, 17. quæſt. 4.* & in *Auth. de ſanctiſſ. Epiſc.
§. Sed neque*, & hoc ſi ſolus Prælatus, vel alius de Eccle-
ſia deliquerit; quod ſi Eccleſia fuerit in culpa, puta quia
totum Collegium conſenſit ſimoniæ, tunc etſi applicari
non deberet Eccleſiæ, quia talis lucri reddidit ſe indignam,
tamen nec debet reſtitui danti, ſed à ſuperiore pauperibus
erogari; quemadmodum pecuniam Judæ traditam à Ju-
dæis, nec Judæi retinuerunt, nec Judæ remanſit: ſed da-
ta eſt in Cœmeterium pauperum peregrinorum, ut patet
Matth. 26. & ita poſt multa concludit, & diſtinguit gloſſ.
fin. in d. c. De hoc, & ibi fuſius Hoſtienſ. Jo. Andr. & alii,
Turrecrem. *in c. Si quis dator, in verb. Reſtituere, 1. quæſt. 3.*
& latius in *c. Non eſt putanda, 1. quæſt. 1.* ubi hanc diſtin-
ctionem pluribus comprobat, & eſt communis theorica,
ut ibi teſtatur Præpoſitus *num. 1.* poſt Ant. de Butr. & Abb.
in dict. c. De hoc, quam etiam ſequitur S. Thomas *in 2. 2.
quæſt. 100. art. 6. ad 1. & 4.*

Id inquam non obſtat, quia procedit de juris rigore.
At verò ex miſericordia in tribus caſibus pecunia ſimonia-
cè accepta reſtituitur ei, qui dedit. Primus eſt, cùm dans
religionem ingreditur, ut per Innoc. *in dict. c. De hoc, in
verb. Eccleſia*, qui ad hoc allegat *c. Veniens, ſupra eod. c.
De lapſis, 16. quæſt. 6. & c. Si quis ita, 27. quæſt. 1.* Secun-
dus eſt, cùm dans pecuniam non habet unde vivat; & in
hoc caſu Hoſt. & alii intelligunt textum in *dict. cap. Ve-
niens*, ubi reſtitutio jubetur fieri Presbytero, qui per ſimo-
niam dedit. Tertius eſt, cùm dans pecuniam ſimoniacè
erravit in jure, vel in facto: tunc enim ex miſericordia
fit ei reſtitutio, ut tenent Hoſt. Joan. Andr. & Præpoſ. *locis
cit.* & Silveſt. poſt Rayn. *in verb. Simonia, num. 20. verſ.
Poſſet tamen ex miſericordia*, & hic propriè eſt caſus no-
ſter, quia clericus, qui fecit pactum de præſentando ſe-
ipſum, hoc egit bona fide ignorans diſpoſitionem hujus
Decretalis.

14 Ac præterea hic non eſt agendum de reſtitutione, quia
idem clericus poſſeſſionem bonorum à ſe non abdicavit:
eodem enim contextu, quo illa contulit Eccleſiæ ſibi reti-
nuit pro præbenda. Explorati autem juris eſt facilius dari
retentionem, quam petitionem, *l. Sed etſi poſſeſſori, ff.
de jure jur. l. In bonæ fidei, Cod. de pact. l. Per retentionem,
Cod. de uſur. leg. 2.* & ibi Baldus *in 3. notab. Cod. de fidei-
commiſ.* Paul. de Caſtro *conſ. 19. Vltra ea, in princ. lib. 2.*

15 Tertiò nota ibi, *cùm in talibus*: omne pactum, & con-
ventionem in beneficialibus, & aliis ſpiritualibus ſimo-
niam inducere, ut eſt textus *hic*, & in *cap. Cum pridem,
& cap. fin. ſupra de pact. in cap. Quam pio, 1. quæſt. 2. in
cap. Vt noſtrum, ut Eccleſ. benefic. & in cap. Quæſitum, de
rer. permut.* cum concordan. & hic notant. gloſ. 1. Hoſtien.
num. 1. in ver. Omnis pactio, Butr. *num. 2. in 2. notab.* &
Cardin. *num. 1.* Roman. *conſ. 317. Circa propoſitum, in fine,*
16 *& conſ. 359. Quia beneficii, in princip. & per totum.* Intel-
lige niſi in traditione ſpiritualium deducatur in pactum
diſpoſitio juris communis, quia hoc non inducit ſimoniam,
ut eſt text. *in cap. Ex parte, il ſecondo, ſupra de cleric. non
reſiden.* & notant gloſ. & Innocen. *in cap. Cum M. de Con-
ſtit.* gloſſa in *cap. Ad audientiam, il ſecondo*, & ibi dixi
num. 13. de reſcript. Item gloſſa in *cap. Significaſti, de elect.*
gloſſa in *cap. Significatum de præben.* & gloſſa in *cap. Olim,
il primo, de reſtitut. ſpoliator.* Nulla enim conditio à jure 17
communi approbata reddit actum ſimoniacum, etiamſi
tempore conceſſionis fuerit appoſita, ut reſpondit Gemin.
conſ. 84. num. 14. verſ. Non obſtat quod iſta conditio, Cra-
vett. *conſ. 145. num. 4.* Hinc fit ut valeat collatio beneficii 18
ſub conditinne *ſi reſederis*, ut probatur in *d. cap. Ex par-
te*, ubi patet valere juramentum de reſidendo præſtitum in
receptione Præpoſituræ: & tenet Gemin. *d. conſil. 84. num.
5. verſ. Item valet collatio*, & Jo. Andr. poſt Archid. *in
cap. 1. de iureiur. lib. 6.* Hinc etiam fit ut ſimiliter valeat col- 19
latio beneficii facta eo pacto ut proviſus ſolvat penſionem
antiquam, & conſuetam ſolvi ipſi collatori, ut per Ge-
min. *d. conſil. 84. num. 4. verſ. Et dico quod tale iuramentum.*

Quod verum puto etiam in his, quæ ſunt prohibita, 20
quia ſimoniaca ſecundum ea, quæ notantur in *cap. Ex
parte, il ſecondo*, in gloſſa *in ver. Dimittere, ſupra de offic.
deleg.* Quid enim ſi pœnitens in Sacramento Pœnitentiæ
confiteatur ſe aliquid furto ſubtraxiſſe ipſi Confeſſori, cer-
te nulla eſſet ſimonia ſi Sacerdos diceret, Nolo te abſolve-
re, niſi reſtituas. Imò cùm non teneatur Sacerdos rem
ſibi ſubtractam pœnitenti condonare, non poteſt illi ab-
ſolutionis beneficium impendere niſi facta reſtitutione,
quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, 21
*cap. Si res aliena, 14. quæſt. 6. cap. Quamquam, de uſur.
lib. 6.* & regula *Peccatum, eod. lib.* ubi notat gloſſa magna
poſt princip. verſ. Secundum alium intellectum, & Abb. *in
cap. Cum tu, infra de uſur.* Et quamvis S. Thomas *in 4.
diſt. 25. quæſt. 3. art. 3. ad 2.* dixerit ſimoniam eſſe ſi quis
det aliquod ſpirituale debitori, ut recuperet quod ſuum
eſt: tamen in ſumma, id eſt in 2. 2. *quæſt. 100. art. 1. ad 7.*
ubi loquitur ferè per eademmet verba; non abre exem-
plum illud prætermiſit. De quo tamen vide quæ notantur
in *cap. Qui ſtudet, 1. quæſt. 1. & in c. Dilectus, il primo,
in gloſ. prima ſupra eodem*, & ibi per Abb. plenius diſtin-
guentem *in ſecundo notab.* & per Thomam Campegium *in
tract. de Annatar. inſtitutione num. 15.* ubi ſequitur doctri-
nam Divi Thomæ; circa quam vide etiam quod ſcripſi in
c. Ad audientiam, il ſecondo num. 19. ſupra de reſcript. An 22
autem pactum dandi ſpirituale pro ſpirituali fieri poſſit ſi-
ne vitio ſimoniæ, dic ut per Archid. *in c. Quam pio, num. 3.
13. quæſt. 2.* & ibi plenius per Præpoſ. *num. 2.* & Abb. *in
cap. Statuimus de tranſact.*

Quartò nota ibi, *purè conſentiant*, etiam tempore in- 23
greſſus, vel receptionis ad jus ſpirituale poſſe aliquid da-
ri, vel offerri abſque vitio ſimoniæ; dummodò liberali-
ter id fiat, & pactum, ſeu conditio nulla interveniat:
nam gratis poteſt recipi gratis oblatum, *cap. Dilectus, il 24
primo in fine, ſupra eod.* nec ideò minus receptio gratuita
dicitur, arg. *l. Si remunerandi, ff. Mand. cap. Iudices, 1.
quæſt. 1. cap. De eulogiis, 18. diſt. & l. Solent, §. fin. ff. de
offic. Proconſul.* Et pro hac parte diſputando determinat
gloſſa 1. in *cap. Emendari, 1. quæſt. 1.* & gloſſa in *cap. Quam
pio, in verb. Poſtmodum, 1. quæſt. 2.* & gloſſa noſtra *hic in
ver. Purè conſentiant*, Hoſtien. *num. 3.* Butr. *in 3. notab.*
Abb. *num. 4.* & plerique alii. Unde conſequitur ut datio 25
mutua ſpiritualis, & temporalis iuris ſimoniam non in-
ducat, quoties una non cauſatur ab alia, ut formaliter in-
quit Butr. *num. 3.* ſecus ſi actus eſſent correſpectivi, ita ut 26
unus haberet reſpectum, ſeu relationem ad alterum, ut
per Cardin. *num. 2. in 3. notab.* & Felin. *num. 1.* Subdit ta- 27
men Hoſtien. poſt gloſſam, cavendum eſſe ne fraus ſub ſpe-
cie talium munerum committatur, *cap. Si quis neque, 1.
quæſt. 1.* nam etſi planum ſit ſimoniam, vel quaſi non com-
mitti niſi pacto interveniente, vel quaſi, ut hic proba-
tur: niſi mentalem, ut in *cap. fin. infra eod.* tamen quia
eſt mentalis, quæ facilè in prædictis interveniri poteſt, vi-
tari debet idcircò ſecundum Hoſtienſem prima opinio,
quam hic ponit gloſſa, honeſtior, & tutior eſt: & ſequi-
tur Cardin. *in prima oppoſit.* Adde gloſſam prælegatam in
d. c. Emendari, 1. quæſt. 1. quæ notabiliter dixit hoc vitan- 28
dum eſſe propter ſpeciem mali, argum. *cap. Conſtitutus de
tranſact. & l. Vnica, ff. ad leg. Iul. de ambitu*, ubi habetur
accuſatum non debere intrare domum judicis: nam opus
per ſe laudabile, ratione temporis reprobatur, & ne ma-
lignandi occaſionem inducat. Quemadmodum etſi num- 29
mos in concham mittere opus pietatis ſit; tempore tamen
ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipiendi Baptiſmi præſefert ſimoniæ ſuſpicionem, argum. *d. l. Unica*, adeòut etiamſi ſub aliquo prætextu tempore prohibito detur, præſumptio ſimoniæ non evaneſcat, *cap. Si quis ægritudine*, 57. *diſt. & cap.* 1. 8. *quæſt.* 3. Idem notat gloſſ. *in dict. cap. Quam pio*, *in ver. Subſidii*, 1. *quæſt.* 2.

30 Et hanc partem hodie non obſcurè videtur probaſſe Concilium Tridentinum *cap.* 14. *ſeſſ.* 24. ubi deteſtatur conditiones, ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationes illicitas, aut tutnorum lucra, quæ in aliquibus Eccleſiis ex eorum conſtitutionibus, aut ex prava conſuetudine interponuntur in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione ſive ad poſſeſſionem alicujus Cathedralis Eccleſiæ, vel beneficii, mandatque Epiſcopis, ut quæcumque hujuſmodi in uſus pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant.

Pondera hoc decretum quia non ſolum reprobat conditiones, & promiſſiones, ſed etiam ſolutiones, & fructuum deductiones, quæ fiunt in actu proviſionis beneficii, ſeu tempore ingreſſus: nec tantum reprobat quæ verè ſunt ſimoniacæ, ſed etiam quæ ſimoniæ, & avaritiæ ſuſpicionem inducunt. Unde cùm ea quæ dantur tempore ingreſſus, ſeu receptionis, etiamſi liberaliter fiant, & ſine ulla conditione, vel pacto; tamen ratione temporis ſemper hanc ſuſpicionem præſeferant ſecundum præcitatas gloſſas. Hinc videtur ſequi ut S. Synodus approbaverit hanc ſententiam uti honeſtiorem ac tutiorem: idemque habetur in Conſtitutione Pii V. incipien. *Dum nimis*, in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 310. in qua decretum illud ampliatur, & declaratur. Niſi dixeris idcircò hæc prohiberi a Concilio, & Bulla, quia non fiunt liberaliter à ſpontè dantibus, ſed ab invitis vigore ſtatuti, vel conſuetudinis: hic verò quæritur de his quæ purè, & liberaliter offeruntur tempore ingreſſus: veruntamen negari non poteſt quin ratio illa ſuſpicionis vigeat etiam in hoc caſu, ut ex dictis conſtat.

Præterea hoc expreſſius ſtatutum legitur in decreto *cap.* 1. *ſeſſ.* 21. ubi patet Epiſcopos, aut eorum miniſtros nihil quovis prætextu accipere poſſe, etiam ſpontè oblatum pro collatione quorumcumque ordinum, nec pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa. Quò decreto, ut Cardinalis Carafa adnotavit, corrigitur quod aſſerunt Doctores in *c.* 1. *ſupra eod.* videlicet accipi poſſe id, quod non principaliter, & pro ipſa re ſpirituali, ſed ex charitate ſpontè datur. Item corrigitur *c. Etſi quæſtiones*, *& c. Dilectus il ſecondo*, *ſupra eod.* ibi, *Illud tamen gratanter recipi poterit*, *quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum*. Sed Hoſtien. dixit ibi; [Quod gratanter recipiant, ſatis eſt mihi certum; ſed an gratis offerant, non eſt notum.] Unde Sac. Synodus ad tollendam omnem ſuſpicionem ſuſtulit etiam ſpontè oblata: quæ ſi nihilominus acciperentur, non propterea ſimoniam inducerent, ſi omnis abeſſet pactio; ſed dantes, & accipientes inciderent in pœnas eo decreto inflictas.

31 Quintò nota ibi, *rogans humiliter*; preces humiles à digno oblatas pro canonicatu, vel alio beneficio Eccleſiaſtico obtinendo ſimoniæ labem non inducere, nec peccatum aliquod ambitionis, concordat *c. Propoſuit*, *in* 1. *reſp.*
32 *de cler. excommun. miniſt.* Dixi à digno; quia ſi indignus hujuſmodi preces porrigeret, abſque dubio ſimoniam committeret, ut poſt Tancred. notat gloſſ. 1. in *c. Tuam*,
33 *de ætat. & qualit.* Quæ tamen diſtinctio procedit ſi preces porrigantur pro canonia, vel alio ſimplici beneficio, ut hic, ſecus ſi pro majoribus, in quibus ſe nemo ingerere debet, *c. Qualiter*, *de elect. c. Cum iamdudum*, *de preben.* ſecundùm Hoſtien. *hic num.* 2. & Cardin. *in* 2. *notab.* unde preces, quas pro ſe quis porrigit ut in prælatum eligatur, ambitioſæ ſunt, & illicitæ, *c. Nullus* 1. *quæſt.* 1. & con-
34 cludit gloſſa præalleg. & DD. *in d. c. Tuam*. Nec mirum, quia Epiſcopatum nec licet appetere, nedum pro eo adipiſcendo preces porrigere, cùm Auguſtinus *lib.* 19. *de Civit. Dei c.* 19. *prope fin.* dicat: *Locus ſuperior*, *ſine quo populus regi non poteſt*, *etſi adminiſtretur ut decet*, *tamen in-*
35 *decenter appetitur*, & Chriſoſt. *homil.* 35. *in Matth. circa med. Opus quidem deſiderare bonum: bonum eſt; primatum autem honoris concupiſcere vanitas eſt; primatus enim fugientem ſe deſiderat*, *deſiderantem ſe horret*, ad hoc *c. fin.* 1. *quæſtion.* 6. & egregiè probat S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 1. explicans illud Apoſt. 1. ad Timoth. 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*, *c. Qui Epiſcopatum*,
8. *quæſt.* 1. Sed pro minoribus beneficiis, qui digni ſunt, 36
licitè humiles preces porrigunt: imò hoc procedit etiamſi præceſſerit donatio rei temporalis liberaliter facta, & citra ullam conditionem, vel pactum, ut probat hæc littera ibi; *Si vero pure*, *ac ſine pacto rogans humiliter*, *&c.* & tenet Abb. *in* 1. *notab.* dicens hoc eſſe perpetuò notandum ad excuſationem eorum, qui munuſcula, vel xenia Cardinalibus, vel aliis Prælatis conferunt rogantes pro aliquo beneficio conſequendo: nam niſi ducantur principaliter ea intentione, ut ſpiritualia adipiſcantur, quamvis ſecundariò ſpem habeant beneficii obtinendi, extra omnem noxam judicantur, *c. Non ſatis*, 86. *diſt. c. Sunt in Eccleſia*, 8. *quæſt.* 1. gloſſa 1. *in c. Cum eſſent*, *ſupra eod.* Vix enim facere poſſunt, qui hujuſmodi intentionem ſecundariam non habent, ut dicunt *hic* Innoc. *in ver. intentione*, Hoſt. & Jo. Andr. *ambo num.* 3. *in eod. ver.* & Cardin. *num.* 3. facit quod notatur in *c. Quid prodeſt*, 61. *diſt. in c. Sunt nonnulli*, 1. *quæſt.* 1. *& in d. c. Tuam de ætat. & qualit.* & cum opinione Abbat. tranſeunt *hic* Marian. Socin. *n* 6. & Felin. *in* 1. *notab.*

Et confirmatur, quia in his parvis xeniis, vel munuſcu- 37
lis non committitur ſimonia: nam etſi ipſa etiam perſona electi offerat ordinatori, vel conſecratori ſuo electuarium, aut de vino, ſive de aliis hujuſmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant; non tamen Eccleſia Romana interpretari conſuevit recipientem in his delinquere, vel donantem: quæ ſunt verba textus in *c. Etſi quæſtiones in fin. ſupra eod.* Et ibi notat Bernar. *in gloſ. ult.* & Doctores, & Petr. Brixien. *in repert. in ver. Simonia*, *verſ. Pro modico*: unde & Clemens VIII. in Bulla de largitione munerum excipit leviora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad devotionem, vel religionem pertinentia munuſcula: licèt Sacra 38
Congregatio Concilii cùm in una Caialen. dubitatum fuerit, an Tridentino Concilio *cap.* 14. *ſeſſ.* 24. & Bulla Pii V. *Durum nimis*, ſit ſublata conſuetudo, cujus vigore Canonicus novus ſingulis Canonicis chirothecas diſtribuit, & donat poſt adeptam poſſeſſionem, & poſt admiſſionem ad fructus, & diſtributiones, declaraverit nec fas eſſe hujuſmodi chirothecas diſtribui, vel recipi. Sed poteſt dici munus illud non ſpontè offerri, vel donari, ſed jure conſuetudinis cogente; quia donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur, *l. Donari*, *ff. de donat. & l. donari ff. de regul. iur.* Jo. And. *hic n.* 3. *in ver. Pure.* Unde non mirum ſi ea conſuetudo à Concilio, & Conſtitutione Pii V. ſublata fuerit, facit decretum ejuſdem Concilii *in cap. Unico*, *ſeſſ.* 22. *de obſervan. & evitand. in celebr. miſſ.* ibi: *Illiberales eleemoſynarum exactiones potius*, *quàm poſtulationes*, *aliaque hujuſmodi*, *quæ à ſimoniaca labe*, *vel certe à turpi quæſtu non longe abſunt*.

Cæterùm adverte, quia quod dictum eſt in his munu- 39
ſculis ſimoniam non committi, procedit in foro exteriori, & quoad Eccleſiam, quia cùm non ſit probabile, ut animus judicis ſpiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere; idcircò Eccleſia in his non judicat ſimoniam committi; & ita loquitur textus in *d. cap. Etſi quæſtiones*; ſed apud Deum, qui cor videt, ſimonia eſt & in parvis & magnis muneribus, ſi animus judicis ex eis flectatur; & ita illum text. declarat S. Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 1. Item ſimonia eſt etiam in parvis munuſculis, ubicumque apparet de intentione, *c. Ex tua de ſimon.* ubi patet ſex ſolidos ſimoniam inducere, *& c. Indices*, 11. *quæſt.* 1. ubi de quinque obolis: ſimile de furto, *c. ult.* 14. *quæſt. ult. & in uſura*, *c. Plerique*, 1. *quæſt.* 3. *& c. Conſuluit*, *de uſur.*

Ultimò nota in verſ. *Licet autem*, ſimoniam menta- 40
lem habere ultorem ſolum Deum, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum; non autem Eccleſiam, 41
cui datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare, ut in textu, non autem de occultis, *c. Erubeſcant*, 32. *diſt. & c. Proximo*, *ſup. eod. cum concord.* de quibus ibi in gloſſ. *fin.* & declarat S. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 6. *ad* 6.

In gloſſ. *ult.* Innoc. *in verb. Culpabiles*, poſt multa con- 42
cludit in his quæ ſunt prohibita, quia ſimoniaca, ut vendere

dere Sacramenta, gratiam, & generaliter omnia, quæ veteris, vel novi Teſtamenti auctoritate ſimoniaca judicantur, ſolam voluntatem inducere vitium ſimoniæ: in his verò quæ prohibentur ſola Conſtitutione Eccleſiæ, ut renunciare præbendam ut alteri conferatur: licet ſit peccatum, non tamen ſufficere ſolam voluntatem ut faciat ſimoniacum: idem docuit gloſſ. *in verb. Dimittere*, *in cap. Ex parte*, *il primo*, *de offic. delegat.* & ſequuntur *hic* Hoſtienſis *ad finem*, & Cardinal. *in 1. quæſt.*

Pondera hæc dicta Innoc. & ex his collige concluſiones.

43 Prima concluſio eſt, ſimoniam in beneficialibus, ut eſt vendere beneficium, ſeu illud reſignare ad hoc ut alteri conferatur; non eſſe prohibitam jure divino, ſed conſtitutione Eccleſiæ; & ita eſſe ex genere illorum, quæ non ſunt prohibita quia ſimoniaca, ſed ſimoniaca quia prohibita. Sed de veritate hujus concluſionis latiſſimè differui in *c. Cum pridem*, *de pactis*, ubi videas in ſecunda, & tertia quæſt.

44 Secunda concluſio eſt, ſimoniam mentalem non induci in ſimoniacis de jure Eccleſiaſtico, ſed tantùm in ſimoniacis de jure divino: [&]idem tenet gloſ. Vincentii *in dict. c. Ex parte il primo*, *in ver. dimittere*, *de offic. deleg.*

Verùm hæc concluſio à Doctoribus non tenetur: quia ſive ſimonia prohibita ſit jure divino, ſive Eccleſiaſtico; ſicut pactum, vel conventio ut detur ſpiritale pro temporali indiſtinctè inducit ſimoniam conventionalem; ita & mens dandi, vel recipiendi indiſtinctè inducit ſimoniam mentalem: ad hoc *c. fin. inf. eod.* ubi peccatum ſimoniæ mentalis per ſolam pœnitentiam aboletur, & text. loquitur indiſtinctè de omnibus ſpiritualibus, inducitur ergo vitium ſimoniæ mentalis ſive ſpiritualia ſint de jure divino, ſive ex conſtitutione Eccleſiæ, ex quo text. aliter non diſtinguit, *c. Si Romanorum*, *19. diſtin.* & *c. Si dormierit*, *31. quæſt. 1.* & ita illum text. ad hoc ponderat Abb. *hic n. 5.* & ſequuntur Marian. Socin. *n. 9.* & Felin. *n. 3.*

Conclude ergo quantum ad Deum, & forum conſcientiæ indiſtinctè per ſolam voluntatem, & deliberationem committi ſimoniam mentalem: ut per Silv. *in verb. Simonia*, *num. 5. verſ. Quinto quæritur*. Quantum verò ad Eccleſiam, & humanum judicium nullus contrahit ſimoniam quacumque voluntate, niſi aliquid ſuperaddatur, ut *hic* & in *c. fin. infra eod.* id eſt niſi pactum intercedat expreſſum, vel tacitum, ut declarat Silveſter *loco cit.* Ratio eſt, quia quæ in finibus nudæ voluntatis conſiſtunt, non ſubduntur ultioni Eccleſiæ, quæ non judicat de occultis, *c. Chriſtiana*, *32. quæſt. 5.* & *c. Sicut il ſecondo*, *infra eodem*, ita Marian. Socin. *ſupra in rubr. num. 5.* & vide quod dixi *in c. Ex parte*, *il primo ad fin. de offic. deleg.* 45

D E S I M O N I A.

Gregorius IX.

C A P U T XLVI.

MAndato noſtro recepto, ut cum monachis, qui per ſimoniam dato aliquo, locum in monaſteriis ſunt adcpri, ſecundum conſtitutionem generalis Concilii, diſpenſares: & infrà. Conſultationi tuæ breviter reſpondentes, dicimus mandatum Apoſtolicum, etiam ad Abbates extendi: Et ad reſignationes ſpiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente, utrimque taliter acquiruntur, (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori) eos pro ſimonia hujuſmodi non teneri.

S V M M A R I V M.

1 *ABbas venit appellatione Monachorum in materia indifferenti, & num. 4.*
2 *Simonia ſolo affectu animi non committitur, ſed aliquo dato, vel recepto.*
3 *Diſpenſandi poteſtas eſt latè interpretanda, & num. ſeqq. uſque ad num. 13. & num. 33.*
4 *Fallit in ſex caſibus, ut num. 10.*
5 *Beneficii nomen includit Rectorias, & Dignitates, & num. 27.*
Niſi obſtet intentio ſcribentis propter alterius præjudicium, num. 7. & 42.
6 *Inferioribus expreſſis adiecta clauſula generali non veniunt ſuperiores.*
8 *Offendere plures difficilius eſt, quàm unum.*
9 *Diſpenſandi poteſtas eſt beneficium datum diſpenſanti, & non delinquenti, & ideo largè interpretatur.*
10 *Beneficium Principis eſt latiſſimè interpretandum.*
11 *Maior Pœnitentiarius diſpenſat in occultis etiamſi agatur de homicidio voluntario, & revalidat titulos beneficiorum.*
12 *Etiam in concurſu obtentorum ab inhabili ob cenſuram, vel miniſtrationem in cenſura, & num. 61. & 62.*
13 *Maior Pœnitentiarius an poſſit revalidare titulos parochialium extra concurſum obtentarum, & num. 33. uſque ad num. 38.*
14 *Et an poſſit in quocumque caſu revalidare titulos parochialium in concurſu obtentarum non adiecta clauſula*, fiet poſtquam concurrentibus ſatisfecerit, &c. *& num. 38. uſque ad num. 65.*
15 *Et an id poſſit cum præſcripta clauſula, & num. 65. uſq; ad num. 72.*
16 *Et an, & quomodo eadem clauſula ſit reducibilis ad praxim, & num. 72. uſque in finem.*
17 *Parochialis Eccleſia ex juſtitia eſt debita digniori inter probatos in concurſu ab examinatoribus ſynodalibus, & num. 62. & ſeq.*
18 *Et poſtpoſitus poteſt appellare ab irrationabili judicio Epiſcopi ex Bulla Pii V. & num. 27.*
19 *Appellandi jus non competit, niſi indebitè, & contra juſtitiam gravato, & num. ſeqq.*
20 *Appellatio eſt provocatio iniquæ ſententiæ querelam continens*
21 *Et illius uſus fuit inventus ad corrigendum judicantium iniquitatem, vel imperitiam.*
22 *Parochialem impetrans in concurſu tacendo ſuam inhabilitatem occultam, peccat contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur, & num. ſeqq. uſque ad num. 33.*
23 *Damnificans aliquem videtur ei auferre id, in quo ipſum damnificat.*
24 *Reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ.*
25 *Pœnitentiaria non curat de jure eventuali, & ſecundario, & num. 55.*
26 *Attendere non debemus quod fieri poſſit de facto, ſed quod fieri debeat de jure.*
28 *Oppoſitori habenti qualitates requiſitas competit jus conſiderabile, ut ei liceat appellare a denegata.*
29 *Impediens ne beneficium detur digniori in concurſu, reſtituere tenetur.*
30 *Impediens ex injuſta cauſa ne præbenda detur ei, cui firmatum erat, ut daretur, tenetur ad reſtitutionem æqualis.*
31 *Sed ſi impediat antequam id firmatum ſit, tenetur ad aliquam compenſationem arbitrio ſapientis.*
32 *Damnificans aliquem impediendo ne adipiſcatur, quod*

Digitized by Google

quod erat in via habendi, tenetur aliquam recompenſationem facere, ſecundum conditionem perſonarum & negotiorum.

33 *Diſpenſatio eſt odioſa, & ſtrictè accipienda.*

34 *Diſpenſandi poteſtas ſuper beneficiis extenditur etiam ad beneficia curata, ubi de nullius præjudicio agitur.*

Aliàs ſecus, num.41.

35 *Beneficia conferendi facultas includit etiam curata.*

39 *Diſpenſandi poteſtas quando agitur de præjudicio alterius, quàm Principis concedentis, eſt odioſa, & reſtringenda.*

40 *Beneficii appellatione in materia odioſa, & reſtringibili non venit curatum.*

43 *Princeps in ſuis conceſſionibus, & reſcriptis nunquam intendit jus alterius lædere.*

44 *Pœnitentiaria non ſolet juri quæſito derogare.*

45 *In revalidationibus titulorum ante Concilium Tridentinum apponebat clauſulam* ſine alicujus præjudicio.

46 *Et fructus malè perceptos condonat ſine præjudicio illorum, quibus diſtributiones accreſcere, vel non decreſcere debent.*

47 *Interpretatio ſemper fieri debet excluſiva præjudicii tertii, etiam verba impropriando.*

48 *Diſpenſandi poteſtas utcumque ampla, & exuberans, non extenditur in præjudicium tertii ſine derogatione regulæ de jure quæſito non tollendo.*

49 *Majoris Pœnitentiarii poteſtas revalidandi titulos beneficiorum an ſit ex ſui natura præjudicialis ad effectum, ut non intret regula de jure quæſito non tollendo.*

50 *Gratia ſui natura præjudicialis non dicitur illa, quæ frequenter præjudicat, ſed illa, quæ præjudicat ſemper & perneceſſe.*

51 *Parochiales Eccleſiæ in pluribus caſibus hic relatis conferuntur ſine forma examinis per concurſum.*

52 *Jura non adaptantur ad ea, quæ ſemel tantum, aut bis contingere poſſunt.*

53 *Major Pœnitentiarius poteſt legitimare prolem, & condonare puellis violatis dotes obtentas à Confraternitatibus in præjudicium virginum.*

54 *Legitimatio prolis facta poſt obitum parentum non præjudicat venientibus ab inteſtato.*

56 *Reſtitutio eſt prioris ſtatus reparatio.*

57 *Reſtitutio facta per Papam ubi aliud non exprimitur, intelligitur fieri ſine juris præjudicio alieni.*

58 *Retroactio in gratioſis nunquam fit in præjudicium tertii, niſi aliud in litteris exprimatur, & num. ſeqq.*

59 *Electio invalida ob occultam irregularitatem convalidatur per diſpenſationem.*

60 *Niſi ante diſpenſationem alius fuerit canonicè electus.*

61 *Major Pœnitentiarius cur revalidet titulum beneficii in concurſu obtenti: ab inhabili ex cenſura, vel illius violatione, non adiecta clauſula,* fiet poſtquam *ſatisfecerit, & num. ſeq.*

62 *Revalidatio beneficii in concurſu obtenti eſt ſui natura præjudicialis.*

63 *Diſpenſandi poteſtas non extenditur etiam ex majoritate rationis de uno caſu ad alium ſublata verborum ſignificatione non comprehenſum.*

64 *Irregularitas ex defectu difficilius tollitur, quàm irregularitas ex miniſtratione in cenſura.*

66 *Reſtitutio non eſt neceſſe, ut præcedat abſolutionem.*

67 *Datæ tempus non attenditur in mandatis de diſpenſando, vel conferendo quoad habilitatem impetrantis.*

Habilitas ſufficit quando potentia explicatur ad actum, ibid.

68 *Reſtitutio dicitur facta qualitercumque ſatisfiat.*

69 *Clauſula,* quatenus non tollatur jus quæſitum, *reddit gratiam conditionalem, & ſtante præjudicio gratia à principio eſt nulla, nec convaleſcit ex ſatisfactione ſubſequuta.*

70 *Conditione purificata perinde eſt, ac ſi diſpoſitio à principio fuiſſet pura.*

71 *Clauſula,* ſine alicujus præjudicio, *in litteris tacitè ſubintelligitur, ſed non facit gratiam conditionalem.*

72 *Reſtitutio à malè proviſo in concurſu fieri poteſt compoſitionibus in multis caſibus ſine ullo periculo detegendi delictum occultum.*

74 *Reſtituendi impotentia non extinguit ſubſtantiam obligationis, ſed ſuſpendit illius effectum in tempus quo impedimentum ceſſaverit.*

75 *Reſtitutio quibus facienda ſit ab eo, qui in fraudem obtinuit beneficium in concurſu.*

M*Andatum*. Non ſummatur propter brevitatem, & veritatem lecturarum, ſed ſecundum Felin. ſic ſummari poteſt. In materia indifferenti appellatione Monachorum venit Abbas: hoc primo ſimonia ſolo affectu animi non committitur, ſed aliquo dato, vel recepto: hoc dicit ſecundo. 1 2

In textu ibi: *Mandatum Apoſtolicum etiam ad Abbates extendi*. Nota ex hac littera poteſtatem diſpenſandi etiam latè interpretandam; nam hic mandatum fuit alicui, ut diſpenſaret cum monachis, qui per ſimoniam monaſterium ſunt ingreſſi, nulla mentione habita de Abbatibus; & tamen hoc ad Abbates extenditur; nec mirum, quia Abbas monachus eſt, & ſub conſtitutione pœnali de monachis loquente includitur, ut in *cap. Quoniam, ſupra eodem*, fortiùs ergo in favorabili, argum. *l. Cum quidam, ff. de liber. & poſthum.* ſecundum Jo. Andr. *hic num. 3.* Nec obſtat, quod beneficii nomen non includat Rectorias, vel Dignitates; ut *c. fin. de præbend. & c. Cum in illis, eodem titul. lib 6.* & expreſſis inferioribus adiecta clauſula generali, *non veniant Superiores, cap. Sedes, de reſcrip.* quoniam ut reſpondet Hoſtienſ. *hic num. 4.* conſideranda eſt intentio ſcribentis, *c. Super eo, de offic. deleg.* cum ſuis concor. quæ prævalet voci, & ſcripturæ *c. Intelligentia, de verb. ſign.* fuit autem hæc intentio Papæ, ut tam Abbates, quàm monachi ſalvarentur, & hoc reſpectu fit extenſio, ut inquit Innoc. multum ſuccinctè. In contrariis verò fit reſtrictio, ne alii fiat præjudicium; & ne impediantur electiones. Nec obſtat ſi dicatur etiam in ſimplici beneficio fieri præjudicium, tum quia non eſt præjudicium tale, de quo multum poſſit conqueri, *c. Dilectus, ſupra de offic. Legat.* tum quia frequentiùs collatio ſimplicis beneficii conſuevit ad unum ſpectare, electio verò ad plures: & difficilius eſt plures, quàm unum offendere, *c. 2. de tempore ordinat.* tum quia illuſorium eſſet mandatum, ſi ſaltem ſimplex beneficium non includeret. Eſt ergo interpretandum, ut aliquid operetur, *cap. Si Abbate, de verborum ſignif. cap. In his, de privileg.* & eodem modo reſpondetur ad *cap. Sedes, de reſcript.* ſecundum Hoſt. vel poteſt dici ſecundum Jo. Andr. *num. 3. in fin.* hanc poteſtatem diſpenſandi fuiſſe beneficium datum diſpenſanti, non delinquentibus; quod patet, quia de illis nulla fuit facta nominatio, & ideò largius interpretatur, facit *c. Si eris de præbend. lib. 6.* Sentit ergo Joan. Andr. diſpenſationem ipſam quæ datur delinquentibus, tanquam odioſam eſſe reſtringendam, ſed poteſtatem diſpenſandi, quæ datur ipſi diſpenſanti eſſe largè interpretandam: & concordant alii inferius citandi *num. 33.* 3 4 5 6 7 8 9

Adverte tamen quia hæc concluſio non videtur hic plenè probari, quia ex mandato Papæ non fuit conceſſa Epiſcopo nova poteſtas ad diſpenſandum cum monachis ſimoniacè receptis, ſed tantùm excitata poteſtas ordinaria eidem conceſſa per Concilium generale in *cap. Quoniam ſupr. eod.* ut patet ex hac litera ibi, *ſecundum Conſtitutionem generalis Concilii diſpenſares*. Unde hæc Decretalis nihil videtur probare de commiſſione, ſed tantùm de poteſtate ordinaria diſpenſandi à jure conceſſa, prout animadvertunt Aretin. *in l. 2. in princ. num. 1. ff. de verborum obligat.* Fortunius *in l. Gallus, §. Et quid ſi tantum, à n. 156. ff. de lib. & poſth.* Navarr. *in commen. hujus cap. num. 3.* Covar. *in 4. Decretal. in 2. part. cap. 8. §. 8. num. 9.* qui etiam advertit de hac ordinaria poteſtate ad diſpenſandum loqui, *cap. Per venerabilem, ſupra qui fil. ſint legit.* dum probat poteſtatem diſpenſandi circa majora extendi etiam ad minora.

Sed poſſet reſponderi hanc Decretalem non fuiſſe directam Epiſcopo, nam ex ſuprascriptione hoc non apparet, nec colligitur ex diſpoſitiva, ſed tantùm dicitur, *mandato noſtro recepto ut diſpenſares*, & gloſſ. in figuratione caſus dicit, *Quidam recepti ut mandatis à Papa*, & gloſ. ſecunda ſimiliter dicit, *mandatum fuit alicui ut diſpenſaret*:

nec

nec exprimit de Epiſcopo: ergo iſte fuit delegatus à Papa.
Nec refragantur illa verba, *ſecundum Conſtitutionem generalis Concilii*, quia non referuntur ad poteſtatem, ſed ad
modum: unde ſenſus non eſt ut diſpenſet juxta facultatem,
quam habet à Concilio, ſed juxta formam, & modum à
Concilio præſcriptum: & hoc ſenſu mandatum iſtud non
fuit exſtativum juriſdictionis ordinariæ, juxta textum in
c. Licet in corrigendis, ſupra de offic. Ordinat. ſed fuit collativum poteſtatis delegatæ; & ſic textus benè probat conclusionem, quod poteſtas diſpenſandi eſt favorabilis, &
latè interpretanda, quia eſt liberalitas, & beneficium
10 Principis nulli noxium, quod largiſſimè interpretatur *l. fin.
ff. de Conſtitut. Princip. cap. Olim, infra de verborum ſignificat. cap. Cum dilectus, in fine, ſupra de donat.* quia in
beneficiis, ut ibi dicitur, plena eſt interpretatio facienda;
& hic notat gloſſ. 2. Joan. Andr. *num.* 3. Felin. *num.* 7. dicens ad hoc ſemper allegari hoc cap. juxta intellectum Jo.
Andr.
Hanc concluſionem limita quinque modis, quos hic
proſequitur idem Felin. *à num.* 8. Primò ſcilicet, dummodo militet eadem ratio. Secundò præterquam in cauſæ cognitione. Tertiò, niſi nominetur perſona, cum qua eſt
diſpenſandum. Quartò, ut non extendantur ad defectus
jure naturali inductos. Quintò, niſi larga interpretatio
eſſet contra conſuetudinem approbatam. Adde tu ſextam
limitationem, quando ex lata interpretatione fieret præjudicium tertio; de quo dic, ut tetigi ſupra *num.*7. & dicam
pleniùs *in q. ſeq.*
11 Poſito vivæ vocis oraculo Gregorii XV. quo tribuitur
facultas Majori Pœnitentiario diſpenſandi in occultis ſine
relatione facienda Suæ Sanctitati etiamſi in caſibus, in
quibus ex Bulla Pii V. reformationis officii Pœnitentiariæ
eſt alloquendus Summus Pontifex, etiam quod agatur de
homicidio voluntario, & de revalidatione titulorum beneficiorum.
[Additur in hac materia ſervandam eſſe Conſtitutionem ſanctæ mem. Urbani Octavi incipientem, *Regimini
univerſalis Eccleſiæ*; cujus fit mentio hic *num.*46.]
12 Item poſito alio oraculo Pauli V. quo eidem Pœnitentiario conceditur, ut poſſit in occultis convalidare titulos
beneficiorum in caſu, quo dicta beneficia fuerint obtenta in concurſu, quando tamen inhabilitas provenit ex
aliqua cenſura, vel quia illis irretitus impetrans miniſtravit.
13 Dubitatur primò, An in quocunque caſu Major Pœnitentiarius poſſit in occultis revalidare titulos parochialium Eccleſiarum extra concurſum obtentarum puta ex
permutatione, aut reſignatione ubi de nullius præjudicio
agitur.
14 Secundò, An cum inhabili aliter, quàm ex cenſura,
vel miniſtratione in cenſura, qui in fraudem obtinuit beneficium in concurſu; poſſit major Pœnitentiarius diſpenſare, & ejus titulum revalidare non adjecta clauſula formulari, *fiet poſtquam concurrentibus ſatisfecerit, vel cum eis concordaverit*.
15 Tertiò, An poſſit hujuſmodi titulum revalidare cum
præſcripta clauſula.
16 Quartò, An, & quomodo eadem clauſula ſit reducibilis ad praxim.
17 Ad evidentiam præmittendum eſt parochialem Eccleſiam ex juſtitia eſſe debitam digniori inter probatos in concurſu ab examinatoribus ſynodalibus; quia Concilium
Tridentinum *ſeſſ.*24. *de reformat. cap.* 18. *verſ. Peracto*,
18 præcipit ut eidem digniori, & non alteri collatio Eccleſiæ
fiat, & ex Bulla 33. Pii V. *In conferendis*, §. 7. magis idoneus poſtpoſitus poteſt appellare à mala Epiſcopi electione,
& provocare electum ad novum examen, & conſtito de
Epiſcopi irrationabili judicio, parochialis eidem poſtpoſi-
19 to eſt conferenda. Et S. Congregatio Concilii meo tempore multoties vocavit concurrentes Romam ad novum examen ſubeundum. Jus autem appellandi non competit, ni-
20 ſi indebitè, & contra juſtitiam gravato, *leg.* 1. *ff. de inoffic.
teſtament. cap. Non ſolent*, 2. *quæſt.* 6. *cap. Super eo, de
21 offic. deleg.* cum appellatio ſit provocatio iniquæ ſententiæ
querelam continens, *l. Perfecti, ff. de minor.* gloſſa *Unica, in cap.* 1. 2. *quæſt.*6. Et illius uſus fuit inventus ad corrigendam judicantium iniquitatem, vel imperitiam, *l.* 1.
in princip. ff. de appell. & ne appellans maneat oppreſſus indebitè, *l. Suggeſtum*, & *cap. Cum ſpeciali*, §. *Porro, ſup.
de appellat.* Præpoſ. *in rubr. ibid. tit. n.* 15. & 68. Ex quo neceſſario ſequitur, ut prælectus ab Epiſcopo in concurſu 22
qui per fraudem tacendo occultam illam inhabilitatem; &
fingendo ſe capacem præripuit parochialem magis idoneo,
peccaverit contra juſtitiam commutativam, ac proinde
ad reſtitutionem teneatur, *cap. Si quis de clericis*, 12. *qu.* 2.
cap. 1. & *cap. fin. de injur. & dam. dat. l.* 1. *ff. de his, qui dejecer.
vel effud.* & eſt communis theorica Canoniſtarum in regula *Peccatum, de regul. jur. lib.*6. & Theologorum *in 4. ſent.
diſt.*15. & *in* 2. 2. *q.* 62. *Nam* (ut inquit ibidem S. Thom. 23
*art.*4. *in corp.*) *quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id in quo ipſum damnificat.* Damnum enim dicitur ex eo,
quod aliquis minus habet, quàm debet habere, ſecundum
Philoſoph. *in* 5. *Ethicor. c.*4. Et ideò tenetur ad reſtitutionē, 24
quæ eſt actus juſtitiæ commutativæ, ut idem docuit eadem
*q.*62. *art.*1. & à fortiori notat gloſ. *in reg. Peccatum, in ver.
Abbatum, de reg. jur. lib.* 6. dicens: *Pone nihil abſtuli,
ſed injuſte damnum dedi, ex quo nihil ad me venit, teneor
reſtituere damnum paſſo, alias non remittitur peccatum.*
Nec dicatur jus, quod habet dignior ex concurrenti- 25
bus, eſſe eventuale, & ſecundarium, de quo non curat
S. Pœnitentiaria, ut inquit Sarnen. *in reg. de non toll. jus
quæſ. quæſt.*3. cùm poſſit contingere, ut poſtpoſito digniore, Epiſcopus alium præeligat. Nam reſpondetur in hoc 26
non eſſe attendendum quid Epiſcopus facere poſſit de facto, ſed quid facere debeat de jure, *cap. Cum cauſam,
verſ. Quia igitur, non debemus attendere, de elect.* cum
concordantibus, de quibus ibi in gloſ. 1. De jure autem
debet omnino præeligere digniorem, eique & non alteri
Eccleſiam conferre, ut initio diximus. Quod & jure
veteri ſancitum erat, ut *cap. Licet ergo*, & *cap. Illud*, 8.
*quæſt.*1. *cap. Unum omnium*, §. *Nunc autem*, 25 *diſt. cap.
Viliſſimus*, 1. *quæſt.*1. *cap. Metropolitano, in fin.* 63. *diſt.
cap. Quoniam de inſtaur.* alioquin eligens dignum poſthabito digniori mortaliter peccat, nec eſt orandum pro ipſo,
ut inquit Butr. *in cap. Inter cætera num.*5. *de offic. Ordinar.*
& ante eum Feder. de Senis *conſ.* 93. *num.*1. *de communi*;
Decius *in cap. Conſtitutis, il ſecondo, num.* 6. & 12. *de appellat.* Et quamvis jure communi inſpecto electio de digno 27
omiſſo digniori non ſit retractanda *cap. Monaſterium* 16.
*quæſt.*7. gloſ. communis in *d. cap. Conſtitutis, in ver. Magis utilem*, S. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.*63. *art.*2. *ad* 3. & in vim
Concilii Tridentini ex ſententia S. Congregationis non
liceat appellare à mala Epiſcopi electione, eo quod S. Synodus voluerit in hoc deferre judicio Epiſcopi, qui ex variis animi ſui motibus ſe informare potuit, ut in *c. In præſentia, in princ. de renunc.* Rota *deciſ.* 29. *num.*4. *de reſcript. in antiq.* Achil. *deciſ.* 1. *num.*4. *de Confeſſ.* & *deciſ.*
654. *part.*4. *diverſ.* & coram Gregorio XV. *deciſ.*11. *num.*6.
tamen poſtea ſupervenit præallegata Bulla Pii V. quæ ut parochiales Eccleſiæ non ſolùm dignis, ſed magis idoneis repertis in concurſu conferantur, noluit in hoc deferre Epiſcopi judicio, ſed tribuit poſtpoſito jus appellandi à mala
Epiſcopi electione mandavitque eam retractari per judicem appellationis, conſtito de irrationabili judicio, &
Eccleſiam conferri magis idoneo, ut oſtenſum eſt ſupra
*num.*18. Quare jus, quod habet magis idoneus ad parochialem Eccleſiam non eſt eventuale, nec ſecundarium,
ſed omnino certum, & primarium; quia collatio non eſt
libera, ſed Epiſcopus ex juſtitia tenetur conferre digniori,
& ſi de facto non conferat, non ideò minus parochialis eſt
illi de jure debita; & ita quod ſtante Conſtitutione Apo- 28
ſtolica ut beneficium debeat conferri magis idoneo, &
qualificato, ex ſola oppoſitione ſic acquiſitum jus conſiderabile oppoſitori habenti qualitates requiſitas, ita ut liceat ei appellare à denegata collatione, & Superior debeat
compellere, ut juxta tenorem Conſtitutionis fiat collatio,
pluries reſolvit Rota, ut apud Put. *deciſ.* 253. *lib.* 3. & *deciſ.*100. *eod. lib.* & *deciſ.*235. *lib.*2. & coram Duran. *deciſ.* 29
370. *num.*2. & 3. & ſequitur Navar. *in Manuali cap.* 17.
*num.*74. dicens: [Quando ex ſtatuto beneficia dantur per
concurſum digniori ex concurrentibus, ſi ſatis ſunt in id
qualificati, & aliquis impedivit, ne darentur legitimis
concurrentibus, reſtituere tenetur, quia illi jam jus quoddam perfectum acquiſiverant ad petendum, ut alicui ex
ipſis darentur.] Quod validiſſimè confirmatur ex doctri- 30
na D. Thomæ ab omnibus recepta in 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2.
ad 4. ubi ait: *Si firmatum ſit, ut alicui detur præbenda, &
aliquis propter indebitam cauſam procuret, ut revocetur,*

idem

idem eſt ac ſi iam habitam ei auferret; *& ideo tenetur ad re-*
31 *ſtitutionem æqualis*. Quinimò ſecundùm eum ibid. *Si quis*
injuſtè impedit, ne præbenda detur digno, conſulens, ut non
detur, etiam ſi id faciat antequam ſit firmatum, quod ei de-
tur, tenetur nihilominus ad aliquam recompenſationem pen-
ſatis conditionibus perſonarum, & negotii ſecundum arbi-
32 *trium ſapientis*: Quod ipſum prius docuerat in *4. ſent.*
diſtinct. 15. quæſt. 1. artic. 5. quæſt. 2. ad 3. Et generaliter ut
idem ait, *dicta quæſt. 62. art. 4. in corpor. Si quis damnificet*
aliquem impediendo ne adipiſcatur quod erat in via habendi,
quamvis tale damnum non oporteat recompenſare ex æquo,
quia minus eſt habere aliquid virtute, quam habere actu, &
qui eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum
virtutem, vel potentiam: tenetur tamen aliquam recompen-
ſationem facere, ſecundum conditionem perſonarum, & ne-
gotiorum. Si igitur ex ſententia D. Thom. & communi ex
hoc ſolo, quod quis ſuis perſuaſionibus avertit Prælatum
à collatione beneficii, tenetur ad recompenſationem licèt
ipſe perſuadens nihil acceperit, & damnum paſſus non
habeat jus certum, ſed tantum ſit in via ad beneficium aſ-
ſequendum: quantò magis tenebitur ad recompenſatio-
nem ille, qui non ſolum in cauſa eſt, ut magis idoneus
non conſequatur beneficium ſibi debitum ex juſtitia, ſed
etiam illud per fraudem occupat? hoc enim caſu tenetur
ad reſtitutionem ex duplici capite, videlicet ratione acce-
ptionis, ideſt damni ex injuſta cauſa illati, & ratione rei
acceptæ, ſecundum ea quæ docet idem S. Thom. *d. qu. 62.*
art. 6. & ibi magiſtraliter Cajetan.
33 His præhabitis, ad primum dubium breviter reſponde-
tur Majorem Pœnitentiarium in occultis poſſe indiſtinctè
revalidare titulos parochialium extra concurſum obtenta-
rum, quia etſi diſpenſatio ipſa tamquam vulnerans jus
commune ſit odioſa, & ſtrictè accipienda, *c. 1. §. Ille, de*
filiis Presbyter. lib. 6. Creſcent. *deciſ. 1. num. 1. de privileg.*
tamen diſpenſandi poteſtas, quæ nulli eſt præjudicialis, ni-
ſi ipſi concedenti, eſt favraobilis, & latè interpretanda,
ut efficaciter probat hæc Decretalis inducendo eam, ut di-
xi ſupra *à num. 3. uſque ad num. 13.* ſecundum intellectum
Jo. Andr. *n. 3. in fin.* cum quo concordant Butr. *n. 5.* Cardin.
34 *in 1. oppoſ.* Abb. *n. 3. & 5.* & reliqui omnes, gloſſ. *in cap. Du-*
dum in ver. Beneficia, de præben. lib. 6. Et propterea pote-
ſtas attributa M. Pœnitentiariæ in oraculo Gregorii XIV.
diſpenſandi ad beneficia, ſeu revalidandi titulos benefi-
ciorum extenditur etiam ad beneficia curata, in quibus
non agitur de alicujus præjudicio, Joan. de Anan. *in cap.*
fin. num. 5. ibi, *Tu conſidera, de cler. pugnan. in duello,*
Felin. *in cap. Poſtulaſti, num. 11. in 4. limitat. verſ. Adde*
etiam iſtis, de reſcript. Ripa *in cap. Ad aures, num 20. eod.*
35 *tit.* Et eſt ſimile in facultate conferendi beneficia, quæ in-
cludit etiam curata, Paul. de Leazar. & Lap. Abb. *in d.*
c. Dudum, de præben. lib. 6. ibi etiam Gemin. *col. 2. ante*
medium verſ. Et ex his infertur, & Franc. *num. 13. & 14.*
Dec. *in rubr. de reſcript. num. 36.* Felin. *loc. cit.*
36 Unde & Vicarius cui ab Epiſcopo data eſt facultas con-
ferendi beneficia, poteſt conferre etiam curata, Gemin.
in cap. ult. in fin. & ibi etiam Franc. *num. 3. de offic. Vicarii,*
lib. 6. Felin. *in cap. Cauſam quæ num. 14. de reſcript.* Lap. *al-*
legat. 84. Staphil. *in tit. de modo, & forma impetrandi, §.*
Circa tertium, num. 3. Rota *deciſ. 7. de offic. Vicar. alias*
37 *437. in Antiq. & deciſ. 2. eodem tit. in Antiquior.* Et eſt ratio,
quia beneficiorum nomine in materia favorabili etiam
curata continentur, ut *cap. penult. de verb. ſignific.* gloſ. in
cap. Cum in illis, in verb. Provideri, ubi etiam Franc.
num. 5. in 4. col. verſ. Secundo verò caſu principali, de præ-
bend. lib. 6. & dictum eſt ſupra *num. 5.* Et quamvis Abb. *in*
dict. cap. final. num. 5. de cler. pugnan. in duello, ſentiat fa-
cultatem diſpenſandi circa beneficia per Papam alicui con-
ceſſa intelligi de ſimplicibus: tamen in hoc non videtur
ulterius immorandum, quia prima opinio tamquam ve-
rior, & communior jam fuit ſemel, atque iterum approbata
in Signatura S. Pœnitentiariæ, & quotidie practicatur:
nam quotieſcumque petitur revalidatio beneficii curati,
ſolemus percunctari, an illud fuerit obtentum extra
concurſum; & tunc non revocatur in dubium facultas
Majoris Pœnitentiarii, ſed de pleno conceditur revali-
datio.
38 Ad ſecundum dubium videtur reſpondendum extra ca-
ſum inhabilitatis ex cenſura; vel miniſtratione in cenſura,
Majorem Pœnitentiarium non poſſe revalidare titulos be-
neficiorum in concurſu obtentorum, niſi cum prædicta
clauſula, *Si & poſtquam, &c.* Præcipuum fundamentum 39
eſt, quia poteſtas diſpenſandi quando agitur de præjudicio
alterius, quàm ipſius Principis concedentis odioſa eſt, &
reſtringenda, Butr. *in cap. Per venerabilem, num. 13. Qui*
filii ſint legit. & ibi etiam Alex. de Nævo *num. 52.* & Præ-
poſ. *in §. Quod autem, num. 23. in fin.* Felin. *in d. cap. Po-*
ſtulaſti, num. 12. verſ. Secundus caſus, de reſcript. & in
cap. At ſi clerici, §. De adulteriis, num. 9. & ibi etiam
Alex. de Nævo *n. 15. & 23. de judic.* Alciat. *in l. 2. in princ.*
num. 52. verſ. Fallit 4. ff. de verb. obligat. ubi alios citat Co-
varr. *in 4. Decretal. in 2. part. cap. 8. §. 8. num. 9.* & alibi
paſſim DD.
In materia autem odioſa, & reſtringibili beneficii ap- 40
pellatione non venit Curatum, ut eſt caſus in *dict. cap.*
Cum in illis, de præbend. lib. 6. & ibi notat Anchar. *in 3.*
notab. Abb. *in cap. final. in 2. not. de præben.* gloſſ. *in cap. Si*
eo tempore, in verb. Cum cura, de reſcript. lib. 6. & ibi An-
charan. *in principio*, Dec. *in rubr. eodem tit. num. 35.* & con- 41
ſequenter poteſtas diſpenſandi circa beneficia, ſeu revali-
dandi titulos beneficiorum ex oraculo Gregorii XIV. non
includit beneficia curata in concurſu obtenta, in quibus
agitur de præjudicio concurrentium, ſed ne fiat illi præ-
judicium, reſtringitur ad beneficia non curata, ſicut fa-
cultas conferendi beneficia, quam Papa dat alicui, non
extenditur ad curata, quando alteri præjudicatur: ita in
terminis Gemin. *in cap. Dudum, num. 14. de præben. lib. 6.*
Felin. *in prædicta Decretali Poſtulaſti, num. 11. in 2. caſu,*
verſ. Quam tandem firmat, de reſcript. Rebuff. *in forma*
Vicariatus, num. 113. & 114. Garz. *de benef. part. 1. cap. 6.*
num. 45. & ſentiunt Hoſtienſ. & Joan. Andr. ſupracitati
num. 7. Quemadmodum nec extenditur ad beneficium al- 42
teri debitum, Put. *deciſ. 35. lib. 2.* Ex quibus patet apertiſ-
ſimè facultatem revalidandi titulos beneficiorum nullate-
nus extendi ad beneficia curata in concurſu obtenta, quæ
ex Concilio Tridentino, & Bulla Pii V. ſunt alteri debita,
ſcilicet digniori inter probatos ab examinatoribus ſynoda-
libus. Ratio hujus concluſionis eſt, quia Princeps in ſuis 43
conceſſionibus, & reſcriptis numquam intendit jus alte-
rius lædere, *l. Nec avunſ.* ibi: *Nec in cujuſquam injuriam*
beneficia tribuere moris eſt noſtri, Cod. de emancip. liber. l. 2.
§. Merito, ff. Ne quid in loco publ. l. impuberi ff. de admi-
niſtr. tutor. l. Sed cum ab hærede, ff. Ad Trebell. cap. Ex
tuarum, de uſu pall. ubi gloſſ. *in verb. Permittat, cap. Ad*
aures, verſ. Cum non ſit intentionis noſtræ, de reſcript. cap.
Super eo, ibi: *Non tamen eſt noſtræ intentionis, & cap.*
Ex parte, il primo, ibi: *Si memores fuiſſemus, &c.*
de offic. Delegat. & plures gloſſas allegat Felin. *in cap. Cau-*
ſam quæ, num. 10. verſ. Et generaliter, de reſcriptis, Rot.
in Antiquior. deciſ. 2. num. 2. de renunciat. Unde nec Pœni- 44
tentiaria conſuevit juri quæſito derogare, ut atteſtatur
Sarnen. *in regul. de iure quæſit. non tollen. quæſt. 3. num. 4.*
verſ. Et ſecundum iſtam opinionem. Et propterea ante Con- 45
cilium Tridentinum in revalidationibus titulorum ſemper
apponebat clauſulam, *ſine ullius præiudicio*, ut patet in
formulario de anno 1542. fol. 336. Quinimò eam clauſulam
apponebat etiam in rehabilitatione Regularium ad officia,
& dignitates. Et Urbanus VIII. in ſua Bulla *Regimini §. 3.* 46
dum in occultis tribuit M. Pœnitentiario facultatem con-
donandi fructus malè perceptos, ſimiliter adjecit clauſu-
lam, *Sine præiudicio illorum, quibus diſtributiones accreſce-*
re, vel decreſcere debent. Mens igitur Papæ ſemper in- 47
telligitur ea eſſe, ut jus tertii non lædatur; & ita fieri de-
bet interpretatio facultatum, etiamſi verba eſſent impro-
prianda, *cap. Super eo, de offic. Delegat.* Gemin. *in cap.*
Dudum, colum. 2. circa med. verſ. Contra dictum, Lapi
de præben. lib. 6. Roman. *conſ. 334. num. 1. verſ. Secundò*
idem probatur, Ruin. *conſ. 123. poſt num. 13. lib. 3.* Jaſ. *in l.*
Ex facto, in 4. notab ff. de vulgar. & pupillar. Bolognet.
conſ. 3. num. 38. Quod præcipuè locum habet poſt regulam
de iure quæſit. non tollend. quia debet nominatim fieri men-
tio, & individua derogatio regulæ, ut optimis funda-
mentis reſolvit Rota apud Cæſar. de Graſſis *deciſ. 9.*
aliàs 3. de reſcript. & deciſ. 1. num. 10. de verborum
ſignif.
Nec relevat, quod facultas revalidandi titulos benefi-
ciorum, de qua in oraculo Gregorii ſit valde ampla, &
exuberans, cùm tribuatur etiam in caſibus, in quibus ex
Bulla Pii V. Summus Pontifex eſt alloquendus: quoniam
reſpon-

reſpondetur hæc verba reſtringi ad tres caſus expreſſos in eadem Bulla Pii V. videlicet ad irregularitatem ex homicidio voluntario, ſimonia ſcienter contracta, & publicis criminibus, ſuper quibus voluit Romanum Pontificem eſſe conſulendum à Majore Pœnitentiario, ut legitur in Bulla; ac proinde revalidandi facultas propter illa verba oraculi nequaquam extendi poteſt ad parochiales in concurſu obtentas in præjudicium concurrentium.

48 Sed eſto verba oraculi eſſent univerſalia, & prægnantia; nihilominus non extenderentur ad tollendum jus alteri quæſitum ſine derogatione regulæ, quia ut formaliter dixit Rota apud Cardinalem Seraph. *deciſ.* 1082. *num.* 6. *& ſeqq.* [Papa non cenſetur velle juri alterius derogare quibuſcumque utatur verbis, & clauſulis, niſi expreſsè deroget regulæ: imò nulla alia formula poteſt introduci, per quam poſſit dici conſtare de mente Papæ volentis tertio præjudicare, niſi faciat regulæ mentionem, quia proteſtatio, quam Papa facit in regula tollit ejus conſenſum, & voluntatem ab actu gerendo, ubi ei non derogatur.] Hactenus verba deciſionis; & ita prius dixerat Sarnen. *in proœmio regulæ*, *quæſt.* 5. *num.* 3. & tenuit Rota *in Burgen. oris ſepeliendi* coram Cæſare de Graſſis, 10. Junii 1575. quæ habetur *in tit. de reſcript. deciſ.* 9.

Supereſt nunc, ut ſatisfiat nonnullis difficultatibus, quæ in contrarium excitantur.

49 Opponitur enim primò, quod facultas revalidandi titulos parochialium ſit præjudicialis ex ſui natura, quia parochiales ut plurimum conferuntur prævia forma examinis per concurſum à Concilio Tridentino præſcripta; & jura adaptantur ad ea, quæ frequenter accidunt, non quæ tarò, *l. Nam ad ea*, *ff. de leg.* in gratia autem ſui natura præjudiciali non requiritur derogatio regulæ de jure quæſit. non tollen. Rot. *deciſ.* 15. *in fin. de offic. deleg. & deciſ.* 6. *de cauſ. poſſeſ. & propriet. in novis*; *& in recent. deciſ.* 174. *num.* 1. 2. *&* 3. *part.* 1. Seraph. *deciſ.* 762. *num.* 4. *& deciſ.* 1445. *num.* 6. & alii paſſim.

At reſpondetur hanc theoricam non applicari caſui noſtro duplici ratione. Prima eſt, quia in oraculo Gregorii XIV. non legitur facultas revalidandi titulos parochialium, ſed tantummodo revalidandi titulos beneficiorum. Hæc autem facultas quando agitur de præjudicio tertii, non extenditur ad beneficia curata, ut clarè oſtenſum eſt ſupra à num. 39. nemo autem dixerit facultatem conferendi beneficia non curata, quæ per concurſum non conferuntur, eſſe præjudicialem ex ſui natura, cùm potius nemini præjudicium afferat. Secunda ratio eſt, quia dato, & non conceſſo, quod in prædicto oraculo expreſsè contineretur facultas revalidandi titulos parochialium; nihilo-

50 minus hæc gratia non eſſet dicenda præjudicialis ex ſui natura: quandoquidem gratia ſui natura præjudicialis non dicitur illa, quæ frequenter præjudicialis, ſed illa tantùm, quæ naturaliter, & intrinſecè implicat præjudicium, & quæ ſemper præjudicat, & pernecesse, ita ut ſola gratia ſecum afferat præjudicium in neceſſariam conſequentiam, ut in exemptione à decimis, in exemptione à juriſdictione, in derogatione, & commutatione ultimæ voluntatis, in diſmembratione, unione, & conſimilibus, in quibus Papæ ex ſola gratia intelligit præjudicium; & cùm de illius poteſtate dubitari non poſſit, & de voluntate conſtet ex natura ipſius gratiæ, meritò non requiritur derogatio regulæ; ut egregiè declarat Rota *in Bononien. Uſusfructus* 23. *Maii* 1625. *verſ. Non obſtat quod hæc gratia*, coram Coccino, *& in recent. deciſ.* 11. *num.* 25. *part.* 6. *& deciſ.* 17. *num.* 1. *part.* 1. Caſſador. *deciſ.* 1. *de privileg.* Sera-

51 phin. *deciſ.* 1445. *num.* 6. *& deciſ.* 762. At revalidatio tituli parochialium non eſt hujuſmodi, quia plurimi ſunt caſus, in quibus parochiales conferuntur abſque forma examinis per concurſum, ſcilicet in reſignationibus, in permutationibus, in parochialibus ad Papam devolutis, in parochialibus unitis, in parochialibus regularibus, in parochialibus juriſpatronatus laicorum: item in parochialibus, quæ quotidie in Dataria impetrantur certo modo, puta ob non factas publicationes, ob non ſervatam formam examinis per concurſum, ob non factam dimiſſionem juxta Extravag. *Execrabilis*, ob non delationem habitus, & tonſuræ, propter hæreſim, propter ſimoniam, & in aliis pluribus. Qui caſus omnes ſi in univerſum conferantur cum illis, in quibus requiritur concurſus abſque dubio frequentiores apparebunt; & conſequenter non applicatur regula dictæ *l. Nam ad ea*, *ff. de legib.* quia facultas revalidandi titulos parochialium intelligenda eſt de parochialibus, quæ conferuntur ſine concurſu, quod frequentiſſimè accidit; & ſic hujuſmodi facultas non eſt ſui natura præjudicialis: & eo magis, quia textus in *d. l. Nam ad ea*, intelligitur de his, quæ ſemel tantùm, aut bis poſ- 52 ſunt contingere, ut patet ex *l. ſeq.* ubi dicitur: *Quæ verò ſemel, aut bis accidunt, contemnunt legiſlatores*, *& in l. Iura*, *ff. eodem*, dicit textus: *iura ex iis, quæ fortè uno aliquo caſu accidere poſſunt, non conſtituuntur*, & gloſſ. *in l. Ex his*, *eod. tit.* ponit exemplum de Lazaro reſuſcitato; & ita hæc jura declarat Albericus *in l. Si maior*, *Cod. de legitimis heredibus*. At Parochiales Eccleſiæ ſine concurſu non ſemel tantùm, aut bis, ſed frequentiſſimè conferuntur, ut dictum eſt; & ideò facultas revalidandi hos titulos non apparet quomodo dici poſſit ſui natura præjudicialis ex regula *d. l. Nam ad ea*, quæ tamen dicta ſint ex abundanti, quia in oraculo Gregorii non continetur hæc facultas revalidandi titulos parochialium, niſi per extenſionem, quæ quidem extenſio fieri non poteſt quando agitur de præjudicio tertii, ut ex dictis conſtat.

Opponitur ſecundò, Pœnitentiaria diſpenſat in matri- 53 monio contracto cum legitimatione prolis in præjudicium legitimorum, & venientium ab inteſtato. Item condonat puellis violatis dotes obtentas à Confraternitatibus cum præjudicio virginum. Cùm ergo ſimiliter non convalidet titulos parochialium in præjudicium concurrentium?

At facilis eſt reſponſio, quia in prædictis duobus caſibus Pœnitentiaria expreſſam habet facultatem à Summo Pontifice: nam quoad legitimationem prolis habet oraculum Gregorii XIV. §. 2. & quoad condonationem dotium habet oraculum Pauli V. *de Menſe Maii* 1617. & cùm hæ duæ facultates ex ſui natura videantur præjudiciales, quia non poteſt legitimari proles, quin fiat aliquod præjudicium venientibus ab inteſtato, nec poſſunt condonari dotes puellis corruptis, quin præjudicetur virginibus; utique Papa cenſetur voluiſſe tertio præjudicare, & ſic non intrat regula *de iur. quæſit. non tollen.* At ſecus eſt in revalidatione tituli beneficiorum, quia hæc facultas poteſt verificari in beneficiis non curatis, vel etiam curatis extra concurſum obtentis, in quibus nulli fit præjudicium, ut jam diximus.

Præterea ſecundum opinionem quæ veriſſima eſt, & 54 communiter tenetur, legitimatio prolis non præjudicat agnatis quando fuit facta poſt obitum parentum; & ſic quando fuit jus quæſitum venientibus ab inteſtato, ut tenent communiter Canoniſtæ *in c. Per venerabilem*, *Qui filii ſint legit.* ubi in ſpecie Butr. *num.* 13. & alii ſupracitati *num.* 39. Baldus *conſ.* 361. *num.* 2. *verſ. Sed quidquid ſit*, *lib.* 5. Quod ſi legitimatio fiat ante obitum parentum, tunc jus 55 venientium ab inteſtato eſt omnino incertum, & eventuale, quia fieri poteſt, ut prædecedant parentibus, vel ut parentes faciant teſtamentum. Et idem dicendum de virginibus quoad dotes, quarum jus eſt prorſus incertum, & eventitium, de quo non curat S. Pœnitentiaria, ut inquit Sarnen. ſupracitatus *num.* 25. at jus quod habet magis idoneus in concurſu ad parochialem Eccleſiam eſt certum, & primarium, ut infra oſtendimus, & ideò hæc ſimilia ad rem non pertinent.

Opponitur tertiò, quando Princeps abſtergit maculam 56 reſtituendo aliquem ad famam, vel ad bona, tunc non conſideratur præjudicium tertii, quia reſtitutio eſt prioris ſtatus reparatio, & reſtitutos in priſtinum jus recidit, argum. *c. Nos Sanctorum*, *& c. Iuratos*, 15. *quæſt.* 6. *& c. Quia diligentia*, *de elect. & c. Si quem*, *in fin.* 2. *quæſt.* 3. *& l.* 1. *Cod. de ſent. paſſ.* Ergo ſimiliter ubi Major Pœnitentiarius auctoritate Apoſtolica diſpenſat ſuper irregularitate abſtergendo maculam per diſpenſationem; fit reſtitutio in primævum ſtatum, nec habetur ratio præjudicii alieni.

Sed hanc objectionem ſolvit textus rotundus in *c. Quamvis*, *de reſcript. lib.* 6. ubi eſt expreſſum, quod reſtitutio 57 facta per Papam nihil operatur in præjudicium ejus, cui ante reſtitutionem fuit jus quæſitum; nec fit retrotractio ad primævum tempus, quia, ut ibi dicitur, talis reſtitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligitur fieri ſine juris præjudicio alieni: & ita ibi eſt caſus ſecundum Joan. Andr. Anch. Gemin. Franch. & omnes *in ſumm. textus*, & firmant Abbas *in cap.* 1. *in primo not. de Paroch.* Oldrad.

conſ.

Digitized by Google

*conſ.*325. *num.*8. *verſ. Praterea*, Feder. de Sen. *conſ.* 26.
*num.*2. *verſ. Item excluſus*, plenè Caſtillion. *conſ.* 8. *per to-
tum*, *maximè num.*9. Fulgoſ. *conſ.* 143. *per totum*, Soc. Se-
nior. *conſ.*32. *num.*23. *lib.* 1. Jo. de Ananía *conſ.* 32. *num.* 6.
generaliter enim in gratiis nunquam fit retrotractio in
præjudicium juris tertio quæſiti, niſi in litteris hoc expri-
58 matur, ut in gratia. Perinde valere *dicto cap. Quamvis*,
& cap. Si pro te, ubi textus optimus *de reſcript. lib.*6. & ibi
plene Gemin.

59 Et hinc fit, ut ſi diſpenſetur cum illegitimo, vel irregu-
lari occulto, quamvis convalidetur electio de ipſo per Ca-
pitulum celebrata, quia per diſpenſationem omnia refor-
mantur, ut poſt Innocent. & Hoſtien. notat Abbas *in cap.*
60 *Niſi*, *num.*16. *de renun.* tamen ſi medio tempore alius fue-
rit electus, licèt poſtea per diſpenſationem macula ſit ſub-
lata: nihilominus diſpenſatio non retrotrahitur ad tem-
pus primæ electionis in præjudicium ſecundi electi, ut de-
terminat Innoc. *in cap. Dudum il primo in fin. de electìon.*
Speculator. *in tit. de abolit. & purgat.* §. *Nunc de Epiſcopo-
rum diſpenſatione*, *verſ. Sed pone clericus accuſatus*, *&c.*
quos refert & ſequitur Archidiac. *in cap. Si quis de miniſte-
riis*, *in fin.* 50. *diſtinct.* Alia plura exempla, in quibus non
fit retrotractio in præjudicium juris tertio quæſiti, con-
gerit Card. *conſ.*105. *à num* 9. *verſ. In contrarum*.

61 Opponitur quarto, quando Pœnitentiaria revalidat ti-
tulos parochialium in concurſu quoad inhabiles ex cenſu-
ra, vel cenſuræ violatione non apponit illam clauſulam,
Fiet poſtquam ſatisfecerit, *&c.* ergo longè minus debet il-
lam apponere quoad inhabiles ex aliis defectibus; nam in-
habilitas ex cenſura, vel illius violatione cum peccato con-
trahitur, *c. Nemo Epiſcoporum*, 11. *quæſt.* 3. & infr. *de cler.
excommun. miniſtr. per totum*; inhabilitas verò ex aliis de-
fectibus multoties contingit ſine ulla culpa, ut irregulari-
tas ex defectu lenitatis, ex defectu natalium, ex bigamia,
& hujuſmodi, unde abſurdum videtur, ut durius agatur
cum his, qui culpa vacant, & ſunt potiùs digni majori
indulgentia.

62 Verum hæc difficultas facilè ſolvitur, quoniam in pri-
mo caſu ideircò Pœnitentiaria non apponit illam clauſu-
lam, quia ſpecialem habet facultatem ex oraculo Pauli V.
revalidandi titulos in concurſu quantum ad inhabiles ex
cenſura, vel violatione cenſuræ, & cùm hæc facultas ex
ſui natura ſit præjudicialis, & Papa intellexerit præjudi-
cium ex ſola gratia, quia non poteſt revalidari titulus
beneficii in concurſu obtenti, quin fiat præjudicium com-
petitoribus; meritò Papa cenſetur voluiſſe illis præjudica-
re, & conſequenter in eo caſu non debet apponi illa clau-
ſula, *fiet poſtquam*; prout etiam ſervat Dataria. At ſe-
cus eſt quando inhabilitas provenit ex aliis defectibus;
quia tunc non reperitur data expreſſa facultas revalidan-
di titulos parochialium in concurſu; & ideò neceſ-
ſaria eſt illa clauſula excluſoria præjudicii competi-
torum.

Et hinc ſumitur validiſſimum fundamentum pro hac
ſententia; nam cùm bon. mem. Card. Burgheſ. tunc Ma-
jor Pœnitentiarius petiiſſet à Summ. Pontifice avunculo
ſuo facultatem revalidandi titulos parochialium in concur-
ſu obtentarum in quocumque caſu, Sanctitas Sua noluit
ita generaliter hanc facultatem impertiri, ſed eam conceſ-
ſit, & quidem maxima cum difficultate in ſolo caſu inha-
bilitatis ex cenſura, vel miniſtratione in cenſura; in aliis
verò caſibus expreſsè illam denegavit, ut atteſtantur qui
hac de re cum Pontifice egerunt: unde neſcitur qua ſecu-
ritate conſcientiæ nos poſſimus facultatem ſic limitatam
extendere ad inhabilitates ex alio delicto, vel defectu pro-
venientes.

Nec dicatur hoc indultum fuiſſe impetratum per erro-
rem, eo quod Cardinalis Burgheſius non crederet ſe habe-
re hanc facultatem revalidandi titulos beneficiorum in
concurſu obtentorum: imò enim hanc facultatem non
habebat, ut clarè oſtenſum eſt ſupra; & ideò eam peten-
do non erravit: & ſanè abſonum videtur ſentire tot vi-
ros doctrina, & prudentia inſignes, qui tunc temporis
erant in Prætorio S. Pœnitentiariæ, & de quorum conſi-
lio, & aſſenſo negotium fuit geſtum, in re tam gravi tur-
piter hallucinatos fuiſſe; nam turpe eſt ignorare jus in
quo quis verſatur dicit textus in *l.* 2. §. *Servius ff. de origin.
iur.* & eo magis quia facultas revalidandi titulos benefi-
ciorum fundatur tota in oraculo Gregorii XIV. & in-
credibile eſt tantos viros non intellexiſſe vim prædicti
oraculi.

Ad ponderationem verò, quod major ſit ratio revali-
dandi ſine prædicta clauſula titulos beneficiorum in con-
curſu obtentorum ſi inhabilitas proveniat ex defectu,
quàm ſi proveniat ex cenſuris, vel violatione cenſurarum.
Reſpondetur facultatem diſpenſandi in uno caſu non ex- 63
tendi ad alium, ſublata verborum ſignificatione non com-
prehenſum, etiamſi in illo ſit major ratio, quàm in ex-
preſſo, Felin. *hic num.* 8. *in* 1. *limit.* Gambar. *de au-
ctor. Legat. tit.* 10. *num.* 203. quod pluribus exemplis con-
firmat Navar. *in manuali cap.*27. *num.*275. quia exorbitan-
tia à jure communi non ſunt extendenda de uno ad aliud,
*c. Quæ à iure, de reg. iur. lib.*6. Feder. de Sen. *conſ.*14. *num.*4.
verſ. Non obſtant contraria, Navar. *d. num.*275. *verſ.*16.

Præterea conſideratio peccati, de qua ſupra non eſt bo- 64
na, quia Sedes Apoſtolica difficilius diſpenſat in irregula-
ritatibus ex defectu, quæ ſine peccato contrahuntur, pu-
ta cum bigamis, cum ſpuriis, ſeu adulterinis, & cum
corpore vitiatis, quàm ſuper inhabilitate ex cenſura, vel
cenſuræ violatione, quæ cum peccato contrahitur, ut
practici norunt: & differentia fortè provenit ex facilita-
te, & frequentia incurrendi cenſuras ob illarum multi-
tudinem; ideòque uſu receptum eſt, ut in omnibus litte-
ris gratiæ apponatur clauſula abſolutionis à cenſuris: qua-
re non ſine rationabili cauſa Paulus V. fuit promptior ad
concedendam facultatem revalidandi titulos beneficio-
rum in concurſu obtentorum ab inhabilibus propter cen-
ſuram, vel illius violationem, quàm propter alias irre-
gularitates, quæ rarius contrahuntur, & difficilius tol-
luntur.

Ex quibus conſtat prædictam clauſulam, *fiet poſtquam*,
eſſe omninò apponendam quoties conceditur revalida-
tio extra caſum cenſuræ, vel violationis cenſuræ: &
quamvis hoc modo nonnihil recedamus à formulario in
quo ſemper, & indiſtinctè memorata clauſula apponeba-
tur. Nos verò modò eam apponimus, modò non apponi-
mus; tamen hanc differentiam poſt oraculum Pauli V.
facimus rationabiliter, quia in caſu cenſuræ &c. habe-
mus facultatem præjudicandi concurrentibus, & ideò di-
ctam clauſulam non apponimus: in aliis verò caſibus hanc
facultatem non habemus; & ideò illam apponimus; ſa-
tius autem eſt recedere à formulario in parte modo di-
ctam clauſulam apponendo, modò non apponendo, quàm
recedere in totum nunquam eam apponendo, ut patet ad
ſenſum.

Ad tertium dubium reſpondendum videtur Majorem 65
Pœnitentiarium habere facultatem revalidandi titulos pa-
rochialium in concurſu obtentarum, dummodo apponat
prædictam clauſulam, *fiet poſtquam*. Ratio eſt evidens,
quia facultas revalidandi titulos beneficiorum, quam ha-
bet à Gregorio XIV. tamquam favorabilis extenditur
etiam ad beneficia futura, ubi non agitur de præjudicio
tertii, ut ex Gemin. Felin. & aliis oſtenſum eſt in primo
dubio: quando autem cum prædicta clauſula revalidatur
titulus beneficii curati in concurſu obtenti, nulli fit præ-
judicium.

Quod ut clariùs appareat, obſervandum eſt accuratè 66
prænominatam clauſulam bis apponi in formula revalida-
tionis hujuſmodi, ut patet in formulario in rubrica, *A
mala promotione ante ætatem*, *& à mala proviſione*, *fol.*13.
Primò enim apponitur in ea parte, in qua datur abſolu-
tio à peccato, vel cenſura: & tunc apponitur his verbis:
Quodque illis, *quibus ipſe in concurſu per fraudem ſic
Prælatus fuit*, *ſatisfaciat*, *vel cum eis concordet*: & hoc
ideò fit, quia non eſt neceſſe, ut reſtitutio præcedat abſo-
lutionem, ſed ſatis eſt, ut ante abſolutionem pœnitens
ſe obliget ad reſtituendum quamprimum poterit, ut poſt
Hoſt. Archid. & Jo. Andr. notat Feder. de Sen. *conſ.*18. *n.*4.
verſ. Super hoc. Deinde apponitur hæc clauſula in alia par-
te, in qua datur revalidatio tituli; & tunc reperitur con-
cepta per hæc formalia verba: *Si & poſtquam prædictis ſa-
tisfecit*, *vel cum eis concordaverit*, *ut præfertur dictam pa-
rochialem Eccleſiam retinere licitè valeat miſericorditer di-
ſpenſari mandare dignemini*, *&c.* Et in hoc ſecundo caſu
ſatisfactio debet omninò præcedere diſpenſationem, ut
evidenter demonſtrant illa verba, *ſi & poſtquam*. Un-
de cùm tempore diſpenſationis, quæ conceditur à
Confeſſario vigore litterarum Apoſtolicarum Majoris

Digitized by Google

Pœnitentiarii jam ceſſaverit præjudicium concurrentium, eo quod jam fuerit eis ſatisfactum, vel cum ipſis concordatum; ambigi non poteſt de validitate diſpenſationis & revalidationis: de qualitate enim concurſus non eſt facienda mentio in gratia, niſi propter præjudicium concurrentium, cùm hæc qualitas non ſit de his, quæ de jure ſunt exprimenda in impetratione, ſecundùm ea quæ notat gloſſ. *in c. Super literis*, *in verb. Literas dediſſemus*, *de reſcrip.*
67 unde cum ante perfectionem gratiæ jam ceſſaverit præjudicium, impetratio, ſeu revalidatio ſuſtinetur: nam in mandatis de diſpenſando, conferendo, & ſimilibus quoad habilitatem impetrantis ceſſante ſubreptione, non attenditur tempus datæ litterarum, ſed tempus executionis, ut *cap. Is cui*, *de prebend. lib.6. & cap. Et cui*, *eodem tot. & libro*, ubi eſt caſus ſecundùm Abbatem *in cap. Dilectus*, *il ſecondo*, *num. 7. ſupra de prebend.* ſatis enim eſt, ut ſit habilis perſona, quando potentia explicatur ad actum, ut ait in dicto *cap. Is cui*, Joan. Andr. in gloſſ. *Additionali*, *in verb. Dimittat*, Felin. poſt alios in *cap. Eam te*, *num.* 18. *in prim. fallen. de reſcript.* Id quod aliquibus exemplis manifeſtius apparebit. Finge enim ante executionem litterarum revalidationis competitores eſſe mortuos, vel aliud beneficium incompatibile aſſecutos, aut religionem profeſſos: profectò his caſibus nemo negaverit Confeſſorem in vim literarum Majoris Pœnitentiarii poſſe revalidare titulum parochialis utcumque obtentæ in concurſu, quia ante illarum executionem omnis ratio concurſus evanuit: Ergo idem dicendum quando ante diſpenſationem, & revalidationem lator ſatisfecit concurrentibus, vel cum eis concordavit: ceſſat enim omne præjudicium, quia nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt, *leg. Nemo videtur fraudare*, *ff. de regul. iuris*, *leg. Cum donationis Cod. de tranſaction. leg.* 1. *§. Vſque*
68 *adeo*, *ff. de iniur.* & qualitercumque ſatisfiat, dicitur facta reſtitutio, *leg. Item liberatus*, *in princip. ff. Quibus modis pignus*, *vel hypothec. ſolu. leg. Si rem §. Satisfactum ff. de accuſat.* gloſſa *in regula Peccatum*, *in verb. Reſtituatur*, *lib.5.*

69 Et ex hoc patet reſponſio ad doctrinam Gomeſii ſuper regula *de iure quæſ. non toll. quæſt.* 1. *num.*41. *verſ. Poſtremo pro complemento*; quod clauſula, *Quatenus non tollatur ius quæſitum*, reddat gratiam conditionalem; & ideò ſtante præjudicio, gratia ſit ab initio invalida, nec convaleſcat ex eo quod poſtea ſatisfiat damnum paſſo.

Etenim hæc doctrina eſt in ſe vera, ſed caſui noſtro non applicatur duplici ratione. Primò, quia antequam Confeſſarius exequatur littera Pœnitentiariæ, & revalidet titulum parochialis, jam reperitur ſublatum præjudicium, cùm jam fuerit ſatisfactum concorrentibus, vel cum eis concordatum vigore dictæ clauſulæ, *Si & poſtquam*: ergo clauſula, *Quatenus*, *&c.* dato quod eſſet expreſſa in oraculo Gregorii XIV. non inficit diſpenſationem ſeu revalidationem, quia ante executionem litterarum con-
70 ditio illa fuit purificata. Unde perinde eſt, ac ſi diſpoſitio ab initio fuiſſet pura, *l. Si pupillus*, ibi; *Conditione expleta*, *pro eo eſt*, *quaſi purè ei hæreditas*, *vel legatum relictum ſit*, *ff. de condit. inſtitut.* & notat Bald. *in l. Cum in teſtamento*, *in fin. Cod. de manumiſſ. teſtamen.* Dec. *conſ.* 551. *num.*7. *& conſ.*629. *num.* 4. Socin. junior. *conſ.* 69. *num.* 4. *lib.* 3.

71 Deinde Doctrina Gomeſii non applicatur, quia in facultate Majoris Pœnitentiarii revalidandi titulos beneficiorum non habetur illa clauſula, *Quatenus non tollatur*, *&c.* nec tacitè ſubintelligitur, ſed benè intelligitur clauſula, *Sine alicuius præiudicio*; quæ tamen non facit gratiam conditionalem, & ideò gratia valet ab initio, cum obligatione tamen ſatisfaciendi damnum paſſo, ut declarat idem Gomeſ. *ubi ſupra*, & Rebuf. *in praxi benef. in forma novæ proviſionis*, *verſ. Dummodo tempore*: alioquin ſi prædicta clauſula, *Quatenus*, *&c.* ſemper ſubintelligeretur, omnis gratia eſſet conditionalis, & diſpenſationes, & abſolutiones, quas paſſim concedit Pœnitentiaria cum obligatione ſatisfaciendi parti læſæ tanquam conditionales eſſent invalidæ ab initio, nec convalidarentur per ſatisfactionem ſubſequutam: quod quam ſit abſurdum aſſerere, nemo non videt.

72 Ad quartum, & ultimum dubium dicimus non pertinere ad Pœnitentiariæ officium indicare, vel præſcribere modos quibus tuto poſſit ſatisfieri concurrentibus, vel cum eis concordari; hoc enim eſt munus providi, & diſcreti Confeſſoris, qui pro locorum, temporum, & caſuum diverſitate ſuo ingenio, ac prudentia adhibere debet aptiora media quibus conſultum eſſe poſſit ſecuritati pœnitentis, & indemnitati concurrentibus, ut in *cap. Omnis utriuſque*, *§. Sacerdos*, *de pœnit. & remiſſ.* Et hujuſmodi modos recenſere in abſtracto, nimis eſſet longum, & laborioſum, ne dicam impoſſibile. Sed nihilominus quia difficultas exequendi prædictam clauſulam, *Si & poſtquam*, *&c.* reſtringitur ad duo capita, videlicet ad periculum manifeſtandi delictum, & ad incertitudinem perſonarum, quibus ſatisfieri oportet: oſtendendum nobis erit neutram ex his difficultatibus impedimento eſſe, quo minus dicta clauſula ad practicam deduci poſſit.

Et quidem quod ſpectat ad periculum, ne crimen oc- 73
cultum detegatur, animadvertendum eſt plurimos eſſe caſus, in quibus hujuſmodi periculum non ſubeſt, videlicet in omnibus irregularitatibus, & inhabilitatibus, quæ ſine peccato contrahuntur, puta ex defectu lenitatis, ex bigamia, ex defectu natalium, ex homicidio pro defenſione patriæ, vel parentum, aut in bello juſto, maximè contra inimicos fidei & conſimilibus. Unde in his caſibus, cùm nullum ſit delictum, conſequenter nullum erit periculum detegendi turpitudinem propriam: ac proinde palam, & publicè poterit ſatisfieri competitoribus, vel cum eis concordari, ut de ſe patet. In aliis verò irregularitatibus ex delicto, ſiquidem loquamur de illa, quæ incurritur ex leviſſima culpa per homicidium caſuale, ſimiliter ceſſat omnis difficultas, quia non eam continet turpitudinem, quæ deterreat ab illius manifeſtatione, ut in plurimis exemplis congeſtis à Marian. Socin. *in c. Ad audientiam*, *de homicid.* Sed ſi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, de quo in loco nulla prorſus habetur notitia, puta ex abortu occulto, vel quia ab omnibus creditur mortuus naturaliter is, qui veneno necatus fuit: unde ex ſatisfactione, vel concordia cum competitoribus nulla poterit oriri ſuſpicio perpetrati delicti, quod prorſus ignoratur.

Præterea etiam in caſu, in quo homicidium eſſet publicum, & nuper commiſſum, & in eodem loco, non deeſſent modi prudentiales ſatisfaciendi competitoribus.

Sed eſto daretur aliquis caſus, in quo nulla ratione pro- 74
viſus poſſet ſatisfacere competitoribus abſque eo, quod ſeipſum proderet, nihilominus non eſſet liberatus à reſtitutione, quia impedimentum, vel impotentia reſtituendi non extinguit ſubſtantiam obligationis, ſed ſuſpendit illius effectum in tempus, quo impedimentum ceſſaverit, & ita civilis, & naturalis obligatio remanet, ſed eſt inefficax durante impedimento; hic eſt text. in *cap. Odoardus*, *de ſolut.* & ibi gloſ. *ultima*, Hoſtienſ. *num.* 8. Jo. Andr. *num.*6. Butr. *in* 1. *notab. & num.* 3. *& num.* 14. Cardin. *in* 2. *quæſt. circa finem*, *verſ. In gloſ.* 3. Anchar. *in* 8. *not.* Imola *num.* 1. & Abb. *in* 3. *notab.* Rota *deciſ.* 31. *num.* 5. *de re iudic. in Antiq.* Caſſador. *deciſ.* 11. *num.* 1. *de reſcript.*

Nunc videamus, an obſtet ſecunda difficultas incerti- 75
tudinis perſonarum, quibus facienda eſt reſtitutio: & ſanè ſi proviſus nulliter de beneficio in concurſu non habeat niſi unum competitorem, nulla erit incertitudo; quia illi beneficium eſt de jure debitum, ac proinde ei ſolus ſatisfaciendum erit, vel cum eo concordandum, juxta doctrinam D. Thomæ, & communem oſtenſum eſt ſupra *num.*17. *&* 26. Et idem dicendum ſi competitores fuerint plures, ſed unus tantùm ſit ſuperſtes, eo quod alii an ſint mortui, vel Religionem ingreſſi, aut aliud æquale beneficium incompatibile aſſequuti; quod ſi tres, aut quatuor, vel plures ſuperſint ex approbatis; tunc ſi unus ætate, moribus, doctrina, & prudentia ſit cæteris omnibus longè præſtantior, & eminentior, & de hoc ſit fama publica in loco, & communis omnium reputatio: utique cum ſecuritate conſcientiæ poterit nulliter proviſus, illi ſatisfacere vel beneficium ei renunciando, vel dando recompenſationem: tenetur enim inveſtigare cui facienda ſit reſtitutio, ſecundum D. Thom. *in* 4. *ſent. diſtinct.*15. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 4. *ad* 1. *& in* 2. 2. *quæſt.*62. *art.*5. *ad* 3. Et ſatis eſt, ut ex probabilitate morali intelligat ſe illi & non alteri damnum intuliſſe, ad hoc ut ei ſatisfaciendo ſit tutus quoad Deum, *cap. fin. de iniur. & damn. dat. leg. Si ſervus*, *la ſeconda*, *§. Si ex plauſtro*, *& l. Qui occidit*, *§. in hac ff. ad l. Aquil.*

Nec dicatur judicium de magis idoneo ad ſolum

Epi-

Epiſcopum pertinere; quoniam poſt Bullam Pii V. Epiſcopus in hoc nullum habet arbitrium, ſed tenetur præcisè eligere digniorem ex approbatis, ut patet ex dictis ſupra *num.26. & 27.* Unde qui in fraudem obtinuit parochialem poſthabito Epiſcopi judicio, poterit tuto ſatisfacere illi, qui communi omnium æſtimatione habetur pro digniori.

Si verò nullus ex competitoribus evidenter appareat eminentior, tunc nulliter proviſus ſi irregularitatem, ſeu inhabilitatem contraxerit ſine culpa, & peccato, poterit adire Epiſcopum publicè, & palam, & de illius conſilio ſatisfacere; ſi verò eam contraxerit ex delicto, poterit eidem revelare in Confeſſione ſacramentali ſe eſſe inhabilem ex quodam impedimento occulto ad parochialem retinendam; & ideò ſe promptum eſſe ad illam reſignandam, vel ſatisfaciendum illi ex competitoribus, quem ipſe Epiſcopus magis idoneum judicaverit.

Et ad extremum ſi neque ex judicio Epiſcopi, neque aliunde conſtare poſſit quis ex competitoribus ſit dignior, & omnes videantur æquè idonei: hoc caſu poterit omnibus ſatisfacere æqualiter, non quidem per reſignationem beneficii; quod diviſionem non patitur, *c. Maioribus, de præbend.* Sed per illius æſtimationem, ad gloſſ. 1. *in regula Peccatum, de regul. iur. lib. 6.* videlicet cautè ſolvendo in pecunia cuique ſuam portionem arbitrio Confeſſoris, juxta conſilium D. Thom. *in 2. 2. quæſt. 62. art. 6. ad 2.*

Alia remedia poterunt ſuggerere varia accidentia & circumſtantiæ diverſæ, quæ modò nos divinare non poſſumus. Hoc autem eſt, quod majores noſtri non putarunt prædictam clauſulam, *Si & poſtquam, &c.* eſſe impracticabilem; alioquin eam non appoſuiſſent, ſicut appoſuerunt in formulario circa annum 1591. & ſervarunt Clemens Octavus tunc M. Pœnitentiarius, Julius Antonius Cardinalis S. Severinæ ſucceſſor Clementis in eodem officio. Lucius Cardinalis Saſſus Regens, Cardinalis Toletus Conſultor Theologus, & Hieronymus Cardinalis Pamphilius Sanctiſſimi D. N. Innocentii X. Patruus Conſultor Canoniſta, ac deinde Regens: & iterùm de anno 1612. D. Coccinus Regens, P. Juſtinianus Conſultor Theologus, & D. meus Joan. Franciſcus Fagnanus Conſultor Canoniſta in formulario ab eis reformato, & ſubſcripto.

NE PRÆLATI VICES SUAS, VEL ECCLESIAS ſub annuo cenſu concedant.

Alexander III. in Concilio Lateranenſi.

CAPUT I.

PRætereà, quoniam quidam in quibuſdam partibus ſub pretio ſtatuuntur, qui Decani vocântur, & pro certa pecuniæ quantitate Epiſcopalem juriſdictionem exercent: Præſenti decreto ſtatuimus, ut qui de cætero hoc præſumpſerit, officio ſuo privetur: & Epiſcopus conferendi hoc officium, poteſtatem amittat.

S V M M A R I V M.

1 *PEcuniam dans ut ſpiritualem iuriſdictionem exerceat, officio privatur, & ſic conferens illud amplius conferre non poterit, & canonicè punietur.*
2 *Iuriſdictio Epiſcopalis eſt quid ſpirituale, & pretio conferri non poteſt, ſine labe ſimoniæ.*
3 *Simonia non committitur in Curia Romana in his, quæ ſimoniaca ſunt, quia prohibita ſi fiant Principe authorizante, & ſcienter.*
4 *Secus in his quæ prohibita ſunt quia ſimoniaca.*
5 *Beneficium Eccleſiaſticum vendere an ſit ſimoniacum quia prohibitum, vel è converſo.*
6 *Annatæ utrum in Curia Romana exigantur licitè, & ſine vitio ſimoniæ; latiſſimè diſcutitur uſque in fin.*
7 *Annatæ à quibus impugnentur.*
8 *Annata unde dicatur, quid ſit, & quot illius ſpecies.*
9 *Annata propriè ſumpta quæ, & quanta ſit, & de quibus beneficiis ſolvatur.*
10 *Annata Boniſaciana quæ.*
11 *Commune ſervitium quid ſit.*
12 *Minuta ſervitia quæ.*
13 *Quindennium quid ſit.*
14 *Annatarum origo, & antiquitas, & num. ſeq.*
15 *Damaſi Papæ teſtimonium de annatis.*
16 *Conſuetudo Eccleſiæ Romanæ prævalet authoritati cuiuſcumque Doctoris.*
17 *Annatarum iuſtitia deducitur ex iure divino, & naturali, & num. ſeqq.*
18 *Decimarum decima ſummo Sacerdoti in lege veteri ex præcepto divino à Levitis præſtabantur.*
Annata ſolvitur Papæ loco decimarum, ibidem & num. 25.
19 *Papa in quibus præcellat Pontificem legis veteris.*
20 *Ioannis Andreæ propoſitio in Concilio Vienneſi de vigeſima redditum totius Orbis à Clericis perſolvenda pro ſuſtentatione Papæ, & Cardinalium, & num. 75.*
21 *Decimæ debentur iure divino omnibus curam animarum habentibus.*
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.
22 *Parochus fundat intentionem de iure communi ſuper decimis, & Epiſcopus ſuper quarta decimarum.*
23 *Papa conſtitutus eſt Paſtor totius gregis dominici, & num. ſeqq.*
24 *Sacerdotibus debentur ſtipendia laboris iure divino, naturalique.*
25 *Decimæ Papales exiguntur pro ingruentibus Eccleſiæ neceſſitatibus, nec ſunt perpetuæ.*
26 *Eccleſia eſt unum corpus myſticum in multa membra diffuſum inſtar corporis humani.*
27 *Capite langueſcente cætera membra quoque inficiuntur.*
28 *Eccleſiæ omnes prodierunt ex utero Eccleſiæ Romanæ.*
29 *Papa eſt ſponſus univerſalis Eccleſiæ, & Pater Patrum.*
30 *Pater poteſt cogere filios ad præſtanda ſibi alimenta ipſos etiam vendendo.*
31 *Filiæ tenentur alere matrem inopem iure naturæ.*
32 *Patri ſpirituali non minus obſequi debemus, quàm carnali.*
33 *Eccleſiæ omnes mundi Romanæ ſubſunt Eccleſiæ.*
34 *Et quidquid habent in peculio, habent ſeparatum quodammodo à rationibus Dominicis Domini permiſſu.*
35 *Eccleſia Romana cùm aliquid percipit ab Eccleſiis inferioribus, nihil novi acquirit, ſed retinet quod ſuum eſt.*
36 *Subſidium charitativum debetur Epiſcopo indigenti ab omnibus Eccleſiis ſuæ diœceſis.*
37 *Et contraria præſcriptio non valet.*
38 *Papæ neceſſitatibus tenentur Eccleſiæ omnes ſubvenire ſi requirantur.*
39 *Papa poteſt collectare Eccleſias totius Orbis.*
40 *Princeps ſæcularis poteſt ſubditis ſubſidium imponere etiam ſine cauſa.*
41 *Annatarum iuſtitia fulcitur iure gentium.*
Item iure Eccleſiaſtico, num. 45.
Item iure civili, num. 47.
42 *Sacerdotes Gentilium in ingreſſu Sacerdotii me-*

diam partem redditnum ſummo Sacerdoti adminiſtrabant.

44 *Martinus V. decretum de annatis Papæ ſolvendis approbante Concilio Conſtantienſi.*

45 *Fructus beneficiorum vacantium ut Epiſcopo, vel alteri ex iuſta cauſa ſint reſervati, introduci poteſt privilegio, conſuetudine, vel ſtatuto.*

46 *Romanam Eccleſiam excuſat neceſſitas, cùm non poſſit de ſuo omnibus providere.*

47 *Tributa ſolvuntur Principi ex publico in recognitionem univerſalis dominii.*

48 *Et ſunt impræſcriptibilia.*

49 *Salarium debetur ex publico cuilibet iudici Ordinario.*

50 *Papa dicitur Princeps Principum, & Dominus Dominantium.*

51 *Item iudex omnium mortalium, & ordinarius ſingulorum.*

52 *Spiritualia ſine corporalibus diu eſſe non poſſunt.*

53 *Annata temporis diuturnitate ex voluntariis factæ ſunt neceſſaria.*

54 *Actus, qui ſonat in vitium, & in non vitium, in dubio interpretari debet in non vitium.*

55 *Conſuetudo præſumitur habuiſſe bonum initium.*

56 *Eleemoſynarum uſus an habeat locum inter clericum, & clericum.*

57 *Papæ quod datur, Petri Sacrario datur.*

58 *Baſileenſis Concilii decretum contra annatas refertur. Refellitur.*

59 *Petri de Monte Epiſcopi Brixienſis oratio pro annatis ad Regem Angliæ, ibidem.*

60 *Angli ante ſubtractionem obedientiæ ſolvebant Romanæ Eccleſiæ communia, & minuta ſervitia, non autem annatam Bonifacianam, & cur.*

61 *Denarii S. Petri quid ſint.*

62 *Pragmatica ſanctio uti ſchiſmatica à Rege, & Parlamento Franciæ, & Lateranenſi Concilio abrogata eſt.*

63 *Gloſſatoris Pragmaticæ ſanctionis invectiva contra annatas retunditur.*

64 *Annalia, & vacantia differunt ab annatis.*

65 *Conſuetudo, ſecundum quam Canonici dant aliquid in ſua receptione, an valeat, & num. 81.*

66 *Annata eſt onus impoſitum fructibus beneficii, non autem beneficiato, & num. 81.*

67 *Conſuetudo Normandiæ, & diœceſis Pariſienſis exigendi annalia pro diporto, an ſit reprobata.*

68 *Annatarum ſolutioni nulla ineſſe poteſt licitationis ſuſpicio & cur.*

69 *Annata pro Eccleſiis Conſiſtorialibus tertiam partem fructuum, & pro inferioribus dimidiam veri valoris non excedit.*

70 *Fructus beneficiorum à communiter accidentibus præſumuntur potius aucti, quam diminuti.*

71 *Valor beneficii intelligitur deductis omnibus expenſis, & oneribus conſuetis.*

72 *Valor beneficiorum Galliæ qualiter in litteris ſit exprimendus.*

73 *Communia, & minuta ſervitia pro Epiſcopatibus, & monaſteriis Galliæ in patria reductis, ſextam partem veri valoris non excedunt, & num. 75.*

74 *Eccleſiæ, & monaſteria in patria reducta quæ dicantur.*

76 *Viennenſe Concilium quid egerit circa annatas, & vigeſimam fructuum.*

77 *Ioannis Gerſonis ſententia de annatis, & num. 97.*

78 *Annata non eſt pretium beneficii, aut collationis, ſed fructuum, qui debentur Cameræ Apoſtolicæ, & num. ſeqq. uſque ad num. 99. maxime num. 83.*

79 *Fructus beneficii an, & quando vendi poſſint ſine labe ſimoniæ.*

80 *Intellectus* cap. Res Eccleſiæ, & cap. Si quis objecerit, 1. quæſt. 3.

81 *Conſuetudo ut dimidia fructuum primi anni præſtimoniorum vacantium cedat in utilitatem menſæ Capitularis, non eſt ſublata à Concilio Trident.*

82 *Pactum ut receptus ſolvat penſionem collatori debitam, non eſt ſimoniacum.*

83 *Annata ſolvitur non in actu proviſionis beneficii, ſed expeditionis litterarum, quæ multoties non expediuntur.*

84 *Gratia ex ſola ſignatura ſupplicationis perficitur.*

85 *Bullarum expeditio non requiritur ad gratiæ perfectionem, ſed tantum ad illius probationem.*

86 *Bullæ non ſunt producendæ niſi ubi agitur de canonizanda gratia.*

87 *Annata, & ſervitia pro beneficiis bis, vel pluries eodem anno vacantibus non ſolvuntur niſi ſemel.*

88 *Litteræ gratis relaxantur proviſis, qui poſſeſſionem beneficii ſtatim non ſunt habituri facta obligatione de ſolvendo annatam cum fructus percipient.*

89 *Aliquando tamen ex cauſa fit ſolutio habita, vel non habita poſſeſſione.*

90 *Litteræ ſub obligatione de ſolvendo relaxantur habentibus gratiam conditionalem de certo corpore beneficii, vel puram, ſi fructus ſint alteri reſervati.*

91 *Annata minuitur pro rata reſervationis fructuum.*

92 *Annata non ſolvitur pro expectativis, reſervationibus, & aliis gratiis ad incerta beneficiorum corpora.*

93 *Nec pro beneficiis compermutatis, antiquorum valor 24. ducatos non excedit.*

94 *Annata aut communia, & minuta ſervitia non ſolvuntur ex diſtributionibus quotidianis, cuiuſcumque ſint valoris.*

95 *Diſtributiones quotidianæ non veniunt appellatione fructuum.*

96 *Nec comprehenduntur in regulis de valore.*

97 *Simoniam non inducit datio mutua ſpiritualium, & temporalium, niſi actus ſint correſpectivi, & unus cauſetur ab alio.*

98 *Papæ, & Cardinalium ſtatus ex Gerſonis ſententia modum, & quotam ſubventionis præſcribere, etiamſi aliunde ſit dotatus.*

99 *Duareni ſententia de annatis refellitur.*

P*Rætereà.* Qui pecuniam dat ut Epiſcopalem, vel 1
aliam iuriſdictionem ſpiritualem exerceat, officio privatur; & ſic conſerens illud amplius conferre non poterit, & canonicè punietur. Hoc dicit cum cap. ſequen. Et primo ponit exceſſum, quem ſecundò punit ibi, *Præſenti.*

Nota ex hac Decretali juriſdictionem Epiſcopalem eſſe 2
quid ſpirituale; & propterea pretio conferri non poſſe ſine labe ſimoniæ, prout hic notant Hoſtienſ. *num. 6. verſ. Quinimo*, Jo. Andr. *num. 3.* Cardin. *num. 2.* Butr. Abb. & Marian. Socin. *omnes in primo notabili*: & dicam plenius in cap. ſequen.

Quærunt hic Doctores, & præſertim Hoſtien. *n. 3. verſ.* 3
Et ideo dicunt, & Henrich. Boich. *in princ.* Utrum in Curia Romana committatur ſimonia: & quæſtionem ſolvunt hac diſtinctione. Aut agitur de his, quæ ſunt ſimoniaca, quia prohibita, hoc eſt ex Conſtitutione Canonica, ut vendere, vel emere Eccleſiaſtica beneficia; aut de his, quæ ſunt prohibita, quia ſimoniaca, ut vendere vel emere Sacramenta. In primo caſu ſimonia non committitur, dummodo fiat principe authorizante, & ſciente, ut patet in eo, quod legitur, & notatur in *cap. fin. ſupra tit. proximo, in c. Propoſuit, de conceſſ. præben. in cap. A nobis, de decim. & in c. Non debet, de conſang. & affinit.* nam Conſtitutio ſuper tali ſimonia non ligat promulgantem, *l. Princeps, ff. de legib.* unde nec ſimonia laicalis, id eſt, lex Julia de ambitu, habet locum in Urbe, ut *in l. Unica in princip. C. ad l. Iuliam de ambitu*: verùm etſi hoc caſu ſimonia non committatur, infamia tamen non tollitur, ut *l. 3. C. de generali abolit.* ſed & ſpecies mali, & turpe lucrum eſt, & ideò vitandum ſecundum Apoſtolum, ut in *cap. Audivimus, ſupra, tit. prox. & cap. Cum ab omni, ſupra de vit. & honeſt. cleric.* a quo ſaltem propter exemplum deberet Curia præ cæteris abſtinere, ut legitur, & notatur in *cap. In cauſis, ſupra de re iudic. & cap. Magnæ, §. 1. de voto*: ſed ſi non fiat authore Principe, & ſciente, tunc ſimonia in Curia committitur, ſicut & alibi. In ſecundo autem caſu, 4
id eſt, cùm agitur de his, quæ ſunt prohibita, quia ſimoniaca, committitur ſimonia etiam in Curia, nec poſſet Papa ſuper hoc diſpenſare: eamdem diſtinctionem ponit gloſſa *in cap. Cum pridem in verb. Illicitæ pactionis ſupra de pactis*, Innocent. *in cap. Tua nos, in verb. Culpabiles, ſupra tit. prox.* Joann. Andr. & DD. *in cap. 1. & cap. final eodem tit.* & ita communiter diſtinguere Legiſtas, & famoſiores Canoniſtas, imò & Theologos, teſtantur in

cap.

Digitized by Google

cap. Latorem, 1. *quæſt.* 1. Turrecrem. *n.* 5. & Præpoſ. *n.* 12. *verſ. in oppoſitum*.

5 Cæterùm adverte, quia etſi hæc diſtinctio in ſe vera ſit, & ferè omnium conſenſu approbata, ut dixi in *d. cap. Cum pridem*, *in* 1. *quæſt. ſupra de pact.* valde tamen controverſum eſt: an vendere titulum beneficii Eccleſiaſtici ſit ſimoniacum, quia prohibitum, prout hic exemplificat Henrich. Boich. *in principio*, Cardin. *in d. cap.* 1. *num.* 2. *ſupra tit. prox.* & ante eos Hoſtien. *in cap. Ex parte il primo*, *de offic. deleg. num.* 5. ibi: [Quædam verò hodie judicantur ſimoniaca, quia vendi prohibentur, quæ tamen in veteri Teſtamento nec ſimoniaca, nec prohibita inveniebantur, ſicut eſt vendere beneficia.] Oppoſitum enim cenſent Theologi ferè omnes, & multi etiam ex Canoniſtis; unde circa hoc vide, quod ſcripſi in prædicta Decretali *Cùm pridem*, ubi hanc materiam latiſſimè examinavi, per quatuor quæſtiones principales *à num.* 30. *uſque in fin.* Quoniam verò in ſecunda, & tertia quæſtione ibi ſequuti ſumus opinionem Durandi, Petri de Palude, Turrecrem. & Cajetani, exiſtimantium vendere titulum beneficii, etiam ſimplicis, eſſe prohibitum, quia ſimoniacum; & ideò eſſe poſſibile, ut in his etiam Papa ſimoniæ crimine involvatur: ne inde quis anſam arripiat, exiſtimandi à nobis improbatas fuiſſe annatarum exactiones, quæ fiunt in Curia; operæ pretium duximus de his peculiarem diſputationem ſubnectere.

6 QUÆRO igitur utrùm annatæ in Curia Romana exigantur licitè, & ſine labe ſimoniæ.

7 Adverſus annatarum exactiones non tantùm debacchantur hæretici proteſtantes, ut refert Paul. Griſald. *in deciſ. fid. Cath. in ver. Annata*. Sed multi etiam ex Catholicis ſcripſerunt, ut inferius patebit: ſed quod magis in admirationem, ne dicam ſcandalum rapit, Patres quoque Baſileæ, pro celebranda generali Synodo congregati, hac de re deteſtabile decretum, quaſi hoſtiliter promulgarunt, ut patebit infra n. 38.

8 Ad evidentiam præmittendum eſt, annatas ſic nuncupari, quia omnes debentur ex fructibus primi anni beneficiorum vacantium: atque ita annata eſt nomen generis:
9 quod in plures ſpecies dividitur. Quarum prima eſt annata propriè ſumpta; & hoc modo aſſumit nomen ſpeciei, ſicut de arrogatione, & adoptione dicitur in *l.* 3. *ff. de iuriſdict. omn. iudic. & in l.* 1. *ff de adoption.* & de beneficio, & privilegio notant Joan. Andr. Abb. & DD. *in cap. Olim*, & ibi dixi *num.* 4. *&* 5. *infra de verborum ſignificatione*. Secunda ſpecies commune ſervitium nuncupatur. Tertia dicitur minuta ſervitia. Quarta quæ ſolo accidenti ab aliis differt, quindennium appellatur.

Annata ſolvitur pro omnibus beneficiis inferioribus, præter Epiſcopatus & Abbatias Conſiſtoriales: & eſt dimidia pars veri annui valoris fructuum beneficii vacantis, & hæc integrè Summo ipſi Pontifici relinquitur.

10 Hodie autem annata hujuſmodi dicitur Bonifaciana, eò quia forma exactionis, qua Curia utitur ortum duxit à Bonifacio IX. antea enim per Pontifices exigebantur, mediantibus eorum Commiſſariis, fructus integri unius anni per triennium, tertia pars quolibet anno, reliquis duabus tertiis partibus proviſo relictis. Sed Bonifacius ut conſuleret ipſis proviſis, & obviam iret extorſionibus, quæ per Commiſſarios committebantur, reduxit annatæ ſolutionem ad medietatem valoris annui fructus, cum onere tamen, ut proviſus anticipatè de propriis pecuniis in relaxatione ſuarum literarum eam ſolveret. Et propterea in ipſa relaxatione ſupplicationis fiebat obligatio in Camera de illam ſolvendo; & ſic litteræ in totum expediebantur quæ retentæ in Camera Apoſtolica relaxabantur, mediante quietantia Theſaurarii. Atque hinc patet non ideo talem dictam eſſe annatam, quod complectatur omnes anni fructus; ſed vel quia, ut dictum eſt, ſolvitur ratione fructuum primi anni; vel quia dicta annata per Bonifacium IX. introducta, ſucceſſit in locum reſervationis, quam antea Pontifices facere conſueverant pro ſuis, & Roman. Eccleſiæ neceſſitatibus de omnibus fructibus, & proventibus unius anni beneficiorum ad tempus vacantium; vel quæ exinde uſque ad triennium, aut quinquennium, vel aliud tempus in certis deſignatis provinciis vacarent: quos quidem fructus pro ſe, & Camera Apoſtolica Romani Pontifices per ſuos Collectores percipiebant.

Cujuſmodi exemplum eſt in Extravag. Joannis XXII. quæ incipit, *Cum nonnullæ*, *la prima inter communes ſub tit. de præben.*

Commune ſervitium, eſt quantitas certa pro quolibet 11
Epiſcopatu, vel Abbatia conſiſtoriali ſecundum antiquam taxam ſolvenda, quam aliàs moderatus eſt Joannes XXII. in præcitata Extravag. *Cum nonnullæ*. Et hæc propterea ſervitium dicitur, quia juxta vulgare Italicumque quælibet datio nuncupatur ſervitium, ſive debita ſit, ſive non: ſicut in Hiſpania hoc ſervitii nomine appellantur contributiones illæ, quas faciunt Regna ad ſublevandas Regni neceſſitates.

Dicitur autem commune ſervitium, quia ejus dimidium tribuitur Papæ, reliquum S. Collegio Cardinalium, & inter ipſos Cardinales præſentes dividitur.

Minuta verò ſervitia ſunt quinque portiunculæ, quæ 12
ſecundum proportionem taxæ fructuum Epiſcopatus, vel Abbatiæ, inter certos Papæ miniſtros, & officiales diſtribuuntur: & appellantur minuta; tum quia ſunt minutæ partes annatæ, tum quia partiuntur inter minores miniſtros.

Quindennium denique dicitur ſpecialis quædam anna- 13
ta, quæ à prædictis differt nomine tantùm, & accidentali temporis præfinitione, quia de quindecim in quindecim annos, juxta Conſtitutionem Pauli II. abolitis aliis ſolutionum annatarum terminis uſque ad ſua tempora obſervatis, pro beneficiis perpetuò unitis, ſolvitur ab illis, in quorum favorem talia beneficia ſunt unita, ut in Extravag. *Decet Romanum*, quæ habetur in Bullar. *tom.* 1. *pag.* 330. & notat Galleſ. *in tractat. de annat. circa fin.* Card. Seraph. *deciſ.* 1410. *num.* 1. *& n.* 10. ubi de quindenniorum origine, & cauſa.

His præmiſſis, quàm juſtè, & rationabiliter in Roma- 14
na Curia exigantur annatæ, evidenter oſtenditur ex infraſcriptis.

Et primò hoc deducitur ex ipſa annatarum origine, & antiquitate: nam ut patet *Actor.* 4. Initio naſcentis Eccleſiæ multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum de his, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed tanta erat fidelium erga Dei Eccleſiam devotio, ut ad eam augendam, & locupletandam quotquot poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes pretia eorum, & quas res habebant, afferrent, & ponerent ante pedes Apoſtolorum, *c. Dilectiſſimis*, *c. Quia tua*, *c. Cui portio*, *& c. Certe*, 12. *quæſt.* 1. Sed poſtmodum fidelibus ab eo fervore declinantibus, itaut vix decimas divino jure debitas ſolverent Eccleſiæ, in qua miniſtrabantur Eccleſiaſtica Sacramenta; opus habuit Eccleſia, & Apoſtolica Sedes ad ſui ſuſtentationem, & onerum ſibi incumbentium ſupportationem, annatarum exactionem inſtituere, & ordinare, ut ſibi ſaltem à ſuis miniſtris ſervitium & adjutorium præſtaretur. Nam & ante illam formalem titulorum beneficialium inſtitutionem Eccleſiæ non ſolum Cathedrales, ſed etiam inferiores habebant reditus, ut patet in *c. Nulli*, 12. *quæſt.* 1. *& in c. Sacerdote*, 12. *quæſt.* 4. & declarant Abb. *in ſua quæſt.* 4. *col.* 18. *verſ. Secundum præſuppoſitum*, & Præpoſ. *in Summa*, 44. *diſt. num.* 4. *verſ. Tertium tempus*, Dixi in *cap. fin. ſupra de peculio cleric.*

Adeò autem antiqua eſt annatarum inſtitutio, ut de illius initio non extet memoria (quidquid aliqui ex recentioribus tam hæreticis, quàm Catholicis commenti fuerint de Joanne XXII.) tantum enim media illa annata, quæ Bonifaciana appellatur, ortum habuit à Bonifacio IX. ut dictum eſt ſupra *num.* 10. quæ tamen cùm ſubrogata fuerit loco fructuum primi anni vacationis beneficii, qui integrè ab antiquo, & immemorabili tempore Summo Pontifici reſervabantur; ipſa quoque antiqua, & immemorabilis reputari debet; cùm ſubrogatum ſapiat naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur, *cap. Eccleſia S. Mariæ*, *il ſecondo*, & ibi gloſ. 1. *ſupra ut lite pendent. c. Cum tu: in fin.* & ibi gloſſa *fin. infra de uſur.* gloſſ. & DD. *in l. Si eum*, *§. Qui iniuriarum*, *ff. Si quis caution.* Nec leve anti- 15
quitatis annatarum teſtimonium S. Damaſus, qui ſedit anno ſalutis 367. reliquit in ſua Chronica Summorum Pontificum. Ait enim: *Sicut Papa in ſui ordinatione contribuebat Imperatori, nec id vitio dabatur*; (& fortaſſe, id eſt, de quo fit mentio in *c. Agatho.* 61. *diſt. & in c. Tributum*, 23. *quæſt.* 8.) *ſic & ſuſcipientes modo ordinationes à Papa*

aliquid es perſolvunt tamquam in alterius ſus ſucceſſerit.
Et hinc plerique opinati ſunt ortum habuiſſe annatas,
licet revera Damaſus loquutus fuerit de annatis tam-
quam ab antiquo tempore provenientibus, & non de
novo ſuo tempore introductis, undè meritò annatas à
tempore Apoſtolorum inſtitutas fuiſſe defendit Card. Ca-
jetanus de auctoritate Papæ ad 14. [Nam pro Hieroſoly-
mitana, inquit, Eccleſia à reliquis ſolvebantur collectæ]
de quo latè Ecchius in ſuo Enchrid. quæ quidem antiqui-
tas perſpicuè etiam apparet primò ex ipſius Cameræ Apo-
ſtolicæ regiſtro; deinde ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 40.
die Sabbati 30. Octobris anno 1417. ubi fit mentio de
annatis, communibus ſervitiis, & minutis, *tom.* 3. *Con-
cil. part.* 2. *pag.* 937. tertiò ex Clem. *Quia regulares*, *§. præ-
miſſa, de ſupplend. negligen. prælator.* quartò ab Extrava-
gante Joannis XXII. *Suſcepti*, quintò ex Conſtitutione
Gregorii XII. ſuper reductione taxæ Eccleſiarum, & Mo-
naſteriorum Regni Franciæ, ubi de fructibus primi anni,
ſeu communibus, & minutis ſervitiis. Sextò ex Joan.
Andr. *in cap. Inter cætera*, *de offic. ordin.* ubi *num.* 13. refert
ad ſui inſtantiam actum fuiſſe in Concilio Viennenſi, ut
Curia reciperet vigeſimam redditituum clericorum totius
Orbis, & abſtineret à ſervitiis, & fructibus primi anni:
atque ita ſupponit jam tum in Eccleſia & ſic multo ante
tempora Joannis XXII. extitiſſe hanc conſuetudinem exi-
gendi annatas, & ſervitia. Septimò ex Felin. *in cap. Ex
parte*, *il primo*, *num.* 4. *verſ. Tertio reſpondetur*, *ſupra de
offic. deleg.* ubi teſtatur harum ſolutionum uſum adeò eſſe
diuturnum in Eccleſia, ut ignoretur illius principium; ac
demum omiſſis aliis ex Thoma Campeg *de inſtitutione an-
natarum*, & Antonius Maſſ. Galeſ. *de annat.*

Ex hac autem annatarum origine, & antiquitate oritur
efficax, & inconcuſſum fundamentum juſtitiæ harum exa-
16 ctionum, impium enim eſſet tot Sanctiſſimos Pontifices
injuſtitiæ & impietatis inſimulare, & conſuetudo Roma-
næ Eccleſiæ prævalet authoritati cujuſcumque Doctoris, ut
docet S. Thom. *in* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12.

17 Secundò principaliter juſtitia annatarum deducitur ex
iure divino, nam ut habetur *Num.* 18. *num.* 26. *&* 28. *Lo-
quutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Præcipe Levitis,
18 atque denuncia: Cum acceperitis à filiis Iſrael decimas, quas
dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id eſt deci-
mam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem pri-
mitivorum, tam de areis, quàm de torcularibus; & in uni-
verſis quorum accipitis primitias offerte Domino, & date
Aaron Sacerdoti.* Si igitur Sacerdoti ſummo, & Ponti-
fici legis veteris à minoribus Sacerdotibus & Levitis deci-
marum ſuarum decimæ ex divino præcepto ſolvebantur;
cur loco decimarum exigere non debeat annatas à reliquis
Eccleſiæ miniſtris Summus Sacerdos, & Pontifex legis
novæ? *cap. In cauſis*, *de re iudic. cap. Per venerabilem*,
§. Rationibus, *Qui filii ſint legitim.* maximè verò quia
ille Summus Sacerdos præerat regimini ſolius populi
Iſraelitici in concernentibus ſacrificia, & holocauſta, at
19 Romanus Pontifex præſidet regimini totius populi Chri-
ſtiani, Clement. *Paſtoralis*, *de re iudic.* Extravag. *Ex de-
bito*, *de elect.* inter communes; ejuſque miniſterium
ad multa plura, & majora extenditur, quàm eſſent ſacri-
ficia illa, & holocauſta. Unde B. Bernardus *de conſiderat.
lib.* 2. *cap.* 9. *ad Eugenium III.* verba faciens: *Tu*, inquit,
*es Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Epi-
ſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, tu gu-
bernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſe-
dech, Dignitate Aaron, &c.* Et paulò pòſt. *Habent illi
aſſignatos ſibi greges ſinguli ſingulos; tibi univerſos credidit
uni unus; nec modo ovium, ſed & paſtorum tu unus omnium
paſtor.* Hæc ille. Præterea Pontifex in lege veteri ul-
tra decimam illam partem decimarum à Levitis exa-
ctam, aliis quoque, iiſque maximis emolumentis ad-
juvabatur; cùm tamen Pontifex Romanus nihil, aut
parum accipiat præter hanc annatarum exactionem. Et
nihilominus ſi adhuc utriuſque emolumenta ad invicem
comparentur, illa quæ pro minori cauſa, & à pauciori
populo præſtabantur, reperientur eſſe moltò pinguiora,
quam hæc, quæ pro graviſſimo omnium labore, & ſo-
20 licitudine à toto Orbe terrarum exiguntur. Quapropter
in Concil. Viennenſi fuit propoſitum, licèt non reſolu-
tum, ut vigeſima pars redditiuum clericorum totius Or-
bis quotannis ſolveretur pro ſuſtentatione Papæ, & Car-
dinalium, ut refert Joan. Andr. *in cap. Inter cætera*, *n.* 13.
de offic. ordinar. Manifeſtum eſt enim annatam minimè
ſupplere prædictæ ſuſtentationi, cæteriſque neceſſitatibus
Sedis Apoſtolicæ: cùm præſertim floreni, qui ſolvuntur,
tertiam partem veri valoris fructuum non ſolum non exce-
dant, ſed nec attingant: & fructus beneficiorum, ſaltem ſu-
per quibus facta fuit taxa per Commiſſarios Joannis XXII.
potius adaucti, quàm diminuti fuerint.

Et confirmatur: nam omnibus curam animarum ha- 21
bentibus debentur decimæ jure divino, naturalique, ut
in cap. 16. *quæſt.* 7. *in cap.* 1. *de decim.* *& in cap. Cum ſecun-
dum*, *de præbend.* ſunt enim tributa egentium animarum,
cap. Decimæ, 16. *quæſt.* 1. *& cap. Tua nobis*, *de decim.* &
ſunt cibus in domo Domini: *Malach.* 3. *cap. Revertimini*,
16. *quæſt.* 1. *& cap. Decimas*, *quæſt.* 7. cùm debeant dari eis,
à quibus ſpiritualia recipiuntur, *cap. Eccleſias*, *§. His ita*
13. *quæſt.* 1. gloſſ. 2. *in cap. Quamvis*, *de decimis*, adeò ut 22
parochi de jure communi fundent intentionem ſuper deci-
mis percipiendis, *cap. Cum contingat*, *eodem tit.* & Epiſco-
pi ſuper quarta decimarum ab iiſdem parochis perſolven-
da, *cap. Conquerente*, *§. Nos autem*, *de offic. ordinar*, *cap. De
quarta*, *de præſcription. cap. De his*, ubi Gemin. *circa finem*,
10. *quæſt.* 1. Rota apud Cardinal. Seraph. *deciſ.* 1449. & ſæ-
pè alias. Quod cùm ita ſit, abſurdum planè eſſet ut Sum- 23
mus Pontifex, qui conſtitutus eſt paſtor totius gregis Do-
minici, *Ioannis* 21. *cap. Significaſti*, *de elect.* & omnium
Eccleſiarum curam, & ſolicitudinem gerit, *cap. Cum in-
ſtantia*, *de cenſibus*, ſaltem a ſuis miniſtris in tanti laboris
ſtipendium nihil exigeret, dicente Apoſtolo 1. *ad Corinth.*
9. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vi- 24
neam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, &
de lacte eius non manducat? Scriptum eſt enim; Non alli-
gabis os bovi trituranti.* Et infra: *Debet in ſpe qui arat ara-
re, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis
ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra
metamus?* Et paulo pòſt: *Neſcitis quoniam qui in Sacrario
operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt; & qui Altari deſer-
viunt, cum Altari participant.* Hæc ibi. Quod ſi de infe-
rioribus membris, & miniſtris Eccleſiæ conſtat Apoſtolo-
lum hoc dixiſſe, qui in partem ſolicitudinis ſunt vocati,
cap. Decreto, *& cap. ſequen.* 2. *quæſt.* 6. quantò magis de
Pontifice Maximo ejus Capite, cui credita eſt cura om-
nium fidelium? Clemen. *Paſtoralis*, *de re indic.* d. Extra-
vagan. *Unigenitus de pœnit. & remiſ.* Et cùm certum ſit 25
Summum Pontificem nullibi accipere decimas, quandoqui-
dem decimæ Papales imponuntur dumtaxat pro extraordi-
nariis, & ingruentibus Eccleſiæ neceſſitatibus, ut in *cap.
Cum ad liberandam*, *in parte deciſa*, *de cenſib.* nec in per-
petuum exiguntur, ut notat gloſſa in Clem. 2. *in verb. ad
tempus*, *eodem tit.* dicendum eſt hanc annatarum exactio-
nem fieri loco decimarum, ut plerique ſomma cum ratio-
ne cenſuerunt; ac proinde Summo Pontifici debitam eſſe
jure divino, & naturali.

Tertiò annatarum exactio juſtificatur itidem ex jure na- 26
turali; quoniam Eccleſia univerſalis eſt unum corpus mi-
ſticum in multa membra diviſum inſtar corporis humani,
cap. Novatianus, 7. *quæſt* 1. *cap. Loquitur Dominus*, 24.
quæſtion. 1. dicente Apoſtolo *ad Roman.* 12. *Multi unum
corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius
membra*, *cap. Singula*, 89. *diſtinct.* Hujus autem mi-
ſtici corporis caput eſt Romana Eccleſia; membra verò
Eccleſiæ inferiores per Orbem diffuſæ, ut in *d. cap. Loqui-
tur*, *& in cap. Non decet*, 12. *diſtinct.* Quemadmodum 27
autem in corpore humano ſingula membra debent jure na-
turæ capiti languenti opem ferre, ne alioquin capite lan-
gueſcente, ipſa quoque membra inficiantur, ut dicit tex-
tus in *cap. Merito*, 6. *quæſt.* 1. ita & miſtico Eccleſiæ corpo-
re Romanæ Eccleſiæ illius capiti languenti ob multiplices,
quibus aſſiduè premitur, neceſſitates, tenentur reliqua
membra, id eſt Eccleſiæ inferiores, conferre temporalia
ſubſidia. Et ſicut Romanus Pontifex univerſalis Eccleſiæ
præſul, & gubernator debet ad ſingula ejuſdem corporis
membra alimenta transfundere, ut formaliter inquit
Cardin. poſt Guliel. de Monte Laod. in Clem. *Quia con-
tingit. n.* 4. *de relig. domib.* ita viceverſa debent membra
ipſa caput alere, eique indigenti temporalibus quoque au-
xiliis ſubvenire, ut ratio æqualitatis juſtitiæ ſervetur, arg.
cap. 1. 16. *quæſt.* 7.

Quartò ex eodem jure deducitur annatarum juſtitia, 28
quia

quia titulos dignitatum, & quorumcumque beneficiorum
fundavit Romana Eccleſia, ut eſt textus in *cap. 1. & per
totam, 22. diſtinct. & in cap. Olim, 95. diſtinct.* Abb. *in
ſua quæſtione* 1. quæ incipit, *Epiſcopus & quidem Rector*,
col. 3. num. 4. verſ. Nam tituli beneficiales; latè Præpoſ. *in
ſumma num. 4. verſ. Quartum tempus, 44. diſtinct.* DD. in
cap. 1. de ſimonia: & propterea Eccleſia Romana dicitur
omnium Eccleſiarum Mater, quia ſcilicet Eccleſiæ omnes
ex illius utero prodierunt, *cap. 1. & 2. 12. diſtinct. cap. Du-
dum, 3. quæſt. 6.*
29 Hujus autem Eccleſiæ Sponſus eſt Romanus Præſul,
cap. Quoniam, de immunitat. Eccleſiar. qui propterea di-
citur Pater Patrum, ut notat gloſſa in proœm. *Clemen. in
verb. Papa:* ſed pater naturalis poteſt corripere filium ſi-
30 bi alimenta negantem, & ad ea præſtanda compellere,
*l. qui filios, Cod. quæ res pign. oblig. poſſeſſ. & l. 1. & 2. Cod.
de patr. qui fil. diſtrah.* ipſos etiam vendendo, ut ibi. Item fi-
31 liæ tenentur alere matrem inopem, *l. filiæ, Cod. de adopt.*
ubi Baldus dicit hoc ex ratione naturali debitum, Bart. in
32 *l. Seia, §. Caio, ff. de alim. & cibar. legat.* Ergo eadem ra-
tione pater ſpiritualis, quem non minus diligere debemus,
quam carnalem, *c. 1. & 2.* & ibi gloſ. *finalis 30. quæſt. 3.
c. Qualis condemnatio,* & ibi gloſ. *un. 2. q. 7.* & mater ſpiri-
tualis Eccleſia poterit à ſuis filiis ſpiritualibus, & Eccleſiis
inferioribus alimenta recipere, & conſequenter annatas
exigere, quas ut eſt notorium, Summus Pontifex accipit
pro ſui ſuſtentatione.
33 Quintò, idem ſuadetur, quia ut inquit Oldrad. *conſ. 172.
Quia omnes, num. 4. & conſ. 244. ad obiectus, num.* 8. cùm
omnes Eccleſiæ Mundi immediatè Romanæ ſubſint Eccle-
ſiæ, quia univerſalis omnium cura commiſſa fuit Petro,
cap. Puto, 2. q. 7. & cap. In novo, 21. diſtin. & in eas habeat
plenitudinē poteſtatis, *cap. Qui ſe ſcit, 2. q. 6. & c. Nunc verò,*
24 *9. q. 3.* Quidquid habent inferiores Eccleſiæ, quaſi in pecu-
lio habent ſeparatum quodammodo à rationibus Domini-
35 cis Domini permiſſu. Unde cùm Romana Eccleſia aliquid
percipit ab Eccleſiis inferioribus, nihil de novo acquirit,
ſed retinet quod ſuum eſt, ut notat gloſſ. *in cap. Volumus,
in verb. Eccleſia, 16. quæſt. 4.* valde eſt igitur rationabile, ut
illuc unde exierunt flumina, revertantur. Hæc Oldradus.
36 Sextò eadem naturali ratione omnes Eccleſiæ Diœceſis
tenentur ſolvere Epiſcopo indigenti charitativum ſubſi-
dium, *cap. Conquerente, de offic. ordin. c. Cum Apoſtolus,
§. Prohibemus, de Cenſibus,* Extravag. *Vas electionis, eodem
tit.* inter communes Feder. de Sen. *conſ. 224. in princ.* adeò
37 ut præſcriptio contra ſubſidium charitativum non valeat,
Rota *in antiq. deciſ. 3. quæ eſt ult. de cenſibus, aliàs 676.* Cur
ergo non liceat ſubſidium imponere Epiſcopo univerſalis
Eccleſiæ? *cap. Suſpectus, iuncta ſupraſcriptione, 3. quæſt. 5.*
38 *ad cap. fin. de dilat.* ubi patet Eccleſias omnes ubi Papæ
ſubiectas teneri illius neceſſitatibus ſubvenire, ſi requi-
rantur. Et ob hanc rationem Gemin. *conſil. 74. Attenta-*
39 *tis, num. 7. in fine, & num. 9.* concludit Papam poſſe ab
omnibus ſubſidium exigere, & collectare Eccleſias totius
Orbis; & idem reſpondit Raphael Fulgoſ. *conſ. 120. Suppo-*
40 *ſita Bulla.* Nec mirum, quia Princeps quoque ſæcularis
poteſt hujuſmodi ſubſidium imponere etiam ſine cauſa,
ut conſuluit Oldrad. *conſil. 104. Circa propoſitam,* quem
ſequitur gloſſ. Joan. Franciſci Pavini in dict. Extravag.
Vas electionis, §. Præmiſſis, in verb. Charitativum, ubi
alios allegat.
41 Septimò, juſtitia annatarum fulciri poteſt etiam jure
gentium: nam & Gentilitas hoc jure uſa eſt, cujus rei me-
morabile teſtimonium extat apud Joannem Grammat. ut
refert Ferdin. Corduben. *in ſuo tractatu de annatis* in illud
42 Ariſtot. 1. *Metaph.* Sacerdotum genus apud Ægyptios
vacare permiſſum eſt. Ait enim: [Ægyptii primi, de-
inde gentium omnium ſacerdotes fuerunt locupletes, præ-
ſertim ſacerdotes maximi: nam inferiores ſacerdotes in
ingreſſu ſacerdotii mediam partem reddituum ſummo ſa-
cerdoti miniſtrabant.] Sed & S. Thom. ſuper *Ioſue
cap. 21.* dixit apud omnes gentes obſervatum fuiſſe, ut qui
divino cultui intendunt, à populo ſuſtententur, aut ab iis,
qui curam gerunt univerſitatis. Quantò magis ergo Ro-
mano Pontifici, qui omnium Chriſtianorum curam ge-
rit, debentur à ſuis ſacerdotibus vitæ ſubſidia? Hac enim
ratione introductæ ſunt annatæ, & aliæ pleræque contri-
butiones.
43 Octavò, annatarum exactionem firmari lege poſitiva

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Eccleſiæ tam clarum eſt, ut probatione non egeat: nam
præter Extravagantes Joannis XXII. Bonifacii IX. Pii II.
Pauli II. Clementis VII. Julii III. Pauli IV. Pii V. & Sixti V.
hoc patet ex auctoritate Concilii Viennenſ. in quo ſecun-
dùm teſtimonium Joan. Andr. *in cap. Inter cætera, de offic.
ordinar.* quamvis actum fuerit de ſervitiis ipſis tollendis:
tamen prævaluit ſententia ut remanerent: idipſum col-
ligitur ex auctoritate Concilii Conſtantienſis. Nam *die
Sabbati 30. Octobris Anno Domini* 1417. *ſeſſion. 40.* ſub ti-
tulo Reformationis fiendæ per Papam unà cum Concilio
antequam Concilium diſſolvatur. Ponuntur decem, &
octo articuli, ſuper quibus facienda eſſet reformatio,
quorum tertius eſt de annatis, communibus ſervitiis, &
minutis; & undecimus de fructibus medii temporis. De-
inde Martino V. ad Pontificatum evecto *in ſeſſ. 43. habita
die 21. Martii tunc ſequentis anni* 1418. facta fuerunt de-
creta reformationis ſuper nonnullis ex dictis decem, &
octo articulis, & inter alios ſuper undecimo de fructibus
medii temporis in hæc verba, videlicet: *Fructus, &
proventus Eccleſiarum, Monaſteriorum, beneficiorum va-
cationis tempore obvenientes iuris, & conſuetudinis, vel
privilegiis diſpoſitioni relinquimus, illoſque nobis, vel
Apoſtolicæ Cameræ prohibemus applicari, tom. 3. Concilior.
part. 2. pagin. 942.* At verò de annatis, & communibus
ſervitiis, & minutis, quod erat tertium reformationis
caput nulla mentione habita, in fine ejuſdem *ſeſſion.* 43.
ſubnectitur ultimo loco infraſcriptum decretum, videli-
cet: *Martinus &c. Decernimus & declaramus Sacro ap-
probante Concilio per decreta, ſtatuta, & ordinata tam
lecta in præſenti ſeſſione, quàm concordata cum ſingulis na-
tionibus eiuſdem Concilii ſuper articulis contentis in decreto,
ſuper reformatione fienda Sabbati* 30. *Menſis Octobris
proximè præteriti promulgato fuiſſe, & eſſe iam ſatisfa-
ctum,* ut habetur in ſequenti *pag.* 943. Ex quibus verbis
clarè deducitur circa annatas, & ſervitia Concilium nil
novi ſtatuiſſe, ſed potiùs voluiſſe, ut in ſtatu priſtino re-
manerent; alioquin falſum eſſet quod dictum fuerat ſa-
tisfactum fuiſſe decreto ſuper reformatione facienda pro-
mulgato quod non eſt dicendum. Itaque Martinus Sacro 44
approbante Concilio decrevit & declaravit annatas Papæ
ſolvendas eſſe, ut pro tanto officio, labore, & dignitate
ſufficiens & condecens beneficium ex fructibus ſaltem in-
feriorum beneficiorum haberet.
Nonò eodem jure Eccleſiaſtico hoc ipſum confirmari 45
poteſt, quia ex privilegio Apoſtolico, conſuetudine, vel
ſtatuto induci poteſt ut fructus primi anni, imò & duo-
rum, vel plurium annorum fabricæ, Epiſcopo, vel alte-
ri cuipiam reſerventur. Idque etiam pro debitis Epiſcopi
perſolvendis, vel ex alia rationabili cauſa, prout ſunt ju-
ra aperta in *cap. Præſenti, de offic. ordin. lib. 6. in cap. Tua
nobis, ubi de biennio, infra de verborum ſignificat. in cap. Si
propter tua debita,* ubi de quinquennio, & ibi Joan. Andr.
& omnes notant, *de reſcript. in 6. in cap. Si tibi, de præ-
bend. eodem libr.* & in Extravag. Joann. XXII. *ſuſcepti*, ubi 46
hæc appellantur annalia; longè igitur magis ſummi Ponti-
fices potuerunt medios fructus primi anni ſibi reſervare
pro ſuis, & Eccleſiæ neceſſitatibus, Romanam quippe Ec-
cleſiam excuſat neceſſitas, cùm non poſſit de ſuo omnibus
providere; ut formaliter inquiunt Hoſtienſ. Joan. Andr.
in dict. c. Inter cætera, in gloſſ. *ult. de offic. ordinar.* Ac præ-
terea, ut inquit Thomas Campeg. *in eodem tractat. de
annatar. inſtitut. nu.* 13. Sicut omni caret reprehenſione,
ſi Pontifex dando uni beneficium, partem reddituum cle-
rico indigenti loco annuæ penſionis reſervet; ſic licebit
modeſtius agendo medietatem fructuum primi anni pro
indigentiis propriis retinere. Cùm præſertim penſio ſin-
gulis annis, annata autem primò dumtaxat, quo quis
recipit beneficium, debeatur. Et quia onus perpetuum
non eſt, non dicitur beneficium cum diminutione confer-
ri, contra diſpoſitionem *cap. 1. Vt Eccleſiaſt. benefic. ſine
diminutione confer.*
Decimò, civilis quoque authoritas juſtificat annata- 47
rum exactionem. Nam principi ſolvuntur tributa, &
ſtipendia ex publico in recognitionem univerſalis domi-
nii. Et propterea ſunt impræſcriptibilia, *l. Competit*, 48
Cod. de præſcript. trigint. annor. gloſ. *in l. Locatio, §. pen. in
ver. Præſtitum, in addition.* & ibi etiam Bartol. *ff. de Publi-
can. & vectigal.* Item debentur Principi ſtipendia hujuſmo-
di, quia ipſe tenetur conſervare juſtitiam in terra, ut inquit

Digitized by Google

S. Thomas in 2. 2. *quæſt. 62. art. 7.* Imò huic ſolutioni divinum quoque oracula præbent auctoritatem. Nam Phariſæis interrogantibus *Matth. 22. c. Quid culpatur*, 53. *quæſt.* 1. *Licet cenſum dare Cæſari, an non?* Reſpondit Dominus, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo.*
49 Rurſus cuilibet judici ordinario debetur ſtipendium, ſeu ſalarium ex publico, Authent. *Ut differ. judic.* §.
50 *final.* Cur ergo ex publico non debeantur ſtipendia Romano Pontifici, qui eſt Princeps principum, & dominus dominantium, ut eum appellat Baldus *conſ.* 388. *Si Princeps, lib.* 4. Princeps Epiſcoporum, ut B. Bernardus
51 inquit, loco ſuperius citato, Judex omnium mortalium, *cap. Si Papa, 40. diſtinct. cap. Facta ſubditorum, 9. quæſt. 3. cap. Per venerabilem, §. Rationibus, infra, Qui filii ſint legit.* Et Ordinarius ſingulorum, *cap. Cuncta per mundum, 9. quæſt. 3.* gloſſa *in cap. Cum nullus, in verb. In eadem, de temporib. ordinat. lib. 6.* Quippe in hoc fundatur ratio illa communis, videlicet, qui regendæ multitudi-
52 nis curam ſuſcipit, talibus debet adjumentis muniri, quibus onus regiminis valeat ſupportare. Cùmque ſpiritualia ſine corporalibus diu eſſe non poſſint, ſed unum alterius auxilio indigeat, *cap. Si quis obiecerit*, & ibi Archid. 1. *quæſt.* 3. Congruum, & neceſſarium eſt, ut ſpiritualia exercenti, corporalia quoque præſtentur auxilia. Alioquin ſummus Pontifex Eccleſiæ onera ſubire, ſuiſque, & publicis neceſſitatibus conſulere nequaquam poſſet ſine miraculo, uſque adeo fidelium Charitas refrixit.

53 Ultimò ex alio capite multi tuentur annatarum juſtitiam, nempe quia illarum ſolutiones ex temporis diuturnitate, & vetuſtiſſima conſuetudine, cujus initii non extat memoria, ex voluntariis factæ ſunt neceſſariæ, ut *in cap. Ad Apoſtolicam, infra de ſim.* Et cùm ignoremus unde ortum traxerint, an ſcilicet ex coactione, an ex liberalitate dantium; in hoc dubio prævalet præſumptio, quæ vitium excludit, *c. fin. de præſumpt.*

54 Actus enim qui ſonat in vitium, & in non vitium in dubio ſemper interpretari debet in non vitium, *l. Creditore, & l. Si ſocius, ff. de furt. l. Merito, ff. pro ſocio*, Bart. *in l. Non ſolum, §. Sed ut probari, num. 3. ff. de nov. op. nunc.* Roman. *conſ.* 113. *Pro deciſione, num. 1. Præſertim in Beatiſſimo Romano Pontifice, ut in §. Qui autem, 17. quæſt. 4.*
55 Unde conſuetudo præſumitur habuiſſe bonum initium: nam ex quo tanto tempore ſolverunt, præſumuntur ſe à principio voluntariè obligaſſe, ut inquit Innoc. *in d. c. Ad*
56 *Apoſtolicam, num. 1, verſ. Imo quia tanto tempore*, Nec obſtat quod inter clericum, & clericum ceſſet pius uſus eleemoſynæ, ut not. *in c. Cum M. Ferrarien. de Conſtitut.* & per Joan. de Anan. *in c. Iacobus, de ſimonia*. Etenim illud procedit ubi datur clerico æquali.

57 At quod datur ſummo Pontifici, datur Sacrario Petri, & prodeſt danti tamquam facienti opus piiſſimum. Ita in terminis arguit, & concludit Felin. *in c. Ex parte, il primo, num. 1. verſ. Tertio reſpondetur, de offic. deleg.* Quæ tamen ratiocinatio non placet, quia nulla deformitas, aut vitium etiam à principio conſiderari potuit in exactione annatarum; ſed omni tempore fuerunt exactæ ex debito divini, & humani juris, ut in ſuperioribus monſtratum eſt.

58 Supereſt nunc reſpondere ad ea, quæ ex adverſo objiciuntur.

Primò enim contra annatas opponitur decretum illud Concil. Baſileenſis, quo 9. *Julii* 1435. *ſeſſ.* 21. & ſic ante Concilii diſſolutionem in *tit. de annat. tom. 4. part. 1. pag.* 53. ſtatutum eſt in hæc verba; *Sacroſancta generalis Synodus, &c.* Statuit quod tam in Curia Romana, quàm alibi pro, ſeu in confirmationibus electionum, admiſſionum, poſtulationum, præſentationum, proviſione, collatione, diſpenſatione, electione, poſtulatione, præſentatione etiam à laicis facienda, inſtitutione, inſtallatione, & inveſtitura de Eccleſiis etiam Cathedralibus, & metropolitanis, monaſteriis, dignitatibus, beneficiis, officiiſque Eccleſiaſticis quibuſcumque, necnon Ordinibus ſacris, & benedictione, ac pallio, de cætero nihil penitus ante, vel poſt exigatur ratione litterarum, Bullæ, Sigilli, annatarum, communium, & minutorum ſervitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut ſub quocumque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cujuſvis conſuetudinis, privilegii, vel ſtatuti, aut alia quavis cauſa, vel occaſione directè, vel indirectè; ſolum Scriptoribus, Abbreviatoribuſque, Regiſtratoribus litterarum, ſeu minutarum pro ipſorum labore competenti ſalario ſolvendo. Huic autem ſacro Canoni ſi quis exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, pœnam incurrat adverſus ſimoniacos inflictam, & in ipſis dignitatibus, ac beneficiis taliter obtentis nullum jus, ac titulum acquirat. Etſi quod abſit, Romanus Pontifex, qui præ cæteris univerſalium Conciliorum exequi, & cuſtodire Canones debet, adverſus hanc ſanctionem aliquid faciendo Eccleſiam ſcandalizet, generali Concilio deferatur.

Ad hanc oppoſitionem nulla ſolutio aptior; & efficacior afferri poteſt, quàm quæ deſumitur ex verbis egregiæ illius Orationis, quam de annatis habuit Petrus de 59
Monte celebris Juriſconſultus Brixienſis Epiſcopus, ab Eugenio IV. Legatus miſſus ad Henricum VI. Angliæ Regem: ſic enim habent. *Ad ea vero, quæ proximis diebus in ipſa Synodo geſta ſunt, veniamus; quæ ſanè talia ſunt, ut maximam mereantur reprehenſionem, nec ulla ratione ſine gravi divinæ Maieſtatis offenſa valent tolerari. Hi enim qui Pontificem Maximum virum utique ſanctum, quietum, & pacificum capitali odio proſequuntur, poſteaquam temporali eum patrimonio ſpoliatum intellexerunt, ſpirituali quoque ſubſidio ſpoliare cogitarunt, ut ſic omni prorſus auxilio deſtitutus dignitatem ſummi Apoſtolatus tueri nequaquam poſſet. Plebem itaque illam ſynodalem, quæ ſemper novis rebus ſolet gaudere, malis quibuſdam artibus quas pudor vetat referre facilè induxerunt, ut vacantium beneficiorum fructus quos uſitatiori vocabulo annatas dicunt, ſummo Pontifici lege interdicerentur. Fautoribus itaque, & clamoris inſanientis vulgi ea lex lata eſt, qua & Pontifici talium fructuum receptio, & iis quibus beneficia conferuntur, ſolutio veluti ſimoniaca prohibetur. Huic autem legi ferendæ, etſi multi venerabiles Patres, magnæque auctoritatis viri contradixerint, manifeſtum in ea Sedis Apoſtolicæ, & Vicarii Chriſti depreſſionem contineri dicentes; Prævaluit tamen indiſcreta multitudinis non tam auctoritas, quàm voluntas, quæ ad tantam temeritatem eo erat audacior, quo potentium quorumdam ſtimulis agitabatur; quid hac lege perniciosius? quid deteſtabilius? quid ab omni humanitate, atque honeſtate remotius? quænam, bone Ieſu, eſt hæc ſynodalis reformatio: Summum Pontificem omni ſpirituali ac temporali auxilio privare, eumque uti mendicum quemdam hominem conſtituere, qui nec ſuis, nec Eccleſiæ neceſſitatibus poſſit nullatenus providere? & quamquam huius legis iniquitas (ſi tamen lex dicenda eſt) ſatis per ſeipſam appareat; conabor tamen id paucis oſtendere, quibus breviter explicitis perorabo. Debet lex ut à maioribus noſtris traditum eſt, eſſe honeſta; iuſta, poſſibilis, ſecundum naturam, & patriæ conſuetudinem, loco, ac tempori denique conveniens, utilis demum, ac neceſſaria. Quid horum, quæſo in hac lege poteſt inveniri, diſcurramus per ſingula. Magnam in primis continet turpitudinem. Nonne turpe, & indecens eſt Sedis Apoſtolicæ privilegia, & dignitates evertere, & quem Dominus Principem univerſæ Eccleſiæ conſtituit, adverſus hunc moliri inſidias, hunc exinanire, debilitare, huic Eccleſiaſticos redditus, qui ad ſupportanda onera regiminis ſunt deputati, impiè, atque inhumanè ſubtrahere? Iniuſtitiam vero huius legis quis non videt? nonne iniuſtum, & iniquum eſt, ut qui plantat vineam, fructus eius commoditate privetur? & qui paſcit gregem, de lactis dulcedine non veſcatur? &c.* (& iis ſimilia, quæ ſuprà commemoravimus num. 24.) *quantum verò ab Eccleſiæ conſuetudine diſcrepet, facilè diſcerni poteſt. Ea ſiquidem à tot præclaris Pontificibus, ac ſanctis patribus obſervata ſine magna, & rationabili cauſa violari non debuit.* Et paulò poſt dicit: *loco verè ac tempori nullatenus convenit; nam pro tempore, quo legem illam ediderunt, omni dominio temporali erat ſummus Pontifex tyrannorum potentia ſpoliatus, à propria Sede vi, & rebellione ſubditorum expulſus, eius pretioſa ſuppellex vulgi prædæ expoſita, omnia eius ornamenta direpta, adeo ut non ſummi Pontificis ornatu, ſed abiecti Monachi veſtitu urbem reliquerit, ac demum inſignem Italiæ urbem Florentiam ſolus, profuguſque intraverit. Quæ quidem ſi legis huius latores piè, ac reverenter conſideraſſent, non ſolum hoc temporali auxilio non privaſſent; ſed ſi nunquam antea id exigere licuiſſet, pro neceſſitate rerum, ac temporis eam exactionem inſtituere debuiſſent.* Et paulò poſt: *nullam in ſe continet dicta lex utilitatem, nullam prorſus neceſſitatem.*

Debuit

Digitized by Google

Debuit ſiquidem res tam gravis, tam ardua ſæpiùs diſcuti, crebrò ventilari, & tandem magna animi maturitate, ſapientiaque concludi, debuit colendiſſimorum Patrum voluntas inquiri; debuit omnium nationum conſenſus adhiberi; doctiſſimorum hominum quoque vota ſcrutari; eorumque præſertim, qui Deum præ oculis habentes, zelo juſtitiæ, non deſiderio, vindicta duci viderentur: qui ſi auditi eſſent, numquam tam nefanda rei conſenſiſſent. Honorarunt, Chriſtianiſſime Princeps, ſuperiorum temporum Concilia mirum in modum Apoſtolicam Sedem, & Chriſti Vicarium illi præſidentem; nec uſquam ejus Primatum, dignitatem, ac privilegia attingere, nedum violare præſumpſerunt. Cùm enim ſcirent ſancti Patres ſynodaliter convenientes ſine auctoritate ſummi Pontificis ſynodum generalem non poſſe convenire, ipſa quoque Concilia robur, auctoritatem, & firmitatem ab illo accipere: ſacrilegium, ac penè hæreticum eſſe judicarunt, ſi unum in locum convenientes aliquid adverſus illum agerent, quem auctorem, & Principem ſuum divina voce agnoſcerent. Ab hoc Sanctorum Patrum laudabili more longè declinavit hæc Synodus; legat quicumque voluerit ejus canones, & decreta; animadverſas ejus actiones, & opera: perpauca certè inveniet ex zelo fidei, & charitatis fervore proceſſiſſe, aut ad utilitatem publicam emanaſſe; ſed omnia plena ſunt odii, diſſidii, & ambitionis; omnia nedum ad debilitationem, ſed ad ſubverſionem ſupremi capitis
60 *Eccleſiæ quorumdam machinationibus ordinata.* Hactenus verba Brixienſis, quæ quanti ponderis fuerint exitus ipſe probavit: nam Rex Angliæ illorum vi, ac rationum momentis permotus, nulla habita ratione illius decreti, permiſit ut in ſuo regno Eccleſiaſtici pergerent in ſolutione communis, & minutorum ſervitiorum, atque ut Regni incolæ præſtarent denarios S. Petri, mediam enim annatam Bonifacianam Angli numquam ſolverunt, quia illius loco ſatis viſum eſt Romanis Pontificibus habere hoc vectigal denariorum S. Petri, de quo ſit mentio in *cap. Audi-*
61 *tis, de præſcript. & in cap. Ex qua, de cenſib.* ubi gloſ. dicit hanc eſſe quandam præſtationem, quam Anglici faciunt Romanæ Eccleſiæ, & Hoſtien. *in princip.* [legitur, inquit, in Hiſtoria Anglicana quod Anglici devoverunt, & promiſerunt dare Eccleſiæ Romanæ quolibet anno certam penſionem; & vocatur hæc datio Viſitatio, ſive Denarii B. Petri.] Eſt autem tributum duorum denariorum, quod à ſingulis exactum domibus Adeulias, ſeu Edehvulphus Angliæ Rex Romam profectus ad Leonem IV. primus obtulit B. Petro, ut teſtantur Vincent. antiquiſſimus Chronographus *lib. 24. cap. 36.* & Joann. Nauclerus *in 29. generatione ſuæ Chronographiæ.* In cujus exactione perrexerunt Pontifices quouſque Henricus VIII. Clementi VII. ſubtraxit obedientiam. Itaque Angli injuſtum illud Baſileenſium decretum nunquam acceptarunt. Sed & Æneas Silvius poſteà Pius II. qui in minoribus agens Baſileenſi Synodo adhæſit, poſteà ad Pontificatum evectus poſthabito eodem decreto Conſtitutionem edidit contra detrectantes ſolvere annatas, quæ refertur in alia Conſtitutione Innocentii VIII. quæ incipit, *Apoſtolica*, in Bullar. *tom. 1. pag. 376.* Et de revocatione actorum Concilii Baſileenſis vide, quæ ſcripſi in *cap. Significaſti, ſupra de elect.*

62 Everſo autem, & conquaſſato fundamento decreti Baſileenſis de annatis, neceſſe eſt, ut ſimiliter corruat pragmatica ſanctio Gallicana ſuper illo exædificata, *cap. Cum Paulus, 1. quæſt. 1. cap. Veniens, de Presbyt. non baptiz.* Præterquamquod pragmatica illa ſanctio, utpotè Regni Franciæ corruptela ſchiſmaticis tempore Caroli VII. auctoritate à non habentibus poteſtatem cum maximo animarum periculo, & ſcandalo, dignitatiſque Apoſtolicæ detrimento, & vilipendio in Conciliabulo Bituricenſi promulgata anno Domini 1438. die 7. Julii à Ludovico XI. Francorum Rege tanquam ſchiſmatica abrogata, & abolita eſt, ut in litteris patentibus abolitionis relatis *tom. 4. Concil. par. 1. pag. 36.* Item à Parlamento Franciæ, ut in litteris caſſationis, quæ habentur *eodem tom. pag. 107.* Ac demum ab Eugenio IV. Nicolao V. Pio II. & Leone X. in Concilio Lateranenſi, ut in Conſtitutione, quæ incipit, *Paſtor æternus, edita 14. Kalen. Januarii 1516. in 11. ſeſſ.* ut patet *eod. tom. 4. pag. 38. & 120.* eamque Romani Pontifices non ſecus ac pernicioſam hæreſim execrati ſunt, ut habetur in notis ad Conciliabulum Bituricenſe, *eodem tom. pag. 410.*

Secundò, contra annatas apponuntur dicta cujuſdam 63
Coſmæ Guymier, qui gloſſavit pragmaticam ſanctionem: Hic enim *in tit. de annatis, in ver. Annatarum;* contra hujuſmodi exactiones invehit his verbis. [Annatarum ſic vulgariter dictarum, quia per annum emolumenta beneficiorum percipiebantur, & adhuc hodie percipiuntur in Curia Romana,] & alibi: Et de ipſis notatur in *Clem. Quia Regulares, §. Præmiſſa de ſupplen. neglig. Prælat.* & dicuntur annalia in Extrav. Jo. XXII. *Suſcepti, & vacantia, inf. eod. §. Item ex nunc,* & ante tempora Joan. XXII. rarò, vel numquam exigebantur. Sed ipſe Papa per Extravag. *Cum nonnulla:* in qua ſupponit aliam prius feciſſe, & ſe refert, aſſerit fructus primi anni Eccleſiarum Cathedralium vacantium ad triennium in aliquibus Orbis partibus pro neceſſitatibus Romanæ Eccleſiæ ſuæ Cameræ reſervaſſe. Sed quod temporaliter ab aliquibus Eccleſiis duntaxat pro neceſſitate temporis ab eo exactum fuit, in perpetuum, & ad omnes Eccleſias poſteà à Bonifacio IX. qui primus indifferenter eccleſiaſticis beneficiis annatarum uſum impoſuit, extenſum eſt contra totius divini, & humani juris diſpoſitionem, *1. qu. 1. & quæſt. 3. per totum,* & in juribus ſupra allegatis. *Nonne ſcriptum eſt, Neminem concutiatis, & cap. 24. quæſt. 1. militare. Et quod gratis accepiſtis, gratis date;* numquid Simon Magus cùm gratiam Spiritus ſancti emere vellet, damnationis ſuæ ſententiam à Petro audivit, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, 1. quæſt. 1.* Qui ſtudet. Et qui ſunt illi, qui dant, & recipiunt annatas, niſi ementes, & vendentes in Templo, quos Chriſtus ab illo ejecit, *1. quæſt. 1.* Vides etiam ex eventu ſolo damnandæ ſunt: nam ex hoc indigni, & qui plus pecuniarum habent promoventur. Et dignus eſt Prælatura, cui non actionis meritum, ſed copiarum præmia ſuffragantur. Unde reſtat ut nihil ſibi in eccleſiaſticis honoribus gravitas nihil ſibi defendat induſtria, ſed totum auri prophanus amor obtineat, *quæſt. 1.* Fertur, *l. Si quemquam, C. de Epiſc. & Cler.* pro ſolutione annualium plerumque mobilia etiam pretioſa Eccleſiarum venduntur, parentes promotorum pecuniis exhauſtis deſtruuntur; materia exigendi à ſubditis paratur, ut quotidie videmus promotos à ſubditis ſub velamento jucundi adventus, quem triſtem & mœſtum potiùs dixerim, exigere. Unde boni Prophetæ olim munera prophetiæ non accipiebant, ſed ſtipes tabernaculi. Mali autem, qui accipiebant prophetia, quæ donum Dei erat, in divinationem, quæ diabolica eſt convertebatur: quid aliud colligitur, niſi ut ait Hieron. *Idcircò propter vos Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem in cuſtodia Pomeris erit, 1. quæſt. 1. Judices.* Et dicit Joann. Andr. in *cap. Inter cætera, de offic. Ordinar.* Quod optaret, quod Curia Romana reciperet vigeſimam partem fructuum clericorum totius orbis ad ſuſtentationem Papæ, & Cardinalium; & nihil exigi, vel recipi poſſet pro communibus ſervitiis, & fructibus primi anni, quos recipit à Prælatis, quos promovet, exceptis ſalariis laborantium, puta ſcriptorum, & ſimilium; & tunc provideret Legatis, & Nunciis quos mittit, de prædicta quota, & abſtineret ab annatis, exactione decimarum, & ſimilium. Et quod de hoc fuit factus ſermo in Concilio Vienoenſi. Sed deliberaverunt Prælati ibidem exiſtentes non facere. Et fortè benè, ut dicit Joan Andr. quia tanta viget inſatiabilis cupiditas, quod ſi hoc fieret, & illud, & illa perciperent.

Sed quantum hic vir Sedi Apoſtolicæ, & ſupremæ Romani Pontificis dignitati invideret ſuis dictis, ſeu potiùs maledictis clarè patefecit. Ructavit enim venenum, quod hauſerat ex Conciliabulo Bituricenſi, & ut gratiam aucuparetur Prælatorum Galliæ, qui contra annatas prævaluerant in Synodo Baſileenſi, & pro illius pragmaticæ revocatione citabantur in Concilio Lateranenſi per Julium II. inchoato, compoſuit gloſſam textui non diſſimilem, cùm utrumque manaverit ex eodem fonte livoris, & odii in Romanos Antiſtites. Quod benè animadvertit Jacob Simonetta Rotæ Auditor, & poſteà Cardinalis; nam *in tract. de reſervat. quæſt. 62.* ſic ait: [Non omitto quod quidam Doctor Gallicus in quodam opuſculo ſuper Pragmatica Sanctione infenſus Pontificiæ poteſtati, & favens in omnibus pragmaticæ ſanctioni prohibenti reſervatione, &c.] Verum contigit illi, quod ſemper evenire ſolet impugnantibus veritatem, ut plura ſint mendacia, quàm verba. Primò enim dicit appellari annatas, quia per annum emolumen-

lumen-

Digitized by Google

ſumenta beneficiorum percipiebantur, & adhuc hodie percipiuntur in Romana Curia; quod falſum eſt, quia verè Curia non percipit niſi dimidiam partem fructuum, ut patet ex dictis ſupra *num. 9. & 10.*

64 Secundò, dicit de his fieri mentionem in *Clem. Quia Regulares, §. Præmiſſa de ſupplen. neglig. Prælat.* & appellari annalia in Extrav. Joannis XXII. *Suſcepti*, quod itidem falſum eſt, quia annata multum differt à vacantibus, & annalibus, de quibus loquuntur prædicta jura, & alia ſuperiùs citata, *numer.* 45. Seraph. *deciſ.* 1410. *numer.* 11.

Tertiò aſſerit annatas ante tempora Joannis XXII. raro, vel nunquam exactas fuiſſe: quod falſiſſimum eſſe conſtat ex his, quæ de annatarum origine, & antiquitate dicta ſunt ſupra *num. 14. & ſeq.*

Quartò, refert Joan. XXII. in Extravag. *Cum nonnullæ*, aſſerere ſe pro neceſſitatibus Romanæ Eccleſiæ reſervaſſe ſuæ Cameræ fructus primi anni Cathedralium vacantium, ſed cuilibet legenti prædictam Extrav. patebit ipſum in hoc erraſſe, quia Papa Joannes aſſeruit ſe per alias ſuas litteras reſervaſſe fructus primi anni beneficiorum eccleſiaſticorum in diverſis Orbis partibus, non tamen Cathedralium, & Abbatiarum regularium.

Quintò, affirmat quod à Joanne XXII. temporaliter ab aliquibus Eccleſiis dumtaxat pro neceſſitate temporis exactum fuit, poſteà in perpetuum: & ad omnes Eccleſias à Bonifacio IX. extenſum fuiſſe. Hoc loco manifeſtè detegitur Auctoris malitia, quia tacuit Bonifacium IX. inſtituiſſe dimidiam annatam loco illius integræ, quæ prius exigebatur, ut patet ex dictis ſupra *num.* 10.

Sextò, dicit Bonifacium IX. primum omnibus beneficiis annatarum uſum impoſuiſſe, quod itidem à veritate alienum eſſe convincitur ex ſupradictis *numer. 9. & ſeq.*

Septimò, audacter aſſerit Bonifacium hoc feciſſe contra totius divini, & humani juris diſpoſitionem: ſed hoc erroneum eſſe manifeſtè liquet ex his, quæ de juſtitia annatarum latè ſupra explicavimus *à numer. 17. uſque ad num.* 60.

Octavò, plura effundit de ſimoniæ labe in exactione annatarum: ſed quàm temerariè, & ſacrilegè loquatur uſque ad auctoritatem Hieremiæ, per ſe patet. Quàm verò ſit alienum à veritate hujuſmodi exactionibus ineſſe aliquod vitium, aut ſuſpicionem ſimoniæ, evidenter patebit ex his, quæ dicentur infra in reſponſione ad tertiam principalem oppoſitionem. Et ipſemet Gloſſator hanc veritatem vel invitus admiſit; nam in præallegato *tit. de an-*
65 *natis, ſuper gloſ. in ver. Conſuetudinis*, quærit, an ibi reprobetur conſuetudo generalis in omnibus Eccleſiis Collegiatis, ſecundum quam Canonici dant aliquid in ſua receptione; & reſolvit diſtinguendo his verbis. [Poteſt dici, quod ſi conſuetudo imponit hoc onus præbendæ, & non recepto; & valet in favorem cultus divini, argum. *cap. Significatum, de præben. & cap. 1. ut eccleſiaſt. benef.* & hoc caſu poteſt eſſe verum; quod à principio etiam cautio
66 exigi poſſit, argum. 18. *quæſt. 2. Servitium.*] Quæ verba multum conferunt ad juſtitiam annatarum, cùm ſint onus impoſitum non ipſis promotis, ſed beneficiis, aut fructibus beneficiorum, ut in *cap. Si propter, de reſcript. lib. 6. & cap. Si tibi, de præben.* Præterea idem Gloſſator
67 ibidem ſubjicit hæc verba: [Similiter poteſt quæri, an hic damnetur conſuetudo quaſi generalis in Normandia. In diœceſi Pariſienſi, & aliis pluribus locis, ubi Epiſcopi, & Archidiaconi percipiunt fructus primi anni beneficiorum vacantium pro deportu.] Et videtur quod non, quia talem conſuetudinem jura approbant, *cap. Præſenti, §. Porro, de offic. ordin. lib. 6.* excepto quod habetur in *cap. Quia ſæpe, de elect. eodem lib. & in Clem. Statutum, §. 1. eodem tit.* & Doctores, ut notat Joan. Andr. in *cap. Nemo, de regul. jur. lib. 6. in not.* ubi allegat Extravagantem Joannis XXII. *Suſcepti regiminis*, ubi hoc eſt deciſum, allegat eam in *Clem. 1. de conceſſ. præbend. in Clem. 2. de decim*, non eſt autem veriſimile unico verbo tot jura ſubverti. Ideò poſſes hunc intelligere textum, cùm tales deportus, vel annatæ exiguntur pro collatione, vel inveſtitura, aut aliis ſpiritualibus, ita quod illa ſint cauſa immediata, præterquam talia exiguntur. Quippe hæc ratio, quod ibi ponit Gloſſator pro ſuſtentatione illius conſuetudinis per Canones, & Extravagantes ad commodum Epiſcoporum, & Archidiaconorum approbatæ, longè magis concludit in favorem Summi Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ præſertim cùm cauſa exactionis annatarum non ſit collatio, neque beneficium; ſed vacatio, & fructus ipſius, ut patebit in reſponſione ad tertiam oppoſitionem.

Nonò, damnat annatas ex eventu, eo quod exinde 68
promoveantur indigni, & qui plus pecuniarum habent: ſed certè cùm annatæ ſint certæ, & notæ Epiſcopatuum quidem, & monaſteriorum ex taxa, quæ habetur in libris Cameræ: inferiorum verò beneficiorum ex ipſo vero valore, qui exprimitur in litteris; non poteſt eſſe locus emendicatæ per ipſum Gloſſatorem licitationi; præſertim cùm ſummæ prædictæ non ſolvantur Pontifici ad manum, neque tempore, quo fiunt proviſiones, ſed poſteà officialibus ad id deputatis quandocumque libet ipſis proviſis literas expedire, quas plerique ut inferiùs dicetur, nunquam expediunt. Præterea licitationi prædictæ, etiamſi maximè vellet Papa, quod abſit, vix locus eſſe poteſt, quoad Epiſcopatus: & Monaſteria, quæ ferè omnia conferuntur nominatis à Regibus, & Principibus, ſub quorum temporali ditione exiſtunt, necnon à Capitulis, & Conventibus, qui facultatem habent eligendi, & nominandi: ita ut non remaneat Pontifici libera Epiſcopatuum, & Monaſteriorum proviſio, niſi in certis Italiæ partibus, ut plenè notavi in *cap. 1. ſupra de elect.*

Decimò, deplorat quod pro ſolutione annatarum mo- 69
bilia etiam pretioſa Eccleſiarum vendantur; ſed hoc eſt manifeſtum mendacium: nam cùm ſolutio annatæ fiat in actu expeditionis litterarum, quomodo proviſus pro hac ſolutione poteſt diſtrahere bona Eccleſiæ, cujus poſſeſſionem nondum eſt adeptus? Quod ſi urgeas, ſaltem proviſus alienabit pretioſa Eccleſiæ ut relevet ſe à ſumptibus, quos paſſus fuit in ſolutione annatæ; ergo mendacium eſt, quod dixit Gloſſator mobilia Eccleſiarum diſtrahi pro ſolutione annalium. Præterea nec pro relevatione à ſumptibus contingit alienatio hujuſmodi; quoniam pro Epiſcopatibus, & Monaſteriis taxa non excedit dimidiam veri valoris, & quilibet proviſus ſtatim recuperaturus eſt ex fructibus triplicatam ſummam in Epiſcopatibus, & Monaſteriis, & duplicatam in inferioribus, vel potiùs multò majorem; cùm rariſſimi ſint Epiſcopatus, & Monaſteria, quorum fructus non ſint aucti à tempore, quo inſtauratæ fuerunt
dictæ taxæ à Joanne XXII. unde à communiter accidenti- 70
bus fructus beneficiorum potiùs aucti præſumuntur, quàm diminuti, ut dixit Rota apud Cardinal. Seraphin.
deciſ. 1393. *num.* 3. & in beneficiis inferioribus ferè nun- 71
quam verus valor exprimatur: & nihilominus talis, qualis exprimitur, ſemper intelligitur deductis omnibus expenſis, & oneribus conſuetis, Rota *in antiq. dec. 60. de conceſſ. præb. & in recent. deciſ. 444. nu. 5. par.* 2. Felin. *in cap. Ad aures, nu. 13. verſ. Duodecima concluſio, de reſcript.* unde nullatenus ſubeſt neceſſitas, quam Gloſſator comminiſcitur, vendendi mobilia etiam pretioſa Eccleſiarum pro ſolutione annatæ.

Undecimò, exaggerat deſtructionem pecuniarum Gal- 72
liæ, ſed hoc quoque eſt merum commentum, cùm ipſis Gallis indultum ſit à Sede Apoſtolica, ut pro beneficiis inferioribus non ſolvant annatam, & liceat eis impunè quorumcumque beneficiorum fructus exprimere ſub valore vigintiquatuor ducatorum, ut in concordatis Franciæ inter Leonem X. & Franciſcum I. anno 1517. & in declaratione ipſius Leonis Kalendis Octobris ejuſdem anni, ut in Conſtitutione, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, & ha-
betur in Bullar. *tom. 1. pag.* 507. Et pro Conſiſtorialibus 73
ſolvuntur communia, & minuta ſervitia pro medietate fructuum primi anni dumtaxat, ut in Conſtitutione Gregorii XII. incipien. *S. D. N. &c. Penſatis guerrarum cladibus*, quæ licèt ad quinquennium facta fuerit, tamen uſque in præſens eſt obſervata, excepto illo tempore, quo
viguit pragmatica ſanctio. Idque pro Eccleſiis, & Mona- 74
ſteriis, quæ ex ſtylo dicuntur in patria reducta, id eſt pro Eccleſiis, & Monaſteriis illarum diœceſum, quæ tempore prædictæ Conſtitutionis Gregorianæ erant ſub temporali dominio Regis Franciæ, & habentur indice alphabetico deſcriptæ in libris Cancellariæ, & referuntur à Hieron. Paulo Barchinon. *in ſua Practica Cancellariæ ſub tit. Provinciæ in quibus decima reducta eſt*, videlicet Archiepiſcopatus Lugdunen. Rothomagen. & Epiſcopatus Claromon-

monten. Et hæc ſolutio medietatis fructuum fit juxta ta-
75 xationem Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum,
quæ habetur in libris Cameræ, & non attingit tertiam
partem veri valoris. Unde cùm bujus tertiæ partis provi-
ſi non ſolvant niſi dimidiam; hinc liquidò apparet com-
munia, & minuta ſervitia vix attingere ſextam partem
fructuum veri valoris: & tamen pro hac ſexta parte pro-
viſi mox recepturi ſunt fructus integros primi anni, ut
prædiximus.
76 Demum ex auctoritate Jo. Andr. quem diminutè, &
depravatè refert Gloſſator, potiùs elicitur efficax funda-
mentum pro annatarum juſtitia: etenim ſi Patres Concilii
Viennenſis cognoviſſent illarum exactionem præſeferre
aliquod vitium, aut ſuſpicionem ſimoniæ, abſque dubio
illas prohibuiſſent: & tamen nec prohibere voluerunt,
nec commutare in vigeſimam fructuum, ſed magis ſinere
ut exigerentur ut prius.
77 Tertiò, contra annatas opponitur auctoritas viri clariſ-
ſimi Joannis Gerſonis Cancellarii Pariſienſis *in tract. de ſi-
monia*, cujus hæc ſunt verba: *Super materia ſimoniacæ la-
bis in collatione beneficiorum per Papam reſolvendo mate-
riam ad radicem ſacræ Scripturæ, qua dimiſſa, percurrere
ramos opinionum particularium fine caret, ponitur hæc unica
concluſio. Simoniaca labes contra ius divinum, vel de ſimo-
niaca ſpecie ſuſpectum eſt in conferente beneficium eccleſiaſti-
cum, etiamſi ſit Papa, exigere, vel extorquere a benefi-
ciando promptam pecuniam ſub titulo primorum fructuum,
ac impedire poſſeſſionem, & aſſiciationem ſuam, quouſque
ſolverit illam pecuniam.*
Verùm egregius hic vir ex falſis ſuppoſitionibus decep-
tus eſt ab illis; qui in Concilio Conſtantienſi annatarum,
communium, & minutorum exactionem ceu ſimoniacam
condemnabant, aſſerentes Papam quaſi ex contractu pro
collatione beneficii exigere illam pecuniam contra euange-
licum præceptum, videlicet, *Gratis accepiſtis, gratis da-
78 te*. Unde non ita loquutus fuiſſet, ſi rem ipſam ut ſe ha-
bebat intellexiſſet; ſic autem ſe habet: Lege, aut vetu-
ſtiſſima conſuetudine introductum eſt, ut vacantium Epi-
ſcopatuum, & Abbatiarum Papa, & Collegium Cardi-
nalium ex fructibus primi anni ſub nomine communis, &
minutorum ſervitiorum habere debeant illam ſummam,
quæ, ut dictum eſt ſupra, pro tertia parte veri valoris in
libris Cameræ jam dudum taxata eſt; & inferiorum bene-
ficiorum Papa debeat habere dimidium, quod olim per
ſuos collectores exigebat. Sed quia oneroſum erat Provin-
ciis, & ipſis ſolvere debentibus officium collectorum, qui
pro ipſis exigendis in ipſis Provinciis moram trahebant:
quaſi tacita omnium conventione ſtabilitum eſt, ut illi,
qui ad Epiſcopatus, aut Abbatias promovebantur, &
quibus de aliis beneficiis per Papam providebatur, debe-
rent ſibi acquirere omnes illos fructus, & ſolvere illorum
79 pretium. Et ſic quidem emptio, & venditio, non tamen
tituli beneficii, ſed illius portionis fructuum, quæ debe-
tur Papæ, & Cardinalibus. Obſervandum eſt enim circa
quodlibet beneficium tria occurrere maximè conſideran-
da. Primum eſt ipſum beneficium; ſecundùm illius pro-
viſio, ſeu collatio; tertium fructus ipſius. Pro beneficio
ipſo, vel ejus proviſione nihil ſolvitur: gratis enim ſem-
per confert Papa; & de hoc intelligi debet illud euangeli-
cum, Matthæi 10. *Gratis accepiſtis, &c. cap. Si quis E-
piſcopus*, 1. *quæſt.* 3. non autem de fructibus beneficiorum
80 vacantium, de quibus agitur. Non obſtat, quod aucto-
ritas illa Matthæi intelligatur etiam de rebus Eccleſiæ, ut
eſt textus in *cap. Res Eccleſiæ, eadem cauſ. & quæſt.* & cùm
fructus beneficii ſine beneficio non proveniant; vendito
uno, neutrum invenditum relinquatur, *cap. Si quis obie-
cerit, & cap. Salvator*, 1. *quæſt.* 3. ob quam rationem
Theologi concludunt præbendam, licèt ſit quid tempora-
le; tamen ratione connexionis, quàm habet cum clerica-
tu, & canonia, vendi non poſſe ſine labe ſimoniæ, ut
fusè oſtendimus in *cap. Cum pridem, num.* 90. *& num.* 107.
ſupra de pactis. Id, inquam, non obſtat quia locum ha-
bet in illius fructibus, dumtaxat qui debentur beneficiato
propter officium, & miniſterium clericale ex debito divi-
ni juris, ut 1. ad Corinth. 9. *cap. Quicumque*, 12. *quæſt.* 2.
§. His ita, 13. *quæſt.* 1. *& cap. Cum ſecundum, de præben.*
hos enim vendere ſimoniacum eſt propter connexionem,
quam habent cum clericatu, & jure ſpirituali, ut optimè
deducit Cardin. Caiet. *in tractat. 9. de ſimonia, quæſt.* 1.
tom. 2. opuſculorum, & dixi latiùs in dict. *cap. Cum pridem,
num.* 91. *& num.* 107. Item in his committitur injuſtitia
tam ex parte dantis, quia vendi non poteſt res a non Do-
mino, *l. 1. C. de uſucap. pro empt.* quam ex parte recipien-
tis, quia venditur illi, quod ſuum eſt, *l. Res ſua, ff. de
contrahend. emption. l. Cum res, & l. Si mater, Cod. eod.*
ut explicat Cajet. *ubi ſupra*, & ante eum Petrus de Palude
relatus à Turrecrem. in *cap. Latorem, numer.* 9. *verſ. Ad
tertiam rationem*, 1. *quæſt.* 1. ut dixi in prædicta De cretali
Cum pridem, num. 113. *& num.* 123. *verſ. Sed nihilomi-
nus*. At hæc omnia ceſſant in fructibus primi anni benefi-
ciorum vacantium, de quibus agitur; quia cùm ſpectent
ad Sedem Apoſtolicam ex titulo præambulo reſervationis,
jure vendi poſſunt tam ex parte Papæ, qui vendit, quod
ſuum eſt, quàm ex parte proviſi, qui emit quod ſuum
non eſt. Et cùm proviſus juſtè poſſit ſui beneficii fructus
alteri vendere, licèt beneficio ſint annexi, ut rectè obſer-
vat Cajetan. *loco citato*, nulla afferri poteſt ratio, cui non
idem liceat Sedi Apoſtolicæ pro dimidia fructuum ad eam
ſpectantium: & quemadmodum Epiſcopus, cui fructus
beneficiorum vacantium ex privilegio, vel conſuetudine
eſſent reſervati, juxta textum in *cap. Præſenti, de offic. or-
din. lib.* 6. poſſet illos licitè vendere beneficiato, eadem
prorſus, imò potiori ratione id licere debet Papæ, ad gloſ.
in *c. Cum pridem, in verb. Illicitæ pactionis, in fin. ſupra de pa-
ctis*. Nec propterea venditur proviſo jus aliquod ſpiritua-
le; quia in collatione beneficii fructus hujuſmodi deducun-
tur tanquam æs alienum, & beneficiatus tenetur hujuſ-
modi onera ſubire, *cap. Tua nobis, infra de verborum ſi-
gnific. cap. Si propter tua debita, de reſcript. lib. 6. & cap.
Si tibi, cum gloſſa in verb. Fructus, de præbend. eodem lib.*
Thom. Campeg. *de annat. inſtit. num.* 11. ſunt enim onus 81
annexum beneficio, non autem beneficiato: & ideò va-
let ſtatutum, vel conſuetudo ut ſolvantur à recepto in ca-
nonicum, *cap. Significatum, de præbend. l. 1. Cod. de do-
nat. quæ ſub modo*, & poſt Vincent. & Joan. Andr. notat
Joan. de Anan. in *cap. Iacobus, numer. 3. & 4. de ſimonia*,
quinimò pro illis etiam ante receptionem poteſt recipi cau-
tio, argum. *cap. Servitium*, 18. *quæſt.* 2. ſecundum eos,
& notatur per DD. in dict. *cap. Significatum*. Hinc Sacra
Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpre-
tum aliàs conſulta. An ſi extaret talis conſuetudo ut fru-
ctus puta cujuslibet præſtimonii dimidii anni poſtquam va-
caverit, cederet in utilitatem menſæ capitularis, ea ſit ſub-
lata ejuſdem Concilii decreto, *cap. 14. ſeſſ.* 24. reſpondit
non eſſe ſublatam; eſt enim onus impoſitum beneficio, &
non beneficiato. Hinc etiam eſt ut in actu collationis, ſeu 82
receptionis non ſit ſimonia deducere in pactum ut collata-
rius, ſeu receptus ſolvat penſionem collatori debitam, ut
conſuluit Geminian. *conſ. 84. num. 4. verſ. Et dica quod
tale iuramentum*, per textum in *cap. Ex parte, il ſecondo,
de cler. non reſid.* & ſcripſi pleniùs in *c. Tua nos, de ſimonia.*
Hanc autem annatæ ſolutionem fieri ratione dictorum 83
fructuum, non autem ratione proviſionis, vel collationis,
evidentes oſtenditur. Primò, quia proviſio, & collatio liberè
præcedit, neque umquam propterea impeditur expeditio
ſupplicationis: ſed quando proviſi expediunt litteras bulla-
tas, tunc juxta obſervatam conſuetudinem ſolvunt anna-
tam: quod ſi numquam expedirent litteras, prout conti-
git multis, qui litteris non expeditis, in aliorum favorem
cedunt; illi ſic cedentes, aut ſine ceſſione litteras non ex-
pedientes nihil ſolvunt: & tamen verum eſt eis fuiſſe pro-
viſum, cùm gratia ex ſola ſignatura ſupplicationis perfi- 84
ciatur, *leg. Sacri affatus, Cod. de diverſ. reſcript. cap. In-
ſtitutionis*, ubi Turrecrem. *num.* 1. 25. *quæſt.* 2. gloſſ. in
regul. Cancell. 13. *&* 53. *ad finem*, Caſſadorus *deciſ.* 36.
ſuper reg. Gomeſ. *in regul. de non iudicando iuxta formam
ſupplicationis, quæſt.* 5. expeditio enim Bullarum non re- 85
quiritur ad gratiæ perfectionem, ſed tantummodo ad illius
probationem. Et propterea nec ſunt producendæ, niſi ubi 86
agitur de canonizanda gratia, ut in ſexcentis deciſioni-
bus fuit à Rota obſervatum, teſte Cardinale Seraph. *deciſ.*
775. *numer.* 2.
Deinde hoc ipſum clarè oſtenditur, quia ſi contingat 87
unum, & idem beneficium ſive illud ſit de majoribus, &
conſiſtorialibus, qualia ſunt Epiſcopatus, & Abbatiæ, ſi-
ve de minoribus, qualia ſunt reliqua omnia, in uno, eo-
demque anno bis, vel pluries vacare, & illud ſucceſſivè
duobus conferri annata, & ſervitia prædicta non exigun-
tur;

Digitized by Google

tur; niſi ſemel, ut pro Regno Franciæ eſt expreſſum in
antedicta Conſtitutione Gregorii XII. & praxis obſervat:
quod non fieret ſi annatæ, & ſervitia exigerentur pro col-
latione, & proviſione beneficii, & non pro parte illa fru-
ctuum, quæ debetur Cameræ Apoſtolicæ.
88 Tertiò idem ſuadetur: nam proviſi, qui docent alios
eſſe intruſos in poſſeſſione beneficii, quive ob aliquod a-
liud impedimentum beneficii poſſeſſionem ſtatim non
ſunt habituri, ſine ulla ſolutione litteræ relaxantur, facta
dumtaxat obligatione de ſolvendo cum habita poſſeſſione
89 percipient fructus: licèt nonnunquam aliquibus ingruen-
tibus cauſis ſolutio fiat in relaxatione litterarum habita,
vel non habita poſſeſſione, ne ex lite, cujus finis ignora-
tur, damnum aliquod Papæ, & reliquis participantibus
90 proveniat. Sub illa etiam conditione in futurum ſolvendi
relaxantur litteræ illis, quibus facta eſt aliqua gratia bene-
ficialis ſub aliqua conditione de certo corpore beneficii, ut
ſunt regreſſus, & proviſiones etiam ſimplices ubi fructus
91 ſunt alii reſervati. Quod ſi fructus omnes aliis reſervati
non ſint, ſed illorum certa pars dumtaxat, aut ſuper illis
certa annua penſio, collatarius, ſeu proviſus tantò minus
ſolvit pro annata, vel communi ſervitio, quanta eſt pen-
92 ſio, vel pars fructuum aliis reſervata. Dixi de certo cor-
pore beneficii, quia pro gratiis ad incerta beneficiorum
corpora, ut ſunt expectativæ, reſervationes, & aliæ ſi-
miles nihil ſolvitur, nec ulla fit obligatio de ſolvendo in
93 futurum. Similiter pro beneficiis compermutatis, cujuſ-
cumque ſint valoris: item pro illis, quorum valor non
excedit vigintiquatuor ducatos, quocumque modo illo-
rum proviſiones fieri contingat, proviſi nihil ſolvunt, nec
promittunt. Quæ omnia convincunt ſolutionem annatæ,
& ſervitii non fieri pro collatione, ſeu proviſione, ſed pro
fructibus tantùm; alioquin ſolutio fieri deberet etiam in
caſibus memoratis, in quibus dubium non eſt quin fiat
collatio, ſeu proviſio.
94 Quartò, & ultimò, aliis omiſſis, idem oſtenditur,
quia ex diſtributionibus quotidianis non ſolvitur annata,
neque commune, & minuta ſervitia, ut in Extravag. *Cum
nonnulla, la prima, §. Prætereà, de præbend.* inter com-
munes: & ita ſæpiſſimè expediuntur proviſiones canonica-
tuum cum expreſſione, quod fructus non excedunt vi-
gintiquatuor ducatos, & pro eis non ſolvitur annata, ne-
que ſervitia; tametſi illorum diſtributiones quotidianæ
ſint magni valoris, adeò ut multa ducatorum millia exce-
95 dant. Idque non alia ratione, niſi quia diſtributiones hu-
juſmodi non veniunt appellatione fructuum; *cap. unic. de
Cleric. non reſiden. lib. 6. cap. final. §. In illis, de conceſſ. præ-
bend. eodem lib. cap. Licèt, ſupra de præbend.* & tenet Caſ-
ſad. *deciſ. 1. de cleric. non reſiden.* & propterea non com-
96 prehenduntur in regulis Cancellariæ de valore fructuum
exprimendo, Felin. alios cumulans in *cap. Ad aures, num.
14. de reſcr.* Covarr. *lib. 3. variar. reſol. cap. 13. num. 1.* &
dixi pleniùs in dict. *cap. Licèt, in primo notabili.* Quod ſi-
militer demonſtrat evidenter hanc ſolutionem fieri tan-
tummodo ratione fructuum, qui debentur Cameræ, non
autem pro collatione, ſeu proviſione beneficii, alióquin
non conſtitueretur hæc differentia inter fructus, & diſtri-
97 butiones quotidianas. Unde fit, ut nullum vitium hic
conſiderari poſſit, cùm ſolutio annatæ nullam habeat cor-
reſpectivitatem ad collationem, & jus ſpirituale, ſed tan-
tùm ad fructus temporales, ad Sedem Apoſtolicam perti-
nentes, ut notat Card. in *cap. Tua nos, num. 3. in 3. no-
tab.* & ibi etiam Felin. *num. 2. de ſimonia.* Nunquam e-
nim datio mutua ſpiritualium, & temporalium ſimoniam
inducit, quoties una non cauſatur ab alia, ut formaliter
inquit Ant. de Butr. in dict. *cap. Tua nos, num. 3.* Quam-
98 obrem ſi vir doctus, & pius Joan. Gerſon annatarum, &
ſervitiorum exactionem dicit eſſe ſimoniacam, credendus
eſt propterea hoc dixiſſe, quia falsò ei ſuggeſtum eſt hanc
ſolutionem fieri pro ipſa beneficii proviſione, ſeu collatione
palliato nomine, ac titulo primorum fructuum. Id quod
ex ipſiuſmet doctrina non obſcurè deprehendi poteſt. Nam
in tractatu ſummi Pontificis de ſtatibus eccleſiaſticis ponit
ſex conditiones de ſtatu Papæ, & Cardinalium, & pro
quarta conſideratione ponit hæc verba: *Status prædictus
poteſt, & poteſt in ſubventionibus temporalibus, & honeſtæ
ſuſtentationis præſcribere de certo modo, vel quota ſubven-
tionis factæ per ſubditos in oblationibus, decimis, & ſimili-
bus, etiam ubi ſtatus prædictus aliunde dotatus eſſet ex pa-
trimonialibus bonis, vel aliis; quemadmodum in Prælatis deci-
mas, & Curatis.* Et infrà proprius ad annatas, pro quinta
conſideratione ſubjicit verba infraſcripta, videlicet: *Status
prædictus dum recipit, & quærit ſubventiones conſuetas in
oblationibus, decimis, vel annatis, & ſimilibus, non de-
bet eo ipſo de ſimoniaca pravitate notari, niſi fortè vitium
aliud in executionis modo concurrerit, quod vitium corrigi
debet, non ob inde ſtatus minui, deſtrui, culpari, vel iuri-
bus aliundè debitis defraudari, ſicut ab infirmo tollendus eſt
morbus, non ſubiectum, vel corpus deſtruendum, &c.* Ex
quibus Gerſonis verbis perſpicuè apparet ipſum, ut ſu-
pra diximus, fuiſſe deceptum ab impugnantibus anna-
tas in Concilio Conſtantienſi. Fuit enim illi ſuggeſtum
annatarum, & ſervitiorum exactionem fieri ſimoniacè
ratione collationis, nomenque primorum fructuum, &
annatarum eſſe prætextum quæſitum ad palliandam ſimo-
niam. Quod cùm ex dictis liquidò conſtet falſum eſſe;
hinc ſequitur ut Gerſonis ſententia ſtet potiùs pro annatis,
quàm contra illas. Præſertim verò, quia in eodem tra-
ctatu de ſimonia: in reſponſione ad primam objectionem
dicit officio Papæ deberi ſufficiens beneficium, & conde-
cens, illudque ſubſidium poſſe, vel potuiſſe debitis circum-
ſtantiis obſervatis accipi ſuper fructibus inferiorum benefi-
ciorum, ubi non eſt aliter facta Papæ ſufficiens proviſio,
tam ex jure divino, quàm naturali, præſuppoſito divino.
Opponitur ultimò, contra annatas ſententia Franciſci 99
Duareni Juriſconſulti Galli, *qui in tract. de benef. lib. 6. c.
3.* illius exactionem, necnon communium ſervitiorum
pluribus conatur exterminare; ait enim: [Uſitatum eſt
apud nos, & Leonina Conſtitutione firmatum genus ve-
ctigalis, quod vulgus annatam vocat. Nam cùm pri-
mum recens electus eſt; & à Rege nominatus, aut Epi-
ſcopus, aut Cœnobiarcha Romanus Pontifex anni integri
fructus ejus beneficii percipit, eoſque ſibi ſtatim ſolvi, ac
repræſentari curat.]

Sed hoc loco Duarenus uno ferè verbo duas protulit fal-
ſitates. Altera eſt dum dicit anni integri fructus, quos ta-
men certum eſt ſolvi pro dimidia tantum. Altera dum af-
firmat annatæ ſolutionem fieri ſtatim facta nominatione,
cùm inter nominationem, & expeditionem litterarum,
quando ſolvitur annata, pleromque intercedant nedum
menſes, ſed anni, & ſæpe litteræ nunquam expediantur,
nec ſolvatur annata. Deinde ſic proſequitur. [Sed quod
unius anni ſit, quidam à Bonifacio IX. inventum alii à
Joann. XXII. ſcribunt.] Hoc itidem loco aliorum errore
involvitur, cùm loquatur tantummodo de Epiſcopatibus,
& monaſteriis, pro quibus non annata, ſed ſervitia ſol-
vuntur, quæ ab immemorabili tempore ante memoratos
Pontifices erant jam in uſu.

Tertiò ſubjungit ſæpè quæſitum eſſe an jure poſſet exigi,
& illam ferè Theologorum, & juris Pontificii Conſulto-
rum eſſe opinionem, Romanum ſcilicet Pontificem lege
ſimoniaci ambitus, ut cæteros Epiſcopos teneri, ſi pro ſa-
cris miniſteriis pecuniam accipiat. Et mox inculcata au-
thoritate Conventus Baſileenſis concludit: his verbis:
[Quo ſe vertant Pontifices, quibuſcumque Decretis,
Conſtitutionibus, pactiſque hanc exactionem tueantur,
divinum oraculum ſemper eis apponemus: *Gratis ſcilicet
accepiſtis, gratis date.*] Sed profectò non divinum ora-
culum, ſed magis prava Auctoris interpretatio obtruditur
exactioni annatarum, cùm in ea non vendatur titulus be-
neficii, nec jus exigendi fructus, quæ ſpiritualia ſunt, nec
fructus debiti beneficiato, qui ſunt ſpiritualibus annexi,
hæc enim omnia gratis dantur, ſed venduntur fructus tem-
porales, qui beneficio non ſunt annexi, ſed detrahuntur ut
æs alienum, & onus beneficio adjunctum; nec ulla inju-
ſtitia in hoc conſiderari poteſt, quia Sedes Apoſtolica ven-
dit quod ſuum eſt; nec ſpecies ulla ſimoniæ, quia ven-
dit quod temporale eſt, & à ſpiritualibus ſejunctum, ut
in ſuperioribus monſtratum eſt à *num.* 79.

Demum ex ſua concluſione idem Doctor infert corolla-
rium adverſus concordata Capitula inter Pontificem Ro-
manum, & Regem Franciæ, dicens: [Quod cùm ita
ſit, conventio inter Regem noſtrum, Pontificemque
Leonem inita turpis omnino, ac inhoneſta quibuſdam vi-
deatur, ideòque pro non ſcripta haberi, ac rejici debere;
ita tamen ut cætera capita ejuſdem conventionis, quæ à
ratione, honeſtateque non abhorrent, nihilominus ob-
ſerventur.]

Talis

Digitized by Google

Talis eſt Duareni ſententia audaciæ, & temeritatis cenſura certè digna; & quod ſpectat ad ſimoniam ex jam dictis ſatis ſuperque eſt confutata. Quod autem pertinet ad Corollarium, cùm decretum Conventus Baſileenſis contra annatas univerſaliter ab omnibus reprobatur, injuſtumque, & impium fuerit, & talis etiam ſit pragmatica ſanctio ſuper ipſo decreto Baſileenſi fundata: hinc neceſſariò conſequitur, ut conventio inter Leonem Decimum, & Franciſcum I. inita, quàm malignè carpit Duarenus, honeſta prorſus, juſta, laudabilis, & inviolabili obſervatione digna ſit.

NE PRÆLATI VICES SUAS, &c.

Idem Alexander III. in Concilio Turonen̄.

CAPUT II.

j QUoniam in qnibuſdam partibus Decani quidam, vel Archipresbyteri, ad agendas vices Epiſcoporum, ſeu Archidiaconorum, & terminandas cauſas Eccleſiaſticas, ſub annno pretio ſtatuuntur: quod ad ſacerdotum gravamen, & ſubverſionem judiciorum non eſt dubium redundare: id ulteriùs fieri prohibemus. Quod ſi quis de cætero fecerit, removeatur à Clero. Epiſcopus autem, qui hoc ſuſtinuerit, & Eccleſiaſticam juriſdictionem ſua patitur diſſimulatione perverti, diſtrictione Canonica percellatur.

SVMMARIVM.

1 *IVriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultates deputandi in ſpiritualibus locare non licet.*

2 *Et conceſſiones etiam à Sede Apoſtolica facta cenſentur ſubreptitia.*

3 *Locatio iuriſdictionis ſuper damnis bonorum Eccleſiæ illatis prohibita eſt.*

4 *Iuriſdictio Eccleſiaſtica eſt quid ſpirituale, & ſimoniacum eſt illam vendere, & num. ſeqq. uſque ad num.* 12.

5 *Iuriſdictio etiam merè temporalis prohibetur vendi.*

6 *Iuriſdictio eſt res inæſtimabilis ſicut patria poteſtas.*

7 *Iuriſdictionem temporalem vendere propriè non eſt ſimoniacum: eſt tamen turpe lucrum, & ementes committunt ſimoniam laicalem.*

8 *Vicario, ſeu officiali Epiſcopus tenetur ex Camera ſua ſalarium conſtituere.*

9 *Vicarius locat Epiſcopo operas ſuas, nec tenetur ſuis ſtipendiis militare.*

10 *Advocatus licitè vendit patrocinium ſuum.*

11 *Epiſcopus tenetur ex officii ſui debito iuriſdictionem gratis adminiſtrare.*

12 *Iuriſdictionis venditio redundat in ſubditorum gravamen, & num.* 22. *&* 23.

13 *Fructus, & obventiones Eccleſiarum ex iuriſdictione provenientes vendi non poſſunt iuriſdictionem exercenti, etiam ſeorſim à iuriſdictione.*

14 *Non provenientes verò ex iuriſdictione vendi poſſunt, etiam iuriſdictionem exercenti, dummodo iuriſdictio ipſa non vendatur.*

15 *Cancellaria an, & quando ab Epiſcopo vendi poſſit, aut locari ſub annuo cenſu, & num. ſeqq. uſque in finem.*

16 *Notarii communiter creantur iudices ordinarii.*

17 *Et ſunt Magiſtratus inter conſentientes, habentque iuriſdictionem habitu, licèt non actu.*

18 *Et dicuntur iudices Chartularii.*

19 *Item faciunt præceptum, & guarentigiam.*

20 *Eorumque iuriſdictio prorogari poteſt de habitu ad actum.*

21 *Et poſſunt expedire ea, quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis, ſi ſibi committantur.*

22 *Notario, ſeu actuario vendi non poſſunt fructus ex iuriſdictione provenientes.*

23 *Clemens VIII. decretum ne Prælati Cancellarias ſuorum Tribunalium locent, ſed illas per proprios miniſtros mercede conductos exerceant.*

24 *Pandecta, ſeu taxa mercedum in ædibus Notariorum affigenda.*

25 *Epiſcopi, vel eorum miniſtri pro collatione ordinum, & litteris dimiſſoriis, ſeu teſtimonialibus nihil poſſunt accipere, etiam ſponte oblatum.*

Nec pro ſigillo in collationibus beneficiorum, etiam ubi extaret talis conſuetudo, num. 29.

26 *Cancellarius pro ſingulis litteris dimiſſoriis, ſeu teſtimonialibus decimam unius aurei partem poteſt accipere.*

27 *Item pro qualibet ſcriptura collationis, vel inſtitutionis poteſt accipere mercedem ſuo labori convenientem, quæ omnibus computatis unum aureum non excedat, & num.* 29.

Et quartam partem ducati pro examine teſtium in executione litterarum Apoſtolicarum, num. 31.

28 *Dummodo ei nullum ſalarium pro officio exercendo conſtitutum ſit, & ex illius commodis Epiſcopo nihil emolumenti directè, vel indirectè provenire poſſit.*

30 *Epiſcopi, vel eorum officiales pro executione litterarum Apoſtolicarum, diſpenſationum matrimonialium, & præſentatione cuiuslibet reſcripti nihil accipere poſſunt.*

Q*Voniam*. Summatum eſt in cap. præcedenti. Divi- 1
ditur in duas partes. Primò ponit exceſſum, quem
expreſſa cauſa prohibet. Secundò pœnam addit ibi, *Quod
ſi quis*.

Nota prohibitum eſſe juriſdictionem eccleſiaſticam 2
vendere, ſeu locare, ut *hic*, *& in cap. præcedenti*: quod
noviſſimè etiam ſancitum eſt decreto Concilii Tridentini
cap. 11. *ſeſſ.* 25. *de reform.* ibi: *Non liceat etiam iuriſdictiones
Eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi
Vicarios in ſpiritualibus locare, nec conductoribus per
ſe, aut alios ea exercere; aliterque conceſſiones etiam a Sede
Apoſtolica facta ſurreptitia cenſeantur*. Hinc caſu juriſ- 3
dictio ſuper damnis bonorum Eccleſiarum illatis ſub certa
annua penſione, ad hoc ut majori ſolertia bona Eccleſiarum
conſervarentur, locari quibuſdam officialibus conſueviſſet:
S. Congregatio ejuſdem Concilii interpres reſpondit
eo decreto id prohibitum eſſe, cùm juriſdictio ſit
Eccleſiaſtica, qua jus redditur ſuper damnis illatis, & bonis Eccleſiarum.

Prima hujus prohibitionis ratio eſt, quia juriſdictio ec- 4
cleſiaſtica eſt quid ſpirituale, ut in *cap. præcedenti*. Clavium
enim poteſtas a Deo eſt, Matth. 16. S. Thom. in 4.
diſtinct. 18. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. eamque Epiſcopus ratione
ſui officii gratis exercere debet; unde ſimoniacum
eſt illam vendere, *cap. Ex multis*, *cap. Vendentes, & cap.
Non ſolum*, 1. *quæſt.* 3. *cap. Decernimus*, *ſupra de iudic.*
& tenet gloſ. 1. hic, & in *cap. præced.* Innocen. *ad finem*,
verſ. Item prælationem, Hoſtienſ. *num.* 6. *verſ. Quinimo*,
Joan. Andr. *num.* 3. Cardin. *num.* 2. Butr. Abb. & Mar.
Socin. omnes *in primo notab.* Altera ratio eſt, quia ven- 5
ditio,

Digitized by Google

ditio, ſeu locatio juriſdictionis redundat in ſubditorum
gravamen, & ſubverſionem judiciorum, ut hic dicitur in
littera. Ob quam rationem etiam juriſdictio merè tempo-
ralis prohibetur vendi, ne ſcilicet ſubditi prægraventur,
ut in *Authent. Ut iudic. ſine quoque ſuffrag.* & in *Authent.*
de mand. Princip. §. *Illud tamen*; & notant in *cap. præce-*
den. Innocen. *verſ. Ratio diverſitatis*, Hoſtien. *numer.* 51.
verſ. Quod & prohibetur, Butr. *nu.* 10. *verſ. Et dicunt*,
Innoc. & Cardin. *num.* 2. Addit Marian. Socin. *ibidem nu-*
6 *mer.* 3. Juriſdictionem ipſam vendi non poſſe, quia eſt
res inæſtimabilis ſicut patria poteſtas, ut *l. Filia*, *Cod. de*
collation. Et quia ejus rei non videtur eſſe commercium, *l.*
Inter ſtipulantem, §. *Sacram*, *ff. de verbor. obligat.* & *l.*
7 *Apud Iulianum*, §. *fin.* *ff. de legat.* 1. Et quamvis vendere
juriſdictionem merè temporalem propriè non ſit ſimonia-
cum ſecundùm Innocent. & omnes in *cap. præcedenti*, eſt
tamen turpè lucrum; Et ſicut in juriſdictione eccleſiaſtica
committitur ſimonia ſpiritualis, ita in juriſdictione tem-
porali committitur ſimonia laicalis; quia ementes juriſdi-
ctionem ſæcularem, & honorem incidunt in crimen am-
bitus, ut in *l. unic. C. Ad Iul. de ambitu*, ſecundùm Hoſt.
in eod. cap. præced. num. 6. *verſ. Quinimò*.
8 Nec prædictis obſtat, quod non videatur illicitum dare
pecuniam pro juriſdictione: nam quotidie hoc fit, cùm
Epiſcopus teneatur ex Camera ſua officiali, ſeu Vicario
ſalarium conſtituere, *cap. Charitatem*, & *cap. Quicum-*
que, 12. *quæſt.* 2. & tenent in *cap. prox. ſupra eodem*, *gloſſ.*
ſecunda, Innoc. *verſ. Sed e converſo*, Hoſtien. *num.* 5. *in*
verb. de cætero præſumpſerit, Butr. *num.* 7. Card. *num.* 1.
in 1. *oppoſit.* & *reliqui*: etenim ut reſpondet Butr. *eod. nu.*
7. ut officium committatur datione pecuniæ ex parte ſu-
ſcipientis, & dantis officium, eſt illicitum, ut hic, & in
cap. præcedenti: ſed officio commiſſo datio pecuniæ ex
parte committentis loco ſalarii ipſi, cui committitur,
eſt licita, & non eſt ſimoniaca, ut in juribus præal-
legatis.
9 Ratio diverſitatis eſt, quia Vicarius recipit mercedem
ſui laboris; locat enim Epiſcopo operas ſuas, nec ullo ju-
re cogitur ſuis ſtipendiis militare, *cap. Cum ex officii*, *de*
præſcript. & *cap. Cum ſecundum*, *de præbend.* ſic & aſſeſ-
ſori ſtatuitur ſalarium in *cap. Statutum*, §. *Aſſeſſorem*, *de*
reſcript. lib. 6. & ſic Advocatus licitè vendit patrocinium
10 ſuum, ut in *cap. Non ſanè*, 14. *quæſt.* 5. At è converſo
Epiſcopus tenetur ex officii ſui debito juriſdictionem gratis
11 adminiſtrare; unde ſi pretium accipiat, ex eo quod vices
ſuas officiali committat, videtur juriſdictionem ipſam
vendere, & ſimoniam committit, ut hic in gloſſa 1. Præ-
tereà hoc tendit in ſubditorum gravamen, quia ut verbis
utar Abbatis in *cap. præced. num.* 4. [Officialis ut aliquid
12 lucretur ultra pecuniam datam ſuperiori per fas, & nefas
inducetur ad extorquendam pœnam, & modicam cul-
pam faciet graviorem, & ſæpè puniet burſam, ubi pu-
nienda eſſet perſona.] Idemque adnotavit Cardinalis *ibid.*
num. 1. *in fine*, *verſ. Quæro*, *quæ fuit ratio*.
13 Rurſus non obſtat, quod fructus, & obventiones Ec-
cleſiarum vendi poſſint, ſeu locari ſub annuo cenſu, ut
in *cap. fin. infra eodem*, quoniam ſecundùm Innocen. in
cap. præced. hoc intelligi debet, ſi obventiones tempora-
les vendantur non exercenti juriſdictionem; aliàs ſecus:
ſed Hoſtien. *ibidem num.* 5. diſtinguit ſic. Aut fructus, &
obventiones temporales proveniunt ex juriſdictione: &
hoc caſu verum eſt, quod ait Innocent. quia vendi non
poſſunt juriſdictionem exercenti, etiamſi vendantur ſeor-
ſim à juriſdictione. Ratio eſt, quia cùm ſine juriſdictio-
ne non proveniant, qui illos venderet, juriſdictio-
nem invenditam non derelinquet, ut in *cap. Si quis obiece-*
14 *rit*, & *in cap. Salvator*, 1. *quæſt.* 3. Aut verò fructus, &
emolumenta hujuſmodi non proveniunt ex juriſdictione,
& tunc licitè vendi poſſunt etiam exercenti juriſdictio-
nem, dummodo juriſdictio ipſa non vendatur, ita ut con-
tractus non permiſceantur, ſed committitur juriſdictio ſim-
pliciter, & ex altera parte vendantur fructus, argum. *cap.*
Ad quæſtiones, *ſupra de rerum permut.* & hanc diſtinctio-
nem Hoſtien. ſequuntur ibidem Joan. Andr. *num.* 2. Butr.
num. 10. *verſ. Oppono ulterius*, Card. *numer.* 1. *verſ. Ho-*
ſtien. dicit, Anchar. *num.* 1. Mar. Soc. *num.* 6. & alii com-
muniter.
15 Hinc ſolvi poteſt quæſtio, an liceat Epiſcopo Cancella-
riam vendere, vel locare ſub annuo cenſu: & quidem ſi
fructus, & emolumenta Cancellariæ vendantur, ſeu lo-
centur non Officiali, ſeu Actuario, ſed extraneo, qui nul-
latenus debeat ſe ingerere in negotiis Tribunalis; ceſſante
omni fraude, venditio ſeu locatio non eſt illicita; quia et-
ſi fructus, & obventiones hujuſmodi proveniant ex juriſ-
dictione; tamen non eſt prohibitum illos vendere juriſdi-
ctionem non exercenti, ubi contractus non permiſcentur,
ſecundùm diſtinctionem Hoſtienſ. communiter approba-
tam, de qua ſupra proximè. Neque verò hoc caſu vigent
pericula extorſionum, de quibus mox dicetur in ſequenti
membro, cùm conductor in tribunali nullum habeat mi-
niſterium: & hoc propriè non eſt locare Cancellariam,
ſed illius obventiones temporales dumtaxat ſeorſim à juriſ-
dictione.
Sin autem locetur Cancellaria, ſeu illius fructus, & ob-
ventiones vendantur Cancellario, ſeu Actuario, vel No-
tario, aut Magiſtro actorum; tunc locatio, & venditio
prohibita eſt, quia cùm creantur Tabelliones, communi-
ter etiam creantur judices ordinarios, & tales communiter
ſe intitulant, ut teſtatur Angel. *conſil.* 93. *Viſis*, & *in-*
ſpectis, *num.* 2. dicens ſe id vidiſſe in infinitis privilegiis, 16
& Paulus de Caſtro *conſil.* 84. *Viſa*, *in princip. verſ. Si ve-*
rò, *lib.* 1.
Eo autem ipſo, quod Notarius conſtitutus eſt à Supe- 17
riore judex ordinarius, eſt Magiſtratus inter conſentientes,
& habet juriſdictionem habitu, licèt non actu, ut notatur in
l. 1. *ff. de iuriſdict. omn. iudic.* & *in l. fin. Cod. ubi*, & *apud*
quem, ſecundum Paul. de Caſtro *d. conſ.* 84. *per totum*,
& *præſertim*, *num* 4. *verſ. Ex his ſequitur*. Et dicitur Ju- 18
dex Carthularius, & habet juriſdictionem inter volentes,
& poteſt multa, ex quo radicem habet juriſdictionis, ut
inquit Baldus *conſ.* 105. *factum tale eſt*, *num.* 3. *verſ. Item*
poſſet, *lib.* 3. & tamquam judex ordinarius facit præcep- 19
tum, & guarentigiam, ita ut habeat executionem para-
tam, plenè Tiraqu. *de Conſtit. part.* 3. *limit.* 30. *num.* 29.
guarentigia enim videtur decretum judiciale ſecundùm
Bald. in *l. Non aliter*, *num.* 1. *in fin.* *ff. de adopt.*
Suppoſita autem radice juriſdictionis habitualis, per 20
deputationem ad acta cenſetur prorogata illius juriſdictio:
hoc enim caſu fieri poteſt prorogatio de habitu ad actum,
ut notat Innocen in *cap. Prudentiam*, *de offic. deleg.* & poſt
eum Paul. de Caſtro *loc. citat.* & conſentit Bart. in *l.* 2.
num. 14. *Cod. de iure fiſci*, *lib.* 10. ubi dicit Notarium poſ- 21
ſe expedire ea, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis ſi ſibi
committantur; quia in hoc ipſe eſt judex: & de actuario,
ſeu ſcrinario habente jus geſtorum eſt textus in *l. Eos*,
la prima, §. 1. juncta gloſſ. *ver. Scrinia*, *C. de appell.* &
notat Bald. in *l. Hac conſultiſſima*, §. *Si quis autem*, *in fin.*
Cod. de teſtam.
Quamobrem cùm actuarius juriſdictionem habeat ſal- 22
tem voluntariam, conſequens eſt ut fructus, & obven-
tiones temporales ei vendi non poſſint, ſive ſequamur o-
pinionem Innocen. tenentis generaliter, & indiſtinctè ob-
ventiones temporales vendi non poſſe juriſdictionem exer-
centi; ſive ſequamur opinionem Hoſtienſis exiſtimantis
vendi non poſſe exercenti juriſdictionem obventiones ex
juriſdictione provenientes, etiam ſi ſeorſim à juriſdictione
vendantur, quia cùm ſine illa non proveniant propter hu-
juſmodi connexionem vendito uno, neutrum invendi-
tum derelinquitur, ut in dict. *cap. Si quis obiecerit*, & in
hoc caſu militant inconvenientia, quæ in venditione ju-
riſdictionis conſiderant DD. & præſertim Cardin. in *cap.*
præced. num. 1. *in fin.* *verſ. Quæro*, *quæ fuit ratio*, & ple-
niùs Abb. *num.* 4. nam actuarius conductor cùm ex mer-
cede actorum deducere debeat penſionem Epiſcopo perſol-
vendam; ut præter illam aliquid ſibi lucretur, verendum
eſt ne taxas augeat in actis, & inſtrumentis conficiendis,
illiſque edendis partibus, quarum intereſt, & illas concu-
tiat ut pecuniam extorqueat, ut in *Auth. ut iud. ſine quoque*
ſuffrag. col. 2.
Unde meritò Sacra Congregatio negotiis, & con- 23
ſultationibus Epiſcoporum præpoſita ſæpiùs reſpondit E-
piſcopis non licere Cancellarias locare. Quinimò hoc
ipſum probavit ſanct. memor. Clem. VIII. ex ipſius
Congregationis ſententia, ut patet ex litteris hac de
re ſcriptis ad Archiepiſcopum Neapolitanum, quarum
tenorem libuit hic inſerere de verbo ad verbum, cùm
materia ſit gravis, & exemplaris. Eſt autem hujuſmo-
di videlicet.

La

Digitized by Google

La Santità di N. Signore col parere di queſti miei Illuſtriſſimi Signori della S. Congregatione ſopra i Veſcovi hà riſoluto, che i Prelati non habbino ad affittar le Cancellarie de' loro Tribunali, ma quelle devono far' eſſercitare da miniſtri proprii da eſſi proviſionati, ſenza dar loro participatione alcuna degl'emolumenti, e proventi di eſſa; confidandoſi che con queſto i popoli habbino da reſtar più ſicuri da eſattioni indebite, & i poveri di conſeguir più gratie di quelle, che poſſono far loro gl'affittuarii ſteſſi, & anco ſia lecito ad
24 *ogn'uno vedere, che non gli ſia fatto aggravio. Vuole anco Sua Beatitudine, che ogn'uno habbia la ſua pandetta, ò taſſa delle mercedi degl'officiali ſteſa, & attaccata in publico nella ſtanza delli Notari, di maniera, che chi tratta nel Tribunale poſſa à ſua poſta chiarirſi di quanto debba pagare. Di che hora do auviſo à V. S. d'ordine della Santità Sua, affinche ella per quella che tocca a lei, così eſſeguiſca, e per lettere commandi à tutti li ſuoi ſuffraganei di commiſſione di Sua Beatitudine, che faccino il medeſimo ſenza replica alcuna, e quanto prima, perche contro li negligenti ſi manderà commiſſario con ſpeſa, e poca loro reputatione. E ſe pareſſe ad alcuno eſſer ciò dannoſo, habbia patienza, perche il guadagno deve conſiſter ſolo nel ſervitio di Dio benedetto, e nella ſalute, e buona ſodisfattione de' popoli.*

Di Roma 26. d'Agoſto 1592.

25 Alii reddunt aliam rationem cur non liceat locare Cancellariam, quia ſcilicet Epiſcopi, vel eorum miniſtri nihil prorſus emolumenti etiam ſponte oblati quovis prætextu accipere poſſunt pro collatione quorumcumque ordinum, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa.

26 Notarii verò in iis locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam unius aurei partem accipere poſſunt, dummodò eis nullum ſalarium ſit conſtitutum
27 pro officio exercendo; nec Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum directè, vel indirectè provenire poſſit, ut diſertis verbis ſtatuitur decreto Concilii Tridentini in *cap. 1. ſeſſion.* 21. Et Sacra Congregat. ejuſdem Concilii interpres ſæpiùs declaravit Cancellarium poſſe pro qualibet ſcriptura collationis, vel inſtitutionis accipere mercedem ſuo labori convenientem, quæ tamen ſcriptura, ſigillo, & cæteris omnibus computatis, unum
28 aureum non excedat: & dummodo ipſi Cancellario ſalarium nullum pro officio ſuo exercendo præſtitum ſit, & ex pecunia, quàm accipit, nihil prorſus emolumenti collatores, aut inſtitutores etiam occaſione ſigilli ullo modo directè, vel indirectè percipiant. Similiter ſanct. memor 29
Gregorius XIII. in cauſa Burgenſi declaravit in collationibus beneficiorum Epiſcopum non poſſe pro ſigillo aliquid capere, etiam ubi extaret talis conſuetudo: Notarium autem, cui certum ſalarium pro ſuo officio conſtitutum non eſt, poſſe pro ſingulorum beneficiorum collatione, aurum unum accipere in cauſam laboris ſcripturæ, ſigilli, & cæterorum. Item officiales Archiepiſcoporum, 30
& Epiſcoporum Regni Luſitaniæ unum ducatum accipiebant pro executione litterarum Apoſtolicarum, diſpenſatione matrimonialium, & ita etiam pro præſentatione cujuslibet reſcripti: Notarii etiam pro examine te- 31
ſtium capiebant alium ducatum, & plus, minuſve, juxta numerum illorum, & laborum. Et quoniam in eis litteris ſolet apponi clauſula, *Quod Epiſcopi, & officiales depoſita omni ſpe cuiuſcumque muneris, & premiis etiam ſponte oblatis, diſpenſent*, & Tridentinum Concilium in *cap. 5. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* tales diſpenſationes gratis omninò concedi jubet: quæſivit Card. Portugalliæ Legatus: an liceat dictis officialibus, & notariis accipere id, quod capiebant: Sanctiſſimus referente Congregatione Concilii, decrevit Epiſcopos, eorumque Vicarios nihil prorſus ea de cauſa accipere poſſe: notariis autem licere dumtaxat quartam partem ducati accipere. Quæ cùm ita ſint, ſi Epiſcopis liceret Cancellariam locare, utique per indirectum conſequerentur emolumentum ex mercede, quam licet Cancellario accipere in caſibus memoratis, quod eſſet contra decretum dict. *cap.* 1. & Apoſtolicas declarationes.

Verùm hæc ratio quamvis in ſe vera ſit; tamen non eſt omninò adæquata, & vitari poſſet ſi Epiſcopus in locatione Cancellariæ, & taxatione annui cenſus non computaret ea, ex quibus nihil ſibi, ſed Cancellario dumtaxat licet aliquid emolumenti percipere. Eo enim caſu attenta ratione prædicta ſuſtineretur locatio, quia Epiſcopus pro litteris dimiſſoriis, pro ſcriptura collationis, vel inſtitutionis, pro executione litterarum Apoſtolicarum, & conſimilibus, nihil emolumenti perciperet directè, vel indirectè: & tamen nihil hujuſmodi cautela adhibita licitum eſſet Cancellariam locare; unde tutiùs eſt tenere, quod ſuperiùs dictum eſt.

DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR pro licentia docendi.

Ex Concilio Lateranen.

C A P U T I.

QUoniam Eccleſia Dei, ſicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non poſſunt, legendi & proficiendi opportunitas ſubtrahatur, per unamquamque Cathedralem Eccleſiam magiſtro, qui clericos ejuſdem & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur: & infrà. Pro licentia verò docendi nullus pretium exigat, vel ſub obtentu alicujus conſuetudinis ab eis qui docent aliquid quærat: nec docere quemquam qui ſit idoneus, petita licentia interdicat. Qui autem contra hoc venire præſumpſerit, ab Eccleſiaſtico fiat beneficio alienus: Dignum quippe videtur, ut in Eccleſia fructum ſui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, Eccleſiaſticum profectum nititur impedire.

S V M M A R I V M.

1 *ECcleſia Cathedralis, & qualibet Collegiata, providere debet de una præbenda Magiſtro in Grammatica, qui clericos eiuſdem Eccleſiæ, & pauperes ſcholares gratis doceat, & num. 4.*

2 *Pro licentia docendi prætextu alicuius conſuetudinis nil debet exigi, vel promitti: ob hoc promiſſum remittitur, & ſolutum reſtituitur, & illam vendens eſt beneficio privandus, & num. 4. & 12.*

3 *Legere volentes non ſunt prohibendi ſi ſint idonei, & contrafacientes puniuntur, ut hic.*

5 *Magiſter Grammatices in Cathedrali, vel Collegiata deputatus, tenetur gratis docere clericos eiuſdem Eccleſiæ tantum, alios vero non, niſi ſint pauperes.*

6 *Pauperes non dicuntur, qui opibus parentum ſuſtentari valent.*

7 *Pater tenetur alere filios, etiam ſpurios de iure canonico.*

8 *Pa-*

Digitized by Google

8 *Patris divitiæ cenſentur divitiæ filii, etiam nil actu habentis.*
9 *Teſtimonium patris ſuffragatur filio, ſtante ſtatuto, ne quis admittatur ad officium, niſi habeat centum in bonis.*
10 *Filius habens patrem divitem poteſt promoveri ad ſacros Ordines abſque patrimonio.*
11 *Contrarium.*
12 *Quaſi ſimoniacum reputatur, pro licentia docendi aliquod pretium exigere.*
13 *Et quid ſervandum circa expenſas in aſſumptione magiſterii, vel doctoratus.*

1 QUoniam. Totus hic titulus quoad primam, & ſe-
cundam partem rubricæ ſummatur à Joan. Andr. u-
nico contextu, & concordant Cardin. Anchar. Abb. Joan.
de Anan. & Marian. Socin. Quoad primam partem ſic;
Cathedralis Eccleſia, & quælibet Collegiata, quæ ad hoc
ſufficit, providere debet de una præbenda Magiſtro in
Grammatica, qui clericos eccleſiæ, & pauperes ſcholares
gratis doceat: qui Magiſter à Prælato cum Capitulo, vel
majori parte ipſius eligi debet, quorum negligentiam
ſupplebit Ordinarius. Metropolitana Eccleſia etiam ha-
bebit Theologum, & ſi utrique non ſufficit, de Grammati-
ca in aliqua eccleſiarum ſuarum, quæ ad hoc ſufficiat, faciat
provideri. Ut Theologi poſſint haberi, Prælati, & Capi-
tula ad Theologiæ ſtudium aliquos mittere debent, qui-
bus providebunt ſi ſui reditus eis non ſufficiunt: & do-
centes in Theologia donec docuerint, & ſtudentes, per
quinquennium integrè præbendarum ſuarum fructus per-
cipiant, conſuetudine, vel ſtatuto contrariis non ob-
ſtantibus, hoc dicit *cap. primo in 1. part. ſecundum in 2. pe-*
2 *nultim. & ultim.* Quoad ſecundam partem ſummatur ſic;
pro licentia docendi prætextu alicujus conſuetudinis nil
3 debet exigi, vel promitti; ob hoc promiſſum remittitur,
& ſolutum reſtituitur; idonei legere volentes prohiberi
non debent contrafacientes officiis, & dignitatibus pri-
vabuntur. Hoc dicit *cap. primum in 2. part. & cap. 2. in*
prima, & cap. 3. Sed Antonius de Butr. ſummat unam-
quamque Decretalem per ſe: quod ſatis placet, ut ſingu-
læ facilius intelligantur, ſecundum Abbatem, Marian. So-
4 cin. & Felin. Unde hæc prima ſummatur ſic: Eccleſia
Cathedralis providere debet magiſtro de beneficio, qui
clericos ejuſdem eccleſiæ, & alios pauperes gratis doceat,
& vendens licentiam docendi, aut idoneum ad docen-
dum impediens, eſt beneficio privandus. Hoc ſtatuit;
ſunt tres partes; in prima provideri mandat de magiſtro,
in ſecunda factum irreprehenſibile inhibet, ibi, *Pro licen-*
tia, in tertia pœnam imponit, reddens cauſam, ibi, *Qui*
autem,

5 Nota primò ibi, *Pauperibus*. Quamlibet Cathedra-
lem teneri providere de Magiſtro, qui clericos ejuſdem
Eccleſiæ, & pauperes ſcholares gratis doceat: ergo alios
clericos non tenetur gratis docere, niſi ſint pauperes, *cap.*
Quia nonnullis, infra eod. ſecundùm Innocent. *hic in ver.*
Ejuſdem, Hoſtien. *num. 1.* Joan. Andr. *num. 2. in eodem*
verb. & Butr. *in 2. notab.* à divitibus enim, qui ejuſdem
Eccleſiæ non ſunt, licitè poteſt accipere, cùm non prop-
ter eos habeat præbendam, argum. *cap. Charitatem, 12.*
quæſt. 2. cum ſimilibus, ut per Innocent. in dict. *cap. Quia*
nonnullis, in princip.

Secundò nota ibi, *Qui parentum opibus juvari non poſ-* 6
ſunt. Pauperes non dici, qui opibus parentum ſuſtentari
valent, prout ex hac littera deducunt Abb. Marian. Socin.
& Felin. omnes *in 1. notab.* reddentes rationem, quia 7
pater tenetur filiis alimenta, & alia neceſſaria ſubminiſtra-
re, *l. Si quis à liberis, ff. de liber. agnoſcend.* etiamſi ſint
ſpurii, ſecundùm Canones, ut *cap. Cum haberet, in fin.*
ſupr. de eo, qui duxit in matrimon. quam poll. per adulter.
Itaque divitiæ patris cenſentur divitiæ filii, etiam nihil a- 8
ctu habentis; quod pluribus more ſuo exornat Felin. *hic*
num. 2. verſ. Nota ex eiſdem verbis: & in ſpecie ex hoc 9
notabiliter infert, ut ſtante ſtatuto ne quis admittatur ad
officium, niſi habeat centum in bonis, æſtimum patris
hoc caſu proſit filio nil in bonis habenti; ad quod ſemper
allegat gloſſ. in *l. 2. in verb. Poteſtate, Cod. Qui ætate, lib.*
10. qui dicit æſtimum patris filii reputari; idem dicit Bal-
dus in *l. 2. in 8. col. verſ. Item nota quod æſtimum, Cod. de*
liberis, & eorum liber. & in l. final. in fin. Cod. de impub.
& aliis ſubſt. & Bart. in *l. 1. §. Domini, il terzo, num. 2.*
ff. ad Syllanianum.

Hinc etiam deducunt aliqui, ut quamvis Epiſcopus, 10
qui ordinavit clericum ad ſacros ordines ſine ſufficienti ti-
tulo, non habente de ſuo unde vivat, teneatur ei vitæ
neceſſaria ſubminiſtrare; tamen hoc non procedat, ſi or-
dinatus habeat patrem divitem, cujus opibus vivere poſſit,
ut innuit textus in *cap. Epiſcopus, ſupra de præbend.* in il-
lis verbis: *Niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hæredi-*
tate ſubſidium vitæ poſſit habere. Et ibi hoc notat Decius *n.*
7. dicens idem ſentire Joann. de Imol. *ibidem col. 2. verſ.*
Ultimo potes notare; quinimò ex hoc infert Surdus *in tra-*
ctat. de alimentis, tit. 7. quæſt. 37. num. 2. ut etiam à prin-
cipio clericus promoveri poſſit ad ſacros abſque patrimo-
nio, ſi patrem habeat divitem: ſed hæc non ſunt admit- 11
tenda poſt Concilium Tridentinum *cap. 2. quæſt. 21.* ut ple-
nè ſcripſi in dict. *cap. Epiſcopus, à num. 20. uſque ad num.*
30. de præbend.

Tertiò nota ex ſecunda parte textus, & rubricæ, pro 12
licentia docendi non licere aliquod pretium exigere con-
traria conſuetudine non obſtante, ut hic, & in duobus
cap. ſeq. & ideò hoc quaſi ſimoniacum reputatur, ut hic
in gloſſ. *in verb. Conſuetudinis*, nam ſtrictè, & propriè
ſumpto vocabulo, in hoc non dicitur committi ſimoniam,
& ita poteſt intelligi, quod notat Vincent. *in cap. ſeq.* &
ibi etiam Innocen. *in fin.* dicens hoc non eſſe ſimoniam,
ſed turpè lucrum: largè tamen, & impropriè poteſt dici
ſimonia, ut hic per Marian. Socin. *num. 10.* & Felin. *nu-*
mer. 4. verſ. in gloſſ. verb. Conſuetudinis, & hoc denotat
dictio illa, *quaſi*, poſita in gloſſ. quæ regulariter eſt non
improprietatis, ut *l. 3. §. fin. ff. de vi, & vi armat.* & no-
tatur in *cap. 2. de præben. lib. 6.* Hodie tamen circa expen- 13
ſas à ſcholaribus faciendas aſſumptione magiſterii, vel do-
ctoratus eſt proviſum per Concilium Viennenſe in *Clem.*
Cum ſit nimis, de Magiſtris.

Providet hoc Capitulum circa magiſtrum grammatices,
ſecundùm Joann. Andr. & ſequaces in ſumma hujus ti-
tuli, ut dixi ſupra in principio. De magiſtro autem Theo-
logiæ ſtatuit *cap. final. infra eodem;* ſed quia de utroque
ſtatuitur tam in *cap. Quia nonnullis, infra eod.* quam in
Concilio Tridentino *cap. 1. ſeſſ. 5.* ideò & nos de utroque
agemus in prædicta Decretali, *Quia nonnullis*, ubi me-
lius cadit,

Digitized by Google

DE MAGISTRIS.

Innocentius III, in Concilio Generali.

CAPUT IV.

QUia nonnullis propter inopiam, & legendi ſtudium, & opportunitas proficiendi ſubtrahitur, in Lateranenſi Concilio pia fuit conſtitutione proviſum, ut per unamquamque Cathedralem Eccleſiam, Magiſtro, qui ejuſdem Eccleſiæ Clericos alioſque ſcholares pauperes gratis inſtrueret, aliquod competens beneficium præberetur: quo & docentis relevaretur neceſſitas, & via pateret diſcentibus ad doctrinam. Verùm quoniam in multis Eccleſiis id minimè obſervatur; Nos prædictum roborantes ſtatutum, adjicimus, ut non ſolùm in qualibet Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in aliis, quarum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur Magiſter idoneus, à Prælato cum Capitulo, ſeu majori & ſaniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Eccleſiarum ipſarum gratis in Grammatica facultate ac alios inſtruat juxta poſſe. Sanè Metropolis Eccleſia Theologum nihilominùs habeat, qui Sacerdotes & alios in ſacra pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur. Aſſignetur autem cuilibet Magiſtrorum à Capitulo unius præbendæ proventus: & pro Theologo à Metropolitano tantumdem: Non quòd propter hoc efficiatur Canonicus, ſed tamdiu redditus ipſos percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo. Quòd ſi fortè de duobus Eccleſia Metropolis gravetur, Theologo juxta modum prædictum ipſo provideat: Grammatico verò in alia Eccleſia ſuæ civitatis, ſive diœceſis, quæ ſufficere valeat, faciat provideri.

SVMMARIVM.

1 *MAgiſter Grammatices eligi debet à Prælato, & Capitulo in qualibet Cathedrali, vel Collegiata in facultatibus ſufficienti: In Metropolitana vero eligi debet etiam Theologus.*

2 *Tridentinum Concilium in quo diſcrepet à iure communi circa electionem Magiſtri Grammatices in Metropolitanis Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, & num. ſeqq. uſque ad num. 24.*

3 *Magiſter Grammatices qualis eligendus.*

4 *Magiſter ludi litterarii à communitate electus poteſt ab Epiſcopo examinari in iis dumtaxat, quæ ſpectant ad fidem, doctrinam Catholicam, & bonos mores.*

5 *Monachus, & religioſus an poſſit aſſumi in magiſtrum, & nu. ſeqq. uſque ad num. 15.*

6 *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium.*

Declaratur num. 11.

7 *Regula Monachali, & Eccleſiaſticis officiis nemo poteſt ſimul deſervire, & num. 12.*

8 *Profeſſio diſpar eſſe non debet in uno, & eodem officio.*

Declaratur num. 13.

9 *Monachus bonus vix bonum Clericum facit, & numero 14.*

10 *Monachum ſcientem, & honeſtum ſatiùs eſt Cathedræ præficere, quàm ſæcularem clericum ſcientem, & inhoneſtum.*

15 *Magiſter Grammatices de iure eligendus eſt ab Epiſcopo cum conſenſu Capituli.*

16 *Sed ex Concilio Tridentino eligi debet cum Capituli conſilio, quod Epiſcopus tenetur petere, ſed ſequi non cogitur.*

17 *Magiſter Grammatices tenetur gratis docere clericos etiam divites illius Eccleſiæ, in qua eſt conſtitutus: alios verò clericos, & ſcholares non tenetur docere gratis niſi ſint pauperes.*

18 *Et quid ex Concilio Tridentino.*

19 *Magiſter unus tantum, ſcilicet Grammaticus de iure conſtitui debet in Cathedrali, vel Collegiata: in Metropoli autem duo, ideſt Theologus, & Grammaticus.*

20 *Sed ex Concilio Tridentino in qualibet ex dictis Eccleſiis conſtituendus eſt Theologus tantum, & in eius defectum Grammaticus.*

21 Saltem, *dictio eſt ſubſidiaria, & diminutiva.*

22 *Magiſtro Grammatices de iure aſſignandi ſunt à Capitulo redditus unius præbendæ, quos tamdiu percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo.*

23 *Et quid ex Concilio Tridentino.*

24 *Theologiæ Lector de iure eligi debet tantùm in Metropolitana Eccleſia: ſed ex Concilio etiam in Cathedrali, & Collegiata.*

25 *Lectio Sacræ Scripturæ ex Concilio Tridentino haberi debet in monaſteriis monachorum, in conventibus regularium, & in publicis gymnaſiis.*

26 *Lector Sacræ Scripturæ examinandus eſt ab Epiſcopo loci de vita, & moribus, & ſcientia; quod tamen de Lectoribus in clauſtris monachorum non intelligitur.*

27 *Nec de Rectoribus in conventibus regularium.*

28 *Theologi officium eſt Sacerdotes, & alios docere ſacram Scripturam, & in his præſertim inſtruere, quæ ad curam pertinent animarum.*

29 *Theologalem præbendam obtinens an poſſit legere Theologiam ſcholaſticam.*

30 *Scriptura Sacra propriè dicitur, quæ in ſacris litteris continetur.*

31 *Theologia ſcholaſtica eſt, quæ legitur in libris ſacrorum Scriptorum.*

32 *Theologalis præbenda an poſſit conferri Canoniſtæ.*

33 *Theologus in Metropolitana Eccleſia electus de iure non efficitur Canonicus.*

Secus ex Concilio Tridentino.

34 *Præbenda primò vacatura eſt poſt Concilium Tridentinum pro Lectore Sacræ Scripturæ ipſo facto conſtituta intelligatur, ibidem.*

Requiritur tamen actualis Epiſcopi deputatio, & erectio, num. 36. & num. 37.

35 *Theologalem præbendam obtinens qualiter ſit cogendus muneri ſuo ſatisfacere.*

37 *Collatio præbendæ, quæ primò poſt Concilium Tridentinum vacavit facta perſona minus idonea ad legendum Sacram Scripturam valida eſt ſi præbenda nondum fuerit deputata, & erecta in Theologalem.*

38 *Theologi electio ſpectat ad Epiſcopum; præbendæ verò Theologalis collatio facienda ab eo, ad quem ante Concilium Tridentinum ſpectabat, & num. ſeq.*

39 *Præbenda, quæ primò poſt Concilium vacavit in menſibus reſervatis, non poteſt uniri pro lectione Sacræ Scripturæ: & idem ſi in dictis menſibus Cardinalis habeat indultum.*

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Q*Via nonnullis*, In qualibet Cathedrali Eccleſia, vel alia in facultatibus ſufficienti debet à Prælato, & Capitulo unus Magiſter eligi, cui redditus unius præbendæ debent aſſignari: in Metropoli- 1

F tana

tana verò Eccleſia etiam eligi debet Theologus: & ſi ad Grammaticum, & Theologum non ſufficiat, provideat ipſi Theologo de præbenda; & Grammatico faciat provideri in aliqua eccleſiarum ſuæ civitatis, vel diœceſis. Hoc dicit Butr. Abb. Joann. de Anan. Marian. Socin. & Felin. Primò ponit ſtatutum Concilii, quod ſecundò innovat, & ſupplet ibi Hoſtienſ. Providet hic Innocentius III. in Concilio generali tam circa Magiſtrum Grammatices, quàm circa Theologum, prout etiam facit Concilium Tridentinum in *cap. 1. ſeſſ. 5.* unde nos ſimiliter de utroque agemus, juxta ordinem hujus litteræ, primò ſcilicet de Grammatico, ſecundò de Theologo.

Circa primum conjungendo diſpoſitionem textus noſtri cum decreto Tridentini Concilii in *dict. cap. 1. verſ. Eccleſiæ vero*. Nota primò ex hoc textu ibi, *adicimus*, non ſolùm hic roborari, & ſecundum Hoſt. *num. 1.* innovari ſtatutum Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III. de quo in *cap. 1. ſupra eodem*, ſed aliquid adjici: ſic etiam Concilium Tridentinum non tantum Summorum Pontificum, & Conciliorum conſtitutionibus cohæret, eaſque amplectitur, verùm etiam illis nonnulla adjicit, ut in proœm. *dict. cap. 1. ſeſſ. 5.*

2 Secundò nota ibi, *ſed etiam in aliis*: quod non tantùm Cathedrales, ſed etiam Collegiatæ, Eccleſiæ debent habere Magiſtrum Grammatices: nam verbum, *alus*, exponitur, id eſt Conventualibus, & capitulum habentibus, ſecundùm Hoſtien. *num. 1. in fin. in verb. In aliis*, Joan. Andr. *eod. num. in verb. Aliis*, & Ancharan. *in primo notab.* & in hoc addit hæc Conſtitutio Lateranenſi Concilio. Dum autem dixit de Cathedralibus, intellige etiam de Metropolitanis: nam Metropolitana Eccleſia præter Theologum debet etiam habere magiſtrum in Grammatica facultate, ſicut quælibet Cathedralis, ut patet in textu ibi, *Metropolitana Eccleſia Theologum nihilominus habeat*; id eſt ultrà Magiſtrum Grammatices: nec non ibi, *Quod ſi fortè de duabus Eccleſia Metropolis gravetur, &c.* in hoc concordat Concilium Tridentinum in dicto *cap. 1. ſeſſ. 5.* nam qua parte diſponit, ut Eccleſiæ, quæ Theologum habere non poſſunt, ſaltem habeant Magiſtrum Grammatices: verbum illud *Eccleſia*, refertur ad Metropolitanas, Cathedrales, & Collegiatas, de quibus ſupra fecerat mentionem in Conſtitutione prębendę Theologalis.

3 Tertiò nota ibi, *idoneus*: Non quemlibet, ſed idoneum tantùm conſtituendum eſſe in Magiſtrum Grammatices, id eſt qui moribus primum, deinde facundia excellat, *l. Magiſtros, Cod. de profeſſ. & medic. lib. 10.* bonam enim converſationem debet habere teſtem doctrinæ, *cap. Valentianus, 84. diſtinct.* & notat gloſ. in *cap.*

4 *Quanto, in verb. Idonei, ſupra eod.* Unde & Magiſter ludi litterarii a communitate electus ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii poteſt ab Epiſcopo examinari in iis, quæ ſpectant ad fidem, doctrinam Catholicam, & bonos mores.

5 Sed numquid religioſus, & præſertim monachus poſſit aſſumi in magiſtrum? Hoſt. hic *num. 3.* diſputat quæſtio-

6 nem ad partes, & primò arguit ad negativam, quam monachus non docentis, ſed plangentis habet officium, *cap.*

7 *Monachus, & cap. ſeqq. 16. q. 1.* Item quia ſecundùm Gregorium, *Nemo poteſt eccleſiaſticis officiis ſimul, & monachali regula deſervire, cap. Nemo, 16. qu. 1.* Ergo longè

8 minus monachali, & magiſtrali: & ſicut dicitur in Concilio Hiſpalenſi in uno, & eodem officio non debet eſſe diſpar profeſſio, & cohærere, & conjungi non poſſunt quibus vota, & ſtudia ſunt diverſa, *cap. In nova, 16. qu. 7.* non ergo clerici ſæculares, & regulares quoad officium docendi videntur ſimul conjungi poſſe, quia ſecundum

9 Auguſtinum, *Bonus monachus vix bonum clericum facit, cap. Lege, 16. q. 1.* quod ſi non facit bonum clericum, ergo nec bonum magiſtrum: tales igitur repelli debent ab officio magiſtrali, quia in talibus malè concordaret cithara cum pſalterio, arg. *cap. Diverſis, & cap. Quod à te, de cler. conjug.* Sed in contrarium arguit, quia ſecundùm Hieronymum *ad Ruſticum Monachum, Multo tempore debet Monachus diſcere, quæ poſteà doceat, ſed caveat ne cito uſurpet, & ne prius ſit magiſter, quàm diſcipulus, cap. Sic*

10 *vive, & cap. Si clericatus, 16. q. 1.* Item ſatius eſt cathedræ præfuere Monachum ſcientem, & honeſtum, quam ſæcularem clericum ſcientem, & inhoneſtum, ſecundùm Jo. Chryſoſtom. *in cap. Multi ſacerdotes, 40. diſtinct.* & Ambroſ. in *cap. Doctor, & in cap. ſeqq. 11. q. 1.* maximè cum gratis doceant, nec idonei ſunt prohibendi, ut legitur, & notatur ſuprà in *cap. prox.* His in utramque partem adductis concludit Hoſt. ſub diſtinctione: nam aut monachus ingerit ſe: & ſic eſt repellendus, ut in primis concordant: aut à ſuperiore ſuo mittitur, & ab illo, ad quem pertinet, licentiatur; & ſic eſt admittendus, *cap. Moderamine, cum cap. ſeq. 16. q. 1. & cap. cætera, de offic. Ordin.* dummodo tamen à ſcientiis prohibitis abſtineat, ſecundùm ea, quæ leguntur, & notantur in *cap. Non magnopere, & in cap. fin. Ne Cler. vel Monach.* hoc etiam expoſcit non ſolùm utilitas proprii monaſterii, ſed etiam univerſalis Eccleſiæ: ad hoc *cap. Ad audientiam, de cleric. non reſident.*

non obſtat, quod Monachus non habeat officium docentis; quia hoc verum, niſi ad illud eligatur, vel aſſumatur. 11

Item non obſtat *cap. Nemo poteſt, 16. qu. 1.* quia licèt eo- 12
dem momento non poſſit eccleſiaſticis officiis, & Monachali regulæ deſervire, poteſt tamen hoc diverſis locis, ſicut & faciunt plerique ſæculares clerici. Item non obſtat 13
Hiſpalenſe Concilium, quia verùm eſt non debere ſub uno, & eodem tecto ſociari homines diverſæ profeſſionis, id eſt contrariæ, ut ibi: nam aliàs certum eſt in una, & eadem univerſitate eſſe diverſorum corporum hominum genera diverſa. Sed nec quoad officium magiſterii ſæcularium, & regularium diverſa ſunt ſtudia, quia utrique ſtudent, utrique docent: nam etſi conſideratur univerſitas ſtudentium, diverſarum ſcientiarum diverſi ſunt modi, & tamen unum corpus conſtituunt & ſimul cohærent, & ſimul conjunguntur. Demum non obſtat, quod bonus 14
Monachus vix faciat bonũ clericum: quia etſi vix fit, tamen fit, *l. Vix certis, ff. de iudic. c. 2. de cognat. ſpiritual. lib. 6.* ita Hoſtien. cum quo concordant hic Joann. Andr. *num. 2.* Henric. Boich. *num. 12.* Butr. *num. 3.* Cardin. *eodem num.* Anchar. *num. 8.* Abb. *num. 1.* Joan. de Anan. *num. 2.* Marian. Socin. *num. 4.* & Felin. *num. 1.* Archid. in *cap. Monachus, num. 1. 16. qu. 1.* & ibi etiam Bellam. *poſt princip.* quod latiſſimè proſequitur Turre. *1.* in *cap. 1. num. 4. eod. caſu, & quæſt.*

Quartò nota ibi, *A Prælato cum Capitulo*. Magiſtrum 15
in Grammatica facultate eligendum eſſe a Prælato cum Capitulo, ut in littera: immò ut dicit Hoſtienſ. hic *num. 7. verſ. Vel dic quod verius eſt*, magis requiritur in tali electione conſenſus Capituli, quam Prælati, quia Prælatus non debet doceri, ſed docere: illi vero de capitulo ſunt inſtituendi; unde ipſorum intereſt, ut eligatur talis, qui diligatur, & cujus modus acceptabilis ſit, & cum Hoſtien. tranſeunt Joan. Andr. *num. 3.* Ancharan. *in ſecundo notab.* referentes illud Quintiliani *lib. 2. de orat. inſtitut.* [ut Præceptoris eſt officium docere, ita diſcipulorum præbere ſe dociles: ſcientia enim convaleſcere nequit, niſi ſociata fuerit tradentis, accipientiſque concordia] ſed nihilominus Concilium Tridentinum in dicto 16
cap. 1. ſeſſ. 5. verſ. Eccleſia vero, in electione Magiſtri Grammatices non exigit Capituli conſenſum, ſed conſilium, ut patet ibi, *ab Epiſcopo cum conſilio Capituli eligendum*. Quò fit ut Epiſcopus teneatur conſilium petere, ſed ſequi non adſtringatur, *cap. Cum olim, de arbitrar. cap. 1. de Capell. Monach.* gloſſ. in *cap. Cum vetere, in verb. Expectatum, de elect.* Doct. in *cap. Quanto, de his, quæ fiunt à Prælat.* & in terminis *dict. cap. 1. ſeſſ. 5.* aliàs cenſuit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii Interpres.

Quintò nota ibi, *Clericos Eccleſiarum ipſarum*; Magi- 17
ſtrum Grammatices teneri gratis docere clericos illius Eccleſiæ in qua eſt conſtitutus magiſter, etiamſi divites ſint; quia cum illorum ratione habeat redditus præbendæ, juriſconſentaneum eſt, ut aliam mercedem ab eis non accipiat; alios verò clericos, & ſcholares, quia illorum ratione non habet præbendam, non tenetur gratis docere, niſi ſint pauperes, ut notatur in *cap. 1. ſupra eod.* Innoc. *in verb. Eiuſdem*, Hoſt. *num. 1.* Joan. Andr. *num. 2. in eod. verb.* & Ant. de Butr. *in 2. notab.* & idem Innoc. hic *in princip.* Sed Concilium Trid. in *d. cap. 1. ſeſſ. 5.* non reſtrin- 18
git ſe ad clericos eccleſiarum, in quibus magiſter conſtituitur, ſed ſimpliciter, & indiſtinctè dicit: *qui clericos, aliaſque ſcholares pauperes Grammaticam gratis doceat*; ergo ſimpliciter, & indiſtinctè de omnibus clericis videtur intelli-

Digitized by Google

telligendum argum. *cap. Relatum, il ſecondo*, §. 1. *ſupra*
de teſtam. cap. Quia circa, de privileg. l. 1. §. *Generaliter,*
ff. de legat. præſtand. l. De pretio, ff. de publication. in rem
action. Niſi dixeris Concilium diſtingui per Canones an-
tiquos, à quibus recipit interpretationem paſſivam, *leg.*
2. *Cod. de noxal.* & ferè in his terminis notat Hoſtienſis
hic num. 7. *in verb. Et alios*. Sed nihil firmo, quia non
reperio deciſum.

19 Sextò nota ibi, *Metropolis Eccleſia*: & accuratè obſer-
va differentiam inter Cathedrales, vel Collegiatas, &
Metropolitanas Eccleſias: nam in Cathedralibus, & Col-
legiatis conſtituendum eſt unus tantum magiſter, ſcilicet
grammatices: In Metropolitana verò conſtituendi ſunt
duo magiſtri, unus ſcilicet in Theologia, alius in Gram-
matica facultate, & cuilibet ipſorum aſſignandi ſunt à Ca-
pitulo proventus unius præbendæ, ut in littera, & no-
20 tant omnes in ſummario textus. Verùm Tridentina ſyno-
dus in dict. *cap.* 1. *ſeſſ.* 5. in qualibet Eccleſia ſeu Metropo-
litana, ſeu Cathedrali ſeu Collegiata non mandat conſti-
tui niſi Theologum cum aſſignatione præbendæ proximè
vacaturæ: quod ſi illarum proventus tenues fuerint, vel
tam exigua ſit clerici, & populi multitudo, ut Theologi
electio in eis commodè haberi non poſſit; tunc mandat
ut ſaltem magiſtrum habeat, qui clericos alioſque ſchola-
21 res pauperes grammaticam gratis doceat. Atque ita Con-
cilium non mandat conſtitui Grammaticum niſi in defe-
ctum Theologi, & in ſubſidium; cùm dictio illa, *ſaltem*,
ſit ſubſidiaria, & diminutiva, *cap. Statutum*, §. *Cum ve-*
ro, & ibi bona gloſſ. *in verb. Saltem, de reſcript. lib.* 6.
leg. 1. *Cod. de emendat. propin.* Bart. *in l.* 1. *nu.* 5. *ff. de iu-*
re Codicill. Paul de Caſtro *conſ.* 79. *Pro pleniori, num.* 7.
lib. 1. Diſcrepat igitur Concilium à jure communi in duo-
bus quantum ad hoc. Primò, quia de jure in Cathedrali,
vel Collegiata conſtituendus eſt Grammaticus: ex Conci-
lio conſtituendus eſt Theologus. Secundò, quia de ju-
re in Metropoli conſtituendi ſunt duo magiſtri, ſcilicet
Theologus: & in ſubſidium Grammaticus. Fateor ta-
men Concilium non improbare, quin potiùs velle, ut
quæcumque aliæ lectiones, vel conſuetudine, vel qua-
vis alia ratione jam conſtitutæ propter id minimè præ-
termittantur, ut patet in eodem *cap.* 1. *verſ. Ita ta-*
men.

22 Septimò nota ibi, *Vnius præbendæ proventus*, Magiſtro
grammatices eſſe aſſignandos à Capitulo proventus unius
præbendæ, quos tamdiu percipiat, quamdiu perſtiterit
in docendo. Quod ſi proventus hujuſmodi non ſuffi-
ciant Metropolitanus in alia Eccleſia ſuæ civitatis, ſive
diœceſis, quæ ſufficere valeat; faciat provideri, ut in
23 textu, Concilium verò in dict. *cap.* 1. *ſeſſ.* 5. *verſ. Eccle-*
ſiæ verò, nullam mentionem facit de præbenda, ſed man-
dat ut magiſtro Grammatices, vel alicujus ſimplicis be-
neficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in do-
cendo perſtiterit, aſſignentur, vel ex Capitulari, vel E-
piſcopali menſa condigna aliqua merces perſolvatur, vel
aliàs Epiſcopus ipſe aliquam rationem ineat ſuæ Eccleſiæ,
& diœceſi accommodam. Hæc circa primum ſcilicet ma-
giſtrum Grammatices.

24 Circa ſecundum, ſcilicet Theologum ſimiliter conjun-
gendo hunc textum cum decreto Concilii in dict. *cap.* 1.
verſ. In Eccleſiis, *ſeſſ.* 5. Nota primò in *verſ. Sanè Me-*
tropolis. Theologum de jure eſſe eligendum in Metropo-
litana Eccleſia dumtaxat; ſed ex Concilio eligi debet non
ſolùm in Eccleſiis metropolitanis; ſed etiam in Cathedra-
libus, ſi civitas ſit inſignis, vel populoſa, & in collegia-
tis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido etiam nullius diœ-
ceſis; & ita extenditur diſpoſitio hujus textus à Metropo-
litanis ad cathedrales, & collegiatas eccleſias, ut præfer-
25 tur qualificatas. Præterea addit Concilium in dict. *cap.* 1.
ſeſſ. 5. ut in Monaſteriis quoque Monachorum, ubi com-
modè fieri queat, lectio ſacræ Scripturæ habeatur. Qua
in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in
hoc ut Sedis Apoſtolicæ Delegati eos ad id opportunis re-
mediis compellant; & eandem lectionem haberi præcipit
in conventibus regularium, ubi ſtudia commodè vigere
poſſunt, & in Gymnaſiis publicis, ſtatuitque neminem
26 ad hujuſmodi electionis officium tam publicè, quàm pri-
vatim admittendum eſſe, qui priùs ab Epiſcopo loci de
vita, moribus, & ſcientia examinatus, & approbatus
non fuerit; quod tamen de electoribus in clauſtris Mona-
chorum non intelligatur, ut ibi: Et cùm ſanctæ memoriæ 27
Cardinalis Borromæus petiiſſet declarari, an admittendi
ad officium legendi ſacram Scripturam in Conventibus re-
gularium, non tamen in clauſtris Monachorum, exami-
nandi, & approbandi ſint ab Epiſcopo loci de vita, mori-
bus, & ſcientia ex *ſeſſ.* 5. *cap.* 1. Sacra Congregatio Con-
cilii cenſuit non eſſe.

Secundò nota ibi, *In ſacra pagina doceat*: officium 28
Theologi ut ſuprà electi eſſe Sacerdotes, & alios docere in
ſacra pagina, & in his præſertim inſtituere, quæ ad curam
animarum ſpectare noſcuntur: ex Conc. Trident. d. *cap.*
1. *ſeſſ.* 5. Lectoris ſacræ Theologiæ munus eſt ſacram Scri-
pturam exponere, & interpretari.

Sed ſupplicante Capitulo Collegiatæ Hiſpalen. ut obti- 29
nenti præbendam Theologalem, qui ſine fructu ſacram
Scripturam priùs legebat, cui nemo ibidem incumbit, li-
ceret proſequi lectiones Theologiæ Scholaſticæ, quam in-
cœperat cum magna utilitate. Die 23. Februarii 1576. 30
Congregatio generalis conſideravit. Primò, quod propriè
loquendo de ſacra Scriptura dicitur, quæ in ſacris litteris
continentur, Biblia, Euangelium, Epiſtolæ Pauli, &c. 31
Theologia verò illa ſcholaſtica, quæ in libris ſacrorum
Scriptorum legitur. Auguſtini, Hieronymi, Thomæ,
Cajetani, &c. Concilium autem *cap.* 1. *ſeſſ.* 5. Licèt in
principio videatur reſpicere ad ſacram Scripturam tantùm,
tamen indifferenter poſteà in ſubſequentibus modò Theo-
giam, modò ſacram Scripturam nuncupat. Et propterea
cùm Concilium de utraque expreſſerit, de utraque erit in-
telligendum, ſicut alteram legere ſufficiat, vel ſacram
Scripturam, vel Theologiam ſcholaſticam. Quod etiam
ſenſiſſe videtur Concil. Lateranenſe, ad quod Concilium
Tridentinum reſpicit, *cap. Quia nonnullis, de Magiſtris*,
ibi: *Qui Sacerdotes, & alios in ſacra pagina doceat, & in*
his præſertim informet, quæ ad curam animarum ſpectare
noſcuntur: & ſic in Theologia ſcholaſtica. Fuerunt tamen
ex Cardinalibus, qui dicerent: quando leget Theologiam
ſcholaſticam, puta de uſuris, ſumat initium à verbis ſa-
cræ Scripturæ, puta *mutuum dantes, nihil inde ſperantes*;
& ſic ſemper præmittat aliquem locum ſacræ Scripturæ,
& deinde deſcendat ad ſcholaſticam occaſione illius inter-
pretationis. Sed hoc conſilii eſt, non neceſſitatis: præ-
ſertim cùm in diſcurſu ſcholaſticæ neceſſe ſit citare locos S.
Scripturæ. Citatus etiam fuit Rebuff. *rubr. de collat. in*
verb. Legere.

Verùm cùm Epiſcopus Cremonen. non reperiret Theo- 32
logum idoneum in civitate ſæcularem, contulit primam
præbendam poſt Concilium vacantem Vicario Canoni-
ſtæ: Dubitavit an id fieri licuerit. Nihil reperio deciſum
à Sacra Congregatione, ſed notavit Card. Alciatus non
potuiſſe Epiſcopum hoc facere, quia Concilium primò va-
caturam vult pro Theologo; Nec potuit Epiſcopus dero-
gare, & quod proviſus non facit fructus ſuos, quia ſine
titulo. Epiſcopum autem indigere abſolutione Papali pro-
pter pœnas, in quas incurrit comminatas in Bulla Pii IV.
contra non obſervantes Concilium; & ideò hæc eſſe refe-
renda Sanctiſſimo, qui Epiſcopum abſolvit ſigno Crucis,
& proviſus pariter fuit abſolutus oretenus tantùm, & di-
xit quod in poſterum cùm vacatio contingit non in menſe
Apoſtolico, conferat omninò Theologo. Reperi etiam
adnotatam reſolutionem miſſam à Cardinali ſancti Sixti,
ſed non authenticam his verbis: [Concilium Tridenti-
num loquens de præbendis Theologalibus non habet lo-
cum in Canonicalibus, cùm non ſit eadem ratio; etſi non
invenitur Theologus facta diligentia non ſolùm in loco,
ſed etiam extra, poterit non ſolùm Canoniſtæ aſſignari,
ſed cuilibet; ſed non propterea occurrente vacatione de-
buit omitti, qui de novo fiat diligentia de reperiendo
Theologum.

Tertiò nota *in verſ. Aſſignetur*, Theologo ut præfertur 33
electo aſſignandos eſſe proventus unius præbendæ, ita ut
per hoc non efficiatur Canonicus, ſed tamdiu reditus ipſos
percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo; ut dicitur in tex-
tu. Contra verò Concil. Trident. in d. *cap.* 1. *ſeſſ.* 5. *verſ.* 34
In Eccleſiis, ſtatuit ut præbenda quomodocumque præter-
quam ex cauſa reſignationis primò vacatura ad uſu Lecto-
ris S. Theologiæ ipſo facto perpetuò conſtituta, & deputa-
ta intelligatur; & ita ex Concil. S. Scripturæ Lector poſt
vacationem præbendæ habet eam perpetuò intitulatam,
& Canonicus efficitur, & ſic muneri ſuo non ſatisfaciat pu-

nisi poteſt etiam privatione ipſius præbendæ, ut in ſubjecta declaratione.

35 Cùm in Eccleſia Majoricen. quidam præbendam Theologalem obtinuiſſet, nec legere ullo modo vellet, Epiſcopus conſuluit Sacram Congregationem quid ſibi eſſet agendum. Sacra Congregatio cenſuit poſſe cogi comminationibus pœnarum, ſequeſtratione fructuum, aſſignatione portionis de iiſdem fructibus alteri, qui ipſius loco legat; Demum creſcente contumacia ad alias pœnas etiam privationis deveniendum ſactaque privatione ad corroborandum Concilii decretum Epiſcopum declarare debere, talem præbendam, & canonicatum affectum fuiſſe, & eſſe ex Concilio pro Sacræ Scripturæ Lectore: tum deligat perſonam idoneam, quæ id muneris per ſeipſam exequi valeat, & illi per ordinarium collatorem hujuſmodi præbenda conferatur.

36 Cæterùm adverte, quia etſi Concilium dicat, *præbenda primo vacatura pro Lectore ſacræ Scripturæ ipſo facto conſtituta, & deputata intelligitur:* nihilominus ad id requiritur actualis Epiſcopi deputatio, & erectio, ut ſæpius
37 fuit reſolutum, & in ſpecie orta dubitatione, an ſi præbenda, quæ primo poſt confirmatum Concilium vacavit, & ipſo facto ejuſdem Concilii decreto *ſeſſ. 5. cap. 1. verſ. In Eccleſiis autem:* pro Lectore ſacræ Scripturæ perpetuò conſtituta, & deputata intelligitur, collata fuerit inhabili ad id munus per ſe explicandum collatio valida ſit: & quatenus valida exiſtat, an ejuſmodi præbendam obtinens cogi poſſit ad ſolvendum competens ſtipendium alicui idoneo ab Ordinario loci eligendo, qui loco ſui ſacram Scripturam interpretetur. Die 26. Aprilis 1582. in Congregatione generali propoſito, & in utramque partem maturè perpenſo, & diſcuſſo dubio, quatuor ex Cardinalibus cenſuerunt collationem invalidam eſſe, quippe factam contra formam legis. Reliqui tres ſteterunt pro validitate, cum dicerent ex Concilio illam collationem nullam, & invalidam intelligi, quæ inhabili facta ſit ejus præbendæ, quæ actu in Theologalem deputata, & erecta reperitur: Omnes tamen deciſionem rejecerunt ad Sanctiſſimum, qui poſtridie ejus diei in Conſiſtorio audita relatione Congregationis, ſentiens decretum Concilii in *verſ. In Eccleſiis autem eſſe conditionatum*, & requiri declarationem, & actualem deputationem, reſpondit valere collationem præbendæ, quæ primò poſt Concilium vacavit, factam perſonæ minus idoneæ ad ſacram Scripturam per ſeipſum interpretandam, ſi nondum illa præbenda actu fuerat deputata, & erecta in Theologalem. Poſteà in una Majoricenſ. & aliis ſæpiùs eſt reſponſum ad erectionem præbendæ Theologalis requiri actualem deputationem.

Sed dubitatur an in eo canonicatu, & præbenda, quæ ſecundum Tridentinum Concilium aſſignatur Lectori ſacræ Scripturæ, remaneat Epiſcopo proviſio, quæ prius ſibi in eodem canonicatu competebat; ſervata tamen forma dicti decreti, ita ut Capitulum non poſſit ſe intromittere in proviſione d. Canonicatus, ſicut prius ſe non intromittebat; Congregatio privata rejecit ad generalem, tum quia prius de eodem negotio in una Bergomen. Congregatio generalis non omninò decrevit, ſed inclinavit contra Capitulum; tum quia verba illa Concilii de conſilio Capituli videntur referri tantum ad proxima, nempe quando agitur, vel de aſſignatione, vel de contributione, vel de magiſtro; tunc enim de conſilio Capituli, quia agitur de contributione, tum quia præbenda ipſo jure applicatur à Concilio pro præbenda Theologali, quo caſu videtur Concilium reliquiſſe collationem in terminis, in quibus erat præbenda ante Concilium, & ſic ſoli Epiſcopo. Adjuvat, quia ſupra cùm de ſubſtituto idoneo agitur, ſoli Epiſcopo datur electio. Adjuvat, & exemplum Pœnitentiarii *ſeſſ. 24. cap. 8.* quamquam illud aliis verbis ſit conceptum ibi, *ab Epiſcopo inſtituatur*; & cùm pro Epiſcopo ſtet regula, & ſtet jus vetus, poſſet ad ſummum pro honore Capituli addi, de conſilio Capituli, quod non tenetur ſequi. Sed tamen die 14. Maii 1576. Congregatio generalis cenſuit quicquid alias dictum fuerit in Bergomen. Concilium reliquiſſe in terminis juris qui ante Concilium erant, à quo fieret collatio præbendæ Theologalis; & ideò ſi præbenda ante Concilium ad Epiſcopi collationem ſpectabat, nunc etiam pertinere abſque conſilio Capituli. Secunda Auguſti anno 1576. cùm iterum hac de re actum fuiſſet, relatis tribus allegationibus Capituli, cenſuit perſiſtendum in decretis; & ſubinde in una Bergomenſ. cùm fuerit dubitatum ad quem ſpectaret electio Theologi, & collatio præbendæ Theologalis; & an poſſet uniri quoties vacaret in menſibus reſervatis, præſertim ſi in illis aliquis ex Cardinalibus habeat indultum; Sacra Congregatio die 1. Decembris 1580. cenſuit electionem Theologi ſpectare ad Epiſcopum, collationem verò præbendæ faciendam ab eo, ad quem anteà ſpectabat. Præbendam verò vacantem in menſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ non poſſe uniri pro dicta lectione; Idemque ſi in dictis menſibus Cardinalis habeat indultum.

DE MAGISTRIS,

Honorius III.

CAPUT V.

SUper ſpecula: & infrà, Volumus & mandamus, ut ſtatutum in Concilio generali de Magiſtris Theologis per ſingulas Metropoles ſtatuendis, inviolabiliter obſervetur: Statuentes, ut quia ſuper hoc propter raritatem Magiſtrorum ſe poſſent aliqui forſitan excuſare, ab Eccleſiarum Prælatis & Capitulis, ad Theologicæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur, qui cùm docti fuerint, in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti: ex quibus poſtmodum copia poſſit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad juſtitiam valeant plurimos erudire: quibus ſi proprii proventus Eccleſiaſtici non ſufficiunt, prædicti neceſſaria ſubminiſtrent. Docentes vero in Theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integrè per annos quinque percipiant de licentia ſedis Apoſtolicæ proventus præbendarum, & beneficiorum ſuorum: non obſtante aliqua alia conſuetudine, vel ſtatuto; cùm denario fraudari non debeant, in vinea Domini operantes.

S U M M A R I U M.

1 *PRelati, & Capitula ad ſtudia Theologiæ ſcholares dociles tranſmittere tenentur,*

2 *Magiſtri quamdiu publicè in ſcholis Theologiam, vel jus canonicū docuerint, & ſcholares per quinquennium gaudent fructibus beneficiorum ſuorum amiſſis diſtributionibus quotidianis, & nu. 4. & num. 11.*

Et quid ſi fructus omnes diſtributionibus conſtent, numer. 3.

Et quid ſi præbenda ſit in Cathedrali civitatis, ubi lectoris munere funguntur, num. 5.

6 *Lectores Theologiæ, ut gaudeant privilegio percipiendi fructus præbendarum ſuarum in abſentia an debeant eſſe ſtipendiati, & ex numero obtinentium Cathedras, & nu. ſeqq. uſque ad num. 10.*

7. *Lecto-*

7 *Lectores ſacræ Theologiæ, & ſcholares promovent utilitatem univerſalis Eccleſiæ.*
8 *Stipendium ex publico, quo iure Lectoribus aſſignandum.*
9 *Lectores ut gaudeant privilegio Lectoribus conceſſo ſatis eſt, ut legant in civitate Regia, vel privilegiata, vel longiſſima poſſeſſione ſuper hoc munita.*
10 *Facultas, quam à iure habent Epiſcopi diſpenſandi cum illis, qui parochiales obtinent, ut litterarum ſtudio ad ſeptennium inſiſtant, & intereà promoveri non teneantur niſi ad ſubdiaconatum an ſit ſublata à Concilio Tridentino, & nu. ſeqq. uſque in finem.*
12 *Eccleſia ad ſui regimen indiget viris litteratis, & non porcis, vel aſinis ferratis.*
13 *Doctoratus in iure canonico in quinque annis ſi velit in alia facultate ſtudere, ad reſidentiam revocari non poteſt.*
14 *Iuſtus iuſtior, & perfectus perfectior fieri poteſt.*
15 *Congregatio Concilii non conſuevit concedere ut parochi ſtudiorum cauſa abeſſe poſſint niſi perrarò, & magna cum circumſpectione.*
16 *Parochi ut de licentia Epiſcopi abeſſe poſſint à parochiali ſtudiorum cauſa novem requiſita hic relata debent concurrere, & num. ſeq.*
17 *Prælati inferiores diſpenſare non poſſunt cum parochis, ut ſtudiorum cauſa abeſſe poſſint.*

1 S*Uper ſpecula*. Prælati, & Capitula ad ſtudia Theologiæ ſcholares dociles tranſmittere tenentur, qui in
abſentia redditus præbendarum, & beneficiorum per quinquennium integraliter percipient, & ſi proprii redditus ad
ſuſtentationem ſtudii eis non ſufficiunt, debet Prælatus
cum Capitulo eis providere: Magiſtri verò donec docuerint, integrè percipiunt fructus beneficiorum ſuorum.
Hoc dicit ſecundùm Antonium de Butr. Abb. Joan. de
Anan. Marian. Socin. & Felin. & ſunt tres partes. Prima ſtatutum Concilii corroborat. Secunda providet ſuper magiſtrorum taritate, ibi, *Statuentes*. Tertia magiſtris, & ſcholaribus providet de redditibus in abſentia
percipiendis, ibi, *docentes*. Prima & ſecunda pars non
ſervatur, & ita nullus eſt fructus hujus ſtatuti, & aliorum, ut dicit gloſſ. 1. hic, & fruſtrà membranas occupat ſecundùm Hoſtien. *num.* 2. & Butr. *num.* 9. *verſ. Dicit gloſſ.* Sed quoad tertiam partem hæc Decretalis innova-
2 ta eſt à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 5. *cap.* 1. *in fin.* Itaque
magiſtri quamdiu publicè in ſcholis ſacram Theologiam
docuerint, & ſcholares, qui in ipſis ſcholis eidem ſtudio
operam navaverint per quinquennium fructibus præbendarum, & beneficiorum ſuorum in abſentia plenè gaudent, & fruuntur, ut hic in littera, & in dict. *cap.* 1.
Diſtributionibus quotidianis dumtaxat amiſſis, ut eſt caſus in *cap. Licet*, *ſupra de præbend.* & hic notat gloſſ. *in*
3 *verb. Integrè:* quæ communiter approbatur. Hoc tamen
intelligas ſi fructus præbendæ à quotidianis diſtributionibus ſint ſejuncti; ſecus verò ſi univerſi fructus hujuſmodi
diſtributionibus conſtent, quæ tunc Lectores, & ſtudentes lucrantur duas tertias illarum partes, omiſſa alia
tertia quæ inſervientibus accreſcit, ut ex ſententia Sacræ
Congregationis Concilii ſcripſi in prædicta Decretali, *Li-*
4 *cet num.* 97. & latiùs *num.* 124. *& ſeqq. & numer.* 129. Et
quod dictum eſt de magiſtris, & ſtudentibus juris canonici, quia tale ſtudium cedit in utilitatem univerſalis Eccleſiæ, *cap. Cum ex eo*, *de elect. lib.* 6. ſecundùm opinionem Archid. in *cap.* 2. *num.* 1. *ad fin. verſ. Tales habita licentia*, *de privil. lib.* 6. Quam hic ſequuntur Abb. *num.* 6.
verſ. Sed contrarium, Marian. Soc. *num.* 30. & pluribus
confirmat Felin. *num.* 2. quam etiam ſæpius probavit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Inter-
5 pretum. Quinimò aliàs cenſuit docentes jus canonicum
in publica univerſitate gaudere, & potiri privilegio de
percipiendis in abſentia ſuarum præbendarum fructibus,
quamvis præbendæ, quas obtinent, ſitæ ſint in cathedralibus ejuſdem Civitatis, in qua publici Lectoris munere
funguntur: quid autem in jure civili, dixi in *cap. Super
ſpecula*, *ſupra ne cleric. vel monach.* & vide gloſ. in dict.
cap. Cum ex eo, *in verb. Litterarum*, *de elect. lib.* 6. &
Archidiac. *loco citato*.
6 QUÆRO, An Canonicus Cathedralis publicè in aliqua Academia docens S. Theologiam ſi nullum ſit ei ſti-
pendium à publico conſtitutum, neque ſit ex numero eorum, qui cathedras habent, ſed facultatem à Rectore,
vel aliis, ad quos ſpectat, obtinuerit, gaudeat privilegio
à jure conceſſo, ut fructus canonicatus in abſentia percipiat, juxta hoc cap. quod Concilium Tridentinum in
d. *cap.* 1. *ſeſſ.* 25. ſalvum eſſe voluit.

Hoc dubium habet duas partes. Prima eſt, an ad gaudendum privilegio oporteat lectorem eſſe ſtipendiatum. Secunda, an oporteat eum eſſe de numero eorum, qui habent cathedras. Quoad primam partem videtur reſpon- 7
dendum nihil referre ad gaudendum privilegio, ut quis
ſit ſtipendiatus, necne. Primò quia ratio, ob quam à jure conceſſum eſt Lectoribus, & ſcholaribus privilegium
percipiendi fructus beneficii in abſentia eſt, quia promovent utilitatem nedum Eccleſiæ particularis, ſed etiam univerſalis, quoad ſui regimen juris litteratis indiget, ut
patet in textu ibi: *Qui cum docti fuerint in Dei Eccleſia,
velut ſplendor fulgeant firmamenti, ex quibus poſtmodum
copia poſſit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad iuſtitiam valeant plurimos erudire*,
& in fine ibi: *Cùm denario fraudari non debeant in vinea
Domini operantes*, *& in cap. Super ſpecula*, *verſ. Quia verò, Theologiæ ſtudium cupimus ampliari*, *&c. ſupra ne
cler. vel monach.* & hic notat Abb. *num.* 6. & Jo. de Anan.
num. 2. hæc autem ratio militat in lectore non ſtipendiato, non minùs, imò magis, quàm in ſtipendiato: ideòque privilegium in utroque debet habere locum, *l. Illud*,
ff. ad l. Aquil. cap. Tua, *de conſang. & affin.*

Secundò, quia Lectoribus non mandant Canones aſ- 8
ſignari ſtipendium, ſed præberi competens aliquod beneficium, ut in *cap.* 1. *ſupra eodem*, vel proventus alicujus præbendæ, ut ſuprà in *cap. Quia nonnulli*: ſtipendium autem ex publico fuit poſtea introductum, ut per
Abb. in dict. *cap. Quia nonnulli*, *numer.* 3. *prope finem.*

Tertiò hoc clarè colligitur ex dictis Doctorum, præſertim Antonii de Butrio, Abb. & Jo. de Anan. in dict. *cap.
Quia nonnulli*, qui clarè ſupponunt dari etiam Lectores
non-ſtipendiatos, & eos potiri omnibus privilegiis, quæ
Lectoribus conceſſa reperiuntur.

Quoad ſecundam partem dubii, an pro hujuſmodi privilegiis oporteat Lectorem eſſe de numero obtinentium
cathedras, ſimiliter videtur reſpondendum non oportere.

Primò, quia jura non requirunt ad gaudendum privi- 9
legio Lectoribus conceſſo, ut ſint ex numero obtinentium cathedras, ſed tantùm ut legant in civitate regia,
vel privilegiata, vel longiſſima poſſeſſione ſuper hoc munita, Albert. *in* 1. *Conſtitutione Digeſtorum*, §. *Hæc autem*,
& in l. Sed & reprobari, §. *de Philoſophis*, *ff. de excuſat.
tutor.* Accedit, quod cauſa privilegii militat etiam in
his, qui non ſunt de numero obtinentium cathedras: nam
& ipſi in vinea Domini operantur juxta textum hic: ergo
etiam in eis privilegium debet habere locum. Quinimò
id confirmant verba *cap.* 1. *ſupra eodem*, ubi agendo de
Lectoribus habentibus hoc privilegium cavetur expreſſè neminem eſſe interdicendum quominus legat, ſi tamen fuerit idoneus: & ita numerus non præfinitur,
ſed quilibet idoneus eſt admittendus, & privilegio gaudet.

An autem requiratur licentia ad hoc, ut docentes, vel
ſtudentes in Theologia percipiant in abſentia fructus præbendarum ſuarum, dixi in *cap. Relatum*, *num.* 18. *& ſeqq.
de cleric. non reſidentib.* & an abſentes abſque hujuſmodi
licentia cogi poſſint ad reſidentiam redire, etſi univerſitas
ſit privilegiata, dixi in *cap. Cum ad hoc*, *eod. tit. à num.* 2.
uſque in finem, ubi habes plura circa intellectum hujus Decretalis.

Ulteriùs QUÆRO, Poſita conſtitutione Bonifacii 10
VIII. quæ incipit, *Cum ex eo*: item poſitis decretis Concilii Tridentini *cap.* 1. *ſeſſ.* 5. *cap.* 11. *ſeſſ.* 7. *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *&
cap.* 18. *ſeſſ.* 24. An Epiſcopi diſpenſare poſſint cum
iis, qui parochiales Eccleſias obtinent, ut litterarum
ſtudio ad ſeptennium inſiſtant, atque intereà promoveri minimè teneantur niſi ad ordinem Subdiaconatus.

Videtur reſpondendum poſſe: nam decretum *cap.* 1. 11
ſeſſ. 5. non modò non tollit facultatem Epiſcopis attributam ex dicta Conſtitutione Bonifacii VIII. relata in

cap. Cum ex eo, de elect. lib. 6. ſed imò illam expreſsè præſervat his verbis: *Docentes vero ipſam ſacram ſcripturam, dum publicè in ſcholis docuerint, & ſcholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum ſuorum in abſentia à iure communi conceſſis plenè gaudeant, & fruantur.* Similiter decretum *cap. 11. ſeſſ. 7.* præſervat facultates de non promovendo in caſibus à jure communi expreſſis: & eodem modo decretum *cap. 2. ſeſſ. 6.* præſervat legitimas facultates temporales non reſidendi etiam in parochialibus eccleſiis per hæc verba: *Indulgentiis vero, & diſpenſationibus temporalibus ex veris, & rationabilibus cauſis tantum conceſſis, & cum Ordinario legitime probandis in ſuo robore permanſuris: quibus caſibus nihilominus efficium ſit Epiſcoporum, &c. providere, & per deputationem idoneorum Vicariorum, &c. cura animarum nullatenus negligatur.*

Decretum verò *cap. 1. ſeſſ. 23.* & ſi præcipiat parochialium Rectoribus, ut jugiter reſideant, tamen declarat eos poſſe legitimè abeſſe, cùm Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, evidens Eccleſiæ, vel reipublicæ utilitas aliquos abeſſe poſtulant, & infrà ſtatuit, ut quandocumque eos cauſa priùs per Epiſcopum cognita, & probata abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum cum debita mercedis aſſignatione relinquant, utque licentiam in ſcriptis gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus niſi ex gravi cauſa non obtineant. Præſervat ergo hoc loco Concilii facultatem, quam habent Epiſcopi concedendi licentiam abſcedendi ex gravi cauſa, aut ob Eccleſiæ, vel reipublicæ utilitatem.
12 Ad hanc verò utilitatem congruè referri poſſe abſentiam ſtudiorum cauſa ſatis colligitur ex eademmet Conſtitutione Bonifacii, ibi, *Legendi, & proficiendi opportunitas ſit ſublata in grande Eccleſia univerſalis, quæ ad ſui regimen viris litteratis permaxime noſcitur indigere, diſpendium, & iacturam,* & infra ibi, *ut fructum in Dei Eccleſia ſuo tempore afferre valeant opportunum,* unde Joan. Monac. *ibid. num. 1.* dicit, [Cùm indigentiæ Eccleſiæ ſit ſubveniendum, ipſa eſt perſonis litteratis implenda, non nepotulis, nec aſinis defertatis.] Item Ancharan. & Geminian. *in 2. notab.* dicunt: [Nota quia Eccleſia Dei ſummè indiget viris litteratis, non porcis, vel aſinis ferratis, & ob eorum carentiam dicitur ſuſtinere jacturam,] ut in dict. *cap. Cum ex eo.* Ideò ſtatuitur abſentes ſtudiorum cauſa percipere fructus beneficiorum ſuorum: quia denario fraudari non debent in vinea Domini operantes, ut hic dicitur in fine.

Itaque difficultas videtur reſtringi ad decretum *cap. 18. ſeſſ. 24.* quo præſcribitur forma examinis per concurſum in collatione parochialium Eccleſiarum: nam cùm privilegium dict. *cap. Cum ex eo,* conceſſum fuerit ob eam cauſam, ut Parochi in litteris proficiant, & magis idonei efficiantur ad curam animarum adminiſtrandam: utique hæc cauſa videtur jam ceſſare in his, qui parochiales per concurſum ſunt aſſequuti: cenſentur enim magis idonei, cùm illis, & non aliis parochiales Eccleſiæ conferri poſſint, ac debeant ex decreto dict. *cap. 18.* & ex Conſtitutione 33. Pii V. *In conferendis*; ceſſante igitur cauſa privilegii, ceſſat privilegium, *l. Titia Seia, §. Vſuras, ff. de leg. 2.* Ancharan. in dict. *cap. Cum ex eo, num. 6. de elect. lib. 6.*

Sed tamen veriùs videtur facultatem dict. *cap. Cum ex eo,* non eſſe ſublatam decreto dict. *cap. 18.* duobus fundamentis. Primum, quia decreta Concilii debent quantum fieri poteſt invicem conciliari, ne contraria, & pugnantia videantur, ad *cap. Cum expediat, de elect. lib. 6.* unde non eſt dicendum, ut Concilium decreto dict. *cap. 18.* voluerit eſſe ſublata privilegia dict. *cap. Cum ex eo*; quæ prius expreſsè præſervaverat decreto *cap. 1. ſeſſ. 5. cap. 11. ſeſſ. 7. cap. 2. ſeſſ. 6. & cap. 1. ſeſſ. 23.*

Secundum fundamentum eſt, quia Conſtitutio *cap. Cum ex eo,* non ſolùm emanavit in favorem ſcholarium, ſed etiam Lectorum, & docentium in publicis univerſitatibus: certum eſt autem privilegium Lectorum non eſſe ſublatum per decretum d. *cap. 18.* ſed potiùs confirmatum: nam ſi parochi electi in concurſu ſunt magis idonei, ergo majorem fructum afferre poſſunt in legendo, quàm ſi eſſent ſimpliciter idonei, atque ita per concurſum non ceſſat; imò magis viget cauſa finalis dict. Conſtitutionis Bonifacii quoad Lectores. Ideò cùm parochus Valentinus legens in publica univerſitate Valentiæ ſacram ſcripturam, quæſiverit an ſuæ parochialis fructus in abſentia percipere poſſit: Sacra Congregatio Concilii cenſuit poſſe, ita tamen ut cura animarum per ſe ipſum exercenda nihil detrimenti patiatur: unde ſequitur, ut quemadmodum Concilium quoad Lectores non ſuſtulit diſpoſitionem dict. *cap. Cum ex eo*; ita nec quoad ſcholares, qui eodem jure cum Lectoribus cenſentur, ſuntque hac in parte æqualiter privilegiati, argum. *cap. Translato, de Conſtitut. cum ſimilibus:* & quamvis digniores inter probatos ab examinatoribus judicati fuerint, adhuc tamen perfectiores, & Eccleſiæ utiliores effici poſſunt; 13 pro quo adducitur ſingularis doctrina Anchar. in dict. *cap. Cum ex eo, ſub num. 7.* ubi quærit, An ſit juſta cauſa revocandi ad reſidentiam eum, qui in quinque annis eſt doctoratus in jure canonico, & non vult ad Eccleſiam redire, ſed in alia facultate ſtudere: & reſolvit determinatum fuiſſe non eſſe hanc juſtam cauſam revocandi eum ad reſidentiam, quia, inquit, juſtus 14 juſtior, & perfectus perfectior fieri poteſt, *cap. Quantumlibet, in fine, 47. diſtin.* & quod dixit Auguſtinus in *cap. Si habes, verſ. En adſum, 24. qu. 3.* & Juriſconſultus in *l. Apud Iulianum, §. 1. ff. de fideicommiſſ. libertat.* crediderim tamen longè majore cautela utendum eſſe cum proviſis per concurſum quibus nonniſi perrarò, & ad breve tempus concedenda eſſet ſtudendi facultas. Locorum etiam, & perſonarum ratio habenda eſſet, prout obſervat S. Congregatio Concilii: & in ſpecie cùm Stanislaus Clericus Vratislavien. diœceſis ex nobili genere procreatus, qui parochialem Eccleſiam in diœceſi Gneſnen. ſitam obtinebat, petiiſſet ut ſibi liceret per triennium in publica univerſitate vacare ſtudio ſacrorum Canonum, fructuſque parochialis intereà percipere: *die 16. Iunii 1605.* Sacra 15 Congregatio tametſi non conſueverit concedere, ut parochi à parochiali abeſſe poſſint ſtudiorum cauſa; tamen quia Sacri Canones id privilegium tribuunt, & Concilium illud non revocat, ſed præſervat *cap. 1. ſeſſ. 5.* cenſuit gratiam petitam juveni optimæ ſpei concedendam, ut rem Chriſtianam Sacrorum Canonum ſcientia inſtructus in illis partibus promovere poſſit.

Quod autem pertinet ad d. Conſtitutionem Bonifacii; 16 quamvis videatur valdè inconveniens ut parochi ſola ſtudiorum cauſa per ſeptennium abſint ab Eccleſia, advertendum eſt tamen eam conſtitutionem recipere declarationes, ac moderationes infraſcriptas, quibus facultas indulgentiæ plurimum temperatur.

Primò enim refertur ad perſonas habiles tantùm, ut ibi tradit gloſſ. *in verb. Litterarum,* ubi admonet Epiſcopos ut caveant, ne diſpenſent cum his, qui dociles non ſunt, & Joan. Monach. *num. 1. in verb. Opportunum,* dicit hanc diſpenſationem eſſe faciendam cum humilibus, & ſtudere deſiderantibus, ne alioquin ſit diſſipatio.

Secundò reſtringitur ad ſolos Epiſcopos, & illorum ſu- 17 periores, unde excluduntur inferiores Prælati, ut tradit gloſſ. *illic, in verb. Epiſcopi,* Archid. *in verb. Superiores,* Anch. *num. 6.* & alii communiter.

Tertiò, procedit Conſtitutio dummodo facultas ſtudendi non petatur in fraudem, ſecundum Archid. *ibi, in ver. Libere, & in verb. Inſiſtentes,* ubi ait mentem ejus litteræ veritatem requirere, non ſimulatam fraudem.

Quartò, habet locum in his, qui ſtudent in univerſitate generali, non in caſtris, aut villis, *cap. Tuæ, de cleric. non reſident.* gloſſ. in dict. *cap. Cum ex eo, in verb. Litterarum,* & aliàs cenſuit Sacra Congregatio Concilii.

Quintò, hæc diſpenſatio fieri debet infra annum, in quo proviſus fieri debet, non autem poſt, ſecundum Anchar. ibi *num. 1. in 3. notab.*

Sextò, Conſtitutio ita intelligitur, ut non imponat neceſſitatem diſpenſandi, ſed hoc pendeat à recto judicio Præſidentis, ſecundum Archidiac. *ibi poſt princip. in verb. Liberè, verſ. Et nota quod hæc littera,* qui tamen ſubdit: [Poteſt tamen dici, quod ubi eſſet perſona: quæ evidenter apparet apta ad ſtudium, Epiſcopus cum tali debet diſpenſare cum cauſa in hac conſtitutione expreſſa: quod ſi Epiſcopus noluerit ſine cauſa, fortè talis, qui petit diſpenſationem, poterit quoad hoc ſuperioris officium implorare,

Digitized by Google

rate, argum. *cap. Nullus, de iurepatr.* & abſolutè ſuperiorem adiri poſſe ſi Epiſcopus ſine cauſa nolit concedere, cenſent ibi Gemin. *verſ. Sed quæro*, & Anch. *ſub num.* 7.]

Et quamvis ex textu noſtro ſtudentibus in Theologia non concedatur niſi quinquennium, ſicut etiam ſtudentibus in jure civili, ut in proœm. Digeſtorum, dicit tamen Joan. de Imol. & poſt eum Geminian. in dict. *cap. Cum ex eo, in gloſ. in verb. Septennium*, iſtud fuiſſe verum in tempore antiquo quando non erant tot gloſ. & dicta Doctorum; ſed hodie eſt ſecus; & ideò jura dant ſeptem, vel octo annos.

Septimò, etſi Conſtitutio loquatur de ſeptennio, hoc tamen tempus breviari poteſt, licèt non prorogari, unde gloſ. *in verb. Septennium*. [Commendabile eſt, inquit, non à principio totum dare ſeptennium, ut experiatur ſi proficiant, & tunc detur ulteriùs tempus, aliàs denegetur.] & Archid. *poſt princip. in verb. Septennium*. [Hujus litteræ, inquit, ſenſus eſt, quod Epiſcopi diſpenſare non poſſunt ultra hoc tempus, ſed citra, ſecundùm quod Eccleſiis, non perſonis viderint expedire.]

Octavò, ſeptennio durante debent Epiſcopi providere, ut per idoneos Vicarios ab ipſis deputandos cum congrua fructuum Eccleſiæ aſſignatione cura animarum laudabiliter exerceatur, ut illic diſertis verbis ſtatuitur in §. *Porrò*.

Ac denique omiſſis aliis, Conſtitutio Bonifacii ita intelligenda, ut ſi quis diſpenſationem in fraudem impetravit, incidat in pœnam, *cap. Commiſſa, de elect. lib.* 6. cujus hæc ſunt verba: *Cæterum ſi promoveri ad ſacerdotium non intendens parochialem receperis Eccleſiam ut fructus ex ea per annum percipias, ipſam poſtmodum dimiſſurus, niſi voluntate mutata promotus fueris, teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem, cùm eos receperis fraudulenter: illum autem, qui eam tibi contulit, cùm te non crederet ad eiuſmodi ordinem promovendum, præter divinam, quam exinde incurrit offenſam, ad ſervandam indemnem eandem Eccleſiam decernimus obligari*.

His omnibus ſervatis fortè non eſſet inconveniens, ut Epiſcopi uterentur facultate ſibi attributa per Conſtitutionem Bonifacii VIII.

Cæterùm hæc diſputationis gratia dicta ſint: nam propoſito in S. Congregatione Concilii dubio infraſcripto, videlicet. An Ordinarius poſſit concedere licentiam parocho, qui parochialem poſt Concilium obtinuit, ut in publica univerſitate ſtudiis ſacræ Theologiæ, vel Canonum vacare poſſit? Hæc reperi adnotata in libris publicis, qui apud me aſſervabantur.

Partem negativam probat textus in *cap.* 1. *in verſ. Eadem omnia*, ibi, *Bimeſtre tempus*, *ſeſſ.* 23. juncta declaratione Sacræ Congregationis: nam ſi Epiſcopus etiam ex gravi cauſa non poteſt parochis concedere licentiam non reſidendi ultra annum, ſequitur ut neque ex cauſa ſtudii, quæ non debet gravior videri, quàm cauſa inimicitiarum, vel infirmitatis, propter quam licentiæ à Congregatione impetrantur, nec ultrà annum extenduntur.

Accedit, quod parochiales poſt Concilium providentur per concurſum nonniſi perſonis, quæ idoneæ ſint de præſenti, juxta *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. quare ceſſat ratio, quæ conſideratur in *cap. final. de Magiſtris*, & *cap. Cum ex eo, de elect. lib.* 6.

Sanctiſſimus reſpondit non poſſe, juſſitque Epiſcopum ab ejuſmodi licentiæ conceſſione abſtinere.

In gloſſ. *in verb. de licentia*. De intellectu hujus gloſſæ vide quod ſcripſi in *cap. Cum ad hoc*, *num.* 6. & 7. *de cler. non reſident.*

[Additur ex ſtylo receptiſſimo Datariæ, nec Summum Pontificem tales diſpenſationes concedere, ſed præcisè ſervari Conſtitutionem Gregorii X. in generali Concilio Lugdunen. editam, & elapſo anno ab eodem præſcripto concedi paſſim impetrationes contra illos, qui non fuerunt promoti.]

DE JUDÆIS ET SARACENIS, & eorum ſervis.

Innocentius III.

CAPUT XIV.

POſtulaſti qualiter contra Judæum procedere debeas, qui manus injecit in quemdam clericum violentas; Ad quod breviter reſpondemus, quòd ſi dictus Judæus tuæ juriſdictionis exiſtit, ipſum pœna pecuniaria punias, vel alia (ſecundùm quòd convenit) temporali, faciens læſo ſatisfactionem congruam exhiberi: alioquin ejus dominum moneas & inducas, ut paſſo injuriam, & Eccleſiæ ab eo ſatisfieri faciat competenter: quod ſi dominus ejus neglexerit adimplere, tu Chriſtianis omnibus per cenſuram Eccleſiaſticam interdicas, ne cum ipſo judæo antequam ſatisfaciat, præſumant commercia exercere.

1 P*Oſtulaſti*. Judæus, qui percuſſit Clericum. temporaliter punietur: vel interdicitur commercio donec ſatisfaciat. Hoc dicit, Jo. Andr. communis diviſio, ſecunda ibi, *Ad quod*.

Pro intelligentia hujus Decretalis vide quod ſcripſi in *cap. Licèt*, *num.* 18. *de pœnis*.

DE HÆRETICIS.

Alexander III. Rhemen. Archiepiſcopo.

CAPUT VII.

CUm Chriſtus perfectus Deus & perfectus ſit homo: Mandamus, quatenus ſub anathemate interdicas, ne quis de cætero audeat dicere, Chriſtum non eſſe aliquid ſecundùm quod homo: quia ſicut Chriſtus verus eſt Deus, ita verus eſt homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.

C*Um Chriſtus*, Chriſtus fuit verus Deus & verus homo, ſentiens oppoſitum, hæreticus eſt, & excommunicatus. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. Jo. de Anan. & Mar. Socin.

Pro intelligentia hujus textus, & gloſſæ *in verb. ſub anathemate*, vide omnino quod ſcripſi in *cap. Firmiter, num.* 49. *&* 50. & præſertim *numer.* 51. *ſup. de Sum. Trinit. & Fid. Cathol.*

DE HÆRETICIS.

Lucius III.

CAP.UT IX.

AD abolendam: & infrà. Univerſos, qui de ſacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel de baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis ſacramentis, aliter ſentire, aut docere non metuunt, quam ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat; & generaliter quoſcumque eadem Romana Eccleſia, vel ſinguli Epiſcopi per diœceſes ſuas cum conſilio clericorum, vel clerici ipſi ſede vacante cum conſilio (ſi oportuerit vicinorum Epiſcoporum, hæreticos judicaverint; vinculo perpetui anathematis innodamus: & infrà. Præſenti nihilominus ordinatione ſancimus, ut quicumque manifeſtè fuerint in hæreſi deprehenſi; ſi clericus eſt, vel cujuslibet religionis obumbratione fuſcatus, totius Eccleſiaſtici ordinis prærogativa nudetur; & ſic omni officio & beneficio ſpoliatus eccleſiaſtico, ſæcularis relinquatur arbitrio poteſtatis, animadverſione debita puniendus: niſi continuò poſt deprehenſionem erroris, ad fidei Catholicæ unitatem ſpontè recurrere, & errorem ſuum ad arbitrium Epiſcopi regionis publicè conſenſerit abjurare, & ſatisfactionem congruam exhibere. Laicus autem, niſi (prout dictum eſt) abjurata hæreſi, & ſatisfactione exhibita, confeſtim ad fidem confugerit Orthodoxam, ſæcularis judicis arbitrio relinquatur; debitam recepturus pro qualitate facinoris ultionem: & infrà. Qui verò inventi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad arbitrium Epiſcopi, juxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtraverint, ſimili ſententiæ ſubjacebunt. Illos quoque qui poſt abjurationem erroris, vel poſtquam ſe (ut diximus) proprii Antiſtitis examinatione purgaverint, deprehenſi fuerint in abjuratam hæreſim recidiſſe, ſæculari judicio ſine ulla penitùs audientia decernimus relinquendos: & infrà. Statuimus inſuper, ut comites, barones, rectores, & conſules civitatum, & aliorum locorum, juxta commonitionem Epiſcoporum, præſtito corporaliter juramento promittant, quòd fideliter & efficaciter cùm ab eis fuerint requiſiti, Eccleſiam contra hæreticos & eorum complices, adjuvabunt bona fide juxta officium & poſſe ſuum. Si verò id obſervare noluerint, honore, quem obtinent, ſpolientur, & ad alios nullatenus aſſumantur; eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipſorum interdicto Eccleſiæ ſupponendis. Civitas autem quæ his inſtitutis duxerit reſiſtendum, vel contra commonitionem Epiſcopi punire neglexerit reſiſtentes, aliarum careat commercio civitatum; & Epiſcopali ſe noverit dignitate privandam: & infrà. Si qui verò fuerint, qui à lege diœceſanæ juriſdictionis exempti, ſoli ſubjaceant ſedis Apoſtolicæ poteſtati: nihilominus in his, quæ ſunt contra hæreticos inſtituta, Epiſcoporum ſubeant judicium: & eis in hac parte tamquam à ſede Apoſtolica delegatis, (non obſtantibus libertatis ſuæ privilegiis) obſequantur.

SVMMARIVM.

1 *HÆreticus malè ſentiens, vel docens de Sacramentis Eccleſiæ excommunicatus eſt.*
2 *Et niſi ſe corrigat, vel errorem abiuret, ſi clericus eſt degradatur, & traditur Curiæ ſæculari.*
3 *Per quam etiam laicus legitimè punietur.*
4 *Suſpectus de hæreſi, ſi ſe non purgat, punitur eadem pœna, qua punitur hæreticus.*
*Hæreticis relapſis audientia denegatur, ibidem, & num.*24.
5 *Principes ſæculares, qui iurare nolunt de Eccleſia contra hæreticos defendenda, dignitate privantur, & num.*27.
6 *Item excommunicantur, & terra ipſorum interdicuntur.*

7 *Et*

Digitized by Google

7 *Et civitates reſiſtentes privantur aliorum commercio, & Epiſcopali dignitate.*
8 *Exempti ſubſunt ordinariis ſuper iis, quæ contra hæreticos inſtituuntur, & num. 10.*
9 *Hæreticus eſt non ſolum qui malè ſentit de articulis Fidei, ſed etiam de corpore, & ſanguine Chriſti, & reliquis Sacramentis.*
10 *Hæreſis cauſa ſpectat ad iudicem Eccleſiaſticum etiam contra exemptos, & laicos.*
11 *Sed ſi dubitetur an aliqua aſſertio ſit catholica, ſolius Papæ eſt hoc diffinire.*
12 *Epiſcopus non cognoſcit de cauſis hæreſis ſine conſenſu, vel conſilio Capituli.*
13 *Capitulum ſede vacante ſuccedit in poteſtate iuriſdictionali Epiſcopi, etiam quoad iudicandum hæreticos.*
14 *Clericus de hæreſi convictus non ſtatim eſt tradendus Curiæ ſæculari, ſed prius eſt degradandus.*
15 *Hæreticus converſus ut effugiat pœnam mortis, quæ requirantur.*
16 *Criminoſi regulariter condemnari, & puniri debent etiam ſi pœniteant.*
17 *Fallit in hæreticis, & cur.*
18 *Hæretici ad fidem redeuntes quamvis evitent mortem, tamen in perpetuum carcerem detruduntur.*
19 *Niſi ſponte compareant antequam ſint denunciati, vel accuſati.*
20 *Et quid ſi pœniteant ſtatim poſt capturam, vel ante publicationem teſtium.*
21 *Hæreſis crimen eſt merè Eccleſiaſticum.*
22 *Et iudex laicus ſolam habet executionem.*
23 *Iudex laicus in executione ſententiæ contra hæreticum lata non poteſt cognoſcere de nullitate proceſſus.*
25 *Hæreticus relapſus non eſt audiendus, licèt iterum velit abiurare.*
26 *Etiamſi tempore primæ abiurationis crimen non fuerit plenè probatum.*
27 *Principes ſæculares, & laici ratione criminis Eccleſiaſtici poſſunt per iudicem Eccleſiaſticum privari dignitatibus, & honoribus etiam ab Imperatore habitis.*
28 *Hæretici an ſint ipſo iure beneficiis privati, an verò privandi per ſententiam, & num. ſeqq. uſque ad num. 44.*
29 Spolietur *verbum ſupponit privationem ipſo iure.*
30 Nudetur *verbum æquipollet verbo* ſpolietur.
31 *Verbum futuri temporis quando eſt executivum, importat latam à lege ſententiam.*
32 *Bonorum appellatione etiam beneficia Eccleſiaſtica continentur.*
33 *Hæretici beneficia an vacent ubi hæreſis incurritur, an verò ubi lata eſt ſententia declaratoria.*
34 *Conſtitutiones Apoſtolicæ contra hæreticam pravitatem, quæ decretalibus Sexti non obviant, præſervantur.*
35 *Beneficia propter hæreſim vacantia Sedi Apoſtolicæ reſervantur à Pio V.*
36 *Dimiſſorias concedendi facultas ſpectat ad Capitulum Epiſcopo exiſtente notoriè hæretico.*
37 *Sede vacante interpretativè, & non verè, iuriſdictio non devolvitur ad Capitulum.*
38 *Matrimonium contractum coram Parocho publico hæretico eſt invalidum, ſi publicatum fuerit in parochia decretum Concilii, &c.*
39 *Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato etiam denunciato validum eſt.*
40 *Excommunicatus retinet beneficia prius obtenta, licèt non poſſit de novo acquirere.*
41 *Hæretici beneficia impetrari poſſunt uti vacantia etiam ante ſententiam declaratoriam.*
42 *Hæreticus tamen non poteſt à beneficio amoveri antequam ſit pronunciatum ſuper crimine.*
43 *Filii hæreticorum ſi à Papa inhabilitentur uſque ad quartam generationem, an hoc intelligatur tam de filiis filiarum, quàm de filiis filiorum.*
44 *Clericus pro crimine quantumvis enormi de iure non degradatur, nec traditur Curiæ ſæculari, niſi in tribus caſibus hic expreſſis.*
45 *Hæreticus relapſus ſæculari iudici ſine ulla audientia eſt relinquendus.*
46 *Hæretico relapſo in caſu hic poſito an per Sedem Apoſtolicam ſit concedenda abſolutio, & rehabilitatio ad honores, & dignitates, & num. ſeqq. uſque in fin.*
47 *Hæreticus relapſus poteſt per Sedem Apoſtolicam nedum abſolvi, ſed etiam ad honores rehabilitari.*
48 *Abſolutio pœnitenti non eſt deneganda.*
49 *Impœnitenti præſertim relapſo non eſt concedenda.*
50 *Relapſus non eſt recipiendus ad Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, niſi manifeſta dederit ſigna pœnitentiæ.*
51 *Pœnitentiæ ſigna hæretici relapſi quæ ſint.*
52 *Pœnitentia perfecta cogit peccatorem omnia libenter perferre.*
53 *Carnis illecebris immerſus pœnitens non dicitur quoad alia peccata.*
Pœnitentia falſa quæ ſit, ibidem.
54 *Impietas quædam infidelitatis eſt à Deo dimidiam ſperare veniam.*
55 *Impœnitentiæ ſignum nullum maius in relapſo, quàm hæreticos provehere.*
56 *Crimen qui poteſt emendare, & non corrigit, ipſe committit.*
57 *Hæreticus ſe impœnitentem oſtendit qui nondum obtenta abſolutione intereſt divinis.*
58 *Pœnitens ut quis cenſeatur, non ſufficit docere de bonis operibus.*
59 *Sacramentorum frequentia in excommunicato impœnitentiam arguit.*
60 *Pœnitentiam modicam Deus non reſpuit.*
61 *Relapſo non ſufficit levis pœnitentia ad abſolutionem obtinendam.*
62 *Abſolutio impœnitenti non eſt concedenda cuiuſvis periculi vitandi cauſa.*

A*D abolendam*. Hæreticus malè ſentiens, vel docens 1
de Sacramentis Eccleſiæ excommunicatus eſt; niſi 2
ſe corrigat, & errorem abjuret, ſi eſt clericus, degrada- 3
tur, & traditur Curiæ ſæculari, per quam etiam laicus
legitimè punietur. Eadem eſt pœna ſuſpectis, qui ſe non 4
purgant: relapſis verò audientia denegatur. Sæculares 5
Principes, qui jurare nolunt de Eccleſia contra hæreticos
defendenda, dignitate privantur, excommunicantur, & 6
terræ ipſorum interdicuntur: civitates verò reſiſtentes alio- 7
rum commercio, & Epiſcopali dignitate privantur: & 8
exempti in his ſubſunt Epiſcopis. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Abb. Joan. de Anan. Felin. & Marian. Socin. & novem ſunt partes, quæ per ſe patent.

Nota primò ex principio text. Hæreticum eſſe non tan- 9
tùm qui malè ſentit de articulis fidei, qui continentur in Symbolo, ut *cap. Firmiter ſupra de Summa Trinitat. & fide Catholic.* Sed etiam qui malè ſentit de Sacramentis Eccleſiæ, ut de corpore, & ſanguine Chriſti. De erroribus autem circa hoc Sacramentum traditur *de conſecrat. diſtinct. 2. per tot.* & in Concil. Trident. *ſeſſ. 13. De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento in undecim Canonibus ibi poſitis*; de Baptiſmate traditur *de conſecration. diſtinct. 4.* & in Concil. Trident. *ſeſſ. 7. de Baptiſmo in 14. Canonibus*. De pœnitentia habetur infra *de pœnis. & remiſſ.* & in Trident. *ſeſſ. 14. in Doctrina de Pœnitent. Sacrament. & in 15. Canonibus ſubſequentibus*. De Matrimonio *in c. Debitum, ſupra de bigam.* & in Trident. *ſeſſ. 24.* in Doctrina de ſacramento Matrimonij, & in duodecim Canonibus immediatè ſequentibus. Et de aliis tribus Sacramentis notatur per Joannem Andr. *ſupra in rubr. de Sacram. non iteran.* & poſt Hoſtienſ. *in ſumma eodem tit.* Et habetur in Trident. *ſeſſ. 7. de Sacramento Confirmationis in 4. Canonibus, ſeſſ. 14. in Doctrina de Sacramento Extremæ unctionis, & in Canon. 1. 2. 3. & 4. & ſeſſ. 23.* in Doctrina de ſacramento Ordinis, & in 8. Canonibus ſubſequentibus, & de omnibus ſacramentis ſingillatim in Concilio Florentino in decreto fidei Eugenij IV. pro inſtructione Armenorum *tom. 4. Concil. part. 1. pag. 612.*

Secundò nota ibi: *& generaliter, quoſcumque iuncto* 10
verſ. Laicus autem, & verſ. Si qui vero. De crimine hæreſis judicem Eccleſiaſticum non tantùm cognoſcere contra Clericos ſibi ſubditos, ſed etiam contra exemptos, &

laicos,

laicos, Innoc. *hic in fin.* Abb. *num.* 3. *&* 7. & Marian. So-
11 cin. *num.* 2. qui addunt etiam inferiorem poſſe cognoſcere
ſi delictum eſt clarum: ſi verò dubitaretur an aliqua aſſer-
tio eſſet Catholica, necne: tunc ſolum Papam poſſe hoc
determinare, ac diffinire, ut *c. Multis*, 17. *diſt. cap. Quo-
tiens*, 2. *quæſt.* 1. *cap. Maiores, ſupra de Baptiſm.*
12 Tertio nota ibi: *Cum conſilio Clericorum*. De cauſa
hæreſis Epiſcopum non cognoſcere ſine conſenſu Capitu-
li. Conſilium enim hic accipitur pro conſenſu, argum.
cap. 1. ibi: *aut ſine iudicio Capituli ſuſpendere, vel eorum
Eccleſias interdicto ſubiicere attentetis, infra de exceſſib.
Prelat.* ſecundum Hoſtienſ. *hic num.* 2. *in verb. Cum conſi-
lio*, Butr. *num.* 30. ſed Joan. Andr. *num.* 4. dicit in ſenten-
tiis arduis Epiſcopum requirere conſilium Capituli, licèt
conſenſum non expectet, *cap. Novit, & cap. Quanto,
ſupra de his quæ fiunt à Prælat. cap.* 3. *de conſuetud. lib.* 6. Ad
hoc vide quod ſcripſi in *cap. Cum ex eo, num.* 20. *ſupra de
reliquiis, & venerat. Sanctor.*
13 Quartò nota ibi: *vel clerici ipſi ſede vacante*, Capitulum
ſede vacante ſuccedere in poteſtate juriſdictionali Epi-
ſcopi, etiam quoad judicandum hæreticos, prout hic
notant Hoſtienſ. *num.* 2. *&* 4. Henric. Boich. *num.* 4.
Butr. *num.* 3. *in* 5. *notab.* Abb. *num.* 4. Silveſtr. *in verb.
Hæreſis*, 2. *num.* 2. Molin. *de iuſt. & iure tract.* 5. *diſp.* 28.
num. 2. *in fin.* Generaliter autem an, & quando juriſdictio
tranſeat in Capitulum ſede vacante habes hic prolixam di-
ſtinctionem Innocentii *num.* 1. quam ad litteram recitant
Hoſtien. *num.* 3. & Jo. Andr. *num.* 5. Sed tu dicas ut plenè
ſcripſi in *cap. His quæ, de maior. & obedien.* & notatur in
cap. Cum olim eod. tit.
14 Quintò nota ibi: *Totius Eccleſiæ ordinis prærogativa
nudetur*. Clericum convictum de hæreſi non ſtatim eſſe
tradendum Curiæ ſæculari, ſed prius eſſe degradandum,
ut hic, & expreſſiùs in *cap. penult. infra eod.* & *hic* notant
Hoſtien. *num.* 6. Butr. *num.* 5. Anchar. *num.* 4. Abb. *num.* 5.
Jo. de Anan. *num.* 6. & Marian. Socin. *in* 5. *not.* Jo. Andr.
Butr. Card. & omnes *in ſummario text.* Covarr. *practic.
quæſt. in q.* 32. *num.* 2. dicens hoc omnes fateri, Jul. Clar.
in pract. crimin. §. fin. quæſt. 36. *verſ. Scias autem*. De for-
ma autem degradationis legitur, & notatur in *c. Novi-
mus, de verb. ſignificat. in cap. Degradatio, de pœnis lib.* 6.
& in Pontificali Romano *in pluribus titul. de degrada-
tione*.
Sextò nota ibi: *omni officio, & beneficio ſpoliatus Eccle-
ſiaſtico*. Hæreticum eſſe privatum ipſo jure omnibus offi-
ciis, & beneficiis. Sed hoc latiùs examinabitur infra *in
1. quæſt.*
15 Septimò nota *in verſ. Niſi continuo*. Quatuor copulati-
vè requirit ad hoc, ut hæreticus ad Catholicam fidem re-
diens effugiat pœnam ultimi ſupplicii. Primum eſt, ut in
continenti abjuret errorem ſuum: ſecundùm ut ſpontè id
faciat, ut patet in littera ibi, *continuo*; & ibi, *ſponte*:
quando autem dicatur in continenti, & ſpontè redire,
conſule Abb. *in cap. Excommunicamus, il primo, num.* 10.
infra eod. & Jacobum Simanch. Epiſcopum Pacenſem
de Catholicis inſtitutionibus, tit. 47. *num.* 7. Tertium eſt, ut
abjuret publicè ſecundum arbitrium proprii Epiſcopi, ut in
text. ibi, *ad arbitrium Epiſcopi regionis publice conſenſerit
abiurare*. Quartum ut de peccato condignè ſatisfaciat per
pœnitentiam, & aliam pœnam pecuniariam ſibi indicen-
dam, ut ibi, *ſatisfactionem congruam exhibere, & in cap.*
16 *Ut commiſſi, de hæretic. lib.* 6. & notat Joan. de Lignan. in
Clem. *Ad noſtram, eod. tit.* Butr. *hic num.* 6. Abb. *num.* 5.
verſ. Item nota, & num. 6. & Marian. Socin. *num.* 8. Et ita
quamvis ſecundum regulas juris communis, ex quo ſe-
mel commiſit crimen, deberet judicialiter puniri, & con-
demnari, etiamſi pœniteret, quia per hujuſmodi pœni-
tentiam in foro humano, & judiciali nocens eſſe non de-
ſiit, ut *l. Qui ea mente, ff. de pœnis, l. Quod ſignificatum,
in princip ff. de ædilit. edict.* & *hic* per Anchar. *in* 5. *notab.*
17 & Abb. *num.* 5. *in fin.* Tamen quia Eccleſia benigna eſt, nec
claudit gremium redeuntibus, mitiùs agere volens in hac
parte, ordinavit, ut illicò poſt deprehenſionem in hæreſi
ad unitatem Eccleſiæ ſpontè redeuntes, & errorem ut ſu-
pra abjurantes, & ſatisfactionem exhibentes ad miſeri-
cordiam recipiantur, & impoſita pœnitentia ſalutari ſal-
vetur eis vita, nec permittatur occidi per brachium ſæcu-
18 lare, quia Eccleſia tueri debet ſuos pœnitentes. Ita DD.
de Rota *deciſ.* 1. *num.* 14. *de hæret. in antiq.* Adverte tamen,
quia ſic redeuntes, etſi mortem evadant, non tamen
omnino pœnam effugiunt; imò in perpetuum carcerem
ad agendam pœnitentiam detruduntur, ut *c. penult. infra
eodem*, & ibi notat gloſ. *final.* & communiter Doctores,
& Rota *d. deciſ.* 1. *num.* 15. Ab hac tamen regula perpetuæ 19
detruſionis excipiendi ſunt qui ſpontè comparent, & ad
Eccleſiam redeunt, antequam ſint de crimine accuſati,
ſeu denunciati, non enim debent in perpetuum carcerem
condemnari, ut probat text. à contrario ſenſu in *d. c. pe-
nult. §. fin.* ibi: *Si qui poſtquam fuerint deprehenſi redire no-
luerunt ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuum
carcerem detrudantur*. Ergo à contrario ſi ſpontè redeant,
& miſericordiam implorent, antequam fuerint deprehen-
ſi, non videntur perpetuo carceri mancipandi, & ita ſer-
vatur in ſupremo Tribunali Sanctiſſimæ Generalis Inqui-
ſitionis. Quid autem juris ſit de illis, qui ſtatim poſtquam 20
capti ſunt, tam de ſe, quam de aliis, quos hæreticos eſ-
ſe ſciunt, plenè & ſincerè confitentur: nec non de illis,
qui puro corde redeunt priuſquam dicta teſtium fuerint pu-
blicata, numquid tales in perpetuum carcerem ſint detru-
dendi? Conſule eundem Jacobum Simancham *de Cathol.
Inſtit. tit.* 16. *num.* 17. & Franciſcum Peniam *in* 3. *part. Di-
rect. Inquiſit. Schol.* 142.
Octavò nota *in verſ. Laicus autem*. Crimen hæreſis eſ- 21
ſe merè Eccleſiaſticum, adeò ut judex laicus nec contra
laicum poſſit cognoſcere, vel judicare, aut quoquomo-
do ſe ingerere, *c. Ut Inquiſitionis, §. Prohibemus de hære-
tic. lib.* 6. Laicus enim ſolam habet executionem contra 22
hæreticos facta degradatione, & traditione, & relicta ei
executione, ut in *d. §. Prohibemus*, & in *cap. Cum ſecundum
leges, eodem tit. & lib.* & hic notant Abb. *num.* 7. *&* 12. &
Marian. Socin. *num.* 9. An autem judex ſæcularis aſtrictus 23
exequi ſententiam judicis Eccleſiaſtici latam contra hære-
ticum poſſit cognoſcere de juſtitia proceſſus: quicquid di-
cant Legiſtæ, tenendum eſt non poſſe cognoſcere, ut pro-
batur in *d. §. Prohibemus*; & *hic* latè firmat, & objectis
reſpondet Felin. alios cumulans *num.* 5. Idem notat Abb. in
cap. Ea quæ, num. 14. *de ſtat. Monach.* dicens Bartolum in
hoc erraſſe in *l. Divus, ff. de cuſtod. reor.* Bero. *in cap. At ſi
Clerici, num.* 79. *de iudic.* Hippolyt. de Marſil. poſt alios in
in tract. de bann. in verb. Iudice, num. 129.
Nonò nota ibi: *qui verò inventi fuerunt ſuſpicione nota-
biles*. Ex ſola ſuſpicione hæreſis indici purgationem, in 24
qua deficiens punitur, ut convictus, & indicitur hæc pur-
gatio ad arbitrium Superioris, ut in text. & ſic præparatur
bonus modus convincendi ſuſpectos de hæreſi, ſcilicet in-
dicendo purgationem, ut *hic* per Butr. *num.* 6. *in* 1. *not. &
num.* 7. Abb. *num.* 8. & Marian. Socin. *num.* 10.
Decimò nota *in verſ. illos quoque*. Relapſum in hæreſim 25
non eſſe audiendum licet iterum velit abjurare. Recide-
re enim pejus eſt, ſive periculoſius, quàm incidere, & de-
terior dolus eſt illius, qui interruptam iterum litem deſe-
rit, quàm qui ſemel cœptam dereliquit, ut *§. Si vero in-
tra prædictum in fin.* in Authen. *de litigioſ.* Hoſtienſ. *hic n.* 9.
Quod procedit ſecundùm Doctores etiamſi tempore pri- 26
mæ abjurationis, crimen hæreſis non fuerit plenè proba-
tum, ſed ob ſolam hæreſis ſuſpicionem fuerit facta abjura-
tio, ut *hic* per Butr. *num.* 8. & Marian. Socin. *num.* 11. ad
quod vide quod legitur, & notatur in *c. Accuſatus, infra
eod. lib.* 6.
Ultimò nota in verb. *ſtatuimus inſuper*. Ratione deli- 27
cti Eccleſiaſtici Principes etiam ſæculares, & laicos poſſe
privari per Eccleſiaſticum judicem dignitatibus, & hono-
ribus ſæcularibus, etiam ab Imperatore obtentis, & inha-
bilitari ad acquirendos, ut *hic* per Butr. *num.* 11. Abb. *num.*
8. *in verſ. Statuimus*, & Marian. Socin. *num.* 12. Dixi in
cap. Vergentis, num. 6. *&* 7. *infra eod.*
QUÆRO; an hæretici ſint ipſo jure privati beneficiis 28
Eccleſiaſticis, anve ſint privandi per ſententiam.
Videtur reſpondendum eſſe ipſo jure privatos. Primò 29
per hoc cap. ponderando illa verba: *& ſic omni officio, &
beneficio ſpoliatus Eccleſiaſtico, ſæcularis relinquatur arbitrio
poteſtatis*; nam verbum *ſpoliatus* executionem importat,
& ſic denotat privationem ipſo jure, ut notat Butr. *in cap.
fin. num.* 15. *verſ. Quarto, ſupra de poſtuland.* ubi per illum
text in verb. *Spoliavi*, & per *cap. Conquerente, de reſtitut.
ſpoliat.* dat generalem theoricam, quod ubicumque ali-
quis utitur verb. *Præcipimus ſpoliari*, vel *ſpolietur*; licèt
ſit verbum futuri temporis, tamen ſupponit privationem
ipſo

ipſo jure,& denotat ſolá amotionem manualem, & quoad
facti poſſeſſionem ; & ſic refert fuiſſe allegatum in facto,
& eum ſequitur Felin. in cap. 2. num. 3. & in cap. Rudolphus,
num. 25. de reſcript. & in cap. Inſinuatum in princip. de ſimon.
Ad quod vide bonum textum in cap. Ex tua, de cleric. non
reſidentib. juncta expoſitione Hoſtien. & Joan. Andr. ibi
30 verb. Spoliari. Nec refragatur, quod hæc inductio tollatur
ex verbis præcedentibus ibi, totius Eccleſiaſtici ordinis præ-
rogativa nudetur: quæ verba videntur importare privatio-
nem per ſententiam ex notatis per Felin. in d. cap. Rudol-
phus, quaſi eum textus ſtatim ſubjungat; & ſic omni of-
ficio, & beneficio ſpoliatus hæc ultima videretur denota-
re executionem dictæ privationis per ſententiam faciendæ,
non autem privationis ipſo jure. Reſpondetur enim, il-
lud quoque verbo nudetur. Similiter referri ad manualem
executionem, cùm idem importet, quod ſpolietur, ut
cap. 1. §. Illum autem, in fin. & ibi Archidiacon. in verb.
Iam nudatus, id eſt ſpoliatus, de reſtit. ſpoliat. lib. 6. ac
proinde intrat alia conſimilis theorica Raphaelis in l. Pro-
videndum, C. de poſtuland. per gloſ. ibi poſitam in verb.
Foro, & ab Angelo ibi approbatam, quod verbum futu-
ri temporis importat latam à lege ſententiam, quando eſt
verbum executivum: quam theoricam ſequitur Andr. Si-
culus in cap. Sacerdos de off. Ordin. relatus à Felin. in d. cap.
Rudolphus, num. 25. de reſcript.
31 Secundò, principaliter pro hac concluſione eſt text. in
cap. Cum ſecundum leges, de hæret. lib. 6. per quod patet bo-
na hæreticorum eſſe confiſcata ipſo jure, ita ut eorum do-
minium hæretici eo ipſo amittant, nec aliud requiratur
32 niſi pronunciatio judicis Eccleſiaſtici ſuper crimine. Bono-
rum autem appellatione etiam beneficia Eccleſiaſtica con-
tinentur, cap. 1. de præbend. & l. Bonorum, ff. de verb. ſi-
gnificat. & Rebuff. ibi, & in praxi beneficior. in tit. de ſi-
mon. in reſignat. num. 31. Et quamvis in beneficiis non in-
tret confiſcatio, cum non ſint tranſitoria ad Fiſcum; in-
trat tamen privatio, de qua ibi. Et ita illum textum in-
telligit Rota apud Achillem de Graſs. deciſ. 345. alias 1. n. 5.
de hæreticis.
Tertiò, idem probatur in cap. Vt commiſſi, §. Privan-
di, infra eodem lib. 6. ibi, privandi, vel privatos nuncian-
di: nam dictio, vel, expoſitivè eſt accipienda pro ideſt, ut
ibi notant Joann. Andr. numero quarto in verbo Privandi
& alii poſt eum.
Quartò, ad idem videtur text. ad quem non advertunt
DD. in cap. 1. de paroch. nam ibi fuit ſubſtitutus alius Epi-
ſcopus in locum Epiſcopi hæretici, nec apparet contra hæ-
reticum fuiſſe latam ſententiam privationis, ipſeque ad
unitatem Eccleſiæ reverſus reſtituitur diſpenſativè, & fit
diviſio inter eum, & Epiſcopum ſubſtitutum juxta for-
mam in text. præſcriptam, ut ibi notant Innoc. Hoſtien.
& Joan. Andr. & ſic ſupponitur ipſo jure privatus Epiſco-
patu: & quod Epiſcopo hæretico ad Catholicam fidem re-
deunti non reſtituatur Epiſcopatus niſi ex miſericordia,
probant cap. Ipſa pietas, verſ. Item ſi inquiunt, in fin. 23.
quæſt. 4. & cap. Quod autem, quæſt. 7. cap. Convenientibus,
1. quæſt. 7. & per hæc jura notat gloſ. in cap. Vergentis, in
ver. Miſereri infra eod. & ibi etiam Hoſtienſ. num. 1. in eod.
verb. & Marian. Socin. in 3. notab. Quare hanc opinionem
probarunt in d. cap. Vt commiſſi, Joan. Andr. Gemin.
Franch. & communiter DD. dum exponunt illa verba,
vel privatos nunciandi, ut dictio vel, ſtet expoſitivè pro
ideſt, Abb. in cap. Iure dilectos, num. 11. de exceſſib. prælat.
Philip. Prob. in addit. ad Monach. in cap. Alma Mater, n. 8.
de ſentent. excomm. lib. 6. Milis in repert. in verb. Hæreti-
cus, Covarr. var. reſol. cap. 8. num. 4. Rebuff. in prax. be-
neficiar. 3. part. titul. de mod. amitten. benefic. num. 3. & de
pacific. poſſeſſ. num. 195. Bernard. Diaz. in practic. crimin.
Canonic. cap. 114. num. 2. Navar. conſ. 6. & conſ. 16. verſ. 2.
de hæretic. Menoch. de arbitrar. iudic. lib. 2. centur. 5. caſu
416. num. 61. Franc. Penia in Director. inquiſit. 3. quæſt. 113.
ſchol. 162. eamque alias probavit Rota apud Caſſador. de-
ciſ. 14. ſuper regulis, num. 1. & 4. quæ de hoc dicit eſſe text.
33 in cap. Quo iure, & ibi gloſ. Dominic. & Præpoſit. 8. diſt.
& eamdem ſuppoſuit deciſ. 707. num. 4. part. 3. diverſ. licèt
domini non fuerint concordes, an beneficia hæretici va-
caverint in partibus, ubi crimen hæreſis fuit commiſſum,
an verò in Curia, ubi lata fuit ſententia declaratoria.
Fateor non deeſſe qui ſentiant hæreticos non eſſe beneficiis
privatos ipſo jure, ſed privandos per ſententiam, ut Al-
phonſ. à Caſtro in tit. de iuſta hæretic. punit. cap. 9. Jacob.
Simanch. de Cathol. inſtitution. cap. 46. num. 72. Thomas
Zerola in praxi Epiſcopali in 1. part. in verb. privatio, in
princip. & quidam alii apud Sanchez ſuper Decalog. lib. 2.
cap. 26. à num. 5. ea ratione, quia privatio ipſo jure nun-
quam inducitur niſi expreſsè id jure cautum reperiatur,
gloſſ. a. in cap. fin. de iurepatron. Sed quicquid dicant, tu
non recedas à prima opinione, tum quia communis eſt,
tum quia bene probatur in prælleg. jurib. Tum denique 34
quia hoc eſt diſertis verbis expreſſum in Conſtitutione 2.
Nicolai II. Noverit univerſitas, in Bullar. tom. 1. pag. 124.
ubi ſic legitur: Hæretici autem, & receptores, defenſores,
fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam genera-
tionem ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium ad-
mittantur: quod ſi ſecus actum fuerit decernimus irritum, &
inane. Nos enim prædictos ex nunc privamus beneficiis ac-
quiſitis, volentes ut tales & habitis perpetuo careant, & ad
alia ſimilia nequaquam in poſterum admittantur. Quid cla-
riùs? Porrò hæc Conſtitutio, ſicut & aliæ contra hæreticam
pravitatem à Romanis Pontificibus editæ, quæ Decreta-
libus Sexti non obviant, præſervantur in cap. ultim. in fin.
de hæret. lib. 6. ut notat gloſſ. in proœm. Sexti, in verb. Re-
ſervantur.
Suffragatur etiam communi opinione Conſtitutio 29. 35
Pii V. Cum ex Apoſtolatus, in Bullar. tom. 2. pag. 213. qua
perpetuò reſervantur diſpoſitioni apoſtolicæ beneficia va-
cantia propter hæreſim; & ſic ſupponit hæreticos eſſe be-
neficiis privatos ipſo jure, ut rectè obſervat Franc. Penia
in Direct. Inquiſit. part. 3. ſchol. 162. & Nicol. Garz. de be-
nefic. part. 11. cap. 10. num. 71. & Azor. inſtit. moral. lib. 8.
cap. 13. quæſt. 8. licèt hujus Conſtitutionis verba in alium
ſenſum detorqueat Thom. Sanchez ſuper Decalog. l. 2. c. 26.
num. 6. verſ. Quia nec motus proprius.
Ad extremum communem ſententiam ſemel atque ite- 36
rum non obſcurè probabit Sacra Congregatio Cardinalium
Concilii Tridentini interpretum: aliquando enim cenſuit,
Epiſcopo exiſtente notoriè hæretico, facultatem conce-
dendi dimiſſorias ſpectare ad Capitulum Cathedralis Ec- 37
cleſiæ: non enim Sacra Congregatio mota fuit ex eo,
quod ſedes Epiſcopalis propter hæreſim Prælati vacet inter-
pretativè, ſecundum ea, quæ adnotavit Hoſtienſ. in ſum-
ma tit. Ne ſede vacant. §. Quot modis dicatur ſedes vaca-
re, num. 2. & ex illo Joan. Franc. Pavin. in tract. de offic.
& poteſt. Capituli ſede vacante, prælud. 7. & ultim. num. 13.
verſ. Secundo ſi Prælatus tract. tom. 13. part. 2. fol. 413. ſi-
quidem propter vacationem interpretativam juriſdictio ad
Capitulum non devolvitur, cap. 1. & ibi notat gloſ. in verb.
Ipſius, & ante eam Hoſtienſ. ibi num. 8. de offic. Vicar. lib. 6.
& nos fusè probavimus in c. Quia diverſitatem, à num. 16.
uſque in fin. de conceſſ. præben. ſed mota fuit, quia propter
hæreſim notoriam Prælati ſedes Epiſcopalis vacat verè; &
ideò juriſdictio, & conſequenter facultas concedendi di-
miſſorias tranſit in Capitulum ſede vacante, ut c. His quæ,
& c. Cum olim, de maior. & obed.
Et alias cenſuit matrimonium celebratum coram paro- 38
cho publico hæretico eſſe invalidum, ſi in parochia decre-
tum cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim. publicatum fuerat
ante 30. dies poſt matrimonium contractum: hæc enim
declaratio non fundatur in eo, quod parochus hæreticus
ſit excommunicatus, ut hic, & in cap. Excommunicamus,
1. & 2. infra eod. quandoquidem validum eſt matrimo- 39
nium contractum coram parocho excommunicato etiam
denunciato, ut eadem Sacra Congregatio reſpondit tem-
pore bon. mem. Cardinalis Matthæi re diligenter examina-
ta; ea ratione, quia excommunicatus retinet beneficia 40
prius obtenta, licèt non poſſit acquirere de novo, cap.
Cum bonæ mem. de ætat. & qualit. cap. Poſtulaſtis, de Cler.
excomm. miniſtran. ut colligitur ex votis Cardinalium, ſed
fundamentum prædictæ deciſionis fuit, quia parochus pu-
blicus hæreticus deſinit eſſe parochus, cùm ſit ipſo jure pri-
vatus beneficio parochiali; meritò invalidum eſt matrimo-
nium coram eo celebratum ob non ſervatam formam à
Concilio præſcriptam in d. cap. 1.
Cæterùm adverte, quia etſi hæreticus à die perpetrati 41
delicti ſit ipſo jure privatus beneficiis antea obtentis, ut ex
dictis conſtat; ideòque beneficia hujuſmodi tamquam va-
cantia impetrari poſſint etiam ante ſententiam declarato-
riam, ut notat Philip. Prob. ad Monach. in cap. Alma Ma-
ter, num. 8. de ſentent. excommun. lib. 6. & Rebuff. in praxi
bene-

Digitized by Google

beneficiaria, *tit. de mod. vac. num.* 5. non tamen poteſt à poſſeſſione amoveri, niſi prius ſententia declaratoria
42 contra ipſum promulgetur ſuper facto, ideſt cùm incidiſſet in crimen hæreſis, ut apertè probatur in *cap. Cum ſecundum leges*, *de hæret. lib.*6. ubi poſtquam text. dixit bona hæretici eſſe confiſcata ipſo jure, immediatè ſubjunxit: Confiſcationis tamen executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per Principes, vel alios dominos temporales, antequam per Epiſcopum, vel aliam Eccleſiaſticam perſonam, quæ ſuper hoc habet poteſtatem, ſententia ſuper eo crimine fuerit promulgata: & in hac ſpecie obſervant Sarnen. *in regul. de annali*, *quæſt.* 52. *num.* 3. *verſ. Secunda ratio*, Menoch. *de arbitrar. iudic. centur.* 5. *caſ.*416. *num.*62. & alii recentiores, quos cumulat Thomas Sanchez *ſuper Decalog. lib.*2. *cap.* 26. *num.* 7. contra Suarez *tom.*5. *in* 3. *part. diſput.* 43. *ſect.* 1. *num.*4. & in hunc ſenſum accipi poſſunt Doctores, qui ſcripſerunt crimen hæreſis non privare beneficiatum ſuo beneficio ante ſententiam, ſecundùm Menochium *ubi ſupra*, *num.* 64. inter quos allegatur Innocent. *in cap. Cum noſtris*, *de conceſſ. præbend.* Compoſtell. *in cap. Conſideravimus*, *de electione.* & Anchar. *conſ.*293. *num.*4. *verſ. Nam licet propter crimen*, quos ſequutus eſt Alciat. *in d. cap.* 1. *num.*37. *de iudiciis*.

An autem hæreticorum filii ſint & ipſi beneficiis Eccleſiaſticis privati ipſo jure, vel privandi per ſententiam, latiſſimè examinavi in *cap. Vergentis*, *infra eod.* Item ſi
43 Papa ſtatuat ut hæretici, & filii eorum uſque ad quartum gradum non admittantur ad collegium clericorum, nunquid hoc ſit intelligendum tam de filiis, quàm de filiis filiorum egregiè diſputat in utramque partem Hoſtienſ. *in d. cap. Vergentis*, *à num.* 4. *uſque ad num.* 9. concludens pro negativa: ſed hodie vide Conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ habetur *in cap. Statutum*, *il ſecondo*, *infra eodem lib.* 6.

44 In gloſſ. *in verb. Relinquatur*, nota benè hanc gloſſam, quia à Doctoribus quotidiè allegatur, quod pro nullo crimine quantumcumque enormi Clericus non incorrigibilis debet ſtatim degradari actualiter; & tradi Curiæ ſæculari, ſed debet deponi, & remanere ſub poteſtate Eccleſiaſtica, præterquam in tribus caſibus. Primus eſt in crimine hæreſis, ut hic; & quamvis Abb. *num.* 11. dicat hanc non eſſe bonam exceptionem, quia ſi convictus de hæreſi vult redire ad Fidem, non traditur Curiæ ſæculari, ut hic dicitur: ergo tunc ſolùm traditur cùm eſt incorrigibilis; & ſic non rectè excipitur: tamen ſalvando gloſſam, cum qua tranſeunt communiter Doctores, poteſt dici in hæretico ſervandam non eſſe illam formam, quæ in clerico incorrigibili præſcribitur in *cap. Cum non ab homine*, *ſupra de iudiciis*. Item hæreticus relapſus licèt ſit paratus ſe corrigere, & velit hæreſim abjurare, nihilominus traditur Curiæ ſæculari, ut hic ſtatuitur *in verſ. Illos quoque*, & dictum eſt ſupra *in* 10. *not.*

Secundus caſus eſt in crimine falſi, intellige de falſificante litteras Apoſtolicas, ut in *cap. Falſariorum*, *de crimine falſ.* & *in cap. Novimus*, *de verb. ſignificat.*

Tertius eſt in conſpirante contra Epiſcopum proprium, ut in *cap. Si quis Sacerdotum*, 11. *quæſt.* 1. & ſic ſentit gloſſ. *in hoc tertio caſu*, Clericum ſtatim eſſe degradandum, & tradendum Curiæ ſæculari, licet non ſit incorrigibilis; ſed gloſſ. *in dict. cap. Si quis ſacerdotum*, *in verb. Mox depoſitus*, variavit, & quod requiratur incorrigibilitas, tenuit gloſ. *in cap. final. in verb. Iuramento abſolvant*, *de teſtib. cogend.* & Bartol. Brixienſis in *cap. Si quis ſunt*, 2. *quæſt.* 7. Verùm etſi hæc opinio ſit benignior, tamen contraria eſt verior, ut ait Hoſtien. *in d. cap. Novimus*, *num.* 1. *verſ.* 3. & communiter etiam tenetur, ut dixi in *d. cap. Cùm non ab homine*, *num.* 71. *de iudiciis*, ubi retuli alias gloſſas, & Doctores concordantes & ibi etiam vide alios caſus, in quibus per Conſtitutiones Apoſtolicas Clericus tradi poteſt Curiæ ſæculari; & quamvis Abb. *hic num.* 11. *verſ. Sed hanc materiam*, & plenius *in cap. At ſi Clerici de Iudiciis*, tenuerit pro quocumque crimine gravi, & damnoſo Clericum in continenti poſſe tradi Curiæ ſæculari, etiam non expectata incorrigibilitate; tamen ejus fundamenta latiſſimè confutavi in præalleg. Decretali *Cùm non ab homine*, *à num.*65. *uſque ad num.* 104.

45 In *verſ. Illos quoque*, cùm text. decernat eos, qui poſt abjurationem erroris, vel poſtquam ſe proprii Antiſtis examinatione purgaverint, deprehenſi fuerint, in abjuratam hæreſim recidiſſe, ſæculari judicio ſine ulla penitus audientia eſſe relinquendos.

QUÆRO, An relapſo in caſu infraſcripto per Sedem 46
Apoſtolicam ſit concedenda abſolutio, ac rehabilitatio ad honores, & dignitates.

In cauſa N. abſolutionem petentis ſub cenſura Eccleſiæ. 47
Primum illud pono, hæreticum utcumque relapſum poſſe à Summo Pontifice nedum abſolvi, & unitati Eccleſiæ reſtitui, *cap. Super eo*, *de hæretic. lib.*6. ſed etiam ad honores, & dignitates rehabilitari; tum quia multis exemplis id factum eſſe conſtat; tum quia hæc Conſtitutio jubens eos ſine ulla penitus audientia ſæculari judicio eſſe relinquendos eſt juris poſitivi, quippe à Lucio III. condita fuit ad hoc quod notat Innoc. *in cap. Cum ad monaſterium*, *num.*3. *de ſtat. Monach.* unde omnis pœna relapſi quoad Papam eſt arbitraria, latè Arnal. *in cap. Quoniam*, *quæſt.* 12. *num.*9. *de hæret. lib.*6.

Pono item abſolutionem eſſe concedendam pœnitenti, 48
impœnitenti eſſe denegandam.

Prima pars probatur vulgaris Sacræ Scripturæ locis; Eccleſia nunquam claudit gremium redeunti. *Peccator in quacumque hora converſus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius: Cum converſus fueris, & ingemueris, tunc ſalvus eris*, aliiſque ſimilibus, quorum paſſim meminere Sancti Patres, & in ſpecie Chryſoſtomus *Epiſtola quinta ad Theodorum lapſum*, ubi rem pluribus illuſtravit exemplis, idemque habetur diverſis Gratiani locis, *cap. Penderet*, 50. *diſt. cap. Cognovimus*, §. *Ecce*, *cap. Is*, 26. *quæſt.*6. *cap. Quia eadem diſtinct.* ubi habetur ibi dari miſericordiam, ubi poſt peccatum eſt ſequuta pœnitentia: nec enim debet deſpici in eo, quod fuit, quia jam incipit eſſe quod non fuit: quæ habere locum etiam in relapſo conſtat ex text. in *d. c. Super eo*, ubi Archid. Jo. Andr. & cæteri DD. & S. Thomas *in* 2. 2. *qu.* 11. *art.*4.

Secunda pars probatur ex *cap. Legatur*, 24. *quæſt.* 2. quo 49
habentur hæc verba Gelaſii Papæ: *Legatur ex quo eſt religio Chriſtiana, vel certe detur exemplum in Eccleſia Dei à quibuslibet Pontificibus, aut ab ipſis Apoſtolis, aut ab ipſo denique Salvatore veniam, niſi corrigentibus ſe, fuiſſe conceſſam*. Idem habetur in *cap. Pœnitentes*, 50. *diſtin.* Quod ſi in quolibet peccatore id obſervandum eſt, ut non abſolvatur niſi pœnituerit, id certè exactius obſervari oportet in relapſo, qui cùm redierit ſemel ad hæreſim abjuratam, jam ſe oſtendit in Fide Catholica inconſtantem: pro- 50
pterea prudenter Alexander IV. *in d. cap. Super eo*, *de hæret. lib.*6. expreſsè ſtatuit, ne relapſus ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ recipiatur, niſi manifeſta dederit indicia pœnitentiæ.

His ita conſtitutis patet ſolutionem dubitationis circa abſolutionem petitam pendere ex facto nimirum ex eo an relapſus manifeſta dederit ſigna pœnitentiæ, nec ne; nam ſi dederit, abſolvendus erit, alioquin erit deneganda abſolutio.

Signa pœnitentiæ hæc vulgò afferunt. Primò quod ſpe- 51
ciales nuncios ad Sedem Apoſtolicam miſerit, ut abſolutionem obtineret, eiſque repulſis nihil commotus, aut indignatus fuerit, neque ullum paulò aſperiùs in Sedem Apoſtolicam, aut Summum Pontificem verbum ex ejus ore exciderit: quin etiam propoſitum petendi abſolutionem poſt repulſam conſtanter retinuerit: quod in ipſo videtur non leve pœnitentiæ judicium, ea enim eſt potentum natura, ut niſi honorificentiſſimè tractentur, ſe contemptos, injuriaque affectos exiſtiment. Cùm igitur N. reverſis re infecta qui ablegati fuerant, nihilominus ſe præſtiterit in Sedem Apoſtolicam obſequentem, & adhuc firmiter in ſua converſione permaneat, pergatque humili-
ter petere abſolutionem: magnam præſefert anteactæ vi- 52
tæ pœnitentiam: nam ut habetur in *cap. Perfecta*, *de pœnitent. diſtinct.*3. *perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter perferre*.

Secundò affertur eum Eccleſias frequentare, Miſſas devotè audire, peccata confiteri, Sacramentum Euchariſtiæ ſumere, veteribus delictis illacrymari, plurimas eleemoſynas elargiri: at longè minora ſigna pœnitentiæ videntur ſufficere in relapſo ad Eccleſiæ communionem admittendo: nam Archidiac. *in dicto cap. Super eo*, *num.* 4. pro ſignis numerat petitionem abſolutionis, & pectoris percuſſionem: ibidemque Françus videtur exigere ea ſigna, quæ

tra-

Digitized by Google

traduntur ab Hoſtienſ. *num.* 1. & Joan. Andr. *num.* 2. *in cap. A nobis, il ſecondo infra, de ſentent. excommunic.* qui non alia ſigna requirunt ibidem ad internoſcendum animum excommunicati pœnitentis, quàm elevationem oculorum ad cœlum, gemitum, ſuſpiria, pectoris, vel oris percuſſionem, abſolutionis petitionem; & tamen text. *dict. cap. A nobis*, utitur eiſdem verbis in excommunicato, quibus utitur *cap. Super eo*, videlicet, ſi pœnitentiæ ſigna oſtenderit manifeſta.

E converſo adverſus relapſum multa recenſentur ſigna impœnitentiæ.

Primò enim, ipſe plures collationes beneficiorum factas à Sede Apoſtolica irritas eſſe decrevit.

Secundò, concubinam nuptam habet, cum qua omnibus ſcientibus adulteratur; idque fatentur qui ab ejus par-
53 tibus ſtant, ſed negant delictum ad hæreſis crimen quicquam pertinere: quod etſi verum ſit, illud tamen conſtat carnis illecebris demerſum, nec quoad alia peccata longè diverſa eſſe verè pœnitentem, *cap. fin. de pœnitent. diſt.* 5. ubi Innocentius II. admonens fratres ſuos, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi patiantur, declarat eam falſam eſſe pœnitentiam, cùm ſpretis pluribus de uno ſolo pœnitentia agitur, aut cùm ſic agitur de uno, non diſcedatur ab alio: & Ambroſ. *in cap. Sunt plures, de pœnitent. diſtinct.* 3. *Sunt plures*, inquit, *quos pœnitet peccaſſe, ſed non omnino, reſervantes ſibi quædam, in quibus delectantur, non animadvertentes Dominum ſimul ſurdum, & mutum à dæmonio liberaſſe, per hoc docens nos nunquam niſi de omnibus ſanari ſi enim velles ex parte peccata reſervari, habenti ſeptem dæmonia, manente uno proficere potuerat, ſex expulſis: expulit autem ſeptem, ut omnia crimina ſimul ejicienda
54 doceret*. Et infra: *Quomodo ergo qui crimen reſervat, de alio recipiet veniam?* Et paulò poſt: *Quædam impietas infidelitatis eſt ab illo, qui juſtus, & juſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam; quem ergo pœnitet omnino pœniteat*. At idem text. *in c. Maiores, §. Sed ad hoc, de baptiſm.* cum concordantibus, de quibus ibi per gloſſ. *in verb. Ex parte*.

Tertiò, in oppido N. edictum contra libertatem conſcientiæ promulgavit, hoc autem non eſt hominis ad fidem redire volentis, neque in re tam gravi, & intrinſecè mala excuſari debet his cauſis, quas pro eo audivimus ad hujus criminis excuſationem allegari, *c. Litteras, de reſtit. ſpoliat. c. Inquiſitionis, de ſent. excommunic.*

Et quamvis etiam magni Reges, videlicet Carolus IX. & Henricus III. ſimul edictum promulgaverint, tamen exemplarem adeo pernicioſam, atque omni jure damnatam excuſabilem reddere non poſſunt, *cap. Sana*, 9. *diſt. & l. Nemo, C. de ſent. & interlocut. omn. judic.* Præterea Carolus IX. præclarè oſtendit ſe illud edictum non ad hæreſes promovendas promulgaſſe, cùm poſtea occaſione edicti nudatis omnium animis magnum hæreticorum numerum contrucidavit, plurimos è ditione ejecerit; alios ad ſanitatem redire compulerit. Atque utinam Sanctiſſimus ejus conatibus diuturnior vita reſpondiſſet: Henricus autem III. qui idem dictum confecit, illud etiam ſemel, atque iterùm revocavit.

Neque etiam defenditur N. relapſus ea ratione quod Summus Pontifex hoc, atque alia ſæpè in Principibus Catholicis toleraverit: nam tolerantia non excuſat à peccato, multaque permittuntur quæ non ſine peccato committuntur, *c. Cum jam dudum, de præben. c. Super eo, de cognat. ſpiritual. & c. Mulieri de jurejur.*

55 Quartò, hæretici apud N. gratia, & auctoritate pollentes, honoribuſque, & gradibus honeſtantur, quo nullum majus videtur eſſe impœnitentiæ ſignum in relapſo, ex his quæ habentur in *cap. Accuſatus, §. Ille quoque, infra eod. lib.* 6.

Quintò, Judex ſæcularis in presbyterum mortis ſententiam nuperrimè tulit, eo quod dixiſſet N. omni poteſtate, ac juriſdictione nudatum eſſe, utpotè relapſum antequam à Sede Apoſtolica admitteretur, juſſit eundem ſegularem propoſitionem tanquam hæreticam abjurare. Qua in re duo præcipuè maxima delicta idem judex commiſit; alterum quod ſe dogmatum Fidei Catholicæ judicem conſtituit, *cap. Ut Inquiſitionis, §. Prohibemus, de hæret. lib.* 6. alterum quod Catholicam propoſitionem tamquam hæreticam abjurari mandavit. At, inquiunt, hoc judicis eſt delictum ideoque non imputando præfato N. qui ei cauſam delegavit, *c. Si quis à Catholica*, 23. *quæſt.* 4. gloſ. 1. *in c.* 2. *de conſtit.* quaſi judex aliquid in re tam gravi auſus eſſet abſque conſcientia, & voluntate delegantis; aut hæc delicta non ſint ipſi N. tribuenda, qui illis poterat obviare,
c. Qui poteſt 23. *q.* 3. *c. Negligere*, 2. *q.* 7. *c. Error, diſt.* 38. 56
quippe crimen qui poteſt emendare, & non corrigit, ipſe committit, *c. Facientis*, 86. *diſt.*

Sextò, ſic relapſus fuit à Summo Pontifice declaratus excommunicatus, cùm jam eſſet excommunicatus à jure, *cap.* 1. 24. *q.* 1. *cap. Excommunicamus, primo, & infra eod.* & Conſtitutione, quæ in die Cœnæ Domini legi conſue-
vit: quo fit, ut valde peccet, ſeque impœnitentem oſtendat, 57
cùm adeat Eccleſias, Miſſaſque audiat, ac divinis interſit, nondum à Sede Apoſtolica obtenta abſolutione, *cap. Quod in te, de pœnit. & remiſſion.*

Ex utraque igitur parte conjecturæ concurrunt, ſed quæ 58
in propoſito noſtro impœnitentiam oſtendunt, videntur longè validiores: nam ut quis verè pœnitens cenſeatur, non ſufficit docere de bonis operibus, niſi etiam appareat eum abſtinere à malis: nam ut ait Auguſtinus relatus in *c. Pœnitentia, de pœnit. diſt.* 3. *Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangendo iterum non committere*: ut enim dicitur in *cap. Pœnitentiam quippe, de pœnit. ead. diſt. qui ſic alia deplorat, ut iterùm alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat*: quod etiam habetur in *cap. Ille, ead. diſtinct. & in c. Pœnitentes, & cap. Irriſor, ſeqq.* ubi appellatur irriſor non pœnitens, qui adhuc agens quod pœnitet, non videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Nec ſigna eleemoſynarum, aut lacrymarum proſunt, ubi peccata non deſeruntur, *c. Qui admiſſa, cap. Qui vult, cap. Nihil prodeſt, eadem diſtinct.* 3. Unico igitur verbo reſponderi poteſt ad ſigna pœnitentiæ ſuperius relata, videlicet non ſufficere ad pœnitentiam ſigna bonorum operum quæ ſint criminibus, & peccatis præſertim tam gravibus involuta.

Præterea inter ſigna pœnitentiæ recenſetur ſacramento- 59
rum frequentatio, quæ tam in excommunicato arguit potius impœnitentiam, ut ſupra eſt demonſtratum.

Verum quatenus etiam relata bonorum operum ſigna eſſent magis attendenda, quàm ſigna malorum, negari tamen non poteſt, quin illa longè infirmiora, atque obſcuriora reddantur ob ſigna contraria; & ita non ſint evidentia, ſeu manifeſta, qualia requiruntur in relapſo ad obtinendam abſolutionem *d. c. Super eo, de hæretic. lib.* 6.

At dicet quis multos eſſe pœnitentiæ gradus, quemadmo- 60
dum & peccatorum, ſatiſque eſſe ut nunc incipiat modicè pœnitere eorum, quæ geſſit. *Iam enim futurum, ut uberiores, & ampliores veræ pœnitentiæ fructus ferantur, Deumque brevem illam, & exiguam pœnitentiam*, (ut ait Chryſoſtomus *Epiſtola* 5. *ad Theod. lapſum*,) *non abnuere, ſed magna penſitare mercede; imo vehementer corruptus non impellere magna vi ad virtutem, ſed manſuetè, & ſenſim promovere, imo plerumque portare, ne immanior ſciſſura fiat, aut error productior*. Hæc Chryſoſtomus.

Sed reſpondetur levem quidem pœnitentiam non ſper- 61
nendam, ſed eam tamen non ſufficere relapſo ad obtinendam abſolutionem, antequam perfectior fiat, ejuſque habeamus ſigna evidentia, & perſpicua juxta text. in *d. c. Super eo*.

Non obſtat, quod ob publicam cauſam, & gravia pericula evitanda ſummus Pontifex debeat juris vincula laxare, relapſumque admittere, ut poſt D. Thom. ſentit Auguſtin.
Triumph. *in tract. de poteſt. Eccleſiaſt. q.* 28. Nam abſolu- 62
tio alicujus periculi vitandi cauſa non eſt concedenda non pœnitenti, juxta text. *d. c. Legatur*. Sed quando verè pœniteret, & ita abſolveretur, tunc ad pericula vitanda jure deberet concedi poſtea rehabilitatio ad honores, & dignitates, quia in hoc cadit conſideratio periculi vitandi, non autem in abſolutione quæ nullo modo danda eſt ei, qui non pœnitet.

DE

Digitized by Google

DE HÆRETICIS.

Innocentius III.

CAPUT X.

VErgentis in ſenium ſæculi corruptelam : & infrà. In terris verò temporali noſtræ juriſdictioni ſubjectis, bona hæreticorum ſtatuimus publicari: & in aliis idem præcipimus fieri, per Poteſtates & Principes ſæculares: quos ad id exequendum (ſi fortè negligentes extiterint) per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remota compelli volumus & mandamus: Nec ad eos bona eorum ulterius revertantur, niſi eis ad cor revertentibus & abnegantibus hæreticorum conſortium, miſereri aliquis voluerit; ut temporalis ſaltem pœna corripiat, quem ſpiritualis non corrigit diſciplina. Cùm enim ſecundùm legitimas ſanctiones, reis læſæ majeſtatis punitis capite, bona confiſcentur eorum, filiis ſuis vita ſolummodo ex miſericordia conſervata; quantò magis qui aberrantes in fide Domini Dei Filium Jeſum Chriſtum offendunt: à capite noſtro, quod eſt Chriſtus, Eccleſiaſtica debent diſtrictione præcidi, & bonis temporalibus ſpoliari: cùm longè ſit gravius æternam, quàm temporalem lædere majeſtatem. Nec hujuſmodi ſeveritatis cenſuram, orthodoxorum exhæredatio filiorum, quaſi cujuſdam miſerationis prætextu, debet ullatenus impedire: cùm in multis caſibus (etiam ſecundùm divinum judicium) filii pro patribus temporaliter puniantur: & juxta Canonicas ſanctiones, quandoque feratur ultio, non ſolum in auctores ſcelerum, ſed etiam in progeniem damnatorum.

SVMMARIVM.

1 *HÆreticorum bona confiſcantur, etiamſi Catholicos habeant filios: & in terris Eccleſiæ applicantur fiſco Eccleſiæ, in terris Imperii fiſco ſæculari, & n.3. & n.16.*

2 *Papa in terris Eccleſiæ vendicat ſibi omnia iura temporalia, & habet Cameram fiſcalem, cui applicantur bona confiſcata.*

3 *Publicatio bonorum ſi fiat in terris Imperii applicatio fit fiſco ſæculari, licet publicatio fiat ratione criminis mere Eccleſiaſtici.*

4 *Niſi is cuius bona publicantur, ſit clericus, quia tunc applicatio fit fiſco Eccleſiæ etiam in terris Imperii.*

5 *Hæreticorum bona licet ſint ipſo iure confiſcata, tamen apprehendi non poſſunt per poteſtatem ſæcularem, niſi prius iudex Eccleſiaſticus pronunciaverit ſuper crimine.*

6 *Iudices ſæculares poſſunt compelli per Eccleſiam ad iuſtitiam faciendam.*

7 *Papa propter iniuſtitias, & alias iniquitates poteſt Principes ſæculares dignitate privare.*

8 *Imperium Romanum à Græcis cur in Germanos translatum à Leone III.*

9 *Hæretici etiam ſpontè abiurantes non recuperant bona niſi ex miſericordia.*

10 *Epiſcopus in hæreſim lapſus Epiſcopatum non recuperat niſi ex miſericordia.*

11 *Filii quandoque puniuntur temporaliter propter criminis paterni immanitatem.*

Non autem ſpiritualiter, num. 13.

12 *Presbytericidæ filii à Pœnitentiaria redduntur inhabiles ad beneficia obtinenda.*

13 *Filius regulariter puniri non debet pro delicto patris.*

14 *Hæretici committunt crimen læſæ maieſtatis Divinæ, quod eſt gravius, quàm læſæ maieſtatis humanæ, & num. 18. & 21.*

15 *In Religionem divinam quod committitur, in omnium fertur iniuriam.*

16 *Hæreticorum filiis etiam orthodoxis nihil relinquendum eſt ex bonis parentum, licet poſt mortem fuerint damnati.*

17 *Quod locum habet etiam in terris Imperii.*

19 *Iudæorum bona, qui facti ſunt Chriſtiani, & poſtea labuntur in hæreſim, reſervantur filiis Catholicis.*

20 *Filius hæretici an ſit ipſo iure privatus, vel privandus beneficiis obtentis, & penſionibus reſervatis antequam pater condemnaretur, & num. ſeqq. uſque in fin.*

Et quid ſervetur in Congregatione Generalis Inquiſitionis, num. 31.

22 *Filii percutientium Cardinales ſunt ipſo iure privati beneficiis obtentis.*

23 *Ratio ubi eſt eadem, lex non dicitur extendi, ſed enucleari.*

24 *Et ubi habet locum legis ratio, circa id prodita dici debet lex.*

25 *Etiamſi in materia pœnali, & correctiva.*

26 *Privatio in præteritum non inducitur ex inhabilitatione in futurum.*

27 *Pietatis prætextu non debet ſalubris ſeveritas relaxari.*

28 *Nicolai III. Conſtitutio privans filios hæreticorum beneficiis obtentis, & inhabilitans ad obtinenda refertur.*

29 *Conſtitutiones pœnales ad hæreſes arcendas ſunt favorabiles.*

30 *Penſio in materia favorabili venit appellatione beneficii.*

32 *Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum filiis hæreticorum ad officia, & beneficia, & num. ſeqq. uſque in finem.*

33 *Decretum irritans impedit ne Epiſcopus poſſit diſpenſare in criminibus infra adulterium.*

34 *Diſpenſare non poteſt Epiſcopus cum iis, qui à canone perpetuo ſunt privati beneficiis obtentis, vel inhabiles ad illa obtinenda.*

35 *Nec in concernentibus fidem, vel ſtatum univerſalis Eccleſiæ.*

36 *Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum filiis interficientis Prælatum.*

37 *Epiſcopus diſpenſare poteſt, ubicumque in materia pœnali canon permittit diſpenſationem.*

38 *Infamia iuris per ſolum Principem aboleri poteſt, non per Epiſcopum.*

VErgentis. Bona hæreticorum confiſcantur etiamſi Catholicos habeant filios. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. cum quo concordant Butr. Cardin. Anchar. Joan. de Anan. & Felin. vel plenniùs ſecundùm Abbatem, & Marian. Soccin. Bona hæreticorum confiſcantur, & in terris Eccleſiæ applicantur fiſco Eccleſiæ, in terris Imperii fiſco ſæculari; & procedit etiamſi catholicos habeant filios. Hoc dicit, & ſunt tres partes: nam primò præmittit deciſum exordium; ſecundò ponit ſtatutum de publicatione, quod probat per argumentum à minori; tertio ſolvit obſtaculum: ſecunda ibi, *in terris*, tertia ibi, *nec huiuſmodi*, Jo. Andr. 1

Nota primò ibi, *in terris verò temporali noſtræ iuriſdictioni ſubiectis*. Romanum Pontificem, vel Eccleſiam in terris 2

terris ſibi ſubjectis quoad juriſdictionem temporalem vin-
dicare ſibi omnia jura temporalia, & habere Cameram
fiſcalem, cui applicantur bona confiſcata, ut *hic* per Butr.
num. 2. & Marian. Socin. *in* 1. *notab.* de quo in Clem. 2. *de
hæretic.* ibi, *in fiſcum Eccleſiæ*. Facit quod notat Joan.
Andr. *in cap. Quis diverſitatem*, *num.* 15. *de conceſs.
præben.*

3 Secundò nota ibi, *& in aliis idem præcipimus fieri per
Poteſtates, & Principes ſæculares*. In terris Imperii bona
publicata deferri in fiſcum ſæcularem, licet publicatio fiat
ratione criminis merè Eccleſiaſtici, ut hic notant iidem
Butr. *num.* 2. *in fin. verſ. Ex quo nota*, Anchar. *num.* 1. &
4 Marian. Socin. *in ſecundo notab.* Qui tamen ſingulariter hoc
limitat niſi is, cujus bona publicantur, eſſet Clericus, quia
5 tunc applicatio fieret Fiſco Eccleſiæ etiam in terris Imperii,
argum. *cap.* 2. *de ſucceſs. ab inteſtat.* Et ſatis videtur proba-
ri in hoc cap. Cæterum adverte, quia etiamſi agatur de
bonis laici, tamen apprehenſio illorum nullatenus fieri niſi
priùs pronuncietur ſuper crimine per judicem Eccleſiaſti-
cum, ut eſt expreſſum in *c. Cum ſecundùm leges*, *infra eod.
lib.* 6. ubi habetur hodie bona hæreticorum eſſe confiſcata
ipſo jure, licèt ſecundùm hoc cap. requireretur ſententia,
ut probatur, ibi, *ſtatuimus*, *publicari*: necnon ibi, *præci-
pimus fieri*. Sed nihilominus neceſſariam eſſe declaratio-
nem judicis Eccleſiaſtici ſuper facto: & ita hic notant
Joan. Andr. *num.* 2. & Cardin. *num.* 1. *in ver. Sæculares*.

6 Tertiò nota ibi, *compelli volumus, & mandamus*. Ju-
dices, & Principes ſæculares poſſe compelli per Eccleſiam
ad juſtitiam faciendam, prout hic notant Bernard. poſt ca-
ſum, & in gloſs. 1. Innoc. & Hoſtienſ. *num.* 1. per text. in
cap. Adminiſtratores, 23. *quæſt.* 5. *cap. Poſtulaſti*, §. *fin. &
cap. Judæi, ſive Saraceni*, §. *fin. ſupra de Judæis*. Hoc
7 enim facere poteſt Papa ratione peccati, ut *cap. Novit*,
ſupra de Judæis. Unde poteſt eos propter hoc dignitate
privare, *cap. Ad abolendam*, §. *Statuimus*, *ſupra eodem*.
Sicut & propter alias iniquitates, *cap. Alius*, 16. *quæſt.* 6.
8 Quemadmodum Leo III. Romanum Imperium in perſo-
nam Caroli Magni à Græcis tranſtulit in Germanos propte-
rea quod Imperatores Conſtantinopolitani Eccleſiam Ro-
manam, quæ ab Aſtulpho Rege Lombardorum opprime-
batur, defendere noluerunt, ut *cap. Venerabilem*, *cum ſua
gloſ. in verb. Tranſtulit*, *de elect.* De qua Imperii transla-
tione latiſſimè differit Cardin. Bellarmin. *in tract. de tran-
slat. Imper. lib.* 1. *cap.* 4. *cum ſeqq. juncto cap.* 12. *& lib.* 2. *per
tot. & lib.* 3. *maxime cap.* 3.

9 Quartò nota ibi, *Miſereri aliquis voluerit*. Hæreticos
quamvis ad fidem ſponte redeant, & hæreſim abjurent,
tamen bona amiſſa non recuperare niſi ex miſericordia;
10 & idem in Epiſcopatu, quem lapſus in hæreſim non recu-
perat niſi ex miſericordia, ut *cap. Ipſa pietas*, *verſ. Item
ſi unquam in fin.* 23. *quæſt.* 4. *& cap. Quod autem*, *quæſt.* 7.
& notatur per Innoc. Hoſtien. Joan. Andr. & alios in *c.* 1.
de Paroch. & per gloſs. *hic in verb. Miſereri*, Hoſtien. *n.* 1.
in eod. verb. & Marian. Socin. *in* 3. *notab.*

11 Quintò nota ibi, *filiis ſuis vita ſolummodo ex miſericor-
dia conſervata*. Propter criminis paterni immanitatem
quandoque filios puniri temporaliter, idque ut ipſorum
parentum gravior ſit pœna, *l. Iſti, quidem*, *ff. Quod met.
cauſ.* & quia exempla paterni criminis in filiis metuuntur,
cùm filius naturaliter ſequatur veſtigia parentum, ut
l. Quiſquis, §. *Filii verò*, juncta gloſ. *in verb. In quibus*,
C. Ad leg. Juliam maieſtat. Facit text. cum gloſs. *in l. Cum
unus*, *in princip. ff. de aliment. & cibar. legat. & in l. Quod
ſi nolit*, §. *Si mancipia*, *ff. de adilit. edict.* & notatur in *cap.*
12 *Illud*, 40. *diſt. & in cap. Quantumlibet*, 47. *diſtin.* Unde &
Hierem. *cap.* 31. *Patres comederunt uvas acerbas, & filio-
rum dentes obſtupuerunt*; & ſacra Pœnitentiaria in abſolu-
tione a Presbytericidio apponit clauſulam de qua in *c. Qui-
buſdam de pœnis*, videlicet, *& ne minus vindicta, quam ex-
ceſſus memoria prorogetur, ipſe, eiuſque liberi propter hoc cen-
ſeantur inhabiles, ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, niſi
cum eis fuerit ſuper hoc miſericorditer diſpenſatum*. Regu-
13 lariter tamen filius non debet puniri pro crimine patris, &
maximè in ſpiritualibus, in quibus nunquam debet porta-
re iniquitatem patris; & ſic intelligitur illa authoritas, ut
notatur in *ſumma*, 24. *quæſt.* 1. *& in ſumma*, 1. *q.* 1.

14 Sextò nota ibi, *æternam, quam temporalem habere maie-
ſtatem*. Hæreticos committere crimen læſæ Majeſtatis di-
vinæ, quod longè gravius eſt, quàm læſæ majeſtatis hu-
manæ, ut *hic*, & in Auth. *Gazaros*, *C. de hæret. & Ma-
nichæis*, ad idem *c. Sicut qui Eccleſiam*, 17. *quæſt.* 4. *& c. Si
apud*, 23. *quæſt.* 5. quod enim in religionem divinam com- 15
mittitur, in omnium fertur injuriam, & publicum eſt cri-
men, *l. Manichæos*, *C. de Hæret. & Manichæis*, gloſ. *hic in
verb. Longè ſit gravius*. Quare ſi contra homines illatæ
blaſphemiæ impunitæ non tranſeunt, multò magis qui
ipſum Deum blaſphemat dignus eſt ſupplicia ſuſtinere, ut
in Auth. *Ut non luxurien. contr. nat. reſp.* 1. *& §.* 1. Hoſtien.
hic num. 2.

Ultimò nota ibi, *orthodoxorum exhæredatio filiorum qua-* 16
ſi cuiuſdam miſerationis prætextu debet nullatenus impedire.
Textum expreſſum quod bona hæreticorum confiſcantur
ſive habeant filios, ſive non, nec Catholicis hæreticorum
filiis aliquid relinquendum eſt, ut hic dicitur: & quam-
vis contrarium reperiatur ſtatutum de jure civili, ut in *d. l.
Manichæos*, & in Auth. *Idem eſt de Neſtorianis*, ubi ha-
betur filios Catholicos propter hoc hæreditate paterna non
privari: nihilominus prædicta jura corriguntur per hanc
Decretalem, & per Conſtitutionem Federici, *Hac edicta-
li*, quæ hoc idem dicit, & olim fuit poſita in quinta com-
pilatione eodem tit. idque in deteſtationem criminis: nam
ſi id ſancitum eſt in crimine læſæ majeſtatis humanæ, ubi
filii puniuntur quoad bona, ut in *d. l. Quiſquis*, *C. Ad leg.
Jul. maieſt.* quæ eſt canonizata *in §. Verum*, *verſ. Si quis
cum militibus*, 6. *quæſt.* 1. multò fortius in crimine hæreſis,
quod longè gravius eſt, ut hic in littera, & dictum eſt in
præcedenti notab. & in hac opinione fuerunt gloſ. Jo. Lau-
rentius, & Archidiac. *in ſumma*, 23. *q.* 7. Cyn. *in d. l. Quiſ-
quis*, *num.* 6. Hoſt. *in ſumm. de hæretic.* §. *Qua pœna*, & fir-
mat gloſ. *penult. hic*, cum qua concordant Abb. Antiq. Jo.
Andr. Butr. Cardin. & omnes *in ſummario text.* Hoſtienſ.
num. 9. Cardin. *num.* 4. Abb. Siculus *num.* 5. & Marian.
Socin. *num.* 8. *&* 9. & quamvis nonnulli opinati fuerint
hunc textum habere locum quando pater fuit damnatus in
vita, jus autem civile quando fuit damnatus poſt mortem:
tamen hæc differentia confunditur per *cap. Cum ſecun-
dum leges*, *infra eod. lib.* 6. Rurſus etſi Joan. Andr. *hic n.* 5. 17
credat hanc Decretalem prævalere legibus in illis terris tan-
tùm quæ ſubſunt temporali juriſdictioni Domini Papæ; in
terris autem imperii prævalere leges, quæ majori æquitate
nituntur: illius tamen opinio eſt apertè falſa, nec ullam
habet probabilitatem, & mirandum eſt hoc contigiſſe
juris canonici illuminatori. Adverſatur enim hoc cap.
quod facit mentionem de terris Imperio ſubjectis, & cogit
Principes ſæculares, quia crimen eſt merè Eccleſiaſticum,
cap. Ut inquiſitionis, *infra eod. lib.* 6. & ideò pœnæ impoſi-
tio pertinet ad judicem Eccleſiaſticum, non ad ſæcularem,
§. *In hoc*, 32. *quæſt.* 2. quare hanc opinionem, quæ etiam
fuit Tancredi, & Goffredi, meritò hic reſpuunt Butr. *n.* 11.
verſ. Jo. Andr. dicit, Cardin. *num.* 4. Anchar. *num.* 7. Abb.
in fin. & Marian. Socin. *num.* 8. *&* 9. licèt revera Jo. Andr.
videatur poſtea ab ea receſſiſſe, quia paulò pòſt ſubjungit
obſtare Auth. *Gazaros*, *C. de Hæret. & Manichæis*, quam
dixit concordare cum textu noſtro. Atque ita Joan. Andr.
agnovit hanc differentiam conſtitui non poſſe inter loca
Imperio, vel Eccleſiæ ſubjecta, cùm ipſimet Imperatores
hoc idem ſanxerint, videlicet Juſtinianus in d. Auth. *Ga-
zaros*, & apertius Federicus in prædicta Conſtitut. *Hac
edictali*, cujus hæc ſunt verba: *Cæterum quia quanto ma-* 18
*iora divino nutu miſerationis accepimus, & altiorem locum
præ filiis hominum obtinemus, tanto devotiora debemus obſe-
quia gratitudinis conferenti; ſi quando in noſtri nominis con-
temptores noſtra excandeſcit authoritas, ſi reos læſæ maieſta-
tis in perſonis eorum, & liberorum ſuorum exhæredatione
damnamus: multo fortiùs, iuſtiuſque contra Dei blaſphe-
matores nominis, & detractores Fidei Catholicæ provoca-
mur, eorundem hæreticorum receptatorum, fautorum, &
advocatorum ſuorum hæredes, & poſteros, ut ad ſecundam
generationem beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis,
& honoribus Imperiali auctoritate privamus, ut in paterni
memoria criminis continuo mœrore tabeſcant, verè ſcientes
quod Deus zelotes eſt peccata parentum in filios potentius ul-
ciſcens*. Hactenus verba conſtitutionis, quam ut inquit
Cyn. *in d. l. Quiſquis*, *num.* 6. *C. ad leg. Jul. Maieſtat.* Ec-
cleſia Romana approbavit, & invenitur apud Inquiſitores
hæreticæ pravitatis ſub Bulla Papali.

Declara nunc concluſionem ſuperiùs firmatam ut lo- 19
cum habeat in Chriſtianis ortum ducentibus à Chriſtianis,
& ab

& ab ipſo principio, quia lapſi ſunt in hæreſim: ſecus verò in Judæis, qui effecti ſunt Chriſtiani, & demum poſtea labuntur in hæreſim, quia bona talium reſervantur filiis Catholicis, ut eſt text. notabilis in *cap. Judæi*, 1.q.4. unde hoc caſu filii Neophytorum ſunt melioris conditionis quam filii Chriſtianorum, ut *hic* per Marian. Socin. *num.9. in fin.*

20 Sed juxta prædicta QUÆRO, an filius condemnati de hæretica pravitate ſit ipſo jure privatus, vel privandus beneficiis obtentis, & penſionibus ſibi reſervatis antequàm pater condemnetur.

Videtur reſpondendum eſſe ipſo jure privatum, aut ſaltem privandum tam beneficiis, quam penſionibus hujuſmodi.

Quod primo probatur per text. *in cap. Ut commiſſi, §. Privandi, infra eod. lib.6.* quo tribuitur Inquiſitoribus facultas privandi, vel privatos nunciandi tam hæreticos, quàm eorum filios; unde ſive illa verba privandi, vel privatos nunciandi intelligantur diſtributivè, & verbum, *privandi*, referatur ad filios hæreticorum, qui puniuntur ex alieno facto, & verba, *privatos nunciandi*, referantur ad hæreticos, qui privantur ex proprio, ut placuit quibuſdam antiquis, quorum meminit Jo. Andr. *in d. cap. Ut commiſſi, num.4.* Covar. *l.2. var. reſol. cap.8. num.4. verſ. Ipſi vero:* ſive illa verba ita accipiantur, ut dictio, *vel*, ſtet expoſitivè pro *ideſt*, ut Joan. Andr. Gemin. & communiter Doctores ibidem intelligunt: nos habemus intentum, quia ſecundum priorem intellectum textus ille neceſſariò convincit, filios hæreticorum eſſe privandos, & ſecundum poſteriorem, & communem eſſe ipſo jure privatos, & ut tales nunciandos, quo caſu nuncians non fert novam ſententiam, ſed à jure promulgatam exequitur, Archid. *in d. cap. Ut commiſſi, poſt princip.*

Secundò, id probatur, quia ratio puniendi filios ea fuit, ut ad deterrendos alios à tam immani facinore filii perpetua egeſtate ſordeſcerent, eiſque mors eſſet ſolatium, & vita ſupplicium, ut habetur in *l. Quiſquis, Cod. ad l. Jul. maieſt.* quæ cùm loquatur de crimine læſæ majeſtatis humanæ, fortiùs habet locum in crimine læſæ majeſtatis divinæ, ut eſt crimen hæreſis, ut hic patet, & in Auth. *Gazaros, C. eod.* & dictum eſt ſupra *in 6. notab. & num.18.* At hæc ratio comprehendit nedum inhabilitatem ad nova beneficia acquirenda, ſed etiam obtentorum punitionem; alioquin ſequeretur, ut ſi filii tempore delicti paterni pinguia beneficia poſſiderent, eiſque non privarentur, jam non eſſent in egeſtate miſerabiles victuri; ideòque ob identitatem rationis debent privari etiam obtentis, ad *l. Titio, ff. de verb. obligat. cum concordant.*

Tertiò, idipſum confirmant verba hujus textus ſumpta ex *d. l. Quiſquis*, dum dicunt eis ſolam vitam ex miſericordia relinqui, unde ſequitur, ut cætera omnia adimantur, *l. Cum prætor, ff. de iudiciis, cap. Nonne de præſumptionib.*

21 Quartò, accedit quod omnes pœnæ impoſitæ pro delicto læſæ majeſtatis humanæ ex majoritate rationis debent habere locum in crimine læſæ majeſtatis divinæ, ut hic arguitur ibi: *Cum enim ſecundum legitimas ſanctiones, reis læſæ maieſtatis punitis capite, bona confiſcentur eorum, filiis ſuis vita ſolummodo ex miſericordia conſervata, quanto magis qui aberrantes in Fide Domini Dei Filium Jeſum Chriſtum offendunt à capite noſtro, quod eſt Chriſtus, Eccleſia debent diſtrictione præcidi, & bonis temporalibus ſpoliari, cum longè ſit gravius æternam, quàm temporalem lædere maieſtatem:* quod etiam leguur in d. Auth. *Gazaros, C. eod. tit.* & in Conſtitutione Federici ſuperius relata, *num.* 18.

22 ſed in crimine læſæ majeſtatis humanæ, quale eſt percutere perſonam Cardinalium, Gigas *in tract. de crimin. læſa maieſtat. tit. Qualiter, & à quibus crimen læſa maieſtat. committat, quæſt.5. num.3. cum ſeqq.* expreſsè cautum eſt, ut filii delinquentium ſint ipſo jure privati beneficiis obtentis, *c. Felicis, §. Quod ſi quis, de pœnis, lib.6.* ergo idem etiam habebit locum in crimine læſæ majeſtatis divinæ, de quo agimus.

His rationibus hanc ſententiam ſequuti ſunt Jo. Andr. *in d. cap. Ut commiſſi, num.4. in verb. Privandi*, Gemin. *in d. §. Privandi, num.4.* Henric. Boich. *in hoc cap. num.12.* & Jo. de Anan. *eod. num. verſ. De crimine autem hæreſis*, Præpoſ. *in cap. Satis perverſum, num.4. 56. diſtinct.* Emeric. *in direct. inquiſit. quæſt.* 114. Roman. *ſingul.* 693. Decian. *tract. crimin. cap.43. num.4. verſ. Perdunt filii*, Lambertin. *de iurepatronat. in 1. part. in 2. lib. in 6. art. 3. q. principalis*, Gigas *in tract. de crim. læſa maieſt. lib.3. tit. de pœnis, quas filii incurrunt, quæſt.* 11. Paul. Rubeus *in tract. de Regno Navar. p.5. §.7. & 8.* & communem eſſe atteſtantur Covar. *lib.2. var. reſolut. cap.8. num.4.* & Jul. Clar. *in praxi criminal. & §. Hæreſis, verſ. Item Clericus.*

Non obſtat, quod oppoſitum ſenſerint Jacob. de Simanch. *de cathol. inſtit. tit.29. num.20.* Rebuff. *in praxi beneficior. tit. de mod. amit. benefic. num.* 25. Pena *in ſcholiis. ad 3. part. directorii ſchol.* 156. Covar. & Clar. *in locis ſupra citatis.* 22
Etenim contra filium eſt communis opinio omnium ferè antiquorum, ut ipſemet Pena teſtatur ibidem, *verſ. Anceps tamen*, præſertim cùm Abbas citatus à Covar. pro filio, in hoc cap. nihil affirmet, ſed ſimpliciter dicat gloſ. *in cap. Satis perverſum, 56. diſt.* velle ut filius non perdat beneficium: quæ tamen gloſ. potius facit pro hac parte, cùm loquatur de crimine læſæ majeſtatis humanæ, & ſentiat filium ob crimen patris non privari beneficio ea ratione, quia eſt exemptus à poteſtate Principis, quaſi volens à contrario ſenſu, ut in crimine læſæ majeſtatis divinæ, in quo ceſſat ea ratio exemptionis in Clerico, talis filius beneficium amittat, ut etiam elicitur ex verbis ejuſdem Abb. *in cap. Cum laici, num.4. de iurepatronat.* dum in eadem quæſtione loquens de crimine læſæ majeſtatis humanæ primò arguit, ut filius ſit privatus beneficio, quia eſt infamis, deinde contrarium concludit, quia cùm filius ſit Clericus, non potuit effici infamis per legem ſæcularem: & ita tacitè inſinuat, ut in crimine læſæ majeſtatis, in quo per legem canonicam filiis irrogatur infamia, ipſi amittant beneficia obtenta, cùm lex canonica non careat poteſtate in eis, quemadmodum ſæcularis.

Non obſtant rationes, quibus moti ſunt Covar. & Penia ad aliter ſentiendum.

Nam ad primam, quod nullo jure caveatur hæreticorum filios eſſe privatos obtentis, & quod *cap. Felicis*, imponens hanc pœnam filiis percutientium perſonas Cardinalium tanquam pœnale non debeat extendi. 23

Reſpondetur ſatis id eſſe cautum tam per textum in *d. cap. Ut commiſſi, §. Privandi*, quàm per rationem expreſſam in *d. l. Quiſquis, & in hoc cap.* ubi enim eſt eadem ratio lex non dicitur extendi, ſed enucleari, *l. Si poſtulaverit, §. Sed qui negavit, ff. de adulter.* quem textum ad hoc propoſitum allegat Oldrad. *conſ.* 185. *Thema tale eſt, Titius Canonicus in fine*, & ubi eſt eadem ratio, non dicitur quis extendendo novum caſum addere, ſed quod in primo caſu in ratione includebatur, ſecundum æquitatem detegere, ſive declarare, quia lex dicitur omne, quod in ratione conſiſtit, *cap. Conſuetudo, 1. diſt.* ergo ubi habet locum 24
legis ratio circa id prodita dici debet lex; ita formaliter dicit Caldet. *conſ.1. Ut lite pendent.* & ut alibi ſcribit Bald. *in l. De quibus, ff. de legib.* ubi eſt eadem ratio in pluribus caſibus, una, & eadem ratio decidit omnes illos caſus non per extenſionem, ſed ſicut genus comprehendit ſpeciem, ſic generalis ratio diverſas ſpecies: ideòque expreſſo uno caſu veniunt omnes, in quibus viget eadem ratio, quod Baldi dictum refert, & ſequitur Paul. de Caſtro *conſ.* 441. *Pro declaratione, num.6. col. penult. ad fin. verſ. Nam ut inquit eleganter D. Bald. lib.1.* Id procedit etiam in mate- 25
ria pœnali, & correctiva, ut tradit Abb. *conſ.75. Primo eſt videndum, num.7. lib.* 1. Tiraquell. *de cauſ. ceſſ. in 1. part. num.*155. & eſt text. in *l. His ſolis, verſ. Satis etiam tacitè cautum putamus, C. de revocand. donationib.* quem dicit meliorem de corpore juris, Bald. *in rubr. Cod. de nautic. fœner.* Joan. de Anan. inter conſ. Paul. de Caſtro *conſ.256. Viſis, & conſideratis, col.2. ad fin. lib.2,* & Cravet. *conſ.* 183. *Regula, num.*3. quinimò ut ait idem Bald. *conſ.* 384. *Statuto civitatis cavetur, num... lib.*5. ea quæ ſunt ejuſdem rationis includuntur ſub diſpoſitione ex ſignificatione, id eſt tanquam expreſſa propriè, non tacitè.

Secunda ratio contrariæ opinionis eſt, quia textus in 26
cap. Quicumque, §. Hæretici, de hæreticis lib.6. prohibet tantum ne hæreticorum filii ad beneficia admittantur; & ſic futuram acquiſitionem: inhabilitatio autem in futurum non inducit privationem in præteritum, gloſ. in Clem. 1. *§. Ipſius de pœnis*, ubi DD.

Ad hanc rationem reſpondetur, primò retorquendo textum *d. §. Hæretici*, quod cùm loquens tam de hæreticis, quàm de eorum filiis, inhibeat uniformiter, ne ad beneficia admittantur; conſequens eſt, ut ſicut illa prohibi-

hibitio quoad hæreticos importat etiam privationem obtentorum, gloſſa communiter approbata in *cap. Qua iure in verb. Nam iure, diſt.*8. Rota apud Caſſad. *deciſ.*14. *nu.*1. *ſuper regulis*, ita etiam eandem privationem importat quo ad filios hæreticorum per regulam *l. Iam hoc iure, de regul. & pupillar. cum ſimilib.* & propterea Emeric. *in director. inquiſiter. d. quæſt.*114. fundat privationem beneficiorum in hæreticorum filiis ex ſolo text. *in d. §. Hæretici*. Secundò reſpondetur, quamvis per text. *in d. §. Hæretici*, non inducatur privatio obtentorum, ſed tantùm inhabilitas in futurũ, tamen inductam eſſe talem privationem per alios textus ſupra citatos, & per rationem *d. l. Quiſquis*, & textus noſtri.

27 Neque verò præferenda eſt in hac materia opinio non privans filios tamquam benignior: quia non debet prætextu pietatis ſalubris ſeveritas relaxari, ut expreſsè admonemur in hoc *cap. in fin.* ibi: *Nec huiuſmodi ſeveritatis cenſuram orthodoxorum exhæredatio filiorum quaſi cuiuſdam miſerationis prætextu debet ullatenus impedire, cùm in multis caſibus (etiam ſecundum divinum iudicium) filii pro patribus temporaliter puniantur: & iuxta canonicas ſanctiones quandoque feratur ultio non ſolum in authores ſcelerum, ſed etiam in progeniem damnatorum.*

28 Ad extremum hanc altercationem apertis verbis dirimit Nicolaus III. in Conſtitutione 2. incipien. *Noverit univerſitas*, §. *Hæretici autem*, ubi ſic ſtatuit: *Hæretici autem, receptores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium admittantur: quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Nos enim prædictos ex nunc privamus beneficiis acquiſitis, volentes ut tales & habitis perpetuo careant, & ad alia ſimilia nequaquam impoſterum admittantur.* Habetur hæc Conſtitutio in Bullar. *tom.*1. *pag.*124.

29 Cùm ergo filii hæreticorum amittant etiam beneficia obtenta, non eſt dubitandum, quin amittant etiam penſiones: nam cùm Conſtitutiones pœnales ad hæreſes atcendas ſint favorabiles ad tradita per Bart. *in l. Quemadmodum circa med. C. de agricol. & cenſib. lib.* 11. & Tiraq. *in dict. tract. de cauſ. ceſſ. in* 1. *part. num.* 158. ſequitur in tali materia favorabili appellatione beneficii veniat etiam penſio, Gig. *de penſion. quæſt.*28. *in* 2. *limitat. num.* 16.

30 Sed quatenus etiam in hac materia penſiones non veniant appellatione beneficii, ſed bona temporalia cenſeantur: filius hæretici eis etiam privatus eſt per *d. l. Quiſquis*, juncto textu noſtro, & auth. *Gazaros*, *Cod. eod.* & Conſtitutione Federici, *Hac edictali*, quibus tales filii omnibus etiam bonis temporalibus privantur ſola eis vita ex miſericordia conſervata.

31 Poſt hæc reperi hanc controverſiam contigiſſe olim in Rota *in cauſa Conchen. penſionis*, coram Penia, in qua libratis rationibus, & auctoritatibus utriuſque opinionis, reque ad ſan. mem. Clem. VIII. delata *die* 3. *Novembris* 1594. Sanctiſſimus in generali Congregatione S. Inquiſitionis propoſito articulo, conſultiſque Cardinalibus, & reliquis Prælatis Conſultoribus, qui præſentes aderant, auditiſque Cardinalibus Inquiſitoribus ſenioribus affirmantibus non eſſe uſu inquiſitionis receptam doctrinam aſſerentium filios hæreticorum propter parentum hæreſim privari beneficiis habitis: cenſuit hanc opinionem tamquam mitiorem fore amplectendam: & iterum referentem bon. mem. D. Juſto ſub die 23. Decembris immediatè ſequentis Sanctitas ſua dixit ſe alloquutum fuiſſe Congregationem S. Inquiſitionis, & reperiſſe Sanctum Officium ſervare opinionem negativam tamquam benigniorem; & idcircò non eſſe locum diſputationi. Video hac de re binas deciſiones poſt conſil. Proſperi Farinac. *tom.*2. *deciſ.*87. *& deciſ.*90.

Sed poſtea ſub die 6. *Martii* 1598. coram Peregrino *in eadem cauſa Conchen. penſionis*, dubio exactiſſime diſcuſſo de expreſſo ordine Sanctiſſimi; Rota reſolvit filios hæreticorum eſſe privatos ipſo jure beneficiis, & penſionibus, etiam ante delictum obtentis, ſeu reſervatis; & hanc opinionem dixit eſſe veriorem de jure, & communiter receptam, eamque probari ex pluribus Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, nempè Innocentii IV. Alexandri IV. & præcipuè ex illa Nicolai III. habetur hæc deciſio impreſſa apud Nicolaum Garziam *de benefic. part.* 11. *cap.* 10. *num.*79. & Farinac. *loco proximè citato deciſ.* 123. & Marcheſ. *de Commiſs. part.*1. *fol.*215. cujus etiam meminit Lotherius *de re benefic. lib.*1. *quæſt.*42. *num.*51.

[Additur hoc eſſe receptum in ſancto Officio etiam poſt ultimam deciſionem Peregrini ibi allegatam, & ſervari in Dataria etiam hoc tempore Pontificatus S. D. N. Alexandri VII.]

Succeſſivè QUÆRO, An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum filiis hæreticorum ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica. 32

Cùm explorati juris ſit hæreticorum filios nec ad beneficia Eccleſiaſtica, nec ad officia, vel honores admitti debere, *c. Quicumque*, §. *Hæretici*, *de hæretic. lib.* 6. non videtur habere facultatem Epiſcopus cum eis diſpenſandi.

Primò, quia cùm textus in *dict. cap. Hæretici*, contineat in ultimis verbis decretum irritans ibi, *quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane*: ſequitur ut Epiſcopus diſpenſare non poſſit: nam etiam in adulterio, & minoribus criminibus Epiſcopus non poteſt diſpenſare quando leges, vel canones prohibentes annullant actum factum contra prohibitionem, Felin. *in cap. At ſi clerici*, §. *de Adulteriis*, *num.*4. *in ſecunda limitat. de fend.* 33

Deinde quia Nicolaus III. in Conſtitutione ſuperiùs relata *num.*28. ſtatuit, ut hæretici, eorumque filii uſque ad ſecundam generationem beneficiis habitis perpetuò careant, & ad alia ſimilia nequaquam impoſterum admittantur; quibus verbis cenſetur adempta Epiſcopis diſpenſandi facultas, ut notat gloſ. in *cap. Cupientes*, §. *Cæterum*, *in ver. Perpetuò de elect. lib.*6. quam ut ſingularem probant Card. in Clem. 2. *de vita, & honeſt. Clericor.* & Felin. *loco citato.* 34

Tertiò, quia cùm verſemur in concernentibus fidem, & ſtatum univerſalis Eccleſiæ, qui per filios hæreticorum ad officia, & honores admiſſos, ſi paterna dogmata retinerent, labefactari poſſet; & ita tractemus de re graviori quam ſit adulterium, conſequens eſt Epiſcopum diſpenſare non poſſe, *cap. Dilectus*, *de tempor. ordinat.* & ibi gloſ. *in verb. Permiſſa*, *verſ. Vel dic quod non licet*, & Innoc. *num.*2. Roman. *conſ.*325. *Quoad primum*, *num.*4. *in* 3. *dub.* Felin. *in d. §. De adulteriis*, *num.*1. ubi ait omnes ita ſentire. 35

Nec obſtat doctrina Abb. in *cap. In quibuſdam*, *num.* 4. *de pœn.* ubi ſcripſit Epiſcopum poſſe diſpenſare cum filio interficientis Prælatum, licet per illum textum repellatur à Clericatu: nam reſpondetur illum text. in fine permittere, ut cum eis poſſit diſpenſari; unde non eſt mirum ſi 36 37 Epiſcopo hoc liceat: nam ubi in materia pœnali canon permittit diſpenſationem, non eſt ambigendum, quin liceat Epiſcopo diſpenſare, ut poſt Abb. declarat Dec. *d. §. de Adulteriis*, *num.*35. Præſertim verò, quia cùm filii hæreticorum, 38 qui læſerunt majeſtatem Divinam, non minus videantur infames, quam filii conſpirantium adverſus Principem ex *l. Quiſquis*, *C. ad Leg. Iul. maieſt.* juncto hoc cap. Infamia hujuſmodi per ſolum Principem aboleri poteſt, & non per Epiſcopum, ut notant omnes in *cap. Cum te*, ubi in ſpecie Felin. *num.*12. *de ſent. & re indicat.* *l.* 1. §. *De quare*, *ff. De poſtulando.*

Digitized by Google

DE HÆRETICIS,

Gregorius IX,

CAPUT XVI.

Abſolutos ſe noverint à debito fidelitatis hominii, & totius obſequii, quicumque lapſis manifeſtè in hæreſim, aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur aſtricti.

SUMMARIUM.

1 *Hæreticus perdit ipſo iure fidelitatis homagii, & quamcumque aliam obligationem eo ipſo quod eſt hæreticus, & num.4.*

2 *Papa ratione criminis Eccleſiaſtici poteſt abſolvere vaſallos laicorum ab omni obligatione; & alios eiſdem obnoxios à quocumque pacto etiam iurato.*

3 *Hæretici amittunt ipſo iure dominium omnium bonorum à die commiſſi criminis, & num.14. & 15.*

5 *Et eorum familiares ſervi, liberti, & mercenarii ſunt ſoluti omni obligatione, qua eis tenebantur.*

6 *Uxor non recedit ab excommunicato, ſed ab hæretico ſic.*

7 *Hæreticorum filii liberantur à patria poteſtate, & emancipatio facta à patre non tenet.*

8 *Debitor ſi iuraverit ad certam diem ſolvere, ſub certa pœna, ſi non ſolvat creditori in hæreſim lapſo, pœna non committitur, nec eſt periurus, & num. ſeq.*

9 *Iuramentum debitoris habet tacitam conditionem ſi creditor in eodem ſtatu manſerit.*

10 *Debitor lapſi in hæreſim tenetur ſolvere fiſco, ſi bona ſunt publicata.*

11 *Debitor excommunicati non tenetur ei debitum ſolvere, ſed illud deponere debet apud ædem ſacram, donec ab excommunicatione fuerit abſolutus.*

12 *Vaſalli liberantur ab omni debito fidelitatis ſi domini labantur in hæreſim manifeſtè.*

13 *Et quid ſi occultè, & num. ſeqq.*

14 *Hæreticorum bona ſunt ipſo iure confiſcata etiam ſi ſint occulti.*

15 *Pœna ipſo iure impoſita afficit delinquentes quantumcumque occultos.*

16 *Dimiſſoria Epiſcopo exiſtente hæretico an ſint concedenda à Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, & num. ſeqq. uſque in fin.*

17 *Et quid ſi Canonici unà cum Epiſcopo propter hæreſim ſint diſperſi, & num.19. & 25.*

Et quid ſi omnes abſint, num.27. & ſeqq. uſque in fin.

18 *Sedes Epiſcopalis an vacet propter hæreſim Epiſcopi, & num. 23.*

20 *Vacationis appellatione an veniat vacatio de iure, & de facto, & num. 21.*

21 *Hæreticus beneficium vacat ipſo iure, ſed detentor non poteſt deiici à poſſeſſione ante declaratoriam ſuper facto.*

Poſſeſſor remanet, qui titulum habuit ab initio, licèt per pœnam iuris privetur, ibid.

24 *Declaratoria non requiritur ubi factum eſt notorium.*

Declaratur num.34.

29 *Dimiſſorias concedere ſede vacante non ſpectat ad Canonicos ut ſingulos, ſed ut repræſentantes Capitulum.*

26 *Capituli ius in uno Canonico conſervatur.*

27 *Dimiſſoriæ ſede vacante dari non poſſunt à Canonicis abſentibus.*

28 *Dimiſſorias concedendi poteſtas Epiſcopo, & Capitulo non extantibus, conſervatur penes Eccleſiam, nec devolvitur ad Archiepiſcopum.*

29 *Ordinari an quis poſſit ab alieno Epiſcopo, vel à Metropolitano, ſi proprius Epiſcopus ſit hæreticus, & Canonici omnes ſint diſperſi, & num. ſeq. uſque in fin.*

Epiſcopo exiſtente hæretico, an ſubditi ab illius obedientia liberentur, ibidem, & num.34.

30 *Exemptus an poſſit à quo maluerit Epiſcopo Ordines ſuſcipere.*

31 *Lex debet eſſe poſſibilis, & num. ſeq.*

32 *Electio facta per vota non ſecreta non eſt irrita ubi non ſunt niſi duo vocales.*

33 *Ordinari quando quis poſſit ab alieno ob delictum proprii Epiſcopi.*

Abſolutos, Breve eſt; ſed per alia verba ſecundum [illegible] 1
Abbatem, Jo. de Anan. & Mar. Socin. ſic ſummari
poteſt. Liberantur ab omni obligatione qui hæreticis tenebantur adſtricti. Hoc dicit.

Nota primò ex textu ratione criminis Eccleſiaſtici Papam poſſe abſolvere vaſallos laicorum ab omni obligatione, & alios eiſdem obnoxios à quocumque pacto quavis firmitate vallato, ut hic eſt caſus, & notat Butr. 3
*num.*2. Abb. *in* 1. *notab.* Joan. de Anan. *num.*1. Mar. Socin. *eod. num.* & Felin. *in princ.* quod clarum eſt hodie, quia hæreticorum bona ſunt ipſo jure confiſcata, ut *cap. Cum ſecundum leges, infra eod. lib.*6. Licet enim ſecus eſſet ſecundum Innoc. *hic circa finem, verſ. Eſt etiam*, ubi argumentum, & ſic amittunt ipſo jure dominium omnium bonorum à die commiſſi criminis, ut præter citatos tradit noviſſimè Franciſc. Penia *in Directorio Inquiſit. part.* 3. *lib.* 3. *Scholio* 139. Bonorum autem appellatione continentur etiam obligationes, actiones, & jura, *l. Bonorum, §. In bonis ff. de ver. ſignificat.*

Secundò nota hæreticum perdere obligationem fidelitatis & homagii ipſo jure eo ipſo, quod eſt hæreticus; & ita 4
hic eſt caſus ſecundum Jo. de Anan. *in ſummario textus*, & notat gloſ. 1. Hoſtien. *in princ.* Jo. Andr. *num.*3. Butr. *in* 1. *not.* & reliqui omnes: & idem intelligas in quacumque alia obligatione ſervitii, vel obſequii, ut in textu.

Unde jure noſtro, familiares, ſervi, liberti, & mercenarii 5
ſunt etiam liberati, ut dicit Goffred. *hic* per illam literam, quæ generaliter dicit, & totius obſequii, & ſic comprehendit omnes, etiam mercenarios; & cum Goffredo concordant Jo. Andr. *num.* 1. Butr. *num.* 3. Abb. *num.* 2. Jo. de Anan. *num.* 4. & Mar. Socin. *num.* 2. Franciſ. Penia citatus *ſupra num.* 3. Nec obſtant *cap. Quoniam*, 11. *quæſt.* 3. & *cap. Inter alia, infra de ſent. excommun.* Quia loquuntur in excommunicato, non in hæretico, ſecundùm Goffred. & alios præallegatos. Uxor autem non recedit ab excommunicato, ut ibi: Ab hæretico ſic, *cap. Si enim*, 28. *quæſt.* 1. Similiter filii liberantur à patria poteſtate, & efficiuntur ſui juris, adeò ut emancipatio facta à patre hæretico non teneat, tamquam facta de perſonis ſui juris, ut *cap. Quicumque, infra eodem lib.* 6. Jo. Andr. *hic num.* 1. *in verb. Adſtricti*, Abb. *num.* 3. & Mar. Socin. *eod. num.* Et idem in debitore, qui certa die obſtrictus eſt ſolvere ſub certa pœna: nam ſi non ſolvat, pœna non committitur, quia cum hæreticorum bona poſſint occupari, multò magis retineri, ut legitur, & notatur *in cap. Excommunicamus*, §. *Si vero Dominus, verſ.* 1. *ſupra eod.* Nec ſi juravit ſolvere intelligitur dejerare, quaſi juramentum habeat in ſe tacitam conditionem, ſcilicet ſi in tali ſtatu permanſerit, ut excommunicandum ſit, argum. *cap. Quemadmodum, reſp.* 1. *verſ. Quia in illo, ſupra de iureiur.* & *cap. Excommunicamus, il ſecondo*, §. *Credentes, ſupra eod.* textus optimus in *l. Cum quis, reſp.* 1. *ff. de ſolutionib.* ubi ſi ſtipulatus ſum mihi, aut Titio dari, Titio tunc rectè ſolvi poteſt, ſi in eodem ſtatu manſerit, in quo erat tempore ſtipulationis: & ita hic firmant gloſ. 2. Innoc. *in fin.* Hoſtien. *num.* 1. *in ver. Aliquo pacto*, Jo. Andr. *num.* 2. & communiter Doctores.

Adverte tamen, quia etiamſi debitores liberentur ab 10
obligatione ſolvendi creditoribus in hæreſim lapſis, non propterea quicquam ſibi acquirunt; ſed ſi bona ſint publicata, tenentur fiſco ſolvere, vel cui declaratum fuerit

fuerit eſſe ſolvendum aliàs non evitarent pœnam, vel præjudicium, ſi aliam excuſationem non haberent, ut hic per Marian. Socin. *n.14.*

11 An autem idem ſit dicendum in excommunicato, ſcilicet, ut ille, qui ſub pœna vel ſub juramento promiſit intra certum terminum ſolvere, incidat in pœnam, vel in perjurium; ſi illi interim excommunicatione innodato, & in ea perſiſtenti non ſolvat, ſunt opiniones, de quibus per DD. *in cap. Veritatis, ſupra de dol. & contumac.* Tutius tamen, ac verius videtur pecunias non eſſe ſolvendas excommunicato, ſed eſſe deponendas apud ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad hoc ut ſolvantur creditori poſtquam ab excommunicatione fuerit abſolutus, gloſ. *in cap. Nos Sanctorum, in verb. Conſtricti, 15. quæſt.6.* quam ibi ſequitur Archidiac. *num. 1. verſ. Adde, & verum eſt*, Abb. in *cap. Si vere, num. 6. de ſenten. excommun. & in d. cap. Veritatis, num.39.* Joan. de Anan. *hic num.5.* & Felin. *in fin.*

12 Ultimò nota ibi, *Lapſis manifeſtè in hæreſim*, Vaſallos liberari ab omni debito fidelitatis præſtando ſi ipſi domini
13 in hæreſim labantur manifeſtè, ut in littera. Ergo à contrario ſecus ſi occultè, ut hic tenent Innoc. *poſt princip. in ver. Manifeſte*, Hoſtien. *num. 1. in eodem verb.* Joan. Andr. *eodem num & verb.* Butr. *num. 3. verſ. Quid ſi occulte*, & Cardin. *num. 1. verſ. Si autem*, & quamvis Philippus dicat idem, ſi ſit occultus, dummodo probari poſſit: tamen Joan. Andr. *ubi ſupra*, intelligit hoc procedere ubi crimen eſt probatum, quia tunc tranſit in manifeſtum, *cap. Cum olim, de verb. ſignificat.* Secùs ſi non ſit proceſſum ad probationem, quia Eccleſiam non judicat de occultis, *cap. Sicut tuis, in fin. ſupra de ſimonia*, & conſentiunt Butr. & alii proximè citati.

14 Sed Abbas *hic num. 1. circa finem*, non putat hoc dictum hodie eſſe verum indiſtinctè, quia omnia bona hæreticorum ſunt confiſcata ipſo jure, etiamſi ſint occulti, ut *cap.*
15 *Cum ſecundum, infra eodem lib.6.* ubi autem pœna ipſo jure imponitur, afficiuntur delinquentes quantumque occulti, ut dicit gloſſa ſingularis in Clem. *2. in verb. Eo ipſo de hæreticis*: ergo eo ipſo, quod quis labitur in hæreſim, in continenti perdit omnia bona; & ſic ſequitur abſolutio à fidelitate, & quacumque alia obligatione ſibi quæſita: non tamen poteſt hæc abſolutio, ſeu publicatio allegari in foro externo, niſi hæreſis ſit manifeſta vel probata; & hoc modo poſſunt ad concordiam reduci diſſidentes opiniones; & cum his dictis Abbatis videtur hic tranſire Joan. de Anan. *num. 3. verſ. Sed Dominus Abbas*, Marian. Socin. *num. 11.* & Felin. *num. 1.* Tu tamen cogita, quia illa gloſſa loquitur de pœna ſpirituali ſuſpenſionis, & excommunicationis, prout etiam loquitur dicta Clem. 2. & vide quod ſcripſi in *cap. Vergentis, ſupra eod.*

16 QUÆRO, An Epiſcopo exiſtente hæretico facultas concedendi dimiſſorias juxta *cap. 10. ſeſſ. 7.* Concilii Tridentini pertineat ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ.

17 Et an eo caſu quo Capitulum concedere poteſt dimiſſorias, ſi Canonici propter hæreſes diſperſi ſint, & nequeant convenire, aut conveniri ſine difficultate, ſufficiat habere litteras dimiſſorias ab uno ex Canonicis Cathedralis Eccleſiæ; vel certè ſine dimiſſoriis adire pro ſuſcipiendis ordinibus viciniorem Epiſcopum, ſeu Metropolitanum.

Pro quæſtionis ſolutione infra dicti articuli videntur examinandi.

18 Primò, An propter hæreſim Epiſcopi, ſedes Epiſcopalis taliter cenſeatur vacare, ut ejuſdem Eccleſiæ Capitulum poſſit dimiſſorias, ſeu reverendas pro ordinibus ſuſcipiendis concedere ad formam juris, *& d. cap. 10. ſeſſ. 7.*

19 Secundò, ſede Epiſcopali vacante, & Capitulo nuſquam comparente, an vel unus ſolus Canonicus maximè ſi alii non valeant niſi difficulter congregari, poſſit hujuſmodi dimiſſorias concedere. Et quid ſi neque hac via poſſint obtineri dimiſſoriæ; an poſſit, aliquis Prælatus alterius Eccleſiæ, ejuſdem tamen diœceſis, eaſdem impertiri, vel ſaltem hoc jus tranſeat ad Metropolitanum.

Tertiò, An qui de dicta diœceſi cupiunt promoveri, nec prædictis modis poſſunt obtinere dimiſſorias, poſſit ritè ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſorias, vel ſaltem à Metropolitano ad ordines promoveri.

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Ad primum pro negativa facit, quod in materia ſtrictè 20
interpretanda, ut eſt decretum *d. cap. 10. ſeſſ. 7.* quod correctionem juris communis continet, appellatione vacationis venit vacatio de jure, & de facto, Calder. *conſ.6. in fin. de conſtit.* Cùm igitur in caſu propoſito Epiſcopatus de facto ab hæretico detineatur Epiſcopo; non comprehendetur ſub diſpoſitione hujus decreti, quod requirit vacationem veram, quæ eſt de jure, & de facto. Secundò, 21
etſi crimen hæreſis inducat vacationem beneficii ipſo jure, *cap. Quo iure*, juncta gloſ. *8. diſt.* ubi Præpoſ. tamen detentator non poteſt de poſſeſſione expelli, niſi præcedente declaratoria ſuper facto, *cap. Cum ſecundum, ubi Doct. de hæret. lib.6.* generaliter enim qui à principio titulum habuit: licet per pœnam juris privatus ſit, itaut beneficium alteri conferri poſſit; tamen remanet poſſeſſor, & propter id poſſeſſionem privari non poteſt, niſi cauſa cognita, & vocatus; ita ſingulariter Joan. Andr. *in reg. Mora num. 15. verſ. Hinc eſt quod qui à principio, de reg. iur. lib. 6.* quamobrem litteræ dimiſſoriæ ante declarationem criminis ab ipſo Epiſcopo hæretico, & non ab alio videntur petendæ.

Breviter diſtinguo; aut de hæreſi Epiſcopi notoriè con- 22
ſtat, aut non; ſi non conſtat, negativa verior videtur; ſi conſtat, videtur dicendum ad Capitulum pertinere dare has dimiſſorias tam de jure, ut à fortiori probat text. *in cap. Cum nullus, §. Epiſcopo autem in remotis agente, de tempórib. ordinat. lib.6.* quàm ex decreto *d. cap. 10. ſeſſ. 7.* etenim Capituli poteſtas ſede vacante verificatur nedum in vera vacatione, ſed etiam in ficta, *cap. 3. de ſupplen. neglig. lib.6.* juncto *cap. Is cui, de elect. eod. lib.* & in ſpecie quando Epiſcopus eſt hæreticus, exemplificat Hoſtien. *in ſumma, tit. Ne ſed. vacant. verſ. Quot modis*: vel certè quatenus poteſtas Capituli ſede vacante non verificetur in vacatione ficta, ſeu interpretativa, quod verius eſt; ut 23
ſcripſi in *cap. Quia diverſitate, num.16. uſque in fin. ſupra, de conceſ. præben.* tamen propter hæreſim notoriam Prælati ſedes non vacat interpretativè, ſed verè, ut probavi in *cap. Ad abolendam, à num. 28. uſque ad num. 44. ſupra eod.* ac proinde poteſtas ad Capitulum devolvitur, *cap. His quæ, & cap. Cum olim, ſupra de maior. & obed.* & dixi in dicto *cap. Quia diverſitatem, num.24. & 34.*

Ad contraria reſpondetur ut infra, videlicet ad primum; ideò in correctoriis ſtrictam fieri interpretationem, ut minus corrigatur jus commune, in caſu noſtro ex lata interpretatione jus commune nullatenus corrigitur: ergo verba non ſtrictè, ſed largè ſunt interpretanda, *l. Si unus, §. Pactus, in fin.* & ibi Jaſon. *num.6. ff. de pact.* imò admittitur etiam extenſio, ut ibidem Jaſon, præterquamquod hæc eſt paſſiva interpretatio: ideoque *vacationis*, verbum accipi debet in ea ſignificatione, qua accipitur in jure, *l. Iuris gentium, §. Si pauper, ff. de pactis*, juncta *l. Transigere*, ubi gloſ. *Magna, C. de tranſact. gloſ.* Bart. & DD. *in l. Sciendum, ff. Qui ſatiſdare cogantur.*

Ad ſecundum reſpondetur illud non procedere in noto- 24
riis, in quibus non requiritur de neceſſitate declaratoria; imò judex ad quem ſpectat poteſt ſine ea procedere ad expeditionem, ut ex communi notat Boſſius *in pract. crim. tit. Quando procedendum ſit in crimine notorio, num. 6. cum ſeq.*

Quoad ſecundum articulum, cùm dicta facultas com- 25
petat non ſingulis de Capitulo, ſed Capitulo ipſi unum corpus repræſentanti, *l.2. & l. Sicut ff. Quod cuiuſque univerſ. nomi.* utique nulli licebit dictas litteras concedere, niſi Capituli corpus repræſentet, & in ipſo Jus Capituli 26
reſideat: licebit autem ſi in ipſo reſideat, ſeu ipſe Capitulum repræſentet etiam ſi ſit unus ſolus, *d. l. Sicut, §. 1.* ubi gloſ. & gloſ. *pen. in cap. Gratum*, ubi Abb. *num. 9. de poſtul. Prælat.* & inde infertur, ut ſi unus tantùm adſit Canonicus reſidens, is ſolus nomine Capituli dictas dimiſſorias concedere poſſit; at ſi ſint plures unus ſolus non poterit, niſi omnes, vel major pars reſidentium concurrat capitulariter.

Quod ſi nullus reſideat, ſed omnes ſint abſentes, non 27
videtur cuiquam licere dimiſſorias concedere, quia de abſentibus quoad actus capitulares regulariter nulla habet ratio, & perinde eſt ac ſi non eſſent, ex iis quæ tradit Abb. poſt gloſ. *in cap. Cum inter univerſas, num. 8. de elect.* & ex Regula: *quod paria ſunt non eſſe, & non apparere, l. Rutilia Polla, ff. de contrah. empt.* Ex quibus ad ſecundam

Digitized by Google

quæſtionem quoad primam illius partem videtur reſpondendum ad ſolos reſidentes Canonicos ſpectare dictas dimiſſorias capitulariter concedere.

28 Quo verò ad ſecundam, cùm nullo jure reperiatur cautum, ut dicta poteſtas vacante ſede Epiſcopali, & Capitularibus Canonicis nuſquam apparentibus devolvantur ad alios Prælatos; hoc à nobis temerè non videtur aſſerendum, argum. *cap. Conſuluit*, 2. *quæſt.* 5. ſed potius dicendum eſt dictum jus conſervari apud ipſummet Eccleſiam, ex Abb. *in d. cap. Gratum num.* 12. *de poſtul. Prælat.* & eodem modo reſpondetur ad tertiam ejuſdem quæſtionis partem, videlicet hanc facultatem ad Archiepiſcopum non devolvi, *d. cap. Si Epiſcopus, de ſupplen. neglig. Prælator. lib.* 6. ubi gloſ. quædam in verb. *Archiepiſcopus*, afferendo rationem prædictæ concluſionis, ait, *ideo dictam facultatem ad Archiepiſcopum non tranſire, quia hoc jure cautum non reperitur*: generaliter noſtram confirmat ſententiam, quæ eodem modo confirmatur per *cap.* 1. *de ſupplen. negl. Prælat. eod. lib.* ibi, *cum id non reperiatur à jure conceſſum*.

29 Ad tertiam quæſtionem pro affirmativa facit, quod cùm ſubditi per hæreſim Prælati liberentur ab illius obedientia; & aliis, in quibus eidem obſtricti erant, ut in hoc cap.

30 Liberi autem à juriſdictione, ſeu ſubjectione ſui Epiſcopi poſſunt quoad ea, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis, alteri Epiſcopo ſe ſubdere, ut de exemptis, quæ ad Ordines ſuſcipiendos notat Archid. *in cap.* 3. *col. fin. de temp. ordin. lib.* 6. ſequitur, ut prædicti tamquam liberi poſſint à quocumque Catholico Antiſtite ordines accipere.

31 Secundo, canon, ſeu lex cùm debeat eſſe poſſibilis, *cap. Erit autem lex*, 4. *diſt.* non vendicat ſibi locum in caſu, in quo non poteſt obſervari, *l.* 4. *§. Totius*, *ff. de dam.*

32 *infect.* unde Abb. *conſ.* 25. *vol.* 2. *col.* 3. *poſt num.* 2. concludit Canonem annullantem electionem factam per ſcrutinium non ſecretum, non procedere in illo Monaſterio, ubi non reperiuntur niſi duo Monachi: ſed hoc caſu non poteſt obſervari Canon prohibens ne quis ab alieno ſine dimiſſoriis proprii Prælati ordinetur. Ergo, &c.

Tertiò, Ratio quare ſtatutum fuerit, ne quis ab alieno Epiſcopo ordinetur, fuit ut evitaretur diſcordia inter Epiſcopos, arg. *cap.* 1. juncta gloſ. *prima*, & *cap. Primatus*, 71. *diſt.* quæ cùm ceſſet in caſu noſtro, ſequitur, ut ceſſet etiam diſpoſitio ex regula *l. Adigere*, *§. Quamvis*, *ff. de iurepatr.* & *cap. Cum ceſſante, de appellat.*

33 Negativa opinio tutior videtur, nam cùm Canones ubique ſtatuant ne quis eum, qui ſibi ſubditus non ſit, ordinare præſumat, *cap.* 2. & ibi gloſ. *in verb. Alienu, de tempor. ordinat.* & *quæſtio.* 2. *per totum*; ſed ut quiſque debeat à proprio Epiſcopo ordinari, *cap.* 8. *ſeſſ.* 23. Trid. Concil. nec à dicta regula videtur recedendum hoc caſu, cùm in jure non reperiatur exceptus, gloſſ. 1. *in cap. Inter hæc, in fin.* 23. *quæſt.* 2. & notatur in *l.* 1. *ff. de reg. iuris*, confirmatur per argumentum à ſpeciali text. *in cap.* 2. *de temp. ordin. lib.* 6. juncta gloſ. *cap.* 1. *in verb. Culpis, de ſuppl. negl. Prælat. lib.* 6. quæ notat ſpeciale eſſe, ut in *d. cap.* 2. in pœnam delicti Epiſcopi proprii liceat ſine illius dimiſſoriis à viciniis Epiſcopis ordines ſuſcipere, idque ideò ibi licere, quia ſic expreſsè conceditur: at in caſu noſtro hoc non reperitur expreſsè conceſſum: ergo videtur dicendum prædictas perſonas debere à Sede Apoſtolica remedium expoſcere, ut videtur in ſimili ferè caſu obſervatum in *cap. Fraternitati*, 71. *diſt.*

Ad contraria autem ſic videtur reſpondendum videlicet ad primum, eſto Epiſcopus ipſo jure ſit ſua juriſdictione privatus, poſſitque propter delicti notorietatem ab alio judice ſine alia citatione, & declaratione ſua poſſeſſione, ſeu detentatione ſpoliari: non tamen inde ſequitur ut ſubditi, qui ſunt privatæ perſonæ, ipſimet poſſint nulla præcedente declaratoria de facto ſeipſos eximere ab illius obedientia, ut ſatis colligitur ex Abb. *in cap. Accepta*, *num.* 6. *de reſtit. ſpoliat.* 34

Præterea in caſu noſtro poteſtas prædicta ab Epiſcopo tranſit in Capitulum, ut ſupra dictum eſt: quod ſi Capitulum nuſquam appareat, non tamen ob id ipſi ſubditi efficiuntur liberi, ſeu exempti, ſed dictum jus conſervatur, & retinetur ab ipſamet Eccleſia, ſecundùm Abb. *in d. cap. Gratum*, *num.* 12. *de poſtul. Prælator.* licèt ſecus videatur eſſe in Collegiis ſæcularibus.

Ad ſecundum negatur ſimilitudo: nam in caſu noſtro ſubditi non coguntur ordines ſuſcipere, & quatenus in aliquo caſu cogerentur, tamen ob dicta impedimenta excuſarentur, ad notata in *cap. Commiſſa*, *de elect. lib.* 6. poſſuntque ii ſubditi pro remedio ad Sedem Apoſtolicam, vel illius in dictis partibus Legatum recurrere.

Ad tertium, Illa ratio non videtur tam cauſa finalis, quàm impulſiva: unde argumentum non urget, ad notata in *l.* 1. *§. Sepè*, *ff. de poſtulando*. Sacræ Congregationis reſponſa ad ſupraſcripta dubia habes in *cap. Hiſque*, *n.* 22. *ſupra de maior. & obed.*

DE SCHISMATICIS ET ORDINATIS AB EIS.

Ex Concilio Lateranen.

CAPUT I.

Quod à prædeceſſore noſtro: & infrà. Ordinationes ab Octaviano & Guidone hæreſiarchis factas, & ab ordinatis ab eis, irritas eſſe cenſemus: Adjicientes, ut qui dignitates Eccleſiaſticas, ſeu beneficia per dictos ſchiſmaticos acceperunt, careant impetratis. Alienationes quoque, quæ per eoſdem ſchiſmaticos, ſeu per laicos factæ ſunt de rebus Eccleſiaſticis, omni careant firmitate, & ad Eccleſias ſine omni onere revertantur. Si quis autem contraire præſumpſerit, excommunicationi ſe noverit ſubjacere. Illos verò, qui ſpontè juramentum de tenendo ſchiſmate præſtiterint, à ſacris ordinibus & dignitatibus decernimus manere ſuſpenſos.

SUMMARIUM.

1 *Schiſmaticorum geſta iuribus carent, etiamſi gerantur prætextu publici officii*, & *num.* 131.
2 *Ordinationes à ſchiſmaticis facta irrita ſunt quoad executionem tantum, non autem quoad impreſſionem characteris*, & *num.* 27. & *ſeq.*
3 *Character Ordinis non confertur per miniſtrum, ſed imprimitur in anima immediatè à Chriſto*, & *nu.* 31. & *ſeq.*
4 *Ordinatis forma Eccleſiæ non ſervata character non imprimitur.*
5 *Ordinationes factæ ab eis, qui à ſchiſmaticis ordines ſuſceperunt, executionem non conferunt.*
6 *Schiſmatici an ſint ipſo iure excommunicati, vel potius excommunicandi, uſque ad num.* 25.
7 *Schiſmatici quot modis accipiantur.*
8 *Excommunicati largè dicuntur ſchiſmatici.*
9 *Schiſmatici propriè qui dicantur*, & *num. ſeqq.*
10 *Schiſma unde dicatur.*
11 *Schiſma quid ſit*, & *num.* 24.
12 *Unitas Eccleſiæ in quibus conſiſtat.*
13 *Græci, qui ab unitate Eccleſiæ Romanæ recedunt, ſunt ipſo iure excommunicati.*
14 *Hæretici dicuntur, qui extollunt ſe contra Romanam*

Eccleſiam, & hi, qui principales ſunt, hæreſiarchæ.
15 Epiſcopi in conſecratione non ſolum hæreſim, ſed etiam ſchiſma anathematizant.
16 Græci ſchiſmatici noſtri temporis ſunt formaliter hæretici.
17 Hæreſis eſt error in fide cum pertinacia.
18 Schiſmatici ſine hæreſi qui dicantur.
19 Schiſmaticus, & hæreticus eſſet qui duos Summos Pontifices ſimul crederet veros.
20 Hæreticus omnis eſt ſchiſmaticus, ſed non è converſo.
21 Schiſma nullum eſt, niſi ſibi aliquam hæreſim confingat, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur.
22 Antipapa dicitur hæreſiarcha.
23 Schiſmatici omnes propriè ſumpti hodie ſunt vinculo excommunicationis innodati.
24 Inobedientia eſt offenſa qualibet, aut rebellio contra Papam, & Sedem Apoſtolicam, ſunt caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati in Extravagan. Pauli II. & Sixti IV.
Rebellis quis dicatur, ibidem.
25 Beneficiorum collationes à ſchiſmaticis factæ ſunt ipſo iure nullæ.
26 Matrimonia in Ruſſia à Catholicis contracta coram parochis Ruthenis an ſint irrita, necne, & num. ſeq. uſq; in fin.
27 Vuladica Ruthenorum an ſint veri Epiſcopi.
28 Sacramentum poteſt tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus.
29 Ordinatio facta in forma Eccleſiæ ab Epiſcopo etiam hæretico, ſeu ſchiſmatico, ſive anathemate innodato, ſive ordinationem receperit in Eccleſia, ſive extra, habenda eſt rata quoad veritatem ordinis.
30 Intellectus cap. Novatianus, 7. q. 1.
31 Poteſtas ſpiritualis duplex, ſacramentalis, & iuriſdictionalis.
32 Altare ſemel conſecratum non conſecratur iterùm, niſi fuerit diſſipatum.
33 Epiſcopi ſchiſmatici nec poſſunt excommunicare, nec abſolvere, nec indulgentias concedere, ac ſi fecerint, nihil eſt actum.
34 Intellectus cap. Didicimus, & cap. Pudenda, q. 1.
35 Ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis etiam ignoranter executionem non recipiunt.
36 Excommunicati omnes etiam non denunciati ante Concilium Conſtantienſe dicebantur non tolerati.
37 Hæretici, vel ſchiſmatici de iure communi nullam ordinum executionem, vel iuriſdictionem habent, & num. ſeq.
38 Inſtitutio authorizabilis eſt de lege iuriſdictionis.
39 Conſtantienſis Concilii Conſtitutio, Ad evitanda, recipienda eſt ut canonica, & perpetua, & num. ſeqq.
40 Excommunicati denunciati dumtaxat, aut notorii Clericorum percuſſores ex Concilio Conſtantienſi dicuntur non tolerati, & num. 46. & 54.
41 Baſileenſis Concilii Canon an derogaverit Conſtitutioni Concilii Conſtantienſis, Ad evitanda, & num. ſeqq.
42 Baſileenſe Concilium quo tempore ab Eugenio IV. tranſlatum, ſeu diſſolutum fuerit.
43 Baſileenſis Concilii Canon an, & in quo differat à Conſtitutione Conſtantienſi.
44 Abbatis Nicolai de Auſimo, Felini, & Navarri error circa Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, & num. ſeq.
45 Baſileenſis Concilii acta in quibus approbata, aut reprobata fuerint.
46 Excommunicati notoriè niſi ſint denunciati, aut clericorum percuſſores ex Concilio Conſtantienſi non ſunt vitandi, & num. 54.
47 Hæretici, & ſchiſmatici non dicuntur nominatim denunciati ex Bulla Cœnæ.
48 Moguntinum Concilium etſi innovaverit Conſtitutionem Concilii Baſileenſis, tamen non derogavit decreto Conſtantienſis Concilii.
49 Synodus provincialis facultatem non habet derogandi Concilio generali, nec obligat extra provinciam.
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

50 Epiſcopi ſchiſmatici in vim Conſtitutionis Conſtantienſis validè iuriſdictionem exercent, & beneficia conferunt, & num. ſeqq.
Contrarium, num. 53. & ſeqq. uſque ad num. 126.
51 Beneficii collatio fit ab Epiſcopo ratione publici muneris.
52 Popones in Ruſſia an ſint veri Ruthenorum parochi, uſq; in finem.
53 Conſtantienſis Concilii Conſtitutioni de vitandis excommunicatis fuit derogatum per contrariam Conſtitutionem Concilii Lateranenſis ſub Leone X. & pluribus ſeqq.
55 Conſtantienſis Conſtitutionis tenor refertur.
55 Lateranenſis Concilii Conſtitutio itidem refertur.
56 Excommunicati omnes notoriè ex Conſtitutione Concilii Lateranenſi vitari debent, etiamſi non ſint nominatim denunciati, aut notorii Clericorum percuſſores.
57 Vuladica, & Popones Rutheni quorum ſchiſma notorium eſt, hodie dicuntur excommunicati non tolerati.
58 Parochialium collationes factæ à ſchiſmaticis non valent.
59 Beneficii collatio facta ab excommunicato non tolerato eſt irrita ipſo iure, & num. 78.
60 Prælatus naturaliter mortuus, & excommunicatus æquiparantur.
Beneficii collatio facta ſchiſmatico, ſeu hæretico, aut excommunicato, eſt ipſo iure nulla, ibid. & num. 73. & num. 77.
61 Conſuetudo contra Concilium generale non valet.
62 Communicatio in divinis cum excommunicatis eſt culpa mortalis.
Et quid extra divina, ibidem remiſſivè.
63 Communicantes in divinis cum excommunicatis incidunt in excommunicationem maiorem, quæ non infligitur niſi pro mortali reatu.
64 Sacramenta recipiens ab excommunicato tolerato an peccet mortaliter.
65 Conſuetudo irrationabilis, & nutritiva peccati dicenda eſt potius corruptela, quàm conſuetudo.
66 Hæretici, & ſchiſmatici ex Conſtit. Pauli IV. ſunt ipſo iure privati omnibus dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis.
67 Pauli IV. Conſtitut. Cum ex Apoſtolatus expenditur.
68 Verba, ipſo jure, licet non excludant declaratoriam ſuper facto; tamen ſecus eſt ſi factum ſit notorium.
69 Beneficia propter hæreſim vacantia ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata ex Conſtitutione Pii V. & eorum impetrationes non valent, niſi modus vacationis propter hæreſim ſit expreſſus.
70 Beneficiorum poſſeſſiones in perſonas hæreticorum vires, & effectum non habere ſenſit Gregor. XIII.
71 Conſtitutio poſterior tollit priorem Conciliarem etiam ſine ſpeciali derogatione.
72 Conſtantienſe Concilium non relevat excommunicatos ſuſpenſos, vel interdictos, nec eis in aliquo ſuffragatur.
73 Beneficii collatio facta excòmmunicato non tenet.
74 Etiamſi excommunicatio ſit occulta.
75 Beneficii collatio facta excommunicato nulla eſt etiam in foro conſcientiæ.
76 Clauſula abſolutionis à cenſuris in litteris Apoſtolicis proviſionum quid operetur.
77 Hæretici, & ſchiſmatici noſtri temporis ſunt irregulares, & inhabiles ad beneficia obtinenda.
78 Excommunicatus, vel ſuſpenſus etiam non denunciatus de iure communi eſt deſtitutus omni facultate beneficia conferendi.
79 Et quid in occultè excommunicato.
80 Matrimonium celebratum coram parocho palam intruſo, ac titulum non habente poſt Concilium Tridentinum non valet.
81 Matrimonium contractum coram parocho excommunicato etiam denunciato validum eſt.
82 Matrimonium contractum coram parocho publico hæretico irritum eſt ſi decretum Tridentini Concilii de reform. matrim. publicatum fuerit in parochia, & lapſi ſint triginta dies à die publicationis, & num. 97. verſ. Unde fit.

Digitized by Google

83 *Conſtantienſis Concilii Conſtitutio indulget Catholicis ut poſſint recipere ſacramenta etiam ab hæreticis, & ſchiſmaticis non denunciatis.*

84 *Antecedens in omni materia includitur in conceſſione conſequentis.*
Declaratur, num. 91.

85 *Diſpenſatio tacita ſuper defectu inducitur quando alias ex gratia nulla utilitas perciperetur, & num.* 91.

86 *Conſtit.* Ad evitanda, *habilitat Catholicos ad ſacramenta recipienda ab excommunicatis, in reliquis ſupponit terminos habiles, & num. ſeq. uſque ad num.* 94.

87 *Papa ſolus poteſt promovere ad Epiſcopales, Archiepiſcopales, & alias maiores dignitates.*

88 *Ordines ſuſcipere non licet niſi ab Epiſcopo originis, beneficii, vel domicilii.*

89 *Prælatus intruſus non poteſt conferre ſacramenta, & conferendo executionem non confert.*

90 *Abſolutio ſacramentalis eſt actus iudicialis, qui in non ſubditum exerceri non poteſt.*

91 *Princeps non cenſetur ſuper inhabilitate diſpenſare quando gratia in aliqua parte poteſt operari effectum ſuum.*

92 *Excommunicati non ſunt privati beneficiis ante excommunicationem canonice obtentis, nec ſunt privandi, niſi in excommunicatione inſorduerint.*

93 *Conſtantienſe Conc. ſpecialis Conſtitut. revalidavit collationes, & titulos eorum, qui in Concil. Piſano fuerunt ab eorum dignitatibus depoſiti, & num.* 110.

94 *Excommunicati in vim Conſtitut.* Ad evitanda, *retinent iuriſdictionem reſpectu non excommunicatorum privilegio alieno non proprio.*

95 *Conſtitutio Conſtantienſis nec in favorem Catholicorum ſanavit defectus titulorum, ſeu canonicæ inſtitutionis.*

96 *Epiſcopi nequeunt diſpenſare ad Parochiales Eccleſias cum minoribus vigintiquinque annorum, aut illegitimis, criminoſis, aut corpore vitiatis.*

97 *Beneficii collatio tamquam actus legitimus non poteſt eſſe in pendenti: ſed aut ſtatim tenet, aut vitiatur.*

98 *Hæretici, ſeu ſchiſmatici non ſolum ſunt inhabiles ad beneficia obtinenda, ſed etiam ipſo iure privati beneficiis ante hæreſim, vel ſchiſma canonicè obtentis.*

99 *Hæreticorum filiis ex conſuetudine, & pietate relaxantur beneficia.*

100 *Conſtitutio*, Ad evitanda, *quibus ex cauſis edita fuerit a Concilio Conſtantienſi, & num. ſeq.*

101 *Conſtitutio*, Ad evitanda, *an habeat locum in proviſis de parochialibus Eccleſiis, vel dignitatibus poſt excommunicationem, ſeu ſchiſma, & num. ſeqq. uſq; ad num.* 126.

102 *Patriarcha, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates Græci ſchiſmatici in Concilio Florentino ut tales indifferenter agniti, & tractati fuerunt, & num.* 116.

103 *Conſtitutio Conſtantienſis*, Ad evitanda, *in quibus conſuluerit timoratis conſcientiis, & ſcandalis obviaverit, uſque ad num.* 113.

104 *Excommunicati in quibus actibus de iure communi ſint vitandi.*

105 *Notorie excommunicati vitari debent etiam ante declaratoriam ſuper facto.*

106 *Communicatio cum excommunicatis maiori excommunicatione extra crimen an ſit mortalis.*

107 *Excommunicato Eccleſiam ad orandum ingredienti, ceſſandum eſt à divinis etiam miſſa inchoata, ſi nondum cœptus ſit canon.*

108 *Communicatio cum excommunicatis in adminiſtratione, vel receptione ſacramentorum, eſt culpa lethalis.*

109 *Conſtitutio*, Ad evitanda, *extendi non debet ad rehabilitationem ad beneficia ad ulteriorem correctionem iuris communis.*

110 *Proviſi in ſchiſmate ab Antipapis fuerunt rehabilitati ad dignitates, & beneficia in Concilio Conſtantienſi non obſtante vitio hæreſis, vel ſchiſmatis.*

111 *Sacerdos notoriè excommunicatus de iure communi non poteſt validè quemquam abſolvere in articulo mortis, ſecus ex Concilio Conſtantienſi.*

112 *Excommunicatus proviſus à Papa, de parochiali cum clauſula abſolutionis à cenſuris, poteſt non excommunicatis adminiſtrare ſacramenta ex Concilio Conſtantienſi; ſecus de iure communi.*

113 *Lex quantumcumque generalis ſemper reſtringitur ad perſonas habiles.*

114 *Lex non imprimit effectum ſuum, niſi in illas perſonas, in quibus verba legis congruunt, & adaptantur.*

115 *Quod non eſt Sanctorum Patrum decreto ſancitum ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum.*

116 *Papa ſi quem ſub titulo dignitatis etiam ex certa ſcientia nominet, ſeu tractet, per hoc in dignitate illa ipſum probare non intelligitur.*

117 *Nominatio Papæ in litteris Apoſtolicis non tribuit ius intruſo, aut alias titulum non habenti.*

118 *Intellectus Clem*, Si Summus de ſentent. excommunicationis.

119 *Papa ſi quem admittat aſſignando ei certam ſedem, aut recipiat tamquam Abbatem ad ſuum officium exercendum, non cenſetur eum approbare in ea dignitate.*

120 *Beneficium non cenſetur collatum, aut confirmatum, niſi illud per verba diſpoſitiva conferatur.*

121 *Inſtitutio canonica tamquam ſolemnitas extrinſeca non præſumitur, ſed probari debet.*

122 *Verba enunciativa non propter ſe, ſed propter aliud prolata non probant, neque diſponunt.*

123 *Nominatio Papæ non inducit probationem dignitatis vel tituli.*

124 *Imperator Græcus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus cur ut tales habiti, & tractati fuerint in Concilio Florentino.*

125 *Hæretici, & ſchiſmatici in Conciliis generalibus conſueverunt admitti diſputationis gratia, & ad eorum errores confutandos.*

126 *Græci Epiſcopi, & ſacerdotes ſchiſmatici an cenſeantur in ſuis regionibus Ordinarii, & Parochi titulo ſaltem putativo, & errore communi, uſque ad num.* 139.

127 *Beneficiorum collationes factæ in ſchiſmate ab Antipapis quo tempore præſtabatur eis obedientia, ſuſtinentur ex communi reputatione.*
Contrarium, num. 132.

128 *Hæretici dum tolerantur in aliqua dignitate, & ſunt occulti, poſſunt excommunicare, beneficia conferre, & litteras impetrare.*

129 *Intellectus* l. Barbarius, ff. de off. Prætor. *uſque ad num.* 139.

130 *Geſta ab excommunicato ut valeant requiritur titulus putativus à legitimo ſuperiore, nec ſufficit a ſuperiore putativo.*

131 *Fictio non generat fictionem.*

132 *Geſta ab intruſo non ſuſtinentur ex communi errore etiamſi gerantur prætextu publici officii.*

133 *Beneficii reſervati collatio facta a Prælato putativo etiam ratione publici officii non valet.*

134 *Geſta ab occultè excommunicato non ſuſtinentur quoad eos, qui ſciunt impedimentum.*

135 *Error communis ad validitatem eorum, quæ geruntur ab excommunicato, vel irregulari, debet eſſe facti, non iuris.*

136 *Geſta per Prælatum putativum valent quamdiu toleratur; ſecus ſi notorium ſit eum eſſe ſuſpenſum.*

137 *Beneficii impetratio non fit ab excommunicato ratione publici officii, ac propterea ex communi errore, & titulo putativo non ſuſtinetur, & num. ſeq.*

138 *Excommunicatus publicè, vel occultè non differunt in his, quæ non geruntur ratione publici officii.*

139 *Parochus non aſſiſtit matrimonio ut miniſter, ſed ut teſtis authorizabilis.*

140 *Clementis VIII. Conſtitutio prohibens divortia fieri quo ad vinculum inter Græcos an habeat locum in matrimoniis Græcorum ſchiſmaticorum.*

141 *Græci ſchiſmatici latinos ritus abominantur.*

142 *Gre-*

Digitized by Google

142 *Græci Epiſcopi non ſunt admittendi ad Ordines, vel
alia Sacramenta conferenda, nec Sacerdotes in
Parochialibus inſtituendi, niſi abiurato ſchiſ-
mate.*
143 *Tridentini Concilii decretum de reformat. matrimon.
publicari debet in ſingulis Parochiis ut matrimonium
ſit validum, nec ſufficit publicatio facta in Synodo
provinciali.*
144 *Præſumitur tamen publicatum ſi fuerit obſervatum
tamquam decretum Concilii.*

1 **Q**Vod à prædeceſſore. Irritæ ſunt ordinationes, bene-
ficiorum collationes, & Eccleſiaſticarum rerum
alienationes factæ à Schiſmaticis; & à dignitate,
& ordine ſuſpenduntur, qui ſchiſma tenere jurant.
Hoc dicit; Habet quatuor dicta. Secundum ibi, *Adii-
cientes*. Tertium ibi, *alienationes*. Quartum ibi, *Illos
verò*.
Nota primò, juribus carere ea, quæ geruntur à ſchiſ-
maticis, etiam ſi gerantur prætextu publici officii, nam
l. Barbarius, ff. de offic. Prætor. non habet locum in intru-
ſis, ſicut ſunt ſchiſmatici, quod pleniùs examino infra in
1. reſp. ad quartam oppoſitionem, num. 129. *& ſeqq.*
2 Secundò nota irritas eſſe ordinationes à ſchiſmaticis fa-
ctas, concordat text. in *cap. Ordinationes, 9. quæſt.* 1. quod
intellige quoad executionem, non autem quoad impreſ-
ſionem characteris, ſecundùm gloſs. *in verb. Irritas*. In-
3 noc. Hoſtien. Joan. Andr. & alios *hic*. Ratio eſt, quia
character non confertur per miniſtrum, ſed imprimitur
in anima immediatè à Chriſto. Infectio ergo miniſtri non
vitiat, §. *Verum*, 32. *diſtinct.* & dixi latè in *cap. 1. ſupra*
4 *de Baptiſm. in q.* An baptizati ab hæreticis Calviniſtis
ſint iterum baptizandi: & patebit infra *num.* 31. *& ſeq.*
Hoc tamen habet locum ſi forma Eccleſiæ fuerit obſerva-
ta; alioquin irrita eſt ordinatio etiam quoad characte-
rem, *cap. Extra Catholicam, & cap. Detrahe, 1. quæſt. 1.
d. cap. 1. & cap. penult. de Baptiſ.* ſecundum Goffred. Joan.
Andr. *hic num.* 7. Butr. *num.* 3. Card. *num.* 4. *in* 3. *quæſt.* &
Abb. *num.* 4. & innuit gloſs. 2. dum dicit ſchiſmaticos
conferre ſacramenta, dummodo in forma Eccleſiæ con-
ferant.
5 Tertiò nota ex illis verbis, *& ab ordinatis ab eis:* Socin.
irritas eſſe ordinationes non ſolùm factas à ſchiſmaticis,
ſed etiam factas ab illis, qui à dictis ſchiſmaticis ordines
ſuſceperunt. Quod expreſsè notat *hic* Innoc. *num.* 1. *in fin.*
dicens. Idem de ordinatis ab hæreſiarchis, vel ſchiſmati-
cis in infinitum: nam cùm non habeant executionem, aliis
dare non poſſunt, confert text. *cap. Vulnerato, & in cap.
fertur*, 1. *q.* 1. ibi: *Ex infecta radice fructus non producitur, in
l. In cauſa, la prima*, §. 1. §. *fin. & in l. ſeq. ff. de minor.* ubi
ſi res per plures manus ambulaverit, idem juris erit.
6 Quartò nota in *verſ. Si quis autem:* ſchiſmaticis non
videri ipſo jure excommunicatos, ſed excommunicandos:
nam ſi excommunicatio fertur in tribus caſibus hic expreſ-
ſis, ergo extra ipſos ſchiſmatici regulariter non ſunt ex-
communicati, per argumentum à ſpeciali ſecundùm Abb.
hic num. 3. & Socin. *num.* 6.
Præterea in fin. text. fertur ſententia ſuſpenſionis con-
tra jurantes tenere ſchiſma; ergo ſic jurantes, quibus
hæc pœna ſpecialis imponitur, non ſunt excommunicati,
& conſequenter longè minus debent eſſe excommunicati
illi, qui non jurant tenere ſchiſma, ſed ſolùm adhærent
intruſo, ut per Socin. *ubi ſupra*. Idem probat text. *in cap.
in nomine Domini*, 23. *diſt.* ponderando verbum, *damne-
tur*, ibi poſitum in fin.
7 Verùm tu dic multiplicem eſſe ſchiſmaticorum acceptio-
nem, ut per Innoc. *hic in princ.* Hoſtien. *num.* 1. Butr. *nu.* 4.
& ſupra *in rubr.* per Jo. Andr. *num.* 3. Abb. *num.* 1. & Socin.
num. 4. Quidam enim dicuntur ſchiſmatici largiſſimè, ut
omnes criminoſi, & exiſtentes in peccato mortali, *cap. Sa-
cerdotes, 1. quæſt. 1. cap. Reſecanda, 24. quæſt.* 3. Sunt enim
extra charitatem, *cap. Audi denique, 11. quæſt. 3. cap. Di-
xit, 24. quæſt.* 3. cùm peccatum ſeparet hominem à Deo
ſecundùm illud Iſaiæ *cap.* 49. *Peccata noſtra diviſerunt in-
ter nos, & Deum noſtrum*. Et hos manifeſtum eſt non eſſe
generaliter excommunicatos, quia cenſura aliquibus tan-
tùm criminibus annexa eſt, quos latiſſimè recenſet Na-
varr. *in Man. cap. 27. num. 75. uſque ad num.* 150. & Sum-
8 miſtæ *in verb. Excommunicatio*. Et quamvis criminoſi
omnes ſint ſuſpenſi quoad ſe, non tamen quoad alios, ut
in cap. fin. de cohabit. cleric. & mulier. Quidam dicuntur
ſchiſmatici largè, ut omnes excommunicati à jure, vel
ab homine, *cap. Apoſtolica, 24. quæſt.* 3. quia ſunt extra Ec-
cleſiam, & communionem fidelium, *cap. Cum excom-
municato*, 1. *quæſt.* 1. Et de his ineptum eſt quærere an ſint
excommunicati. Alii dicuntur ſchiſmatici ſtrictè, qui 9
ſcilicet proprium proprium Epiſcopum ejiciunt de ſede
Epiſcopali, & Epiſcopatum occupant, & ſuos conſtituunt
Sacerdotes, *cap. Scire, 7. q. 1. cap. Inter hæreſim, 24. q.* 3.
Et ſub hac ſpecie conſtitui poſſunt etiam illi, qui conjura-
tiones faciunt contra proprium Epiſcopum, de quibus in
cap. Coniurationem cum quatuor ſeqq. 11. *q.* 1. Et hi ſecun-
dum quoſdam ſunt excommunicati, ſed tamen Doctores
communiter tenent oppoſitum, ut teſtatur Abb. *ſupra
in rubr. num. 1. verſ. Strictè verò dicuntur:* eo quod cùm
recognoſcant Eccleſiam Romanam, licèt proprium Epi-
ſcopum ejecerint, aut in eum conſpiraverint, non tamen
dicuntur ab unitate diviſi, ut per Innoc. Hoſtien. Joan.
Andr. & Abb. ſupra *in rubr.* Alii demum dicuntur ſchiſ- 10
matici arctiſſimè, prout hic ſumuntur, qui ſcilicet divi-
dunt ſe ab unitate Eccleſiæ, & conantur ſibi Epiſcopos,
Presbyteros, & Conſtitutiones facere, *cap. Novatianus,
cap. Factus eſt, & cap. Denique, 7. quæſt.* 1. Schiſma
enim Græcè ſciſſuram ſignificant, *cap. Schiſma*, & ibi
Archid. *in princip. 24. quæſt.* 1. Nam cùm unica ſit fides, &
unica ſancta Eccleſia; ergo qui ab hac unitate diviſus
eſt, ſchiſmaticus eſt; In unitate enim ſciſſura eſſe non
poteſt, *d. cap. Schiſma, cap. Sicut Domini veſtimentum,
16. quæſt. 7. cap. Loquitur Dominus, 24. quæſt.* 1. Unde ſchiſ- 11
ma diffinitur eſſe illicitus ab unitate fidei, vel univerſita-
te receſſus, ſecundùm Hoſtien. Goffred. & Raymund. *in
ſumm. de Schiſma*, & Socin. *ſupra in rubr. num.* 1. Quæ 12
quidem unitas in duobus conſiſtit, videlicet in commi-
ſtione, ſeu communione membrorum Eccleſiæ ad invi-
cem, & in ordine omnium membrorum ad unum caput.
Hoc autem caput eſt Chriſtus, cujus vices gerit Romanus
Pontifex, Clem. 1. *de iureiur.* Unde qui ſubeſſe renuunt
ſummo Pontifici, & qui membris Eccleſiæ communicare
recuſant ſciſſuram facientes, valdè propriè dicuntur ſchiſ-
matici. Dupliciter autem poteſt contingere ut aliqui ab 13
hac unitate recedant. Primò cùm Eccleſiam Romanam
non agnoſcunt, ſed aliam ſibi Eccleſiam, & caput conſti-
tuunt, ut faciunt Græci ſchiſmatici: & hi abſque dubio
ſunt ipſo jure excommunicati, *cap. Nulli, 19. diſt.* & de-
terminat *hic* Innoc. *num. 2. in ver. Irritas*, Hoſtien. *num.* 2.
verſ. Illi autem ſchiſmatici, Jo. Andr. *num. 2. in ver. Sub-
iacere*, Butr. *num. 4. verſ. Numquid autem quilibet ſchiſma-
ticus ſit excommunicatus*. Qui enim extollunt ſe contra 14
Romanam Eccleſiam, & ab ipſa ſe ſeparant, hæretici di-
cuntur, & hi, qui principales ſunt, hereſiarchæ, ut hic,
ac proinde excommunicati ſunt ex *cap. Excommunicamus*,
§. *Credentes, ſupra de hæret.* ſecundùm Hoſtien. *d. num.* 2.
Qui amplius dicit talem ſententiam excommunicationis 15
ferri, ſed potiùs innovari à quolibet Epiſcopo in ſua conſe-
cratione, quem conſecrator interrogat dicens, *Anathemati-
zas omnem hæreſim;* ſubaudi, *non ſolùm errantem in fide,
ſed etiam extollentem ſe adverſus hanc, ſcilicet Romanam
ſanctam Catholicam Eccleſiam;* & is, qui conſecratur, re-
ſpondet, *Anathematizo*, ut in libro Pontificali. Quod 16
multò clarius vendicat ſibi locum in Græcis ſchiſmaticis
noſtri temporis, qui non ſolum nolunt agnoſcere ſummum
Pontificem pro Chriſti Vicario, & Capite univerſalis Ec-
cleſiæ; ſed etiam ita credunt ſentientes Eccleſiam Orien-
talem, & Conſtantinopolitanam non eſſe ſub Eccleſia Ro-
mana, & Patriarcham Conſtantinopolitanum non eſſe
inferiorem Romano Pontifici, ut patet ex actis Florentini
Concilii ſub Eugenio IV. Hi enim ſunt formaliter hæreti-
ci, ut per Abb. *ſupra in rubr. num.* 1. Quoniam habent er- 17
rorem in fide cum pertinacia contra articulum, *& unam
ſanctam Eccleſiam, cap. Inter hæreſim, cap. Qui in Eccleſia,
& c. Qui aliorum*, 24. *q.* 3. Archid. *in cap. Hæreſis, num.* 1.
ead. cauſ. & quæſt. Silveſt. *in verb. Hæreſis*, 1. *num.* 1. Dein- 18
de poteſt contingere, ut ſciſſuram quis faciat, & recedat
ab unitate abſque errore in fide, veluti cùm duo conten-
dunt de Pontificatu, ut hic, & in *cap. Si duo, 89. diſt.* Nam
quilibet credit unitatem Eccleſiæ, & illam eſſe apud ſe, nec
impugnat Eccleſiam Romanam, & hi ſunt ſchiſmatici ſi-
ne hæreſi, ut notatur in §. 124. *quæſt.* 1. Sentiunt enim 19

de fide, & unitate idem, quod cæteri, ſed tamen diſſidio.
Congregationis delectantur, ut inquit Socin. *ſupra in rubr*
num. 5. alias qui duos ſummos Pontifices crederet veros,
ſchiſmaticus, & hæreticus eſſet: ſchiſmaticus, quia
20 divideret Eccleſiam; hæreticus quia contra fidem. Atque
ita quis poteſt eſſe hæreticus, & ſchiſmaticus. Imò omnis
hæreticus eſt ſchiſmaticus, ſed non è converſo, ut decla-
rat Goffred. *in ſumma de ſchiſmat.* & Socin. *ubi ſupra*. Et
de his ſchiſmaticis ſine hæreſi variæ ſunt opiniones an ſint
excommunicati, Doctores tamen magis inclinant in
ſententiam affirmativam, ut teſtatur Abb. *ſupra in rubr.*
num. 1. & probatur in *d. cap. Nulli*, 19. *diſtinct.* ponderando
verbum, *iam damnatus*; quod eſt latæ ſententiæ, ut ibi
per Hugonem, & Archid. & *hoc* per Hoſtien. & Jo. Andr.
21 & Silveſt. *in ver. ſchiſmaticus*, *num.* 5. Præterea etſi in ſui
principio ſchiſma non habeat perverſum fidei dogma ſicut
hæreſis; tamen in fine nullum ſchiſma eſt ſine hæreſi,
ut docet Hieronym. *ad Titum cap.* 3. dicens, *Inter hæreſim,
& ſchiſma hoc intereſſe arbitrantur, quod hæreſis perver-
ſum dogma habeat; ſciſma propter Epiſcopalem diſſen-
ſionem ab Eccleſia pariter ſeparat. Quod quidem in prin-
cipio aliqua ex parte intelligi poteſt. Cæterum nullum ſchiſ-
ma non aliquam ſibi confingit hæreſim, ut recte ab Eccle-
ſia receſſiſſe videatur*: refertur in *cap. Inter hæreſim*, 24.
22 *quæſt.* 3. Et propterea Guido, & Octavianus, meritò
hic ab Alexandro III. appellantur hæreſiarchæ; & con-
ſequenter excommunicati ſunt ex *d.* §. *Credentes*. Neque
obſtat ponderatio Abbatis, & Socini, quod in textu no-
ſtro excommunicentur ſchiſmatici in tribus caſibus tan-
tum. Quia hoc non eſt verum: nam in *verſ. Si quis au-
tem*, non excommunicantur ſchiſmatici, ſed illi tantùm,
qui ſchiſmaticorum ordinationibus innituntur, aut ab his
beneficia, vel rem Eccleſiæ acquirunt, ut per Silveſt. *lo-
co cit.* Unde in his tantùm concludit argumentum à ſpecia-
li, quia communicantes cum excommunicatis regulariter
non ſunt excommunicati ſaltem majori excommunicatio-
ne niſi in caſibus, qui notantur per Jo. Andr. & DD. in
*cap. Sacris, ſupra de his quæ vi, metuſve cauſa, & in cap.
Statuimus, infra de ſent. excommun.* Sed contra commu-
nem opinionem præter ultimam conſiderationem Socini,
duo videntur magnoperè urgere. Primum eſt, quod ſi
ſchiſmatici in terminis hujus Decretalis eſſent ipſo jure
excommunicati, utique participantes cum eis in crimine
crimnoſo in eadem ſententia excommunicationis incide-
rent, ut eſt caſus in *cap. Nuper*, & ibi dixi *de ſentent. ex-
communic.* & tamen contrarium hic deciditur in *verſ. Il-
los vero*, quia jurantes tenere ſchiſma, & ſic communi-
cantes in crimine ſchiſmatis, à dignitate, & ordine ſu-
ſpenduntur, quæ ſpecialis pœna fruſtra illis infligeretur ſi
eſſent ipſo jure excommunicati. Secundum eſt, quia ju-
rantes tenere ſchiſma ſunt formaliter ſchiſmatici; & ta-
men non ſunt excommunicati, ut ſupra proximè dictum
23 eſt. Verùm quicquid ſit in terminis hujus textus certè ho-
die res eſt extra difficultatem, quia, ut advertunt Abb. *ſu-
pra in rubr.* & Socin. *hic num.* 6. *in fin.* & Silveſt. *in verb.
Schiſmaticus*, *num.* 5. poſteà emanavit, *cap. Licet, de
vitanda, ſupra de elect.* ubi diſponitur, ut tam ipſe qui ſe
gerit pro Papa, quam illi adhærentes excommunicationi
ſubjaceant, per quæ verba inducta eſt excommunicatio
ipſo jure, ut ibi notant DD. idemque apertiùs ſtatuitur no-
viſſimè in Conſtitutione Gregorii XV. de Romani Ponti-
ficis electione, quæ incipit, *Æterni Patris filius*. Qua-
propter aut agimus de ſchiſmaticis, qui recedunt ab uni-
tate Eccleſiæ Romanæ, ut Græci, & illi ſunt ipſo jure
excommunicati per *d. cap. Nulli*, 19. *diſtinct. & per cap.
Excommunicamus*, 1. & 2. §. *Credentes de hæret.* ut dictum
eſt ſupra *num.* 13. Aut agimus de Antipapis, & eorum ad-
hærentibus, de quibus hic; & hi excommunicati ſunt
per *dict. cap. Licet*, & Conſtitutionem Gregorii XV. &
ſic hodie quicquid ſcripſerint nonnulli ex modernis, ſchiſ-
matici omnes ſtrictiſſimè ſumpti ſunt vinculo excommu-
24 nicationis innodati. Addo quod in Extravaganti, *Etſi
Dominici*, Pauli II. & Sixti IV. *de pœnit. & remiſſ.* ad quas
Doctores non advertunt inter caſus Sedi Apoſtolicæ reſer-
vatos ponitur non ſolum crimen hæreſis, & conſpiratio-
nis in perſonam, aut ſtatum Romani Pontificis, ſed etiam
cujuſvis offenſæ, inobedientiæ, aut rebellionis ejuſdem
Pontificis, vel Sedis Apoſtolicæ. Quibus verbis ſatis cla-
rè comprehenduntur ſchiſmatici, qui ſe ſubtrahunt ab
obedientia ſummi Pontificis: nam ſecundùm Hoſtienſ.
in ſumm. de ſchiſmat. in princip. Schiſma eſt illicita diviſio
per inobedientiam ab unitate Eccleſiæ facta. Et quamvis
Socin. *ſupra in rubr.* huic definitioni poſt verbum *inobe-
dientiam* addat, ſcilicet, *cum rebellione*; hoc tamen po-
teſt procedere tantummodo quoad effectum, ut ſic inobe-
dientes dicantur propriè ſchiſmatici; quia etſi omne pec-
catum ſit inobedientia cœleſtium mandatorum, ſecun-
dùm Ambroſium, & per conſequens omnis inobediens
diſcedat ab Eccleſia; tamen niſi ſit inobediens cum rebel-
lione, ſtrictè, & propriè non dicitur ſchiſmaticus, ut ibi
per eum, *num.* 8. Sed quoad effectum reſervationis cenſu-
ræ ſufficit ſola inobedientia etiam ſine rebellione; tum
quia prædictæ Extravagantes utuntur dictione illa univer-
ſali, *cuiuſvis offenſæ inobedientiæ, &c.* tum quia poſterior
Sixti IV. loquitur disjunctivè, videlicet inobedientiæ,
aut rebellionis. Aliud enim eſt inobedientia, aliud rebel-
lio, *cap. Inter quatuor*, & ibi Butr. *num.* 4. *ſupra de maior.
& obed.* Et nihilominus etiamſi requireretur concurſus
utriuſque qualitatis etiam ad effectum reſervationis cenſu-
ræ, tamen non eſt dubitandum, quin ſchiſmaticorum in-
obedientia ſit cum rebellione, ſiquidem rebellis propriè
dicitur qui facto reſiſtit ſuperiori, vel juriſdictioni, *cap.
Sanè, il ſecondo*, & ibi Butr. *num.* 4. *ſupra de off. deleg.*
Bald. *in l. Si certarum*, §. *Sed ſi miles*, *num.* 3. *ff. de teſta.
milit.* & conſequenter apertè conſtat ſchiſmaticos omnes
ſtrictiſſimè ſumptos etiam ſine hæreſi tanquam inobedien-
tes ac rebelles Romano Antiſtiti incidere in cenſuram Se-
di Apoſtolicæ reſervatam in præallegatis Extravagantib.
Poſtremò ceſſat omne dubium, quia in Bulla Cœnæ Domi-
ni quotannis anathematizantur non tantùm hæretici, ſed
etiam ſchiſmatici, ut in Bulla Gregorii XIII. Conſueve-
runt, ibi: *Nec non ſchiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, &
Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertina-
citer ſubtrahunt, vel recedunt*.

Ultimò nota irritas eſſe collationes dignitatum, & bene- 25
ficiorum à ſchiſmaticis factas: de quo dic plenius, ut in
ſequenti quæſtione.

In Ruſſia, ac præcipuè in Leopolienſi Provincia Catho- 26
lici permiſti degunt cum ſchiſmaticis, quorum triplo ma-
jor eſt numerus; ac pleriſque in locis vix unus ſacerdos
Catholicus reperitur; unde paſſim Popones, id eſt ſacer-
dotes ſchiſmatici in poſſeſſione parochialis Eccleſiæ inſti-
tuti, quos Rutheni ſuos parochos æſtimant, ſacramenta
adminiſtrant Græco ritu, & Catholicos cum ſchiſmaticis,
& è contra in matrimonium conjungunt. Quærit Ar-
chiepiſcopus Leopolienſis.

An Popones ſint ſuæ curæ ſubjectorum Ruthenorum,
& Ruthenarum proprii parochi, & an includantur in Ca-
none Matrimonii Concilii Tridentini, ita ut dum Catho-
licus contrahit cum Ruthena, vel è converſo in manibus
Poponis matrimonium hoc ſit validum, necne.

Suppoſita publicatione decreti *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* 27
matrim. in parochiis Ruthenorum, ſolutio quæſtionis ex
ſententia Theologorum, quos conſuluit Archiepiſcopus,
pendet ex duplici inſpectione. Prima eſt, an Vuladicæ Ru-
thenorum ſint veri Epiſcopi. Secunda, ſi ſint, an habeant
jus inſtituendi parochos.

Quoad primam inſpectionem admittunt omnes tam
Theologi, quàm Canoniſtæ Vuladicos eſſe veros Epiſco-
pos Ruthenorum, cùm dubitandum non ſit, quin ſchiſ-
maticis in forma Eccleſiæ, qua utuntur Rutheni, & cum
intentione faciendi quod facit Eccleſia, verus Epiſcopa-
lis, & Sacerdotalis ordo conferatur, ut patet ex authori-
tate Auguſtini *lib.* 2. *contra Epiſt. Parmeniani cap.* 13. ubi
improbat quorundam opinionem, qui putabant Epiſcopos
ſchiſmaticos neque habere Ordinis Sacramentum, neque
aliis conferre poſſe, quod refertur in *cap. Quod quidam*,
1. *quæſt.* 1. & *in cap. Oſtenditur, de conſecr. diſtin.* 4. Sacra- 28
mentum enim poteſt tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere
ſeparatus, aut idem Auguſtinus docet *lib.* 6. *de Bapt. con-
tra Donatiſtas cap.* 5. *circa princip.* & ad Bonif. *Epiſt.* 50. Et
hanc eſſe Catholicam veritatem dicit gloſſ. communiter 29
approbata in *ſumma* 9. *quæſt.* 1. ubi Turrecr. *num.* 1. [Sit,
inquit, iſta concluſio tamquam veriſſima ab omnibus ſu-
ſcipienda, quod ordinatio facta in forma Eccleſiæ ab Epi-
ſcopo, ſive ſit catholicus, ſive hæreticus, ſive ſchiſmaticus,
ſive anathemate innodatus, ſive ultimam manus impoſitio-
nem, id eſt Epiſcopalem ordinationem receperit in Eccleſia,
ſive

Digitized by Google

ſive extra, eſt habenda rata quantum ad veritatem ordi-
nis; ita quod omnes ordinati ab eo ordines recipiunt, &
ſi alios ordinant ordinati erunt, & ſic in infinitum.] Et
quamvis io hoc articulo olim variatum fuerit ſententiis,
tamen hæc eſt vera opinio, quam hodie ſequuntur omnes,
teſte eodem Turrecrem. qui eam pluribus confirmat, &
ab objectis tuetur in *cap. Qui perfectionem*, *& in cap. Sa-
cramenta*, *1. quaeſt.* 1. ſequitur Sylveſt. in *verb. Degrada-
tio*, *num.* 9. & Caoniſtæ hic, ut dictum eſt ſuprà *num.* 2.
in 2. *notab.*
30 Nec refragatur authoritas Cypriani in *cap. Novatianus*,
7. quaeſt. 1. dicentis: *Qui nec unitatem ſpiritus, nec con-
ventionis pacem obſervat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo, & ſa-
cerdotum collegio ſeparat, nec Epiſcopi poteſtatem habere*
31 *poteſt, nec honorem*. Quoniam ut reſpondit S. Thom. *in*
2. 2. quaeſt. 39. artic. 3. *Duplex eſt ſpirituales poteſtas: una
quidem ſacramentalis, alia iuriſdictionalis: Sacramenta-
lis poteſtas eſt, quæ per aliquam conſecrationem confertur:
omnes autem conſecrationes Eccleſiæ ſunt immobiles manen-
te re, quæ conſecratur, ſicut etiam patet in rebus inanima-*
32 *tis: nam altare ſemel conſecratum, non conſecratur ite-
rum, niſi fuerit diſſipatum*. Ad hoc *cap.* 1. *& cap.* 3. *&
utrobique not. de conſecr. Eccl. vel alt. cap. Si motum*, *&
cap. Eccleſiis*, *de conſecr. diſtin.* 1. Et ideò talis poteſtas ſe-
cundùm ſuam eſſentiam remanet in homine, quia per
conſecrationem eam eſt adeptus, quamdiu vivit ſive in
ſchiſma, ſive in hæreſim labatur: quod patet ex hoc,
quòd rediens ad Eccleſiam non iterùm conſecratur, *cap.
Ordinationes*, *9. quaeſt.* 1. Sed quia poteſtas inferior non
debet exire in actum niſi ſecundùm quod movetur à pote-
ſtate ſuperiori, ut etiam in rebus naturalibus patet; inde
eſt quod tales uſum poteſtatis amittunt, ita ſcilicet, ut non
liceat eis ſua poteſtate uti: ſi tamen uſi fuerint, eorum
poteſtas effectum habet in ſacramentalibus: quia in his
homo non operatur, niſi ſicut inſtrumentum Dei: unde
effectus ſacramentales non excluduntur propter culpam
quamcumque conferentis ſacramentum, *cap. Si iuſtus*,
cap. Ex catholica, *cap. Sic autem*, *cum multis ſeqq.* *1. qu.*
33 1. Poteſtas autem juriſdictionalis eſt quæ ex ſimplici injun-
junctione hominis confertur ut talis poteſtas non immo-
biliter adhæret; unde in ſchiſmaticis, & hæreticis non
manet: ideòque nec poſſunt abſolvere, nec excommuni-
care, nec indulgentias facere, aut aliquid hujuſmodi;
quod ſi fecerint, nihil eſt actum, *cap. Omnibus*, *cap. Ait
Cœleſtinus*, *& cap. Aperte*, *24. quaeſt.* 1. Cùm ergo dici-
tur tales non habere Epiſcopi poteſtatem, intelligendum
eſt vel de poteſtate ſecunda, vel ſi referatur ad primam po-
teſtatem, non eſt referendum ad ipſam eſſentiam poteſta-
tis, ſed ad legitimum uſum ejus; ita D. Thom. & Sylveſt.
in verb. Schiſmaticus, *num.* 3.
34 Et eodem modo reſpondetur ad *cap. Didicimus*, *& cap.
Pudenda*, *ead. cauſ. & quaeſt.* ubi Pelagius Papa: *Puden-
da, ut ita dicam, rapina in diviſione eſt non conſecratus,
ſed execratus Epiſcopus: ſi enim ipſum nomen conſecratio-
nis rationabili, ac vivaci intellectu diſcutimus, is, qui
cum univerſali detrectat conſecrari Eccleſia, conſecratus
dici, vel eſſe nulla ratione poterit: conſecrare enim eſt ſi-
mul ſacrare, ſed ab Eccleſia viſceribus diviſus, & Apoſto-
licis ſedibus ſeparatus execrat ipſe potiùs, & non conſecrat:
iure ergo non conſecratus poterit dici quem ſimul ſacrare in u-
nitate coniunctis membris non agnoſcit Eccleſia*. Hæc ibi:
35 Hæ uamque, & conſimiles auctoritates intelligi debent,
vel quoad ea, quæ concernunt juriſdictionem, ut dictum
eſt, vel quoad executionem tantùm, quàm de jure com-
muni non recipiunt ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, vel
præciſis ab Eccleſia, ſeu excommunicatis, dict. *cap. Qui
perfectionem*, & ibi Turrecrem. *num.* 3. *& 4. & cap. ſeq.* 8.
q. 1. *cap. 1. de ordin. ab Epiſc.* etiam ſi ignoranter ſic fue-
rint ordinati, ut in *cap. ult. eod. tit.* & poſt Innoc. notat
Joan. Andr. in dict. *cap.* 1. *ſuper ultima gloſſ. & hic ſuper ſe-
cunda gloſſ. ad finem magna ſuppletionis*, Præpoſ. *in ſumm.*
9. q. 1. num. 1. non autem debent intelligi quoad poteſta-
tem officii, & veritatem, ſeu eſſentiam conſecrationis,
ut paulò infrà declarat Gratian. poſt *cap. Miramur*, *in §.
His auctoritatibus*, 24. q. 1. & vide quod ſcripſi de utra-
que poteſtate ſacramentali, & juriſdictionali in *cap.* 1.
ſupra, *de ſupplen. negligen. Prælat.* hæc de prima inſpe-
ctione.
36 Quoad ſecundam inſpectionem, videlicet an Vuladicæ
Ruthenorum habeant jus inſtituendi parochos, longè
major eſt difficultas: & quidem pro parte affirmativa
videtur valdè urgere, quod ante Concilium Conſtantien-
ſe excommunicati omnes dicebantur, non tolerati, & vi-
tandi erant etiam ante ullam denunciationem: caſus eſt in
cap. Cùm non ab homine, *de ſent. excommun. in cap. Ex-
communicatos*, 11. q. 3. & poſt Hug. & Raym. notat Ar-
chid. in *cap. Si tantum*, *num.* 1. 6. *quaeſt.* 2. gloſ. *in cap. Sanè
quod*, *in verb. Nominativè*, 24. q. 2. per text. in *cap. Cum
deſideres*, *de ſent. excomm.* Felin. in *cap. Rodulphus*, *num.*
39. *de reſcript.* ubi redarguit Petr. de Anchar. quod per in-
advertentiam ſcripſerit contra prædicta jura in *conſ.* 185.
Tribus de cauſis, *col.* 2. Ideòque hæretici, & ſchiſmatici 37
tamquam excommunicati ex *cap. Excommunicamus*, 1. *&*
2. *de hæret.* & ex Bulla Cœnæ Domini indiſtinctè diceban-
tur nullam ordinum executionem, vel juriſdictionem ha-
bere, ut hic, & in *cap. ſeq.* Abb. in *cap. Ad probandum*,
num. 2. *de re iudic.* S. Thom. *in 3. par. quaeſt.* 50. *aliàs* 19.
art. 6. Sylveſt. *in verb. Schiſmaticus*, *num.* 2. Ac propter-
eà nec poterant veros parochos inſtituere; imò eorum col-
lationes erant ipſo jure nullæ ex decreto Concilii Latera-
nenſis hic relato, & conſtitutione Alexandri IV. in *cap.* 2.
§. *Hæretici*, *de hæret. lib.* 6. Inſtitutio enim authorizabi- 38
lis, ſeu datio curæ animarum eſt de lege juriſdictionis,
cap. Conquerente, *& cap. Dilectus*, juncta gloſſ. *in verb.
de lege iuriſdictionis*, *de offic. ordin.* Epiſcopi autem ſchiſ-
matici prorſus carebant poteſtate juriſdictionali, d. §. *His
authoritatibus*, 24. q. 1. & ex ſententia D. Thomæ oſten-
ſum eſt ſupra *in* 1. *inſpectione à num.* 30.
Verùm poſteà in Conſtantienſi Concilio ſub Martino 39
V. edita fuit Conſtitutio incipien. *Ad evitanda*, quam
ad litteram refert S. Antonin. *in 3. par. tit.* 25. *cap.* 2. Felin.
in dict. *cap. Rodulphus*, *num.* 39. *verſ. Inſuper ad evitan-
da*, *de reſcript.* Sylveſt. *in verb Excommunicatio*, 5. *num.*
7. *verſ. Sciendum eſt*, 4. & Sot. *in 4. diſtinct.* 22. *quaeſt.* 1.
art. 4. qua ſtatutum eſt, ut ii tantùm excommunicati cen-
ſeantur non tolerati, & vitari debeant, qui oominatim,
& expreſsè fuerint denunciati, vel notorii Clericorum per-
cuſſores.
Et quamvis ut idem S. Antonin. teſtatur in 3. *par. tit.* 26.
cap. ult. citatus ad Felin. *ubi ſupra*, quidam aſſererent ean-
dem Conſtitutionem fuiſſe propoſitam, ſed noo accepta-
tam præcipuè ab Italica natione; ipſe tamen audivit à duo-
bus venerabilibus viris, quos nominat, & qui Concilio
interfuerunt, eam fuiſſe acceptatam ab omnibus, ut per-
petuam, & in *tract. de cenſur. cap.* 83. diſputat, an Sum-
mus Pontifex potuerit ſic ſtatuere, & concludit affirma-
tivè, adjiciens quod cùm quidam dixiſſet Martino V. ſe
audiviſſe illam Conſtitutionem fuiſſe pro quinquennio;
Martinus reſpondit: *Ego volo ut ſemper duret*; & alia
ſubnectit circa robur ejuſdem Conſtitutionis. Quamob- 40
rem jam more Eccleſiæ receptiſſimom eſt, ut non vitemus
niſi duas illas excommunicatorum ſpecies, quas prædi-
ctum Concilium vitari juſſit, ut ait *loco cit.* Sot. poſt Ca-
jet. & licèt Covarr. in *cap. Alma mater*, *par.* 1. §. 2. *num.*
7. dicat in exemplaribus; quæ extant, ſe nunquam repe-
riiſſe hoc decretum inter canones Conſtantienſis Concilii,
ac propterea dubitare an potiùs fuerit conditum à Martino
V. ut etiam ſupponit Navarr. *in man. cap.* 27. *num.* 35. ut-
cumque tamen ſit decretum illud recipiendum eſt ut cano-
nicum, ut omnes admittunt *locis citatis*. Neque obſtat,
quod Abbas in Clem. 2. *de ſent. excomm. num.* 6. referat in
alio canone Concilii Baſileenſis *ſeſſ.* 20. §. *Ad evitanda
ſcandala*, ſancitum fuiſſe, ut non teneatur quis alium e-
vitare in divinis, vel extra prætextu excommunicationis,
aut ſuſpenſionis; aut interdictum obſervari, niſi ſit facta
per judicem declaratio, aut conſtiterit quem in excommu-
nicationem ita notoriè incidiſſe, ut nulla poſſit tergiver-
ſatione celari: & quod Nicolaus de Auſmo *in ſupplemento
Piſanella*, *in verb. Clericus*, *in fin.* relatus à Felin. in dict.
cap. Rodulphus, *nu.* 39. *de reſcript.* referens eandem Con-
ſtitutionem concordet cum relatione Abbatis, ſubdens ſe
illam extraxiſſe de libro Juliani Cardinalis, qui vulgariter
dicebatur S. Angeli, & præfuit eidem Concilio, & ſibi
oſtendit hanc Conſtitutionem in camera ſua, & ſtudio ſuo
Florentiæ anno 1440. die 11. Decembris: hic autem ca- 41
non Baſileenſis Concilii tanquam poſterior ſuſtulerit Con-
ſtitutionem Concilii Conſtantienſis, qua non erant vitan-
di niſi expreſsè denunciati, aut notorii Clericorum per-
cuſſo-

Digitized by Google

cuſſores, ut videtur ſentire Covarr. in dict. *cap. Alma mater*, *par. 1. §. 2. numer. 7.* & ante eum Felin. in dict. *cap. Rodulphus*, *num. 39. de reſcript.* ubi propterea cenſuit notoriè excommunicatos ante denunciationem indiſtinctè eſſe vitandos, Sylveſt. *in verb. Excommunicatio*, *5. num. 9.* & in effectu Navarr. *de pœnit. diſtinct. 6. §. Laboret*, *num. 9. & in Manuali*, *cap. 27. num. 35.* Id inquam non obſtat, quia hujus canonis Concilii Baſileenſis nulla ra-
42 tio habenda eſt, non quidem ex eo, quod conditus fuerit
poſt diſſolutionem Concilii, ut quidam incautè opinati ſunt: nam ſeſſio, in qua habetur ille Canon, celebrata fuit anno 1435. undecimo Kal. Febr. ut patet in notis ad eam ſeſſionem *tom. 4. Conciliorum par. 2. pag. 408. col. 2.* Diſſolutio autem, ſeu translatio Concilii ad civitatem Ferratienſem facta fuit ab Eugenio poſt menſes circiter triginta duos, ut conſtat ex Bulla translationis, quæ incipit, *Doctoris gentium*, *edita 14. Kalend. Octobris* 1437. quæ habetur poſt acta Concilii Baſileenſis *eodem tom. 4. part. 1. pag. 215.* Et quamvis Eugenius multò ante, id eſt 15. Kal. Januarii anno 1431. ejus Pontificatus primo diſſolviſſet Concilium, ſi quod Baſileæ congregatum videretur, aliudque Concilium in anno cum dimidio Bononiæ, & ſequens aliud Concilium in decennio Avenionæ indixiſſet, ut in Bulla diſſolutionis, quæ incipit, *Quoniam alto, & incomprehenſibili Domino:* & habetur itidem poſt acta ejuſdem Concil. *pag. 209.* Tamen hæc diſſolutio ex cauſarum defectu poſteà caſſata fuit ab eodem Eugenio perinde ac ſi nunquam emanaſſet, ut in Bulla incipien. *Dudum ſacrum generale Baſileenſe Concilium*; quæ ponitur inter illius acta *ſeſſ. 16. tom. 4. par. 1. p. 41.* Unde manifeſtè apparet ſeſſionem 20. fuiſſe habitam ante ſciſſuram Concilii. Quod etiam clarè colligitur ex Epiſtola Eugenii ad Concilii legatos ſcripta poſt duos menſes à celebratione illius ſeſſionis, videlicet 13. Kal. Martii 1435. ut patet *pag. 214.*
43 Atque ita prædictum Canonem fuiſſe editum in Concilio
Baſileenſi ante ſciſſuram teſtatur S. Antonin. *in tractat. de Cenſur. cap. 83.* dicens ſe ita audiviſſe a Cardinali Juliano Concilii Legato. Idemque affirmat Sylveſt. *in verb. Excommunicate*, *5. nu. 7. verſ. Sciendum eſt quarto*, & Covarr. in *cap. Alma mater*, *par. 1. §. 2. num. 7.* Quod tamen immediatè ſubjicit idem S. Antonin. Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis fuiſſe approbatam in Concilio Baſileenſi, & ab Eugenio IV. non eſt uſquequaque verum. Refertur enim Conſtitutio Baſileenſis *ead. ſeſſ. 20. in §. Ad vitandum*, *eod. tom. 4. Concil. par. 1. pag. 50* Et concordat cum Conſtitutione Conſtantienſi uſque ad *verſ. Salvo.* Sed poſteà ubi Conſtantienſis excipit tantùm notorios clericorum percuſſores; hæc Baſileenſis generaliter excipit, ac vitari jubet omnes notoriè excommunicatos, & in hoc conſentit cum illa, quæ poſteà edita fuit in Concilio
44 Lateranenſi, ut patebit infrà *num. 55.* Unde cùm Conci-
lium Baſileenſe hac in parte adverſetur Conſtantienſi, & ille canon editus fuerit ante ſciſſuram; non mirum ſi Abbas Panormitanus, qui partes Baſileenſium acerrimè tuebatur, & Nicolaus de Auſmo ſupracitati putaverint notoriè excommunicatos etiam non denunciatos eſſe vitandos, idemque ſenſerit Felin. eorum authoritati innixus in eod. *cap. Rodulphus*, *num. 39. verſ. Salva veritate*, *de reſcript.* ubi hanc diſcrepantiam non conſiderans, confundit Conſtitutionem Conſtantienſis cum Baſileenſi. Et eodem modo lapſus eſt Navarr. *in Man. cap. 27. num. 34.* ubi dicit Extravagantem Martini V. fuiſſe malè relatam à S. Antonino, & Felino, & benè à ſeipſo in *cap. 1. §. Laboret*, *de pœnit. diſtinct. 6.* Nam reverà benè refertur ab illis, & malè ab ipſo, quia ipſe loco Conſtitutionis Conſtantienſis, ſeu Extravagantis Martini V. ab Eugenio IV. approbatæ refert Conſtitutionem Concilii Baſileenſis editam multò poſt obitum Martini V. videlicet Pontificatus Eugenii anno quinto, & repetitam in Concilio Lateranenſi ſub Leone X.
45 Sed ex alio capite hic canon Baſileenſis non eſt atten-
dendus, nec aliquatenus derogat Conſtantienſi, nempe quia acta Synodi Baſileenſis fuerunt reprobata, aliquibus tantùm exceptis, ut conſtat ex *ſeſſ. 11.* Concilii Lateranenſis Noviſſimi, ubi Conciliabulum ſchiſmaticum, & nullius prorſus authoritatis appellatur, præſertim poſt translationem, quæ verba indicant etiam ante translationem illud non fuiſſe ex omni parte legitimum, ut dixi in *cap. Significaſti*, *num. 25. & 26. ſuprà de elect.* Idipſum conſtat ex Bulla Nicolai V. incip. *Ut pacis*, *edita Spoleti 14. Kalend. Iulii* 1449. quæ habetur inter acta Concilii Baſileenſis *tom. 4. Conc. p. 1. pag. 96.* Nam cùm Felix V. Antipapa ceſſiſſet Pſeudopontificatui; actaque omnia Baſileenſis Conciliabuli ſuo ipſius judicio quaſi improbaſſet; Nicolaus pacis gratia approbavit eas tantùm Conſtitutiones, quæ de beneficiis Eccleſiaſticis fuerunt editæ, & improbavit reliqua omnia, quæ aliorum Conciliorum decretis, & Conſtitutionibus non ſunt diffinita. Quibus verbis evidenter apparet prædictam Conſtitutionem Concilii Baſileenſis in ea parte, in qua præcipit vitari omnes notoriè excommunicatos etiam non denuntiatos fuiſſe penitus reprobatam, quia non ſolùm in ea parte non reperitur idem diffinitum in aliis Conciliis, prout requiritur ad hoc ut cadat ſub præſervatione Nicolai; ſed potiùs reperitur diffinitum oppoſitum in Conſtitutione Conſtantienſi, quæ non præcipit vitari non denunciatos, niſi ſint notorii clericorum percuſſores. Rationes autem cur acta Synodi Baſileenſis fuerint invalida fusè recenſentur à Card. Turrecr. qui in minoribus agens eidem Synodo interfuit, *in ſumm. de Eccleſ. lib. 2. cap. 100.* Quamobrem quoad notoriè ex- 46
communicatos non denunciatos ſervandum eſſe decretum Conſtantienſis Concilii juxta generalem Eccleſiæ uſum docuerint S. Antonin. *in 3. par. tit. 28.* Adrian. *in 4. in materia de Clavib.* Cajet. *in ſumma*, *in verb. Excommunicatio maior*, *& in 2. 2. quæſt. 12. artic. 2.* Idemque Sylveſt. *in conflatorio Epiſtolarum*, ubi vidit Turrecrematam, à priori ſententia diceſſit; quod & Navarr. fecit in ultima impreſſione *Man. cap. 3. num. 8. & cap. 27. num. 35.* & ſimiliter Covarr. prælleg. in *cap. Alma mater*, *par. 1. §. 2. num. 9. verſ. Supereſt igitur.* Fatetur magis receptam eſſe in 47
Chriſtiano Orbe Martini V. & Conſtantienſis Conſtitutionem. Unde refert Avila *in tractat. de Cenſ. diſputat. 2. dub. 2. verſ. Secunda opinio*, in Anglia, & Germania Catholicos tutò cum notoriè hæreticis communicare: nam non dicuntur nominatim denunciati ex eo quod in Bulla Cœnæ feratur cenſura in ſchiſmaticos generaliter non nominatis perſonis, ut animadvertit Sot. *in 4. d. 22. quæſt. 1. art. 4. verſ. In iſta quæſtione*, *uſque ad verſ. Quod ſi arguas.* Sed ad hoc ut dicantur non tolerari neceſſe eſt, ut notentur cenſura expreſſo nomine proprio, aut aliquot appoſitis ſignis, quæ certè, & abſque ullo dubio eum, qui excommunicatur, ſignificent, & demonſtrent, ſecundum Covarr. in dict. *cap. Alma mater*, *§. 2. num. 8.* & ante eum gloſſ. in *Clem. 1. in verb. Nominatim*, *de vita, & honeſt. cleric.* quæ communiter illic recipitur. Nec 48
obſtat, quod dicta Conſtitutio *Ad vitandum:* ad eum modum, quo condita fuit in Concilio Baſileenſi, poſteà ad litteram repetita fuerit, & innovata in Concilio Moguntino *cap. 104. anno 1549.* ut patet *tom. 4. Conciliorum*,
par. 2. pag. 268. Quoniam hæc Synodus fuit provincialis 49
ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo, nec apparet confirmata per ſedem Apoſtolicam; Unde nullatenus derogavit Conſtitutioni editæ in generali Concilio Conſtantienſe, text. eſt in *cap. Quod ſuper his*, & ibi DD. *de maior. & obed.* & cenſuit Sacra Congregatio Concilii ſuperioribus annis in cauſa Concilii provincialis Gneſnenſis; & ad ſummum hæc Conſtitutio ſervanda eſſet ſolummodò in provincia Moguntina, extra quam Synodus juriſdictionem non habet, *cap. Decernimus*, *3. quæſt. 9. cap. Cum ſit*, *de Iudæis*, *cap. 1. & per tot. 13. diſtinct.* gloſſ. & DD. in *cap.*
Domino Sancto, *50. diſt.* Sequitur hic, ut Epiſcopi ſchiſ- 50
matici ex recepta omnium ſententia tanquam excommunicati tolerati, id eſt non nominatim denunciati actus juriſdictionis valdè exerceant, ac beneficia conferant, ut in ſpecie de collationibus beneficiorum poſt Concilium Conſtantienſe adnotavit Sot. *loco cit. verſ. Primum enim.* Ra- 51
tio eſt, quia fit ab Epiſcopo ratione publici muneris, & valent actus, qui geruntur publici muneris authoritate ab excommunicatis dum tolerantur, *cap. Ad probandum*, ubi Felin. *de re iudic.* Abb. & alii in *cap. Veritatis*, *de dolo, & contum.* Et in terminis Conſtantienſis Concilii tradit Sarnen. *in tractatu Expectativarum*, *num. 60.* & Covarr. in dict. *cap. Alma mater*, *par. 1. §. 7. num. 9.* Suarez *tom. 5. de Cenſur. diſp. 14. ſect. 2. num. 3.* & Sayr. *in eod. tract. lib. 2. cap. 6. num. 8.* Itaque cùm Vuladicæ, ut ini- 52
tio probavimus ſint veri Epiſcopi Ruthenorum, & tanquam tolerati, id eſt non denunciati nominatim, poſſint actus juriſdictionis exercere, & beneficia Eccleſiaſtica con-

Digitized by Google

conferte: neceſſariò videtur ſequi, ut quantum in ipſis eſt. Popones ab eis inſtituti in poſſeſſione beneficii curati ſint veri Ruthenorum Parochi, & conſequenter valida ſint matrimonia coram eis, & duobus teſtibus contracta: Neque enim aliud exigit Tridentinum Concilium in *cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim.*

53 S. d his non obſtantibus ſub cenſura Eccleſiæ exiſtimo irrita omninò eſſe hujuſmodi conjugia: & moveor præcipuè ex tribus fundamentis.

Primum fundamentum eſt, quia Conſtitutio Conſtantienſis Concilii, qua parte habilitat Catholicos ad communicandum cum notoriè excommunicatis, dummodo non ſint denunciati, aut notorii Clericorum percuſſores, fuit abrogata per contrariam Conſtitutionem Concilii Lateranenſis ſub Leone X. quod ut evidentiùs appareat, ex-
54 pendenda ſunt, verba utriuſque Conſtitutionis. Et quidem tenor Conſtantienſis ad eum modum, quo refertur à S. Antonin. Felin. Sylveſt. & Soto *locis ſupracitatis nu. 39.* Talis eſt, videlicet: *Ad evitanda ſcandala, & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſent, Chriſtifidelibus miſericorditer indulgemus, ut nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis, vel extra prætextu cujuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura hujuſmodi fuerit in, vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum, aut certam à judice publicata, & denunciata ſpecialiter, & expreſſe, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque; ſalvo ſi quem pro ſacrilega manuum in clericos injectione ſententiam latam à Canone adeo notoriè conſtiterit, incidiſſe, ut factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari: nam à communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri juxta canonicas ſanctiones.* Hactenus verba Conſtitutionis Conſtantienſis, ex quibus apparet non eſſe vitandos notoriè excommunicatos, niſi ſint ſpecialiter denunciati, aut notorium ſurgat ex violenta manuum injectione in clericos, ot relatis verbis S. Antonini ſub nomine Archiepiſcopi Florentini, & Angel. *in verb. Excommunicatio*, 8. in propriis terminis declarat Decius in *cap. A nobis, num. 21. verſ. Adde vero, de except.* & Covarr. in dict. *cap. Alma mater, par. 1. §. 2. num. 7. verſ. Ex quibus ſatis apparet.* [Etenim in Conſtitutione prædicta ſolum excipitur unus caſus notorius, videlicet violentæ manuum injectionis in clericum: ergo in aliis caſibus regula videtur generaliter habere locum, quia exceptio facta in uno caſu, videtur confirmare regulam in aliis, *cap. 2. de coniug. leproſ. cap. Dominus, 32. quæſt. 7.* & notat Bart. in *l. Quæſitum, §. Denique, ff. de fund. inſtruct.* Nec obſtat, quod in facto notorio non requiratur denunciatio; quia procedit de jure communi; ſecus attenta prædicta Conſtitutione.] Hæc Decius, ubi etiam ſalvat Abbatem in *Clem. 2. de ſent. excomm.* quod ſit intelligendus juxta Conſtitutionem, quam allegat, id eſt Baſileenſem, ut patet ex dictis ſupra *num. 44.*

55 Conſtitutio verò Concilii Lateranenſis habetur *ſeſſ. 11. in §. Statuimus inſuper*, ut ad vitandum ſcandala, *tom. 4. Conciliorum par. 2. pag. 117. col. 2.* & concordat de verbo ad verbum cum Conſtitutione edita Conſtantiæ, uſque ad *verſ. Salvo, &c.* Sed poſteà ubi Conſtantienſis excipit notorios clericorum percuſſores; hęc Lateranen. excipit generaliter omnes notoriè excommunicatos his verbis: *Aut ſi ita notoriè in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo iuris ſuffragio excuſari: nam à communione illius abſtineri volumus iuxta canonicas ſanctiones.* Hæc ibi:
55 Quæ clauſula manifeſtè opponitur clauſulæ Conſtitutionis præcedentis. In illa enim Catholici habilitantur ad communicandum cum excommunicatis etiam notoriè ante denunciationem, niſi ſint notoriè excommunicati propter ſacrilegam manuum injectionem in clericos: in hac verò prohibentur communicare indiſtinctè cum omnibus excommunicatis, etiam non denunciatis, quorum crimen eſt adeò notorium, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, juxta text. in *cap. Tua nos, & cap. fin. de cohabit. clericor. & mulier.* Ergo hac in parte Conſtitutio Lateranenſis tanquam poſterior derogavit contrariæ Conſtantienſi, licèt illius nullam fecerit mentionem, ut eſt text. in *cap. 1.* ubi id notant gloſ. Archid. Joan. Mon. Joan. Andr. Gemin. & reliqui omnes *de Conſtitut. lib. 6.* Et de Conſtitutionibus conciliaribus, quæ invicem adverſantur, tradunt Turrecrem. & Præpoſ. in *cap. Domino Sancto, 50. diſtin.* & dixi in *cap. Nonnulli, de reſcript.* Et pro hac ſententia allegari poſſunt Abb. Piſanella, Felin. Sylveſt. Navarr. & Covarr. citati ſuprà *num. 41. & 44.* Hi enim authores, cùm in terminis Conſtitutionis Baſileenſis teneant notoriè excommunicatos eſſe vitandos, etiamſi non fuerint ſpecialiter denuntiati; utique exiſtimandi ſunt idem ſentire in terminis Conſtitutionis Lateranenſis, quæ de verbo ad verbum concordat cum Baſileenſi. Et quamvis Sylveſt. & Navarr. poſteà ſe retractaverint; id tamen fecerunt, quia ex teſtimonio Turrecrem. intellexerunt acta Concilii Baſileenſis fuiſſe invalida, ut dictum eſt ſuprà *num. 49.* Quo fundamento ceſſante, prout ceſſat in Conſtitutione Concilii Lateranenſis, quæ eſt eadem cum Baſileenſi; judicandi ſunt
in priori ſententia perſiſtere. Atque hinc ſequitur ut Vula- 57
dicæ, & Popones Rutheni, quorum ſchiſma eſt adeò notorium, ut nulla poſſit tergiverſatione celari; hodie dicantur excommunicati non tolerati, ex prædicta Conſtitutione Concilii Lateranenſis, ad quam DD. noſtri non
videntur advertiſſe; ac ſubindè invalidæ ſint collationes 58
parochialium eccleſiarum; tum ex parte ipſius collatoris, ut de ſchiſmaticis eſt caſus hic, ubi irritæ decernuntur
collationes beneficiorum à ſchiſmaticis factæ: & de colla- 59
tore excommunicato ex text. in *cap. un. Ne ſed. vacan. lib. 6.* ubi id notant gloſſ. *in verb. Maioris*, Geminian. & An-
charan. *num. 2.* Franc. itidem *num. 2.* ubi rationem reddit 60
quia patificatur Prælatus naturaliter mortuus, & excommunicatus: & de excommunicato non tolerato, qualis eſt notorius, aut etiam publicus declarant Imol. in *cap. Veritatis, num. 17. de dol. & contum.* Abb. in *cap. Si vero numer. 9. de ſent. excomm.* & Socin. in *cap. Sacris, num. 88. eod. tit.* tum ex parte collatoris, ſeu proviſi; collatio enim beneficii facta ſchiſmatico, ſeu hæretico eſt ipſo jure nulla, ex *cap. 2. de hæret. lib. 6.* quemadmodum & facta excommunicato, *cap. Poſtulaſtis, de cler. excomm. miniſt.* & patebit in tertio prox. fundamento: & ſucceſſivè irrita ſunt matrimonia coram Poponibus celebrata, cùm non ſint veri contrahentium parochi, ut pro forma requiritur ex decreto dict. *cap. 1. verſ. Qui aliter quam præſente parocho, ſeſſ. 24. de reform. matrim.*

Neque obſtat, quod ex conſuetudine jam receptum ſit, 61
ut ad præſcriptum Conſtitutionis Conſtantienſis non habeantur pro excommunicatis non toleratis niſi nominatim denunciati; & notorii percuſſores Clericorum, ut teſtantur Soto, & Covarr. *locis citatis*, & alii Doctores paſſim.

Nam reſpondetur, hujuſmodi conſuetudinem adverſari antedictæ Conſtitutioni Concilii Lateranenſis, ut oſtenſum eſt ſuprà à *num. 53.* ac proinde non valere, ut in terminis alterius Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. etiam in materia ad Fidem non pertinente docet Hoſtienſ. in *cap. Cum laicis, num. 11. de reb. Eccleſ. non alienan.* ubi ait illud eſſe Concilium generale, quod eſt obſervandum ſicut Euangelium, *cap. Sicut, 15. diſtinct.* ergo non valet contraria conſuetudo, *cap. fin. de conſuet. & cap. fin. de præſcript.* & Hoſtienſem totidem verbis referunt, & ſequuntur ibi Jo. Andr. *num. 3. in fin. verſ. Hoc enim eſt Concilium generale ſervandum ut Euangelium:* ergo non valet conſuetudo contrarii: & Card. *num. 7. verſ. Hoc enim eſt Concilium*, Bald. *in tit. de pace Conſtan. col. 4. in ver. Mos Romanorum, ſub num. 22. in fin.* Jaſ. *in l. De quibus, col. 13. num. 54. verſ. Addo quod eodem modo nihil valet conſuetudo aliquid introducens contra Concilia generalia, ff. de leg.* & Roccbus de Curt. *in tract. de conſuet. num. 546. verſ. Secundo limita:* quorum ſententiam meo tempore ſecuta eſt S. Congregatio Concilii in cauſa Mediolanen. privilegii fori, ut dixi in dict. *cap. Cum laicis.*

Prætereà participatio in divinis cum excommunicatis 62
non toleratis, quales ex prædicta Conſtitutione Lateranenſi ſunt omnes notoriè excommunicati, eſt culpa mortalis, ut eſt textus in *cap. Sacris, ſupra de his, quæ vi, metuſve cauſ.* Ubi Innocentius III. decidit eum, qui per metum inducitur ad communicandum cum excommunicato in-

incidere in excommunicationem; & ſubvertit rationem, quia licèt metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorſus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari: ad idem textus in *cap. Rogo*, 11. *quæſt.* 3. ibi: *Ne cuiquam ſacerdoti ſupraſcripto Maximo communicanti contra animam ſuam quiſquam veſtrum communicare præſumat:* ubi gloſ. poſt Hug. exponit verbum illud, *communicanti*, id eſt in ſacris, concordat text. in *cap. Exceptionem*, ibi, *in periculum animæ*, *de except.* & quamvis valdè ſit controverſum inter Doctores, an participatio extra divina ſit venialis, quod fusè examinat Archidiac. in dict. *cap. Rogo*, & Joan. Andr. in dict. *cap. Sacris*; tamen in divinis conſentiunt omnes eſſe mortalem, ut poſt D. Thomam, quem citant, concludunt Archid. & Joan. Andr. cum quibus tranſeunt communiter DD. *locis citatis*, &
63 Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 29. *&* 30. Quod cùm convincitur ex eo, quod ſic communicantes excommunicantur majori excommunicatione, *cap. Significavit*, *de ſent. excomm.* gloſſ. in *cap. Statuimus*, *in verb. Conſtitutionibus*, *eod. tit. in* 6. major autem excommunicatio non infligitur niſi pro peccato mortali, *cap. Nemo Epiſcoporum*, 11. q. 3. ſecundùm Archid. & Jo. Andr. *ubi ſupra*.

64 Quinimò non deſunt Theologi, qui putent eſſe culpam lethalem communicare in ſacris cum hæreticis, & excommunicatis etiam toleratis, prout in terminis Conſtitutionis Conſtantienſis, *Ad evitanda*, de communicantibus cum excommunicatis non denunciatis, nec notoriis Clericorum percuſſoribus cenſet ex recentioribus, Suarez *in* 3. *par. quæſt.* 65. *art.* 4. *diſput.* 18. *ſect.* 1. *col.* 5. *littera B.* [Quia, inquit, quamvis ex ratione excommunicationis ſolùm aſtringantur fideles vitare excommunicatum denunciatum, aut notorium Clericorum percuſſorem; ac proinde ab aliis excommunicatis interdicatur illis recipere ſacramenta. At ex vi legis charitatis de vitando ſcandalo, & generalis obligationis non cooperandi ad peccatum alterius, obligantur fideles ad non petendum, neque recipiendum ſacramenta à miniſtro quomodocumque excommunicato eo quod ille peccat miniſtrando. Neque hæc obligatio cùm naturalis ſit, potuit per decretum Concilii Conſtantienſis auferri: & quamvis in hoc articulo alii aliter ſentiant, ut Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 9. *num.* 7. *& ſeqq.* tamen extra controverſiam eſt, ſemota Conſtitutione Conſtantienſi, eſſe mortalem culpam communi-
65 care in ſacris cum notoriè excommunicatis. Ergo conſuetudo contraria non valet, quia eſt irrationabilis, & nutritiva peccati, *cap. fin. de conſuet. cap. Flagitia*, 32. *quæſt.* 7. Joan. Andr. in *cap. Extirpanda*, *in verb. Conſuetudine*, *de preben.* Feder. de Sen. *conſ.* 275. *Caſus talis eſt in ſtatuto*, *in princip.* Calder. *conſ.* 42. *de conſuet.* Cùm enim tanto ſint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, nemo ſanæ mentis intelligit, juri, cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit, quacumque conſuetudine, quæ dicenda eſt potiùs corruptela, poſſe aliquatenus derogari; ut legitur in eodem *cap. fin.*

Accedit, quod cùm hæc communicatio in divinis annexam habeat excommunicationem majorem, ut proximè dictum eſt; etiam ex hoc capite non poteſt validè introduci contraria conſuetudo, quia contrafacientes ſtatim incidunt in pœnam, & in factum damnatum, *cap. Audivimus*, 24. *quæſt.* 1. Hoſt. *in cap.* 1. *num.* 6. *verſ. Sed quæritur an Prælati ſupra de tregua*, *& pace*, Alphonſ. à Caſtro *de pot. legis pœnal. lib.* 2. *cap.* 12. *poſt primam concluſionem*.

Concluditur ergo ex decreto Concilii Lateranenſis Ruthenos tamquam notoriè ſchiſmaticos eſſe excommunicatos non toleratos, non obſtante Conſtitutione Conſtantienſi, & contraria conſuetudine; ac propterea nullas eſſe collationes parochialium ab eis factas activè, & paſſivè, & conſequenter irrita eſſe matrimonia coram Popis celebrata. Cogitandum eſt tamen an prædicta Conſtitutio Lateranenſis cùm reperiatur inſerta in concordatis inter Leonem X. & Franciſcum I. habeat locum, & ſervanda ſit extra Regnum Franciæ; generaliter enim tenendum eſſe videtur adnotatum in *cap. penultim. in marg.* ad gloſſ. 2. *de cler. excomm. miniſtr.*

66 Secundum fundamentum nullitatis matrimonii deducitur ab Extravaganti Pauli IV. *Cum ex Apoſtolatus*, edita 15. Kalend. Martii 1559. in qua ſtatuitur ut hæretici, & ſchiſmatici ultra ſententias, & pœnas à variis Pontificibus inflictas ſint ipſo jure privati omnibus Eccleſiis etiam Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus, ac quibuſcumque dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis.

Quæ quidem Conſtitutio ad incurrendam ſupradictam 67
pœnam privationis, non requirit ut hæretici, vel ſchiſmatici ſint publicè, & nominatim denunciati: & in hoc videntur addere Decretal. Innocentii III. in *cap. Excommunicamus*, §. *Credentes*, *de hæret.* nec loquitur tantummodo de confeſſis, vel convictis, ſicut loquitur *cap. Ad abolendam*, *eodem tit.* ſed etiam de deprehenſis in crimine hæreſis, vel ſchiſmatis. Quinimò in §. *Adiicientes*, diſponit ut: *Si ullo unquam tempore apparuerit aliquem Epiſcopum etiam pro Archiepiſcopo, Patriarcha, vel Primate ſe gerentem ante eius promotionem à fide Catholica deviaſſe, aut in aliquam hæreſim incidiſſe, ſeu ſchiſma incurriſſe; promotio de eo facta irrita, atque inanis exiſtat, nec convaleſcat per ſuſceptionem muneris, conſecrationis, aut ſubſecutam regiminis, & adminiſtrationis profeſſionem, vel cuiuſvis temporis curſum, nec pro legitima in aliqua ſui parte habeatur, nullamque talibus in Epiſcopos, ſeu Archiepiſcopos, vel Patriarchas, aut Primates promotis in ſpiritualibus, vel temporalibus adminiſtrandi facultatem tribuere cenſeatur, ſed omnia, & ſingula per eos quomodolibet geſta, & adminiſtrata, ac inde ſequuta quæcumque viribus careant, & nullam prorſus firmitatem, nec ius alicui tribuant, ſintque ipſi ſic promoti eo ipſo abſque alia deſuper declaratione facienda omni dignitate, loco, titulo, honore, officio, authoritate, & poteſtate privati.*

Quo loco ponderandum eſt illud verbum, *apparuerit*, 68
quod propriè verificatur in Græcis noſtri temporis, quorum hæreſis, & ſchiſma notorium eſt, *cap. Tua nos*, *& cap. fin. de cohabit. Cleric. & mulier.* cum præſertim etiam ex præſumptionibus aliquid dicatur apparere, ut eſt text. in *cap. Scribam. de præſumpt.* Similiter ponderanda ſunt illa verba, *abſque alia declaratione:* nam etſi verba hæc regulariter non excludant declaratoriam ſuper facto, *cap. Cum ſecundum*, *de hæret. in* 6. *l. Eius qui delatorem*, ubi Bart. *ff. de iure fiſci*, Anchar. in *Clem.* 1. *in* 6. *notab. de pœnis:* tamen nec declaratoria facti requiritur ubi crimen eſt notorium, *cap. Pervenit*, & ibi Abb. *de appel.* Innoc. in *cap. In Lateranenſi*, *num.* 1. *verſ. Niſi forte eſſet notoria horum participatio*, *de preb.* cum quo tranſeunt ibi communiter DD. Felin. in *cap. Rudolphus*, *nu.* 37. *verſ. Limita primo*, *& nu.* 39. *verſ. Salva veritate*, *de reſcr.* hæc enim tria æquiparantur, judicis denunciatio, propria confeſſio, & rei evidentia, ut eſt caſus in dict. *cap. fin. de cohabit. Cleric. & mulier.* & eo magis, quia prædicta Conſtitutio Pauli IV. in §. *Et inſuper*, utitur illis verbis: *eo ipſo abſque aliquo iuris, aut facti miniſterio.* Denique expendenda ſunt verba, *nullam prorſus firmitatem*, *nec ius alicui tribuant:* quæ clarè oſtendunt proviſiones hujuſmodi eſſe nullas non ſolùm in favorem ſchiſmaticorum, ſed etiam Catholicorum.

Ac propterea Pius V. in Conſtitutione incip. *Cum ex* 69
Apoſtolatus, edita 6. Kalen. Februarii 1567. reſervavit Sedi Apoſtolicæ beneficia propter hæreſim vacantia, declaravitque illa non comprehendi in impetrationibus, in quibus modus vacationis propter crimen hæreſis non ſit
expreſſus. Et ſubinde Gregorius XIII. in Conſtitutione, 70
In Eccleſiis, edita Idibus Novembris 1580. decrevit diſpoſitiones beneficiorum factas Apoſtolica, vel ordinaria auctoritate, in perſonam hæreticorum, aut ab eis deſcendentium vires, & effectum non habere, & beneficia hujuſmodi ut prius vacare, & ſub priori affectione, vel reſervatione manere, & alia nondum reſervata, neque effecta ad novam Romani Pontificis diſpoſitionem tantum pertinere, eaque ab aliis idoneis ab ipſa Sede dumtaxat li-
berè impetrari poſſe. Quamobrem etſi Concilium Con- 71
ſtantienſe habilitaſſet ſchiſmaticos ad beneficia conferenda, vel obtinenda, & illius diſpoſitio ſublata non eſſet ex Concilio Lateranenſi, tamen cùm in hoc contrarium decernant Paulus IV. Pius V. & Gregorius XIII. ſtandum erit illorum Extravagantibus tanquam poſterioribus. Ad hoc enim ut Conſtitutio poſterior tollat priorem Concilia rem non eſt opus ut ſpecialiter deroget Concilio generali, quia hæc derogatio requiritur tantùm in privilegiis, & litteris gratiæ,

Digitized by Google

gratiæ, juxta textum in *cap. Ex parte, de Capell. Monach. & cap. Eam te, de ætat. & qualit.* non autem in Conſtitutionibus, quæ fiunt per modum legis univerſalis, ut eſt caſus in *cap.* 1. ubi gloſſ. Archid. & omnes notant *de Conſtit. in* 6. & dixi latè in *cap. Nonnulli, num.* 29. *ſupra eod. ſcript.*

72 Ultimum fundamentum nullitatis matrimonii eſt, quia etſi Conſtitutio Conſtantienſis remaneret in ſuo robore, nec ſublata eſſet per poſteriores Conſtitutiones; tamen lata fuit ad vitanda ſcandala, & conſulendum timoratis conſcientiis eorum, qui cum excommunicatis communicabant. Hi enim ſi ſint Catholici ex dicta Conſtitutione, ſacramenta, & beneficiorum collationes validè recipiunt ab excommunicatis toleratis. Verùm per hoc nullum jus ipſis excommunicatis tribuitur, ut ibi declaratur in fine in hæc verba: *Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.* Quæ clauſula poſteà fuit ad litteram repetita tam in Concilio Baſileenſi, & Moguntino, quàm in Lateranenſi. Ergo quantum pertinet ad ipſos excommunicatos, & illorum favorem, cùm teneantur abſtinere ab his, quæ excommunicatis à Sacris Canonibus ſunt interdicta, ut in terminis prædictæ Conſtitutionis poſt S. Antonin. quem citat, tradit Sylveſt. *excomm.* 5. *num.* 8. *verſ. Sed hoc non habetur ex textu*, Covarr. in *cap. Alma mater, par.* 1. §. 2. *num.* 11. Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 35. *verſ. Nota ſecundo:* hinc ſequitur ut proviſiones Parochialium Eccleſiarum tam activæ, quàm paſſivæ nullam habeant roboris firmitatem: nam cùm excommunicati etiam non denunciati in nullo juventur, ex prædicta Conſtitutione utique ſubjiciuntur per
73 omnia diſpoſitioni juris communis. De jure communi autem collatio beneficii facta excommunicato, quales ſunt hodie omnes ſchiſmatici ſaltem ex Bulla Cœnæ Domini; irrita eſt ipſo jure, & eſt caſus in *cap. Poſtulaſti*, ut oſtenſum eſt ſupra *in* 4. *not. de cler. excomm. miniſtr.* ubi Innoc. III. [Cùm, inquit, excommunicatus communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt nec illi valent ea licitè retinere.] Ad idem text. in *cap. Poſt ceſſionem, de probat.* & tradunt DD. utrobique, & Selva *de benef.* 3. *par. quæſt.* 4. & Caputaq. *deciſ.* 305. *par.* 2. *num.* 6. & 10.
74 idque procedit non modò ante denunciationem, ut probatur in dict. *cap. Poſtulaſti*, juncto *cap. Cùm non ab homi-*
75 *ne, de ſent. excomm.* ſed etiamſi excommunicatio ſit occulta: adeò ut nec in foro conſcientiæ, beneficium excommunicato collatum poſſit ab ipſo retineri, ut patet ex littera dict. *cap. Poſtulaſti*, ibi, *nec illi valent ea licitè retinere:* ubi id not. Rebuff. in gloſſ. *in verb. Retinere, num.*
76 61. Ac proptereà in litteris Apoſtolicis proviſionum ad validandam gratiam in favorem excommunicati non denunciati ex ſtylo apponi ſolet clauſula abſolutionis à cenſuris ad effectum gratiæ duntaxat conſequendum per illa verba: *Teque à quibuſvis, &c.* ut per Felin. in *cap. Apoſtolica, in princip. de except.* Staphil. *de litteris gratiæ, tit. de vi, & effect. clauſularum*, §. 1. *à num.* 7. Boer. *deciſ.* 290. Rebuff. *in praxi in forma, & declaratione novæ proviſionis, in verb. Teque abſolventes*, & in concord. in forma mandati Apoſtolici, *verb. Quovis occaſione*, Mandoſ. *de Signatura gratiæ, tit. de proviſion. verſ. Clauſula.* Et cum abſolutione Navarr. in *cap. Ita quorumdam, de Judæis, in* 11. *notab. & in Manual. cap.* 27. *num.* 22. *verſ. Decimotertio, annullat reſcripta.* Ratio hujus concluſionis eſt, quia in his quæ non geruntur ratione publici officii, ſicuti eſt beneficium obtinere, nulla eſt differentia inter excommunicatum publicum, & occultum, Abb. in *cap. Ad probandum, num.* 12. & 13. *de re judic.* & latiùs patebit in-
77 fra in 2. reſponſione ad quartam oppoſit. *nu.* 137. Similiter collatio beneficii facta hæretico, quales eſſe ſchiſmaticos noſtri temporis oſtenſum eſt ſupra *num.* 16. eſt ipſo jure nulla ex Decretal. Alexandri V. in *cap.* 2. §. *Hæretici, de hæret. lib.* 6. ibi: *Ad nullum eccleſiaſticum beneficium admittantur; quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.* Unde hæreticos hujuſmodi eſſe irregulares, & inhabiles ad beneficia obtinenda ſcripſit Specul. *tit. de diſpenſat.* §. *Juxta, num.* 16. *verſ. Dicens quod eſt irregularis hæreticus*, & ſequuntur Felin. in *cap. Eam te, de reſcr. num.* 12. *in* 1. *limitat.* Lambert. *de jurepatr. in* 1. *par. lib.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 4. *num.* 26. Mandoſ. *de Signatura gratiæ, tit. de abſolutione ab hæreſi, in princ.* Majolus *de irregular. lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 1. & 2. Navarr. *in Man. cap.* 27. *nu.* 205. *verſ. Tertio dico*, per text. in *cap. Si quis omnem*, 1. *quæſt.* 7. & d. §. *Hæretici.* Ad idem text. in *cap. Nos conſuetudinem*, 12. *diſtinct.* ibi: *Exceptis iis, qui ex Donatiſtis ad Epiſcopatum pervenient, quos provehi ad Primatus dignitatem modis omnibus prohibemus*, & ibi gloſ. *fin. & in cap. Quia diligentia, de elect.* ubi ſi ſchiſmaticus ad unionem Eccleſiæ reverſus eligitur in Epiſcopum, electio non tenet: & quamvis nonnulli contradicant in hæretico occulto, & ad fidem converſo, ut apud Sayrum *de cenſur. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 16. tamen ubi crimen eſt publicum, & multo magis ubi eſt notorium, & ante emendationem, ut hoc caſu; omnes conveniunt hæreticos eſſe irregulares, & inhabiles ad beneficia, juxta text. in dict. §. *Hæretici*, & quidem ea inhabilitate, quæ non ſolùm titulum, ſed etiam poſſeſſionem inficit, ac nudam detentionem, *cap. Quo jure*, & ibi gloſſ. & Turrecrem. 8. *diſtin.* Gomeſ. *in reg. de Annali, quæſt.* 51. *verſ. Limitatur tamen.* Propterea 78
nullitas collationis ſurgit hoc caſu etiam ex defectu poteſtatis collatoris, qui Epiſcopi excommunicati, quales ſunt Rutheni per *cap. Excommunicamus*, 1. & 2. & *cap. Ad abolendam, de hæret.* & Bullam Cœnæ Domini, ut latiùs dictum eſt ſupra *in* 4 *notab.* etiam ante denunciationem ſunt deſtituti omni prorſus facultate beneficia conferendi, ut dixit Rota coram Cæſare de Graſſ. *deciſ.* 191. *num.* 12. & *num.* 20. & eſt text. in *cap. Unico*, & ibi Doctores, *ne ſede vacan. lib.* 6. Et proptereà in cauſa Aſſiſien. Canonicatus 25. Junii 1599. coram Gypſio fuit reſolutum collationem factam ab Epiſcopo ſuſpenſo, à collatione beneficiorum ex eo, quod beneficium vacans per reſignationem contulit conſanguineo reſignantis, ex Conſtitutione 58. Pii V. eſſe nullam, & ſic eſſe juſtificatam gratiam illius, qui impetravit dictum Canonicatum ab Epiſcopo collatum, narrando illum eſſe ſuſpenſum à collatione, qui tamen non erat ſuſpenſus denunciatus, ut refert Garzia *de benef. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 326. Quinimò id procedere 79
etiam in occultè excommunicato cenſuit Rota *in recentior. deciſ.* 534. *numer.* 2. *part.* 1. Et quamvis hoc non tranſeat abſque difficultate, per ea quæ dicentur infra *num.* 126. & *ſeqq.* tamen ubi excommunicatio eſt non ſolùm publica, ſed etiam notoria, ut in caſu præſenti, extra controverſiam eſt collationem eſſe nullam, Anchar. in *cap. Nihil, quæſt.* 4. *in fin. de elect.* & eodem modo irrita eſt collatio facta ab Epiſcopo ſchiſmatico, ut eſt textus hic, & in *c. fin. infra eod.* Si igitur de jure communi invalidæ ſunt colla- 80
tiones beneficiorum tam ex defectu poteſtatis collatorum, quàm ex inhabilitate obtinentium propter notorium vitium ſchiſmatis, & excommunicationis; & Epiſcopi, & ſacerdotes Rutheni tamquam notoriè ſchiſmatici, & excommunicati in nihilo relevantur ex Conſtitutione edita Conſtantiæ: manifeſtè hinc apparet non valere matrimonia contracta coram Popis Ruthenis. Irritum enim eſt matrimonium celebratum coram Parocho palam intruſo, ac titulum non habente, ut poſt Concilium Tridentinum cenſent Henriquez *de matrim. lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 4. Manuel. *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 219. *num.* 8. *in ſecunda edit.* & poſt eum Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſput.* 22. *num.* 60. & alii recentiores.

Nec refert, quòd valeat matrimonium contractum 81
coram Parocho excommunicato etiam denunciato, ut reſpondit Sacra Congregatio Concilii tempore Cardinalis Mathæi re diligenter examinata: Quia id procedit in excommunicato, qui aliàs ſit verus Parochus. Ita enim colligitur ex votis Cardinalium, qui unanimes dixerunt excommunicatum non deſinere eſſe Parochum, quia retinet beneficia priùs obtenta, licèt non poſſit acquirere de novo, *cap. Cum bona memoria, de ætat. & qualit.* & dict. *cap. Poſtulaſtis, de cler. excomm. miniſtr.* Sed Popones cùm ob præcedentem excommunicationem, & ſchiſma fuerint beneficiorum incapaces, dici non poſſunt veri Parochi Ruthenorum. Ac propterea videtur reſponden- 82
dum non valere matrimonia coram eis contracta adinſtar alterius deciſionis Sacræ Congregationis, qua declaratum fuit nullum eſſe matrimonium contractum coram Parocho publico hæretico, ſi decretum Concilii de reformat. *matrimon. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. Publicatum fuerat in Parochia, & lapſi erant triginta dies à die publicationis.

Sed

incidere in excommunicationem; & ſubvertit rationem, quia licèt metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorſus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari: ad idem textus in *cap. Roge*, 11. *queſt.* 3. ibi: *Ne cuiquam ſacerdotes ſuprascriptæ Maximo communicanti contra animam ſuam quiſquam veſtrum communicare præſumat*: ubi gloſ. poſt Hug. exponit verbum illud, *communicanti*, id eſt in ſacris, concordat text. in *cap. Exceptionem*, ibi, *in periculum animæ*, *de except.* & quamvis valdè ſit controverſum inter Doctores, an participatio extra divina ſit venialis, quod fusè examinat Archidiac. in dict. *cap. Roge*, & Joan. Andr. in dict. *cap. Sacris*; tamen in divinis conſentiunt omnes eſſe mortalem, ut poſt D. Thomam, quem citant, concludunt Archid. & Joan. Andr. cum quibus tranſeunt communiter DD. *locis citatis*, &
63 Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 29. & 30. Quod cùm convincitur ex eo, quod ſic communicantes excommunicantur majori excommunicatione, *cap. Significavit*, *de ſent. excomm.* gloſſ. in *cap. Statuimus*, *in verb. Conſtitutionibus*, *eod. tit. in* 6. major autem excommunicatio non infligitur niſi pro peccato mortali, *cap. Nemo Epiſcoporum*, 11. q. 3. ſecundùm Archid. & Jo. Andr. *ubi ſupra*.

64 Quinimò non deſunt Theologi, qui putent eſſe culpam lethalem communicare in ſacris cum hæreticis, & excommunicatis etiam toleratis, prout in terminis Conſtitutionis Conſtantienſis, *Ad evitanda*, de communicantibus cum excommunicatis non denunciatis, nec notoriis Clericorum percuſſoribus cenſet ex recentioribus, Suarez *in* 3. *par. queſt.* 65. *art.* 4. *diſput.* 18. *ſect.* 1. *col.* 5. *littera B.* [Quia, inquit, quamvis ex ratione excommunicationis ſolùm aſtringantur fideles vitare excommunicatum denunciatum, aut notorium Clericorum percuſſorem; ac proinde ab aliis excommunicatis interdicatur illis recipere ſacramenta. At ex vi legis charitatis de vitando ſcandalo, & generalis obligationis non cooperandi ad peccatum alterius, obligantur fideles ad non petendum, neque recipiendum ſacramenta à miniſtro quomodocumque excommunicato eo quod ille peccat miniſtrando. Neque hæc obligatio cùm naturalis ſit, potuit per decretum Concilii Conſtantienſis auferri: & quamvis in hoc articulo alii aliter ſentiant, ut Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 9. *num.* 7. & *ſeqq.* tamen extra controverſiam eſt, ſemota Conſtitutione Conſtantienſi, eſſe mortalem culpam communi-
65 care in ſacris cum notoriè excommunicatis. Ergo conſuetudo contraria non valet, quia eſt irrationabilis, & nutritiva peccati, *cap. fin. de conſuet.* *cap. Flagitia*, 32. *queſt.* 7. Joan. Andr. in *cap. Extirpanda*, *in verb. Conſuetudine*, *de preben.* Feder. de Sen. *conſ.* 275. *Caſus talis eſt in ſtatute*, *in princip.* Calder. *conſ.* 42. *de conſuet.* Cùm enim tanto ſint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, nemo ſanæ mentis intelligit, juri, cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit, quacumque conſuetudine, quæ dicenda eſt potiùs corruptela, poſſe aliquatenus derogari; ut legitur in eodem *cap. fin.*

Accedit, quod cùm hæc communicatio in divinis annexam habeat excommunicationem majorem, ut proximè dictum eſt; etiam ex hoc capite non poteſt validè introduci contraria conſuetudo, quia contrafacientes ſtatim incidunt in pœnam, & in factum damnatum, *cap. Audivimus*, 24. *queſt.* 1. Hoſt. *in cap.* 1. *num.* 6. *verſ. Sed quæritur an Prælati ſupra de tregua*, & *pace*, Alphonſ. à Caſtro *de pot. legis pœnal. lib.* 2. *cap.* 12. *poſt primam concluſionem*.

Concluditur ergo ex decreto Concilii Lateranenſis Ruthenos tamquam notoriè ſchiſmaticos eſſe excommunicatos non toleratos, non obſtante Conſtitutione Conſtantienſi, & contraria conſuetudine; ac propterea nullas eſſe collationes parochialium ab eis factas activè, & paſſivè, & conſequenter irrita eſſe matrimonia coram Popis celebrata. Cogitandum eſt tamen an prædicta Conſtitutio Lateranenſis cùm reperiatur inſerta in concordatis inter Leonem X. & Franciſcum I. habeat locum, & ſervanda ſit extra Regnum Franciæ; generaliter enim tenendum eſſe videtur adnotatum in *cap. penultim. in marg.* ad gloſſ. a. *de cler. excomm. miniſtr.*

66 Secundum fundamentum nullitatis matrimonii deducitur ab Extravaganti Pauli IV. *Cum ex Apoſtolatus*, edita 15. Kalend. Martii 1559. in qua ſtatuitur ut hæretici, & ſchiſmatici ultra ſententias, & pœnas à variis Pontificibus inflictas ſint ipſo jure privati omnibus Eccleſiis etiam Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus, ac quibuſcumque dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis.

Quæ quidem Conſtitutio ad incurrendam ſupradictam 67
pœnam privationis, non requirit ut hæretici, vel ſchiſmatici ſint publicè, & nominatim denunciati: & in hoc videntur addere Decretal. Innocentii III. in *cap. Excommunicamus*, §. *Credentes*, *de heret.* nec loquitur tantummodo de confeſſis, vel convictis, ſicut loquitur *cap. Ad abolendam*, *eodem tit.* ſed etiam de deprehenſis in crimine hæreſis, vel ſchiſmatis. Quinimò in §. *Adiicientes*, diſponit ut: *Si ullo unquam tempore apparuerit aliquem Epiſcopum etiam pro Archiepiſcopo, Patriarcha, vel Primate ſe gerentem ante eius promotionem a fide Catholica deviaſſe, aut in aliquam hæreſim incidiſſe, ſeu ſchiſma incurriſſe; promotio de eo facta irrita, atque inanis exiſtat, nec convaleſcat per ſuſceptionem muneris, conſecrationis, aut ſubſecutam regiminis, & adminiſtrationis profeſſionem, vel cuiuſvis temporis curſum, nec pro legitima in aliqua ſui parte habeatur, nullamque talibus in Epiſcopos, ſeu Archiepiſcopos, vel Patriarchas, aut Primates promotis in ſpiritualibus, vel temporalibus adminiſtrandi facultatem tribuere cenſeatur, ſed omnia, & ſingula per eos quomodolibet geſta, & adminiſtrata, ac inde ſequuta quacumque viribus careant, & nullam prorſus firmitatem, nec ius alicui tribuant, ſintque ipſi ſic promoti eo ipſo abſque alia deſuper declaratione facienda omni dignitate, loco, titulo, honore, officio, authoritate, & poteſtate privati.*

Quo loco ponderandum eſt illud verbum, *apparuerit*, 68
quod propriè verificatur in Græcis noſtri temporis, quorum hæreſis, & ſchiſma notorium eſt, *cap. Tua nos*, & *cap. fin. de cohabit. Cleric. & mulier.* cùm præſertim etiam ex præſumptionibus aliquid dicatur apparere, ut eſt text. in *cap. Scribam. de præſumpt.* Similiter ponderanda ſunt illa verba, *abſque alia declaratione*: nam etſi verba hæc regulariter non excludant declaratoriam ſuper facto, *cap. Cum ſecundum*, *de heret. in* 6. *l. Eius qui delatorem*, ubi Bart. *ff. de iure fiſci*, Ancbar. in *Clem.* 1. *in* 6. *notab. de pœnis*: tamen nec declaratoria facti requiritur ubi crimen eſt notorium, *cap. Pervenit*, & ibi Abb. *de appel.* Innoc. in *cap. In Lateranenſi*, *num.* 1. *verſ. Niſi forte eſſet notoria horum participatio*, *de preb.* cum quo tranſeunt ibi communiter DD. Felin. in *cap. Rudolphus*, *nu.* 37. *verſ. Limita primo*, & *nu.* 39. *verſ. Salva veritate*, *de reſcr.* hæc enim tria æquiparantur, judicis denunciatio, propria confeſſio, & rei evidentia, ut eſt caſus in dict. *cap. fin. de cohabit. Cleric. & mulier.* & eo magis, quia prædicta Conſtitutio Pauli IV. in §. *Et inſuper*, utitur illis verbis: *eo ipſo abſque aliquo iuris, aut facti miniſterio*. Denique expendenda ſunt verba, *nullam prorſus firmitatem*, *nec ius alieni tribuant*: quæ clarè oſtendunt proviſiones hujuſmodi eſſe nullas non ſolùm in favorem ſchiſmaticorum, ſed etiam Catholicorum.

Ac propterea Pius V. in Conſtitutione incip. *Cum ex* 69
Apoſtolatus, edita 6. Kalen. Februarii 1567. reſervavit Sedi Apoſtolicæ beneficia propter hæreſim vacantia, declaravitque illa non comprehendi in impetrationibus, in quibus modus vacationis propter crimen hæreſis non ſit
expreſſus. Et ſubinde Gregorius XIII. in Conſtitutione, 70
In Eccleſiis, edita Idibus Novembris 1580. decrevit diſpoſitiones beneficiorum factas Apoſtolica, vel ordinaria auctoritate, in perſonam hæreticorum, aut ab eis deſcendentium vires, & effectum non habere, & beneficia hujuſmodi ut prius vacare, & ſub priori affectione, vel reſervatione manere, & alia nondum reſervata, neque effecta ad novam Romani Pontificis diſpoſitionem tantum pertinere, eaque ab aliis idoneis ab ipſa Sede dumtaxat li-
berè impetrari poſſe. Quamobrem eſto Concilium Con- 71
ſtantienſe habilitaſſet ſchiſmaticos ad beneficia conferenda, vel obtinenda, & illius diſpoſitio ſublata non eſſet ex Concilio Lateranenſi, tamen cùm in hoc contrarium decernant Paulus IV. Pius V. & Gregorius XIII. ſtandum erit illorum Extravagantibus tanquam poſterioribus. Ad hoc enim ut Conſtitutio poſterior tollat priorem Concilia rem non eſt opus ut ſpecialiter deroget Concilio generali, quia hæc derogatio requiritur tantùm in privilegiis, & litteris gratiæ,

Digitized by Google

gratiæ, juxta textum in cap. Ex parte, de Capell. Monach.
& cap. Eam te, de ætat. & qualit. non autem in Conſti-
tutionibus, quæ fiunt per modum legis univerſalis, ut
eſt caſus in cap. 1. ubi gloſſ. Archid. & omnes notant de
Conſtit. in 6. & dixi latè in cap. Nonnulli, num. 29. ſupra
de reſcript.
72 Ultimum fundamentum nullitatis matrimonii eſt, quia
etſi Conſtitutio Conſtantienſis remaneret in ſuo robore,
nec ſublata eſſet per poſteriores Conſtitutiones; tamen
lata fuit ad vitanda ſcandala, & conſulendum timoratis
conſcientiis eorum, qui cum excommunicatis communi-
cabant. Hi enim ſi ſint Catholici ex dicta Conſtitutione,
ſacramenta, & beneficiorum collationes validè recipiunt
ab excommunicatis toleratis. Verùm per hoc nullum jus
ipſis excommunicatis tribuitur, ut ibi declaratur in fine
in hæc verba: Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos,
ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendimus in ali-
quo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari. Quæ clauſu-
la poſteà fuit ad litteram repetita tam in Concilio Baſileen-
ſi, & Moguntino, quàm in Lateranenſi. Ergo quantum
pertinet ad ipſos excommunicatos, & illorum favorem,
cùm teneantur abſtinere ab his, quæ excommunicatis à
Sacris Canonibus ſunt interdicta, ut in terminis prædictæ
Conſtitutionis poſt S. Antonin. quem citat, tradit Sylveſt.
excomm. 5. num. 8. verſ. Sed hoc non habetur ex textu, Co-
varr. in cap. Alma mater, par. 1. §. 2. num. 11. Navarr. in
Manual. cap. 27. num. 35. verſ. Nota ſecundo: hinc ſequi-
tur ut proviſiones Parochialium Eccleſiarum tam activæ,
quàm paſſivæ nullam habeant roboris firmitatem: nam
cùm excommunicati etiam non denunciati in nullo juven-
tur, ex prædicta Conſtitutione utique ſubjiciuntur per
73 omnia diſpoſitioni juris communis. De jure communi au-
tem collatio beneficii facta excommunicato, quales ſunt
hodie omnes ſchiſmatici ſaltem ex Bulla Cœnæ Domini;
irrita eſt ipſo jure, & eſt caſus in cap. Poſtulaſti, ut oſten-
ſum eſt ſupra in 4. not. de cler. excomm. miniſtr. ubi Innoc.
III. [Cùm, inquit, excommunicatus communicari non
debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis ec-
cleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt nec illi valent ea
licitè retinere.] Ad idem text. in cap. Poſt ceſſionem, de
probat. & tradunt DD. utrobique, & Selva de benef. 3.
par. quæſt. 4. & Caputaq. deciſ. 305. par. 2. num. 6. & 10.
74 idque procedit non modò ante denunciationem, ut pro-
batur in dict. cap. Poſtulaſti, juncto cap. Cùm non ab homi-
75 ne, de ſent. excomm. ſed etiamſi excommunicatio ſit oc-
culta: adeò ut nec in foro conſcientiæ, beneficium ex-
communicato collatum poſſit ab ipſo retineri, ut patet ex
littera dict. cap. Poſtulaſti, ibi, nec illi valent ea licitè re-
tinere: ubi id not. Rebuff. in gloſſ. in verb. Retinere, num.
76 62. Ac propterea in litteris Apoſtolicis proviſionum ad va-
lidandam gratiam in favorem excommunicati non denun-
ciati ex ſtylo apponi ſolet clauſula abſolutionis à cenſuris
ad effectum gratiæ duntaxat conſequendum per illa ver-
ba: Teque à quibuſvis, &c. ut per Felin. in cap. Apoſtoli-
ca, in princip. de except. Staphil. de litteris gratiæ, tit. de
vi, & effect. clauſularum, §. 1. à num. 7. Boer. deciſ. 292.
Rebuff. in praxi in forma, & declaratione nova proviſionis,
in verb. Teque abſolventes, & in concord. in forma man-
dati Apoſtolici, verb. Quævis occaſione, Mandoſ. de Si-
gnatura gratiæ, tit. de proviſion. verſ. Clauſula. Et cum
abſolutione Navarr. in cap. Ita quorumdam, de Judæis, in
11. notab. & in Manual. cap. 27. num. 22. verſ. Decimo-
tertio, annullat reſcripta. Ratio hujus concluſionis eſt,
quia in his quæ non geruntur ratione publici officii, ſicuti
eſt beneficium obtinere, nulla eſt differentia inter excom-
municatum publicum, & occultum, Abb. in cap. Ad pro-
bandum, num. 12. & 13. de re judic. & latiùs patebit in-
77 fra in 2. reſponſione ad quartam oppoſit. nu. 137. Similiter
collatio beneficii facta hæretico, quales eſſe ſchiſmaticos
noſtri temporis oſtenſum eſt ſupra num. 16. eſt ipſo jure
nulla ex Decretal. Alexandri V. in cap. 2. §. Hæretici, de
hæret. lib. 6. ibi: Ad nullum eccleſiaſticum beneficium ad-
mittantur; quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum,
& inane. Unde hæreticos hujuſmodi eſſe irregulares, &
inhabiles ad beneficia obtinenda ſcripſit Specul. tit. de di-
ſpenſat. §. Juxta, num. 16. verſ. Dicens quod eſt irregula-
ris hæreticus, & ſequuntur Felin. in cap. Eam te, de reſcr.
num. 12. in 1. limitat. Lambert. de jurepatr. in 1. par. lib. 1.
quæſt. 7. art. 4. num. 25. Mandoſ. de Signatura gratiæ, tit.
de abſolutione ab hæreſi, in princ. Majolus de irregular. lib.
5. cap. 46. num. 1. & 2. Navarr. in Man. cap. 27. nu. 205.
verſ. Tertio dico, per text. in cap. Si quis omnem, 1. quæſt.
7. & d. §. Hæretici. Ad idem text. in cap. Nos conſuetudi-
nem, 12. diſtinct. ibi: Exceptis iis, qui ex Donatiſtis ad
Epiſcopatum perveniunt, quos provehi ad Primatus dignita-
tum modis omnibus prohibemus, & ibi gloſ. fin. & in cap.
Quia diligentia, de elect. ubi ſi ſchiſmaticus ad unionem
Eccleſiæ reverſus eligitur in Epiſcopum, electio non te-
net: & quamvis nonnulli contradicant in hæretico occul-
to, & ad fidem converſo, ut apud Sayrum de cenſur. lib.
7. cap. 12. num. 16. tamen ubi crimen eſt publicum, & mul-
to magis ubi eſt notorium, & ante emendationem, ut hoc
caſu; omnes conveniunt hæreticos eſſe irregulares, & in-
habiles ad beneficia, juxta text. in dict. §. Hæretici, & qui-
dem ea inhabilitate, quæ non ſolum titulum, ſed etiam
poſſeſſionem inficit, ac nudam detentionem; cap. Quo
jure, & ibi gloſſ. & Turrecrem. 8. diſtin. Gomeſ. in reg.
de Annali, quæſt. 51. verſ. Limitatur tamen. Propterea 78
nullitas collationis ſurgit hoc caſu etiam ex defectu poteſta-
tis collatoris, qui Epiſcopi excommunicati, quales ſunt
Rutheni per cap. Excommunicamus, 1. & 2. & cap. Ad
abolendam, de hæret. & Bullam Cœnæ Domini, ut latiùs
dictum eſt ſuprà in 4 notab. etiam ante denunciationem
ſunt deſtituti omni prorſus facultate beneficia conferendi,
ut dixit Rota coram Cæſare de Graſſ. deciſ. 191. num. 12.
& num. 20. & eſt text. in cap. Unico, & ibi Doctores, ne
ſede vacan. lib. 6. Et propterea in cauſa Aſſiſien. Canoni-
catus 25. Junii 1599. coram Gypſio fuit reſolutum colla-
tionem factam ab Epiſcopo ſuſpenſo, à collatione benefi-
ciorum ex eo, quod beneficium vacans per reſignationem
contulit conſanguineo reſignantis, ex Conſtitutione 58.
Pii V. eſſe nullam, & ſic eſſe juſtificatam gratiam illius,
qui impetravit dictum Canonicatum ab Epiſcopo colla-
tum, narrando illum eſſe ſuſpenſum à collatione, qui ta-
men non erat ſuſpenſus denunciatus, ut refert Garzia de
benef. par. 5. cap. 4. num. 326. Quinimò id procedere 79
etiam in occultè excommunicato cenſuit Rota in recentior.
deciſ. 534. numer. 2. part. 1. Et quamvis hoc non tranſeat
abſque difficultate, per ea quæ dicentur infra num. 126. &
ſeqq. tamen ubi excommunicatio eſt non ſolùm publica,
ſed etiam notoria, ut in caſu præſenti, extra controver-
ſiam eſt collationem eſſe nullam, Anchar. in cap. Nihil,
quæſt. 4. in fin. de elect. & eodem modo irrita eſt collatio fa-
cta ab Epiſcopo ſchiſmatico, ut eſt textus hic, & in c. fin.
infra eod. Si igitur de jure communi invalidæ ſunt colla- 80
tiones beneficiorum tam ex defectu poteſtatis collatorum,
quàm ex inhabilitate obtinentium propter notorium vi-
tium ſchiſmatis, & excommunicationis; & Epiſcopi, &
ſacerdotes Rutheni tamquam notoriè ſchiſmatici, & ex-
communicati in nihilo relevantur ex Conſtitutione edita
Conſtantiæ: manifeſtè hinc apparet non valere matrimo-
nia contracta coram Popis Ruthenis. Irritum enim eſt
matrimonium celebratum coram Parocho palam intruſo,
ac titulum non habente, ut poſt Concilium Tridentinum
cenſent Henriquez de matrim. lib. 11. cap. 3. num. 4. Ma-
nuel. in ſumm. tom. 1. cap. 219. num. 8. in ſecunda edit. &
poſt eum Sanchez de matrim. lib. 3. diſput. 22. num. 60. &
alii recentiores.

Nec refert, quòd valeat matrimonium contractum 81
coram Parocho excommunicato etiam denunciato, ut
reſpondit Sacra Congregatio Concilii tempore Cardinalis
Matthæi re diligenter examinata: Quia id procedit in ex-
communicato, qui aliàs ſit verus Parochus. Ita enim
colligitur ex votis Cardinalium, qui unanimes dixerunt
excommunicatum non deſinere eſſe Parochum, quia reti-
net beneficia priùs obtenta, licèt non poſſit acquirere
de novo, cap. Cum bona memoria, de ætat. & qualit. &
dict. cap. Poſtulaſtis, de cler. excomm. miniſtr. Sed Popo-
nes cùm ob præcedentem excommunicationem, & ſchiſ-
ma fuerint beneficiorum incapaces, dici non poſſunt veri
Parochi Ruthenorum. Ac propterea videtur reſponden- 82
dum non valere matrimonia coram eis contracta adinſtar
alterius deciſionis Sacræ Congregationis, qua declara-
tum fuit nullum eſſe matrimonium contractum coram
Parocho publico hæretico, ſi decretum Concilii de
reformat. matrimon. ſeſſ. 24. cap. 1. Publicatum fuerat
in Parochia, & lapſi erant triginta dies a die publi-
cationis.

Sed

Sed contra hoc tertium, & ultimum fundamentum multa, & gravia videntur urgere.

83 Opponitur enim primò, Conſtitutio Conſtantienſis, *Ad evitanda*, indulget Catholicis ut poſſint recipere Eccleſiaſtica Sacramenta, etiam ab hæreticis, & ſchiſmaticis non denunciatis ſecundùm Navarr. *conſ.* 10. *numer.* 2. *de hæreticis*, *& de orat. cap.* 22. *in nova impreſſ.* Gabriel. Sotum, Ledeſmam, & Henriq. citatus à Sayro *de cenſur. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. Sed ab hæreticis, ſeu ſchiſmaticis Catholici Sacramenta recipere non poſſunt, niſi illi habeant titulum canonicum Parochialis Eccleſiæ, cujus ratione Catholici ſunt eorum ſubditi, *cap. Eccleſias*, 13. *q.*
84 1. gloſſ. 2. in *cap. Nec numerus*, 10. *quæſt.* 3. Ergo ne indultum Catholicorum ſit inane, & eluſorium contra *cap. In his*, *de privil.* dicendum eſt hæreticos, & ſchiſmaticos fuiſſe effectos habiles etiam ad parochiales obtinendas, tamquam neceſſarium antecedens ad Sacramentorum adminiſtrationem, argum. *l. Illud*, *ff. de acquir. hered. l. Ad rem mobilem*, *& l. Ad legatum*, *ff. de procur. cap. Præterea*, *de off. Deleg. cum concord.* de quibus per gloſſ. *fin.*
85 *in cap.* 1. *eod. tit.* Generale eſt enim in omni materia, ut in conceſſione conſequentis includatur ſuum neceſſarium antecedens, Jaſ. & Curt. jun. in *l.* 2. *in princ. ff. de iuriſd. omn. indic.* ita ut etiam tacita diſpenſatio inducatur ſuper defectu quando alias gratia nulla eſſet, vel ex ea nulla utilitas perciperetur, Oldrad. *conſ.* 332. *num.* 8. *verſ. Item de unam*, & plura hac de re cumulant DD. in dict. *l.* 2. Et in terminis noſtris ita videtur tenere Gemin. *conſ.* 88. Innocent, *in princip. colum.* 1. *verſ. Nec obſtat ſi dicatur:* ubi dicit poſt Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis non poſſe objici hæreticis, vel ſchiſmaticis quod privati ſint ſuis dignitatibus, & beneficiis, quia per dictam Conſtitutionem præcluſa eſt via tale vitium objiciendi. Et quamvis hoc dicat in argumentis; tamen in fine illius *conſ. col. ult. ſub num.* 4. *verſ. Nec obſtat fundamentum*, in reſponſionibus ad objecta prædictam doctrinam non impugnat; quin potiùs videtur tacitè approbare.

86 Verùm huic objectioni reſpondetur prædictam Conſtitutionem, *Ad evitanda*; dum tribuit facultatem Catholicis recipiendi Sacramenta ab excommunicatis, in reliquis ſupponere terminos habiles reſpectu excommunicatorum, id eſt ſecluſa excommunicatione nullum aliud eis obſiſtere canonicum impedimentum, text. eſt in *cap. unic. de ætat. & qualit. in* 6. ubi indultum conceſſum Epiſcopis diſpenſandi cum majoribus viginti annis ad dignitates, & perſonatus curam animarum non habentes intelligitur ſi aliud non obſtet canonicum, id eſt, quia non ſunt illegitimi, non corpore vitiati, non bigami, nec criminoſi, ut ibi explicat gloſſ. *in verb. Canonicum*; ad idem text. in *cap.* 1. *de fil. Presbyt. eod. lib.* & generaliter tradunt Dec. in *cap. Cum omnes*, *in* 2. *lectura*, *num.* 2. *de Conſtitut.* Jaſ. in *l.* 2. *§. Prætor*, *numer.* 3. *ff. Qui ſatiſd. cogant.* Cravett. *conſ.* 307. *Statutum*, *num.* 2. Roland. à Valle *conſ.* 61. *numer.* 43. *& ſeq. lib.* 1. poſt Bart. in *l. Si tertius*, *in fin. ff. de aqu. pluv. arcen.* Et pluribus exemplis hanc regulam
87 confirmat Jaſ. in dict. *§. Prætor*, Quocirca Conſtit. Concilii Conſtantienſis, quoad ordinum collationem, & juriſdictionem ſupponit Epiſcopos excommunicatos non ſolùm eſſe ritè, & rectè conſecratos; & ſic habere poteſtatem ſacramentalem, ſed etiam habere titulum canonicum à Papa, qui ſolus poteſt promovere ad Epiſcopales, & Archiepiſcopales, & alias majores dignitates, *cap.* 2. *de præben. lib.* 6. *cap.* 1. 22. *diſtinct.* Geminian. dict. *conſ.* 88. *num.* 3. & ſic habere poteſtatem etiam juriſdictionalem ſecundùm diſtinctionem D. Thomæ in 2. 2. *quæſt.* 39. *artic.* 3.

88 Item ſupponit Epiſcopum eſſe Ordinarium eorum, quibus vult ordines conferre, cùm non liceat Ordines ſuſcipere niſi ab Epiſcopo originis, beneficii, vel domicilii,
89 *cap. Cum nullus*, *de temper. ordin. in* 6. Nam ſublato etiam vinculo excommunicationis, Epiſcopi non poſſunt non ſubditos ordinare, aut in eos juriſdictionem exercere, *cap.* 3. *de Paroch.* Unde benè Innocent. *hic numer.* 4. [Prælatus, inquit, intruſus non poteſt ſubditis, quibus per intruſionem datus eſt Prælatus, conferre ſacramenta, & conferendo non confert executionem, non quia ſit ſuſpenſus, ſed quia non ſuis ſubditis non poteſt executionem
90 conferre.] Similiter quòd Confeſſiones ſacramentales reſpectu Sacerdotum prædicta Conſtitutio ſupponit eos non ſolùm eſſe aliàs ritè, & rectè ordinatos, ſecundùm Navarr. dict. *conſ.* 10. *de hæret.* Sed etiam habere titulum canonicum Parochialis Eccleſiæ, vel licentiam proprii Sacerdotis juxta textum in *cap. Omnis*, *de pœnit. & remiſſ. & in cap.* 2. *eodem tit. lib.* 6. Hoc eſt Papæ, vel Epiſcopi diœceſani, aut Parochialis Presbyteri ut legitur, & notatur in Extravag. *Vas electionis*, *de hæret.* Eſt enim ſacramentalis abſolutio actus judicialis, qui in non ſubditum validè exerceri non poteſt, ut eſt diffinitum à Trident. Synodo *de Sacramento Pœnitentiæ ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de caſuum reſervat.* Sed & quoad Sacramenta Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ, aut Matrimonii ſupponit excommunicatos illa adminiſtrantes, aut eſſe Parochiales Presbyteros, aut habere ab alio ſpecialem licentiam, juxta textum in *Clem. Religioſi*, *de privil.* Et in ſumma hujuſmodi Conſtitutio hoc tantùm facit, id eſt habilitat Catholicos ad recipienda Sacramenta ab illis Sacerdotibus, qui ordinis executionem non habent propter excommunicationem, vel aliam prohibitionem Eccleſiæ, ut latiùs dicam infra in reſponſione ad ſecundam oppoſitionem. Et hoc ſolùm impedimentum auſert; canonicam verò inſtitutionem, ac cæteras habilitates non ſupplet, ſed ſupponit, ut ex prædictis patet.

Neque huic caſui applicatur doctrina in contrarium 91
adducta, quod inducta ſit rehabilitatio, & validatio titulorum tanquam neceſſarium antecedens. Quandoquidem hæc doctrina procedit tantùm quando indultum aliàs nihil prorſus operaretur; tunc enim Princeps cenſetur tacitè ſuper inhabilitate diſpenſare, nec alioquin videatur voluiſſe facere actum fruſtratorium. Secus autem eſt, quando gratia in aliqua parte poteſt operari effectum ſuum, quia tunc diſpenſatio non inducitur. Ita declarat Oldradus in contrarium allegatus in dict. *conſ.* 332. *num.* 8. Atque hoc ca- 92
ſu dict. Conſtitutio Concilii Conſtantienſis benè poteſt effectum ſuum ſortiri quoad Sacerdotes, qui ante excommunicationem in Parochialibus Eccleſiis fuerunt canonicè intitulati. Hi enim per excommunicationem poſtea incurſam beneficiis anteà canonicè obtentis non ſunt ipſo jure privati, *cap. Dilecti*, *de except.* Imò nec ſunt privandi per ſententiam, niſi per annum in excommunicatione inſorduerint, *cap. Rurſus*, 11. *quæſt.* 3. gloſſ. *fin. in cap. Cum bone*, *de ætat. & qualitat.* Hoc igitur caſu licebit Catholicis in vim dictæ Conſtitutionis ſuſcipere ſacramenta ab excommunicatis non denunciatis, quod ante Concilium Conſtantienſe non licebat, *cap. Significavit*, juncto *cap. Cum non ab homine*, *de ſent. excommunic.* Præterea in aliis etiam caſibus eadem Conſtitutio operari poteſt effectum ſuum, ut dicetur infra *a num.* 103. *uſque ad num.* 113. Unde nulla neceſſitas cogit inducendi tacitam diſpenſationem, aut revalidationem titulorum ut neceſſarium antecedens.

Nec advertatur authoritas Gemin. in contrarium citati 93
dict. *conſ.* 88. *col.* 1. *verſ. Nec obſtat ſi dicatur:* quia ipſe non loquitur de Conſtitutione *Ad evitanda*, de qua nunc agimus, ſed de alia Conſtitutione edita in Concilio Conſtantienſi, per quam revalidantur collationes, & tituli eorum, qui in Conciliabulo Piſano tamquam adhærentes Gregorio XIII. fuerunt depoſiti à ſuis dignitatibus, & damnati tamquam hæretici ad præſcriptum *cap. Excommunicamus*, *§. Credentes*, *de hæret.* Quo ſuppoſito, hæc Geminiani doctrina poteſt in oppoſitum retorqueri: nam idcircò in ſuo caſu contra validitatem titulorum non potuit objici vitium hæreſis, vel ſchiſmatis, qui à Concilio Conſtantienſi hujuſmodi defectus ſpecialiter ſanatus fuit mediante revalidatione titulorum: Ergo contrarium dicendum eſt in caſu præſenti; in quo Conſtitutio *Ad evitanda*, de titulorum defectu nullam facit mentionem.

Opponitur ſecundò; quamvis collatio dignitatum, & 94
Parochialium nulla ſit reſpectu Epiſcopi, & Sacerdotis ſchiſmatici, quia Conſtitutio *Ad evitanda*, non intendit relevare, neque juvare ſic excommunicatos, &c. Tamen videtur ſuſtineri poſſe quatenus concernit favorem Catholicorum: nam, ut inquit Sayrus *prealleg. de Cenſur. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 13. Excommunicati retinent juriſdictionem in utroque foro reſpectu non excommunicatorum privilegio alieno, non proprio. Quemadmodum videmus tempore interdicti quoſdam famulos frui privilegio domini pro divinis officiis, juxta textum in *cap. Licet*, *de privil.*

privil. in 6. Concubinam privilegio clerici, *cap. Eos qui, 32. diſtinct.* & generaliter non privilegiatum in individuis potiri privilegio conſortis; quod comprobat pluribus exemplis Felin. in *cap. 1. numer. 6. de præſcr.* & DD. in *l. Si communem, ff. Quemadmod. ſervit. amittat.* & dixi latè in *cap. Cum propter, ſupra de jurepatronat.* Ergo ſimiliter eſto beneficia, officia, & juriſdictiones collatæ hæreticis, & ſchiſmaticis ſint invalidæ; favore tamen Catholicorum non excommunicatorum in vim ejuſdem Conſtitutionis, videntur poſſe dici ſubſiſtere etiam quoad uſum; idque multò magis reſpectu Sacramenti Matrimonii, in quo Sacerdos ex ſententia S. Congregationis Concilii non intervenit tamquam miniſter, ut in aliis ſacramentis, ſed tamquam teſtis authorizabilis.

95 At reſpondetur Concilium Conſtantienſe habilitaſſe excommunicatos ad illam tantùm poteſtatem, & juriſdictionem in favorem non excommunicatorum exercendam, quàm prius habebant, ſed propter vinculum cenſuræ exercere non poterant: Schiſmatici enim, & excommunicati executionem habent ligatam nexibus juris, ut inquit hic Innocent. *num. 2.* Et hoc vinculum, & ligamentum dumtaxat Conſtantienſis Conſtitutio ſolvit habilitando Catholicos ad communicandum cum excommunicatis, etiam in adminiſtratione, & perceptione ſacramentorum; ſed novam poteſtatem, ſeu juriſdictionem intruſis non attribuit, nec dignitates aut beneficia de novo contulit. Et reverà cùm Sedes Apoſtolica ſecundùm venerabiles Sanctorum Patrum ſanctiones in aſſumendis ad Cathedrales, & alias majores Eccleſias conſueverit exquiſitas adhibere diligentias in examine, & inquiſitione de natalibus, vita, ætate, doctrina, & aliis omnibus qualitatibus promovendorum, ut in *cap. Cum in cunctis, de elect. cum concord. & cap. 2. ſeſſ. 22.* Concil. Trident. Præterea etiam relatione Cardinalis, & magna cum ſolemnitate in pleno Conſiſtorio, ut habetur in *cap. 1. ſeſſ. 24.* & ſit mortale peccatum præficere indignos Epiſcopatibus, ut illic patet, & docet S. Thom. in 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. ad* 3. Quis credat Martinum V. in Concilio Conſtantienſi ſub involucro verborum voluiſſe unica vice conferre Cathedrales, Metropolitanas, & Parochiales Eccleſias, tunc & pro tempore vacantes omnibus Epiſcopis hæreticis, & ſchiſmaticis, qui in earum occupationem jam tunc de facto, ſe intruſerant, ac ſe intruderent in futurum, & conſtituere tot lupos animarum Paſtores? Ad hoc quæ dicam infra in prima reſponſione ad quartam oppoſitionem *num. 129.* Sed etſi Martinus feciſſet intruſis gratiam revalidationis titulorum, quod falſum eſt, & ſic rehabilitaſſet illos ad parochiales conferendas: hoc tamen eſſet intelligendum, dummodo illas conferrent perſonis aliàs habilibus, juxta text. in *cap. 1. de ætat. & qualit. lib. 6.* & dictum eſt ſuprà *num. 86.* Nemo enim dixerit bigamum ab Epiſcopo proviſum de parochiali Eccleſia ex vi ejuſdem Conſtitutionis poſſe validè curam animarum exercere, & Sacramenta Catholicis adminiſtrare contra *cap. unic. de bigam. in 6.* Cùm Epiſcopi ne ad minores quidem ordines, vel beneficia ſimplicia poſſint cum eis diſpenſare, ut Sixtus V. declaravit ex ſententia Sacræ Congregationis Con-
96 cilii. Et dixi in *cap. 2. ſupra de bigam.* Et idem dicendum in proviſo de parochiali ante annum vigeſimum quintum, cum quo ſimiliter Epiſcopus diſpenſare non poteſt obſiſtente *cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, de elect. & dict. cap. unico, de ætat. & qualitat. lib. 6.* Et idem de illegitimis, criminoſis, aut corpore vitiatis, ut ibi per gloſſ. *in verb. Canonicum.* Quod enim multis vigiliis, ac laboribus à ſacris Canonibus, & generalibus Conciliis excogitatum eſt, non eſt credendum Concilium Conſtantienſe unico verbo ſubvertere voluiſſe, ut legitur in *cap. Eccleſia veſtra, il ſecondo, de elect.* & in propoſito notat Geminian. *dict. conſ. 88. col. ult. ad fin. verſ. Item cum Papa:* præſertim verò quia in prædictis caſibus etiam ſacerdotes Catholici, & non excommunicati, cùm titulum Canonicum non habeant, non poſſunt aliis Catholicis ſacramenta adminiſtrare: ergo longè minus id poterunt ſacerdotes hæretici, & ſchiſmatici, aut excommunicati; ne aliàs iſti ſint melioris conditionis, quam Catholici non excommunicati: unde fit ut Popones Rutheni, qui propter ſuam inhabilitatem carent titulo Canonico Parochialis Eccleſiæ nequaquam poſſint matrimonia ſolemnizare in favorem Catholicorum, cùm hunc tituli defectum non ſuppleat antedicta Conſtitutio: in quo non videtur ulteriùs immorandum, quia, ut dictum eſt, jam S. Congregatio declaravit matrimonium contractum coram Parocho publico hæretico eſſe nullum, ſi decretum Concilii Tridentini *cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* publicatum fuerat in Parochia, & lapſi erant triginta dies à die publicationis, alias ſecus: nimirum quia cùm propter hæreſim careat titulo Canonico Parochialis celebrationi matrimonii tamquam Parochus intereſſe non poteſt etiam in favorem Catholicorum: in ea enim deciſione non agebatur de matrimonio hæreticorum, ſed de matrimonio à Catholicis contracto coram Parocho hæretico.

Præterea ego non percipio quomodo hæc validitas titu- 97
lorum reſpectu Catholicorum tantùm ſit poſſibilis: nam Epiſcopi Græci dum conferunt ſchiſmaticis parochiales Eccleſias, utique illas non intendunt conferre in favorem Catholicorum, quos cum eorum ritibus ſummoperè execrantur, ut in *cap. Licet Græcos, ſupra de Baptiſm.* ſed illas intendunt conferre tantummodo in favorem ſuorum ſchiſmaticorum: ergo ab initio hujuſmodi collationes ſunt invalidæ, cùm Conſtitutio Conſtanti niſi non intendat in aliquo relevare ipſos excommunicatos; & conſequenter poſſunt poſteà convaleſcere ex eo, quod Catholici à ſic proviſis petant, aut recipiant ſacramenta, quia validitas tituli oriri non poteſt ex poſteriori facto privatorum, ſed ad ſuum eſſe requirit canonicam inſtitutionem, *cap. Beneficium, de reg. jur. in 6.* Gemin. *conſ. 109. in princ.* & cùm collatio beneficii ſit actus legitimus, non poteſt eſſe in pendenti, ſed aut ſtatim tenet, aut vitiatur, *cap. 2. de elect. lib. 6.* & ibi not. gloſ. *in verb. Incerta, verſ. Sed numquid,* dicens, poſt Compoſt. diſpoſitionem illius textus procedere etiam in collatione beneficii: idemque tradunt ibi Archid. & Joan. Andr.

Opponitur tertiò, Si Concilium Conſtantienſe, in Conſtitutione, *Ad evitanda,* non habilitat ſacerdotes ad parochiales obtinendas: ergo in ea parte, in qua dat Catholicis facultatem recipiendi ſacramenta ab excommunicatis, non poterit habere locum niſi in illis excommunicatis, qui ante cenſuram parochiales obtinuerunt: nam ſola excommunicatio quamvis non privet beneficiis anteà obtentis; tamen inhabilitat ad illa in poſterum obtinenda, adeò ut collatio facta excommunicato ſit irrita ipſo jure, *cap. Propoſuit, & cap. Poſtulaſtis, de Cleric. excommun. miniſtr.* & dictum eſt ſupra in 3. *fundamento, numero 73.*

Quo verò ad hæreticos, & ſchiſmaticos nullo caſu po- 98
terit habere locum, quia tales non modo ſunt inhabiles ad beneficia obtinenda, ut in *cap. 2. §. Hæretici, de hæret. lib. 6.* ſed etiam beneficiis ante hæreſim, vel ſchiſma canonicè obtentis ſunt ipſo jure privati, *cap. Excommunicamus, §. Credentes, & cap. Ad abolendam, ſupra eod. tit.* & eſt communis opinio, quam tenent Joan. Andr. Geminian. & Franc. *num. 2.* & reliqui omnes in *cap. Ut commiſſi, §. Privandi, eod. tit. in 6.* dum exponunt illa verba, *vel privatos nunciandi,* ut dictio, *vel,* ſtet expoſitivè pro *id eſt,* Abb. in *cap. Inter dilectos, num. 11. de exceſſib. Prælat.* Caſſad. *deciſ. 14. ſuper regulis, num. 1.* Rota *deciſ. 707. lib. 3. par. 3. diverſ.* Clar. *in §. Hæreſis, nu. 16. verſ.*
Item Clericus: ubi ex communi Doctorum ſententia affir- 99
mat hæreticos, & eorum filios non ſolùm beneficia, ſed etiam omnem poteſtatem eccleſiaſticam amittere, & ſolis filiis Catholicis ex conſuetudine, & pietate relaxari beneficia. At abſurdum eſſe ut prædicta Conſtitutio non habeat locum niſi in proviſis de parochialibus ante excommunicationem; & nullo caſu verificari poſſit in hæreticis, & ſchiſmaticis videtur ſuaderi poſſe conſiderationibus infraſcriptis.

Prima conſideratio eſt, quia ejuſmodi Conſtitutio 100
edita fuit ad vitanda ſcandala, & pericula, & ſubveniendum conſcientiis reſpectu excommunicatorum, in diuturno illo ſchiſmatis à Gregorio XI. uſque ad Martinum V. in quo diverſi, qui ſe Pontifices prætendebant, cenſuras invicem ferebant, Cardinales, & Epiſcopos deponentes creabant, & beneficia ſuis fautoribus conferebant, ut patet ex hiſtoriis Conciliorum *tom. 3. par. 2. pag. 741.* & ex Conciliis, & Conciliabulis tunc habitis, & tradunt hiſtorici ad illa tempora per annos quadraginta ab anno 1378. uſque ad 1417. ut Blond. *decad. 2. lib. 10.* Platina *in Urbano,* & alii: & Italia
ali-

Digitized by Google

aliquibus ſavebat, aliis Galliarum, Siciliæ, & Hiſpaniarum Regna.

101 Non ſatis ergo conſultum fuiſſet timoratis conſcientiis, & obviam itum ſcandalis, & periculis diverſarum provinciarum, ſi talis Conſtitutio intelligenda eſſet ſolum de iis, qui poſt beneficia legitimè ſuſcepta inciderunt in excommunicationem cùm plurimi eſſent excommunicati, & ſchiſmatici ante ſuſcepta beneficia adhærentes Antipapis ſpatio annorum 40. per Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Italiam in parochialibus, & aliis beneficiis instituti, vel ab ipſis Antipapis immediatè, vel mediantibus Epiſcopis de novo creatis.

Secunda conſideratio eſt, quia Conſtitutio non diſtinguit, ſed univerſaliter loquitur reſpectu cujuſcumque, & prætextu cujuslibet cenſuræ à jure, vel ab homine generaliter promulgata: non ergo videtur diſtinguendum de cenſura ante, vel poſt beneficium, *cap. Si Romanorum, 19. d. cap. Solitæ, de maior. & obed.*

Tertia conſideratio eſt, quia difficillimum fuiſſet populis hoc dignoſcere, & obſervare in Gallia, Germania, Polonia, Græcia, ubi permixtim Catholici cum ſchiſmaticis, & excommunicatis degunt: unde quoad communicationem indifferenter eſt uſu recepta in illis Regionibus prædicta Conſtitutio reſpectu quorumcumque excommunicatorum, ſchiſmaticorum, & hæreticorum; ut teſtatur Navarr. & experientia oſtendit.

102 Quarta conſideratio eſt, quia non modo in Concilio Piſano, & Conſtantienſi admiſſi indifferenter fuerunt electi à Clemente VII. & Benedicto XIII. Antipapis, eorumque fautores: ſed in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alii Beneficiati, & Officiales, & Præſules Græci, eorumque Vicarii diſtinctè in eodem Concilio enumerati, admiſſi fuerunt nominati, & indifferenter agniti ut tales in inchoatione, ſuffragiis, decretis, & ſubſcriptionibus Concilii cum eorum titulis, & dignitatibus, ut patet legenti *tomum quartum, par. 1.* cum decreto fidei ibi relato. Et tamen Græci poſt reconciliationem factam anno 1270. in Concilio Lugdunenſi tempore Gregorii X. iterum deficientes in ſuis erroribus, & ſchiſmate perſtiterunt uſque ad annum 1438. ſub Eugenio IV. juxta notata ibi ante Acta Concilii *pag. 411.* ac proinde ex Conſtitutione juvari non poterant omnes illi, qui jam in ſchiſmate, & excommunicatione conſtituti, poſtea ordinati ad dignitates, & beneficia, promoti fuerunt ab aliis Græcis ſive Patriarchis, ſive Epiſcopis ſchiſmaticis; qui ſpatio annorum 150. eorum Eccleſiis præfuerunt. At ſi legantur omnia Acta Concilii nulla apparet nova collatio dignitatum, beneficiorum, & officiorum, quamvis tunc etiam in uſu eſſet electio Patriarchæ Conſtantinopolitani diverſi a ſchiſmatico, ut colligitur ex verbis Eugenii IV. relatis circa finem Concilii; adhortans enim Græcos ad eligendum novum Patriarcham in locum defuncti, ait: *Eum qui à me eligitur amovebo, efficiamque ut unus Patriarcha ſit.* Imo in fine decreti fidei dicitur de quatuor Patriarchis, ſalvis omnibus privilegiis, & juribus eorum: quod non eſt beneficia, & jura de novo conferre, ſed præexiſtentia ſupponere, & præſervare, *cap. Quia intentionis, ſupra de privileg.* Idem patet in unione Armenorum; recipiuntur enim Procuratores Patriarchæ Armenorum; & tamen initio Bullæ aſſerit Eugenius: alius diſſidii lapis nongentis, & amplius annis inveteratus auſertur; & tamen nil legitur de nova collatione beneficiorum facta Armenorum Patriarchæ, vel aliis illius gentis. Idem patet in alia Bulla ejuſdem Pontificis, *Cantate Domino*, ſuper unione Jacobinorum, in qua nominat venerabilem fratrem noſtrum Joannem Jacobinorum Patriarcham, & dilectum filium Andream Abbatem monaſterii Sancti Antonii apud Ægyptum, & nihil de nova beneficiorum collatione reperitur. Ex quibus omnibus videtur colligi dignitates, beneficia, & officia etiam poſt ſchiſma, & excommunicationem fuiſſe validè collata, alioquin in ſupradictis fuiſſet neceſſaria nova collatio.

103 Cæterùm ad primam collationem hujus tertiæ oppoſitionis, reſpondetur, Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis principaliter editam fuiſſe, quia cùm ſchiſmatici, & excommunicati jam in multis Orbis partibus permixti
104 cum Catholicis non excommunicatis degerent; difficillimum, & ferè impoſſibile erat ut in ſalutationibus, & colloquiis dandis, ac recipiendis litteris, habitatione, ac menſa non communicarent; & tamen de jure communi in his omnibus excommunicati vitandi erant, gloſſ. & Doctores in *cap. Statuimus, de ſent. excomm. lib. 6.* Hoſtien. *in ſumm. eod. tit. §. 20. Exquiſita pœna*, Theologi *in 4. diſtinct.* 18. & paſſim Canoniſtæ, etiam antequam fuiſſent ſpecialiter denunciati, ut eſt caſus in *cap. Cum non ab homine, de ſent. excomm.* & dictum eſt ſuprà *nu. 74. & ſeqq.*
Quod citra controverſiam habebat locum in notoriis: nam 105
diſpoſitio *cap. Cum ſecundum, de heret.* quo deciditur etiam in pœnis ipſo jure impoſitis requiri declaratoriam ſuper facto, non procedit ubi crimen eſt notorium, *cap. Pervenit*, & ibi Abb. *de appell.* & ſimiliter dictum eſt ſupra. Et propterea Concilium Lateranenſe noviſſimum in Conſtitutione *Ad evitanda*, ſuperiùs relata, dum jubet vitari excommunicatos, etiam non denunciatos, quorum crimen eſt adeò notorium, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, ſubjicit immediatè illa verba, *juxta canonicas ſanctiones:* apertè innuens ſe in ea parte jus novum non inducere, ſed jus antiquum innovari.

Et quamvis regulariter communicatio cum excommu- 106
nicatis majori excommunicatione extra crimen non eſſet mortalis, ſed venialis tantùm ſecundùm opinionem Hoſtien. *in ſumm. de ſent. excomm. §. fin.* Joan. Andr. & aliorum communiter in *cap. Sacris, de his, quæ vi*, S. Thomæ, & aliorum Theologorum *in eadem diſt.* 18. tamen de hoc dubitat Abb. in d. *cap. Sacris*. Et contrarium tenent multi ex antiquis Canoniſtis, quos refert ibidem Jo. Andr. & Archidiac. in *cap. Rogo, 11. quæſt. 3.* & ſaltem erat mortalis, quando erat nimis frequens, ſecundùm Jo. Andr. *ubi ſupra*, & Navarr. *in Man. cap. 27. num. 29.* Qui caſus facilè contingere poterat ſtante permixtione Catholicorum, & ſchiſmaticorum, & in hac Conſtitut. *Ad evitanda*, conſuluit per omnia conſcientiis timoratis habilitando Catholicos ad communicandum cum excommunicatis non denunciatis, quod ante Concilium Conſtantienſe optavit fieri Jo. Andr. putans per d. *cap. Cum ſecundum, de heret. lib. 6.* non eſſe apertè deciſum, ut excommunicatum, vel interdictum à jure non teneremur vitare ante denunciationem, ut in ſua gloſſ. 3. *in Clem. 2. in fin. de ſent. excom.* Atque ita hodie ſatisfactum eſſe menti prædictæ gloſſæ affirmat in eadem *Clem. 2.* Abb. *nu. 6.* & Felin. *in cap. Rodulphus, num. 39. verſ. Sed de vera, de reſcript.*
Deinde difficillimum erat ſtante hujuſmodi permixtione, 107
ut Catholicis cum excommunicatis non participarent in divinis officiis, & aliis precibus; & tamen hoc itidem interdictum erat à jure communi, *c. Quod in te, de pœnit. & remiſſ.* adeò ut excommunicato Eccleſiam ingrediente ad orandum cæteri omnes tenerentur exire, aut precibus, aut vi eum cogere ad exeundum, alioquin ceſſandum eſſet à divinis etiam Miſſæ inchoatæ, ſi nondum cœptus eſſet Canon, *Clem. Gravis*, & ibi gloſ. *in verb. inexpleta, de ſentent. excomm.* Innoc. in *cap. Nuper, eod. tit.* Hoſtien. *in ſumma eod. §. Quæ ſit pœna, verſ. Sed numquid*, Sanctus Thom. *in 4. diſtinction.* 18. Navarr. *cap. 27. numer. 33.* Unde vix contingere potuiſſet, ut Catholici cum ſchiſmaticis permixti Miſſam inchoatam perficerent, divinisque officiis, & orationibus tuta conſcientia vacare poſſent; & in hoc ſimiliter omnem ſcrupulum ſuſtulit Conſtitutio Concilii Conſtantienſis, habilitando Catholicos ad participandum cum excommunicatis etiam in divinis officiis.

Ulteriùs quod pertinet ad Sacramenta excommunicatis 108
adminiſtranda, eadem Conſtitutio abſtulit omnem ſcrupulum à conſcientiis Catholicorum, quatenus per illa verba: *In adminiſtratione, vel receptione Sacramentorum:* habilitaverit Catholicos Sacerdotes ad illa adminiſtranda excommunicatis non denunciatis; quod de jure communi prohibitum erat ſub mortali culpa, *cap. Engeltrudam, 3. quæſt. 4.* Navarr. *in Man. d. cap. 27. num. 29. & 30.*

In prædictis ergo tribus, & præſertim in primis duobus caſibus, qui frequentiſſimè poterant contingere, prædicta Conſtitutio ex omni parte conſuluit timoratis conſcientiis, & ſcandalis obviavit: neque enim in illis cadit conſideratio rehabilitationis excommunicatorum ad beneficia obtinenda, quia ad hoc ut Catholici non teneantur vitare excommunicatos, & poſſint illis Sacramenta adminiſtrare, manifeſtum eſt non requiri ut ex-

com-

Digitized by Google

communicati habeant beneficium. Quo verò ad receptione ſacramentorum non ſuberat tanta neceſſitas habilitandi Catholicos ad illa recipienda de manibus notoriè hæreticorum, vel ſchiſmaticorum quod valdè abhorrent ſacri Canones, cùm poſſent illa recipere à Catholicis Sacerdotibus.

109 Satis eſt igitur, ut antedicta Conſtitutio, quæ ut Felin. ait in dict. *cap. Rodulphus*, *ſub num. 39. de reſcript.* eſt multum correctoria juris communis, operetur effectum ſuum etiam reſpectu adminiſtrationis activæ ſacramentorum quoad illos tantùm excommunicatos, qui ante excommunicationem canonicè adepti ſunt beneficia curam animarum habentia, nec debet extendi ad rehabilitationem ad Cathedrales, vel Parochiales, de qua non loquitur ad ulteriorem correctionem juris communis; quin potiùs expedit jura juribus concordare, ut in ſimili Conſtitutione Concilii Conſtantienſis perpendit Gemin. d. *conſ. 88. num. 4. verſ. Item cum Papa*.

110 Nec urget, quod in longo illo ſchiſmate cùm plurimi obtinuiſſent dignitates, & beneficia ab Antipapis, prædicta Conſtitutio non occurriſſet periculis animarum, niſi revalidaſſet titulos. Tollitur enim objectum, quia in eodem Concilio Conſtantienſi edita fuit alia Conſtitutio, per quam proviſi in ſchiſmate à Gregorio, & Jo. Antipapis fuerunt rehabilitati ad dignitates, & beneficia, ut deinceps vitium ſchiſmatis vel excommunicationis eiſdem objici non poſſet, ut referunt Gemin. dict. *conſil. 88. col. 1. verſ. Nec obſtat ſi dicatur*: & Paul. de Caſtro *conſ. 253. Ad confirmationem*, *ſub num. 1. verſ. Nec obſtat*, *lib. 1.* Unde cùm ſatis proviſum eſſet à Concilio periculis tunc imminentibus; in futurum, ſedato ſcilicet ſchiſmate, nulla neceſſitas ſuadebat, ut habilitarentur ſchiſmatici ad obtinenda beneficia curata ad hoc, ut de illorum manibus Catholici reciperent eccleſiaſtica ſacramenta. Quinimò Conſtitutio à Gemin. & Paul. de Caſtro, relata ſatis apertè indicat per Conſtitutionem, *Ad evitanda*; ſchiſmaticos non fuiſſe rehabilitatos ad beneficia; quia alioquin ſi fuiſſent generaliter rehabilitati, non fuiſſet opus ut Concilium Conſtantienſe per aliam Conſtitutionem eos ſpecialiter in-
111 habilitaſſet, ut ſuperiùs dictum eſt. Et nihilominus eadem Conſtitutio, *Ad evitanda*, etiam quoad excommunicatos non habentes titulum canonicum beneficii, vel proviſos poſt excommunicationem poteſt habere officium ſuum reſpectu adminiſtrationis ſacramentorum in aliquibus caſibus, & præcipuè in duobus. Primus eſt in articulo mortis: nam poſt Concilium Conſtantienſe in eo articulo licebit Catholico confiteri peccata ſua cuicumque Sacerdoti notoriè excommunicato, cùm eo caſu non requiratur ut Sacerdos ſit proprius Parochus, ſed omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes abſolvere poſſint, ut in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſervat. verſ. Hanc autem delictorum reſervationem*. Et tamen jure communi inſpecto Sacerdos notoriè excommunicatus non poteſt validè quemquam abſolvere etiam in mortis articulo. Ita enim in Sacerdote excommunicato, & denunciato jampridem reſolvit S. Congregatio Concilii ſecuta opinione Magiſtri ſententiarum, S. Thom. & aliorum graviorum Theologorum, ut dixi in *cap. 1. num. 28. ſup. de Conſtit.* Ergo idem dicendum in notoriè excommunicato, cùm hi duo caſus æquiparentur, *cap. final. de cohabit. cleric. & mulier.*

112 Secundus caſus eſt in excommunicatis proviſis à Papa, quia cùm in litteris Apoſtolicis proviſionum ex ſtylo apponatur clauſula abſolutionis à cenſuris, cujus clauſulæ virtute collatio parochialis facta excommunicato non denunciato valida eſt, Archidiac. in *cap. Nullus*, *num. 4. 63. diſtinct.* & dictum eſt ſuprà *num. 76.* ac proinde licebit Catholicis ab eo recipere ſacramenta non obſtante excommunicatione; idque in vim Conſtitutionis, *Ad evitanda*, cùm aliàs non liceret, quia prædicta clauſula reſtricta eſt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, & ſic operatur habilitationem tantummodo ad parochialem obtinendam, non autem ad ſacramenta adminiſtranda.

113 Ad ſecundam conſiderationem reſpondetur, quamvis Concilium Conſtantienſe non diſtinguat inter cenſuram ante, vel poſt beneficia; tamen debere ſic diſtingui, quia lex quantumcumque generalis ſemper reſtringitur ad perſonas habiles, Jaſ. in *l. 2. §. Prætor*, *numer. 3. ff. Si quis Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.* *ſatiſd. cogan.* & latiùs oſtenſum eſt ſuprà *num. 86.* Item prædicta Conſtitutio reſtringi debet, ut minus corrigat jus commune, Geminian. dict. *conſ. 88. ad fin. verſ. Item
cum Papa*. Item limitari debet ad tenorem verborum, *cap.* 114
Porro, *de privil.* Quia lex non imprimit effectum ſuum, niſi in illas perſonas, quibus verba legis congruunt, & adaptantur, ut idem Gemin. inquit, *ubi ſupra num. 4. verſ. Cum ergo concurrant*, & not. Bartol. & DD. in *l. 4. §. Toties*, *ff. de damn. infect.* De rehabilitatione autem ſchiſmaticorum ad beneficia Conſtitutio nullam facit mentionem; imò nec de hæreticis, vel ſchiſmaticis nominatim loquitur, niſi quatenus comprehenduntur ſub nomine excommunicatorum; & tamen quod pertinet ad proviſiones beneficiorum plurimum intereſt inter hæreticos, & excommunicatos; quia excommunicati licèt ſint inhabiles ad beneficia obtinenda, non tamen ſunt privati beneficiis anteà obtentis: at hæretici non ſolùm ſunt inhabiles, ſed etiam privati ipſo jure etiam ante declaratoriam judicis quæ in notoriis non requiritur, ut probatum eſt ſuprà *num. 92. 98. & 104.* Unde cùm Conſtitutio prædicta loquatur tantùm de excommunicatis, non eſt noſtrum eam extendere ad rehabilitationem ſchiſmaticorum ad beneficia, de qua non loquitur: Quod enim non eſt Sanctorum Patrum decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum, *cap. Inter corporalia*, *de translat. Epiſcop. cap. Conſuluiſti*, *2. quæſt. 5.* Nam ſi rehabilitationem comprehendere voluiſſet, quod de cenſuris dixerat, & de rehabilitatione poterat expreſſiſſet, ut legitur in dict. *cap. Inter corporalia*, *in cap. Ad audientiam*, *de Decim. & in cap. Maiores*, *de Baptiſm.* quod ergo in ea non reperitur conceſſum, ut priùs intelligitur prohibitum, *cap. Hoc tantum*, *18. quæſt. 2. cum concord.* de quibus per gloſſ. in dict. *cap. Inter corporalia*, *in verb. Non invenitur*. Et benè per Oldrad. *conſ. 266. Quod autem*, *num. 10.*

Ad tertiam conſiderationem hujus tertiæ oppoſitionis 115
reſpondetur, quoad participationem Catholicorum cum ſchiſmaticis in divinis officiis, & extra, in quibus eſt major neceſſitas communicandi, ſtante illorum permixtione, ceſſare objectum, quia ad hæc non requiritur ut ſchiſmatici habeant beneficia, ut dictum eſt ſupra *numer. 108.* Quo verò ad receptionem ſacramentorum non eſt opus diſtinguere, an ſchiſmatici obtinuerint parochiales ante, vel poſt ſchiſma, quia utroque caſu carent titulo canonico beneficii, ut patet ex dictis *num. 98.* Cùm ergo Græcorum ſchiſma ſit notorium, proindeque non ſit difficile decernere inter Sacerdotes Catholicos, & ſchiſmaticos: confugiant Catholici ad Catholicos Preſbyteros pro ſacramentis ſuſcipiendis, & vitabunt omne periculum.

Ad quartam, & ultimam conſiderationem reſponde- 116
tur negando conſequentiam: ex eo enim quod Patriarcha, Epiſcopi, & Abbates ſchiſmatici fuerint admiſſi in Concilium Florentinum, atque ut tales nominati, agniti, & tractati ab Eugenio non rectè infertur ad validitatem, ſeu approbationem dignitatum, ſeu titulorum. Hic eſt textus apertus in *Clem. Si ſummus*, *de ſentent. excommunicationis*, ubi ſi Summus Pontifex quem ſub titulo cujuslibet dignitatis ex certa etiam ſcientia, verbo, Conſtitutione, vel litteris nominet, honoret, ſeu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipſum approbare non intelligitur aut quidquam ei tribuere novi juris; ubi gloſa ſic format caſum. Ponamus quod eram intruſus in 117
aliquo beneficio, ita quod non habebam titulum, & Papa ſcripſit mihi litteras, in quibus appellavit me Epiſcopum illius loci, quem obtinebam ſine titulo, vel ponamus quod illud beneficium vacabat, & nullus obtinebat, & ipſe in litteris ſuis appellavit me Epiſcopum illius
loci: An per hoc videatur mihi jus tribuere in illo be- 118
neficio? reſpondet Clemens Papa quod non; atque ita illum textum generaliter habere locum in omnibus dignitatibus tam ſæcularibus, quàm eccleſiaſticis, cùm loquatur per illa verba univerſalia, *cujuslibet dignitatis*, & ſubſit eadem ratio, tenet ibi gloſ. *in verb. Dignitatis*, & Card. *in §. Similiter*, *num. 2. in fin. verſ. Quæro*, de qua dignitate loquitur, ſubdens poſt Paulum idem juris eſſe de perſonatu, officio, beneficio, titulo, vel adminiſtratione, & Laudunus, & Card. *ibid. in princ.* exemplificant, ſi Papa vocat aliquem Archidiaconum Pariſienſem,

Digitized by Google

vel Decanum Aurelianenſem, ut in *cap. Ad aures, de re-*
ſcript. & in cap. Dilecto, eodem titul. in 6. Et in Canoni-
co ponit exemplum Vitalin. *ibidem num.* 38. dicens: Si
Papa etiam ſcienter nominet te in litteris Canonicum Pa-
riſienſem, & non ſis, non propterea faciet te Canonicum,
vel ſi etas intruſus in dictum Canonicatum, & ipſe hoc
ſciebat, & vocaverit te Canonicum Pariſienſem, non
propterea cenſetur approbare tuam intruſionem, hoc eſt
purgare vitium tuæ intruſionis; aliàs concurrent duo ſpe-
cialia; unum ſcilicet purgatio intruſionis, aliud collatio
Canonicatus contra *l. 1. Cod. de dot. promiſſ. cum simili-*
119 *bus.* Item verba illa textus, *ſon quovis alio modo tractet,*
ſic exponuntur per gloſſ. & Card. *in 6. & 7. not.* videlicet
ſi Papa aliquem admittat aſſignando incertam ſedem cum
his, qui ſunt certi ordinis, dignitatis, vel officii, vel ſe-
cundùm Genzelin. Si Papa aliquem recipiat tanquam Ab-
batem, vel Archidiaconum ad unum officium exercen-
dum: neque enim per hoc cenſetur illum approbare in ea
dignitate. Per quem text. ſublata eſt altercatio antiquo-
rum Canoniſtarum, de qua in *cap. Si aliquando, de ſent.*
excomm. in cap. Dominus, & ibi per gloſ. *in ver. Sacrile-*
gium, 94. diſt. in cap. Si inimicus, 93. diſt. & ibi per Ar-
chid. & per Innoc. & Hoſt. in *cap. Cum olim, il primo, de*
privil. per Goff. *in proœmio huius Gregorianæ compilationis,*
& Specular. *in titul.* 2. §. *Nunc oſtendendum, verſ.* 29. &
hæc fuit ratio impulſiva prædictæ conſtitutionis, ſecundùm
120 Vitalin. *ubi ſupra num.* 46. & Anchar. *num.* 1. Conſtat igi-
tur ex hoc textu beneficium eccleſiaſticum non cenſeri col-
latum, aut confirmatum, niſi illud per verba diſpoſitiva
121 conferatur, ut ibi per Vitalin. *num.* 42. In beneficialibus
enim ſuperioris inſtitutio eſt neceſſaria, quæ tamquam
ſolemnitas extrinſeca non præſumitur, ſed probari debet,
ut ad litteram ait ibidem Genzelin. & poſt eum Cardinal.
in dict. §. Similiter, num. 2. verſ. Dicit Genzelin. Verba
enim prolata ad unum finem non operantur alium, ubi
præſertim abeſt voluntas proferentis, quæ in dubio abeſſe
præſumitur, niſi illa verbis exprimatur, ut dicit Goffred.
in proœm. Decret. & in propoſito Vitalin. in ead. *Clem. Si*
122 *ſummus, num. 47. de ſent. excomm.* & cùm verba hujuſ-
modi ſint enunciativa, & prolata non propter ſe, ſed pro-
pter aliud, non probant, neque diſponunt, *l. Ex his ver-*
bis, C. de teſtam. milit. & notat gloſ. in d. *Clem. Si ſummus,*
in verb. Non intelligitur, & ibi Vitalin. *nu.* 48. Card. *in §.*
Similiter, nu. 1. in 3. not. gloſ. & DD. in *Clem. 1. de pro-*
bat. & in cap. Si Papa, de privil. in 6. Nam propter no-
ſtram affirmationem, vel negationem rei veritas non im-
mutatur, *l. Aſſumptio, ff. Ad municipal.* Vital. in d. *Clem.*
n. 45. Quæ d. ciſio ſummam habet rationem propter odium
intruſionum, & inſufficientium titulorum, cum quibus
aliqui beneficia eccleſiaſtica, tenent in detrimentum ani-
mæ, & beneficiorum, ut non poſſint per tales colores ſe
purgare, ſed teneantur docere de titulo ſi ſint requiſiti, ut
formaliter inquit Laudunus in eadem *Clem. Si ſummus,*
& poſt eum Vitalin. *num.* 58. & Cardin. *in §. Similiter, nu-*
123 *mer. 2. verſ. Hæc dicit Laudunus.* Et quamvis text. ibi non
loquatur niſi de approbatione, vel novi juris collatione;
& ſic non videatur excludere probationem, quæ reſultat
ex confeſſione, ut *l. Generaliter, C. De non num. pecun.*
Contrarium tamen concludit ibi Vitalin. *num.* 49. Tum
quia ſuper hujuſmodi narrativa non fundatur intentio di-
ſponentis, ut ibi: tum quia non eſt de facto proprio e-
nunciantis: tum quia non fit propter ſe, vel cauſaliter,
ſed narrativè, & propter aliud; & ſic non obſtat dict. *l.*
generaliter. Et idem tenet Cardinal. *in §. Similiter, num.*
1. in 3. not. Dum colligit ex text. Quod licèt in aliqua di-
ſpoſitione quis nominetur ſub aliqua dignitate, non ta-
men propterea ſit probatio ſuper hoc.

124 Itaque quantumcumque Eugenius nominaverit ſchiſ-
maticos ſub titulis dignitatum, eoſque tractaverit ut ta-
les: hinc tamen nulla reſultat nova collatio, aut proba-
tio validitatis proviſionum: nam ut verbis Pauli utar in
d. *Clem. Si ſummus, de ſent. excomm.* in hoc parendum
eſt Papæ ſi aliquem nominet ſub titulo dignitatis, quia ſi
nomen dignitatis omitteret, ipſum turbaret, vel ſcanda-
lizaret; & ideò non mirum ſi ex tali nominatione non in-
tendat jus tribuere, quia talia non ſunt facienda ſine cau-
ſæ cognitione; cujus dictum referunt ibi Vital. *nu. 49. ver.*
Paulus item aſſignat, & Card. *ubi ſupra, nu. 2. verſ. Et di-*
cit Paulus. Requirebat autem graviſſimum negotium
unionis cum Eccleſia Romana, ut Græci, & præſertim Im-
perator Paleologus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus,
quem contendebant eſſe caput Eccleſiæ Orientalis, non
ſcandalizarentur, quin potius honorificè exciperentur, &
tractarentur in Concilio. Quibus accedit, quod ante 125
Conſtitutionem Conſtantienſem, imò & ante Conci-
lium Viennenſe mos fuit Romanorum Pontificum admit-
tere in Concilium etiam hæreticos, & ſchiſmaticos diſpu-
tationis gratia, & ad eorum errores confutandos, & in
ſpecie in Concilio Lateranen. III. ſub Alexand. III. inter-
fuit Nectarus Abbas, ſeu Præpoſitus Monaſterii Caſula-
rum, & Græcorum ſchiſmaticorum Legatus, qui eadem
qua venit animi indurata nequitia, & perverſitate inflexus,
& obſtinatus, poſt prolixas diſputationes eſt reverſus ad
ſuos, ut patet ex litteris ad eum ſcriptis à Gregorio Corcy-
ræ Epiſcopo, quæ referuntur in notis poſt acta ejuſdem
Concilii *tom. 3. Concil. par. 2 pag. 562. col. 1.*

Opponitur quartò, Epiſcopi, vel Sacerdotes Græci, 126
Armeni, Rutheni, & alii hujuſmodi quamvis ſint ipſo ju-
re privati titulo, & beneficiis, nihilominus ſuis in regio-
nibus videntur eſſe Ordinarii, & Parochi, ſaltem titulo
colorato, putativo, & errore communi, quia commu-
niter ibi tales nominantur, & creduntur ſub diverſis lin-
guarum vocibus ab illis populis: quem communem erro-
rem non videtur tollere ſcientia paucorum Catholicorum
ſi ibi reperiantur; quæ autem à talibus geruntur in his,
quæ non adverſantur juri divino, etiam circumſcripta
Conſtitutione Concilii Conſtantienſis, cenſentur valida
ex diſpoſitione *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* & in ſpecie 127
collationes, ſeu proviſiones beneficiorum factas tempore
Concilii Conſtantien. à Gregorio XII. Antipapa in loco,
in quo communiter habebatur pro Papa, & ei obedientia
præſtabatur, ſuſtineri, reſpondit ex facto Gemin. *conſ.* 8.
in princ. & per totum: & idem in collationibus factis ab hæ- 128
reticis, & excommunicatis occultis docuit Innocent. in
cap. Si verè, num. 3. verſ. Item dum tolerantur, de ſent.
excommun. dicens: [Hæreticos dum tolerantur in aliqua
dignitate, & ſunt occulti, non nominatim excommuni-
cati, poſſe excommunicare, beneficia conferre, litteras
impetrare, quia hoc ipſum dignitas facere videtur, &
non perſona excommunicata, *cap. Nonne, 8. qu. 4.*] &
eum refert, & ſequitur Lap. *alleg. 89. Factum ſuper quo,*
num. 12. ejuſque opinionem dicit veriorem Abbas *in cap.*
Ad probandum, num. 15. de re iudic. & tenet Rota *in anti-*
quis, deciſ. 14. de irreparron. & in collatore hæretico lo-
quuntur expreſsè in *cap. Nihil, de electione,* Butr. *num.*
2. & Abb. *num.* 12. Jaſon in dict. *l. Barbarius, num.* 32.
Selva *de benefic. in 2. part. quæſt. 12. num.* 20. Navarr. in
cap. Placuit. de pœnit. diſt. 6. nu. 179. & in Manual. cap. 9.
num. 11.

Huic objectioni reſpondetur primò. Ad hoc ut collatio- 129
nes beneficiorum, & alia geſta per Prælatum putativum
ſuſtineantur ex communi reputatione, quatuor copulati-
vè eſſe neceſſaria, quorum nullum concurrit in caſu
præſenti.

Requiritur enim primò, ut titulus putativus proveniat 130
à legitimo, & vero ſuperiore; non autem à ſuperiore pu-
tativo: quod conſtat ex dicta *l. Barbarius,* nam ille ſer-
vus, qui putabatur liber, habuit officium non à ſuperiore
putativo, ſed à legitimo, & declarat expreſsè Compoſt. in
d. *cap. Nihil, nu. 4. in verb. Adminiſtret. verſ. Item per ſu-*
periorem confirmatum, de elect. quem ibi ſequuntur Butr.
n. 24. & Anch. *ad fin. q.* 4. Henr. Boich. *in §. Cæterum, n.* 4.
idem docuit Archid. in *c. Alienationes, n. 2. 12. q. 2.* Bald. in
d. *l. Barbarius, in prima lectura, n.* 29. & ibi Jaſ. *n.* 48. etſi Bern.
conſ. 128. *ad fin. vol.* 1. Ant. Gabr. *com. concl. in tit. de prob. lib.*
3. concl. 8. Ratio autem cur non ſufficiat ut titulus putativus 131
non proveniat à ſuperiore itidē putativo ea eſſe poteſt, quia
titulus putativus non eſt verus, ſed præſumptus, ſeu fictus,
aut fictio non generat fictionem, Bald. *conſ.* 130. *Caſus ſuper*
quo, circa fin. n. 2. verſ. Præterea concurrunt, lib. 3. Alex. *conſ.*
13. *Ex iis, quæ nu. 3. verſ. Quinimo, lib.* 1. quia duo ſpecia-
lia non poſſunt concurrere circa idem *l. 1.* & ibi Bald. Salic.
& DD. *C. de dotis promiſſ.* Oldrad. *conſ. 79. in princ. duo ſpe-*
cialia, Decian. *conſ. 49. nu. 47. & ſeq. & præſertim nu.* 10.
lib. 2. ubi quod generaliter individuum non generat aliud
ſpeciale; & ideò fictio fictionis non reperitur, ſervitus
ſervitutis, tacitum ex tacito, fructus fructuum, uſuræ u-
ſurarum, & alia id genus: unde ſimiliter non datur titulus
puta-

putativus ex titulo putativo; alioquin daretur proceſſus
132 in infinitum. Rutheni autem quamvis dicantur habere titulum putativum Cathedralis, vel Parochialis Eccleſiæ: tamen hunc titulum non habent à ſuperiore legitimo, ſed à Prælatis, & Ordinariis putativis, & illi ab aliis Prælatis ſimiliter putativis: ergo validè beneficia conferre, aut matrimonia ſolemnizare non poſſunt: cùm enim careant auctoritate legitimi ſuperioris, dicuntur palam intruſi: intruſos verò non tuetur Eccleſia, ac proinde eorum geſta ex communi errore, & reputatione non ſuſtinentur, gloſſ. *final.* in dict. *cap. Nihil, verſ. Sed pone quod talis Prælatus, de elect.* Innocent. *ibidem numer.* 3. *&* 4. *verſ. Si autem non ſit intruſus ſua auctoritate*, Jo. Andr. poſt Compoſt. & Hoſt. *col. fin. in ultima gloſſ. verſ. Et dicunt quod omnia, quæ facit electus*, & alii proximè citandi Roſell. *in verb. Confeſſio ſacramentalis*, 3. *numer.* 4. Angel. *Confeſſio*, 4. *num.* 12. Sylveſt. *Confeſſor*, 2. *numer.* 15. Navarr. in *cap. Placuit, de pœnit. diſtinct.* 6. *numer.* 117. & eſt communis opinio, ut teſtatur Abb. in *cap. Dudum, il ſecondo, num.* 20. *de elect.* pro qua eſt textus ſatis apertus hic: nam Octavianus, & Guido ordinationes fecerant, dignitateſque, & beneficia contulerant ratione publici officii: quilibet enim ipſorum gerebat ſe pro Papa, & Octavianus Romanus Joannis Maledicti filius electus in ſchiſmate appellatus eſt Victor, eique vita functo ſucceſſit in ſchiſmate Guido Cremonenſis nuncupatus Paſchalis, ut referunt hic gloſſ. 1. Hoſtien. & Joan. Andr. *in princip.* in cujus locum poſteà ſuffectus eſt Joan. de Struma, qui dictus eſt Calliſtus, licèt de eo non fiat mentio in hac compilatione, ſed in *can.* 2. Concilii Lateranen. ſub Alexand. III. ex quo deſumpta eſt hæc Conſtitutio; & hos omnes tamquam veros Pontifices coluit univerſa Germania, & aliquot regiones Italiæ, ut habetur in hiſtoria ejus Concilii *tom.* 3. *Concil. part.* 2. *pag.* 114. & nihilominus eorum geſta fuerunt irrita, ut hic dicitur. Unde per Petr. de Ancharan. *num.* 1 [Nota, inquit, quod careot, juribus quæ geruntur per ſchiſmaticos etiamſi gerantur prætextu publici officii: quod ergo dicitur in *l. Barbarius, de offic. Prætor. & cap. Conſultationibus, de iurepatronat.* habet locum in eo, qui dignitatem poſſidet bona fide: ſecus ſi eſt intruſus, ut ſchiſmaticus, quia tunc ſibi non eſt reſpondendum de juribus dignitatis.] Hęc ille. Et in terminis matrimonii poſt Concil. Trident. tradunt Moderni citati ſuprà *num.* 80.

133 Requiritur ſecundò ad hoc ut valeant collationes beneficiorum factæ à Prælato putativo, ut beneficium quod confertur non ſit reſervatum, alioquin quamvis Prælatus putativus conferat ratione publici officii non valebit collatio etiam facta perſonæ aliàs habili propter decretum irritans in reſervatione appoſitum, quod inficit titulum, ac poſſeſſionem: ita tenet Rota *deciſ.* 20. *de præben. in Antiquis, & deciſ.* 4. *eodem titul. in Antiquior.* Æneas de Falcon. *de reſerv.* 4. *quæſt, effectu* 26. Simonetta *in eodem tractat. quæſt.* 44. Sed beneficia hæreticorum, quales ſunt hodie Græci ſchiſmatici, ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervata cum decreto irritante ex Conſtitutionibus Pauli IV. Pii V. & Gregorii XIII. relatis ſuprà in 2. fundamento *numer.* 66. ergo à Prælatis putativis validè conferri non poſſunt, ac ſi conferantur, irrita erit collatio etiam facta non excommunicato, aut aliàs habili non obſtante ignorantia, aut communi errore; ad hoc allego *cap. Si poſtquam, cap. Dudum, §. Hos igitur, cap. Si beneficium, cap. penultim. verſ. Licet ab ignorantibus, de præben. in* 6. *cap. Tibi qui, de reſcript. & cap. Si ſoli, verſ. Niſi nos in gratia, de conceſſ. præben. eod. lib.*

134 Requiritur tertiò, ad validitatem geſtorum propter communem errorem, ut error ſit communis etiam quoad eos, quibus beneficia conferuntur, vel ſacramenta adminiſtrantur: nam reſpectu eorum, qui ſciunt impedimentum, non ſuſtinentur geſta per Prælatum, vel Parochum putativum, ut ſatis colligitur ex dict. *l. Barbarius*, ponderando litteram ibi, *quamdiu latuit*, & ibi, *propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt*, juncta ratione gloſſæ *in verb. Effeciſſet, in fin.* ne ſcilicet homines decipiantur: Eccleſia enim dum tribuit juriſdictionem habentibus titulum putativum ſuccurrit errantibus tantum; unde ut in propoſito inquit Abbas in *cap. Ad probandum, numer.* 15. *in fine, de re indic.* [dignum eſt ut beneficium ignorantiæ non proſit ſcientibus,] & fuit dictum Joann. Andr. & aliorum in *cap.* 1. *de reſcript. in* 6. & quamvis Anton. de Butr. in dict. *cap. Ad probandum, numer.* 11. Imol. *numer.* 6. Abb. *num.* 15. Felin. *num.* 8. & Alexand. de Nævo *num.* 27. ſentiant geſta per Prælatum putativum mero jure valere, etiam quoad ſcientes impedimentum, ſed eſſe retractanda in odium illorum: tamen abſolutè non valere geſta reſpectu ſcientis impedimentum cenſent in terminis dict. *l. Barbarius*, Albertinus ibi, *numer.* 22. Millus *in repertor. in verb. Error communis*, dicens hanc eſſe quamdam limitationem ad dict. *l. Barbarius*, Felin. in *cap. Rudolphus, numer.* 40. *de Reſcript.* Decius in *cap. Seiſcitatus, num.* 39. *verſ. Prædicta concluſio, eodem tit.* Et propterea ſi aliqua Civitas reputetur communiter habere privilegium doctorandi, & in veritate non habeat, ſi aliquis hoc ſciens ibi inſignia doctoratus aſſumpſerit, non erit doctor, quia communis error illi ſcienti non prodeſt, Brixien. *in ſuo Repertor. verb. Error*, & poſt Felin. tradit Dec. *loco citato*. Sed Catholici in Ruſſia certò ſciunt Ordinarios, & Parochos ſchiſmaticos non habere verum titulum Cathedralis, vel Parochialis Eccleſiæ, cùm eorum ſchiſma notorium ſit: ergo communis reputatio Catholicis non prodeſt quoad validitatem matrimonii.

Requiritur quartò, ad validitatem eorum, quæ fiunt 135
à Prælato putativo, ut error communis ſit facti, non autem juris; nam in dict. *l. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*, ille ſervus credebatur liber, & ſic factum ſervitutis ignorabatur; idem patet in *cap. Infamis, verſ. Veruntamen*, 3. *quæſt.* 7. ibi, *Si ſervus cum putaretur liber, ex delegatione ſententiam dixit:* at hoc caſu eſto ſufficeret communis error ſchiſmaticorum, nec requireretur etiam Catholicorum: tamen ſchiſmatici non ignorant factum, id eſt Vuladicas, & Popones Ruthenos eſſe præciſos ab unitate Eccleſiæ Romanæ: id enim eſt notorium, nec ab ipſis negatur; ſed ignorant jus, quia falsò credunt eos eſſe Catholicos habere titulum, & poſſe ritè, & rectè ſacramenta adminiſtrare. Atqui refugit animus, & Eccleſia velit fovere hunc errorem hæreticorum, & eidem errori innixa illis tribuere juriſdictionem ad beneficia conferenda, & ſacramenta adminiſtranda: ad hoc allego Federic. de Senis *conſ.* 137. *Viſo, & examinato, ſub numer.* 2. *verſ. Hoc ſalvo:* ubi ex facto conſuluit valere acta, & geſta per miniſtrum excommunicatum, & irregularem; ſi tamen communiter reputabatur, & habebatur, & tenebatur à Prælatis, & ſubditis provinciæ non excommunicatus, nec irregularis, & omnia faciebat tamquam Prælatus integri ſtatus eo, quod ignorabatur, ſeu errabatur in facto; ſecus verò ſi opinio, & reputatio communis habuiſſet ortum ex errore ſupino, eo quod idem miniſter aſſereret ſe non eſſe excommunicatum, cùm eſſet excommunicatus, vel ad excuſationem facti damnati allegaret ſe habuiſſe licentiam à non habente poteſtatem illam concedendi; quia tunc reputatio communis ex fatuitate procedens non prodeſt ad validitatem geſto-
rum. Facit quod notat Petrus de Anchar. in dict. *cap. Ni-* 136
hil, quæſt. 4. *in fin. de elect.* ubi ait valere geſta per Prælatum putativum, quamdiu toleratur: ſecus ſi eſſet notorium eum eſſe ſuſpenſum, per *cap. Veritatis, de dol. & contum. cap. Ad probandum, de re iudic. & cap. Verum*, 32. *diſtinct.*

Reſpondetur ſecundò, concluſionem illam, quod ge- 137
ſta à ſchiſmaticis, & excommunicatis, & in ſpecie collationes beneficiorum ſuſtineantur ob communem reputationem, habere locum dumtaxat reſpectu Prælati collato-
ris, non autem reſpectu ſubditi collatarii. Ratio diver- 138
ſitatis eſt, quia Prælatus confert publici officii auctoritate; cujus ratione valent geſta propter publicam utilitatem. At hæc ratio ceſſat in ſubdito; quia beneficium aſſequitur ut privatus, non autem authoritate alicujus publici officii. Colligitur hæc diſtinctio ex Innocentio in *cap. Cùm dilectus, de conſuet.* ubi tradit generalem theoricam, quod in his, quæ non geruntur ratione publici officii, nulla eſt differentia inter excommunicatum publicum, & occultum, quod ipſum voluit Joan. Andr. in *cap.* 1. *de reſcript. lib.* 6. & Calder. in *cap. Ad probandum, de re iudic.* quos refert, & ſequitur Abb. *ibi num.* 12. *&* 13. & ſatis probatur ſecundùm eum in dicto *cap. Cùm dilectus, &*

cap. Cum inter R. de elect. ubi electio facta diſtinctione inter publicos & occultos: nam in iſtis ceſſat ratio publicæ utilitatis, neque enim Canonici eligunt jure publico, ſed proſequuntur jus ſuum proprium, ut per eum: ſed melius ad propoſitum noſtrum probatur in *cap. Poſtulaſti, de cler. excommun. miniſtr. & in cap. 2. §. Heretici, de heretic. lib. 6.* ubi collatio beneficii facta excommunicato, vel hæretico eſt ipſo jure nulla, nec diſtinguitur inter publicum, & occultum: unde collationes factas etiam occultè excommunicatis, hæreticis, vel ſchiſmaticis eſſe irritas; ſatis probatum eſt ſupra in 3. fundamento *num.* 73. Quamobrem eſto in Epiſcopis Ruthenis concurrant omnia requiſita; de quibus ſupra in prima reſponſione ad hoc collationes Parochialium ab ipſis factæ ſuſtineantur ex titulo putativo, & communi errore: hoc tamen non procedit ſi collationes fiant ſchiſmaticis, & excommunicatis; quia reſpectu impetrantium error, ſeu reputatio communis nihil operatur.

139 Opponitur quintò, ſolemnizare matrimonium non eſt actus juriſdictionis, nec Ordinarius, aut Parochus illi aſſiſtit tanquam miniſter, ut in aliis ſacramentis, ſed præſtat nudam præſentiam tamquam teſtis authorizabilis, Rota *deciſ. 750. num. 1. par. 1. diverſ.* & aliàs cenſuit Sacra Congregatio Concilii. Ergo etiamſi Epiſcopi, & Sacerdotes ſchiſmatici carerent poteſtate juriſdictionis; non tamen videntur impediri, quin poſſint intereſſe matrimoniis ut teſtes.

At facilis eſt reſponſio; quia quamvis Ordinarius, vel Parochus aſſiſtat matrimonio tamquam teſtis; requiritur tamen pro forma ut ſit Ordinarius, vel Parochus ad præſcriptum dictum *cap. 1. ſeſſion. 24. de reformat.* alioquin ſi ſufficeret quilibet teſtis, etiam non Ordinarius, vel Parochus, Concilium non dixiſſet coram Ordinario, vel Parocho, & duobus teſtibus. Requiritur ergo ex Concilio ad validitatem matrimonii, ut non ſolùm illi aſſiſtant duo teſtes, ſed præter illos etiam alius teſtis authorizabilis, qui ſit Ordinarius, vel Parochus: at Epiſcopi, & Sacerdotes Ratheni nec ſunt Ordinarii, nec Parochi, cùm titulum canonicum non habeant Cathedralis, vel Parochialis Eccleſiæ, ut latè oſtenſum eſt ſuprà: ergo matrimonia validè ſolemnizare non poſſunt.

140 Opponitur denique in Bulla Clementis VIII. *Sanctiſſimus Dominus*, in inſtructione ſuper aliquibus ritibus Græcorum, poſteaquam actum fuit de Græcis Catholicis, & etiam ſchiſmaticis, ut ex contextu patet; tandem in §. 5. generaliter ſtatuitur, ut Ordinarii matrimonia inter Græcos dirimi, ſeu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant; & ſi quæ de facto præceſſerunt, nulla, & irrita declarent. Quæ Bulla cùm ſit edita anno 1595. annis 30. & unum poſt Tridentinum Concilium, alterutrum videtur ſupponere, ſcilicet vel decretum Concilii Græcos non obligaſſe, vel valida fuiſſe matrimonia etiam celebrata coram Præſulibus Græcis; quamvis enim fuerit Græcorum error de matrimoniis dirimendis, ut patet ex Concilio Florentino, tamen ſi decretum Tridentini etiam ſchiſmaticos ligat, & præſentia eorum Prælatorum non ſufficit, jam fuiſſent eo tempore nulla, & irrita ex vi Concilii eorum conjugia; ac proinde divortia non eſſent, ut Pontifex præcipit, irrita declaranda. Quod ſi divortia declarentur irrita utique matrimonia, valida, & firma quoad vinculum ſupponi neceſſe eſt.

141 Sed huic objectioni reſpondetur Conſtitutionem Clementis non eſſe intelligendam de matrimoniis ſchiſmaticorum, ſed Catholicorum tantùm: nam cùm Clemens per totam illam Conſtitutionem præſcribat ritus à Græcis obſervandos, præcipuè in ſacramentis: non eſt credendus ejuſmodi ritus præſcripſiſſe Græcis ſejunctis ab unione Eccleſiæ, qui latinos ritus abominantur, ut in *cap. Licet Græcos, ſupra de Baptiſ.* & de quorum ritibus non eſt curandum quamdiu perſiſtunt in ſtatu damnabili hæreſis, & ſchiſmatis. Quinimò in §. 4. declarat non eſſe 142
admittendos Epiſcopos ſchiſmaticos ſive pro ordinibus, ſive pro aliis ſacramentis conferendis, & in §. 6. Presbyteros ſæculares, abjuratis ſchiſmate, & erroribus, atque in fide Catholica benè inſtructos in Parochialibus, ſeu Curatis Eccleſiis Græcorum benè inſtitui poſſe. Quomodo ergo elicere poſſumus ex hac Conſtitutione, ut valeant matrimonia coram Ordinario, vel Parocho ſchiſmatico, ſi Conſtitutio interdicit ne Epiſcopi ſchiſmatici ad ſacramenta admittantur, neve Presbyteri ſchiſmatici inſtitui poſſint in Parochialibus, niſi poſteaquam abjuraverint ſchiſma? Præterea quatenus eadem Conſtitutio dum prohibet ne divortia fiant quoad vinculum, loqueretur etiam de matrimoniis ſchiſmaticorum, utique intelligenda eſſet tantùm de matrimoniis celebratis in illis Parochiis, in quibus decretum *de reformat. matrim.* publicatum non eſſet. Tunc enim valida ſunt matrimonia etiam clandeſtina, nec ſunt dirimenda, ut ibi ſtatuitur; non autem de contractis in Parochiis, in quibus ejuſmodi decretum fuit publicatum. Tunc enim ad eorum validitatem requiritur præſentia Parochi, quam exhibere non poſſunt ſchiſmatici, qui Parochi non ſunt, ut dictis conſtat: & propterea Clemens ibidem mandat Epiſcopis, ut curent in ſingulis Parochiis Græcorum publicari decretum Concilii Tridentini *de reformat. matrim.* imò ex hac Conſtitutione deduci poteſt validum fundamentum pro hac ſententia: nam ſi Græci ſchiſmatici potuiſſent inſtitui in parochialibus in vim decreti Concilii Conſtantienſis, cur Clemens declaraſſet eos non poſſe inſtitui in parochialibus niſi abjurato ſchiſmate? Alterutrum ergo neceſſe eſt fateri, id eſt aut ſchiſmaticos non fuiſſe habilitatos ad parochiales obtinendas per Concilium Conſtantienſe, aut ſi habilitati fuerunt, illius diſpoſitionem ſublatam fuiſſe per hanc poſteriorem contrariam Conſtitutionem Clementis VIII. ſecundum ea, quæ de Conſtitutione Pauli IV. & de Concilio Lateranen. dicta ſunt ſuprà in 2. & 3. fundamento *numer. 66. & 72.*

Ex quibus omnibus, ut initio diximus, veriùs videtur 143
matrimonia Catholicorum contracta coram Popis Rothenis nulla, atque irrita eſſe, ſi in eorum parochiis decretum *cap. 1. ſeſſion. 24. de reformat. matrimon.* publicatum fuerit. Cæterum an ita ſit, necne cùm pendeat ex facto, ad judicium noſtrum non pertinet; ſed ipſe Archiepiſcopus Leopolienſis diligenter diſpicere debebit. In quo tamen duo præcipuè erunt illi animadvertenda. Alterum quo ad hoc ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii decretum publicatum fuerit in Synodo provinciali; ſed abſolutè requiritur ut fuerit publicatum in ſingulis parochiis, quemadmodum Sancta Synodus præſcribit. Alterum quod eadem Sacra Congregatio declaravit præſumi publicationem quando decretum illud fuit obſervatum tanquam decretum Concilii.

Fortè tamen ſuper his omnibus, cùm res graviſſima ſit tutius eſſet requirere oraculum Sanctiſſimi in S. Congregatione Inquiſitionis.

DE

Digitized by Google

DE APOSTATIS, ET REITERANTIBUS Baptiſma.

Honorius III. Archiepiſcopo Lugdunen.

CAPUT VI.

COnſultationi tuæ breviter reſpondemus, quòd Monachus aliquem ſacrum ordinem in apoſtaſia recipiens, quantumlibet ſuo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, abſque diſpenſatione Romani Pontificis miniſtrare non poterit in ordine ſic ſuſcepto.

SUMMARIUM.

1 *Regularis in apoſtaſia ordinatus ad ſacros ſine diſpenſatione Papæ non miniſtrat in illis.*
Nec ad ſuperiores aſcendit, num. 4.
Et quid in promoto ad minores, num. 3.
2 *Regularis apoſtata poſt reconciliationem ordinatus ſine diſpenſatione remanet in ordine ſic ſuſcepto.*
5 *Regularis tranſiens à ſtrictiori ad laxiorem Religionem abſque Sedis Apoſtolicæ licentia an ſit apoſtata, & excommunicatus, aut ſaltem ſuſpenſus, & numer. ſeqq. maximè à num. 11. uſque in fin.*
6 *Intellectus* cap. Ex parte, de tempor. ordinat. *& num. ſeqq.*
7 *Apoſtata propriè non dicitur Religioſus, niſi habitum temerè dimittat, & ad ſæculum redeat, & numer. 12. & ſeq.*
8 *Excommunicatio, quæ annexa eſt apoſtaſiæ, non incurritur, niſi pro peccato mortali.*
9 *Regularis tranſiens ad ſtrictiorem Religionem licentia petita, licèt non obtenta, non peccat.*
10 *Regularis canonicè translatus ad arctiorem Religionem non poteſt redire ad primum ordinem abſque licentia Papæ.*
11 *Apoſtatæ propriè non dicuntur niſi qui legem Chriſtianam dimittunt, vel qui relicta profeſſione, quam dimittere non licèt, dimittunt ſine cauſa.*
13 *Regularis tranſiens ad alium Ordinem ſine legitima licentia non poteſt ibi promoveri ſine diſpenſatione ſuperioris regularis ſi tranſitus ſit publicus, quod ſi occultus, nulla eget diſpenſatione.*
14 *Apoſtata à Fide, vel ex voto Religionem deſerentes in apoſtaſia ordinati, carent executione, nec poſſunt ab alio, quàm à Papa diſpenſari.*
15 *Regularis tranſiens, ad laxiorem Religionem licentia non petita, vel petita, ſed non obtenta, peccat mortaliter.*
Sed non dicitur propriè apoſtata, & cur, ibid. & num. 16. cum duobus ſeqq.
17 *Apoſtatarum duo ſunt genera, & num. ſeqq.*
18 *Regularis migrans ad Ordinem laxiorem abſque licentia incidit in apoſtaſiam minorem; non autem in majorem, & indiſpenſabilem.*
19 *Apoſtaſia eſt temerarius receſſus à ſtatu Fidei, Obedientiæ, vel Religionis.*
20 *Apoſtatæ unde dicantur.*
21 *Regularis ejectus à laxiori Religione, ad quam de facto tranſivit, non dicitur apoſtata, ſi per eum non ſtat quominus redeat ad primum Ordinem.*
22 *Prælati Regulares tenentur ſubditos ad laxiorem Ordinem abſque legitima licentia tranſeuntes ad ſuum Monaſterium revocare.*

1 **C**Onſultationi. Monachus in apoſtaſia ordinatus ad ſacros, ſine diſpenſatione Papæ non miniſtrat in illis. Hoc dicit ſecundùm Joann. Andr. & alios ferè omnes.

2 Nota caſum, in quo ſolus Papa diſpenſat, videlicet cum Religioſo in apoſtaſia ad ſacrum ordinem promoto, quantumcumque pœnitentiam egerit, & Abbati ſuo fuerit reconciliatus, ut in text. ſi tamen priùs reconciliatus fuiſſet, & poſteà à ſuo Epiſcopo ordinem canonicè ſuſcepiſſet, ſine diſpenſatione remaneret in ordine ſic ſuſcepto, ſecundùm Innocent. & Hoſtien. *hic in princip.* quibus cæteri conſentiunt. Et dum textus dicit ſacrum ordinem, 3
innuit ſecus eſſe in minoribus; unde eo caſu diſpenſat Epiſcopus, cùm Papa ſibi non retinuerit diſpenſationem; *cap. Nuper, de ſenten. excommun.* ſecundùm Vincent. & Hoſtien. *hic in princip. verſ. Ideò etiam dicit ſacrum:* ſed hodie Religioſus apoſtata incidit in excommunicationem, *cap. 2. Ne Cleric. vel Monach. lib. 2.* unde cùm ordinem recipiat in cenſura, & ſic fiat irregularis, diſtinguendum eſt, ut legitimus in *cap. Cum illorum, de ſent. excomm.* ſecundùm Jo. Andr. *hic num. 1.* Abb. *nu. 2.* & communiter Scribentes.

Rurſus cùm textus prohibet ſic ordinatum in ſuſceptis 4
ordinibus miniſtrare, multò magis cenſetur prohiberi, ne ad ſuperiores aſcendat, dicto *cap. Cum illorum*, ſecundùm Boat. dicentem hoc eſſe tutiùs, licèt aliqui contradicant; & eum ſequuntur Jo. Andr. *num. 1. in ver. Suſcepto*, & Abb. *num. 2. verſ. Sed quæro, quia textus.*

QUÆRO, An Regularis tranſiens à ſtrictiori ad 5
laxiorem Religionem abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſit Apoſtata, & excommunicatus, aut ſaltem ſuſpenſus?

Solutio quæſtionis pendet ex intellectu duorum Cano- 6
num, qui videntur invicem pugnare, videlicet *cap Ex parte, de tempor. ordinat.* & hoc *cap. Conſultationi:* nam in *cap. Ex parte*, cùm quidam Abbas, & Monachi conſuluiſſent, an eorum Monachus, qui ſe tranſtulit ad Monachos Nigros, & habitum eorum aſſumpſit, ibique ordinatus fuit ſacerdos, in aſſumpto ordine poſſet miniſtrare, Innocentius III. reſcribit ut ipſi Monacho officium ſacerdotis liberè exequi permittant. Atque ita ex eo textu apparet tranſeuntem de religione in religionem, quamvis videatur apoſtata, eo quod habitum ſui Ordinis temerè dimiſerit, tamen non eſſe excommunicatum, aut ſuſpenſum, nec ſi in hujuſmodi apoſtaſia promotus fuerit, eſſe irregularem. Contra verò in hac Decret. generaliter deciditur, ut Monachus in apoſtaſia ordinatus ad ſacros, abſque diſpenſatione Romani Pontificis miniſtrare non poſſit in ordine ſic ſuſcepto.

Pro conciliatione afferuntur à gloſſa, & DD. duo intellectus. Primus eſt, quod text. in dict. *cap. Ex parte*, procedat in Monacho, qui tranſivit licitè, id eſt licentia petita, licèt non obtenta, ad Religionem Nigrorum, quæ erat ſtrictior: ideò ex hoc non poteſt dici apoſtata; & ſic non eſt irregularis, nec aliqua eget diſpenſatione: textus verò in hoc cap. procedit quando tranſivit illicitè; & ſic ibi ordinatus non debet miniſtrare niſi diſpenſetur; ita gloſſ. 2. in dict. *cap. Ex parte*, & ibi Anton. de Butr. *ſub num. 5.*

Sed hic intellectus non placet, primò quia ſupponit tran- 7
ſeuntem illicitè ad aliquam Religionem eſſe propriè apoſtatam; quod tamen eſt falſum, quia ad hoc requiritur, ut dimiſſo habitu ad ſæculum redeat, juxta text. in *cap. Ut periculoſa, Ne Cler. vel Mon. lib. 6. in cap. ult. 50. diſtin.* ibi: *Et ad ſæcularem redeunt converſationem, & in cap. 1. ſupra eod.* ibi: *relicto habitu ſuo in apoſtaſia tanquam laici converſantur.* Seu, quod idem eſt, ut relinquat Monachatum, quemadmodum loquuntur Goffr. & Jo. Andr. & eſt communis opinio, ut inferiùs patebit.

Deinde quia ſi Monachus, de quo in d. *cap. Ex parte*, tranſiiſſet ad ſtrictiorem, licentiam petita licèt non ob-

tenta, illa quæſtio fuiſſet de indubitabili, contra text. in *l. Labeo, ff. de carbon. edic.* & notata per Abb. in *cap. Cum in iure, de elect.* & alios apud Rimin. jun. *conſ. 639. Magnificus, num. 70. lib. 6.* Ineptum enim fuiſſet in controverſiam adducere an eo caſu Monachus poſt tranſitum ordinatus eſſet irregularis, & fruſtrà DD. excitaſſent quæ-
8 ſtionem, an eſſet apoſtata: ſiquidem excommunicatio, quæ annexa eſt apoſtaſiæ, dict. *cap. Ut periculoſa*, cùm ſit pœnarum graviſſima, *cap. Corripiantur, 24. quæſt. 3.* non incurritur niſi pro peccato mortali, *cap. Nemo Epiſcoporum, 11. quæſt. 3.* S. Thomas *in 4. diſtinct.* 18. Tabien. *in verb. Excommunicatio primo, verſ. Utrum excommunica-*
9 *tio poſſit infligi.* At qui tranſit ad ſtrictiorem licentia petita, licèt non obtenta, cùm id faciat Canonis authoritate, id eſt *cap. Licet de regul.* utique non peccat, Can. *qui peccat, 23. quæſt. 4.* & tradit Innoc. in dict. *cap. Ex parte, nu. 2. in verb. Exequi*, ibi: *Si monaſterium ad quod tranſivit, erat arctius, quàm primum, non peccavit, &c.* Quin potiùs meretur cùm ad frugem melioris vitæ tranſmigret, & adimpleat propoſitum ſanctioris vitæ, ut legitur in dict. *cap. Licet*. Dicendum eſt igitur Monachum, ibi, vel tranſiiſſe ad laxiorem abſque diſpenſatione Romani Pontificis, vel certè ad ſtrictiorem, vel parem, nec obtenta, nec petita licentia à ſuo Superiore. Quod videtur innuere littera ibi, *Qui ſe tranſtulit*. Unde ex eo textu ſecundùm hoc irrefragabiliter probatur Monachum illicitè tranſeuntem ad alium ordinem, dummodo habitum regularem non dimittat, non eſſe propriè apoſtatam: nam ſi eſſet talis, non poſſet in ſuſcepto ordine miniſtrare, ut hic deciditur.

Accedit, quod in dict. *cap. Ex parte*, Monachus, qui tranſivit ad Nigros, ſupponitur poſteà rediiſſe ad primum monaſterium; ideòque ille textus à DD. ſic ſummatur. Si Monachus unius ordinis, in ſecundo ordine, ad quem tranſivit, recipit ſacerdotium, ad primum ordinem rediens, liberè miniſtrabit. Ergo hinc neceſſariò ſequitur, ut vel religio Nigrorum, ad quam tranſivit, eſſet laxior, vel ſi ſtrictior, tranſiiſſet de facto non petita licentia; aliàs enim ſi religio fuiſſet ſtrictior, & Monachus canonicè trans-
10 latus, non potuiſſet poſteà redire ad primum ordinem laxiorem abſque licentia Papæ, Innoc. in *cap. Intelleximus, num. 2. in verb. Exercere, de ætat. & qualit.* gloſſ. & DD. in *cap. Cum ſingula, §. fin. de præben.* Rebuff. *in praxi benefic. in tit. de transl. Monach. nu. 9.* & ſic rediens ſecundùm hunc intellectum non potuiſſet in ſuſcepto ordine miniſtrare, cujus tamen contrarium ibi deciditur.

11 Itaque ſecundus datur intellectus, quod ſcilicet Decretalis *Ex parte*, procedat in Monacho, qui licet de facto tranſierit ad alium ordinem, tamen habitum regularem non dimiſit; & ſic non fuit propriè apoſtata, nec ex ordinum ſuſceptione irregularis. Textus verò in præſenti procedat in eo, qui ex toto dimiſit habitum, & ad ſæculum redit: qui propriè dicitur apoſtata, & incidit in excommunicationem juxta text. in dict. *cap. Ut periculoſa, Ne Cler. vel Monach. lib. 6.*

12 Et hic intellectus communiter recipitur: nam gloſſa in dict. *cap. Ex parte, in verb. ad Nigros*, quærens an Monachus tranſiens ad aliam religionem ſit apoſtata, concludit non eſſe propriè apoſtatam, niſi recedentes à fide, vel retrohabentes: & intelligit pro retroabeuntibus omninò deſerentes religionem, cùm alleget text. in *c. Non obſervetis, 26. quæſt. ult.* ſeu redeuntes ad ſæculum, juxta text. in *cap. ult. 50. diſt. & cap. 1. ſupra eod.* Et de his gloſſa ſentit eſſe intelligendum hoc cap.

Innocentius in eodem *cap. ex parte, num. 1.* Dic, inquit, quod propriè non dicuntur apoſtatæ, niſi qui legem Chriſtianam dimittunt, *cap. Beatus, 3. quæſt. 4. dict. cap. Non obſervetis*. Et qui relicta profeſſione, quam dimittere non licèt, dimittunt ſine cauſa. Quo loco Innocentius ſimiliter intelligendus eſt de redeuntibus ad ſæculum; tum quia hi propriè dicuntur religionem dimittere; tum quia allegat text. in dict. *cap. ult. 50. diſtin.* qui loquitur de his,
13 qui ad ſæcularem redeunt converſationem. Sentit tamen inferiùs hunc non poſſe promoveri abſque diſpenſatione, ſi tranſitus ſit publicus; adjiciens Monachum poſſe occultè tranſire, nec obſtare text. in *cap. Quanto, de translat. Epiſcopi*, quia procedit in Epiſcopo, qui cum multis tranſit in turba. At Monachus ſtat occultè, & habitu mutato incedit.

Innocentium ſequitur ibid. Anton. de Butr. *ſub num. 5.* 14
his verbis: [Dic ergo, Quidam ſunt apoſtatæ fidei, vel ex toto religionem dimittentes; & tales ordinati in apoſtaſia carent executione, & non poſſunt ab alio, quam à Papa diſpenſari. Quidam ſunt apoſtatæ latè, qui illicitè tranſeunt de religione in religionem: & tunc aut tranſeunt publicè, ita quod factum eſt publicum: & tunc cum talibus diſpenſat Abbas; aut eſt occultum, & non requiritur diſpenſatio. Aut tranſeunt licitè, & non egent diſpenſatione:] Butrium totidem verbis refert, & ſequitur Abb. *ibid. in fin.*

Jo. de Anan. *num. 1.* [Nota quod Monachus tranſiens ad aliud monaſterium non concluditur neceſſario apoſtata, adeò ut recipiens ibi ordinem, incurrat irregularitatem, nec per hoc eſt ſuſpenſus ab executione officii. Non obſtat *cap. fin. de apoſt.* quia poteſt dici, quod quidam ſunt apoſtatæ ſtrictè, qui ex toto apoſtatant relinquendo habitum, & redeundo ad mundum; vel qui apoſtatant à fide, & tales incurrunt irregularitatem. Quidam ſunt apoſtatæ latè, id eſt retroabeuntes (intelligitur retroabeuntes, qui tranſeunt de ſtrictiori ad laxiorem religionem,) & iſti non incurrunt irregularitatem, vel ſaltem talem, cum qua Abbas non poſſit diſpenſare.]

Henric. Boich. [Aut tranſivit ad laxiorem religionem 15
licentia non petita, vel petita, ſed non obtenta; & tunc peccat mortaliter.] In hoc concordat gloſſ. ibi, *in verb. Liberè*: ita quod eo caſu non debet ordinari, nec in ordinibus ſacris licitè miniſtrare, niſi priùs fuerit cum eo diſpenſatum per Epiſcopum (habet relationem ad tempus in quo monachi erant ſubjecti Epiſcopis diœceſanis, juxta text. in *cap. Pervenit, 16. quæſt. 1. & cap. Abb. cum quatuor cap. ſeqq. 18. quæſt. 2.*) & infrà: [Qui tranſivit ad laxiorem non eſt apoſtata:] nam non eſt apoſtata, niſi qui ad ſæculum redit, ut *infrà de apoſtat. cap. final.*

Similiter gloſſa noſtra hic *ad finem*, [tamen, inquit, ſi ad aliam religionem tranſiiſſet, & ordinem ibi ſuſcepiſſet, ſine diſpenſatione, poſſet in ſuſcepto ordine miniſtrare:] *ſuprà de tempor. ordinat. cap. Ex parte*: quia ordinem non ſuſcepiſſet in apoſtaſia: & ſic gloſſa apertè ſentit, talem non eſſe apoſtatam: & ſequuntur ſcribentes hic.

Rationem verò cur Monachus tranſiens abſque licen- 16
tia ad ordinem laxiorem non ſit apoſtata, reddit Innocentius in *cap. Intelleximus, in fin. de ætat. & qualitat.* [Quia, inquit, in nullo venit contra ea, quæ ſunt de ſubſtantia ordinis, cùm ſemper in alicujus obedientia fuerit:] cujus dictum ſequuntur ibi Joan. Andr. ac cæteri omnes, & Archidiac. in *cap. Placuit, 50. diſtinct. numer. 4.* dicens: [Apoſtatarum duo ſunt genera principalia.
Alii namque apoſtatæ à fide Chriſti ad cultum Idololatriæ. 17
Alii a religione ad ſæcularem ſtatum ſecundùm rigorem Canonum; nec illi, nec iſti etiam poſt acceptam pœnitentiam poſſunt promoveri.] Et infrà *num. 6.* [Sed pone quod aliquis de majori religione tranſivit ad minorem, numquid iſte dicitur apoſtata? Dicit Innocentius, quod non, quia in nullo venit contra ea, quæ ſunt de ſubſtantia ordinis, cùm ſemper ſit in alicujus obedientia: nam non dicitur apoſtata propriè, niſi qui ad ſæculum redit.] Allegat etiam pro hac ſententia Joan. Vincent. Goffred. & Bernard. in dict. *cap. Ex parte, de tempor. ordinat.* & ſequitur Præpoſ. *in §. Apoſtata*, poſt dict. *cap. Placuit, num. 2. 50. diſtinct.*

Similiter tranſeuntem ad laxiorem non eſſe excommunicatum, neque apoſtatam conſuluit Lapus *alleg. 33.* incip.
An tranſiens ad laxiorem religionem; & Ludov. Roman. 18
conſ. 341. incipien. *Circa primum conſultationis articulum*: ubi quærens an religioſus migrans ad alium ordinem regulæ laxioris, & ejus habitu proprio relicto, alienum recipiens, incidat in apoſtaſiam, ſic diſtinguit; [Aut quæritur an incurrat apoſtaſiam minorem, hoc eſt an ſit apoſtata largè ſumpto vocabulo: & dicendum quod ſic, quia eo ipſo, quod Religioſus migrat à monaſterio, & non eſt ſub obedientia ſui Prælati, largè apoſtata dicitur, ut notat Innocentius in *cap. final. de renunc.* Aut quæritur an incurrat apoſtaſiam majorem, quæ eſt indiſpenſabilis juxta *cap. fin. de apoſt.* & tunc dicendum quod non, quia ſi Monachus ad aliam tranſeat religionem, etiam laxiorem non habita licentia, ibique ordinem ſuſci-

piat,

Digitized by Google

piat, poterit in ſuſcepto ordine ſine diſpenſatione miniſtrare: iſte eſt textus in *cap. Ex parte, de tempor. ordin.* Cæterùm nec ex hujuſmodi habitus ſuſceptione, & primi dimiſſione cenſetur incurriſſe ſententiam excommunicationis ipſo facto, quàm in religioſos profert *cap. 2. Ne Cler. vel Mon. lib. 6.* Quoniam ille textus loquitur quando quis proprium habitum dimittit, & vagatur, quod ceſſat in illo, qui aliam religionem quamvis laxiorem ingreditur.] Hæc Rom. qui allegat pro hac ſententia Joan. Andr. in *cap. Ioannes, de regul.* quidquid dixerit Guliel. Naſo in *cap. Sanè, eodem tit.* Idem tenent Geminian. & Franc. in dict. *cap. 2.* Calc. *conſ. 123. ad primum, col. 2. verſ. Secundo pro hoc facit*, Joan. Staphil. *in tract. de litter. grat.* & *Iuſt. col. antepenult. iuxta parvam impreſſionem, verſ. Credo tamen quod tranſit*, & Rebuff. *in praxi beneficiar. ſub tit. de transl. Monach. nu. 11.*

19 Quæ ſententia ſatis confirmatur etiam ex ipſa apoſtaſiæ definitione, quæ aliud non eſt, quàm temerarius receſſus à ſtatu fidei, obedientiæ, vel religionis ſecundùm Hoſtienſ. *in ſumm. de apoſtat.* & Joan. de Anan. in dict. *cap. Ex parte, ante numer. 2. de tempor. ordin.* & Albetic. *in Dictionario, in verb. Apoſtaſia:* & eſt ex mente D. Thomæ ſecundùm Sylveſt. *in verb. Apoſtaſia, in principio.* Qui autem tranſit ad laxiorem religionem, abſque legitima licentia, quamvis tranſeat inordinatè, & graviter peccet, tamen nec recedit à fide, nec ab obedientia, nec à religione, ut per Innocentium, Archidiac. & Præpoſ. *locis citatis.* Ad quod confert etiam ipſa vocabuli ety-
20 mologia: dicitur enim apoſtata ab *Apo*, quod eſt de, & *Iſtimi*, quod eſt ſiſto, inde apoſtata, id eſt deſiſtens, retrò abiens à fide, vel religione ſecundùm Hugon. & Archid. *ubi ſupra*, & Sylv. *loco cit.*

Ex quibus patet hunc Regularem, qui ex Religione Capuccinorum tranſivit abſque licentia ad religionem Minorum de obſervantia, propriè non eſſe apoſtatam, nec incidiſſe in excommunicationem ſtatutam in d. *c. Vt periculoſa, Ne Cler. vel Mon. lib. 6.* & in *cap. fin. 50. diſt.*

Rurſus patet hunc non eſſe irregularem, nec ſuſpenſum, quin ſaltem poſſit diſpenſari à ſuo Superiore Regulari. Videtur tamen egere hujuſmodi diſpenſatione ſi tranſitus fuerit publicus, propter doctrinam Inocentii, Butrii, & aliorum in dict. *cap. Ex parte.* Quos ſuperiùs retulimus *num. 13. & ſeqq.*

Noo obſtat, quod poſteà fuerit ejectus à ſecunda religio- 21
ne, & diu in ſæculo permanſerit ſine habitu: id enim fecit, ut in facto ſupponitur, quia religio Capuccinorum noluit eum amplius recipere; unde ex hoc cap. non fuit apoſtata, &c. cùm non ſteterit per eum quo minùs reverteretur, atque ita inceſſerit in habitu ſæculari ſine cauſa, prout requiritur ad hoc ut ſit propriè apoſtata ſecundùm Innocent. *ubi ſupra*, & Archid. in d. *cap. Placuit, 50. diſt.* Præſer-
tim quia Superiores primæ religionis ſunt in culpa, cùm 22
teneantur ſuos Monachos indebitè à religione abeuntes annuatim requirere, & ad monaſterium revocare, ut eſt text. in *cap. fin. de regul.* Idem habetur in *cap. Ioannes, cap. Non eſt à nobis, & c. Sanè, eod. tit.* ubi patet Monachos poſt emiſſam in uno ordine profeſſionem non poſſe recipi in alio ordine laxiori ſine requiſita ſolemnitate, ac ſi recepti fuerint, jubentur reddi primis monaſteriis. Ad idem *cap. Abbates, 18. quæſt. 2.* Ubi eſt expreſſum Monachos unius ordinis profeſſos in alio illicitè pervagantes fore per Abbatem cum auxilio Epiſcopi ad proprium monaſterium revocandos. Et ita ex facto reſpondit Lud. Rom. dict. *conſ. 341. num. 2. & ſeq. verſic. Secundo quæſitum eſt.*

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, vel caſuali.

In Exodo.

CAPUT I.

SI quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur.

SUMMARIUM.

1 *ECcleſia non profert ſententia ſanguinis.*
2 Moriatur, *verbum qualiter intelligatur, & nu. ſeq. uſque in fin.*
3 *Homicida incorrigibilis debet deponi, & tradi curiæ ſæculari, ut moriatur.*
4 *Intellectus* cap. Delatori, 5. q. ultim.
Delator qua pœna ſit mulctandus, ibid.
Lingua capulari, & caput amputari quomodo intelligatur, ibid.
5 *Depoſitio habetur inſtar mortis.*
6 *Homicida ex propoſito debet deponi ab Altaris miniſterio.*

1 SI *quis.* Communiter non ſummatur, tum quia breve eſt, tum quia multiplices habet lecturas, præcipuè ob illa verba: *Ab Altari meo evelles eum, ut moriatur:* cùm enim Eccleſia non proferat ſententiam ſanguinis, *cap. His à quibus 23. quæſt. 8. cap. 1. & 2. 51. diſtinct. cap. Clericis, & cap. Sententiam, ne Cler. vel Mon.* multùm torquentur Doctores circa intellectum illius verbi, *moriatur*, Vin-
2 centius exponit, *moriatur*, id eſt in peccatis, vel ad pœnitentiam humilietur, ut *cap. Quid eſt, 5. diſt.* Goffred. exponit, *moriatur peccatum*, id eſt agat pœnitentiam, ſimilis expoſitio, *cap. Quæ Chriſto, & cap. De filia 27. quæſt. 1.* & juxta hunc myſticum intellectum ſic ſummat Cardinal. Homicida de induſtria, id eſt ex propoſito, ſubjiciendus eſt morti ſpirituali; ſed alii, ut Petrus de Anchar. in *cap. Cum non ab homine, num. 10. verſ. In contrarium de iudiciis*, Abb. in *cap. At ſi clerici, nu. 41. verſ. Additio, eod. tit.* & Jo. de Anan. *hic nu. 4. & 5.* intellexerunt hoc *cap. In Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.*]

Clerico, qui pro crimine atrociſſimo, ſicut eſt homicidium ex inſidiis, ſeu cum proditione, non expectata incorrigibilitate ſtatim poteſt degradari, & tradi curiæ ſæculari, ut luat pœnam ultimi ſupplicii, non per Epiſcopum, qui evellit eum ab Altari, cùm Eccleſia non imponat pœnam mortis corporalis, ſed per executionem judicis ſæcularis; propterea enim littera dicit, *moriatur*, in tertia perſona; ſed hunc intellectum plenè confutavi in dict. *cap. Cum non ab homine à num. 38. uſque ad num. 47.* reprobata opinione Ancharan. & Abb. *à numer. 36. uſque in fin.* Mitiùs autem Hoſtien. *hic nu. 2.* intellexit hunc textum in Clerico, 3
dummodo ſit incorrigibilis, & non aliàs per id, quod legitur, & notatur in d. *cap. Cum non ab homine*, & traditionem Curiæ ſæculari dixit fieri debere ad præſcriptum *cap. Novimus, de verb. ſignific.* & juxta hanc lecturam textus ſummatur ſic ſecundùm Abb. Joan. de Anan. Marian. Socin. & Felin. homicida incorrigibilis debet deponi, & tradi curiæ ſæculari, ut moriatur: ſed certè hic verbum nullum de incorrigibilitate, & dictum *cap. Cum non ab homine*, loquatur de homicidio indefinitè: hæc autem Decretalis, de homicidio ex inſidiis, ſeu cum proditione. Item cùm lex Exodi, quæ hic recitatur nunc ſit redacta inter Conſtitutiones canonicas, Eccleſia non benè inſtrueret judicem ſæcularem, ut Clerico degradato imponeret pœnam mortis, cùm potiùs debeat efficaciter intercedere, ut eam pœnam moderetur, ut legitur in dict. *cap. Novi-* 4
mus, & ipſemet Hoſtien. fatetur. Neque obſtat textus in *cap. Delatori, 5. quæſt. ultim.* ubi dicitur: *Delatori autem lingua capuletur, aut convicto caput amputetur*, & ſic Papa docet quid facere debeat judex ſæcularis, ut ibi notat gloſſ. *in ver. Lingua.* Id, inquam, non obſtat, quoniam ut

dicunt ibi Hugo; & Laurentius, & poſt eos Archidiaconus, *Bellamera*, Turrecrem. & Geminian. verbum, *capuletur*, exponitur, id eſt officium linguæ auferatur, id eſt privetur executione officii retento beneficio, & dignitate; & *caput amputetur*, id eſt dignitas, & beneficium ei auferatur, & diſponatur: & ſic per capitulationem linguæ intelligitur amiſſio officii, per capitis amputationem amiſſio dignitatis, ſive beneficii; at depoſitio, & hæc ſi Clericus eſt; ſi verò ſit laicus ſic exponitur. *Lingua capuletur*, id eſt in perpetuum ſilentium ſtandi in aliqua Eccleſia imponatur; & *caput amputetur*, id eſt dignitas auferatur ſi quam habet, ſin minus caput, id eſt bona fama, & ſic quaſi perpetuò erit infamis: unde ſecundùm Petrum de Sampſone relatum ibi ab Archidiacono *num.* 3. meliùs eſt ut illam litteram myſticè intelligamus: & ſecundùm hoc ille textus potiùs confirmat expoſitiones Vincentii, & Goffredi, de quibus *ſupra in principio*. Alii verò ut gloſ. *hic in verb. Per inſidias*, & Hoſtienſ. *in princip. in verb. Altari meo*, & Aretin. in dict. *cap. Cum non ab homine*, *num.* 59. intelligunt hunc textum in laico, qui ex propoſito homicidium commiſit: nam ſi confugiat ad Eccleſiam, & teneat Altare, debet tamen inde evelli, & ſic non gaudet immunitate Eccleſiæ; & juxta hunc intellectum textus ſummatur ſic: Homicida ex propoſito non gaudet immunitatibus eccleſiaſticis, ut hic in gloſſ. ante caſum: ſed neque hic intellectus placet ſecluſa proditione, quia videtur contra *cap. final. de immunitat. Eccleſ.* & debuiſſet potiùs collocari ſub illo titulo ſecundùm Abb. & Joan. de Anan. Item huic expoſitioni non congruit *verb. moriatur*, quia ſive agatur de Clerico, ſive de laico, qui immunitate non gaudet, nullo caſu Eccleſia debet indicare poteſtati ſæculari, ut reum morte afficiat, ut dict. *cap. Novimus*, *de verb. ſignificat.* & propterea Innocen. hic *in fin.* dixit hanc Decretalem loqui de Altari veteris Teſtamenti, quod non erat ejus auctoritatis, cujus ſunt noſtra Altaria: ſed hic intellectus non videtur placere Hoſtienſi hic *in fine*.

Exponamus igitur verbum, *moriatur*, id eſt depona- 5
tur, quod habetur inſtar mortis, §. *Quia ergo*, 2. *quæſt.*
7. ſecundùm Joan. Andr. hic *num.* 1. *in verb. Moriatur*,
& hic eſt communis intellectus, ut atteſtatur Aretin. in
dict. *cap. Cum non ab homine*, *num.* 59. *de iudiciis*, &
ibi dixi *num.* 42. Et juxta hanc lecturam Decretalis ſumma- 6
tur ſic: Homicida ex propoſito debet deponi ab Altaris mi-
niſterio. Hoc dicit Abb. Siculus, Joan. de Anan. & Ma-
rian. Socin.

DE HOMICIDIO.

Ex Pænitentiali Romano.

CAPUT II.

INterfeciſti furem aut latronem, ubi comprehendi poterat abſque occiſione: quia ad imaginem Dei creatus eſt, per quadraginta dies non intres Eccleſiam, & lanea veſte indutus ab eſcis & potibus, qui interdicti ſunt, & à toro, gladio, & equitatu, illos ſupradictos dies abſtineas. In tertia autem, & quinta feria, & ſabbato, aliquo genere leguminum, vel oleribus, pomis, & parvis piſciculis cum mediocri cerviſia utere temperatè. Si autem ſine odii meditatione, te tuaque liberando, hujuſmodi diaboli membra interfeciſti (ſecundùm indulgentiam dico propter imaginem Dei) ſi aliquid jejunare volueris, bonum eſt tibi: & eleemoſynam fac largiter. Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur: tamen quamdiu vivit, pœnitentiam agat.

S V M M A R I V M.

1 *OCcidens furem, vel latronem, cùm ſe poterat aliter liberare tenetur agere pænitentiam, de qua in hoc cap.*
2 *Fur, & latro an, & in quo differant, & numer.* 12. verſ. Quibus ponderatis.
3 *Furem, vel latronem occidere an liceat laico pro neceſſaria rerum defenſione, & numer. ſeqq. uſque in fin.*
4 *Quid de iure civili, & in foro contentioſo, & nu.* 18.
5 *Et quid de iure canonico, & in foro pænitentiali, & num. ſeqq.*
6 *Maritus, vel pater poteſt occidere adulterum, vel adulteram de iure civili; ſecus de iure canonico, & in foro animæ.*
7 *Intellectus huius, & num. ſeq. uſque ad num.* 13.
8 *Occidens eum qui de iure naturali, vel divino poterat occidi non peccat, ſecus ſi de iure poſitivo tantum.*
9 *Copula, &, reſolvitur in disiunctivam, ubi neceſſe eſt: alias requirit amborum concurſum, & numer. ſeq.*
10 *Metus iuſtus dicitur, ſive interveniat periculum vitæ, ſive amiſſionis bonorum.*
11 *Fur nocturnus, vel diurnus, an & quando poſſit impune occidi.*
12 *Intellectus*, l. Furem, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. *& num.* 18.
13 *Patrimonii ſui an magis, quàm vitæ alterius teneatur quis curam habere.*
14 *Inſtantiam dare ſufficit reſpondenti.*
15 *Pecunia & patrimonium dicuntur vita hominis.*
16 *Declaratur.*
17 *Clericus pro defenſione vitæ poteſt invaſorem occidere, ſecus pro defenſione rerum.*
18 *Homicidium furis pro ſola rerum defenſione, an ſit permiſſum de iure civili.*
19 *Vim vi repellere licèt cum moderamine inculpatæ tutelæ, & in quo conſiſtat huiuſmodi moderamen.*
20 *Iniuria omnis corporalis maior eſt qualibet reali.*
21 *Canoni ſtandum eſt, etiam in terris Imperii, & in foro ſæculari in materia, in qua non eſt expreſſa deciſio iuris civilis, ſed tantummodo ſunt opiniones inter Legiſtas.*
22 *Irregularis eſt laicus occidens furem pro ſola rerum defenſione.*

INterfeciſti. Occidens latronem quando aliter poterat 1
ſe liberare, tenetur agere pœnitentiam hic præſcrip-
tam: ſi verò aliter ſe liberare non poterat, non tenetur
pœnitentiam agere, niſi ad cautelam. Hoc dicit: Secun-
da ibi, *Si autem*.

Nota primò, differentiam eſſe inter furem, & latro- 2
nem, cùm de his littera dicat alternativè *furem*, *aut la-
tronem*; ſed in *cap. Suſcepimus*, *infra eodem*, hæc ponun-
tur, ut ſynonyma: nam cùm priùs textus dixiſſet, *latro-
nes*, poſteà retento eodem themate dixit, *fures*, dic, ut
ibi ſcripſi *in* 1. *notab.*

Secundò nota ibi, *Te tuaque liberando*, duo eſſe copulativè neceſſaria ad hoc, ut quis excuſetur ab homicidio latronis, videlicet, ut occiderit defendendo non tantùm res, ſed etiam perſonam: de hoc latiùs in proxima quæſtione. Quod tamen intellige ſecundùm Marian. Socin. hic *num.* 9. ut procedat reſpectu rerum, ſed reſpectu perſonæ non requiritur copulativa rerum: nam ſi mortem aliter vitari quis non poſſit, ſufficit defenſio

perſo-

Digitized by Google

perſonæ tantùm, ut eſt caſus in Clemen. *Si furioſus*, *de homicid.*

3 QUÆRO, An laico pro neceſſaria rerum defenſione liceat occidere furem, vel latronem.

Doctores in *cap. Suſcepimus*, *infra eod.* dicunt etiam pro defenſione rerum, & patriæ laicum licitè poſſe arma ſumere, & prævenire hoſtem, ut *l. 1. C. unde vi*, ita gloſ. 1. *in fi.* & *in eodem cap. Suſcepimus*, Jo. Andr. *n. 5. in gloſ.* 1. Butr. *num. 7. verſ. Hæc vera in Clerico*, Abb. *num. 4. verſ. In laico vero*, *& verſ. Et tunc ſolve contrarium*, & alii communiter. Et licitam eſſe rerum, ſicut corporis defenſionem uſque ad occiſionem injuſti aggreſſoris, præſertim ſi ſint res magni valoris, nec ſit probabilis ſpes aliter eas recuperandi, tuentur Duenn. *reg.* 101. Navarr. *in Man. cap. 15. num.* 5. Covar. *in Clemen. Si furioſus*, *in 3. part. §. Unico*, *num. 6. verſ. Sexto*, Sot. *de juſt. & iur. lib. 5. quæſt. 1. art.* 8. Molin. *in eodem tract. tom. 4. diſp. 16. num. 1. verſ. Contrarium*, Sayrus *in Clavi Regia lib. 7. cap.* 10. *& de Cenſur. lib. 6. cap. 17. num.* 24. & alii multi ex recentioribus: imò tenent omnes licitum eſſe laico pro rebus conſervandis hominem occidere, ut dicit Joan. de Anan. *in dict. cap. Suſcepimus*, *num.* 5.

4 Sed tu adverte, quia hoc eſt verum de jure civili, & in foro contentioſo: nam Legiſtæ in *d. l.* 1. ubi in ſpecie Bart. *num. 9. C. Unde vi*, *& in l. Furem*, *ff. de ſicar.* communiter tenent licere laico furem occidere, ſi aliter res a rapina, & invaſione ſalvas habere non poſſit: & hanc eſſe communem opinionem Legiſtarum teſtantur Dec. & Jaſon. *in l. Ut vim*, *ff. de juſt. & iur.* Carrer. *in practica rubr. de homicid. §. 6. num. 28. & ſeq.* Covar. *loco cit.* & Clar. alios referens in §. *Homicidium*, *verſ. Hæc autem concluſio*, *& verſ. Ultima eſt*, ſed de jure canonico, & in foro pœnitentiali
5 concludunt omnes non eſſe licitum laico pro rebus tantùm ſervandis interficere furem: & ita in ſpecie determinat Innoc. *in cap. Si vero*, *il primo*, *num. 2. verſ. Sed ſi pro rebus occideret*, *infra de ſenten. excommun.* Hoſtien. *in ſum. de homicid. §. Quæ pœna*, Abb. *hic num.* 2. & latiùs *in cap. Clerici il primo*, ubi etiam Imola *ſupra de vit. & honeſt. Clericor.* Joan. de Anan. *hic num. 6. & in d. cap. Suſcepimus*, *num.* 5. Card. poſt Paul. in d. Clemen. *Si furioſus*, *de homicid.* Calderin. *in cap. Petitio*, *infra eod.* Fortunius *in l. Ut vim*, *col. 8. ff. de juſt. & iur.* Carer. poſt alios *in pract. rubr. de homicid. §. 6. num.* 30. & ita omnes concludere teſtatur Felin. alios citans *hic num. 4. verſ. Sed in quantum omnes*, & Clar. *in d. §. Homicidium*, *verſ. Hæc autem concluſio*: & quamvis Cajetanus *in 2. 2. quæſt. 64. art. 7. in 2. dub.* ex principiis contendat oſtendere etiam in foro animæ, licitum eſſe privato hominem occidere pro rebus defendendis, eique adſtipuletur Covar. ubi ſupra exiſtimans non eſſe conſtituendam differentiam inter jus canonicum, & civile abſque expreſſa auctoritate, nec inter forum exteriorem, & forum conſcientiæ; tamen conſimilis differentia nota-
6 tur in *cap. Inter hæc 33. quæſt.* 2. nam de jure civili, & quod pertinet ad forum contentioſum poteſt pater occidere filiam adulteram in flagranti crimine deprehenſam, ut *l. Nec in ea*, *& l. ſeq. ff. de adulter.* & etiam maritus adulterum certo caſu, ut *l. Grachus*, *Cod. eod.* & tamen ſecundùm Canones, & in foro conſcientiæ, & quoad Deum pater, & maritus peccant; & ideò imponitur eis gravis pœnitentia, ut in *cap. Admonere*, *ead. cauſ. & quæſt.* & notant *hic* Abb. Joan. de Anan. & Felin. & idem Felin. in *cap. 1. nu. 2. ſupra de præſumpt.* poſt Richardum ab eo relatum in *4. ſenten. diſt. 37. q. 2. art.* 1. Angel. *in tractat. de malefic. verſ.*
7 *Che mi ha adulterato la mia donna*. Imò quatenus de jure civili liceat ſpoliatorem occidere; tamen hæc differentia inter jus Canonicum, & civile non eſt ſine expreſſa auctoritate, ut putat Covarr. quia illam expreſsè conſtituit hæc Decretalis ibi, *te tuaque liberando*, per quæ verba Abb. *hic in 4. notab. num.* 2. [Nota, inquit, ſingulariter textum quod tunc quis excuſatur ab occiſione furis etiam nocturni quando facit ut liberet ſe, & ſua.] Ergo pro rebus tantum liberandis non licet occidere furem etiam nocturnum: nam iſta ponuntur hic copulativè: non ſufficit ergo altera pars. Et adverte, quia nemo ponderat iſtum textum quod ſit contra opinionem Legiſtarum, ut in prælleg. *l. Furem*, & maximè contra Bartol. *in l. 1. C. Unde vi*: dicunt enim communiter quod ſi bona aliter ſalvari non poſſunt, licitum eſt occidere furem: & pro illa opinione facit textus in *cap. ſequen.* ubi fit mentio de illa *l. civili*, ſed ſalvando opinionem illam Legiſtarum, poſſumus dicere quod in foro ſæculari contentioſo procedit illa opinio per textum in *l. Itaque*, *ff. ad leg. Aquil.* ſed propter hoc non evitatur peccatum: unde in foro pœnitentiali debet imponi pœnitentia, ut probatur optime hic: ita Abb. quem totidem verbis refert, & ſequitur Joan. de Anan. *num.* 6. Marian. Socin. *num.* 8. & videntur etiam hanc differentiam admittere Jaſ. & Dec. *in dicta l. Ut vim*.

Pro qua optimè facit diſtinctio, quam ponit Æneas de 8
Falcon. *in addit. ad Abb. hic in verb. A peccato homicidii*; ait enim [Veritas iſta eſt, quam elicio ex dictis Abbatis hìc, videlicet quod ſi occido illum, qui de jure naturali, vel divino poterat occidi, puta ad meam neceſſariam defenſionem; & tunc evitabo peccatum, ut etiam vult Abb. *in cap. Olim*, *il primo*, *num. 17. ſupra de reſtitut. ſpoliat.* aut ille poterat occidi de jure poſitivo, ut banniti, & ſimiles: & tunc teneo in foro animæ iſtam contrarietatem; & nota hanc diſtinctionem, quia nullus ponit.] Hæc ille: Et ſubdit, licèt nimis audacter [& eſt verum ſicut Deus eſt in cœlo.] Pro defenſione autem rerum temporalium poteſt quis occidi de jure civili tantùm ſecundùm opinionem Legiſtarum, non autem de jure naturali, vel divino, ut patebit infra à *num.* 13. imò nec de jure Eccleſiaſtico poſitivo, ut clarè probatur in hac Decretali, intelligendo illa verba, *te tuaque* copulativè, prout Canoniſtæ communiter intelligunt.

Sed objicies. Dum textus in principio decidit non lice- 9
re furem interficere ubi comprehendi cum rebus poteſt abſque occiſione, à contrario ſenſu videtur decidere, ut ibi comprehendi non poteſt; & ſic pro neceſſaria rerum defenſione, benè liceat illum interficere. Dum verò poſtea in ſecunda parte decidit licere furem occidere pro defenſione perſonæ, & rerum; verba illa, *te tuaque*, intelligi debent alternativè *te*, vel *tua*, ita ut etiam pro ſola defenſione rerum liceat occidere furem ubi comprehendi non poterat, ne alioquin ſi intelligerentur conjunctivè, hæc ſecunda pars eſſet contraria primæ, in qua deciſum eſt licere furem interficere pro defenſione rerum tantùm, ubi non poterat comprehendi; & ſic copula, *&*, reſolvitur in diſiunctivam, ſicut fieri debet, ubi neceſſe eſt, per id quod legitur, & notatur in *cap. Quemadmodum*, *in gloſ. in verb. Quamvis*, *ſupra de iureiur. & in l. Eas cauſas*, *ff. de condit. & demonſtrat.* & per Bald. *in l. 3. ff. de act. empt.* qui intellectus videtur ex mente Cajetani in 2. 2. *quæſt. 64. art. 7. in 2. dubio*, *verſ. Decretalis autem illa*, licèt obſcurè loquatur: ſed apertius ita hanc litteram exponit Covarr. in Clem. *Si furioſus*, *part. 3. §. Unico*, *num. 6. verſ.*
Sed & ad textum: quibus optimè videtur ſuffragari *cap.* 10
Verum, *de iureiur.* quod ſimiliter loquitur copulativè ibi, *pro vita & rebus*: & tamen juſtus metus, de quo ibi agitur à Doctoribus intelligitur diſiunctivè, ſive interveniat periculum vitæ, ſive amiſſionis bonorum per ea quæ habentur in *cap. Abbas*, *ſupra quod met. cau. & in cap. Frequens*, *de reſtit. ſpoliat. lib.* 6. ut *hic* per Joan. de Anan. *num.* 9.

Cæterùm hæc dicta ſunt magis ſubtiliter, quàm verè, quoniam textus in princ. neque directè, neque à contrario ſenſu decidit licere furem interficere pro ſola defenſione rerum, ſed tantummodo in ſenſu directo decidit non licere illum occidere, ubi poterat comprehendi; nec dicit cum rebus, ut ſupplet Covarr. & à contrario decidit furem poſſe occidi, ubi comprehendi non poterat. Hoc autem debet intelligi in caſu, in quo ſuberat periculum rerum, & perſonæ ſimul, quia pars prima, quæ indiſtinctè loquitur debet declarari per ſecundam ſpecialiter loquentem juxta text. in *l. Quemadmodum*, *§. fin. ff. ad l. Aquil.* ita ut ſit ſenſus; interfeciſti furem qui te, & tua invaſerat, ubi comprehendi poterat abſque occiſione, age pœnitentiam, de peccato: ſi autem interfeciſti illum, ubi comprehendi non poterat, & ſic te tuaque liberando non teneris agere pœnitentiam, niſi ad cautelam. Quo ſenſu adverſativa illa *ſi autem*, retinet propriam naturam, ut exigit Cajetanus; & copula, *&*, remanet in propria ſignificatione, ſecundùm quam requirit amborum concurſum, ut *l. Si hered. ff. de condit. & demonſtrat.* nec debet in diſiunctivam reſolvi abſque neceſſitate, ut in juribus in contrarium citatis *num.* 9. Atque ita hæc verba, *te tuaque*, eſſe conjunctivè accipienda, ita ut pro ſalvandis rebus tantùm non liceat furem occidere: tenet gloſ. *in verb. Fugiens*,

Digitized by Google

giens, *in ſumma*, 23. *quaeſt.*3. & notant *hic* Abb. *num.* 2. Joan. de Anan. *num.*6. & Marian. Socin. *num.* 8. idem dicunt in *cap. Suſcepimus*, *infr. eod.* Hoſtien. *num.* 3. *in verb. Tam acriter*, Jo. Andr. *num*, 3. *in verb. Acriter*, Butr. *n.*6. *verſ. Secundo caſu*, Cardin. *num.*2. *verſ. Oppono*, Marian. Socin. *num.*7. & reliqui omnes, dum ponderant hanc litteram non dicere, *te*, vel, *tua*, ſed *te tuaque*, & ita hìc non agi de defenſione rerum tantùm, ſed rerum & perſonæ ſimul, à quorum interpretatione non videtur recedendum, quidquid dicant Theologi, quia hæc eſt propria meſſis Canoniſtarum.

11 Præterea huius intellectus veritatem ego alia conſideratione oſtendo, ni fallor, apertiſſimè: & ante omnia pondero differentiam inter furem nocturnum, & diurnum: nam fur nocturnus occidi poteſt impunè, tam de jure civili ex lege duodecim tabularum, ut in *l. Itaque*, §. *Lex*, *ff. ad leg. Aquil. & leg. Furem*, *ff. ad leg. Corneliam*, *de Sicar.* quàm de jure Canonico, ut in *cap. proximo inf. eod.* Imò etiam de jure divino: nam ut legitur Exodi 22. *Si effringens fur domum ſive ſuffodiens fuerit inventus*, *& accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis*. Fur autem diurnus non poteſt impunè occidi; ſequitur enim in ſacro textu: *Quod ſi orto ſole hoc fecerit*, *homicidium perpetravit*, *& ipſe morietur*. Idemque habetur in *d. cap. proximo infra eodem*, *& in d. l. Itaque*. Deinde pondero rationem diverſitatis quam aſſignat Auguſtinus in eod. cap. proximo exponens hanc ipſam Exodi auctoritatem, *quia ſcilicet occidens furem orto iam ſole*, *poterat diſcernere quod ad furandum*, *non ad occidendum veniſſet: & ideò non debuit occidi*. Quæ ratio probat à contrario: *propterea furem nocturnum occidi poſſe*, *quia incertum eſt an venerit animo occidendi*, *vel furandi*, & ita ſubeſt periculum perſonæ, & rerum ſimul. E contra verò furem diurnum non debere occidi, quia agitur de periculo rerum, non autem perſonæ; Cùm enim telo ſe non defendat, jam intelligi poteſt ad furandum, non ad occidendum veniſſe; quod clarè adnotavit gloſ. *in dict. l. Itaque* §. *Lex*, *in ver. ut tamen*, *in fine*. [Quia, inquit, in die propter periculum rerum non poteſt occidi, licèt cum rebus fugiat, ſed in
12 nocte ſic.] Et quamvis gloſs. ibi ante finem, & in *d. l. Furem*, *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* aſſignet etiam aliam rationem diverſitatis, quia ſcilicet nocturnum ſi recedar cum rebus poſtea non recognoſcam. Quod ſecus eſt in diurno qui poterit accuſari; & ideò debet dimitti: tamen hæc ratio non videtur congruere litteræ *d. l. Furem*, ubi qui furem nocturnum occidit, ita demum impunis evadit, ſi parcere ei ſine ſuo periculo non poteſt; dicit enim periculo ſuo, & non rerum, & ſic conſiderat tantummodo periculum perſonæ, ut advertit hic Jo. de Anan. & latiùs dicam infra *num.* 18.

Præterea ſi valeret hæc ratio, non liceret furem diurnum occidere, etiam cùm telo ſe defendit, quia etiam tunc poteſt cognoſci, & accuſari, & ſic deberet dimitti; cujus tamen contrarium deciditur in *d.* §. *Lex*, *& in cap. prox. infra eodem*. Et certè non alia ratione, niſi quia cùm teſiſtit telo, agitur etiam de periculo perſonæ; ea enim plus eſt quam fur, ut dicitur in eod. cap. Sed quidquid dicat gloſ. juris civilis, ſecundùm Canones prævalet ratio ibi expreſſa, *quia ſcilicet diſcerni poteſt quod fur diurnus venerit ad furandum*, *non ad occidendum*, *& ideo non debet occidi*. Quibus ponderatis hæc Decretalis dum in principio loquitur alternativè de interfectione furis, aut latronis, pro fure intelligit nocturnum, pro latrone autem diurnum, ut poſt Goffred. notat *hic* Butr. *num.*6. & Joan. de Anan. *nu.* 1. & Cardin. *in cap. Suſcepimus*, *in* 1. *notab. infra eodem*, nam etſi fur, & latro aliquando ſint ſynonyma, ut *in d. cap. Suſcepimus*, & propriè fur dicatur, qui clam furatur, & latro qui palam, ut ibi dixi in 1. *notab.* Tamen quia furta clam, & obſcurè fiunt, & plerumque de nocte, ut dicitur in *l.* 1. *ff. de furtis:* ideò communiter fures appellari ſolent qui noctu, latrones verò qui interdiu, & palam furantur. Dum ergo textus in prima parte hic dicit: *Interfeciſti furem*, *aut latronem*, *ubi aliàs poterat comprehendi abſque occiſione: age pœnitentia*, *&c.* Senſus eſt, Non licuit tibi furem ſive nocturnum, ſive diurnum interficere, ubi capi poterat ſine occiſione, quia eo caſu defenſio perſonæ, & rerum non erat inevitabilis, prout requiritur ad hoc ut liceat invaſorem occidere, ut in Clem. *Si furioſus*, *de homicid.* Si autem comprehendi non poterat, tunc ita demum eris ab homicidio immunis, ſi eum interfeciſti, ut te tuaque liberares; & ſic pro defenſione perſonæ, & rerum ſimul, puta quia fur nocturnus erat, aut ſi diurnus, telo tamen reſiſtebat, quo ſenſu hic textus concordat cum cap. ſeq. & probat concludenter pro ſola rerum defenſione nullo caſu furem occidi poſſe ſine peccato, etiamſi res aliter ſalvari non poſſint, quàm occidendo.

Non obſtat fundamentum Cajetani *in* 2. 2. *qu.* 64. *art.* 7. 13
quod plus teneatur quis curam habere rerum ſuarum quæ ſunt adminicula vitæ ſuæ, & virtutis, atque felicitatis, quàm alienæ vitæ, præterquam in caſu neceſſitatis, ut in *cap. Paſce*, 86. *diſt.* & conſequenter liceat pro rebus ſuis conſervandis alium occidere. Reſpondetur enim negando hanc conſequentiam: nam & tutor magis tenetur habere curam rerum pupilli, quæ ſibi ex officio incumbit, quàm vitæ alterius, ſecundùm ratiocinationem Cajetani. Et idem in quolibet adminiſtratore, depoſitario, & conſimilibus. Et tamen nemo auderet affirmare pro ſalvandis rebus pupilli poſſe tutorem ſine peccato occidere ſpoliatorem. Sufficit autem reſpondenti dare inſtantiam ad tollendam 14
vim conſequentiæ, ut poſt Ariſt. 8. *Topicor.* declarat gloſ. 2. *in cap. Sicut urgen.* 1. *quaeſt.* 1. & Joan. de Anan. *in cap. Suſcepimus*, *num* 5. *verſ. Facit etiam*, *infra eodem*. Præterea non eſt bona conſequentia. Minus tenetur quis habere curam vitæ proximi, quàm rerum ſuarum: ergo pro ſalvandis rebus poteſt proximum ſuum occidere: arguit enim à negligentia, ſeu culpa negativa in omittendo, prout eſt non habere curam rerum ſuarum ad culpam poſitivam in committendo prout eſt proximum occidere. At nulla eſt proportio inter omiſſionem curæ rerum temporalium, & deſtructionem vitæ alterius. Quod clarè conſtat ex authoritate Auguſtini *in primo libro de libero arbitrio*, *cap.* 5. *prope fin. tom.* 1. relati a D. Thom. *in* 2. 2. *quaeſt.* 64. *art.* 7. *in* 2. *argum. contrario*, ubi ait: *Quomodo apud divinam providentiam à peccato liberi ſunt*, *qui pro his rebus*, *quas contemni oportet*, *humana cæde polluti ſunt?* Idemque patet ex *cap. Suſcepimus*, *infra eod.* ibi: *Expediebat potius rerum ſuſtinere iacturam*, *quàm pro rebus vilibus*, *& tranſitoriis tam acriter in alios exardeſcere*.

Sed urgebis; pecuniæ, & patrimonium dicuntur vita 15
hominis, ita ut qui patrimonium perdit, dicatur vitam perdere, ut notant gloſ. & Bald. in *l. Advocati*, *C. de advoc. diverſ. iudic.* & probatur ex illa littera, ubi qui defendit alicuius patrimonium, dicitur defendere ejus vitam. Sicut ergo licet hominem occidere pro defenſione vitæ, ut in Clem. *Si furioſus*, *de homicid.* ita & pro defenſione patrimonii.

At reſponderi poteſt hanc æquiparationem procedere 16
ſecundùm analogiam, & quoad quid, videlicet, quia de pecunia, & patrimonio homo vivit, non tamen procedere quoad hoc, ut pro defenſione rerum liceat hominem occidere, cùm vita hominis ſit rebus pretioſior, *l. Sancimus*, *ad fin.* & ibi gloſ. *in verb. Animas hominum*, *Cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* & patet exemplo clerici, qui pro defenſione vitæ poteſt occidere invaſorem, ut in d. Clem. *Si furioſus*. Et tamen non poteſt pro defenſione rerum oc- 17
cidere ſpoliatorem, ut eſt caſus apertiſſimus in *d. cap. ſuſcepimus:* & ibi dixi, *infra eodem*. Et ita in ſpecie reſpondet ibi Joan. de Anan. *num.* 5. *verſ. nec obſtat ſi dicatur:* Præterea hujuſmodi æquiparatio poſſet procedere in foro judiciali, & de jure civili, non autem in foro pœnitentiali, & ſecundùm Canones, qui indiſtinctè prohibent pro rebus tranſitoriis effundere ſanguinem, & humana cæde ſe polluere, ut proximè dictum eſt.

Quinimò non eſſet ponere os in cœlum, ſi attentare- 18
tur, nec de jure civili licitum eſſe laico furem, vel ſpoliatorem occidere pro rebus tuendis ab invaſione, & rapina: nam jura quibus innititur opinio Juriſtarum loquuntur per verba denotantia defenſionem perſonæ, non autem rerum, & accuratè obſervat *hic* Joan. de Anan. *num.*8. *verſ. Adde etiam prædictis:* textus enim in *d. l. Itaque in princ. ff. ad leg. Aquil.* dicit: *Si occidero latronem inſidiantem mihi ſecurus ero*, pondera verbum *mihi*, non enim dicit rebus meis; imò ſubdit *nam adverſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere*. Pondera verbum, *ſe*, quia non dicit ſua, & in *l. ſeq.* ſubjungit, *Si metu mortis quis furem occiderit*, *non tenebitur*, non dicit metu bonorum, ſed metu mortis. Item textus in *d. l. Furem*, *ff. ad leg. Corneliam de Sicar.* excuſat eum qui occidit furem noctur-

Digitized by Google

nocturnum, ſi parcere ei ſine ſuo periculo non poſſit. Dixit ſuo periculo, non autem periculo bonorum. Item textus in *l. Scientiam*, §. *Qui cum aliter*, *ff. ad leg. Aquil.* dicit, *qui cùm aliter ſe tueri non poſſent, damni culpam dederunt, innoxii ſunt*. Pondera eodem modo verbum *ſe*, non enim dicit *ſua*. Ita etiam loquitur textus in *cap.* 1. §. *Si quis hominem*, *in tit. de pace. tenenda*, ibi: *Vitam ſuam defendendo*; non enim dicit, *bona ſua*. Et tenendo hanc opinionem non obſtat textus cum gloſ. *in l. Vt vim ff. de inſt. & iure*, *& in l.* 3. §. *Eum igitur*, *ff. de vi*, *& vi arm.* quia littera ibi dicit licitum eſſe vim vi repellere, & rejicere; ſed non dicit occidere. Imò in *d. l. Vt vim*, ſubnectitur ratio: nam jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. Similiter textus in *d. l. Scientiam*, §. *Qui cum aliter*, *ff. ad leg. Aquil.* Dicit enim vim vi defendere omnes leges, & omnia jura permittunt; nec loquitur de occiſione. Et ita etiam poteſt intelligi textus in *l.* 1. *C. Vnde vi*, ubi littera dicit propulſare licet: nam illud verbum non importat ut
19 poſſim occidere. Præterea ibi dicitur licitum eſſe vim vi propulſare, dummodo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. In hoc autem moderamine aliis omiſſis, de quibus ibi in gloſ. *in ver. Moderatione*, præcipuè ſpectandus eſt modus, ut ſcilicet ſi in armis inferatur violentia, armis repellatur, ſi ſine armis ſimili modo repelli debeat, ut
20 *l.* 1. §. *vim vi*, *& l.* 3. *ff. de vi*, *& vi arm.* Unde pugnum, vel alapam non liceret gladio propulſare niſi in caſu de quo per gloſ. præalleg. & Bartol. Multò autem minus videtur ſervari hoc moderamen, ſi tu aufers mihi bona, & ego aufero tibi vitam: nam quælibet injuria corporalis major eſt quavis reali, *l. In ſervorum*, *in fine*, *ff. de pœn.* Bartol. *in d. l.* 1. *num.* 9. *verſ. Sed omnis iniuria*, *C. Vnde vi*. Et ſic opinio Legiſtarum deſtituitur authoritate, quia nulla lex expreſsè loquitur de occiſione niſi furis nocturni, aut diurni telo reſiſtentis, quorum occiſio permiſſa eſt, quia tunc agitur non tantùm de periculo rerum, ſed etiam perſonæ; ut abundè oſtenſum eſt ſupra à *num.* 7. & ſic ſervatur eo caſu æqualitas modi, & moderamen inculpatæ tutelæ.

Et ſecundùm hoc conſideratio Covarruviæ ſupracitati 21
ſub *num.* 5. contra ipſum retorquetur. Nam ſi non eſt conſtituenda differentia inter jus civile, & canonicum, & inter forum contentioſum, & pœnitentialem ſine manifeſta authoritate, ut ipſe dicit, profectò hinc ſequitur ut homicidium ſpoliatoris pro ſola rerum defenſione puniri debeat etiam in foro ſæculari, quoniam de jure canonico hoc expreſsè reperitur ſancitum, ut non liceat furem interficere niſi pro defenſione rerum, & perſonæ ſimul, ut latè probavimus. Nec apparet de jure civili aliquid diſpoſitum in contrarium, ut proximè dictum eſt. Stabimus ergo juri canonico in utroque foro, ut per Felin. *in cap. Eccleſia Sancta Maria*, *num.* 49. *verſ. Secunda declaratio*, *de Conſtit.* ubi poſt Butr. Imol. Abb. & Joan. de Anan. quos citat, concludit etiam in terris Imperii, & in foro ſæculari ſtandum eſſe Canoni in materia, in qua non eſt expreſſa deciſio juris civilis, ſed tantummodo ſunt opiniones inter Legiſtas.

Sed quidquid ſit de jure civili, certè ſecundùm Ca- 22
nones in foro ſaltem pœnitentiali, & quoad Deum abſolutè credimus non poſſe laicum ſine peccato occidere ſpoliatorem ſecundum communem Canoniſtarum ſententiam. Et vide Silveſt. *in verb. Excommunicatio*, 6. *quæſt.* 1. *verſ. Eſto autem quod verum diceret*, ubi limitat tribus modis. Quod multò clarius procedit in materia irregularitatis. Unde Navarr. *in Manual. cap.* 15. *num.* 3. Quamvis excuſet à mortali peccato eum, qui occidit pro juſta defenſione proximi, vel ſui honoris, vel rei familiaris, illum tamen non excuſat ab irregularitate, prout nec excuſat Silveſt. *ubi ſupra verſ. Vnde dico*. Facit quod not. gloſ. *penult.* in dict. Clemen. *Si furioſus*, *de homicid.*

DE HOMICIDIO.

Alexander III. Exonien. Epiſcopo.

CAPUT VI.

Sicut dignum: & infrà. Sanè cùm vir diſcretus exiſtas: pleniùs noſti, quòd in exceſſibus ſingulorum, non ſolùm quantitas & qualitas delicti, ſed ætas, ſcientia, ſexus, atque conditio delinquentis ſunt attendenda: & non ſolùm ſecundùm prædicta, ſed ſecundùm locum & tempus quo delictum committitur, unicuique pœnitentia debet indici: cùm idem exceſſus, magis ſit in uno, quàm in alio puniendus.

Illi autem, qui animo occidendi, feriendi, aut capiendi illum ſanctum & reverendum virum quondam Cantuarien. Archiepiſcopum, citra manuum injectionem ſe fateutur veniſſe: ſi de illa captione mors ejus ſecuta fuiſſet, pari pœnitentia, vel ferè pari exiſterent puniendi.

Illi etiam, qui non ut ferirent, ſed ut percuſſoribus opem ferrent, ſi fortè per aliorum violentiam impedirentur, paulò minori debent pœna mulctari; quia cùm ſcriptum ſit: Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit: conſtat ab homicidii reatu immunes non eſſe, qui occiſoribus opem contra alios præſtare venerunt: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultè, qui manifeſto facinori deſinit obviare.

Qui verò ſe aſſerunt animum regis inflammaſſe ad odium, unde homicidium fuit ſecutum, durè & aſperè, ſed non ita ſeverè ſunt puniendi; niſi fortè regem ipſum ad illud homicidium ſuis ſuggeſtionibus provocaſſent.

Hi quoque non ſunt à culpa liberi, nec à pœna debent eſſe immunes, qui licèt fuerint illius machinationis ignari, tamen eis, quos ſicarios eſſe ſciebant, in ſarcinis cuſtodiendis miniſterium præbuerunt.

Eos inſuper, qui dicuntur illius ſancti viri, & ſuorum poſt mortem ejus ſpolia occupaſſe: ſi nihil aliud in tanto facinore commiſerunt, à pœna mortis ejus arbitramur eſſe immunes, ſed quæ occuparunt, eis, quorum fuerunt, tenentur in integrum reſtituere, ſi habent in facultatibus, unde poſſint ea reddere: & ipſis ex hoc moderata eſt pœnitentia injungenda: quia licèt quædam ex his, quæ occupaverunt, fateantur ſe pauperibus erogaſſe, non tamen aliena, (cùm ipſa potuiſſent eis, quorum fuerint reſtituere) debuerunt pauperibus erogare.

Illis primò, qui ſola excommunicatorum participatione ſe reos eſſe cognoſcunt, conſiderata temporis mora, quo in eadem nequitia perdurarunt, & inquiſito, ſi eis timore vel affectione communicaverint ſcienter, vel ignoranter, eſt pœnitentia indicenda.

Cle-

Clericos autem, quos conſtat armatos interfuiſſe tanto facinori: & illos, qui conſilium dederunt, ut ſanctus vir caperetur, perpetuò non ſolùm ab Altaris miniſterio deponendos eſſe cenſemus, ſed etiam quòd in Eccleſiis nullo umquam tempore lectiones legant, vel reſponſoria in choro ſeparatim cantent: ſed in pſalmis apud Deum de commiſſo ſatagant veniam impetrare. Inſuper in diſtricto clauſtro monachorum, vel canonicorum regularium (ſi fieri poteſt) ſunt recludendi: ita quòd uſque ad ſeptennium vel quinquennium, debeant ab Eccleſiarum introitu coerceri.

S V M M A R I V M.

1 *Canonicus irregularis ex homicidio voluntario an poſſit in choro cum aliis pſallere, & num. ſeqq.*
2 *Lectiones non legit, nec reſponſoria ſeparatim cantat.*
3 *Clericus fit irregularis, & eſt deponendus non ſolum propter homicidium per ſe commiſſum, ſed etiam propter homicidium commiſſum eius auxilio, conſilio, vel favore, & num. 5.*
4 *Nec miniſtrat in ordinibus etiam minoribus.*
5 *Statuta punientia homicidas verificantur etiam in mandantibus fieri homicidium.*
6 *Niſi aliquid exprimant, per quod reale homicidium intelligatur.*

Sicut *dignum*. Summatur de §. in §. ut per Abb. *num.* 1.

1 In §. *Clericos*, nota ſingulariter hunc textum, quia ſolvit dubium, quod nuper contigit in S. Congregatione Concilii, An Canonicus irregularis ex homicidio volun-
2 tario poſſit in choro cum aliis pſallere, textus decidit; ut Clerici, qui in necem B. Thomæ Cantuarienſis auxilium, conſilium, vel favorem præſtiterunt, non ſolùm ab Altaris miniſterio deponantur, ſed etiam ut in Eccleſiis nullo unquam tempore lectiones legant, vel reſponſoria in choro ſeparatim cantent, ſed in pſalmis apud Deum de commiſſo ſatagant veniam impetrare.

Innocentius hic in fine arguens à contrario ſenſu ex verb. *Separatim*, dicit: quando enim omnes cantant, & ipſi cantare poſſunt. Idem Tancred. & Abb. Antiq. *in fin. in verb. Separatim*, ſed Hoſtien. *num.* 16. *in eod. verb.* dicit primò iſtos Clericos reſponſoria non poſſe dicere per ſe, cùm dicunt Tertiam: & alias Horas Canonicas, quod aliàs poſſent ex diſpenſatione Epiſcopi, ut notatur in *cap. Ad audientiam*, §. 1. *in fin. infra eod.* deinde dicit: Quicquid tamen dicatur, hic præter pſalmodiam tacitam non videtur eis aliud reſervari: & cum Hoſtien. tranſeunt ſimpliciter Joan. Andr. *num.* 12. Butr. *num.* 24. *in verb. Clericos*, Anchar. *nu.* 9. *in* 11. *notab.* & Joan. de Anan. in hoc §. *Clericos*, *num.* 1. verum Cardinalis *num.* 4. dicit ſibi magis placere primam opinionem Tancredi, & Innocentii, quæ & mihi magis placet: nam ſi iſti Clerici irregulares nec ſeparatim, nec cum aliis canere poſſent, ad quid text. dixiſſet *ſeparatim*? & tamen hoc verbum non debet cenſeri appoſitum ſine myſterio, *cap. Si Papa*, *de privileg. lib.* 6. reſtringitur ergo prohibitio ad eum caſum dumtaxat, ut lectiones non legant, nec reſponſoria ſeparatim cantent: eſt autem magna ratio diverſitatis ſecundùm Cardin. quia quando dicunt ſeparatim, plus honorantur, ſicut patet in iſtis choralibus, quibus honoris cauſa præcipitur, ut ſpecialiter dicant antiphonam, vel reſponſorium: & huic opinioni videntur etiam adhærere Abb. Siculus *num.* 10.
dum ait clericum fieri irregularem, & eſſe deponendum 3
non ſolùm propter homicidium per ſe commiſſum, ſed etiam propter homicidium commiſſum ejus auxilio, conſilio, vel favore, & ſic depoſitum non poſſe in Eccleſia ſeparatim cantare: ergo à contrario cum aliis poteſt. Addo quod opinio Hoſtien. vix poſſet ſervari ſine ſcandalo, ut ſcilicet aliis canentibus, ipſi tacerent.

Adverte tamen, quia Clericus irregularis etſi non pro- 4
hibeatur in choro cum aliis canere, ſecundum prædicta, tamen prohibetur in Ordinibus etiam minoribus miniſtrare, ut notat Marian. Socin. *in cap. Ad audientiam*, *num.* 105. *infra eod.* poſt Innoc. & Abb. *in cap.* 2. *infra de Clerico pugnante in duello*.

In gloſ. Magna in verb. *Concilium*, nota ſingulariter 5
hanc gloſſam, quia eſt magiſtra in materia irregularitatis ex homicidio, & ut dicunt Joan. Andr. *num.* 18. *verſ. Et ſcias*, Abb. & Marian. Socin. *num.* 11. ea quotidie utuntur aſſeſſores fori civilis, inducentes eam ad intellectum ſtatutorum punientium homicidas, ut verificentur etiam in mandantibus fieri homicidium, ad quod etiam inducunt jura in *l. Si quis id*, §. *fin. ff. de iuriſdiction. omn. iudic.* & *in l.* 2. §. *Divus*, *ff. de iure fiſc.* & *in l. Iudæi*, *la ſe-*
conda, *C. de Iudæis*: addit tamen Joan. Andr. & conſen- 6
tiunt alii, quod ſi ſtatutum aliquid exprimeret per quod reale homicidium intelligeretur, puta qui homicidium manu, vel enſe perpetraverit, non eſſet locus ſtatuto; ad quod facit *cap. In noſtra infra eod.* & adde quod in propoſito ſcripſi in *cap. Ad falſariorum*, *num.* 31. & *ſeqq. infra de crimine falſi*.

D E H O M I C I D I O.

Alexander III. Abbati S. Benedicti de Vebeja.

C A P U T X.

Suſcepimus literas tuas, per quas cognovimus, quòd cùm lator præſentium in cuſtodia cujuſdam domus cum altero fratre maneret, ingredientes de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipſos in perſonis affligere, & denudare veſtimentis propriis præſumpſerunt; in quos iſti reſumptis viribus inſurgentes, ligaverunt illos, & detinere uſque ad notitiam capituli voluerunt: Cùm autem iſte rem ad tuam audientiam perlaturus, ligatos eos in fratris ſui cuſtodia dimiſiſſet, & fures ſe ſolvere niterentur, frater illos (ne ipſe ab eis interimeretur) occidit. Verùm quoniam expediebat potius poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quàm pro conſervandis vilibus rebus & tranſitoriis tam acriter in alios exardeſcere, abſtineat iſte humiliter ab Altaris miniſterio: & uterque peccatum ſuum ad arbitrium tuum ſtudeat expiare: Conſtat enim eos contra manſuetudinem Eccleſiaſticam, ex utriuſque ope interemptos.

S V M M A R I V M.

1 *Irregularis eſt is, cuius illicita opera homicidium ſequitur.*
2 *Fur, & latro an, & in quo differant.*
3 *Latrocinantes qui dicantur.*
4 *Furtum unde dictum.*
5 *Clerico non licet pro rebus conſervandis latronem interficere licèt aliter res conſervari non poſſint, & num. 7. uſque in finem.*

6 *Irre-*

6 *Irregularitas contrahitur ab eo, qui ligavit furem, ſicut ab eo qui interfecit.*
7 *Clericus qui pro neceſſaria rerum defenſione occidit furem, vel ſpoliatorem an efficiatur irregularis, & nu. ſeqq. uſque in fin.*
8 *Intellectus hujus cap.*
9 *Clerici ſæculares, & Monachi quoad irregularitatem contrahendam non differunt.*
10 *Latronem capere, & ligare licitum eſt etiam Clerico dummodo id fieri poſſit ſine homicidio, & gravi ſanguinis effuſione.*
11 *Manſuetudini Eccleſiaſticæ convenit potius rerum ſuſtinere iacturam, quàm in alios acriter exardeſcere.*
12 *Clerico licitum eſt proſequi delinquentem uſque ad ſatisfactionem damni, & non ultra.*
13 *Clerico non licet ob res ſuas tranſitorias armis ſe tueri, & interficere ſpoliatorem, licet hoſtis fortior ſit, & ſine armis impetat, & ſpoliet.*
14 *Valeri Reginaldi opinio quod pro ſalvandis rebus trium, vel quatuor ducatorum liceat Clerico furem occidere, reprobatur.*
15 *Intellectus Clem.* Si furioſus, de homicid.
16 *Irregularis eſt qui pro neceſſaria parentis, filii, conjugis, vel alterius conjuncti defenſione interficit aggreſſorem.*
17 *Maritum, & uxorem eſſe duos in carne una quomodo intelligatur.*
18 *Filius in quibus cenſeatur eadem perſona cum patre.*
19 *Irregularis eſt committens homicidium pro neceſſaria defenſione proprii honoris.*
20 *Homicida eſt qui potuit hominem à morte liberare, & non liberavit.*
21 *Injuriam proximi, & vicini qui negligit propulſare videtur injuriantem fovere.*
22 *Excommunicatus eſt permittens Clericum percuti ſi potuit prohibere, & non prohibuit.*
23 *Metus ignominiæ viris bonis major, quàm mortis eſſe debet.*
24 *Defenſio rerum temporalium regulariter non eſt ſub præcepto.*
25 *Intellectus cap.* 2. ſupra eod.
26 *Intellectus cap.* Dilecto, de ſent. excomm. lib. 6.
27 *Clerico licet res proprias manuum injectione, baculo, & gladio defendere, dummodo non procedat ad ſæva.*
28 *Clericus occidens, aut cauſam præbens occiſioni pro defenſione perſonæ, & rerum, an, & quando incurrat irregularitatem.*
29 *Laico an liceat occidere latronem pro neceſſaria rerum defenſione, remiſſivè.*

1 SUſcepimus. Is, ex cujus illicita opera homicidium ſequitur, irregularis eſt. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. & omnes: vel ſic homicidium imputatur ei, qui fuit in culpa; ſed magis inhærendo litteræ ſecundum Abb. Antiq. & Felin. hoc intendit; qui pro temporalium rerum conſervatione aliquem interficit, aut occaſionem mortis præbet, irregularis cenſetur. Communis diviſio. Secunda ibi, *Verum*.

2 Nota primò, hæc verba, *furem*, & *latronem* eſſe ſynonyma: nam cùm textus, prius dixiſſet latrones, poſtea dixit fures, prout hic notat Abb. *in* 1. *notab. & in cap.* 2. *ſimiliter in* 1. *notab.* ubi etiam Marian. Socin. *num.* 2. *ſupra*
3 *eod.* Propriè tamen loquendo ſecundum gloſ. in *l. Cum duobus*, §. *Damna in ver. Subreptum*, *ff. Pro ſocio*. Latrocinantes dicuntur qui in ſylvis ſtant, ut ſpolient tranſeuntes, fures de nocte in domibus, ut in Auth. *Ut nullus judic.* §. *penult. collat.* 9. *& l.* 1. *C. Depoſ.* ſed ſecundum Cardin. *hic in* 1. *notab.* fur appellatur nocturnus, latro diurnus, & idem poſt Goffred. dixit Joann. de Anan. *in d. cap.* 2. *num.* 1. verum hæc differentia confunditur *in cap. Si perfodiens*, *ſupra eod. & in l. Itaque*, §. *Lex*, *ff. Ad l. Aquil.* ubi fur appellatur non tantum nocturnus, ſed etiam diur-
4 nus. Item confunditur per textum in *l.* 1. *ff. de furtis*, ubi furtum dicitur à furvo, id eſt nigro, quia clam, & obſcurè fiat, & plerumque de nocte: ſi plerumque ergo non ſemper. Quare tu dic, furem propriè appellari qui clam furatur, ut in *d. l.* 1. nec diſtinguitur an noctu, vel interdiu; & ita intelligitur textus in *d. cap. Si perfodiens*; latronem verò qui palam furatur, ut per Doctores in Auth. *Sed novo*, *C. de ſerv. fugit.* Florian. *in l.* 3. *in princip. ff. ad l. Aquil.* licèt Marian. Socin. *hic num.* 2. putet furem eſſe nomen generis, & latronem ſpeciei, ita ut omnis latro ſit fur, ſed non è converſo: quidquid tamen ſit hæc diſtinctio non eſt perpetua, ut inquit Joan. Andr. *in ver. Latrones*, *num.* 1. & Abb. *ubi ſupra*, quia nonnumquam fur, & latro pro eodem accipiuntur, ut hic vides.

Secundò nota ibi, *rerum ſuſtinere iacturam*, Clerico 5
non licere pro rebus conſervandis latronem interficere, licèt aliter res conſervari non poſſint; & ſigna textum irrefragabilem contra opinionem recentiorem, qui tenent Clericum non eſſe irregularem, ſi pro neceſſaria rerum defenſione occidat furem, vel raptorem, ut plenius dicam infra in prima quæſt.

Ultimò nota, irregularitatem contrahi ab eo, qui liga- 6
vit fures, ſicut ab eo qui interfecit ſecundum Anton. de Butr. *num.* 6. qui infert ad vulgare proverbium: quod benè probat hæc littera in fine, juncta gloſ. ubi fures utriuſque ope dicuntur fuiſſe interempti, & tamen unus eorum non interfecit, ſed tantùm ligavit: ad hoc *l. Item Mela*, §. *Si alias*, *ff. ad l. Aquil.* ubi tenetur de damno ille qui tenuit, ſicut ille qui percuſſit; atque ita utrumque teneri de homicidio notant *hic* Abb. *num.* 2. & Felin. *in* 1. *notab.*

QUÆRO, An Clericus qui pro neceſſaria rerum de- 7
fenſione occidit furem, vel ſpoliatorem efficiatur irregularis.

Solutio quæſtionis maximè pendet ex intellectu hujus 8
Decretalis: legitur enim variè. Primus intellectus eſt Vincentii, & Alani, qui arbitrati ſunt quod hic deciditur habere locum in Monachis tantùm, non autem in Clericis ſæcularibus, ut hic refert Henric. Boich. *col.* 2. *poſt med. verſ. Vel dic ſecundum quoſdam*: nam ſecundum eos interfectores, de quibus loquitur hæc Conſtitutio iter perfectionis arripuerant. Quare non licebat eis vim ſibi illatam repellere, & repellendo in culpa fuerunt; idemque ſenſit Goffred. dicens hoc habere locum in Monachis, qui viam perfectionis arripuerant; & ideò poſt tunicam etiam pallium dimittere debuerant, ut dicitur in littera; & eſt ſimile in *cap. Aliud*, 11. *quæſt.* 1. *cap. Aliud*, *de pœnit. diſt.* 1. *cap. Quod debetur*, 14. *quæſt.* 1. *& in cap.* 1. 23. *quæſt.* 4. Verum hic pri- 9
mus intellectus nimis reſtringit literam, quæ licèt loquatur in Monachis; tamen narrat factum prout contigit, ſed ratio deciſionis quod pro rebus temporalibus conſervandis non licuerit tam acriter exardeſcere. Item verba illa, *contra manſuetudinem Eccleſiaſticam*, æquè conveniunt Clericis ſæcularibus, ac Monachis, nec in materia irregularitatis, quæ eſt in ordine ad miniſterium Altaris, ut *hic in fine*, *& in cap. Presbyterum*, *ſupra eodem*, *cum multis ſimilib.* conſtituenda eſt differentia inter Clericos ſæculares, & regulares. Ad quod adduco optimum ſimile in *cap. Tua nos*, *infra eodem*, ubi Religioſus chirurgiæ artem exercens ſi ex ea mors ſequatur, declaratur irregularis: & quamvis litera loquatur in Monacho, quia ſic fuit in facto, tamen intelligitur in quolibet alio Clerico ſæculari, cùm eadem ſit ratio, ut ibi declarat Abb. *in* 1. *notab. num.* 2. *in fin.* & Marian. Socin. *in cap. Ad audientiam*, *num.* 154. *infr. eodem*, unde hunc intellectum non ſequuntur Doctores; ſed intelligunt textum promiſcuè etiam in Clericis ſæcularibus.

Secundus intellectus, qui colligitur ex gloſ. 1. hic in princip. eſt eorum qui opinati ſunt, duos Monachos qui latrones ligaverunt idcircò incidiſſe in irregularitatem, quia exceſſerunt modum licitæ defenſionis: nam cùm haberent res ſuas ſalvas non debebant fures ligare, ſed extra domum ejicere: quem intellectum ſequutus Covarruv. in Clem. *Si furioſus*, *de homicid. part.* 3. §. *Unic. num.* 6. *verſ. Undecimo*, & alii recentiores conati ſunt tueri Clericum non eſſe irregularem ſi pro neceſſaria rerum defenſione occidit furem, vel raptorem. Sed hic intellectus patitur difficultatem tam in facto, quàm in jure. In facto quidem, quia ex hac litera non concluditur neceſſario an prædicti Monachi poſſent res ſalvas habere abſque eo quod latrones ligarent: potuit enim dari caſus, ut eos ligare poſſent, & tamen non poſſent è domo ejicere, *l. Neque natales*, *C. de probation.* In jure autem quia licitum eſt latrones capere, 10
& ligare dummodo id fieri poſſit ſine homicidio, & gravi ſanguinis effuſione; atque ita in hoc nullus fuit exceſſus, ut poſt Innoc. *hic* tenet Hoſtien. *num.* 1. *in verb. Voluerunt*, per

textum

textum in *cap. Archiepiſcopatu, de raptor. & in cap. Tua
nos, infra hoc tit.* & cum eo tranſit Joan. Andr. *num.7. in
gloſſ.1. ibi capere*, Henr. Boich. *col.2. circa fin. verſ. Tu dic
cum Hoſtienſi, & alis communiter.* Præterea textus non fa-
11 cit vim in eo quod Monachi aliter poſſent res ſuas ſalvas
habere, imò fundat deciſionem in ratione expreſſa in lit-
tera, quoniam inquit expediebat potius poſt tunicam re-
pellere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quam pro
conſervandis vilibus rebus, & tranſitoriis tam acriter in
alios exardeſcere; & propterea præcipit Clericum qui opem
præſtitit homicidio abſtinere à miniſterio Altaris. Hæc au-
tem ratio concludenter probat non eſſe licitum Clericis ef-
fundere ſanguinem humanum pro rebus temporalibus
etiamſi aliàs nulla alia ratione conſervari valeant. Atque
ita hic conſideratur exceſſus Monachorum in eo quia unus
eorum homicidium, & alter opem præſtitit homicidio pro
rebus conſervandis, quod non licuit; non quia res poſſent
aliter conſervari, neque hoc conſiderat textus, ſed quia
oportuit potiùs ſuſtinere jacturam rerum, quam ad ſæva
procedere contra manſuetudinem Eccleſiaſticam, ut dici-
12 tur in fine textus. Rationem reddit Petr. de Anchar. *nu.2.
in 5. notab.* videlicet quia Clericis uſque ad ſatisfactionem
damni licitum eſt proſequi delinquentem, & non ultra, ut
in *cap. Poſtulaſti, infra eod.* & propterea, ut ipſe ait, po-
tius debent tolerare rerum jacturam, quam ad arma, &
homicidium proſilire.

Atque hinc colligitur tertius intellectus, ſecundum
quem hæc Decretalis evidenter probat Clericum eſſe irre-
gularem ex homicidio commiſſo pro defenſione rerum
quantumcumque neceſſaria, & inevitabili, qui intellectus
colligitur ex gloſſa *prima, verſ. Clericus verò*, eumque uti
verum & conſonum literæ ſequuntur Abb. Antiq. *in princ.*
Hoſtien. *num.3. in verb. Tam acriter*, Joan. Andr. *num. 3.
in verb. Acriter*, Butr. *num.4. & num.6. verſ. Tertio caſu*,
Cardin. *num.2. verſ. Oppono*, Anchar. *num. 2. in 4. notab.*
Henr. Boich. *col.2. circa med. verſ. Et pro intellectu*, Abb.
in 3. notab. Jo. de Anan. *num.5. verſ. Nota quod Clericis*,
13 Marian. Socin. *num.5. & 7.* Felin. *in princ.* idem tenet Ar-
chid. *in Summa, 23. quæſt.8. in gloſ.* quæ incipit, *Adde hoc*,
ubi refert Vincentium, & Laurentium dicentes non licere
Clerico ob res ſuas tranſitorias armis ſe tueri, & interfice-
re ſpoliatorem, quamvis hoſtis fortior ſit, & ſine armis
impetat, & ſpoliet, ut *hic*, & in *cap. Conventor, 23. quæſt.8.*
& in hoc ſecundum Boich. *ubi ſupra*, concordant Hoſtien.
& Jo. Andr. *hic*, & in *cap. Petrus, inf. eodem*, & Specul. *in
tit. de legat. §. Iuxta circa* 10. *col. verſ. Illud etiam, in fine*,
ibi, *ſecus ſi faciat*. Item Paulus, & Matth. in Clem. *Si fu-
rioſus, de homic.* relati à Mar. Socin. in *cap. Ad audientiam,
num.*187. *infra eodem*. Ex quibus apparet hanc eſſe unani-
mem Canoniſtarum ſententiam, eamque communem eſſe
teſtatur Mar. Soc. *hic num.7.* quem etiam ſequitur Navarr.
in Manuali cap. 27. num.211. & cap.15. num. 5. item Plo-
vius *de irregular. regul.37.* Silveſter. *in verb. Bellum, §. 7.*
Gonſal. à Villadiego *de irregul. cap. De percuſſore, col.* 14
quorum ſententiam majori, & frequentiori Doctorum
calculo receptam eſſe fatetur idemmet Covarr. in d. Clem.
Si furioſus, part. 3. §. Unic. num. 6. verſ. Undecimo, licèt
incautè dixerit eam non probari in hoc textu; quem tamen
14 melius intellexit Abb. *in 3. notab.* ubi formaliter ait. [No-
ta caſum apertiſſimum, & notabilem quod pro rebus con-
ſervandis non licet Clerico occidere latronem, licèt aliter
res conſervari non poſsent, imò potiùs debet ſuſtinere
omnem jacturam rerum:] & nullibi ita benè probatur, ut
hic; & hoc dictum Abbat. refert, & ſequitur Jo. de Anan.
num.5. ubi pondera verba illa, *omnem iacturam*, quæ oſten-
dunt Clericum non excuſari ab irregularitate ex homici-
dio commiſſo pro neceſſaria defenſione rerum cujuſcum-
que ſint valoris, & quantitatis.

Unde patet quam malè Valerius Reginald. *in praxi fori
pœnitentialis tom.2. lib.6. & totius operis lib.21. cap. 5. n.64.
& ſeq. & præcipuè num.68.* ſcripſerit poſse etiam Clericum
ſi res ſibi ſubreptæ excedant valorem trium, quatuor, aut
quinque ducatorum ſine peccato, & incurſu irregularita-
tis interficere furem cum dictis rebus fugientem catapulta
in eum exploſa.

15 Sed præter textum hic probatur etiam hæc opinio in d.
Clem. *Si furioſus, de homic.* ubi primò deciditur non eſſe
irregulares ex homicidio, vel mutilatione uſu rationis ca-
rentes, ut furioſus, aut infans, ſeu dormiens. Deinde
ſubnectitur: & idem de illo cenſemus qui mortem aliter
vitare non valens ſuum occidit, vel mutilat invaſorem: er-
go ſecus in aliis caſibus, argum. *cap. Nonne de præſumpt.*
ut benè deducit Mar. Socin. *in dict. cap. Ad audientiam,
num.*187. Præterea textus dicit invaſorem ſuum, non dicit 16
rerum, innuens per hoc pro neceſſaria defenſione perſonæ
tantùm, non autem rerum licere hominem occidere, vel
mutilare; unde etiam ex ea litera colligit gloſsa commani-
ter approbata *in verb. ſuum*, irregularem eſse qui pro neceſ-
ſaria parentis, filii, conjugis, vel alterius conjuncti defen-
ſione interficit aggreſſorem: nam etſi hoc videatur permiſ-
ſum quoad aliam pœnam fori contentioſi, ut plenè per
Bald. *in repet. l.1. C. Unde vi*, tamen quoad irregularita-
tem ſecus eſt, quia occidens defendendo non eſt immunis
ab irregularitate, niſi quando aliter mortem propriam vita-
re non poteſt, juxta litteram d. Clem. ubi ultra gloſ. hoc te-
nent Lap. & Paul. item Matt. Cardin. Imola, & Abb. *in
cap.2. de vita, & honeſt. Cleric.* & eam gloſsam dicit com-
muniter receptam Navarr. *in Manuali cap. 27. num. 213.*
quicquid contra ſcripſerit Fortun. *in l. Ut vim, col. 9. ff. de
inſt. & iur.* quem meritò refellit idem Navarr. *ubi ſupr.* &
dixi pleniùs in *cap. Petitio, infra eodem*. Et quamvis Matth. 17
in dict. Clem. *Si furioſus*, dicat prædicta habere locum præ-
terquam in uxore, & marito, qui cenſentur una, & ea-
dem caro, ut *cap. Martinus, de cognat. ſpirit. cap. Sciſcita-
tur, & cap. Si quis, 30. quæſt. 4. & cap. Admonere, 33. q. 5.*
hoc tamen communiter reprobatur teſte Marian. Socin. in
dicto *cap. Ad audientiam, num.*170. quia licèt quoad gene-
rationem prolis, & alia bona matrimonii cenſeantur una
caro, tamen ſecus eſt quoad alia. Quod patet à ſimili in 18
filio, qui cenſetur eadem perſona cum patre quoad acqui-
ſitionem, *l. Quod dicitur, ff. de verb. oblig.* & etiam quoad
alia quædam, ut in *§. Hanc auctoritatem, 33. quæſt. 3.*
non tamen quoad omnia, niſi quæ ſunt in jure expreſſa, ut
per Mar. Socin. *ubi ſupra*.

Similiter ut ex litera dict. Clem. *Si furioſus*, deducit gloſ- 19
ſa præalleg. non vitat irregularitatem committens homici-
dium pro neceſſaria defenſione proprii honoris: cujus opi-
nio in hoc quoque ferè ab omnibus recipitur, ut Navarr.
teſtatur *loc. cit.*

Si igitur in prædictis caſibus non excuſantur ab irregu-
laritate qui occidunt, vel mutilant: longè minus excuſari
debent qui hoc faciunt pro defenſione rerum temporalium
quantumcumque neceſſaria, & inevitabili. Siquidem ad 20
defenſionem proximi tenetur quis ex præcepto, qui enim
potuit hominem à morte liberare, & non liberavit, homi-
cida eſt, dicit textus in *cap. Sicut dignum, §. Illi etiam, ſu-
pra eodem*. Ad idem *cap. Non in inferenda*, ibi: *Qui enim* 21
*non repellit à ſocio iniuriam, ſi poteſt, tam in vitio eſt quàm
ille qui facit, 23.q.3. & in can. ſeq.* dicitur: *Qui poteſt obvia-
re, & perturbare perverſos, & non facit, nihil aliud eſt
quàm favere eorum impietati: & qui vicini, & proximi ne-
gligit iniuriam propulſare, videtur iniuriantem fovere, &
particeps eius culpa, cap. Dilecto, de ſent. excom. lib. 6.* Imò 22
excommunicatus eſt permittens Clericum percuti ſi potuit
prohibere, & non prohibuit, ut eſt textus in *cap. Quan-
ta, infra eod. tit.* Similiter tenetur quis ad defenſionem 23
proprii honoris, & famæ, ut in *cap. Non ſunt audiendi,
11. quæſt.3.* ubi qui famam contemnunt non ſolùm impu-
dentes, ſed & crudeles appellantur; unde dicit textus in
l. Iſti, ff. Quod met. cau. Viris bonis metus ignominiæ ma-
jor quam mortis eſſe debet. At verò defenſio rerum tem- 24
poralium non eſt in præcepto, ut hic patet; imò res pro-
prias, vel debitum dimittere perfectionis eſt, *cap. Quod
debetur, 14. q. 1. cap. Aliud, 12. q. 1.* & patet Matth. 1. *Si quis
abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium*, S. Thomas in 2.
2. *q.43. art.8. & in 1. 2. q.96. art.4.* Ergo pro defenſione
quantumlibet neceſſaria bonorum temporalium nullate-
nus licere debet Clerico ſpoliatorem occidere, aut mu-
tilare.

Non obſtat text. in *cap. 2. ſupra eod.* quia non dicit, *te*, 25
vel *tua*, ſed *te tuaque*, & ſic ibi fuit, aut latro fuit occiſus
non pro defenſione rerum tantùm, ſed perſonæ, & rerum
copulativè; & ita ad illum textum reſpondent *hic* Hoſtien.
num.3. in verb. Tam acriter, Jo. Andr. *num.3. in ver. Acri-
ter*, Butr. *num.6. verſ. Secundo caſu*, Cardin. *num. 2. verſ.
Oppono*, Marian. Socin. *num.7.* & reliqui omnes.

Item non obſtat *cap. Dilecto, de ſent. excom. lib. 6.* ubi 26
nedum laico, ſed etiam clerico licet res ſolas etiam ſine
perſo-

Digitized by Google

perſona armis defendere: etenim hoc verum eſt invocando brachium ſæculare, ut ibi, & in *cap. Poſtulaſti*, *infra eodem*, & ita illum textum intelligit Hoſtien. *hic num.* 4. ſecundum quem jungi debet quod notatur in *cap. Petitio*, *infra eod. & in cap. Ex multa*, §. *De Clericis*, *de Voto*, & ſequitur Jo. Andr. *num.* 3. *in eod. ver. Acriter*, Aochar. *nu.* 2. *verſ. Sed contra*, & Marian. Socin. *num.*8. qui de commu-
27 ni teſtatur. Sed certè hic intellectus nimis reſtringit litteram illius Decretalis, & contrarium ſentit ibi gloſ. *fin. in verb. Bonis*. Unde conclude ſecundum Abb. *num.* 3. *verſ. Sed certè*, & Marian. Socin. *num.*8. Pro defenſione rerum licere quidem Clericis manus injicere, & baculo, vel gladio defendere; dummodo tamen non procedant ad ſæva, & ad occiſionem. Pro quo intellectu facit hæc littera ibi, *tam acriter in alios exardeſcere*. Non igitur prohibetur moderata defenſio: & ita ſecundum eos videtur intelligere Innoc. *in cap. Si vero*, *il primo de ſent. excomm.* & hanc ſententiam tenuit Jo.Andr. *in d. cap. Dilecto*, & idem Abb. *in d. cap.*2. *ſupra*, *de vita, & honeſt. Cleric.* pro qua ſecundum Marian. Socin. Facit textus *in cap. Olim*, *il primo de reſtit. ſpoliat.* juncta Clem. *Si furioſus*, *de homicid.*
28 Ex prædictis omnibus conclude: Quandoque clericus facit aliquid ad defenſionem perſonæ, & rerum, quandoque ad defenſionem perſonæ tantùm, quandoque ad defenſionem rerum tantùm. Primo caſu ſi defenſio ſit neceſſaria, & inevitabilis non efficitur irregularis, ſi ex tali facto homicidium ſequatur, ut notatur in *cap.* 2. *ſupra eodem*, & in Clemen. *Si furioſus*, *eodem tit.* Si verò defenſio ſit quidem neceſſaria, ſed non omninò inevitabilis, tunc non vitiat irregularitatem, ut *hic*, & ſentit gloſ. 1. *in princ.* Ad hoc *cap. Sicut*, *ſupra eod.* & multò minus eam vitat ſi nulla ſubſiſtat neceſſitas juxta notata in *d. cap. Sicut dignum*. Secundo caſu dic idem per omnia, quod dictum eſt in proximo membro. Tertiò caſu videlicet quando pro defenſione rerum tantùm, dic ſi idem perpetravit homicidium ſine dubio incurrit irregularitatem, & in hoc conveniunt omnes, ut abundè oſtenſum eſt ſupra. Si autem alius homicidium commiſit, tamen aliquo facto ipſius præcedente; tunc diſtingue: nam aut fuit in culpa, vel diligentiam non adhibuit, & incurrit irregularitatem; & in hoc caſu loquitur hæc Decretalis, quia ſecundum Innocen. & Doctores Monachus, qui latrones ligatos dimiſit in cuſtodia alterius fuit in culpa, quia duos dimiſit in cuſtodia unius tantùm, & diligentiam non adhibuit, quia illos non benè ligavit: debuit enim cogitare hoc evenire poſſe, ut dicunt Doctores, & in ſpecie Petr. de Anchar. *num.*2. Aut verò adhibuit omnem diligentiam quam debuit, & non fuit in culpa, & tunc homicidium ſuperveniens ei non imputatur, nec redditur irregularis, ut in juribus allegatis in gloſſa: & hæc vera, niſi factum quod mandaret Clericus eſſet tale, ut ex illo veriſimiliter poſſit ſequi mors, quia tunc indiſtinctè in irregularitatem incideret non obſtante aliqua ejus proteſtatione. Hic eſt caſus in *cap. Is qui de homicid. lib.*6.

Hæc procedunt in Clerico. Quid autem juris ſit in laico, dixi in *cap.*2. *ſupra eod.* 29

DE HOMICIDIO.

Idem Alexander III. Lucen. Epiſcopo.

CAPUT XI.

De cætero noveris, quòd diaconus, qui homicidio cauſam dediſſe videtur, non videtur ad ſacerdotium promovendus.

SVMMARIVM.

1 *Irregularis eſt dans cauſam homicidio, & num.*7.
2 *Verbum*, videtur, *in legislatore eſt expreſſivum veritatis.*
3 *Doctor reſpondens per verbum*, videtur, *intelligitur affirmativè reſpondere.*
4 *Medicus ſimiliter per verbum*, videtur, *affirmat.*
5 *Teſtis deponens, per verbum*, videtur, *an, & quando probet.*
6 *Irregularis removetur ab omni Altàris miniſterio.*
7 *Irregularis eſt præbens cauſam proximam homicidio, licet det operam rei licitæ.*
8 *Irregularitas incurritur etiam cum merito, ibidem.*
9 *Irregularis eſt index, qui protulit ſententiam ſanguinis, ſi exinde ſequuta ſit mors.*
10 *Teſtis quoque deponens in cauſa ſanguinis ſequuta morte, irregularis efficitur.*
11 *Lex promotionis magis reſpicit ad factum, quam ad voluntatem.*
12 *Cauſa remota, quæ nullo modo eſt ordinata ad homicidium, non parit irregularitatem.*
13 *Etiamſi præbens huiuſmodi cauſam det operam rei illicitæ.*
Ars faciendi taxillos prohibita eſt, ibidem.
14 *Puer, qui turgidam veſicam frangens dedit cauſam abortui, an ſit irregularis.*
15 *Irregularis non eſt accedens armatus ad neptem adulteram, ut cogat adulterum cum ea contrahere, ſi adulter metu ſe præcipitaverit.*
Adulter irregularis non eſt ob necem à marito illatam uxori adulteræ, ibidem.
16 *Irregularitas an, & quando oriatur ex cauſa remota ad homicidium ordinata.*
17 *Inſtans apud regem pro remedio facinorum an ſit irregularis, ſi malefactores juſſu regis necati fuerint.*
18 *Clerici poſſunt de ſuis malefactoribus conqueri coram iudice ſæculari ſine pœna irregularitatis dummodo proteſtentur expreſſe.*
19 *Iudex Eccleſiaſticus tradens Clericum degradatum curiæ ſæculari prævia proteſtatione non eſt irregularis.*
20 *Epiſcopi deputantes Ballivos in ſua iuriſdictione temporali, non fiunt irregulares, licèt pœna ſanguinis inferatur.*
21 *Princeps qui legem condidit ſub pœna mortis, non efficitur irregularis ſi legis authoritate aliqui ultimo ſupplicio affecti fuerint.*
22 *Papa non poteſt Canonicam irregularitatem incurrere.*
23 *Iudex committens alteri cauſam, irregularis eſt ſi Commiſſarius ad mortem condemnet.*
24 *Irregularis an ſit Clericus, cui Epiſcopus commiſit ut eligat iuſtitiarium, ſi iuſtitiarius procedat ad pœnam ſanguinis.*
25 *Irregularis non eſt, qui conſulit alteri, ut mortiſe exponat pro nomine ſive honore Chriſti, vel pro fide, aut pro ſtatu Eccleſiæ.*
26 *Inquiſitores pronunciantes aliquem hæreticum, licèt ſciant eum morti tradendum, aut aliàs id procurent excuſantur ab irregularitate.*
27 *Irregularitas ex homicidio voluntario non contrahitur indiſtinctè ab eo qui dat cauſam proximam homicidio, ſed oportet ut homicidium ſit in ſe volitum.*

De *cætero*. Dans cauſam homicidio irregularis eſt. 1
Hoc dicit ſecundum Card. Abb. & Marian. Socin. breve eſt, & diviſionem non patitur.
Nota primò hoc verbum, *videtur*, quod bis repetitur, 2
in legislatore importare juris diſpoſitionem, & eſſe expreſſivum

ſivum veritatis; unde ſecundum Joan. Andr. *num.* 1. idem eſt dicere, *non videtur*, ac *non eſt*, & conſentiunt Butr. *num.* 2. Cardin. *in princ.* Abb. *in* 1. *notabili*, & Marian. Socin. *num.* 1. & idem Cardin. *conſ.* 56. *Caſus ſuper quo*, *nu.* 18. ubi dicit verbum, *videtur*, prolatum à lege eſſe aſſertivum veritatis, quia lex non poteſt eſſe dubia, *cap. Erit autem lex*, 4. *diſt. cap. fin. de Conſt.* & ob eamdem rationem dictio *forſitan*, a legiſlatore prolata non ponitur dubitativè, ſed affirmativè, ut in *cap. Niſi cum pridem*, §. *Propter conſcientiam*, & ibi notat gloſ. *in verb. Forſitan*, Innoc. Hoſtien. & Doctores *ſupra de renunciat.* Quod Butr. & Abb. inducunt ad dicta teſtium, & malè ſecundum Marian. Socin. & ideò tu dic in legiſlatore pro primo dicto Jo. Andr. eſſe texum in *cap. De quarta*, *de præſcript. in cap. Praterea*, *de appellat. & in cap.* 2. *de fide inſtr. & in l. Sciendum*, *ff. de*
3 *verb. obligat.* Idem dicendum in Doctore, qui reſpondens per verbum, *videtur*, intelligitur reſpondere de jure, ut in *cap.* 1. & ibi DD. *de iudic.* Unde cùm nos in ſolutione principalium quæſtionum utimur illis verbis, *videtur reſpondendum*, non ſic loquimur quaſi dubii, ita ut verbum *videtur*, ſit nota impropriеtatis, ſed quia ita juris eſſe cen-
4 ſemus. Quod facit pro dictis frequentibus Innocentii. Idem credimus in medico, ut in *l. Quod tamen*, §. *Si arbiter*, *ff. de arbitr.* & ibi per Bartol. *& l.* 1. §. 1. *ff. de ventr. in-*
5 *ſpicien.* Demum idem dicendum in judice, qui ſententiam profert per verbum, *videtur*, ut ſcripſit Angel. *in l. Sciendum*, *ff. de verb. obligat.* quem refert, & ſequitur Marian. Socin. *hic num.* 4.

Ratio prædictorum eſt, quia Doctor, Medicus, & Judex reſpondent non de his, quæ in facto conſiſtunt, & ſenſu corporis percipiuntur, ſed de eo, quod judicio intellectus, & ratione percipitur; ac proinde ſatis eſt, ut reſpondeant
6 per verbum, *videtur*, ut in juribus citatis. Ideòque in teſte, qui non ſolum deponit de judicio rationis, ſed etiam de facto, ſic diſtinguitur ſecundum Marian. Socin. *hic num.* 5. Nam aut deponit in his, quæ poſſunt per ſenſum corporeum certitudinariè comprehendi, & percipi: & non probat niſi reddat ſufficientem cauſam dicti ſui. Aut deponit in his, in quibus laborat judicium rationis, & intellectus, ut in Medico, qui deponit ſibi videri vulnus mortale, & in obſtetrice deponente aliquam virginem ſibi videri corruptam, vel prægnantem: & tunc probat, ut *l.* 1. §. 1. *ff. de ventr. inſpic.* Rationem differentiæ inter judicem, & teſtem aſſignat Bald. *in d. l. Quid tamen*, §. *Si arbiter*, *ff. de arbitr.* Et de hoc articulo an teſtis probet per verbum, *videtur*, vide *cap.* 2. *ſupra de renunc. cap.* 1. *de indic. & cap. Perpendimus*, *de ſent. excomm.* Bart. *in Proœmio Digeſtorum*.

7 Secundò nota regulam ex ſummario textus, videlicet irregularem eſſe non tantùm, qui principaliter homicidium perpetravit, ſed etiam qui cauſam præbuit homicidio; & ideò non debere ad Ordines promoveri, nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Et hoc tene ſecundum Abb. Antiq. Jo. Andr. Cardin. Ancharan. Abb. Mar. Socin. & omnes; quia etſi textus dicat hunc non eſſe promovendum ad Sacerdotium; tamen cùm ſit irregularis, removeri debet ab omni Altaris miniſterio, ut in *cap. Presbyterum*, *ſupr. eod.* Rurſus etſi textus ponat caſum in Subdiacono, tamen factum narrat; unde idem intelligas in alio Clerico, ſecundum Jo. Andr. *in princ.* & Cardin. *in fine*, imò & in laico, ut per Abb. *num.* 1. & Marian. Socin. *num.* 7.

Nunc declara primò hanc regulam, ut procedat ſi cauſa ſit propinqua, veluti quia conſilium, præceptum, vel opem quis dedit ut alter occideretur, *cap. Si quis viduam*, 50. *diſt. cap. Henricus*, *ad fin. de Cler. pugn. in duello*, *cap. Sicut dignum*, §. *fin. & cap. proximo*, *ſupra eod.* vel hoc ſuggeſſit, ut in *d. cap. Sicut dignum*, §. *Qui verò*, ſecundum gloſ. *hic* Hoſtien. *in princip.* & Butr. *num.* 3. Quod latiùs explicat Innocen. *in cap. Ad audientiam*, *num.* 1. *& ſeqq. infra eodem*.

8 Neque hoc caſu diſtinguitur an quis det operam rei illicitæ, necne; ſed indiſtinctè ex cauſa proxima incurritur irregularitas, ſecundum Innocent. in *dict. cap. Ad audientiam*, *num.* 1. *verſ. Tamen ſemper fit irregularis*, etiam cum
9 merito, ut patet in judice qui protulit ſententiam ſanguinis, ſi exinde ſequuta ſit mors, *cap.* 1. 51. *diſt. cap. His à quibus*, 23. *quæſt. ult. cap. Clericis*, *& cap. Sententiam*, *Ne Cler. vel monac.* & notatur in *cap. Inter opera de ſponſ.* & per D. Thomam *in* 2. 2. *quæſtion.* 4. *art.* 2. *in corp. & ad quartum*.

Item non diſtinguitur an hujuſmodi cauſam proximam 10
ſponte quis dederit, an adactus, ut in *dict. cap.* 1. 51. *diſt.* ibi: *Qui dum parent poteſtatibus*, *quæ ſibi ſunt imperata fecerunt*. Et patet in teſte, qui juſſus à judice depoſuit in cauſa capitali; ut in *d. cap. Sententiam*, *Ne Cler. vel Monac.* Innocent. *ubi ſupra num.* 7. Specul. *in tit. de diſpen.* §. 4. *num.* 9. *verſ. Item litigioſus*, Cravet. *conſ.* 2. *num.* 1. Clar. *in praxi crimin.* §. *fin. quæſt.* 24. *num.* 8. *verſ. Ulterius quæro*,
Navarrus *in Manuali cap.* 27. *num.* 212. Ratio eſt, quia lex 11
promotionis magis reſpicit ad factum quam ad voluntatem, ut in *cap. fin.* 15. *quæſt. ultim.* & notat Archidiac. *in cap. Si evangelica*, *num.* 6. & ibi etiam Præpoſ. *num.* 55. *diſt.* Hoſtien. & Doctores *in cap. Significaſti*, *il ſecondo*, *infra eodem*, Mar. Socin *infra in cap. proxim. num.* 230. *& ſeq.*

Sin autem cauſa ſit remota gloſſa hic tenet non incurri 12
irregularitatem, argum. *l. Qui domum habebat*, *ff. Locati*, *& cap. Exhibita*, *infr. eod.* niſi ejuſmodi cauſam quis dederit animo nocendi, aut non adhibita diligentia quam debuit, aut potuit adhibere, ad quod allegat *cap. Presbyterum*, *in fin. ſupra eod. & l. Si quis necandi*, *C. ad l. Cornel. de Sicar.* & cum gloſſa videntur *hic* tranſire Abb. Antiq. & Ant. de Butr. *num.* 4. Verùm Hoſtien. *hic in fin.* dicit in *d. cap. Presbyterum*, non fuiſſe cauſam remotam imò propinquam, & cohærentem: & ideò idem juris eſſe argum. *l. Quæ religioſis*, *ff. de rei vendic.* & ſequuntur Joan. Andr. *num.* 4. Card. *num.* 2. *in* 1. *oppoſit.* Petr. de Ancbar. *in fine*, Abbas *num.* 3. *in fin.* & Marian. Socin. *num.* 8.

Tu verò diſtingue duos caſus. Primus eſt cum cauſa remota nullo modo eſt ordinata ad homicidium; & hoc primo caſu manifeſtum eſt ex cauſa hujuſmodi nullam contrahi irregularitatem, & ita procedit textus in *d. cap. Exhibita*, *infr. eodem*, *& in d. l. Qui domum habebat*, *ff. Locati*, [Neque, ut inquit Hoſtien. *hic num.* 1. Faber qui fecit cultellum ex eo ſolo quod fecit eum eſt in culpa, ſi cum ipſo homicidium committatur: & ſic non nocet cauſa remota.] Conſimile exemplum ponit hic Abb. *num.* 3. videlicet. [Feci feneſtram in domo, aliquis ultrò ſe ex ea præcipitavit: tunc enim ego ſum cauſa remota, nec ſum in aliqua culpa, ſed cauſa propinqua fuit fatuitas illius ſe præcipitantis,] & ſequitur Marian. Socin. *n.* 9. qui ad hoc plures remiſſiones dedit in *cap. Presbyterum*, *ſupra eodem*. Alia exempla habes in *cap. De occidendis*, *verſ. Unde nec reus*, 23. *quæſt.* 5.

Procedit autem hæc concluſio etiam ſi qui præbuit hu- 13
juſmodi cauſam remotam, & omnino per accidens daret operam rei illicitæ: nam nihilominus ex ea non efficitur irregularis, text. eſt in *d. cap. Exhibita*, *infr. eod.* Et propterea qui fecit taxillos ad ludendum, non incidit in irregularitatem ex eo quod convenientes ad ludum ſe interfecerint: Nam etſi ſecundum communem opinionem ars faciendi taxillos ſit prohibita, tamen non eſt ad homicidium ordinata, ut per Marian. Socin. *in cap. prox. num.* 237. *verſ. Secus autem ſi non eſſet ordinata*, *infr. eod.*

Et eodem modo irregularis eſt puer, qui turgidam veſi- 14
cam porcinam frangens, in cauſa fuit, ut mulier prægnans terrore aborriretur, ut poſt Abb. tenet Silveſt. *in verb. Ho-*
micidium, 2. *num.* 14. Licèt contrarium videantur ſentire 15
Innoc. Abb. ant. & Vinc. & minùs benè ſecundum Silveſtr. Idemque patet ex ſubjectis declarationibus Sac. Congregationis Concilii. Nam Petrus Presbyter Pampilonenſis cùm audiſſet Martinum laicum cum quadam muliere ſuluta ipſius oratoris ex fratre nepote ſolere carnaliter commiſceri, & quadam nocte domum ejus ingreſſum eſſe, & cum illa commorari, armatus ipſe, aliiſque conſanguineis armatis comitatus ad d. domum dictæ neptis acceſsit ea intentione, ſicuti aſſerebat, ut Martinum compelleret, contrahere cum ea matrimonium, non autem ut eum occideret. Verùm ſimul ut Martinus audivit fores pulſari, ſe in arcam d. domus è feneſtra projecit, ac ſtatim exanimatus eſt. Quæſivit Petrus an propterea contraxiſſet irregularitatem. *Die* 29. *Novembr.* 1602. Sacr. Congreg. cui undecim Cardinales interfuerunt, cenſuit Petrum prædict. ſecundum ea, quæ proponebantur, non incidiſſe in irregularitatem. Et poſtea cùm quidam Presbyter Oriolen. diœceſis noctu ad mulierem conjugatam acceſſiſset, ab ipſa de viri abſentia edoctus; cùmque vir ipſe caſu ſuperveniens uxorem necaſset; dubitavit idem Presbyter num incidiſset propterea in irregularitatem. *Die* 31. *Julii* 1610. S. Congregatio reſpondit uti prius cenſuerat
præ-

Digitized by Google

prævia diligenti diſcuſſione, adulterum ob mortem adul-
teræ à marito propter adulterium inflictam non eſſe irre-
gularem.
His planè caſibus etſi prædicti darent operam rei illici-
tæ, quia tamen cauſa remota, quam homicidio præſtite-
runt, nullatenus fuit ordinata ad cauſatum, ſed fuit omni-
nò per accidens; declarati fuerunt immunes ab irregula-
ritate.
16 Secundus caſus eſt cùm cauſa remota eſt veriſimiliter
ordinata ad cauſatum, ita ut propter ipſam ordinationem,
& conſequentiam cauſati præſtans cauſam ipſam remotam
videatur habuiſſe animum ad cauſatum. Et hoc caſu, quì
præbuit cauſam, tenetur, ut per Marian. Socin. *hic num. 9.*
Ego verò intelligo hoc procedere ſi præbens hujuſmodi
cauſam dabat operam rei illicitæ, vel animo nocendi hoc
fecit, aut diligentiam non adhibuit quam potuit, aut de-
buit adhibere; aliàs ſecus, ut in *cap. Continebatur, ſupra
eod.* & infra *in cap. prox. l. Si putatur, ff. ad l. Aquil.* Ita
17 Ægid. Bellam. *conſ. 14. Factum eſt tale, per tot. & præſertim
num. 3. verſ. In oppoſitum:* ubi notabiliter conſuluit Epi-
ſcopum Avenionenſem, qui propoſuit Ludovico Franco-
rum Regi enormia quædam facinora in ejus ditione per-
petrata, & inſtitit pro remedio opportuno, nullam con-
traxiſſe irregularitatem, licèt alii ex delinquentibus juſſu
Regis decapitati, alii ſubmiſſi, & alii mutilati fuerint:
motus hoc principali fundamento, quia danti operam rei
licitæ non imputatur damnum, maximè ſi non valeat de
negligentia reprehendi, ut *cap. De occidendis, 23. quæſt. 5.*
ſecundum Bernard. & Hoſtien. *in cap. Sicut dignum, ſupra
eodem,* & Henric. *hic*. Et idem ſi non adhibet diligen-
tiam, quam poteſt, ſi cauſam proximam non dederit, ut
l. Qui domum debebat, ff. Locati: at Epiſcopus hoc egit
principaliter pro redemptione captivorum, & ſic dabat
18 operam rei licitæ, nec dedit cauſam proximam; Sed Rex,
& illius miniſtri. Sic etiam videmus Prælatis, vel Cleri-
cis quibuſcumque qui de laicis ſuis malefactoribus quere-
lam penes ſæcularem judicem deponentes petunt emen-
dam ſibi fieri, & provideri ne contra eos talia de cætero
præſumantur, imputari non debere ſi proteſtentur expreſ-
sè ſe ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendere,
licèt malefactoribus judex mortem intulerit juſtitia exi-
gente, ut eſt caſus in *cap. Prælatis, de homicid. lib. 6.* Et
quamvis Joan. Andr. ibi dixerit Clericum cautè facere,
ſi potiùs dicat, *conqueror*, quàm *accuſo*; & ſic ſerventur
verba *dict. cap. Prælatis*; tamen putat eum non fieri irre-
gularem, licèt dicat, *accuſo*, nam & querela inofficioſi te-
ſtamenti dicitur accuſatio, *l. Parentibus, & l. In arenam,
C. de inoffic. teſtam.* & ſequitur poſt Abb. Socin. *in cap.
19 prox. infra eodem num. 256.* Sicut non imputatur judici Ec-
cleſiaſtico, qui Clericum actualiter degradatum tradit Cu-
riæ ſæculari ſi proteſtetur ad præſcriptum *cap. Novimus,
20 infra de verb. ſignific.* Similiter Epiſcopus, ſeu quicumque
alius Prælatus, vel Clericus juriſdictionem obtinens tem-
poralem, ſi homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in
juriſdictione ſua commiſſo Ballivo ſuo, aut alii cuicumque
injungat ut veritatem inquirens juſtitiam exequatur, irre-
gularis non efficitur, licèt pœna ſanguinis inferatur, ut eſt
text. in *cap. Epiſcopus, Ne Cler. vel Monach. lib. 6.*
His enim caſibus, & aliis conſimilibus, qui adduci poſ-
ſent, quamvis præbentes cauſam remotam intelligere
poſſint, aut debeant futurum eſſe ut inde mors ſequatur;
excuſantur tamen ab irregularitate, quia dant operam rei
21 licitæ, & eorum officio incumbent. Unde nec Princeps,
qui legem condidit ſub pœna mortis, efficitur irregularis
ſi legis auctoritate aliqui ultimo ſupplicio affecti fuerint,
quia in perſonam certam non animadvertit, nec in Con-
ſtitutionem ſuam voluit aliquem incidere, ſed eam tan-
tummodo promulgavit propter bonum, & licitum, ut
homines à maleficiis deterreret; ita Archid. *in cap. Officia,
num. 1. 23. quæſt. 5.* & Joan. Andr. *in cap. 1. num. 5. in gloſ.
1. infra de Sagittar.* Quod multò magis habet locum in 22
Papa, qui non poteſt canonicam irregularitatem incurre-
re, *cap. Propoſuit, ſupra de conceſſ.* quia & aliis ſuper hoc
medetur, ut patet ex notatis in *cap. Sicut, ſupra eodem,* &
infra *in cap. Poſtulaſti,* & tradit Joan. Andr. *loc. cit.* Verùm
ſi Clerici emendam peterent, aut reum Curiæ ſæculari tra-
derent non præmiſſa proteſtatione, utique irregularitatem
non evaderent, ut in juribus citatis; & utrobique notant
DD. Et eodem modo quærit *hic* Collectar. *in princ.* ſi ali- 23
quis obtinuerit à Principe judicaturam, & cauſas commi-
ſerit in genere, quia à ſe totam juriſdictionem abdicare
non poteſt an committens ſit irregularis, ſi Commiſſarius
ad mortem, vel mutilationem condemnet: & concludit
eſſe irregularem, cùm ſit cauſa, & occaſio; quia hoc po-
tuit prævidere. Nec obſtat ſecundum eum *cap. Epiſcopus,
Ne Cler. vel Monach. lib. 6.* quia hoc faciunt Prælati ex ne-
ceſſitate ſui officii; & ideò Papa ibi eos excuſare poteſt.
Aliàs idem eſſet judicium de Prælatis, & aliis, ut legitur,
& notatur in *cap. Ex litteris de exceſſ. Prælat.* Idem ſi Prin-
ceps cauſam Clerico commiſiſſet, qui aliciis re integra in
totum vices ſuas committeret, propter eamdem ratio-
nem, ut hic per Collect. poſt Gulielm. de Monte Laudano
in tract. ſuo de Sacramen. & idem dicendum ſi Epiſcopus 24
committat Clerico, ut vice ſua eligat Balivum, vel Judi-
cem, vel ſpecialem juſtitiarium, & juſtitiarius à Clerico
electus condemnet ad mortem ſecuto effectu: nam Cle-
ricus irregularitatem incurrit; & in hoc reſidet Joan.
Andr. *in dict. cap. Epiſcopus,* quia talis voluntariè hoc fa-
cit, non autem ex officio: & tota illa Decretalis loquitur
de eo, cujus eſt juriſdictio: licèt Collectar. *hic in fin.* dicat
hoc magis mirandum eſſe, cùm hic Clericus non faciat ni-
ſi quod Epiſcopus eſſet facturus: quid enim poteſt illi im-
putari, maximè ſi coactus fuit à ſuo Prælato: quare in præ-
cepto concludit ſecus *cap. Sicut, 7. quæſt. 1. & cap. Quod quis,
de regul. iur. lib. 6.*
Declara ſecundò, principalem regulam hujus Decreta- 25
lis ut non procedat in eo, qui alicui conſulit ut indubita-
tæ morti ſe exponat pro nomine, ſive honore Chriſti, vel
pro fide, aut pro ſtatu Eccleſiæ: non enim ſit irregularis,
licèt exinde ſequatur mors; & ſic dederit cauſam proxi-
mam homicidio, *cap. Sunt quidam, 25. quæſt. 1. cap. Non
ſolum, & cap. ſeq. 11. quæſt. 3.* cùm Chriſtus mortem pro
nobis ſubierit, *cap. Cum Redemptor, 12. quæſt. 1. cap. Pro
humani, de homicid. lib. 6.* ita Innoc. *in cap. Ad audientiam,
num 6. verſ. Sed etſi conſulat, infra eod.* Archid. *in ſumma
23. quæſt. 8. num. 4. verſ. Sed ſi ei conſulat* Et hac ratione 26
excuſari poſſunt ab irregularitate Inquiſitores hæreticæ
pravitatis pronunciantes aliquem hæreticum, licèt ſciant
eum propter hoc morti tradendum; & hoc etiam alias mul-
tipliciter procurent; ad hoc *cap. Legi, 23. q. 8. & cap. Si au-
dietis, 23. q. 5,* ſecundum Archid. *ubi ſupra, verſ. Hac etiam
ratione,* & Specul. *in tit. de legat. §. Iuxta, verſ. Porrò.*
Declara tertiò eamdem regulam ut procedat in ſimplici- 27
ci irregularitate, non autem in ea, quæ contrahitur ex ho-
micidio voluntario, & eſt indiſpenſabilis, ut in decreto
Conc. Trid. *cap. 7. ſeſſ. 14.* ad hanc enim inducendam non
ſufficit indiſtinctè cauſam proximam dediſſe homicidio, ſed
oportet ut homicidium ſit in ſe volitum, ut fusè probavi-
mus in *cap. proxim. infra eodem, in quæſtione,* An mandans
committi homicidium in perſona unius, ſi ſequatur in per-
ſona alterius ſit irregularis ex homicidio voluntario? *à
num. 53. uſque in finem,*

Digitized by Google

DE HOMICIDIO.

Clemens III.

CAPUT XII.

AD audientiam Apoſtolatus noſtri pervenit, quòd cùm quidam presbyter volens corrigere quemdam de familia ſua, cingulo, quo cingi ſolebat, ipſum verberare tentaſſet: contigit, quòd cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapſus, eum in dorſo aliquantulum vulneravit: Poſtmodum verò cùm ille vulneratus aliquandiu vixiſſet, & convaluiſſet à vulnere, alia graviori (ut dicitur) infirmitate percuſſus, viam eſt univerſæ carnis ingreſſus. Quia verò utrùm occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium habetur: veſtræ diſcretioni duximus reſpondendum, quòd cùm in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in ſacris ordinibus non miniſtret: injuncta tamen pœnitentia competenti, ſibi poteritis concedere, ut minoribus ordinibus ſit contentus. Si verò ille ex alia infirmitate obierit, poterit (ſicut erat ſolitus) divina officia miniſtrare.

SUMMARIUM.

1 *Homicidium caſuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ ſi non adhibuit diligentiam, quam debuit.*
2 *Dubitans an ſit irregularis debet tutiorem partem eligere, & abſtinere à miniſterio Altaris.*
3 *Irregularitas in foro contentioſo in dubio non eſt præſumenda.*
4 *Secus in foro pœnitentiali, vel quaſi pœnitentiali.*
5 *Dubius tenetur tutiorem partem eligere in omni materia, in qua ſubeſt periculum ſalutis æternæ.*
6 *Dubia contra ſeipſum in deteriorem partem ſunt interpretanda; ſecus contra proximum.*
7 *Regula de tutiori parte in dubio eligenda à recentioribus Theologis multipliciter oppugnatur.*
8 *Clerico licet propriam familiam corrigere etiam moderatè verberando, nec caſus mortis inde contingens illi imputatur.*
9 *Virgis, & loris verberari quis poteſt, & cuſtodiæ causâ in vinculis poni.*
10 *Correctio debet eſſe levis, & moderata.*
11 *Sævitia nimia adſcribitur culpæ.*
12 *Caſtigatio levis dicitur ſi fiat cum molli cingulo.*
13 *Caſtigatio an ſit moderata necne, judicis arbitrio relinquitur.*
14 *Caſtigatio levis in robuſto poteſt eſſe gravis in debili, vel infirmo.*
15 *Caſtigatio dicitur levis, aut gravis ex genere inſtrumenti.*
16 *Item ex parte corporis, in qua quis percutitur.*
Magiſter, vel dominus baculo percutiens caput dicitur eſſe in culpa; ſecus ſi manum dando palmatam, ibidem.
17 *Irregularitas ex homicidio, vel mutilatione in quibus caſibus contrahatur. Et infra per diſcurſum, uſque in finem.*
18 *Irregularitas ex homicidio, vel mutilatione eſt in duplici differentia.*
19 *Irregularitas ex homicidio caſuali contrahitur ab eo, qui dabat operam rei illicitæ.*
20 *Clericus qui venando telum in feram miſit, & hominem occidit, irregularis eſt, etiamſi omnem adhibuerit diligentiam.*
21 *Clericus qui porcos ex agro pulſurus projecit lapidem, & puerum necavit, non eſt irregularis.*
22 *Projiciens aliquid per locum inſolitum, non tenetur clamare.*
23 *Clamantes ſubmiſſa voce, vel poſt caſum contingentem, non excuſantur.*
24 *Furioſus, qui culpa propria incidit in furorem, an ſit irregularis ex homicidio in furore commiſſo.*
25 *Furioſus ex culpa ſua puniendus eſt, ſed mitiori pœna, & refellitur contraria opinio Menochii.*
26 *Furioſus quod facit perinde eſt, ac ſi à quadrupede, vel tegula per ſe cadente factum eſſet.*
27 *Mandans aliquem verberari, licèt expreſsè inhibeat ne occidatur, irregularis eſt ſi mandatarius occidat.*
28 *Conſulens alicui iactum machinæ, vel baliſtæ, aut expugnationem caſtri, an ſit irregularis.*
29 *Aſſocians euntem ad aliquem interficiendum an, & quando incurrat irregularitatem.*
30 *Irregularis non eſt qui caſu interfuit homicidio abſque participatione, licèt ex ejus præſentia aliquid robur accreverit adverſariis.*
31 *Irregularis efficitur inflammans animum Regis ad odium, ſi inde ſequatur mors.*
32 *Suggerere quid ſit.*
33 *Irregularis non eſt præbens homicidio cauſam remotam, & ad homicidium non ordinatam, etiamſi daret operam rei illicitæ, & num. 61.*
34 *Culpa leviſſima an ſufficiat ad irregularitatem contrahendam.*
35 *Irregularis eſt ex homicidio caſuali, qui non adhibuit diligentiam quam debuit, licèt daret operam rei licitæ.*
36 *Negligentia diſſoluta propè dolum eſt, & habetur pro conſcientia.*
37 *Dormiens an, & quando fiat irregularis ex homicidio in ſomnis commiſſo.*
38 *Chirurgus an ſit irregularis, ſi ex adustione, vel inciſione, quam fecit, ſequuta fuerit mors, vel mutilatio, & num. 40.*
39 *Barbitonſoris, ſeu phlebotomantis artem exercens an efficiatur irregularis.*
40 *Chirurgiæ ars eſt Clericis interdicta, & num. 42.*
41 *Intellectus* cap. Tua nos de homicid.
42 *Chirurgus ut ſit immunis ab irregularitate quæ requirantur.*
43 *Urſum, aprum, vel leonem tenens ſi aliquem interficiant, an ſit irregularis.*
44 *Clericus è campanili ſurſum trahens chordam campanæ an ſit irregularis, ſi puer funi appenſus ceciderit, & expiraverit.*
45 *Irregularis efficitur cauſam præbens homicidio animo nocendi, licèt aliàs daret operam rei licitæ.*
46 *Feneſtram faciens ea intentione ut alter ſe per eam præcipitaret, irregularis efficitur ſi mors ſequatur.*
47 *Clericus ſe defendens in rixa an ſit irregularis ſi ſuperveniant inimici adverſariorum, & aliquem interficiant.*
48 *Cultellum tenens in manu an ſit irregularis ſi alter in eum inſiluerit, & vulnus lethale acceperit.*
49 *Clericus trahens officiali furem petens ut eum puniat citra ſanguinis effuſionem, an ſit irregularis ſi officialis occidat, vel mutilet.*
50 *Clericus expellens latronem de Eccleſia, qui juſtitia mediante ſuſpenſus eſt an ſit irregularis.*
51 *Irregularitas ex homicidio voluntario qualiter contrahatur.*

52 *Por-*

52 *Portans ligna ad comburendos hæreticos, ut indulgentiam conſequatur, an ſit irregularis.*
53 *Mandans committi homicidium in perſonam unius, ſi ſequatur in perſonam alterius an ſit irregularis ex homicidio voluntario, & num. ſeq. uſque in fin.*
54 *Irregularis ex eodem facto unus eſſe poteſt ex homicidio voluntario, alter ex caſuali.*
55 *Mandans aliquem percuti baculo citra mortem, aut caſim leviter in facie vulnerari, non eſt irregularis ex homicidio voluntario, ſi mandatarius gladio interfecerit.*
56 *Irregularis non eſt qui omni conatu niſus eſt occidere, ſed non occidit.*
57 *Caſus eſt in agente præter intentionem.*
58 *Caſus evenientes ex aliquo opere præter operanti intentionem, non ſunt voluntarii, niſi per accidens.*
59 *Mandans percuti extra Prætorium, ſi percuſſio ſequatur in Prætorio, non tenetur de percuſſione.*
60 *Fur qui equis ſubtractis mulierem confregit, non tenetur lege* Cornelia de Sicariis.
61 *Homicidium caſuale tunc imputatur danti operam rei illicitæ, quando actus ille eſt ordinatus de ſui natura ad homicidium ſubſequutum.*
62 *Homicidium culpoſum non doloſum quando dicatur.*
63 *Conſilium, & eventus exigitur à iuriſconſulto.*
64 *Mandans capi unum ex tribus Clericis, & alios duos non gravari, ſi mandatarius capiat unum ex duobus, mandans non eſt excommunicatus.*
65 *Irregularis an ſit conſulens alicui homicidium, ſi ille dum aggreditur, occiditur.*
66 *Pœna ordinaria an ſit puniendus, qui volens percutere Titium, percuſſit Mevium.*
67 *Percutiens animo occidendi armato pugno, an cenſeatur homicida voluntarius, ſi percuſſus cadendo ex alliſione ad petram obierit.*
68 *Error an excuſet homicidium involuntarium.*
69 *Iniuriam inferens Titio, quem putabat eſſe Caium, qua pœna puniatur.*
Mandans quando teneatur ex homicidio, ſi mandatarius erraverit in perſona occiſi, ibid.
70 *Excommunicatus eſt qui volens percutere unum Clericum, percuſſit alium.*
71 *Percutere volens Titium, ac percutiens Caium prætereuntem, tenetur* l. Aquilia.
72 *Occidens hominem etiam infidelem eſt irregularis.*

1 *AD audientiam.* Homicidium caſuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, ſi non adhibuit diligentiam, quam debuit. Hoc dicit ſecundum omnes. Communis diviſio. Secunda ibi, *Quia verò.* Et hæc diſtinguit. Et ſecundum membrum ibi, *Si verò.*
2 Nota primò ibi, *quod cùm in dubiis*, eum, qui dubitat an ſit irregularis nec ne, debere tutiorem partem eligere, ſeque irregularem æſtimare, & abſtinere à miniſterio Altaris. Concordat *cap. Significaſti, il ſecondo, & cap. Potiùs, infra eodem.* Unde videtur inferri, ut in dubio irregularitas ſit præſumenda. Quod tamen non ita generaliter accipiendum eſt, ſed ſub diſtinctione, de qua hic per Abb. *num.* 2. & Marian. Socin. *num.* 18. Nam aut agitur ad pœnam imponendam propter irregularitatem in foro contentioſo; & tunc in dubio quis debet potiùs judicari non irregularis, quam è contra. Et ita loquitur Innocen. *hic in fin.* ab aliquibus perperam allegatus. Ait enim irregularitatem eſſe de jure poſitivo, ut notatur in *cap. Niſi cum pridem, de renunc.* Et ideo non debere aliquem in dubio reputari irregularem, quia pœnæ ſunt molliendæ potiùs, quàm exaſperandæ, *cap. Pœna, de pœnit. diſt.* 1. Et ſic loquitur Innocen. in foro judiciali, quando agitur ad pœnam, prout illum intelligit Abb. *d. num.* 2. Et ita etiam loquitur Speculat. *tit. de legat. §. Iuxta, verſ. Quidquid ego, & verſ. Generaliter*, & ibi Joan. Andr. *in addit.*
4 ſecundum Marian. Socin. *eodem num.* 18. Aut agitur in foro pœnitentiali ad pœnitentiam imponendam. Et in dubio debet quis potius reputari irregularis; quoniam in hujuſmodi foro tutior pars eſt eligenda, licèt durior videatur. Et idem dicendum ubi agitur in foro quaſi pœnitentiali, puta quia propriè non agitur ad pœnitentiam, ſed ut quis abſtineat à miniſterio Altaris; quia debemus in tutiorem partem interpretari, ut clarè probatur hic in dict. *cap. Significaſti, & in cap. penult. infra eodem.* Procedit 5
autem hæc regula de tutiori parte in foro pœnitentiali, vel quaſi pœnitentiali eligenda non ſolùm in irregularitate ut hic, & in juribus proximè citatis, verùm etiam in omni materia, in qua poſſet ſubeſſe peccatum, ut per Mar. Soc. *hic num.* 21. Et in excommunicatione eſt textus in *cap. Illud, de cler. excommunic.* In baptiſmate, in *cap. Parvuli, de conſecr. diſtinct.* 4. In pœnitentia, in *cap. Si quis poſitus, & cap. ſeq. de pœnitent. diſtinct.* 7. In Sacramento Ordinis, in *cap. Veniens, de Presbyt. non baptiz.* In matrimonio, in *cap. Iuvenis, de ſponſal.* Et generaliter ubicumque agitur de præcepto ſub culpa mortali in Clem. *Exivi, §. Item Præterea, de verbor. ſignificat.* Rationem differentiæ inter 6
utrumque forum egregiè aſſignat D. Thom. *in* 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 4. *Quia ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius, debet unuſquiſque eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium eſt; alioquin iniuriatur ei, & contemnit ipſum: nullus autem debet alium contemnere, aut nocumentum quodcumque inferre abſque cauſa. At vero circa ſeipſum homo debet dubia interpretari in peiorem partem ſecundum illud Iob 9. Verebar omnia opera mea: eo quod cùm debemus noſtris malis adhibere remedium, expedit ad hoc ut ſecuriùs remedium apponatur, ut ſupponatur id, quod eſt deterius.* Hæc S. Thom. Idem voluit gloſ. *in cap. un. in verb. Æſtimare, de ſervis.* quæ conciliando jura in articulo, an quis in dubio præſumatur culpabilis necne; [Hoc inquit, generale eſt, ut ubi vertitur periculum animæ præſumatur in deteriorem partem,] *cap. Iuvenis, de ſponſal. cap. Presbyteri, 68. diſtinct.* Sed circa judicia præſumitur potiùs juſtum, vel bonum, quàm è converſo, *cap. Si quid, 86. diſt. cap. In cunctis, 11. quæſt. 3. cap. Innocens, 22. quæſt. 4. & l. Ab ea parte, ff. de probat.*
Verùm inſignem hanc ſacrorum Canonum regulam 7
de electione tutioris partis complures ex recentioribus Theologis ita extenuant, ut ferè ad nihilum redigere videantur: quidam enim affirmant electionem tutioris partis non eſſe in præcepto, ſed in conſilio tantùm: quidam dicunt eam habere locum tantummodo in dubio facti, vel perſonæ, non autem in dubio juris: quidam in dubio juris practico non autem ſpeculativo: alii verò opinantur eam regulam eſſe reſtringendam ad limites hujus Decretalis, ita ut non procedat niſi in materia irregularitatis: alii demum putant eam non habere locum in opinionibus: nam cùm utrinque ſunt opiniones æquè probabiles, aut una probabilis, & alia probabilior, contendunt licere unicuique eligere quamcumque opinionem etiam omiſſa probabiliori, & tutiori. Sed has omnes opiniones uti improbabiles, & minimè conſonas diſpoſitioni ſacrorum Canonum, latiſſimè confutavimus in tractatu noſtro de opinione probabili quem poſuimus in *cap. Ne innitaris, ſupra de Conſtit. præſertim à num.* 44.
Secundò nota Clerico licitum eſſe propriam fami- 8
liam corrigere etiam verberibus, nec caſum mortis
inde contingentem illi imputari, dummodò correctio- 9
nis modum non exceſſerit, *cap.* 1. *& cap. Cum voluntate, de ſentent. excommunic.* Nam virgis, & loris verberari quis poteſt, & cuſtodiæ cauſa in vinculis poni, *l. unic. in princ. Cod. de emend. ſervor.* Hoſtienſ. *hic num.* 1.
S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 2. Secus verò ſi exceſſe- 10
rit modum in corrigendo; & ita intelligitur hic textus ſecundum Abb. *num.* 1. Correctio enim debet eſſe levis, & moderata, ut *leg. Sed etſi quæcumque, §. Si Magiſter, & leg. ſeq. ff. ad leg. Aquil.* quia levis caſtigatio reverentiam exhibet caſtiganti: nimia verò aſperitas nec correctionem recipit, nec ſalutem, ut legitur
in *cap. Cum beatus, 45. diſtinct.* Debet igitur eſſe admix- 11
ta miſericordia cum diſciplina, *cap. Diſcipulum, eadem diſtinct.* cùm ſæpè erga corrigendos plus agat benevolentia, quàm auſteritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm poteſtas, *cap. Licet,* 1. *&* 2. *eadem diſt.* Concil. Trident. *cap.* 1. *ſeſſ.* 13. Unde non mirum ſi nimia
ſævitia aſcribitur culpæ, ut *d. §. Si magiſter.* Dicitur au- 12
tem levis caſtigatio ſi fiat cum cingulo; ut notabiliter dicit gloſ. 1. *hic*, quod verum dicit Jo. Andr. in gloſ. *Leviter, n.* 7.
Si cingulum erat molle, ſed melius Marian. Soc. exiſtimat 13
num. 5. hoc relinquendum eſſe arbitrio judicis, inſpecta qualitate ejus qui corrigitur, videlicet an ſit ſanus, & robuſtus, an verò infirmus, vel tenellus: nam caſtigatio quæ 14

Digitized by Google

levis eſſet in robuſto, diceretur gravis inhabili, vel infirmo, ut probatur in *l. Qua actione*, *§. Si quis ſervum*, *ff. ad l. Aquil.* & hoc tenet Ioann. *in cap. Cum in Magiſtrum*,
15 *de elect.* & Archid. *in cap. 1. ſuper gloſ. 23. quæſt. 5.* Similiter cenſetur levis, vel gravis caſtigatio ex genere inſtrumenti; quo utitur quis ad caſtigandum ſecundum Mar. Socin. *num. 5.* Non enim eadem ratio habenda eſſet ejus, qui molli cingulo, ac ejus qui baculo uteretur, nec eadem illius qui percuteret virga, ac illius qui ferro, aut malleo. Præſumitur enim in dolo, qui caſtigat ferro, malleo, ligone, vel culcello, ut in *cap. Significaſti*, *il ſecondo*, *infra eodem in fin.* ibi, *cum ratione inſtrumenti*, *cum quo ipſe percuſſit*, *quod cum grave ſit*, *non ſolet levem plagam inferre*, *& in l. 1. §. Sed ſi clavis*, & ibi per Jac. de Aren. poſt gloſ.
16 *ff. ad l. Corneliam*, *de ſicar.* Rurſus ſpectandum erit in qua parte corporis magiſter, vel dominus verberaverit; nam ſi in capite, & inde mors ſequeretur, non eſſet corrigens immunis ab irregularitate, ut in *dict. cap. Significaſti*, *in fin.* ibi, *Tum ratione partis*, *in qua fuit ille percuſſus in qua de modico ictu quis lethaliter lædi ſolet*. Unde in *cap. Presbyterum*, *ſupra eodem*. Declaratur irregularis Presbyter, qui quendam puerum intuitu diſciplinæ percuſſit in capite, cùm poſt paucos dies expiraſſet. Secus verò ſi baculo verberaret manum dando palmatum, ut inquit Marian. Socin. *ubi ſupra.*

Demum temporis quoque rationem habendam eſſe putat idem Socin. *num. 8.* videlicet an aer ſit ſaluber, an peſtifer, ſeu corruptus. Quibus omnibus probè perſpectis judex arbitrabitur an correctio ſit levis, & moderata, nec ne, quod etiam tenet Signorol. Homodeus *conſ. 63. Titius Caius*, *num. 2.* qui *num. 6. & 7.* concludit judicem poſſe per conjecturas arbitrari an quis moderatum caſtigationis modum exceſſerit, ut ſi ferro, & non ligno percuſſit, & ſi ligno, quàm acriter, & durè, & qua in parte corporis: & loquitur in marito, qui calce uxorem percuſſit, ſequitur Menoch. alios citans *de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 4. caſu 364.*

De practica autem cognoſcendi an magiſter, vel dominus diſcipulum, vel famulum percuſſerit animo diſciplinandi, & corrigendi, vide Bart. *conſ. 103. Viſis teſtibus*, *per tot. lib. 1.* ubi pluribus materiam explicat, & loquitur in magiſtro, qui puerum cepit per aures, & dedit ei alapam.

17 QUÆRO, Quibus caſibus contrahatur irregularitas ex homicidio, vel mutilatione?

Hanc materiam tractant hic DD. per quæſtiones nihil ferè ex concluſionibus deducentes, præter Marian. Socin. ſenior, qui in hac Decretali uberem tractationem inſtituit de irregularitate magiſtraliter explicans quid ſit irregularitas, unde dicatur, quo jure ſit introducta, quot ſint irregularitatis ſpecies, per quas perſonas incurratur, qua ratione fuerit inſtituta, qualiter, & in quibus caſibus in unaquaque ſpecie contrahatur, qui ſint irregularitatis effectus, quomodo contra irregularem formetur libellus, & qualiter irregularitas removeatur, & ſic materiam copioſè, & dilucidè abſolvit per decem principales quæſtiones, ad quas poteris recurrere ubi caſus acciderint.

18 Ego verò ſtrictè ad materiam hujus Decretalis omiſſa diviſione quæ habetur in *cap. Si quis viduam*, *50. diſtin.* & per gloſ. magn. *in cap. Sicut dignum*, *ſupra eodem*. Diſtinguo irregularitatem in duo membra. Alia enim eſt irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio non voluntario, ſed caſuali, & præter intentionem. Alia eſt, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, & per ſe intento, & eſt indiſpenſabilis; quam differentiam poſuit Conc. Trid. *in cap. 7. ſeſſ. 14. & in cap. 6. ſeſſ. 24.* De alia enim ſpecie irregularitatis quæ ponitur in *dict. cap. 7. & in dict. cap. Si quis viduam*, videlicet ex homicidio ad defenſionem, agemus in *cap. Significaſti*, *il ſecondo*, *infra eodem*. Circa primum membrum irregularitas ex homicidio caſuali contrahitur in tribus caſibus quæ ſunt veluti tres regulæ in materia irregularitatis ad quas ſicut rivi ad fontem omnes caſus particulares reduci poſſunt ſecundum gloſ. *in cap. prox. in verb. Cauſam dediſſe ſupra eodem*, Silveſt. *in verb. Homicidium*, *2. num. 2.*
19 Primus caſus eſt cùm occidens, vel mutilans facto proprio, aut cauſam præbens homicidio, vel mutilationi dabat operam rei illicitæ, & hoc primo caſu pro regula conſtituitur, ut irregularis efficiatur, licèt homicidium, vel mutilatio contigerit fortuito, & præter ejus intentionem, & omnem adhibuerit diligentiam. Jura ſunt clara in eo, qui occidit manu propria, *in cap. Continebatur*, *ſupra eodem*, & infra *in cap. Petitio*, *& in cap. De his clericis*, *50. diſt.* Et de eo, qui cauſam præbuit homicidio, ſupra in *cap. Suſcepimus*, *cum concord.* Et hoc pro regula ponit Silveſt. *in verb. Homicidium*, *2. num. 2. verſ. Tertia regula.*

Ratio eſt, quia etſi homicidium hujuſmodi non ſit voluntarium ſecundum ſe, quia voluntas directè in illud non fertur; tamen dicitur voluntarium ſecundum ſuam cauſam, quando voluntas fertur in cauſam, non in effectum, ut docet S. Thom. *in 1. 2. quæſt. 77. art. 7.* Et ideò quoties culpa præcedit caſum ordinatum ad illam culpam, etiam per caſum quis efficitur irregularis, *cap. Presbyterum*, *& cap. Suſcepimus*, *ſupra eodem*. Et hic cum multis ſimilibus.

Itaque ſecundum hanc primam regulam ex iis, qui facto proprio occidunt, vel mutilant, irregularis eſt Clericus, qui venando telum in feram miſit, & hominem interfecit juxta terminos reſpiciendum, *§. Delinquunt*, *ff. de pæn.* etiamſi omnem adhibuerit diligentiam, *cap. Hi qui arbores*, *50. diſtinct.* Silveſt. *in verb. Homicidium*, *2. num. 7. verſ. Sexto*. Quia dabat operam rei illicitæ, id eſt venationi, quæ eſt Clericis interdicta, *cap. 1. & 2. de cler. ven.* Secus in Clerico, qui porcos ex agro pulſurus, lapidem jecit, & puerum interfecit: nam cùm daret operam rei licitæ, ſi omnem diligentiam adhibuit circumſpiciendo, non ſit irregularis, *cap. Clerico*, *50. diſtinct.* Silveſt. *ubi ſupra verſ. Quinto*, ut vide Abbat. *in cap. Ex litteris*, *il ſecondo*, *infra eodem*, ubi vult ut projiciens aliquid ad locum inſolitum, & per quem quis tranſire non conſuevit, non teneatur clamare, ut *in l. Si putator*, *ff. ad l. Aquiliam*, aliàs ſecus, *& in cap. fin. infra eodem*, dicit clamantes ſubmiſſa voce, vel poſt caſum contingentem, non excuſari, ſicut plerumque ruſtici ducentes multos poſt impactionem clamant, *Cave*

Rurſus ſecundum hanc regulam irregularis eſt qui culpa ſua incidit in furorem, & demum furioſus exiſtens homicidium perpetravit, *cap. Si quis inſaniens*, *15. quæſt. 1.* & tenet Laudun. in Clemen. *un. hoc tit.* intelligo hoc procedere quando exiſtens ſanæ mentis præcognoſcebat futurum eſſe ut ſi certum quid comederet, in talem incideret furorem, ut nihil aliud quæreret, quàm homines interficere, aut mutilare, idque experientia ipſa frequenter cognovit, & tamen illud comedit: aliàs ſecus; & ita poteſt ſalvari gloſſa *in ſumma*, *15. quæſt. 1. & in d. cap. Si quis inſaniens*, quæ abſolutè dicit hunc non eſſe irregularem, prout contrarias opiniones Laud. & gloſſæ conciliat *hic* Mar. Socin. *num. 31.*

Unde ſi illum, qui ſua culpa incidit in furorem, eſſe quidem puniendum, ſed pœna mitiori ſcripſit Tiraquel. *in tract. de pæn. legum*, *cauſa 2. n. 7.* ſic intelligens gloſ. in *cap. Sed hoc fortè*, *13. quæſt. 2.* Anchar. & Cardin. in Clem. *1. de homic.* Socin. ſen. *hic*, licèt de hoc leviſſimis fundamentis hæſitaverit, Menoch. *de arbitrar. iud. lib. 2. centur. 2. caſu 325. num. 9.* ſentiens hunc non eſſe dignum aliqua pœna; quoniam ſi facto ſuo effectus eſt furioſus, mentem alienatam habet ab eo, quod jam facere propoſuerat. Quæ ratio inepta eſt, quia etſi delictum non ſit in ſe voluntarium, eſt tamen voluntarium in ſua cauſa; & furioſus hoc caſu non punitur ob culpam criminis ab eo commiſſi, ſed propter ipſius furoris caſum, in qua culpam habuit. Et propter circumſtantiam homicidii, quæ aggravat culpam, ut dixi in *cap. Si conſtiterit*, *num. 35. ſupra de accuſat.* Portò contraria opinio poſſet tantummodo admitti ubi nulla culpa præceſſiſſet caſum: tunc enim infelicitas facti excuſat, ut *l. Infans*, *vel furioſus*, *ff. ad l. Cornel. de Sicar.* & ſatis dicitur puniri furore ſuo, ut *l. Divus*, *ff. de offic. Præſid.* Unde quod facit furioſus, perinde eſt ac ſi à quadrupede, vel regula per ſe cadente factum eſſet, ut dicit text. in *l. Sed et ſi quemcumque*, *§. Et ideo ff. ad l. Aquiliam*.

Idem prorſus in ebrio, qui dedit operam ut inebriaretur, & ſciebat ſe conſueviſſe in ebrietate arma ſumere, & homines percutere, atque offendere: nam proculdubio irregularis efficitur, quia per immoderatam potionem dedit operam rei illicitæ, & ad occiſionem periculoſæ ex his, quæ ſolent accidere; ita Marian. Socin. *hic*

hic num. 36. & Covarr. in Clem. *Si furioſus, de homicid. in 3. part. ſub num. 4. verſ. Poſſet quidem vera conſeri.* Et hic quidem caſus eſt extra omne dubium.

Major difficultas eſt quid dicendum in ebrio, qui ex ſimplici culpa in ebrietatem incidit immoderatè bibendo, & in ebrietate homicidium commiſit. Hanc quæſtionem plenè examinavi in *cap. Si conſtiteris, à num. 26. uſque in fin. de accuſat.*

Ex his verò, qui dantes operam rei illicitæ non manu propria occiderunt, ſed homicidio caſuali cauſam præbuerunt, irregularis efficitur is, ex cujus mandato, conſilio, auxilio, vel ſuggeſtione fortuitò, & præter intentionem ſequutum eſt homicidium, vel mutilatio.

27 Unde irregularis eſt mandans aliquem verberari, licèt expreſsè inhibeat, ne occidatur, vel mutiletur, ſi mandatarius fines mandati excedens occidat, vel mutilet: nam etſi olim hoc eſſet admodum controverſum inter Doctores, qui ſcripſerunt ante compilationem ſexti libri Decretalium, hodie tamen ita deciſum eſt in *cap. final. de homicid. in 6.*

28 Item irregularis eſt qui alicui conſuluit, vel ſuaſit jactum machinæ, vel baliſtæ, aut expugnationem caſtri, ſi exinde aliquis moriatur: expugnationi enim caſtri, & jactui machinæ nimis affine eſt occidere hominem. Neque hoc caſu diſtinguitur an quis conſuluerit ut caſtrum expugnaretur, an verò ut caperetur proditionaliter, vel furtim: ſiquidem cùm illicitum opus conſulat, abſolutè irregularis efficitur, licet caſu ſequatur inde mors, *cap. Continebatur, §. 1. & cap. Presbyterum, ſupra eod.* & in hoc tandem reſidet Innoc. *hic num. 1. verſ. Sed & qui non conſuluit,* cui adſtipulantur Hoſtien. *num.* 5. quia hoc officium non eſt Clerici, vel Sacerdotis, aut volentis in Presbyterum promoveri, *cap. Suſcepimus, ſupra eod. cap. fin. in princ. de poſtul.* Jo. Andr. *num.* 3. Butr. *num.* 4. Marian. Socin. *num.* 319. *& ſeq.* & alii communiter.

29 Similiter irregularis eſt aſſocians eum, qui ibat ad aliquem interficiendum effectu ſubſequuto, licèt ſuper homicidio committendo non habuerint aliqua verba, vel ſi habuerint aſſocians illi conatus eſt diſſuadere, cui tamen aſſociatus noluit acquieſcere: unde aſſocians eum comitatus eſt, ut ſi neceſſitas poſtularet, ipſum defenderet, Doctores *in cap. Sicut dignum, ſupra eod.* Hoſtien. *in ſumma eod. tit. §. Qua pœna verſ. Quis vadit,* per notata *in d. cap. Sicut dignum, §. Illi etiam, §. fin.* Idem Specul. *in tit. de iud. deleg. verſ. Quid ſi aliquis vadit:* ſecus ſi aſſocians in nulla fuerit culpa, quia aſſociavit cauſa pacificandi, vel ex alia juſta cauſa: nam etſi ex ejus præſentia aliquod robur accreſcat aſſociato, eo quod timor adverſariis incutiatur, non tamen propterea efficitur irregularis, ut probatur in *cap. Presbyterum, à contrario ſupra eodem,* & tenent Innocen. Joan. Andr. & DD. *in cap. Petitio, infra eodem,* & Marian. Socin. *hic num.* 277. facit *cap. De occidendis, verſ.*
30 *Abſit ut ea,* 23. *quæſt.* 5. Et quamvis Specul. *tit. de diſpenſ.*
§. Juxta, num. 56. Tabiena *in verb. Irregularitas,* 2. *nu.* 31.
& Majol. *de irregular. lib.* 5. *cap.* 48. *§.* 5. *num.* 1. ſimpliciter affirment ad incurrendam irregularitatem ſatis eſſe, ut quis interfuerit homicidio, licet non percuſſerit, non tamen intelligendi ſunt de eo, qui caſualiter reperitur in loco, ubi homicidium perpetratur, prout illos declarat Rota apud Farinac. *deciſ.* 260. *num.* 3. *part.* 1. *recent.* nam hujuſmodi intereſſentiæ nulla habetur ratio, niſi probetur participatio, *cap. ult. in fin.* 23. *quæſt.* 8. Innocen. *in cap. Sententiam, num.* 1. *in fin. Ne Cler. vel Monac.* Feder. de Sen. *conſ.* 168. *in princ.* Pariſ. *conſ.* 152. *num.* 30. *&* 31. *lib.* 4.

31 Item irregularis eſt, qui ſuggeſtione animum Regis inflammavit, unde homicidium fuit ſequutum, *cap. Sicut*
32 *dignum, §. Qui verò, ſupra eod.* Suggerere autem eſt inſinuare, ſubminiſtrare, ſubjicere, vel ſuggerere eſt ſuadere, ſeu quaſi latenter conſulere, & propriè decipiendi cauſa, aut nocendi ei cui ſuggeritur, aut etiam alteri, ut per Archid. *in cap. Primatus,* 71. *diſt.* licèt quandoque in bonam partem accipiatur, ſecundum illud Joann. *cap.* 14. *Ille ſuggeret vobis omnia;* & ita accipitur, in *dict. cap. Primatus, cap.* 17. *quæſt.* 1. *& cap. Suggeſtum, ſupra de Decim. cum ſimilibus.*

33 In his planè caſibus, & aliis quamplurimis, qui adduci poſſent, irregularitatem incurrunt ex homicidio caſuali dantes operam rei illicitæ, non tantum ſi homicidium committant manu propria, ſed etiam remotam præbeant homicidio; dummodo tamen cauſa ſit ordinata ad homicidium, alioquin hujuſmodi cauſam præſtans non ſit irregularis, etiamſi daret operam rei illicitæ, ut eſt text. *in cap. Exhibita infra eod. & in cap. Quæſitum, de pœnit. & remiſſ.* & ſcripſi plenè ſupra in *cap. Proximo, num.* 12. *&*
ſeqq. & hoc intendunt Innocen. *num.* 8. & Doctores hic, 34
dum dicunt homicidium caſuale non imputari ei, qui fuit in culpa, ſi culpa hujuſmodi fuerit levis, id eſt valdè remota, & ad homicidium non ordinata; de quo vide per Abb. *in dict. cap. Quæſitum,* & per Silveſt. *in ver. Homicidium,* 2. *num.* 2. *verſ. Poteſt addi quarta regula,* & quod latius dixi in *cap. fin. num.* 9. *infra eod.* ubi an hoc procedat, ſi culpa levis ſit tamen in omittendo, an verò etiam in committendo, & an hoc caſu ſufficiat culpa leviſſima ad irregularitatem contrahendam.

Secundus caſus, in quo contrahitur irregularitas ſimplex 35
ex homicidio caſuali, & non voluntario eſt, cùm quis non adhibet diligentiam quam debuit, & potuit adhibere: tenetur enim de caſu fortuito, licèt daret operam rei illicitæ, *text. eſt in cap. Continebatur,* ſecundum unum intellectum, *ſupra eod. & in cap. Quæſitum, infr. de pœnit. & remiſſ.* & clarè probatur in hac Decretali: nam hic Presbyter dabat operam rei licitæ, id eſt correctioni, quæ permiſſa eſt etiam moderatè verberando, ut dixi ſupra *in* 2. *notab.* ſed quia non adhibuit diligentiam, quam debuit removendo cultellum, qui cingulo erat annexus, irregularis efficitur ex morte famuli inde ſequuta, ut hic notat Hoſtien. *num.* 1. *in verb. Cingulo,* & hæc regula colligitur ex gloſſa communiter approbata in *cap. prox. in verb. Cauſam dediſſe ſupra eod.* eamque ponit Silveſt. *in verb. Homicidium,* 2. *num.* 2. *verſ. Secunda, qui dat. operam rei licitæ.*
Rationem hujus concluſionis aſſignat gloſſ. *in d. cap. Quæ-* 36
ſitum, in verb. Negligentibus, quia diſſoluta negligentia propè dolum eſt, *l. Si fidejuſſori,* 1. *reſpon. ff. Mandat. cap. Sæpè,* 50. *diſtinct.* & habetur pro conſcientia *l. Cum lex, ff. de Ædil. edicto;* qualis eſt ignorantia Judæorum, qui nolunt intelligere, ut benè agant, *§. ult.* 1. *quæſt.* 4. *ſic cap. ult.* 37. *diſt.* & quamvis homicidium hoc caſu non ſit voluntarium directè, quia in illud voluntas non fertur, dicitur tamen voluntarium indirectè, quia voluntas poteſt illud prohibere, & non prohibet, ut declarat S. Thom. *in* 1. 2. *quæſt.* 77. *art.* 7.

Hinc infertur primò, ut quamvis dormiens non incidat 37
in irregularitatem propter homicidium, vel mutilationem commiſſam in ſomnis, Clem. *Si furioſus, de homicid.* quia furioſo comparatur, ut ibi & in *cap. Majores, §. Item quæritur, de Baptiſ.* etiamſi præceſſerit voluntas occidendi ante dormitionem, ut tenet Paul. in d. Clem. hoc tamen fallit ſi ſciebat ſe aliquando ſolitum eſſe noctu dormiendo è lecto ſurgere, & enſem evaginare, vel ſimilia facere, & nihilominus non precavit, nec diligentiam adhibuit claudendo oſtium, vel removendo arma, ut hic per Marian. Socin. *num.* 54. Palud. *in* 4. *ſent. diſt.* 32. *quæſt.* 1. *art.* 3. Silveſt. *in verb. Homicidium,* 3. *quæſt.* 4. & Covarr. in Clemen. *Si furioſus, part.* 3. *num.* 6. & hunc eſſe puniendum pœna extraordinaria tradit Bart. *in l. penul. ff. ad leg. Pomp. de Parricid.* & eſt communis opinio teſte Covar. *ubi ſupra,* & Claro *in §. fin. quæſt.* 6. *num.* 13. *verſ. Quæro etiam.* Guilielmus ponebat exemplum de quodam ſocio ſuo Anglico, qui dormiendo Piſis in Eccleſia S. Benedicti propè Arnum fluvium, acceſſit ad filiam cujuſdam alibi exiſtentem, & ibi puerum interfecit, & dormiens ad lectum rediviт, ut refert hic Marian. Socin. *num.* 51. ſubdens ſe habuiſſe Bononiæ vicinam puellam, quæ in ſomniis ſurrexit, & panem fecit.

Infertur ſecundò, ut irregularis ſit Chirurgus ſi propter 38
ejus imperitiam mors ſecuta fuerit ex inciſione, vel aduſtione, quam fecit, ut *cap. Tua nos, §.* 1. *infra eodem,* ſecus ſi adhibet omnem diligentiam, quam debet; non enim efficitur irregularis, quia mors præſumitur eveniſſe potiùs culpa ægri, aut alias, quàm ex Chirurgi negligentia, vel imperitia, *cap. De occidendis,* 23. *quæſt.* 5. *cap. Ad aures, ſupr. de ætat. & qualit.* ubi propterea conſulitur medico, quem remordet conſcientia, ne ad majores ordines accedat. Idemque dicendum in barbitonſore, ſeu phlebotho- 39
mante, & ſimilibus perſonis, ut tenet Specul. *in tit. de diſpenſ. §. Juxta, verſ. Item exercens, & verſ. Facto; in fin.* & Mar. Socin. *hic num.* 149. *& ſeq.* & Silveſt. *in verb. Homicidium,* 2. *num.* 9. *verſ. Decimoquarto.*

40 Tu adverte, quia ſupradicta diſtinctio, An Chirurgus, vel Medicus ſit peritus, & omnem diligentiam adhibuerit, necne procedit in laico: nam cùm et phyſicæ, vel chirurgiæ ars permiſſa ſit, caſus fortuitus non eſt illi imputandus ſi fuit peritus, & nihil omiſerit de contingentibus, quia dedit operam rei licitæ, *cap. Dilectus cum duobus ſeqq. infra eodem, & ſupra in cap. Continebatur*, ſecundum unum illud, niſi probabiliter dubitet ex ejus negligentia, vel imperitia aliquem periiſſe, quia tunc propter dubium prohibetur à promotione, juxta textum *in dict. cap. Ad aures, de ætat. & qualitat.*

41 At ſecus eſt in Clerico, quia cùm ars chirurgiæ ſit ei interdicta; ſive ſit in arte peritus, ſive non, & ſive fuerit diligens, ſive negligens, indiſtinctè tenetur de caſu fortuito, quia dedit operam rei illicitæ, ut in regula præcedenti, & de hoc eſt textus expreſſus in *d. c. Tua nos, inf. eod.* ubi ille Monachus erat peritus in arte, & omnem adhibuit diligentiam, & nihilominus declaratur irregularis; & redditur ratio; quia multum deliquit alienum officium uſurpando (id eſt chirurgi) quod ſibi minimè congruebat, licèt cum eo miſericorditer diſpenſetur. Et quamvis ibi loquatur de Monacho, quia fuit in facto, tamen idem in quolibet alio Clerico ſæculari eadem ratione, ut illic declarat Abb. *in primo notab. num.* 2. & Mar. Socin.
42 *hic num.* 154. Qui propterea dicunt, & benè quatuor requiſita debere concurrere ad hoc ut chirurgus non fiat irregularis. Primum eſt, ut officium illud ſibi conveniat, id eſt, ut ſit laicus, quia Clericis, & Monachis eſt interdictum, ut in *cap. Sententiam, cap. Non magnoperè, & cap. fin. ſupra Ne Cler. vel Monach.* Secundum, ut ſit peritus. Tertium, ut adhibeat omnem diligentiam ſecundum artem ſuam. Quartum, ut edoceat infirmum ea quæ ſunt neceſſaria illius ægritudini, quibus ſervatis eventus mortis ei non imputatur.

43 Infertur tertiò, ut irregularis ſit qui tenet animalia, quæ conſueverunt nocere, puta urſum, aprum, vel leonem, ſi ab his aliquis interficiatur, & ipſe non tenuit illos debito modo ligatos, argum. *cap. Hi qui arborem, & cap. Sæpe, 50. diſtinct.* fuit enim in lata culpa tenendo eos ſolutos, ut optimè probat textus *in l. 2. in fin. ff. Si quad paup. feciſſ.* dicatur, & concludit hic Marian. Socin. *num.* 244. alioquin levis culpa, vel negligentia non deberet huic imputari, cùm multum remota ſit cauſa ab homicidio, ut Innocen. inquit *num.* 8. Joan. Andr. & Butr. uterque in ult. quæſt. & Specul. *in tit. de Iud. de leg. §. Iuxta, verſ. Quod ſi aliquis,* facit quod not. gloſ. *in cap. de occidendis*, 23. *quæſt.* 5. & vide Silveſtr. *in verb. Homicidium*, 2. *num.* 16. *in* 24. *quæſt.*

Infertur quartò, ut irregularis ſit Clericus qui ad requirendam ſupellectilem in puteum à fure projectam, puerum eò dimiſit per chordam; ſi puer diſrupto fune ad oram putei refricanti dum ſurſum traheretur decidens ſuffocatus fuerit, ut dixi plenè in *cap. fin. infra eodem.* Quibus addi poteſt me Secretario hunc caſum aliàs conti-
44 giſſe in Sacra Congregatione Concilii. Quidam Clericus aſcendit campanile, & dum apprehenſo fune manibus malleo campanam crebro pulſaret in honorem feſtivitatis, aſpiciens campanam dimoveri à tabula, cui propè campanam inſidebat, deſcendens, funem ſurſum trahebat: dum autem attraheret, perſenſit funem gravi pondere onuſtum; ſed nihilominus perrexit trahere, & chordam alligavit trabi, ne pulſando campanam à quoquam lædi, aut impediri poſſet: mox ad partem imam campanilis reverſus, reperit puerum ſeptem circiter annorum moribundum ſubtus chordam campanæ, qui ſe canapi appenderat, & ſublevatus uſque ad fornicem, cecidit; & paulò pòſt expiravit. Sac. Congregat. habuit Clericum pro irregulari; quia dum chordam onuſtam trahebat, advertere poterat, & debebat aliquem eſſe illi appenſum, & inde poſſe illi aliquid nocumenti contingere, cenſuit tamen cum eo miſericorditer diſpenſandum ad Ordines, & beneficia.

45 Tertius caſus, in quo contrahitur irregularitas ex homicidio caſuali eſt, cùm quis homicidio cauſam præbet animo nocendi: nam ob pravam intentionem tenetur de caſu fortuito, licèt aliàs daret operam rei licitæ, & cauſa ſit remota, argum. *cap. Hi qui arborem, & cap. Sæpè, 50. diſtinct.* ita colligitur ex gloſſ. præalleg. in *cap. De cætero, in*
46 *verb. Cauſam dediſſe, ſupr. eod.* Et propterea tametſi qui fecit feneſtram, per quam aliquis ſe præcipitavit non ſit irregularis, cùm cauſa ſit valdè remota, & ad homicidium non ordinata, & opus licitum eſſet, ut not. *in dict. cap. De cætero, ſupra eodem*, & Marian. Socin. *num.* 9. tamen ſecus eſt ſi ea intentione feneſtram fecerit ut alter ſe præcipitaret, ut *hic* per Marian. Socin. *num.* 237. *in fine.*

Similiter quamvis Clericus ſe defendendo in rixa, cui cau- 47
ſam non dedit, non ſit irregularis, ſi inimici adverſariorum ſuperveniant, & aliquem ex illis interficiant, *cap. Cum homo*, 23. *quæſt.* 5. tamen ſecus eſt ſi ipſe poterat diſcedere, & non diſceſſit, ſed adverſarios ea intentione retardavit, ut inimici eorum ſupervenirent, & illos interficerent, ut per eumdem Socin. *hic num.* 241.

Eodem modo tenens cultellum in manu quamvis non 48
ſit irregularis ſi alius ſe in eum inſiluerit, & vulnus lethale receperit, ut tenet Archid. *in cap. Quia te*, 50. *diſt.* tamen irregularis efficitur, ſi cultellum in manu tenebat ea intentione, ut alter ſe in illum impellendo configeretur, ut hic declarat Mar. Socin. *n.* 266.

Demum ut alia exempla omittamus, ob eandem ratio- 49
nem quamvis Clericus tradens officiali furem petens ut eum puniat citra ſanguinis effuſionem immunis ſit ab irregularitate, licèt officialis occidat, vel mutilet, nec noceat illi, etiamſi officiali ad furem convincendum tradiderit inter ſigna: idemque ſit dicendum de Clericis deponentibus querelam contra ſuos malefactores, licet tales vix abſque ſanguinis effuſione valeant coerceri, *cap. Tua nos, §. Ad ultimum, & cap. Poſtulaſti, infra eod. cap. Maximianus*, 23. *q.* 3. *cap.* 1. *& cap. Unum*, 23. *quæſt.* 5. *l. Qui cum maior, §.* 1. *ff. de bon. libert.* tamen hæc procederent ſi ad mortem non intenderent, neque hoc in animo gererent; aliàs ſecus, ut quia expreſsè inſtabant ut fur puniretur citra ſanguinis effuſionem, *cap. In Archiepiſcopatu, inf. de raptor.* vel in exilium mitteretur, *cap. Cum non ab homine, ſupra de iudic. cap. Novimus, de verbor. ſignificat*, vel in perpetuum carcerem detruderetur, *cap. Excommunicamus, il ſecondo, de hæretic. cap. A nobis, de Apoſt. cap. Non vos*, 23. *quæſt.* 5. & tenet hic Marian. Socin. *nu.* 249. *& ſeq.* Qui etiam ex prædictis infert ut quamvis Clericus expel-
lens latronem de Eccleſia juxta textum in *cap. Sicut, il pri-* 50
mo, 17. *quæſt.* 4. qui per ſacerdotem extrahendus eſt, ut in *cap. Diffinivit, eadem can. & quæſt.* irregularitatem non incurrat, quia non dicitur morti tradere, ſed legi, *cap. Cum homo*. 23. *quæſt.* 5. ſecundum Archid. *in d. cap. Diffinivit*, hoc tamen vendicet ſibi locum, dummodo expellens nullo modo intenderet ad mortem, vel mutilationem, ut per eum *num.* 251.

His planè caſibus remotio, vel proximitas cauſæ non multum operatur, ſed operatur intentio, ut cauſa ſit ad homicidium ordinata, & in ordinatis procedit regula illa: Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, ut *l. Manumiſſiones, & l. Ex hoc, ff. de inſt. & iur. cap. Studeat*, 50. *diſt. cap. Si aliquis, & cap. Sicut, ſupr. eod.* Mar. Soc. *hic n.* 238. & dixi pleniùs ſupra in *cap. De cætero, num.* 12. *& ſeq.*

Circa ſecundum membrum irregularitas ex homicidio 51
voluntario contrahitur cùm quis ſua voluntate facto proprio homicidium committit, ut in *cap.* 1. *ſupra eodem, cap. Miror*, 50. *diſtinct.* ſive chriſtianum occidat, ſive paganum, *cap. Clericum, eadem diſt.* Marian. Socin. *hic n.* 137. Aut cùm ex intentione, & propoſito cauſam directo præbet homicidio, ſive præbuerit cauſam efficientem, ut puta mandato, præcepto, vel juſſu, ut in *cap.* 1. *de homicid.*
l.b. 6. *cap. Sicut dignum, §. fin. ſupr. eodem*, ſive materia- 52
lem, ut puta miniſtrando arma, gloſſ. 3. *in cap. Ita quorumdam de Iudæis*, vel portando ligna pro comburendis hæreticis, ſi ligna hæreticum combuſſerunt, Specul. *in tit. de diſpen. §. Iuxta, ver. Quid de his*, etiamſi hoc fecerit ut indulgentiam conſequeretur, ut per eum, & per Jo. Andr. *in d. cap. Sicut dignum, ſupr. eod.* & Socin. *hic num.* 279. Vel formalem, puta inſtruendo, informando, conſulendo, vel quid ſimile, ut modus daretur homicidio, *cap. Si quis viduam*, 50. *diſt. dict. cap. Sicut dignum, §. ult. vel finalem*, ut puta per præmii conſtitutionem ad homicidium committendum, ut explicat Mar. Soc *hic num.* 237.

QUÆRO, P. juſſit famulo ut interficeret Joannem; 53
famulus putans à ſe interfici Joannem, interfecit alium, an dict. P. ſit irregularis ex homicidio voluntario, vel caſuali.

Quæſtio propoſita videtur admodum dubia, maximè

ad

ad finem, in quem proponitur, videlicet ut inde colliga-
tur an Epiſcopus, qui poteſt diſpenſare in omnibus irre-
gularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta
ea, quæ oritur ex homicidio voluntario ad præſcriptum
cap.6. ſeſſ.24. Concil. Trident. poſſit cum d. P. diſpenſare.
54 Pro faciliori tamen quæſtionis ſolutione præmittendum
eſt ex eodemmet facto poſſe alterum eſſe irregularem ex
homicidio voluntario, alterum ex caſuali, ut decla-
55 rat Navar. *in Manual. cap. 27. num. 240.* Ideòque Sacra
Congregatio Concilii aliàs conſulta an is qui mandavit
aliquem baculo verberari eo expreſſo ne occideretur, ſi
mandatarius armis percuſſerit, & occiderit, intelligatur
incidiſſe in decretum Concilii *ſeſſ.14. cap. 7.* adeò ut omni
ordinatione, ac beneficio, & officio Eccleſiaſtico abſque
ſpe diſpenſationis perpetuò carere debeat: Reſpondit
non incidiſſe. Quinimò cùm poſtea dobitatum fuerit an
is, qui gravibus ab aliquo affectus injuriis famulo man-
davit, ut illi in facie vulnus leve cæſim infligeret, ſi
mandatarius hujuſmodi fines excedens pluribus morti-
feris vulneribus illi mortem intulerit, cenſeatur incidiſ-
ſe in irregularitatem provenientem ex homicidio volunta-
rio Sac. Congreg. licèt diſcrepantibus ſententiis, tamen
majori parte cenſuit non incidiſſe in ejuſmodi irregulari-
tatem, quæ oritur ex homicidio voluntario. Et ita in
his duobus caſibus ſolus mandatarius eſt irregularis ex ho-
micidio voluntario, non autem mandans; quod etiam
tenet Navarr. *d. num.240. verſ. Dixi ab oratore, & verſ.*
56 *Tum quia mandamus vulnerari aliquem.* Deinde præmit-
tendum eſt legem promotionis non animum, ſed factum
reſpicere. Unde qui omni conatu niſus eſt occidere,
ſed non occidit, irregularis non eſt, *cap. fin. 15. quæſt. 5.*
gloſ. *in cap. Si aliquis, ſupra eod.* & hoc etiamſi aliqua
pœna ſanguinis ſic delinquenti irrogari deberet, Navarr.
57 *d. cap.27. num.211.* Tertiò præmittendum eſt ex D. Thom.
2. 2. *quæſt.64. art.8.* Caſum eſſe in agente præter intentio-
nem. Unde quæ talia ſunt, non dicuntur ſimpliciter vo-
lita, licèt quandoque poſſiot dici volita per accidens.

His præhabitis videtur reſpondendum prædictum P.
qui mandavit Joannem occidi, cùm in perſonam alte-
rius homicidium ſequutum fuerit, eſſe quidem irregu-
larem, quippe cùm cauſam dederit homicidio, *cap.
De cætero, ſupra eod.* Sed tamen hanc irregularitatem
provenire potius ex homicidio caſuali, quam volun-
tario.

58 Quod probatur primò, nam caſus evenientes ex ali-
quo opere præter operantis intentionem, vel ab eo non
præcogitati, non ſunt voluntarii, niſi indirectè, &
per accidens, ex S. Thom. *in relect.* Clement. *Si furioſus,
de homicid. 2. part. §. 4. num.* 10. Reſpectu autem man-
dantis homicidium ſequutum in aliam perſonam,
quàm ab eo nominatam, longè abfuit à ſua inten-
tione. Igitur quoad eum homicidium non eſt volun-
tarium.

59 Secundò. Mandator non tenetur de re geſta per manda-
tarium, ubi aciſſimum illi fuit limites mandati obſervare,
Covarr. *d. 2. part. §. 1. num.2. verſ. Solet tamen*, ubi infert
ut ſi quis alteri mandet ut percutiat Sempronium extra
Prætorium, & ille in Prætorio percutiat, mandator non
teneatur de hac percuſſione, in qua percutiens egreſſus eſt
fines mandati.

60 Tertiò adducitur textus in *cap. Quantum, 50. diſtinct.*
ubi ſi aliquis equis furto ſubtractis mulierem caſu confre-
gerit, non tenetur *l. Cornelia de ſicar.* Et ita infertur ex il-
lo textu, ut etiamſi quis det operam rei illicitæ, non tenea-
tur de homicidio, quod caſu contigit ita ut doloſum, &
voluntarium dicatur, licèt teneatur de culpa, gloſ. *ibi in
ver. Culpabilis.*

61 Quartò, homicidium tunc demum imputatur danti
operam rei illicitæ, quando actus ille eſt ordinatus de ſui
natura ad homicidium ſubſequutum. Ita procedit textus
in *cap. ult. de homicid. in 6.* quo diſponitur ut mandans ali-
quem vulnerari ſit irregularis, ſi vulneratus intereat:
erant enim vulnera directè ordinata in mortem illius, &
ille debuit cogitare hoc evenire poſſe, cùm ut plurimum
ex vulneribus mors ſequatur, Franc. & cæteri in *d. cap. ult.*
ut dixi *ſupra num.33.* & latiùs in *cap. De cætero, num. 12. &
ſeq. ſup. eod.* Unde ſecus eſt in caſu noſtro ex quo manda-
tum ut Titius occideretur, non erat de ſui natura ordina-
tum ad homicidium alterius, nec frequenter ſolet evenire
ut loco unius alius interficiatur. Cepoll. in terminis no-
ſtris in *conſ.33. num.19. verſ. Nec obſtat.*

Quintò, in fortiori caſu reſpondet Cepoll. *d. conſ. 33.* 62
cùm quis intendens occidere Sempronium, occidit Ca-
jum, eſſe homicidam culpoſum, & non doloſum, & per
conſequens non voluntarium, cùm dolus ex voluntate, &
animo proficiſcatur; & ideò ibi infert eum non poſſe puni-
ri pœna mortis, aut corporali, ſed tantum arbitraria pro
modo culpæ.

Sextò, mors perſonæ præter intentionem mandantis il-
lata non poteſt dici à mandante, niſi per accidens volita,
utpotè qui non hujus, ſed Joannis ſolius intendebat mor-
tem, & dum famulo deſignavit Joannem occidendum
utique videtur tacitè mandaſſe, ne alium quempiam ne-
caret, argum. *l. Cum Prætor, ff. de Iudic. cap. Nonne, de
præſumpt.* præſertim cùm verſemur in delictis, & materia
pœnali, adeo ut non videantur comprehenſi, niſi ex-
preſſi, argum. *l. Si Prætor, ff. Qui in fraudem Creditorum,
l. Creditor, §. Lucius, in fin. & l. Diligenter, ff. mand.*

Septimò, confirmatur prædicta concluſio per textum ad
hoc notabilem in *l. Ait Prætor, §. Ita demum, & l. Si
quis cum haberet, ff. Quæ in fraud. credit.* ubi qui animo
fraudandi creditum, teſtamento dat libertatem directam
ſervo ſuo, nihil facit ſi verè creditor remanet læſus; finge
modò me id feciſſe animo fraudandi Titium creditorem
meum, & poſtea factum eſſe ut dicta manumiſſio ceſſe-
rit non in fraudem Titii, cui ſolvi ſuum creditum, ſed in
dannum Mævii creditoris mei poſt teſtamentum meum
cauſati. Reſpondet Juriſconſultus dationem dictæ liberta- 63
tis non annulari. Ratio eſt, inquit, quia ad hoc ut libertas
reſcindatur, utrumque in eamdem perſona exigitur, conſi-
lium inquam, & eventus. Ergo & in caſu noſtro, in quo
ut dictum eſt in ſecunda ſuppoſitione requiritur non ſolum
voluntas, ſed etiam factum, non ſufficit ut mandatum quis
dederit in injuriam, & damnum Joannis, quando dam-
num non in perſonam Joannis, ſed alterius ſubſequutum
eſt. Unde ex natura dictarum perſonarum incurret irre-
gularitatem ex homicidio voluntario: non ex perſona Jo-
annis, quia ipſe non fuit læſus; non ex perſona tertii, quia
in eum intentio non fuit directa.

Octavò adducitur Plov. *de irreg. reg. 27.* ubi referendo 64
Joan. de Deo decidit, ut ſi quis mandet capi unum ex tri-
bus Clericis ſimul ambulantibus, & alios duos non gra-
vari, ſed mandatarius fines mandati excedendo capiat
alios duos, utique mandans non ſit excommunicatus. Ra-
tio eſt, quia captura facta eſt contra ejus voluntatem, &
inde infert à ſimili ad irregularitatem ex homicidio, quæ
non incurritur, niſi homo actu occidatur; & ſic non ſuf-
ficit mandatarium occidere, niſi occidat quem mandans
deſignavit.

Nonò, ad idem adducitur Innocen. *hic num.8.* & Joan. 65
Andr. *num.3. verſ. Quid ſi Titius*, & Specul. *in tit. de leg.
ſeu de diſpenſat. §. Iuxta num.43.* ubi concludunt ſi conſu-
lo tibi ut talem tuum inimicum occidas; ſi dum aggrede-
ris, tumet occideris; ego non ſum irregularis, quia etſi
conſilium fuerit malum, tamen non erat in mortem occi-
ſi. Ergo idem erit in caſu noſtro.

Non obſtat, quod Joan. Andr. *in cap fin. per illum tex-
tum in verb. Occidat, de homicid. lib.6.* Butr. & alii hic di-
cant imò hunc eſſe irregularem; Si quidem hoc ita aſſe-
runt, ut oſtendant eundem ex homicidio caſuali, non au-
tem ex homicidio voluntario irregularem eſſe; ajunt enim
ideo eſſe irregularem quia fuit in culpa, & non prævidit
quod poterat ſequi.

Decimò, adducitur Angel. ad Bart. *in l. Reſpiciendum*, 66
§. Delinquunt, ff. de pœn. Nam cùm Bartol. ibi dixiſſet pœ-
na ordinaria puniendum eſſe qui volens percutere Titium,
percuſſit Mævium; addit ibi Angel. de Peruſ. jura addu-
cta per Bart. id non probare, & talem non teneri actione
injuriarum, quia ceſſat intentio injuriandi, ſed teneri
l. Aquilia propter culpam, & puniendum eſſe arbitrio ju-
dicis ut de delicto caſu commiſſo. Et cum Angelo tenent
alii DD. Et quamvis ſentiant aliqui cum Bart. tamen non
probant homicidium fuiſſe voluntarium.

Poſtremò adducitur Aretinus *conſ.147.* quem refert, & 67
ſequitur Felin. *in tract. quando conatus, col. fin. verſ. Ex
his*, qui tenet ſtatutum puniens homicidium volunta-
rium non comprehendere illum, qui animo occidendi ar-
mato pugno adverſarium ita percuſſit, ut ceciderit in terrā.

Unde evenit ut cadendo alliſerit ad petram, & ex dicta collisione expiraverit. Rationem adducit; nam cùm ſtatutum duo requirat animum iniquè occidendi, & occiſionem ex intentione ſequutam, & in hoc caſu mors ſequuta fuerit non ex facto per delinquentem electo, ſed ex colliſione prædicta non per ipſum electa, ſed quæ caſu accidit: ſtatuti verba hunc non comprehendunt. Quæ ratio multò magis videtur conſentire caſui noſtro ad probandum hunc mandatorem non poſſe dici irregularem ratione voluntariæ mortis tertii, qui contra illius voluntatem fuit, non ab ipſo mandante, ſed per accidens loco alterius interfectus.

68 Nec obſtat ſi dicatur errorem prædictum nihil imminuere de culpa homicidii, nec de pœna irregularitatis, cùm verſetur circa qualitatem, quæ ad propoſitum noſtrum ſit impertinens, eo quod ſive hic, ſive ille homo occidatur, modo occidatur homo, ſemper eadem incurritur irregularitas ex doctrina D. Thomæ 1.2. *qu. 76. art.* 3. & *ibi* Cajetan. adeo ut dictus error quoad prædictos effectus non cauſet involuntarium: nam argumentum procedit reſpectu ipſius mandatarii, qui non erraverit in corpore occiſi; imò in individuo eundemmet voluit interimere, & interemit; ſed tantum erravit in qualitate impertinen-
69 ti; de quo eſt text. ad id notabilis in *l. Eum qui*, §. *Si injuria*, *ff. de injur.* ibi, Si quis putet me Lucium Titium eſſe; Cùm ſim Cajus Sejus, prævalet quod principale eſt injuriam eum mihi facere velle; certus enim ſum Ego, licèt ille putet me alium eſſe, quàm ſim. Secus autem eſſe reſpectu mandantis, qui non erravit in qualitate perſonæ, ſed erravit in corpore: dum enim voluit ut una perſona, unumve corpus occideretur, alia perſona, ſeu aliud corpus, in quod nullo modo mandans conſenſerat, occiſum fuit; & ſic ex quo mandans nullo modo voluit, ut illud corpus læderetur, non poteſt dici voluntariè in illud conſenſiſſe; ideò argum. ejus textus à ceſſante ratione infertur, ut injuriarum actione neque ratione illius corporis læſi teneatur. Argumentum autem contrarium procederet, ſi mandans viſa perſona Seji amici, putanſque eum eſſe Titium inimicum, mandaſſet ſervo ut dictam perſonam ad oculum deſignatum occideret, quia tunc mandans voluntariè, & directè conſenſiſſet in necem dictæ perſonæ, nec excuſaretur ex eo quod ipſe erraſſet in qualitate amici, vel inimici, eo quod dicta qualitas nec augeat, nec minuat homicidium nec reddat
70 illud involuntarium. Et eodem modo reſpondetur ad illud, quod deduci ſolet ex gloſ. *cap. Si vero*, *il ſecondo*, *de ſenten. excommun.* videlicet qui volens percutere Titium Clericum percuſſit Sejum itidem Clericum, non evitat excommunicationem.

71 Pariter nec obſtat textus in *l. Scientiam*, §. *ult. ad l. Aquil.* ibi, [ſed ſi defendendi mei cauſa lapidem in adverſarium miſero, & non eum, ſed prætereuntem percuſſero, *l. Aquil.* tenebor:] nam præterquamquod hoc exemplum in aliis terminis proponitur, quàm ſit caſus, de quo dubitatur; eſto dictus error non impediat quominus læſus *l. Aquilia* repetat ſuum damnum; non tamen inde ſequitur ut hic percuſſus fuerit voluntariè percuſſus; unde quamvis percutiens teneatur *l. Aquilia* ob negligentiam commiſſam, non tamen teneτur actione injuriarum. Præterea quatenus etiam injuria à percutiente poſſet dici voluntariè illata ipſi percuſſo, non tamen poſſet dici proceſſiſſe ex voluntate, nec ſecundum voluntatem mandantis, qui non illud corpus, ſed aliud juſſit injurioſè percuti. Quod ſi adhuc urgeatur, Canones induxiſſe irre- 72
gularitatis pœnam non contra occidentes Sejum, vel Titium, ſed contra occidentes hominem quicumque ille ſit etiamſi ſit infidelis, *cap. Clericum qui paganum diſt.* 50. & dictum eſt ſupra *num.* 51. Et proinde ſufficere, ut mandando voluerit hominem in genere occidi, ſicut & occiſus fuit: Reſpondebimus hic adeſſe fallaciam; nam cùm mandat quis hominem in genere occidi, utique voluntate conſenſit in quodcumque individuum ſub ſpecie comprehenſum. Unde quodcumque individuum occiditur, perſona ab eodem mandante nolita dicetur occiſa, & ita eidem ad voluntarium homicidium imputabitur, veluti ſi mandavero alicui. Accede ad talem rixam, & interfice adverſarios; quia tunc voluntas mea complectitur ſingulas perſonas in dicta rixa exiſtentes. At in caſu noſtro mandans determinavit voluntatem ſuam ad hanc perſonam particularem Joannis. Ergo ſi occidatur alia perſona, non poterit dici occiſa perſona à mandante intenta, & volita. Argumentum autem fortaſſe procederet, ſi dominus dixiſſet famulo hæc, vel ſimilia verba: Quidam Joannes mihi intulit injuriam, vade inquire de illo, & repertum occide, quia tunc ſi famulus reperto homine Sejo, & credens illum eſſe Joannem, eundem occidiſſet, fortè poſſet dici mortem Joannis aliquo modo ab hero voluntariè intentam, & perinde eſſe, ac ſi ipſemet mandans viſo Sejo, putanſque eum eſſe Joannem, illamque perſonam in individuo oſtendens, famulo, eidem dixiſſet, occide talem perſonam; quia tunc ut dixi dictus herus conſenſiſſet voluntariè in occiſionem talis corporis, quem hominem eſſe non ignorabat; unde irregularitatem ex homicidio voluntario incurriſſet.

Non obſtat doctrina Covarr. in Clem. *unic. de homicid. part.* 2. §. 1. *num.* 2. Nam illius rationes non videntur concludentes, eique videtur repugnare doctrina Navarri ejus Præceptoris in dicto *cap.* 27. *num.* 240. Quamobrem videtur poſſe tutò reſponderi prædictum P. non incidiſſe in irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario.

Et hanc ſententiam alias probavit S. Congregatio Concilii: nam propoſito dubio an mandans committi homicidium in perſonam unius, ſi ſequatur in perſonam alterius, intelligatur incidiſſe in irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, adeo ut ſuper eo nec diſpenſari debeat juxta *cap.* 7. *ſeſſ.* 14. nec Epiſcopus poſſit ex *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. quamvis homicidium occultum ſit: *Die* 9. *Januarii* 1587. Sac. Congregatio cenſuit non incidiſſe in irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario,

DE HOMICIDIO.

Innocentius III. Abbati S. Trinitatis de Meldemberg.

CAPUT XVIII.

1 Significaſti nobis, quòd cùm quidam maleficus ingreſſus Eccleſiam, Euchariſtiam cum Altarium ornamentis, & libris Eccleſiaſticis extra Eccleſiam aſportaſſet: L. presbyter Eccleſiæ Canonicus regularis, præfatum iniquitatis filium, foſſorio arrepto percuſſit; ſed ſi ad mortem fuit ictus hujuſmodi, tu & ipſe penitùs ignoratis; quem parochiani Eccleſiæ videntes ornamenta Eccleſiæ aſportantem, arreptis gladiis & fuſtibus in eodem loco protinus occiderunt: & infra. Nos in præmiſſo caſu credimus diſtinguendum, utrùm conſtare poſſit, quòd præfatus ſacerdos non inflixit percuſſionem lethalem, de qua, ſi aliorum non fuiſſent vulnera ſubſecuta, percuſſus minimè interiiſſet, & ſi percuſſor voluntatem non habuerit occidendi, neque ipſius ſtudio, conſilio, vel mandato proceſſerint alii contra illum. Et quidem ſi hoc ita ſe habet, (quod forſan ex eo poſſet oſtendi, ſi certa apparuiſſet percuſſio ab eodem inflicta tam modica & tam levis, in ea parte corporis in qua quis de levi percuti non ſolet ad mortem, ut peritorum judicio medicorum talis

per-

percuſſio aſſereretur non fuiſſe lethalis) cùm de cæteris credendum ſit ipſi, qui non accuſatur vel denuntiatur ab aliquo, ſed per ſeipſum conſilium appetit ſalutare, poſt pœnitentiam ad cautelam injunctam in ſacerdotali poterit officio miniſtrare, maximè religionis accedente favore, cùm ſit Canonicus regularis, & ſine omni ſcandalo poſſit ſacerdotale officium celebrare. Quod ſi diſcerni non poſſit, ex cujus ictu percuſſus interiit, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi ſacerdos, & ſi fortè homicida non ſit, à ſacerdotali officio abſtinere debet: cùm in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur; & infrà. Si verò (quemadmodum perhibetur) ſacerdos iſte, priùs ab illo percuſſus ſacrilego; mox eum cum ligone in capite repercuſſit, quamvis vim vi repellere, omnes leges, & omnia jura permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam, non videtur idem ſacerdos à pœna homicidii penitùs excuſari, tum ratione inſtrumenti, cum quo ipſe percuſſit, quod cùm grave ſit, non ſolet levem plagam inferre, tum ratione partis; in qua fuit ille percuſſus, in qua de modico ictu quis lethaliter ſolet lædi.

S V M M A R I V M.

1 *IRregularis cenſetur percutiens, de cuius vulnere an fuerit lethale, vel ne, ſciri non poteſt, ſi percuſſus ab eo, vel aliis occiſus extiterit.*

2 *Lex promotionis conſtat non ſolùm in promotione ad Ordinem, ſed etiam in Ordinis executione.*

3 *Pars tutior in dubio eſt tenenda etiam extra materiam irregularitatis.*

1 S*ignificaſti, il ſecondo*. Irregularis cenſetur, qui alium lethaliter percuſſit, licèt ab aliis fuerit extinctus: idem ſi non apparet, an lethaliter, ſi etiam percuſſus ab aliis obiit, & non apparet ex cujus vulnere deceſſerit: idem eſt ſi non percuſſerit lethaliter, ſi animum occidendi habuit, & ex aliorum vulneribus percuſſus expiravit. Hoc dicit notabiliter ſecundùm Abbatem. Sed Jo. Andr. cum quo cæteri concordant, ſummat ſic. Quoad legem promotionis babetur percutiens ut homicida, de cujus vulnere an fuerit lethale, vel non, ſciri non poteſt, ſi percuſſus ab eo, vel ab aliis occiſus extiterit. Communis diviſio; ſecunda ibi, *Non in præmiſſo:* quæ diſtinguit, & primum membrum proſequitur, ibi, *& quidem*; ſecundum ibi,
2 *quod ſi*. Addit Jo. Andr. ſe ideò dixiſſe de lege promotionis, quia lex illa conſtat non ſolùm in promotione ad Ordinem, ſed etiam in Ordinis executione, ad quem quis jam eſt promotus, & quod impedit ſecundùm fortiùs primum, ut *cap. Quemadmodum, de iureiur.*

In textu ibi, *quod ſi diſcerni non poſſit*. Nota cùm vertitur in dubium an ex homicidio fuerit contracta irregularitas, vel non, debere quem reputare ſe irregularem, & abſtinere à miniſterio Altaris, quamvis reverà homicidium non commiſerit, ut in littera. Et pondera rationem in deciſione expreſſam, ibi: *cùm ceſſare ſit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur*. Quæ ratio periculi tamquam generalis, & expreſſa in littera oſtendit diſpoſitionem ſpecialem ad omnes materias, in quibus illa ratio viget, ut eſt caſus in *l. Regula*, *§. final.* ubi Bartol. & Bald. notant, *ff. de Irreg. & fact. ignor.* Et quamvis textus proponat quæſtionem de Preſbytero irregulari, ex vulnere illato, & homicidio ſubſecuto: tamen hoc ideò facit, quia caſus ita contigit in facto, ſicut moris eſt in Decretalibus. Sed non propterea arctare voluit regulam de tutiori parte in dubio eligenda ad ſolam materiam irregularitatis: nam ſi hoc facere voluiſſet, potiùs debuiſſet dicere hoc ſtatutum fuiſſe in odium homicidii, & ſpecialem indecentiam exercendi Ordines cum dubio irregularitatis. Quod tamen non fecit, imò fundavit deciſionem in illo univerſali principio, quod inter duo extrema in dubio illud ſit eligendum, in quo nullum timetur periculum. Unde jure optimo ex hoc textu generalem regulam, quod in dubiis ſequi debeamus partem tutiorem, eliciunt Hoſtien. *numer.* 9. 10. *&* 15. *in fine*, & Marian. Socin. *numer.* 4. *& in cap. Ad audientiam, ſupra eodem*, idem Hoſtien. *numer.* 3. *in fin. & num.* 4. Butr. *numer.* 2. Abb. *eodem num. verſ. Aut agitur in foro pœnitentiali*, Joann. de Anan. *numer.* 1. *verſ. Aut agitur*, Marian. Socin. *num.* 4. 18. 19. *&* 20. & Felin. Quod eſt contra modernos Theologos, qui dicunt præceptum hoc de tutiori parte eligenda non habere locum niſi in dubio irregularitatis; quorum ſententiam latiùs confutavimus in repetitione *cap. Ne innitaris*, *num.* 220. *ſupra de Conſtit.* ubi etiam tolluntur aliæ oppoſitiones noſtro ſæculo ſubtiliter excogitatæ ad hanc regulam evitandam à *num.* 172. *uſque ad numer.* 225.

D E H O M I C I D I O.

Idem Innocentius III.

C A P U T XIX.

TUa nos duxit fraternitas conſulendos: & infrà. Quæſiviſti quid ſit de quodam Monacho ſentiendum, qui credens ſe quamdam mulierem à gutturis tumore curare, ut Chirurgus cum ferro tumorem illum aperuit, & cùm tumor aliquantulum reſediſſet, ipſe mulieri præcepit, ne ſe vento exponeret ullo modo, ne fortè ventus ſubintrans gutturis apertionem, ſibi cauſam mortis inferret; ſed mulier (ejus mandato contempto) dum meſſes colligeret, vento ſe expoſuit incautè, & ſic per apertionem gutturis ſanguis multus effluxit, & mulier diem ultimum ſic finivit; utrùm, videlicet cùm prædictus Monachus ſit ſacerdos, liceat ei ſacerdotale officium exercere? Nos igitur fraternitati tuæ reſpondemus, quòd licèt ipſe Monachus multum deliquerit alienum officium uſurpando, quod ſibi minimè congruebat, ſi tamen cauſa pietatis & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemque ſtuduit, quam debuit diligentiam adhibere, non eſt ex eo quod per culpam mulieris contra conſilium ejus accidit, adeò reprobandus, quòd non poſt ſatisfactionem condignam cùm eo miſericorditer agi poſſit, ut divina valeat celebrare, alioquin interdicenda eſt ei ſacerdotalis ordinis executio de rigore.

Ad ultimum fuit ex parte tua propoſitum, quòd quidam ſcholaris metuens, ne lattones in hoſpitio

ſpitio ſuo eſſent, dè ſtrato conſurgens, reperit ibi furem, qui non ſolùm ipſum ſcholarem proſtravit ad terram, ſed penè ad mortem vulneravit eumdem: & infrà. Manè itaque ſcholares latronem quæſiverunt eumdem, quem vulneratum inventum, Poteſtati Vincentiæ tradiderunt, coram quo conſtanter negavit, quòd præmiſſa minimè perpetravit, unde præfatus Poteſtas ad eumdem ſcholarem nuntios deſtinavit, ut exponeret ſi qua ſciret de fure prædicto, vel traderet interſignia, qui caltrum, quem ipſi latroni abſtulerat, & ſotulares ab eodem in ipſius domo dimiſſos, quos abſtraxerat, ne pedum ſtrepitus audiretur, nuntiis tradidit memoratis, ſuper eodem facto ſe nihil amplius intromittens. Poteſtas igitur receptis talibus interſigniis, latronem ipſum apparitoribus ſuis tradidit puniendum, qui ſibi amputaverunt virilia, & oculos eruerunt: Latro verò ira & dolore commotus, nec potum ſumpſit, nec cibum, & ſic de medio eſt ſublatus. Unde per noſtrum oraculum poſtulas edoceri, utrùm præfatus ſcholaris ad ſacros valeat ordines promoveri? Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi præfatus ſcholaris dignis meritis adjuvatur, propter præſcriptum eventum, à ſuſceptione ſacrorum ordinum nullatenus eſt arcendus.

S V M M A R I V M.

1 *Religioſus Chirurgiam exercens, ſi ex ea mors ſequitur, irregularis eſt.*

2 *Irregularis non eſt qui judici ſæculari dedit interſignia furis, à quo fuit vulneratus.*

1 TUa nos. Monachus chirurgiam exercens, ſi ex ea mors ſequitur, irregularis eſt, etiamſi ſit peritus, & diligens, & hoc fuerit pietatis cauſa; ſed cum eo poſt ſatisfactionem miſericorditer diſpenſari poteſt. Hoc primo. 2 Qui judici ſæculari dedit interſignia furis, à quo fuit vulneratus, irregularis non eſt, licèt ille poſtmodum occidatur. Hoc dicit ſecundò Joann. Andr. Butr. Cardin. Ancharan. Abb. Joan. de Anan. & Marian. Socin. ſecunda pars, ibi, *ad ultimum*, & ſubdiviſio patet, ſecunda ibi, *Nos igitur*.

Pro intelligentia hujus Decretalis vide quod dixi in *cap. Ad audientiam*, *num.* 38. 40. & 41. *ſup. eod.*

DE HOMICIDIO.

Honorius III. Pelagio Presbytero.

CAPUT XXIV.

PEtitio tua nobis exhibita continebat, quòd cùm inimici Dominicæ Crucis, ac blaſphemi nominis Chriſtiani, caſtrum quoddam, in quo morabaris, graviter invaſiſſent, exeuntibus inde habitatoribus, tam clericis, quàm laicis contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occiſi quamplurimi extiterunt: Unde cùm pro eo, quòd aliquos percuſſiſti, irregularitatem metuas incurriſſe: Mandamus, quatenus ſi de interfectione cujuſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordet, à miniſterio Altaris abſtineas reverenter, cùm ſit conſultius in hujuſmodi dubio abſtinere, quàm temerè celebrare.

S V M M A R I V M.

1 *Clericus pugnans etiam contra Saracenos irregularis eſt ſi aliquem illorum occidit, & in dubio abſtinebit.*

Irregularitas an contrahatur ex homicidio, vel mutilatione pro neceſſaria defenſione patriæ, vel parentum, ibid. & num. ſeq. uſque in fin.

2 *Clerici in bello juſto poſſunt adeſſe, & hortari, ſed non propria manu pugnare.*

3 *Clerici in bello juſto poſſunt deferre arma defenſiva tantum.*

Papa an poſſit Clericis concedere ut ipſi manu propria poſſint hominem occidere.

Irregularitas ex occiſione, vel mutilatione ad ſui defenſionem quando incurratur, ibid.

4 *Neceſſitas inevitabilis ad evitandam irregularitatem quando dicatur.*

5 *Clericum interficiens ob neceſſariam proximi defenſionem non eſt excommunicatus.*

6 *Irregularitas contrahitur etiam ex merito.*

7 *Excommunicatio non incurritur ſine peccato mortali.*

8 *Patriæ, & parentum defenſio eſt de iure naturæ.*

9 *Irregularitas contrahitur ex homicidio patrato ob neceſſariam honoris defenſionem.*

10 *Teſtes etiam coacti in cauſa criminali ſunt irregulares, ſi inde ſequatur mors, aut mutilatio.*

11 *Irregularitas contrahitur ex ſola præſentia in homicidio ab aliis patrato in bello injuſto; ſecus ſi bellum ſit juſtum.*

12 *Intellectus*, cap. Sicut dignum, §. fin. de homicid.

Irregularis eſt Clericus, qui in bello injuſto auxilium, vel conſilium dedit, vel culpabilis, aut negligens fuit, ſi inde ſequuta ſit mors, ibid.

13 *Irregularis non eſt, qui intereſt bello injuſto ad ineundam pacem, licèt ex illius præſentia robur accreſcat ſuis, & timor adverſariis, dummodo abſit dolus.*

14 *Clericus in bello juſto ex percuſſione etiam cum ſanguinis effuſione citra mortem, non fit irregularis, licet per alios ſequuta fuerit mors.*

15 *Diſpenſari poteſt cum eccleſiaſticis irregularibus ex homicidio ob neceſſariam patriæ, vel parentum defenſionem.*

Tridentinum Concilium cap. 7. ſeſſ. 14. *à regula Diſpenſationem prohibente excipiens homicidium ad ſui defenſionem comprehendit etiam homicidium ad defenſionem parentum, ibid.*

PEtitio. Clericus pugnans etiam contra Saracenos irregularis eſt, ſi aliquem illorum occidit, & in dubio abſtinebit. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. Butr. Cardin. & Anchar. vel ſecundùm Abb. Clericus pugnando etiam contra inimicos fidei Catholicæ ſi quemquam percuſſit, & de interfectione ipſum remordet conſcientia, à miniſterio Altaris abſtinere debet. Communis diviſio. Secunda ibi, *Mandamus*.

In Regno Portugalliæ quamplurima loca maritima ſunt ſubjecta Maurorum, Batavorum, & aliorum hæreticorum incurſionibus, & quandoque illis in ea irruentibus contingunt diverſa damna, & infortunia nempe viros, & mulieres abduci, virgines deflorari, templa devaſtari, & alia id generis mala.

QUÆ-

QUÆRITUR, An ſtante evidente neceſſitate hujuſ-
modi eccleſiaſtici pro patriæ, & parentum defenſione,
quin etiam Eccleſiarum, & Monaſteriorum poſſint con-
tra prædictos hæreticos arma capere, & vim vi repellere
abſque irregularitatis incurſu.

1 Hanc quæſtionem videtur decidere hæc Decretalis ubi
Honorius III. reſcribit Pelagio Presbytero his verbis: *Pe-
titio tua nobis exhibita continebat, quod cùm inimici Domi-
nicæ Crucis, ac blaſphemi nominis Chriſtiani caſtrum quod-
dam in quo morabaris, graviter invaſiſſent, exeuntibus inde
habitatoribus tam Clericis, quàm laicis contra eos, ac invi-
cem confligentibus hinc inde occiſi quamplurimi extiterunt:
unde cùm pro eo quod aliquos percuſſiſti irregularitatem me-
tuas incurriſſe, mandamus quatenus ſi de interfectione cu-
juſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordeat à mini-
ſterio Altaris abſtineas reverenter, cùm ſit conſultius in hu-
juſmodi dubio abſtinere, quàm temere celebrare.* Hic enim
agebatur de neceſſaria patriæ defenſione, cùm hoſtes ca-
ſtrum graviter invaſiſſent, & tamen deciditur Pelagium
Presbyterum eſſe irregularem ſi eum remordeat conſcien-
tia, quod in conflictu aliquem interfecerit.

2 Ratio eſt, quia etſi Clerici alios poſſint hortari ad pu-
gnam in bello juſto contra hoſtes, *cap. Igitur*, *cap. Horta-
tus*, *cap. Omni timore*, *cap. Ut pridem*, 23. *quæſt. ultim.*
cap. Dominus, 23. *quæſt.* 2. & *cap. Adrianus*, *diſtin.* 63. in
propria tamen perſona pugnare non poſſunt, *c. Quicun-
que*, & *cap. Clerici*, 23. *quæſt. ultim* quandoquidem eo-
rum officium reddit eos inhabiles ad pugnandum, *cap.
Ex multa*, *ad finem*, *de voto*, gloſſ. *hic in verb. Re-
mordet*.

Unde D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *ad ſecundum:
Dicendum eſt*, inquit, *quod Prælati, & Clerici ex autori-
tate ſuperioris poſſunt intereſſe bellis, non quidem ut ipſi pro-
pria manu pugnent, ſed ut juſtè pugnantibus ſpiritualiter
ſubveniant ſuis exhortationibus, & abſolutionibus, ſicut &
in veteri lege mandabatur, Joſue 6. quod ſacerdotes ſacris
buccinis in bellis clangerent. Et ad hoc primo fuit con-
ceſſum quod Epiſcopi, vel Clerici ad bella procederent:
quod autem aliqui propria manu pugnent, abuſionis
eſt*.

3 Et Butr. hic *num.* 4. [Clerici hortatu adeſſe poſſunt bel-
lis hortando ad bellum juſtum, ſed non in propria perſo-
na pugnando, quia officium ad hoc eos inhabiles reddit:
& licèt quidam dicant Clericos in minoribus poſſe ferre
arma, dicendum eſt contrarium, niſi cauſa defenſionis ut
clypeum, vel loricam, vel niſi ad terrorem, ut in obſi-
dione.] Hæc Butrius.

Et Bald. *conſ.* 439. *Ad bellum juſtum*, *volum.* 5. Inter
quinque requiſita ad hoc ut bellum ſit juſtum primo loco
recenſet ut perſona ſit ſæcularis, non autem eccleſiaſtica,
cui pugnare non licèt, niſi ob inevitabilem neceſſitatem,
& *numer.* 2. duplicem reddit rationem ſecundùm B. Tho-
mam, [quia, inquit, ars bellica, & bellorum ſtrepitus
retrahit Clericos à laude Dei, oratione, & divinis offi-
ciis.] Secunda propter effuſionem ſanguinis, quia exem-
plo Chriſti debent potius pati ſuum ſanguinem effundi,
quàm effundere alienum, & propter hoc eſt inſtitutum
ut effundentes ſanguinem ſint irregulares, ſicut ſcriptum
eſt de David: *Non ædificabis mihi templum, quia vir ſan-
guinis es*. Hæc Bald. qui *num.* 4. amplius affirmat nec Pa-
pam poſſe Clericis concedere, ut ipſi manu propria poſſint
hominem occidere. Quæ ſententia ſatis etiam probatur
in Clem. *Si furioſo*, *de homicid.* ubi ſolùm excipitur ab in-
curſu irregularitatis ex mutilatione, vel occiſione qui mor-
tem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat in-
vaſorem, ubi gloſſ. *penultim.* ponderando illud verbum,
ſuum, [hæc littera, inquit, innuit, ſecus in illo, qui oc-
ciderit volentem occidere patrem, filium, conjugem,
vel perſonam conjunctam, quam aliter juvare non pote-
rat: quod verùm puto quaſi caſus ille non includatur ſub
neceſſitate inevitabili:] quæ quidem gloſſa recipitur ferè
ab omnibus, ut teſtatur Navarr. *cap.* 27. *num.* 213. qui
idem putat in caſu, in quo quis deformat aliquem ob ne-
ceſſariam patriæ defenſionem, ita ut niſi id faceret, civi-
tas obſeſſa caperetur, idemque cenſent Bann. 2. 2. *quæſt.* 4.
numer. 2. *dub.* 41. *verſ. In hujus rei expoſitione*, & Cajet.
ibid. & cum verbis Clementinæ concordat decretum
Concilii Tridentini in *cap.* 7. *ſeſſ.* 14. ibi, *vel vim vi repel-
lendo, ut quis ſe à morte defenderet*. Et quamvis Conci-
lium ſupponat irregularitatem, dum dicit jure quodam-
modo eſſe debitam diſpenſationem; hoc tamen dicendum
eſt procedere cùm neceſſitas eſt omninò inevitabilis, aut
cùm exceditur moderamen inculpatæ tutelæ, juxta termi-
nos *cap. Significaſti*, *il ſecondo*, *ſupra eodem*: aliàs enim
nulla incurritur irregularitas, ut in d. Clem.

Non obſtat, quod Abb. hic *num.* 2. videatur ſentire 4
hunc textum non habere locum ſi neceſſitas eſſet omninò
inevitabilis: ait enim *in* 2. *notab.* licèt ergo Clericus poſſit
interficere ad defenſionem ſuam, quando non poteſt aliter
evitare mortem, ut in Clemen. *Si furioſus*, *de homicid.*
ſecus quando invaditur tota terra, quia per alios poteſt
repelli injuria; unde tunc neceſſitas non eſt omninò ine-
vitabilis.

Hoc inquam non obſtat, quia Abb. tunc demum ſen-
tit neceſſitatem cenſeri inevitabilem, cùm deficiunt laici,
qui civitatem obſeſſam cuſtodiant, quo caſu res non ſer-
vatur in puris terminis meræ defenſionis patriæ, ſed redu-
citur ad terminos dict. Clemen. *Si furioſus*, id eſt defen-
ſionis propriæ perſonæ cujuſque Clerici: unde non mirum
ſi irregularitas non incurratur: quod benè declarat hic
Marian. So in. *notab.* 1. dicens: [Nota primò, quod Cle-
ricus eſt prohibitus pugnare etiam cum infidelibus non
ſolùm eos aut eorum terras invadendo, ſed etiam proprias
terras defendendo ab invaſionibus infidelium: quod intel-
lige quando terra eſſet munita aliis hominibus, qui poſ-
ſent illam defendere: aliàs ſecus ſi poſſet eſſe timor rerum,
& perſonarum:] & idem Socin. in *c. Ad audientiam*, *nu.*
275. *ſup. eodem*, ubi ait: [Si bellum ſit juſtum, dic quod
aut eſt neceſſarium pro defenſione perſonarum, aut re-
rum; ſi perſonarum nullo modo efficitur irregularis, &
hoc caſu etiam proprio facto committens homicidium
non eſt irregularis.] Ergo non efficitur irregularis ille qui
tenetur defendere ſi præſtat auxilium; & in hunc ſenſum
accipiendus eſt Covarr. dum loquitur de neceſſitate omni-
nò inevitabili everſionis patriæ ab hoſtibus, in dicta Clem.
Si furioſus, *in* 2. *par. relect.* §. 3. *num.* 2.

Rurſus non obſtat, quod Fortunius, quem alii plures 5
ſequuntur in *l. Ut vim*, *ff. de inſt. & jur. col.* 9. contra-
rium ſenſerit: ſiquidem movetur ea ratione, quod non
incurrit excommunicationem, qui percutit Clericum ob
neceſſariam proximi defenſionem, ſecundùm doctrinam
Innocentii communiter receptam in *cap. Si vero*, *de ſen-
tent. excomm.* cùm liceat, imò quandoque oporteat pro-
ximum defendere, *cap. Dilecto*, *de ſentent. excommun. in*
6. & *cap. Quanta*, *infra eodem titul.* Quam tamen ratio- 6
nem frivolam eſſe in propriis terminis oſtendit gloſſ. in
dict. *Clement. Si furioſus*, *in verb. Suum*; quia irregulari-
tas contrahitur ſine culpa, etiam ex merito, ut in judice
juſtè occidente, *cap.* 1. 51. *diſtinct.* & notatur in *cap. In-
ter opera*, *de ſponſal.* & docet D. Thom. in 2. 2. *quæſt.* 40.
art. 2. ex communi ratione; imò oportet ut præcedat
diabolica ſuaſio circa Clericum percutiendum, *cap. Si quis* 7
ſuadente, 17. *quæſt.* 4. & non incurritur abſque peccato
mortali, *cap. Nemo Epiſcoporum*, *ead. cauſ. & quæſt.* Na-
varr. *in Man. cap.* 27. *num.* 213. ubi propterea refellit opi-
nionem Fortunii: & hæc eſt communis opinio, ut alios re-
latis teſtatur Marian. Socin. in *cap. Ad audientiam*, *num.*
169. *ſupra eodem*.

Non obſtat demum, quod abſurdum videatur, ut quis 8
incidat irregularitatem ob neceſſariam patriæ, aut paren-
tum defenſionem, ad quam tenetur de jure naturæ, ſeu
de jure gentium, *l.* 1. §. *Jus gentium*, *ff. de inſtit. & jur.*
adeò ut peccarent non faciendo, *cap. Fortitudo*, *cap. Non
in inferenda*, *cap. Qui poteſt*, & *per totam*, 23. *quæſt.* 3.
cap. De occidendis, 23. *quæſt.* 5. Sylveſt. *in verb. Bellum*,
3. *quæſt.* 2.

Reſpondetur enim eadem obligatione unumquemque 9
teneri ad defenſionem proprii honoris, & famæ, *cap.
Non ſunt audiendi*, 11. *quæſt.* 3. ubi qui famam contem-
nunt non ſolùm impudentes, ſed & crudeles appellantur:
& tamen hoc caſu eum, qui occidit, vel mutilat abſolu-
tum eſt in irregularitatem incidere; & contrarium aſſere-
re, ut ait Navarr. *loco citato*: eſſet mille deciſiones in
theorica, & praxi receptas ſine ratione ſufficienti mutare,
& contra textum ferè expreſſum in dict. Clement. ubi gloſ.
recepta ferè per omnes hoc tenet. Et eodem modo vide- 10
mus teſtes in certis caſibus compelli poſſe in criminalibus
etiam per cenſuras eccleſiaſticas ad teſtimonium ferendum,

Digitized by Google

ita ut propterea peccent, ſi examen detrectent, *cap. Super eo*, ſecundùm communem intellectum, & *cap. ſeq. de teſtibus cogen.* & tamen ex hujuſmodi examine contrahunt irregularitatem ſi ſequatur mors, aut mutilatio, Navarr. *in Manual. cap. 27. de irreg. num.* 212. & generaliter imperium, aut juſſum ſuperioris non excuſare ab irregularitate, habetur in can. *Aliquantos* ibi, *Qui dum parent poteſtatibus, quæ ſibi ſunt impetrata fecerunt*, 51. *diſtinct.*

Cùm ergo regula ſit, quod irregularis efficiatur qui aliquem interficit, aut mutilat, nec ab hac regula reperiantur excepti niſi caſus furioſi, infantis, ſeu dormientis, & illius qui mortem aliter vitare non volens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem, ut in dict. Clemen. Stabimus regulæ, quamdiu non probatur exceptio, gloſſ. 1. in *cap. Inter hæc, in fin.* 32. *quæſt.* 2. notatur in *l.* 1. *ff. de reg. iur.*

Quamobrem ut concludamus, cùm in propoſito dubio duo quærantur, videlicet, An eccleſiaſtici poſſint arma capere pro patriæ, & parentum defenſione; & an propterea incidant in irregularitatem.

Quoad primum videtur reſpondendum, eccleſiaſticis licere adeſſe, & hortari ad eum modum, quo Sanctus Thomas declarat *ubi ſupra*, ſed non pugnare manu propria, ut per Abb. hic *num.* 3. & eſt text. in dict. *cap. Ex multa*, §. *fin. de Voto*.

11 Quo verò ad ſecundum, ſi aliquem percuſſerint licèt malè fecerint percutiendo, ſi homicidii, aut mutilationis conſcientia eos non remordeat, non incidunt in irregularitatem. Caſus eſt ad litteram in hac Decretali, qui non habetur alibi ita clarè, ut dicit Abb. *in fine*: nam Papa hic conſultus de percuſſione, reſpondet de interfectione, per hoc inſinuans Clericum non eſſe irregularem ex eo, quod aliquos percuſſerit, niſi ex illa percuſſione aliquis mortuus fuerit, ut hic ponderant Innocen. *in princ.* Hoſt. *num.* 1. *in verb. Si de interfectione*, Butr. *num.* 2. Anchar. & Abb. ambo *num.* 3.

12 Neque obſtat text. in *cap. Sicut dignum*, §. *fin. ſupra eodem*, quia procedit tantùm in bello injuſto, in quo ex ſolo conſilio, vel præſentia armata contrahitur irregularitas ſecuto homicidio per alios ſecundùm Abb. hic *num.* 3. *verſ. Sed contra hoc fortiter oppono*. Quod fuſiùs explicat Innocent. *in princip.* dicens: [In bello injuſto quandocumque auxilium, vel conſilium Clericus dederit in mortem alterius, vel ſi culpabilis, aut negligens fuerit, & ex hoc ſequuta ſit mors, irregularis eſt: *cap. Quantum, cap. Sæpè, & cap. Si duo*, 50. *diſtinct.* Unde ſi euntes ad bellum injuſtum favorem præſtent ſuis, qui propterea ſecuriùs lædunt inimicos, aut terrorem incutiant adverſariis ad hoc ut fugiant, vel non audeant ſe defendere, ſi

13 exinde mors ſequuta ſit, irregulares ſunt. Verùm ſi quis ad injuſtum bellum iret cauſa pacificandi, vel alias ex juſta cauſa, non creditur huic imputandum, ſi ejus præſentia aliquod robur accreſcat ſuis, vel timor adverſariis, dummodo dolus omninò abſit.] Ita Innocentius dicens hoc probari à contrario ſenſu in *capit. Quantum*, 50. *diſtin.* & ei ſubſcribunt Hoſtien. Butr. & alii proximè citati.

At verò ſit bellum juſtum, ut in caſu hujus cap. in quo pugnabatur contra infideles, tunc ex ſola percuſſione etiam cum ſanguinis effuſione Clerici non incurrunt irregularitatem, niſi propria manu occidant, aut mutilent, licèt per alios ſequuta fuerit mors, aut mutilatio, ſecundùm omnes. Sin autem in conflictu non ſolùm percuſſerint, ſed etiam necaverint, aut mutilaverint, utcumque bellum ſit juſtum, cenſendi ſunt irregularitatem contraxiſſe in propoſita facti ſpecie, quia neceſſitas non eſt inevitabilis ad eum modum, quo requirunt Doctores ad irregularitatem incurrendam; nimirum quia non deſunt laici, qui poſſint vim hoſtium propulſare, ſecundùm Abb. *numer.* 2. & Socin. in 1. *notab.* 14

Neque verò habenda eſt ratio Suarez *tom.* 5. *de cenſur. diſputat.* 47. *ſect.* 6. *numer.* 2. & Sayr. *lib.* 6. *de cenſur. cap.* 19. *num.* 5. & aliorum recentiorum: nam cùm aſſerunt ex homicidio ob neceſſariam patriæ, & parentum defenſionem non contrahi irregularitatem; aut loquuntur in caſu, in quo deficiunt laici, qui poſſint vim hoſtium repellere, & admitti poteſt eorum ſententia, qui agitur etiam de propria defenſione perſonarum juxta terminos dict. Clement. *Si furioſus, de homicidio*, aut loquuntur in caſu, in quo laici non deſunt; & tunc contra eos ſtat hæc Decretalis, doctrina Divi Thomæ, & unanimis Canoniſtarum ſententia.

Itaque hoc caſu, in quo ſupponuntur adeſſe etiam laici, 15
qui poſſint hoſtium injurias propulſare, poſſet Sanctiſſimus D. N. ut conſcientiæ eccleſiaſticorum conſultum ſit, impertiri facultatem Collectori Portugalliæ ad tempus Sanctitati ſuæ benè viſum diſpenſandi ab irregularitate cum eccleſiaſticis, qui in caſu inevitabilis neceſſitatis, infideles, vel hæreticos, defendendo patriam, occiderunt, vel mutilarunt: ejuſmodi enim irregularitas eſt diſpenſabilis adinſtar illius, quæ contrahitur ex homicidio ob neceſſariam parentum defenſionem, ut in ſubjecta declaratione Sacræ Congregationis Concilii, videlicet, An Concilium *cap.* 7. *ſeſſ.* 24. dum agit de repellendo vim vi à perſona propria, ut irregularitas ſit diſpenſabilis, habeat etiam locum in perſona patris, S. Congregatio cenſuit habere locum: nam permiſſio vim vi repellendi, & alium offendendi pro tutela ſui corporis; juxta *l. Vim, ff. de inſtit. & iur.* habet locum etiam pro tutela patris, vel filii, matris, vel uxoris, gloſſ. in dicta *l. Vt vim*, & eſt communis, ut ibi per Jaſ. *nu.* 28. & licet gloſſ. in *Clem.* 1. *de homicid.* dicat quod Clem. volens eum, qui mortem aliter evadere non valens, ſuum occidit invaſorem, non eſſe irregularem, non procedit in patre, & filio, ſed tantùm in ejuſdem perſona propria; & gloſſam ſequuntur ibi Cardin. & Anchar. tamen illud eſt verum, quando volumus excuſare à contrahenda irregularitate: illa enim etiam ſine culpa contrahitur, & ita dictum gloſſæ procedit in terminis d. Clem. In caſu autem Concilii non agitur de excuſando ne irregularitas contrahatur, ſed de excuſando, ut contrahatur irregularitas diſpenſabilis, quia vis vi repulſa eſt; & ideò in Concilio comprehenditur etiam perſona patris.

DE HOMICIDIO.

Gregorius IX.

CAPUT XXV.

QUidam (ut aſſeris) ad ædificationem Eccleſiæ in adjutorium à Presbytero evocatus, ruens cum laqueari, quod idem Presbyter ſolvere nitebatur, hac occaſione, rebus eſt humanis exemptus: & infra. Attendentes igitur, quòd ſacerdos ipſe dabat operam licitæ rei, ſtuduit etiam, quam debuit diligentiam adhibere, circumſtantibus, quibus periculum imminebat, ita tempeſtivè, & alta voce præmonitis, quòd & intelligere, & fugere potuerunt: Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd ob hanc cauſam, vel quia omnes caſus fortuitos, (qui prævideri non poſſunt) forſitan non prævidit, non debet quoad officium, vel beneficium impediri.

SUM-

S V M M A R I V M.

1 *HOmicidium caſuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa.*
Irregularis, an ſit Clericus qui puerum per funem demiſit in puteum ad res quærendas, ſi puer diſrupto fune decidens obierit, ibid. & numer. ſeqq. uſque in fin.
2 *Actus illicitus quando dicatur.*
3 *Homicidium caſuale quando imputetur danti operam rei illicitæ.*
4 *Clericus vacans rei mechanicæ, vel ædificationis, an dicatur rei illicitæ operam dare.*
5 *Clericis opus rurale permiſſum eſt.*
6 *Irregularis an ſit qui in cauſa fuit, ut artifex per tectum incederet, ſi ille decidens obierit.*
7 *Irregularis non efficitur Clericus equitans, ſi equus diſrupto fræno hominem prætereuntem occiderit.*
8 *Caſus non imputatur danti operam rei licitæ.*
9 *Irregularitas an contrahatur ex leviſſima culpa.*
10 *Culpa leviſſima in committendo tranſit in culpam levem.*
11 *Culpa tunc abeſt ſi omnia facta ſunt, quæ diligentiſſimus quiſque obſervaturus fuiſſet.*
12 *Homicidium imputatur Clerico ad irregularitatem ſi proveniat actu conſervandi bona etiam extra propoſitum.*

1 QVidam. Homicidium caſuale non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa. Hoc dicit communis diviſio. Secunda ibi, *Attendentes*. Nota ſummatum, cum quo concordat *cap. Ioannes, ſupra eodem*, & Joan. Andr. Butr. Cardin. & omnes *in princip.*

Quidam Clericus ad requirendam ſupellectilem in puteum a fure projectam Puerum eo demiſit ligatum unico fune groſſo, ac novo, eumque appenſum per funem ſuſtentabat dum ſupellectilem explicaretur; tandem chorda, quæ ore putei refricabatur, dum puer extraheretur onuſtus, diſrupta eſt, & puer decidens in aquam eſt ſuffocatus. Quæritur an homicidium hoc quod caſuale eſt, atque omnino fortuitum, neque a Clerico volitum, ipſi veniat imputandum, adeò ut in irregularitatem inciderit.

Quæſtio videtur in duos articulos dividenda. Primus eſt, An Clericus ſecundùm ea, quæ proponuntur, dederit operam rei illicitæ, necne. Secundus, An fuerit in aliqua culpa, ita ut propterea irregularitatem contraxerit.

2 Quoad primum nonnulli opinati ſunt eum dediſſe operam rei illicitæ, dum ipſemet fune ſuſpenſum hominem una cum locus demiſit in puteum, ac etiam tenuit: nam actus illicitus ille dicitur primò ratione periculi mortis, aut confractionis membri, quæ exinde poſſunt contingere, Covarr. poſt alios in *Clem. Si furioſus, de homicid.* §. 4. 2. *par. numer.* 10. per textum in *cap. Tua nos, ſupra eodem, & cap. Sententiam ſanguinis, Ne Cleric. vel Monach.* Deinde quia Clerici dignitati non convenit, dicto *cap. Tua nos*, & notat Abbas in *cap. Ioannes, num.* 1. *ſupra eodem, & in cap. Multa, Ne Cleric. vel Monach.* poſt gloſſ. 4. *in cap. Significante, de appellat.* tunc verò eventus ex actu illicito ſecundùm hunc modum poſteriorem etiam præter intentionem contingens imputatur, ſi ille eventus per ſe ex illo opere conſequatur, ut docet S.
3 Thomas 2. 2. *quæſt.* 64. *artic.* 8. Itaque patet homicidium caſuale ad irregularitatem imputandum fore danti operam rei illicitæ ſi is actus ſit cauſa non admodum remota, tametſi cauſa propinqua, ſeu immediata inſpici ſoleat, gloſ. 1. in *cap. De cætero, ſupra eod.* & Dec. in *Authent. Præterea, C. Vnde vir*, poſt Bart. in *l.* 1. *numer.* 24. *ff. de act. & oblig.* aut quoties illicitum opus per ſe volitum fuerit periculoſum ex natura ſua, ut notant DD. in *cap. ult. infra eod. lib.* 6. & firmat Covarr. *loco cit.* Alphonſ. à Caſtr. *lib.* 2. *de poteſt. leg. pœn. cap.* 14. Domin. Sot. *lib.* 5. *de iuſt. & iur. q.* 1. *art.* 9.
4 Cæterùm pleriſque viſum eſt hunc Clericum non dediſſe operam rei illicitæ: tum quia in *cap. Ex litteris, il ſecondo, ſupra eod.* excuſatur Monachus, qui opus mechanicum exercebat, quaſi rem neceſſariam agens, quemadmodum & hic Clericus rem ſuam in puteum demerſam extrahere ſatagebat: tum quia in hoc c. Clericus dans operam ædificationi dicitur rei licitæ operam dare: tum quia bonorum ſuorum recuperatio nec ſuaptè natura mala eſt,
nec Clericum dedecet, licèt per aliquod opus externum 5
fiat; neque enim vilior eſt opere rurali, quod Clericis permiſſum eſt, juxta notata in *cap. Clericus inſtum*, 91. *diſtin. & cap. Numquam, de conſecrat. diſtinct.* 5. *& in cap.* 1.
de celebrat. Miſſar. Tum demum quia Henriq. *in ſumma* 6
lib. 14. *cap.* 15. ait eum, qui fuit in cauſa, ut faber lignarius incederet per tectum, ut illud componeret, non eſſe irregularem ſi ille collapſus moriatur, dummodo ſponte id operis aſſumpſerit, & alias exercere conſueverit.

Itaque cùm probabilius videatur hunc Clericum rei licitæ operam dediſſe, ſecundus articulus ſupereſt examinandus, an ſcilicet in aliqua culpa ſit ejus homicidii, quod conſecutum eſt: & quidem non eſſe in culpa videtur ſuaderi primò, quia in *cap. Dilectus, ſupra eodem*: quod ſi- 7
mile contigiſſe videtur, dum ibi refertur diſrupto fræno, quo Clericus ſeſſor equum cohibere nitebatur hominem prætereuntem interfectum fuiſſe: & nihilominus deciditur irregularem factum non eſſe, quia nec operam rei illicitæ dedit, nec ulla culpa præceſſit. Quia verò gloſſa Bernardi ait ibi; Clericum equitantem in culpa non fuiſſe, quoniam fragile frænum non adhibuerat, ſed ſatis validum; pari ratione Clericus, de quo nunc agitur excuſandus eſt, quandoquidem fune novo, ac ſatis firmo puerum colligavit, qui in puteum demiſſus eſt, nec tenebatur omnium firmiſſimum adhibere; ſecus fortaſſe ſe res haberet ſi parum diligenter devinctus ille fuiſſet, & ob nexus reſolutionem in vitæ diſcrimen adductus fuiſſet, argum. *l. Item quæritur*, §. *Si gemma, ff. Locati.*

Deinde hoc ipſum ſuaderi poteſt ex *cap. Ioannes, ſupra* 8
eodem, ubi dicitur: Nos igitur attendentes, quod dicti Sacerdoti, qui dabat operam rei licitæ, nihil potuit imputari, ſi caſus omnes fortuitos non prævidit: & idem habetur in textu noſtro ibi, *Quia omnes caſus fortuitos, qui prævideri non poſſunt, forſitan non prævidit.* Ex his videtur inferri poſſe, ut cùm hic Clericus daret operam rei licitæ, quamvis non prævideris, imò nec prævidere tenetur quoad poſteà conſecutum eſt, ab irregularitatis nota liber habendus ſit.

His tamen non obſtantibus videtur reſpondendum præ- 9
dictum Clericum eſſe irregularem: non me latet multos, qui opinionem Abbatis, qui in *c. Quæſitum, de pœn. & remiſſ. numer.* 2. ait culpam leviſſimam non inducere irregularitatem, cui ſubſcribit Navarr. ibidem, & alii citati à Covarruv. & ex recentioribus Henriquez. Cæterùm oppoſita ſententia, quæ placuit gloſſ. *ſeconda in cap. Significaſti, il primo, ſupra eodem*, Hoſtienſ. & Joann. Andr. *ibidem*: juri valdè conſona eſt, præſertim cùm contrariæ opinionis Auctores concedant culpam leviſſimam in committendo inducere irregularitatem, juxta *cap. Conſuluiſti*,
2. *quæſt.* 5. propterea quod ea tranſit in culpam levem, 10
juxta gloſſ. 2. *in l. Lege Cornelia, ff. Ad Syllan.* cùm itaque idem Clericus culpa non careat, tum quia firmiorem funem adhibere debuit, argumen. *l. Si ſervus*, §. *Si ex plauſtro. ff. ad legem Aquil.* tum quia pertrahens prævidere debuit eum, qui ſurſum trahebatur onuſtus, periculo objici, ne diſrupto fune laberetur, præſertim cùm funis eſſet unicus, & ore putei refricaretur, argum. *l. Quod te, ff. de reb. cred. & l. Idem iuris, ff. ad l. Aquil.* & verò culpa tunc abeſt, ait Juriſconſ. in *l. Si merces, ff. Locat.* §. *Qui columnam*, ſi omnia facta ſunt, quæ diligentiſſimus quiſque obſervaturus fuiſſet. Unde, ut ait Abb.
hic *in ultim. notab.* ut quis caſu fortuito non teneatur, in- 11
telligitur de fortuito, quem etiam diligentiſſimus prævidere non poteſt, ut *l. Si quis domum, ff. Locat.* Quibus
addi poteſt etiam latam culpam fortaſſe interveniſſe, quia 12
vehementius res ablatas recuperandi ſtudium in cauſa fuit, ne ille miſer cautiùs extraheretur, argum. *cap. Suſcepimus, ſup. eod.* Ubi Alexan. III. *Quoniam*, inquit, *expediebat potius poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere iacturam, quàm pro conſervandis vilibus rebus, & tranſitoriis, tam acriter in alios exardeſcere, abſtineat iſte humili-*

Digitized by Google

militer ab Altaris miniſterio, & uterque peccatum ſuum ad arbitrium tuum ſtudeat expiare: ubi Felin in 1. *notab.* dicit Clerico imputari ad irregularitatem ſi ex actu conſervandi bona ſequatur homicidium etiam extra propoſitum. Ex quibus reſultat etiam reſponſio ad objecta: & ita reſolutum.

DE CLERICIS PUGNANTIBUS in duello.

Cæleſtinus III.

CAPUT II.

HEnricus Presbyter nobis humiliter intimavit, quòd cùm laicum quemdam ſuper furto in ſæculari placito conveniſſet, quia teſtes ſui defecerunt, pugilem ſecundùm pravam terræ conſuetudinem introduxit, qui reum uſque adeò ictibus vulneravit, quòd coactus eſt expirare. Quia igitur ſuper hoc nos conſulere voluiſti, ambiguitatem tuam reſponſione hujuſmodi removemus: quòd tales pugiles homicidæ veri exiſtunt, nec prædictus ſacerdos, licèt non ipſe, ſed alius pro eo in duello pugnaverit, debet in ſacris Ordinibus miniſtrare, ſicut tradunt ſacrorum Canonum inſtituta. Homicidium autem tam facto, quàm præcepto, ſive conſilio, aut defenſione non eſt dubium perpetrari, poterit tamen cum eo, circa habendum beneficium miſericorditer diſpenſari.

SUMMARIUM.

1 *IRregularis eſt Clericus ſi pugil ab eo datus adverſarium occidat; diſpenſatur tamen cum eo ad beneficium.*
2 *Conſuetudo qua accuſans, & accuſatus adſtringitur ad pugnandum damnata eſt.*
3 *Duellum purgationis vulgaris quibus rationibus reprobetur.*
4 *Potentioribus pares eſſe non poſſumus.*
5 *Inæqualitas in iudiciis reprobatur parilitas approbatur.*
6 *Fortitudo nulla ſine iuſtitia eſt laudanda.*
7 *Duellum purgationis vulgaris, quo iure ſit prohibitum.*
8 *Diſpenſari poteſt cum homicida voluntario ad obtinendum beneficium etiam in titulum.*
9 *Et an hæc diſpenſatio ſit debita, adeò ut ſuperior peccet non diſpenſando.*
10 *Clericus homicida eſt deponendus, & perpetuò detrudendus in monaſterium.*
11 *Verbum*, poteſt, *eſt facultatis.*
12 *Diſpenſare non poteſt inferior à Papa niſi ex cauſa magnæ utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ.*
13 *Diſpenſatio eſt quædam miſericordia.*
14 *Miſericordia, quid ſit.*
15 *Papa in his, quæ ſunt iuris poſitivi diſpenſare poteſt ſine ulla cauſa, & ſic diſpenſati ſunt tuti quoad Deum.*
Declaratur, ibidem, verſ. Niſi lex canonica.
16 *Diſpenſare poteſt cum homicida voluntario etiam Epiſcopus ad beneficium ſimplex, ſed ad curatum non diſpenſat niſi Papa, & nu. 27. uſque in fin.*
Diſpenſare an poſſit Epiſcopus cum homicida voluntario ad beneficium curatum prius obtentum, ibid. verſ. Et quamvis.
17 *Et quid ad beneficium non curatum, cui ſit annexum onus miniſtrandi in ſacris Ordinibus per ſeipſum.*
Et quid ſi alter beneficium impetraverit in eventum privationis ante accuſationem inſtitutam, ibid. verſ. An autem Epiſcopus.
18 *Homicida voluntarius in ſacris Ordinibus non diſpenſatur.*
19 *Et quid in minoribus.*
20 *Ordo quilibet in latiori ſignificatione dicitur ſacer.*
21 *Diſpenſare an poſſit Epiſcopus cum occulto homicida etiam in ſacris.*
22 *Homicida voluntarius etiam occultus ex Concilio Tridentino omni ordine, beneficio, & officio eccleſiaſtico perpetuo carere debet.*
23 *Concilium Tridentinum in* cap. 7. ſeſſion. 14. *excludens voluntarium homicidam à ſpe diſpenſationis an habeat locum in iam promoto ad ſacros Ordines, & num. ſeqq.*
24 *Diſpenſationis gradus tres.*
25 *Promovendus facilius repellitur, quàm deiiciatur promotus.*
26 *Concilium Tridentinum nec voluit, nec potuit adimere Papæ poteſtatem diſpenſandi in ſacris Ordinibus cum voluntario homicida.*
27 *Papa an poſſit diſpenſare quoad Ordines cum homicida voluntario.*
28 *Eccleſia numquam diſpenſat ſuper homicidio voluntario etiam ex manſuetudine, & nu.* 33.
Contrarium, num. 34.
29 *Irregularitas cauſata ex homicidio voluntario an ſit de iure divino.*
30 *Papa contra ius divinum non diſpenſat.*
31 *Phinees nepos Aaron fuit diſpenſatus ſuper duobus homicidiis, & permiſſus divina miniſtrare.*
32 *Paulus Apoſtolus, quamvis homicida divina miniſtravit.*
33 *Doctores aſſerentes Eccleſiam non diſpenſare ſuper homicidio voluntario expenduntur.*
34 *Papa diſpenſat cum promotis ſuper homicidio voluntario aliquando in Signatura Gratiæ, aliquando remittit ſupplicationes ad Congregationem Concilii.*
35 *Congregationis Concilii ſtylus in diſpenſationibus ſuper homicidio voluntario.*
36 *Cum homicida voluntario, ad effectum ingrediendi Religionem qualiter diſpenſetur.*
37 *Pænitentiariæ ſtylus in diſpenſationibus concedendis ſuper homicidio voluntario occulto.*
38 *Et quid in atrociſſimis.*
39 *Eccleſiæ Romanæ obſervantia prævalet authoritati cuiuſcumque Doctoris.*
40 *Papa diſpenſat ſuper omnibus irregularitatibus.*
41 *Cum homicidio voluntario numquam diſpenſatur ad Ordines ſuſcipiendos.*
42 *Epiſcopi poſt Concilium Tridentinum an poſſint diſpenſare ſuper homicidio voluntario ſaltem occulto ad executionem minorum Ordinum.*
43 *Concilii Tridentini decretum in* cap. 6. ſeſſ. 24. *expenditur.*

H*Enricus*, Irregularis eſt Clericus ſi pugil ab eo datus adverſarium ejus occidit, nec excuſat conſuetudo, poteſt tamen cum eo circa habendum beneficium diſpenſari. Hoc dicit ſecundùm Jo. Andr & DD. communiter. Secunda ibi. *Quia igitur.* 1

Nota primò, pravam eſſe & damnatam conſuetudinem ſecundùm quam accuſatus, & accuſator adſtringitur ad pu- 2

Digitized by Google

pugnandum per ſe, vel per alium, ut ſic appareat de in-
nocentia, vel convincatur de crimine illato; quæ dicitur
purgatio vulgaris, ut infra *de purgat. vulg.* Abſit enim
iſta abuſio, ut qui vincit in campo ſit in jure potior, ut
inquit Oldrad. *conſ.* 191. *Nullo modo, numer.* 2. Quia
3 multa habet abſurda propter quæ redditur imperſcriptibi-
lis, ut ibi per eum: & complures rationes cur hæc proba-
tio ſit reprobata adducunt hic Hoſtien. *num.* 1. Jo. Andr.
num. 3. Butr. *num.* 12. Ancharan. *num.* 6. & Joan. de
Anan. *num.* 1. Quarum prima eſt, quia per talem proba-
tionem Deus tentari videtur, *c. Monomachiam*, 2. *quæſt.*
4. Secunda, quia mortes hominum, & pericula anima-
rum inde proveniunt, *cap.* 1. *verſ. fin. ſup. tit. prox.*
Tertia, quia inventa eſt Diabolo fabricante, *cap. Men-
nam, & cap. Conſuluiſti*, 2. *quæſt.* 4. Quarum rationum
meminit etiam Concilium Tridentinum in *cap.* 19. *ſeſſ.* 25.
ubi dicitur: *Deteſtabilis duellorum uſus fabricante Diabolo
introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam*
4 *perniciem lucretur*. Quarta, quia non eſt veriſimilis pro-
batio, imò veriſimile eſt, ut fortior, & potentior debi-
liorem conculcet, argum. *cap.* 1. *verſ.* 1. *ſupra, tit. prox.*
Etenim potentioribus pares eſſe non poſſumus, *l.* 3. *re-*
5 *ſponſ.* 1. *ff. de alien. iudic. mut. cau. fac.* Quinta, quæ ex
præcedenti conſequitur, quia vix, aut nunquam poſſunt
eligi pugiles utrinque pares in omnibus. In judiciis autem
iniquitas, & inæqualitas reprobatur, & paritas appro-
batur, ut in *cap. Cum inter priorem*, §. 1. *cum ibi not. ſup.*
6 *de except. & in cap.* 1. §. 1. *de mut. petition.* Sexta, quia
falſa probatio eſt, unde nec ſententia hac occaſione lata
in rem judicatam tranſit, ut in *cap.* 2. *infra de purgat. vul-*
7 *gar.* Septima, quia nulla fortitudo ſine juſtitia eſt laudan-
da, ut in *Authent. Vt omn. obed. iud. reſpon.* 1. *coll.* 5. Ex
his conſequitur, ut hæc species duelli purgationis vulgaris
ſit omni jure prohibita, prout illam de jure divino, cano-
nico, & civili prohibitam eſſe pluribus probat hic Marian.
Socin. *num* 9. *& ſeqq.*
8 Secundò nota, cùm homicida voluntario diſpenſari
poſſe quoad obtinendum beneficium, etiam in titulum,
ut probatur in *cap. Presbyterum*, 28. *diſtinct.* ponderando
litteram ibi, *Cathedram quidem habere, ſed ab officio ab-
ſtinere præcipimus*: & hoc tenet Goffred. quem hic ſequun-
tur Joan. Andr. *num.* 2. *in verb. Beneficium*, Cardin. *ante
num.* 1. *in eod. verb.* Abb. *num.* 4. *verſ. Vlterius quæro*, &
Joan. de Anan. *num.* 5. Geminian. *in cap. Studeat*, per il-
lum textum in *verſ. Verum ſi Presbyter*, 50. *diſtinct.* Imò
9 dicunt Doctores hanc diſpenſationem eſſe debitam, adeò
ut Superior dicatur peccare, niſi diſpenſet ſi Clericus ſit cor-
rigibilis per dict. *cap. Studeat, & dict. cap. Presbyterum*,
ne ſcilicet cogatur in Clerici opprobrium mendicare,
cap. Diaconi, ibi: *mendicat infelix Clericus in plateis, &
civili operi mancipatus publicam à quolibet depoſcit alimo-
niam*, 93. *diſtinct. & cap. Ad ſupplicationem, de renunc.*
& hoc tenet Hoſtienſ. *hic num.* 6. *in verb. Poterit tamen*,
Joan. Andr. *num.* 2. *in eodem verb.* Butr. *num.* 11. Cardin.
10 *in princip. dicto verb. Poterit.* Verùm hæc opinio ita indi-
ſtinctè non placet Abbati *num.* 3. *in ult. notab.* Quia pro
homicidio ſicut & pro alio graviſſimo crimine debet Cle-
ricus deponi, & perpetuò in monaſterium detrudi ad agen-
11 dam pœnitentiam, ut in *cap. Tua, infra de pœnis.* Ergo
ceſſat hæc ratio ne cogatur mendicare, cùm in monaſterio
ſint ei ſubminiſtranda alimenta, ut in *cap. Novimus, in-
fra de verbor. ſignificat.* unde concludit Abb. hujuſmodi
diſpenſationem eſſe omninò gratioſam: & ponderat litte-
ram hic in *verb. Miſericorditer*; pro quo etiam facit *verb.
poterit*: hic poſitum, quod eſt facultatis, ut *l. Sæpè, ff. de
offic. Præſid. & l. Non quicquid, ff. de iudic.*
Pro conciliatione Joan. de Anan. hic *nu.* 4. *ver. Poteſt*,
fortè dicit opinionem Hoſtienſ. poſſe procedere ſi Clericus
non detrudatur in monaſterium, ſed remaneat in ſæculo,
quia tunc viget ratio illa mendicitatis, ſed Marian. Socin.
in *cap. Ad audientiam, num.* 41. *ſupra de homicidio.* Di-
ſtinguit an ſubſit juſta, & legitima cauſa diſpenſandi, pu-
ta quia verteretur maxima utilitas Eccleſiæ, vel magnum
ſcandalum, vel alia ſimilis cauſa urgens; & vera ſit opi-
nio Hoſtien. ut Superior cogatur diſpenſare, & peccet non
diſpenſando. An verò ſubſit ſola utilitas perſonæ, ut quia
eſt bonæ conditionis, & lapſu quodam erravit, & mul-
tum eſt contritus, & dolens de exceſſu ſuo, & hoc caſu
vera ſit ſecunda opinio, ut ſit in facultate Prælati concede-
dere, vel non concedere diſpenſationem. Tu adverte, 12
quia hoc ſecundum membrum diſtinctionis Mariani So-
cini non tranſit abſque difficultate. Supponit enim diſpen-
ſari poſſe cum homicidio voluntario ob ſolam utilitatem
perſonæ, quod non videtur verum, quia diſpenſatio con-
cedi non debet niſi ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis Ec-
cleſiæ, *cap. Etſi illa*, 1. *quæſt.* 7. *in fine*, ibi: *illa nullate-
nus mutilanda ſunt, quæ nec ulla neceſſitas, nec eccleſiaſti-
ca prorſus extorquet utilitas, & cap. Mutationes*, 7. *quæſt.*
1. ibi: *communi utilitate, vel neceſſitate.* Imò hæc cauſa
in diſpenſatione Epiſcopi debet eſſe magna, ut patet in *cap.
Cenomanen. in fine*, 56. *diſtinct. in cap. Ab excommunica-
tis*, 9. *quæſt.* 1. ibi: *ad ſuperiores autem conſcendere non con-
cedimus, niſi neceſſitas, vel utilitas maxima flagitaverit:
& in cap. Nemo, de elect. lib.* 6. ibi: *& evidente neceſſita-
te, vel utilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente*; & hodie eſt ex-
preſſum in decreto Concilii Tridentini *cap.* 18. *ſeſſ.* 25. Imò
qui hoc negant, profectò ſacras regulas non intelligunt, ut
formaliter inquit Archidiac. in *cap. Licet Canon, num.* 3.
*verſ. Item requiritur, quod talis neceſſitas, vel utilitas ſit
magna, de elect. lib.* 6. & ſcripſi pleniùs in *cap. fin. num.* 6.
& ſeqq. ſupra de fil. Presbyter. Aut ergo ſubeſt ſola cauſa
utilitatis perſonæ, & diſpenſatio nullatenus eſt conceden-
da; aut ſubeſt evidens Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas: &
tunc arbitror indiſtinctè veram eſſe opinionem Hoſtienſ. ut
diſpenſatio ſit debita; quod tenet gloſſa magna in *cap. Vt
Conſtitueretur*, 50. *diſtinct.* ubi dicit diſpenſationem eſſe
debitam ſi ſubeſt juſta cauſa, ut ibi, *& cap. Licèt*, 45. *di-
ſtinct. cap. Diſpenſationes*, 1. *quæſt.* 7. *cap. Plerumque*, 11.
quæſt. 3. *cap. Nelí*, 23. *quæſt.* 1. *& cap. Conſiderandum*,
50. *diſtinct.* Eſt enim diſpenſatio quædam miſericordia, ut 13
hic, & in *cap. Ad audientiam, ſupra de homicid.* vel qua-
ſi miſericordia, ut inquit gloſſa prælleg. At quilibet tenetur
eſſe miſericors, *cap. Non ſatis*, 86. *diſtinct. cap. Diſcipli-
na, in princ.* 45. *diſtinct.* Et maximè Prælati, *cap. fin.* 90.
diſtinct. cap. 2. *infra de ſortileg. l. Placuit, C. de iudic.* &
hac poſſet implorari Officium Superioris, ut ſentit gloſſ. in
dict. *cap. Vt conſtitueretur*, 50. *diſtin.* & expreſſiùs gloſſa 1.
in *cap. Exigunt*, 1. *quæſt.* 7. argum. *cap. Nullus, de iure-
patronat.* & ſic ponderatio quam facit Abb. *ſuper ver. Mi-
ſericorditer*, contra ipſum retorquetur, quia, ut Dama-
ſcenus inquit, *lib.* 2. *Orthodoxæ fidei, cap.* 14. *Miſericor-* 14
dia eſt ſpecies iuſtitiæ, & propterea ab Auguſt. *lib.* 9. *cap.* 5.
ante med. de Civitat. Dei, diffinitur eſſe alienæ miſe-
riæ in noſtro corde compaſſio, qua utique ſi poſſumus,
ſubvenire compellimur, ut refert Sanctus Thomas in 2. 2.
quæſt. 30. *art.* 1. Quinimò ſuperior qui negaret diſpenſa-
tionem, peccaret non ſolùm contra miſericordiam in pro-
ximum, ſed etiam contra juſtitiam Eccleſiæ debitam, ſi
urgens illius neceſſitas, aut evidens utilitas exigeret diſpen-
ſationem: quod ſatis conſtat ex decreto ejuſdem Concilii
in dict. *cap.* 18. ibi: *urgens, iuſtaque ratio, & maior quan-
doque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum
eſſe.*
Dictum Mariani Socini fortè ſalvari poſſet in Papa, 15
qui cùm ſit ſupra omne jus humanum poſitivum, *cap. Pro-
poſuit, de conceſſ. præbend.* poteſt in his pro ſola voluntate
diſpenſare etiam nulla cauſa ſubſiſtente, ut determinat In-
noc. in *cap. Cum ad Monaſterium, num.* 3. *verſ. Item nota
quod quidam dicunt, ſupra de ſtatu Monach.* quem ſequi-
tur Speculat. *in titul. de legat.* §. *Nunc breviter, ad finem,
verſ. Decimoquinto in voto*, Cardin. *in repet. cap. Perpen-
dimus, de ſent. excommun.* Præpoſ. in *cap. Per venerabi-
lem, Qui fil. ſint legit.* & alii relati à Felin. in *cap. Ad au-
dientiam, il ſecondo, num.* 4. *verſ. Nihilominus attende,
de reſcript.* & ſic diſpenſati ſunt tuti etiam quoad Deum,
ut ibi probat Felin. *verſ. Et puto hoc procedere*, niſi lex ca-
nonica eſſet fundata in aliqua ratione deſcendente a jure
divino, vel à dictamine rationis merè naturalis, ut per
eumdem *verſ. benè fateor*, & eſt ex mente D. Thomæ *quodl.*
9. *art.* 5.
Hanc autem diſpenſationem ad beneficium ex juris com- 16
munis diſpoſitione poteſt hoc caſu etiam Epiſcopus imper-
tiri, ſi beneficium ſit ſimplex, ſecus ſi curatum, quia non
diſpenſat niſi Papa, argum. *cap. fin.* cum ibi notatis, *ſu-
pra de fil. Presbyt. & cap. fin. de præben.* ſecundùm Hoſtien.
hic in fine, Joan. Andr. *num.* 2. *in verb. Beneficium*, Butr.
num. 11. *in fin.* Cardin. *ante nu.* 1. *in verb. Beneficium*, Abb.
num. 4. *verſ. Vlterius quis poteſt diſpenſare*, & Marian. So-
cin.

cin. in *cap. Ad audientiam*, *numer.* 400. *ſupra de homicid.*

Et quamvis Joan. de Anan. *hic num.* 5. *verſ. Quis autem poterit diſpenſare*, videatur concludere, Epiſcopum diſpenſare poſſe etiam ad curatum eo quod etſi diſpenſatio ipſa ſit ſtricti juris; poteſtas tamen diſpenſandi ſit latè interpretanda, *cap. fin.* ubi id notant Joan. Andr. & omnes *de Simon.* & Dec. *in cap. At ſi Clerici*, §. *de adulteriis*, *n.* 129. *de iudic.* conciliando opiniones dicat quoad beneficium obtinendum veram eſſe primam opinionem Hoſtienſis, & Abbatis, ſed in beneficio prius acquiſito procedere ſecundam opinionem Joan. de Anan. nihilominus nec ſecunda opinio, nec conciliatio Decii videtur admittenda, quia cùm Epiſcopus cum homicida voluntario non poſſit diſpenſare ut miniſtret in ſacris Ordinibus, ut eſt textus clarus hic, & dicam infra *in ultim. notab.* in neceſſariam conſequentiam nec diſpenſare poteſt ut retineat beneficium curatum, quippe quod annexum habet ſacri Ordinis miniſterium, & eſt ſequela officii, *cap. Si quis Sacerdotum*, *& cap. Eos*, 81. *diſtin.* & notat gloſ. in *cap. fin. in verb. Datur*, *de reſcript. lib.* 6. Ad quod adduco textum optimum in *cap. Ex litteris*, *infra de exceſſ. Prælat.* ubi pro deciſione cur Epiſcopus propter homicidium voluntarium ſit deponendus adducitur ratio illa, quia Pontificale officium non valet adimpleri ſine altaris miniſterio cujus ſic delinquens reputatur indignus; quæ ratio militat etiam in quolibet curato. Nec valet motivum Decii quod poterit Vicarium conſtituere, ut in ſimili habetur in *cap. Cum ex eo*, *de elect. in* 6. imò enim obtinens beneficium curatum tenetur celebrare, & Sacramenta adminiſtrare per ſeipſum, ut in *c. Extirpanda*, §. *Qui vero*, *infra de præb. in cap. Licet canon*, *de elect. in* 6. & in decreto *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. Concilii Tridentini. Non obſtat text. in *dict. cap. Cum ex eo*, quia loquitur in privilegiatis ſtudiorum cauſa, nec applicatur ei qui cùm propter delictum reddiderit ſe inhabilem ad officium, etiam beneficio privari debet, ut dicitur in *dict. cap. Eos*, *& in cap. Si quis ſacerdotum*.

17 Et idem intelligo in beneficio non curato, cui ex fundatione, vel aliàs ſit annexum onus miniſtrandi in ſacris Ordinibus per ſeipſum, ut in *Clem. Ut ii*, *de ætat. & qualitat.* & in decretis Concilii Tridentini *cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *& cap.* 5. *ſeſſ.* 25. quia viget eadem ratio; & alioquin beneficiatus ſentiret commodum ex culpa ſua, quia perciperet emolumenta, & onera non ſubiret, quod eſſet abſurdum, ut conſiderat Vitalin. in *Clem. Cupientes*, *num.* 41. *&* 42. *de pœnis*,

An autem Epiſcopus poſſit diſpenſare cum homicida voluntario ad beneficium ſimplex prius obtentum eo caſu, in quo alter in eventum privationis ante litem motam, & accuſationem inſtitutam illud à Sede Apoſtolica impetravit, Geminian. reſpondit non poſſe, *conſ.* 105. *Pro declaratione*, *col. ult. num.* 10. *verſ. Sed præſupponendo*, quia ex præmiſſa impetratione jus quoddam alteri jam eſt quæſitum, cui Papa ſine ſpeciali derogatione non cenſetur præjudicium intuliſſe, idem tenet Joan. Staphil. *de litter. grat. fol.* 78. *col.* 2. vide Covarr. in *Clem. Si furioſus*, *par.* 2. §. 3. *num.* 6. *de homicid.* quæ tamen procedunt inſpecta juris communis diſpoſitione. Sed quid in terminis Concilii Tridentini, dicam infra *nu.* 22.

18 Ultimò nota ibi, *in ſacris*, cùm Clerico homicida voluntario in ſacris Ordinibus non diſpenſari, concordat *cap. Continebatur*, *ſup. de homicid. & dict. cap. Miror*, 50. *diſt.* ſecus in minoribus, ut notatur in *cap.* 1. §. *fin. ſupra eod. & cap.* 2. *de bigam.* ita Hoſtien. *hic num.* 5. *in verb. In*
19 *ſacris*, qui tamen ſubdit de rigore juris idem eſſe in non ſacris, ex quo in culpa eſt, *cap. Si quis viduam*, 50. *diſtinct. & cap. Sicut dignum*, §. *fin. ſupra de homicid.* Pondera hæc dicta Hoſtienſis, qui videtur velle, ut Epiſcopus poſſit in executione minorum Ordinum diſpenſare cum homicida voluntario; & clariùs hoc tenet in fine, in *verb. Diſpenſari*; & cum eo tranſit Joann. Andr. *num.* 1, *verſ. Oppono*, & hanc opinionem magis communem eſſe teſtatur Covarr. in *Clem. Si furioſus*, §. 3. *num.* 5. *de homicid.* moventur per *cap. Continebatur*, *& cap. Ad audientiam*, *ſupra de homicid.* Et pro hac opinione facit in littera hujus Decretalis, quæ dum prohibet de ſacris, videtur permittere de minoribus, argum. *c. Nonne*, *de præſumpt.* Sed contrarium tenet Innoc. *hic in princ.* qui in littera ibi, *in ſacris*, ſubaudit verbum, *maxime*, & indiſtinctè tenet idem eſſe in non ſacris, pro quo facit text. in *cap.* 1. *ſupra eod.* & apertiùs opinionem Hoſtienſis reprobat Butr. hic *num.* 9. & Abb. *num.* 7. Joan. de Anan. *eodem num.* 7. & Mar. Soc. in d. *cap. Ad audientiam*, *num.* 396. nec ſecundùm eos oppoſitum tenent Doctores, niſi homicidium ſit caſuale, prout loquuntur textus in *dict. cap. Continebatur*, *& cap. Ad audientiam*.

Item non obſtat hæc Decretalis, quia tum dicit de ſacris 20
Ordinibus poteſt ſumi largè pro quolibet Ordine etiam minore: nam in latiori ſignificatione quilibet Ordo minor eſt ſacer, quia ſacri ſignaculum, ut notatur in *cap. Clericus ſi tonſuram*, & ibi per Abb. *ſupra de vita, & honeſt. Cleric.* licèt majores communiter propter excellentiam appellentur ſacri, ut in gloſſ. *in ſumma*, 32. *diſtinct.* Subdit tamen Marian. Socin in *dict. cap. Ad audientiam*, *nu.* 399. primam opinionem Hoſtienſis poſſe ſalvari in eo qui commiſit homicidium voluntarium mediante juſtitia, cum quo ſecundùm eum poterit Epiſcopus diſpenſare, quo ad adminiſtrationem minorum Ordinum ſuſceptorum; quod & Navarr. admittit in *Manuali cap.* 27. *numer.* 270. *verſ. Ex quo videtur inferri*, licèt ſecundùm ejus diffinitionem hoc homicidium non ſit voluntarium. Addit etiam 21
Butr. ubi ſupra, Archidiac. tenere in *cap. De his*, 50. *diſt.* cùm occulto homicida poſſe Epiſcopum diſpenſare etiam in ſacris: locus Archidiaconi declarantis in hoc ſententiam Vincentii eſt in *dict. cap. De his*, *il ſecondo*, *num.* 5. *ad fin. verſ. Sententiam Vincentii*, & alios plures pro hac ſententia refert Covarr. in *dict. Clem. Si furioſus*, *par.* 2. §. 3. *num.* 4. Sed in hoc contrarium tenet Hoſt. *in ſumma*, *de homicid.* §. *Quæ pœna*, *verſ. Sed & ſecundum Canones*: & quamvis opinio Vinc. & Archid. ſit ſatis probabilis, tamen contraria ſententia Hoſtienſis eſt tutior; & ideò ſequenda cum agatur de periculo animæ, ut dicit Henric. Boich. in *cap. Quæſitum*, *circa med. verſ. Et licet iſta opinio*, *de tempor. ordinat.* quam etiam dicit communem Bellam. *ibidem in* 2. *oppoſ. num.* 12. & contra primam opinionem videtur textus ſatis clarus in prædicta Decretali, *Quæſitum*, ibi, *præter reos homicidii*, ut ponderant Henricus, & Bellamera.

Verùm has difficultates ferè omnes hodie ſuſtulit Con- 22
cilium Tridentinum in *cap.* 7. *ſeſſ.* 14. quo ſtatutum eſt, ut qui ſua voluntate homicidium perpetraverit etiamſi crimen id nec ordine judiciario, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, nullo tempore ad ſacros Ordines promoveri poſſit, nec illi aliqua eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum conferri liceat, ſed omni ordine, ac beneficio, & officio eccleſiaſtico perpetuò careat: quo decreto ſatis apertè corrigitur opinio Vincent. & Archid. & approbatur ſententia Hoſt. de qua ſuprà proximè dictum eſt: an autem corrigantur ea, quæ hic dicunt DD. de diſpenſatione ad minores Ordines, & beneficia ſimplicia: & quid in terminis *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. *dicam infra num.* 42.

QUÆRO, An decretum *dict. cap.* 7. *ſeſſ.* 14. excludens 23
voluntarium homicidam à ſpe diſpenſationis vendicet ſibi locum in eo, qui ante homicidium ad ſacros jam erat Ordines promotus,

Die 2. Septembris 1613. habita eſt Sacra Congregatio Concilii coram S. D. N, cui interfuerunt S. R. E. Cardinales Camerinenſis, Montelperus, Sanctæ Cæciliæ, Juſtinianus, de Monte, Palavicinus, Plattus, SS. Quatuor, Burgheſius, Blanchettus, Davila, Mantica, Arigonius, Viſcontius, Doſſatus, S. Marcelli: in eaque propoſito ſuprædicto dubio, Camerinenſis exiſtimavit decretum Concilii comprehendere etiam promotum: nam Canones ita loquuntur, ut nemo ſit diſpenſandus homicida voluntarius, idque non tam ob delictum, quam ob Sacramenti decentiam, cùm non deceat virum ſanguinolentum miniſtrare in ſacra Euchariſtia, quod eſt Sacramentum pacis, & unionis, Sotus *de iuſt. & iur. lib.* 1. *q.* 6. *art.* 5. *verſ. Ad primum igitur*, *& lib.* 5. *q.* 1. *art.* 4. Quæ ratio militat etiam in promoto; neque hoc modo Concilium ampliat diſpenſationem antiquorum Canonum, ſed cum ea ſe conformat, Montelperus exiſtimavit promotum non comprehendi, dum tamen non celebret in locum commiſſi delicti, Sanctæ Cæciliæ arguit pro opinione affirmativa, quod Concilium promotum includat. Primò, quia *cap. Miror*, 50, *diſtinct.* arcet ab altari voluntarium homicidam, cujuſque ratio militat tam in promoto, quàm in promoven-

Digitized by Google

vendo. Secundò quia Concilium utitur verbo *careat*, quod importat carentiam ejus quod quis habet. Contrariam tamen ſententiam, ut promotus non comprehendatur in Concilio veriorem eſſe putavit: nam tres ſunt gra-
24 dus diſpenſationis. Primus cùm diſpenſatur in aliquo homicidio voluntario, ut miniſtret in minoribus Ordinibus. Secundus cùm diſpenſatur, ut miniſtret in majoribus. Tertius cùm diſpenſatur cum eo, qui non eſt promotus, & hic eſt maximus gradus diſpenſationis. Unde non eſt dicendum Concilium loquens de hoc tertio gradu, qui eſt omnium maximus voluiſſe ſub prohibitione includere gradus minores, præſertim cùm inter promotum, & promovendum ſit maxima ratio diverſitatis: nam is qui non eſt promotus ad ſacros, poterit uxorem ducere, aliiſque rebus ſe addicere. At promotus quid aget, cùm nec miniſtrare poſſit, nec retrocedere liceat? Prætereà de jure communi erat ei danda diſpenſatio, ne mendicare cogeretur, *cap. 2. de Cleric. pugn. in duell.* ubi dicunt DD. hujuſmodi diſpenſationem eſſe quaſi debitam, ſi Clericus ſit corrigibilis. Juſtinianus eamdem opinionem ſequutus eſt, ut promotus non comprehendatur: nam verba Concilii non poſſunt convenire promoto, ibi, *promoveri*, ibi, *conferri*.

Dictio autem, *ſed*, quæ ſubſequitur eſt continuativa cum omnibus qualitatibus; & ſic verba ſequentia intelligenda ſunt retento eodem themate de promovendo; & cùm verba non ſint apta comprehendere promotum, verè multò minus comprehendunt promotum ex ſimilitudi-
25 ne, quia faciliùs repellitur promovendus, quàm dejiciatur promotus, gloſſ. in *cap. Ex tenore, de tempor. ordin.* Covarruv. *in 2. part. relect. Clemen. Si furioſus, de homicid. §. 3. numer. 4.* Ponderavit etiam textum in *cap. 6. ſeſſ.* 24. dum à facultate tributa Epiſcopis diſpenſandi in caſibus occultis excipit homicidam voluntarium: nam ſi ex *cap. 7. ſeſſ.* 14. eſſet decretum ut non diſpenſaretur etiam promotus, illa exceptio eſſet de indubitabili. Id etiam comprobavit ex obſervantia ſubſequuta, quia in Pœnitentiaria, & in Signatura Gratiæ paſſim conceſſæ ſunt promotis hujuſmodi diſpenſationes: quod ſi ſecus eſſet, ſequeretur abſurdum: nam ſi homicidium eſſet ita occultum ut manifeſtari non poſſet, cogeretur talis promotus abſtinere cum periculo, ut de ſe ſuſpicionem induceret. Neque obſtat, quod in *cap. Miror, 50. diſtinct.* tam promotus, quàm promovendus arceri videantur ab altaris miniſterio, quia Concilium non tollit, quod erat diſpoſitum de jure veteri, ſed illud relinquit in terminis, in quibus erat ante Concilium, & tantùm ſub nova prohibitione non includit. De Monte, & Paravicinus idem cum Juſtiniano ſenſerunt. Plattus procliviorem ſe eſſe dixit in contrariam ſententiam. Primò, quia Canones antiqui æquè prohibent diſpenſari in promoto, ſicut in promovendo: quapropter Concilium quod juris veteris prohibitionem fortè non obſervatam innovari voluit utrumque includere voluiſſe credendum eſt. Secundò, quia cùm verba in principio ſint poſita per modum rationis, ex ea debet extendi diſpoſitio, dummodo verba diſpoſitionis ſint apta comprehendere etiam latè ſumpto vocabulo. Verbum autem, *careat*, poſitum in Concilio includit etiam habentem, *cap. Clericus, 50. diſtinct.* & ſic etiam promotum. Tertiò, quia ultima pars dict. *cap. 7.* abſque dubio loquitur etiam de promoto: Ergo & prior, cùm una pars legis declaret aliam. Ad ponderationem exceptionis poſitæ in *cap. 6. ſeſſ.* 24. reſpondit eſſe poſitam ad majorem declarationem, ne Epiſcopus ſibi tributam putaret facultatem diſpenſandi cum homicida voluntario. Sanctorum Quatuor exiſtimavit promotum non comprehendi: nam de jure antiquo non erat promoto ablata ſpes diſpenſationis. Hoſtienſ. in *cap. Sicut, de homicid.* ubi Cardin. de communi teſtatur; & quia dum Concil. loquitur de beneficio, non procedit in jam collato, quod non vacat niſi homicida eo privetur: ergo etiam cùm diſponit de Ordine non eſt intelligendum de jam collato, ut una pars legis declaretur per aliam. Nec obſtat ratio Concilii, quæ aptari videtur tam promoto, quàm promovendo, ibi, *ab altari avelli debeat:* nam cùm lex diſponit de ratione, non autem ratio de lege, non eſt attendenda ratio. Burgheſius etiam opinionem tenuit negativam, quia difficilior eſt diſpenſatio cum promovendo quàm cum promoto, quia Epiſcopus de jure veteri non poterat cum homicida voluntario diſpenſare, ut promoveretur ad minores Ordines, & tamen poterat, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtraret. Nec obſtare ait canones antiquos nempe *cap. Miror, cum ſeq. 50. diſtinct.* quia loquuntur de irregularitate, non de diſpenſatione. Blanchettus fuit ejuſdem ſententiæ. Davila exiſtimavit quoad promotum nihil ſtatuiſſe Concilium, ſed reliquiſſe in terminis antiquorum Canonum, quia circa beneficia promotus diſpenſatur, cur ergo non debeat diſpenſari quoad Ordinum ſuſceptorum executionem? Ratio autem dicti decreti in materia pœnali non ſufficit ad ampliandum. Mantic. dixit has diſcordes ſententias poſſe diſtinctionis fœdere conciliari: nam homicidium eſt duplex, unum ex propoſito, aliud in rixa. In primo caſu credidit Concilium comprehendere etiam promotum, in ſecundo minimè. Arigonius putavit Concilium tantùm diſpoſuiſſe de promovendo: nam cum promoto faciliùs diſpenſatur, quàm cum promovendo, *cap. fin. 15. quæſt. 1.* ubi id gloſ. notat. Secundò, quia ſi Concilium voluiſſet includere promotum, uſum eſſet aliis verbis puta ſuſpenſionis ab Ordinibus jam ſuſceptis, quemadmodum uſi ſunt Canones in *cap. Ex tenore, & cap. final. de tempor. ordin.* Tertiò, quia abſque eo, quod Concilium comprehendat promotum, ſatis operatur in promovendo, in quo ſuſtulit omnes juris antiqui diſputationes: nam Covarruv. in *Clement. Si furioſus, §. 3. numer. 6. de homicid.* refert plures tenentes Epiſcopum poſſe diſpenſare ad minores, quam diſputationem Concilium ſuſtulit, ſicut & illum, an poſſit Epiſcopus diſpenſare cum homicida occulto, & plures alias ſimiles. Quartò, quia non eſt dubium Concilium non comprehendere beneficia jam obtenta ante homicidium, & tamen ſi comprehenderet promotum, includeret utique etiam hujuſmodi beneficia. Non obſtat textus in *cap. fin. de tempor. ordin.* & alii ſimiles Canones agentes communiter de promoto, & promovendo, quia in eis non agitur de diſpenſatione, ſed an peracta pœnitentia miniſtrare poſſit tam promotus, quàm promovendus. Viſcontius idem ſenſit. Doſſatus cenſuit Concilium habere locum etiam in promoto tum propter generalitatem proœmii, tum propter finem Concilii, quod voluit omnia in melius reformare; quod non feciſſet, ſi promotos non comprehendiſſet, quemadmodum illos comprehendebat jus antiquum, ut habetur in *cap. Miror, 50. diſtinct. & in cap. fin. de tempor. ordin.* in quibus etſi agatur de irregularitate, non de diſpenſatione: tamen etiam de jure communi homicidam voluntarium quamvis promotum non debere diſpenſari ſcribit Hoſtien. *in Summ. tit. de homicid. §. fin.* Tum denique, quia promotus magis delinquit, & propterea magis debet excludi. Sancti Marcelli ait ſe aliquando aliter ſenſiſſe, ſed auditis ſingulorum ſententiis exiſtimare Concilium non includere jam promotum ob adductas rationes, quibus addidit quod Mar. Socin. in *cap. Ad audientiam, de homicid.* ait in promovendo difficiliorem eſſe diſpenſationem.

S. D. N. probavit hanc opinionem, ut Concilium promotum non includat.

Porrò hæc diſputatio eo tantùm fine propoſita eſt, ut 26
appareat Romanum Pontificem non facere contra Concilium cùm diſpenſat ſuper irregularitate ex homicidio voluntario cum jam promotis ad ſacros Ordines, quia hic caſus in decreto Concilii non includitur, ut eſt deciſum; Non autem fuit propoſita, ut inde cognoſcatur an Papa poſſit, vel non poſſit diſpenſare; quoniam decretum Concilii nec voluit, nec potuit etiam quoad promovendos adimere Papæ diſpenſandi poteſtatem, ut eſt textus formalis in *cap. Innotuit, de elect. verſ. Quamvis autem canon*, & dixi latiſſimè in *cap. Significaſti, eodem tit.* cùm præſertim idem Concilium Papæ auctoritatem expreſsè præſervaverit in *cap. 21. ſeſſ. 25. de reformat.* ita ut propterea, ut verbis Baldi utar in *cap. Niſi cum pridem, num. 14. de renunc.* Licèt Concilium oſtendat Papæ quid facere debeat, non tamen oſtendat quid facere poſſit, quia poteſtas clavium eſt talis, & tanta, ut non recipiat interpretationem reſtrictivam.

Sed contra hoc objici poteſt, hanc diſputatio- 27
nem inutilem eſſe, quia Papa diſpenſare non poteſt quoad Ordines cum homicida voluntario, ut tenet gloſſa magna in *cap. Sicut dignum, de homicidio*, & Speculat. *in titul. de diſpenſat. §. Nunc breviter*. Nam *numer. 2. verſ. Hæc autem ſunt*; re-

cenſet caſus in quibus Papa diſpenſare non poteſt, & *n.* 3.
verb. Quinto; ponit caſum cum homicida voluntario poſt
quantumcumque pœnitentiam, ut miniſtret in officio al-
taris: allegat *cap. fin. ſupr. de tempor. ordinat. cap. Miror*,
50. *diſtinct. cap. Si quis omnem*, 1. *quæſt.* 7. *cap. Ex litte-
ris*, *infra de exceſſibus Prælat. cap. Inquiſitionis*, *ſupra de
accuſat.* & *cap.* 1. *de homicid.* & idem Specul. *in d. tit.* §.
Juxta, *verſ. Quando autem*, & *per quem*, *numer.* 61. &
28 *verſ. Curia Roman. num.* 63. Ejuſdem ſententiæ videtur eſ-
ſe Hoſtienſis in *cap. Suſcepimus*, *num.* 6. *in verb. Manſue-
tudinem*, *de homicidio:* ubi dicit neque ex manſuetudine
Eccleſiam unquam diſpenſare cum voluntario homicida,
d. *cap. Miror*, 50. *diſtinct.* Quinimò ipſum deponere
etiamſi Epiſcopus ſit, ut in d. *c. Ex litteris*, *de exceſſ. Præ-
lat.* cujus dictum ſequitur ibi Jo. Andr. *nu.* 4. *in eod. verb.*
29 Card. *nu.* 2. & alii communiter. Cui opinioni videtur ſuf-
fragari quod irregularitas cauſata ex homicidio voluntario
videtur inducta de jure divino: nam dictū eſt David 1. *Pa-
ralip.* 22. 8. *Multum ſanguinem effudiſti*, & *plurima bella
bellaſti*, *non poteris ædificare domum nomini meo tanto ef-
fuſo ſanguine coram me*, & cap. 28. 3. *Non ædificabis do-
mum nomini meo*, *eo quod ſis vir bellator*, & *ſanguinem fu-
deris*, *cap. Si quis omnem*, 1. *quæſt.* 7. *cap.* 1. *de conſecrat.
diſtinct.* 1. & tenet Abb. in *cap. Ad audientiam*, *numer.* 2.
de homicid. & ibi latiſſimè Marian. Socin. *in* 3. *quæſt. prin-
cip. à num.* 15. Sed Papa non diſpenſat contra legem divi-
nam, *cap. Sunt quidam*, 25. *quæſt.* 1. ergo nec diſpenſat
ſuper irregularitate ex homicidio voluntario. Nam, ut
inquit Speculat. *in dict.* §. *Nunc breviter*, *num.* 3. Si Da-
vid prohibitos eſt ædificare Domino templum, quia vir
ſanguinis erat, eo quod figurabat novum teſtamentum,
ut in dict. *cap.* 1. *de conſecr. diſtinct.* 1. Multò magis Sacer-
dos homicida prohibendus eſt celebrare, ut ibi, & in
prædicto *cap. Miror:* etiamſi quis interfecit Paganum,
cap. Clericum qui, *diſtinct.* 50.
30 Verùm reſpondetur Hoſtienſem, & communiter DD.
contrarium tenere in dict. *cap. Sicut dignum*, *de homicid.*
concludentes Papam diſpenſare poſſe cum homicida etiam
voluntario, prout de communi opinione teſtatur Marian.
Socin. in dict. *cap. Ad audientiam*, *num.* 390. Et ad jura
quæ volunt, vel videntur velle, ut cum homicida volun-
tario non diſpenſetur, reſpondent referenda eſſe ad difficul-
tatem eo, quod Papa haud facilè diſpenſet; ſi tamen vult,
poteſt, quia videtur ei hoc permiſſum à lege divina: nam
31 & in veteri teſtamento Numer. 25. legimus diſpenſatum
fuiſſe cum nepote Aaron, qui vocatus fuit Phinees, &
duplex commiſerat homicidium: & poſteà permiſſus fuit
divina miniſtrare, ut in *cap. Occidit*, 23. *quæſt.* 8. Item
Moyſes Ægyptium quendam interfecit; ut refertur in
c. Non inferenda, 23. *quæſt.* 3. Et tamen Altare Deo ere-
xit, & conſecravit, Exod. cap. 21. & fuit Sacerdos, ut
in *cap.* 1. *de conſecrat. diſtin.* 1. & *in cap. Sacroſancta*, 22.
diſtinct. & tenet gloſſ. *in ſumm.* 21. *diſtin. in verb. Et mino-
res*, & ibi etiam Turrecrem. *num.* 10. poſt Innocent. in
cap. Solitæ, *de maior.* & *obedien.* Et poſt legem Euangeli-
32 cam Paulus Apoſtolus fuit homicida Act. 8. & tamen in
altari miniſtravit, ut latiùs per Hoſtien. in dict. *cap. Sicut*
33 *dignum*, *num.* 16. *verſ. Illud enim notandum eſt*. Adverte
etiam quia DD. in contrarium citati non dicunt abſolutè
Papam diſpenſare non poſſe cum voluntario homicida:
nam Speculator in dict. §. *Nunc breviter*, quamvis primo
videatur hoc tenere, tamen poſteà recitat contrariam opi-
nionem eorum qui dicunt Papam diſpenſare poſſe ſi velit
quamvis non deceat per *cap. Propoſuit*, *ad fin. de conceſſ.
preben.* nec illam reprobat: imò in dict. §. *Juxta*, *nu.* 61.
in fin. cum homicida, inquit, actu voluntario non licèt
etiam Domino Papæ diſpenſare, & refert ſe ad dictum §.
Nunc breviter, & ſic utrobique reſpicit ad decentiam,
non ad poteſtatem. Paulò ante infra *num.* 63. tantum di-
cit Curiam Romanam non diſpenſare cum Clerico in ho-
micidio voluntario: & ita non reſpicit ad poteſtatem, ſed
ad ſtylum, & obſervantiam, ad quam etiam reſpexit gloſſ.
magna in dict. *cap. Sicut dignum*, dum dixit ſimpliciter
cum voluntario homicida nunquam diſpenſari, & Hoſt.
in dict. *cap. Suſcepimus*, dum ſimiliter dixit cum tali Ec-
34 cleſiam non diſpenſare etiam ex manſuetudine. Et nihilo-
minus hujuſmodi obſervantia non ſubſiſtit in facto: imò
enim Sedes Apoſtolica multoties diſpenſat cum jam pro-
motis ad ſacros Ordines, etiamſi homicidium ſit publi-
cum, & ad forum contentioſum deductum, & Sanctiſſi-
mum aliquando diſpenſat in Signatura Gratiæ, plerumque 35
autem remittit ſupplicationes ad Sacram Congregationem
Concilii, quæ præcipuè conſiderare ſolet an homicidium
fuerit commiſſum per induſtriam, ſeu præmeditatè, & per
inſidias, juxta text. in *cap.* 1. *de homicid.* & *in cap.* 7. *ſeſſ.*
14. Concilii Tridentini; an verò calore iracundiæ, & in
pura rixa, an occideos fuerit rixæ author, vel provoca-
tus: an tantùm temporis exceſſerit à die perpetrati homi-
cidii, ut illius memoria ſit obliterata in loco, & ſic ceſſet
ſcandalum, & horror, ut vir ſanguinolentus miniſtret
in altari, quæ fuit cauſa inſtituendi hujuſmodi irregulari-
tatem, ſecundùm Laud. & Cardin. in *Clemen.* 1. *num.* 20.
in 18. *quæſt. de homicid.* Anve ab eo tempore orator à mi-
niſterio altaris abſtinuerit. Rurſus an obtinuerit pacem à
parentibus, vel conſanguineis defuncti, anve cum fiſco
concordaverit. Item an eſſet aliàs bonæ conditionis, & fa-
mæ; & an poſt delictum ſemper laudabiliter vixerit ex lit-
teris teſtimonialibus Ordinarii, & alia pleraque id genus,
quibus perpenſis Sacra Congregatio reſcribit conceden-
dam, vel non concedendam eſſe diſpenſationem, cum
quo reſcripto remittit ſupplicationes ad Datariam, à qua 36
poſteà de ipſius Congregationis voto expediuntur litteræ.
Ad effectum verò ingrediendi religionem multò faciliùs
diſpenſatur, cum clauſula tamen; *Si* & *poſtquam orator
profeſſionem emiſerit regularem*, ne alioquin diſpenſatio-
ne ſimpliciter obtenta ante annum probationis elapſum à
religione diſcederet, & quaſi illudens, & per fraudem ce-
lebraret: propterea enim diſpenſatio cautè confertur in
tempus poſt emiſſam profeſſionem.
In homicidio autem voluntario occulto longè frequen- 37
tiùs cum jam promotis diſpenſat S. Pœnitentiaria ſi ur-
gens, juſtaque ratio id poſtulet, veluti ſi Sacerdos è loco
commiſſi delicti diſcedere nequeat, nec ibi abſtinere poſ-
ſit à celebratione Miſſæ, quin ſcandalum generet, & ſu-
ſpicionem præbeat de perpetrato homicidio, cujus auctor
ignoratur. Aut ſi ratione Parochialis, vel alterius bene-
ficii eccleſiaſtici obſtrictus ſit celebrare, nec poſſit illud di-
mittere, puta quia ad illius titulum fuit ordinatus, nec a-
liunde habet unde vivere poſſit. In his planè caſibus, & 38
conſimilibus, qui in dies contingunt neceſſitas ipſa co-
git ad diſpenſandum; licèt in atrociſſimis aliquando re-
ſcriptum fuerit ut homicida ingrediatur aliquam de reli-
gionibus approbatis: Et quidem multa cum ratione, ut
ſic ingreſſus religionis ſuccedat loco pœnæ perpetuæ detru-
ſionis in monaſterium, quæ imponenda eſſet ſi homici-
dium eſſet publicum, ut in *cap. Tua*, *infra de pœn.* prout
hæc omnia tam in Sacra Congregatione Concilii, quam
in Signatura S. Pœnitentiariæ ſæpiſſimè experti ſumus. 39
Hujuſmodi autem conſuetudo, & obſervantia Eccleſiæ
Romanæ prævalet authoritati cujuſcumque Doctoris, ut
docet Sanctus Thomas in 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 12. Pro qua 40
obſervantia facit, quod notat Innocent. in *cap. Niſi cum
pridem*, *num.* 8. *ſupra de renunc.* ubi dicit irregularitates
omnes, & illarum pœnas eſſe de jure divino, & *ex con-*
ſtitutione Eccleſiæ; & ideò Papam in omnibus irregulari-
tatibus diſpenſare, cujus dictum ſequuntur ibi Hoſt. *num.*
72. Jo. Andr. *num.* 54. Bald. *nu.* 14. ac cæteri omnes Ge-
min. in *cap. Is qui*, *in princip. de ſentent. excommun. lib.* 6.
Quinimò irregularitatem ex homicidio non eſſe, nec fuiſ- 41
ſe inductam Lege veteri divina poſt gloſſ. in *Summ.* 21. *diſt.
in verb. Et minores*, pluribus probat Covarr. in dict. *Cle-
ment. Si furioſus*, *in* 2. *part.* §. 3. *num.* 2. ubi etiam addit,
quod etſi in veteri teſtamento fuiſſet inſtituta, tamen ho-
die poſt Legem Euangelicam *minime vim* legis ea inſtitutio
haberet, cùm jus divinum Legis Euangelicæ nihil *de ea re
ſtatuat.* Unde concludit hanc irregularitatem Jure Ponti-
ficio humano inductam fuiſſe, licet cùm promovendis in
homicidio voluntario nunquam meminerim diſpenſatum.
Hæc de Summo Pontifice.
Quo verò ad Epiſcopos cùm jam deciſum fuerit dict. *cap.* 42
7. *ſeſſ.* 14. arcens voluntarium homicidam à diſpenſatio-
ne non habere locum in jam promoto ad ſacros Ordines,
hinc ſequitur, ut caſus promoti tamquam omiſſus à
Concilio regulari debeat ſecundùm juris communis di-
ſpoſitionem. De jure communi autem ſi agatur de
executione ſacrorum Ordinum manifeſtum eſt Epiſcopos
non poſſe diſpenſare, ut hic deciditur in *verb. Non debet*,
ſecundùm omnes in *cap. Continebatur*, *ſupra de homicid.*
& *in*

& in cap. Miror, 50. *diſt. cum concord.* ſi verò agatur de rehabilitatione ad exercitium minorum Ordinum ſunt opiniones, diſcrepant enim Innocen. & Hoſtien. ut dixi *ſupra in* 3. *notab.* ſed quoad beneficium ſimplex conveniunt omnes, Epiſcopum de jure communi poſſe diſpenſare, ut ſimiliter dixi *in* 2. *notab.* Unde ſecundùm hoc non obſtante Concilio Tridentino ſalva eſſet Epiſcopis diſpenſandi facultas quoad beneficium ſimplex, & lis adhuc eſſet ſub judice quoad minores Ordines, licèt Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 240. *verſ. Quarto nota*, ſimpliciter dicat poſt dict. *cap.* 7. non poſſe Epiſcopum diſpenſare cum homicida voluntario ad ullos Ordines, neque ullum beneficium ſimplex; quod poteſt procedere quoad ſuſcipiendos, non autem quoad jam ſuſceptos ſecundùm prædicta: cæterùm etſi hęc vera ſint inſpecto decreto d. *c.* 7. *ſeſſ.* 14. tamen quod
43 ſpectat ad *c.* 6. *ſeſſ.* 24. ſecus dicendum videtur. Credimus enim hoc decreto fuiſſe ademptam Epiſcopis omnem facultatem diſpenſandi cum voluntario homicida, etiam occulto non ſolùm quoad executionem minorum Ordinum, de quibus erat dubium, ſed etiã quoad beneficia ſimplicia, de quibus nulla erat controverſia. Quod ut evidentiùs appareat obſervandum eſt ex diſpoſitione juris communis Epiſcopos in plurimis caſibus poſſe diſpenſare ſuper irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, adeò ut Innocen. in *cap. Dilectus*, *num.* 2. *ſup. de temp. ordin.* recenſeat duos & viginti caſus, in quibus diſpenſare poſſunt, & viginti unum, in quibus non poſſunt, quos itidem enumerant ibi Hoſtien. *num.* 3. Jo. Andr. *num.* 13. *in fin.* Butr. *nu.* 17. Cardin. *nu.* 4. & Abb. *nu.* 7. de quibus latiùs in Specul. *in tit. de diſpenſ.* §. *Nunc de Epiſcoporum*, & per D. Antoninum *in* 3. *par. titul.* 22. *cap.* 7. Concilium verò volens in caſibus occultis ampliare poteſtatem Epiſcoporum uſum eſt verbo illo, *Liceat*, quod eſt aptum non ſolùm includere facultatem, quàm prius habebant, ſed etiam novam adjungere; & ſic pro regula conſtituit, ut liceat Epiſcopis diſpenſare in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus non ſolùm in illis caſibus, in quibus poterant de jure veteri, ſed etiam in illis, in quibus non poterant. Dum autem unico contextu excipit irregularitatem ex homicidio, ut exceptio ſit de regula, cenſeri debet eam excepiſſe non tantùm à nova facultate eo decreto Epiſcopis attributa, ſed etiam ab illa quam priùs habebant de jure communi, ita ut ſit ſenſus, liceat Epiſcopis, ut ſupra diſpenſare tam in caſibus, in quibus poterant ſuo juri, quàm in illis, in quibus non poterant: nullis tamen caſibus liceat illis diſpenſare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario. Quo ſenſu Conciliũ abſque dubio ademit Epiſcopis facultatem, ſi quam priùs habebant diſpenſandi ſuper homicidio voluntario etiam occulto, & conſequenter nec licebat eis amodò diſpenſare ad minores Ordines, nec ad beneficium ſimplex, quia cùm Concilium prohibeat diſpenſationem in genere, utique cenſetur prohibere quamcumque ſpeciem diſpenſationis, & ſic etiam illam quæ fit ad minores Ordines, & beneficia ſimplicia; & de materia dict. *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. vide quæ ſcripſi in *cap. Dilectus*, *à num.* 22. *ſupra de temp. ordinat.*

DE ADULTERIIS, ET STUPRO.

Gregorius Sipon. Epiſcopo.

CAPUT II.

PErvenit ad nos, quòd Felix quamdam virginem ſtupro decepit: quod ſi verum eſt, quamvis eſſet de lege pœna plectendus, nos aliquatenus legis duritiem mollientes, hoc modo diſponimus: Ut aut quam ſtupravit uxorem habeat, aut ſi renuendum putaverit, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque, in monaſterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine præceptione licentia.

SUMMARIUM.

1 *STuprans virginem de iure canonico tenetur copulative eam dotare, & uxorem ducere.*
2 *Sed ſi omnino eam ducere noluerit non erit cogendus, ſed tamen eam dotabit, & punietur ut hic.*
3 *Stupranti virginem ſine vi ex conſuetudine non infligitur alia pœna, quàm ut eam ducat in uxorem, vel condecenter dotet.*
4 *Pœna, de qua hic, & in cap. præced. locum habet, ſi deflorata ſit honeſta vita, aliàs ſecus.*
5 *Eccleſia poteſt mitigare duritiem legis civilis.*
6 *Pœna à iure Canonico impoſita ſtupranti virginem an ſit ſervanda in terris Imperii, & num. ſeq.*
7 *Lex canonica in foro Eccleſiæ prævalet legi civili etiam inter laicos ſubiectos Imperio, & in materia non concernente peccatum.*
8 *Intellectus huius cap.*
Stuprum eſt crimen mixti fori. ibid.
9 *Clericus propter ſtuprum cum virgine commiſſum punitur pœna depoſitionis.*
10 *Epiſcopus in cauſis criminalibus eccleſiaſticis, vel mixti fori, an poſſit laicos ſibi aliàs in temporalibus non ſubditos carceri mancipare, & corporaliter punire, licèt ex conſuetudine adverſus laicos ad perſonalem diſtrictionem procedere non conſueverit, & num. ſeq. uſque in fin.*
11 *Epiſcopus in delictis ad eius forum pertinentibus poteſt contra laicos pœnis etiam pecuniariis procedere.*
12 *Iudex eccleſiaſticus in cauſis ſpiritualibus, vel mixti fori non poteſt de iure communi procedere ad capturam contra laicos.*
Contrarium, num. 18.
13 *Iuriſdictio eccleſiaſtica, & ſæcularis diſtincta ſunt, & num.* 26.
Epiſcopus de iure communi debet primò uti cenſura eccleſiaſtica, & in ſubſidium brachii ſæcularis auxilio, & num. 28.
15 *Clericus pœnis legalibus affici non debet abſque eo, quod à iudice eccleſiaſtico tradatur Curiæ ſæculari.*
16 *Iudex eccleſiaſticus an poſſit mittere in poſſeſſionem corporalem bonorum laicalium, & num.* 28.
17 *Epiſcopus carcerat laicos pro criminibus ſacrilegii, ac ſtupri, quæ ſunt mixti fori, & num. ſeqq.*
19 *Eccleſia habet carcerem, & infligit pœnas relegationis.*
20 *Laicus in delictis eccleſiaſticis, vel mixti fori efficitur de foro Eccleſiæ.*
21 *Iudex eccleſiaſticus non poteſt pœnam mortis infligere, ſed debet reum ſive Clericum, ſive laicum tradere Curiæ ſæculari, & num.* 27.
22 *Iudex qui habet poteſtatem cognoſcendi, an etiam habeat exequendi.*
24 *Argumentum à contrario ſenſu non procedit ubi oppoſitum reperitur ſtatutum à iure.*
25 *Epiſcopo tribuitur facultas procedendi contra laicos in cauſis ad eius forum pertinentibus, non ſolùm per ſacros Canones, ſed etiam per leges Regias, & Imperiales, & num.* 25.
29 *Epiſcopus an poſſit procedere ad capturam contra laicos ex* cap. 3. ſeſſ. 25. *Concilii Tridentini.*
30 *Cenſura de iure communi erat remedium ordinarium,*

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

poſt Concilium extraordinarium, & in ſubſidium, & num. ſeq.

31 *Brachii ſecularis invocatio de iure communi erat remedium extraordinarium, ſecus poſt Concilium.*

32 Cap. 3. ſeſſ. 25. de reform. *editum fuit inſtantibus Regis Catholici Oratoribus.*

Laicus eodem modo ſortitur forum Epiſcopi ratione delicti, ac ratione contractus, ibid.

33 *Dictio*, quoque, *eſt copulativa, & repetitiva præcedentium.*

Dictio, ut ſupra, *inducit repetitionem præcedentium cum omnibus ſuis qualitatibus, ibid.*

34 *Captura in civilibus regulariter eſt prohibita, ſecus in criminalibus.*

35 *Carcer de iure civili eſt ad cuſtodiam, de iure canonico eſt etiam ad pœnam.*

36 *Concubinarii, & adulteri quibus pœnis ab Epiſcopo ſint puniendi.*

37 *Brachii ſecularis auxilium qualiter ab Epiſcopis ſit implorandum.*

38 *Conſuetudo, ſecundùm quam de iure communi Epiſcopus non proceſſit ad capturam contra laicos, fuit ſublata à Concilio.*

39 *Iudex tam eccleſiaſticus, quàm laicus eſt competens in cauſis mixti fori, & eſt locus præventioni.*

40 *Præventio in captura præfertur præventioni verbali.*

41 *Captura eſt arbitrarii iudicii.*

42 *Præſcriptio negativa in facultativis qualiter procedat.*

43 *Iuriſdictionem ordinariam impedientes excommunicantur in Bulla Cœnæ.*

44 *Bulla Cœnæ non ſolum tollit præteritas conſuetudines, & præſcriptiones contra impedientes iuriſdictionem ordinariam, ſed etiam futuras impedit inchoari, & inchoatas interrumpit.*

P*Ervenit*. Stuprans virginem tenetur eam dotare, & ducere in uxorem: ac ſi noluerit cum ea contrahere, ultra dotem corporaliter caſtigabitur. Hoc dicit cum cap. præcedenti ſecundùm Abb. & Mar. Soc.

1 Nota primò, pœnam defloranti virginem, quia de jure canonico tenetur eam ſimul dotare, & in uxorem accipere; & quidem ad dotandum præcisè poteſt compelli, ſi modò ipſa, & pater ejus conſenſerint, ut in *cap.* 1. 2 *ſupra eodem*. Sed ad contrahendum eum ea matrimonium, ſi omninò ſtuprator renuerit, finaliter non erit cogendus, ſecundùm gloſſam finalem hic; nam textus loquitur alternativè, aut ducat, aut puniatur, ut advertunt Butr. *num.* 2. Anchar. *num.* 1. *in* 3. *notab.* Abb. *num.* 1. *in primo notab.* Joan. de Anan. *eod. num. verſ. Nota quod raptor cogitur, aut raptam ducere in uxorem, aut aliam pœnam ſuſtinere*, & Mar. Socin. *num.* 3. *in* 2. *notab.* dicens eum qui defloravit virginem non compelli præcisè cum ea matrimonium contrahere, ſed cauſativè, ſi non vult pati pœnas: ſola enim dotis conſtitutio ſufficit; cùm textus in cap. præced. exigat copulativè, ut eam dotet, & in uxorem ducat: nec ſi ducere recuſaverit per ſolam dotis conſtitutionem eſt ſufficienter punitus, quia, ut inquit Abb. dict. *num.* 3. puniri debet perſona, quæ deliquit, & non burſa. Itaque ſi omninò renuerit eam traducere, præter dotem, quam nihilominus cogetur ſolvere, corporaliter etiam punietur, id eſt fuſtigabitur, ſecundùm gloſſ. & Doctores. Item excommunicabitur non quidem à communione fidelium, ſed tantùm à communione ſacramentorum, & ſic minori excommunicatione; quouſque Superiori viſum fuerit, *cap. Engeltrudam*, 3. *quæſt.* 4. *& cap. ſi celebrat, de Cler. excommun. miniſtr.* ſecundùm gloſſam *fin.* Innocent. & Hoſtien. *in verb. Excommunicatus*. Item detrudetur in monaſterium, ut hic dicitur, & quidem ad tempus, donec pœniteat, ſecundùm Hoſt. ſed perpetuò donec revocetur, ſecundùm Cardin. & innuit finis hujus Decretalis.

3 Verùm etſi de jure hæc ita ſe habeant, in practica tamen ſervatur ut ſtuprator non cogatur præcisè ad contrahendum cum deflorata matrimonium, ſed alternativè, vel ad contrahendum, vel ad condecenter dotandum, ut teſtatur Anton. Gomez in *l. Tauri*, *num.* 8. & Papo *lib.* 22. *tit.* 9. *Areſto* 9. ubi dicit hodie contra ſtuprantes virgines ſine vi non eſſe in uſu aliam pœnam, quàm ut illas ducant in uxorem, vel condecenter dotent; & ita ex facto reſpondit Caſſan. *conſ.* 40. Ita etiam ſervari in Hiſpania, ubi quotidie fiunt lites ſuper hujuſmodi ſtupri, teſtatur idem Anton. Gomez *ubi ſupra num.* 7. & ita etiam ſe quandoque vidiſſe per Senatum Mediolanenſem judicari dicit Clar. *in Pract. Crimin.* §. *Stuprum*, *num.* 3. *verſ. Sed quæro, quæ ſit pœna ſtupri*.

Prædicta tamen intellige, dummodò puella, quæ ſtu- 4 prum paſſa eſt, ſit honeſtæ vitæ; aliàs enim non haberet locum diſpoſitio hujus Decretalis, & cap. præced. & ita hæc jura intelligunt Scribentes, ut teſtatur Pariſ. *conſ.* 160. *num.* 14. *lib.* 4. ubi in facti contingentia ita conſuluit, & ſequitur Clar. *loco citato*, *verſ. Hæc autem omnia*.

Secundò nota ibi, *nos aliquatenus legis duritiem mollien-* 5 *tes*; Eccleſiam poſſe moderari, ac mitigare aſperitatem, & rigorem Juris Civilis: quod tamen DD. dicunt habere locum in ſuo tantùm foro, ſed in foro ſeculari ſervabitur lex civilis, cùm ex ejus obſervantia nullum immineat peccati periculum, ut notat gloſſa in *reg. Poſſeſſor, de reg. iur. lib.* 6. Unde inferunt hic Butr. *num.* 1. Abb. *numer.* 2. 6 Jo. de Anan. *nu.* 1. *in* 1. *notab.* & Marian. Socin. *nu.* 4. pœnam, de qua hic, & in præced. cap. ſervandam eſſe tantummodo in terris ſubjectis Eccleſiæ in temporalibus, non autem in terris Imperii, in quibus ſervabitur ſua lex, de *qua inſtit. de publ. iudic.* §. 2. idem affirmat Clar. *in* §. *Stuprum*; *verſ. Sed quæro quæ ſit pœna ſtupri*, ibi; [Licèt revera diſpoſitio dictorum capitulorum de jure non habeat locum niſi in terris Eccleſiæ, non autem in terris Imperii.]

Sed tu adverte, quia ſi in terris Imperii lis agatur contra laicum ſtupratorem in foro ſeculari, verum eſt, quod dicunt Doctores ſervandam eſſe legem civilem: verùm ſi lis agatur contra laicum in foro Epiſcopali, quod fieri poteſt cùm crimen ſtupri ſit mixti fori, ut dicam infrà *in ult. notab.* utique ſervanda erit pœna, de qua in textu noſtro, & ſuprà in *cap. proxim.* Ratio eſt, quia ubi leges, & ca- 7 nones contrariantur, ut hoc caſu, etiam in materia non concernente peccatum in foro Eccleſiæ ſervari debet lex canonica etiam in locis non ſubjectis temporali juriſdictioni Eccleſiæ, ex notatis in *cap. Cùm eſſet, de teſtam. & cap.* 1. *de novi oper. nunciat.* & tenent in *cap. Clerici, de iudic.* Anton. de Butr. *num.* 12. *verſ. Si materia iſtiuſmodi*, & Abb. *in princip.* Alexan. *conſ.* 167. *Viſo proceſſu numer.* 5. *in fine*, *lib.* 2. & alii, quos refert, & ſequitur Felin. in *cap. Eccleſia Sancta Maria*, *num.* 43. *verſ. Limita tertio*, *de Conſtit.*

Itaque in terris Eccleſiæ ſervabitur hæc pœna etiam in foro laicali: nam in terris ſubjectis temporaliter Eccleſiæ Romanæ Canones prævalent legibus, etiam inter laicos, & in foro ſæculari indiſtinctè, *cap. Si duobus, de appellat.* per quem textum ita firmat Abb. in dict. *cap. Eccleſia Sancta Maria*, & poſt eum Felin. *ibi num.* 44. *in prima declaratione*, & ſentit gloſſa à contrario ſenſu in *cap.* 2. *in verb. Lex civilis, de arbitr. in* 6. in terris autem ſubjectis Imperio ſervabitur pœna Juris Civilis in foro civili, & in foro Eccleſiaſtico pœna canonica per ſupradicta.

Ultimò nota hic textum notabilem ad hoc non pondera- 8 tum à Doctoribus, quod Epiſcopus in cauſis mixti fori poteſt laicum corporaliter punire, & in carcerem detrudere: hic enim agitur de ſtupro, quod eſt crimen mixti fori, ut per Anchar. *conſ.* 169. *num.* 11. Item agitur contra laicum, ut patet ex eo, quod ſtuprator cogitur in uxorem ducere quam defloravit, quod non aptatur Clericis præſertim in ſacris conſtitutis. Et in laico Doctores communiter intelligunt hanc Decretalem, ut per Clar. in dict. §. *Stuprum*, *num.* 3. *verſ. Laicus autem committens ſtuprum*: nam Clericus propter ſtuprum cum virgine commiſſum 9 punitur pœna depoſitionis, ut hic per Abb. *num.* 4. *in fine*, & eſt communis opinio, ut dicit Griſlan. *de diverſ. crimin. lib.* 4. *quæſt.* 6. *poſt num.* 2. quem refert Diaz *in pract. crim. Canon. cap.* 77. Bermond. *de Concub. fol.* 389. *num.* 15. & in hoc nulla eſt difficultas, ut inquit Clar. ubi ſupra, *verſ. Sed quæro quæ ſit pœna ſtupri*. Item hic agitur in foro Epiſcopali; quod patet tum ex eo, quod Gregorius reſcribit Sipontino Epiſcopo, ut conſtat ex ſupraſcriptione. Et ita pœnæ hic ſtatutæ ab Epiſcopo ſunt infligendæ, cùm ad eum verba Pontificis dirigantur, ut arguit gloſſ. in *cap.*

Con-

Contra Idolorum, 26. *quæſt.* 5. tum quia in materia non concernente pèccatum Eccleſia ſe non intromittit adverſus laicos in foro civili, ut notat gloſſ. in *cap.* 2. *in verb. Lex civilis*, *ad fin. verſ. Sed quid dices*, *de arbitr. lib.* 6. gloſſ. 1. *in reg. Poſſeſſor*, *de reg. iur. lib.* 6. & dictum eſt ſupra *in* 2. *notab.* tum denique quia ſtuprator hic jubetur excommunicari, quod fieri non poteſt à judice laico: & tamen Pontifex jubet hunc laicum, qui virginem ſtupro decipit non ſolùm excommunicari, ſed etiam caſtigari corporaliter, & in monaſterium detrudi, ſi renuerit defloratam ducere in uxorem. Atque ita hic eſt textus apertus quod Eccleſia in cauſis mixtis procedit etiam contra laicos ad perſonalem diſtrictionem, & punitionem. Quod multò clariùs procedit hodie poſt Concilium Tridentinum in *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. ſed quia nihilominus non deſunt graves auctores, qui etiam poſt Concilium hoc in controverſiam adducunt, ab re non erit hunc articulum diligenter examinari.

10 Revoco igitur in dubium, An poſito Tridentini Concilii decreto *cap.* 3. *ſeſſion.* 25. *de reformat.* Epiſcopus, vel alius Ordinarius eccleſiaſticus in cauſis criminalibus eccleſiaſticis, vel mixti fori poſſit laicos ſibi aliàs in temporalibus non ſubditos carceri mancipare, & corporaliter punire, licèt ex conſuetudine adverſus laicos ad perſonalem diſtrictionem procedere non conſueverit.

11 Hæc quæſtio nititur iiſdem principiis, quibus jam Sacra Congregatio Concilii declaravit, Epiſcopum, vel alium judicem eccleſiaſticum in delictis eccleſiaſticis, vel mixti fori poſſe contra laicos pœnis etiam pecuniariis procedere, ut ſcripſi plenè in *cap. Licèt*, *infra de pœnis*. Verumtamen quia aliquibus videtur ex eo, quod Epiſcopus poſſit laicos in bonis mulctare non rectè inferri, ut poſſit eos perſonaliter diſtringere, ex his, quæ adnotavit Joan. Andr. Butr. & DD. in *cap. Vnico*, *de oblig. ad ratioc.* præſertim ſi obſtet contraria conſuetudo; idcircò viſum eſt expedire ut propoſitum dubium de perſonali diſtrictione ſpecialiter diſcotiatur.

12 In crimine hæreſis non eſt dubium, *cap. Vt commiſſi*, *de hæret. in* 6. *& Clem.* 1. *eod. tit.* ibi, *Quilibet de prædictis ſine alio citare poſſit*, *& arreſtare*, *ſive capere*, *ac etiam in compedibus*, *vel manicis ferreis;* Jo. Andr. ad Specul. *in rubr. de off. ordin. littera A. verſ. Communiter tenetur*, *& in tit. de maiorit. & obed.*

Quoad alia verò crimina merè ſpiritualia, vel mixti fori quoniam contrariæ extant DD. ſententiæ, ut evidentiùs appareat qualis fuerit mens Tridentinæ Synodi, expedit prius afferre præcipua aliquot fundamenta, quibus utraque opinio nititur in terminis juris communis.

13 Et quidem in criminibus eccleſiaſticis, vel mixti fori non poſſe judicem eccleſiaſticum procedere ad capturam laicorum ſuadetur. Primò, quia juriſdictio eccleſiaſtica, & ſæcularis diſtinctæ ſunt, nec una debet falcem immittere in meſſem alterius, *cap. Quoniam*, 10. *diſtinct. cap. Cùm ad verum*, *& cap. Si Imperator*, 96. *diſtin. cap. Novit*, *in princip. de iudic.* Joan. Andr. ad Specul. *in rub. de offic. Ordin. verſ. Ad negativam:* qua de re plura eleganter ſcripſit Oldrad. *conſ.* 83. *An Epiſcopus poſſit declinare forum Regis*, *per totum;* & magiſtraliter idem Jo. Andr. poſt Hoſtien. in *cap. Per venerabilem*, *col.* 6. *in verb. Plenitudinem*, *Qui fil. ſint legitim.* Sed judex laicus non diſtinguit Clericos, *cap. Si Imperator:* ergo nec judex eccleſiaſticus laicos.

14 Secundò in his caſibus debet Epiſcopus adverſus laicos uti cenſura eccleſiaſtica, *cap. Cùm Clarus*, ubi de perjurio agitur *de foro competen. lib.* 6. *& cap.* 1. *de offic. Deleg.* eaque minimè ſufficiente utendum eſt auxilio brachii ſæcularis, *cap.* 1. *de offic. Ordinar.* Atque ita nullo caſu videtur ei permiſſa alia poteſtas coercendi laicos; ideòque textus in *cap. Cùm Epiſcopus*, *de offic. Ordinar. in* 6. Cùm generaliter egiſſet de libero arbitrio Epiſcopi ſuper exercitio juriſdictionis in tota diœceſi; poſteà deſcendens ad capturam perſonarum reſtrinxit ſe ad perſonas eccleſiaſticas. Ad idem ſunt textus in *cap. Vt fama*, *de ſentent. excommun. & cap. Novimus*, *de verbor. ſignific.* Pro hoc etiam *l. Placet*, *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* ubi Epiſcopus excommunicavit ſacrilegum, & judex laicus deportavit, & in *Authent. de mand. Princip.* §. *Si verò Canonicum*, quæ jura allegat, & ut ſupra inducit Ancharan. in *cap. Ea*

que, *numer.* 17. *de reg. iur. in* 6.

Tertiò in caſibus, in quibus Clericus eſt pœnis legalibus puniendus hoc fieri non debet abſque eo, quod à judice eccleſiaſtico tradatur Curiæ ſæculari, *cap. Cùm non ab homine*, *de iudic. cap. Ad falſariorum*, *de crimine falſi*, *cap. Ad abolendam*, *de hæret. cum concordant.* Ergo ſimiliter ubi laicus ob delictum eccleſiaſticum, vel mixti fori eſt pœnis corporalibus afficiendus, id fieri non debet ab eccleſiaſtico abſque traditione; argumen. *leg.* 1. *ff. Quod quiſque iur. & cap. Cùm omnes*, *de Conſtitut.* 15

Ita arguit Ancharanus in dict. *cap. Cùm Epiſcopus*, *colum.* 2. *propè fin. verſ. Item in caſibus*, *de offic. Ordinar. lib.* 6.

Quartò, affertur doctrina Innocent. in *cap. Significaſti*, *num.* 4. *de offic. Deleg.* ubi [Non credimus, inquit, quod delegatus Papæ in rebus, quæ non ſunt ejus juriſdictionis, in poſſeſſionibus laicalibus poſſit dare poſſeſſionem corporalem, puta ſi cognoſcat de dote, vel de aliis conſimilibus; ſed laico judici dandam mandavit,] allegat textum in *l. Admodum*, §. 1. *ff. de re iudic. cap. Cùm ad verum*, 96. *diſtin. & cap. De perſona*, *in fin.* 11. *quæſt.* 1. Dictum Innocent. ſequuntur Hoſtien. & Bald. *ibidem*, Joan. Andr. *verſ. Quid de ſæcularibus*, Henric. Boich. *verſ. Sed iſtas opiniones*, Ancharan. *ſub num.* 4. *verſ. Tertiò quæro*, ubi poſt Hoſtien. dicit hoc eſſe juſtitiæ. Idem Butr. *propè finem*, Cardin. in *Clement.* 1. *quæſt.* 110. *de offic. deleg.* Ancharan. qui loquitur etiam in Ordinario, & pluribus hanc opinionem tuetur in dict. *cap. Ea quæ*, *num.* 17. *verſ. Et ego non bene capio*, *de regul. iur. in* 6. Subdens non obſtare illam rationem, quod ex quo Epiſcopus habet poteſtatem cognoſcendi de poſſeſſionibus laicalibus: Ergo & poteſtatem exequendi; nam illa conſequentia non eſt bona inter non ſubditos. 16

Ultimò, omiſſis aliis, hanc opinionem videtur tenere gloſſa in *Clemen.* 1. §. *Cæterùm*, *in verb. Cenſura*, *de uſur.* Oldrad. *conſ.* 86. incip. *Quæritur*, *an eccleſia*, ſed non firmat Joan. de Imola in dict. *cap. Cùm Epiſcopus*, & ibi etiam Anchar. ſed propè finem neutram videtur approbare. Hanc tamen latè tuetur in dict. *cap. Ea quæ*, *de regul. iur. in* 6. & latiùs Joan. de Lup. in *cap. Per veſtras*, *in* 2. *notab.* §. *Sed eſt pulchra dubitatio*, *num.* 18. *de donat. inter virum & uxorem.*

Et communem dicunt Joan. Andr. ad Speculat. *in rubr. de offic. Ordin. littera A. verſ. Communiter tenetur*, inferiores Prælatos poteſtatem, de qua quæritur, non habere in laicos præter crimen hæreſis, *& in titul. de maior. & obedien.* cujus dictum refert Ancharan. *loc. citat.* Prout etiam illum referunt quamvis oppoſitum ſentiant Folker. *Pract. crim. Can. fol.* 97. *numer.* 52. *& ſeq.* & Aufret. *de poteſt. Eccleſ. ſuper laicis*, *num.* 1. De communi etiam teſtantur Geminian. licèt ipſe contrarium teneat in dict. *cap. Cùm Epiſcopus*, *col.* 2. *verſ. Communiter tenetur*, Bald. in dict. *cap. Significaſti*, *de offic. deleg.* ubi & Felin. quamvis & ipſe ſentiat oppoſitum, Menchaca *lib.* 3. *de teſtam.* §. 22. *poſt nu.* 17. Licèt credat eumdem ferè eſſe numerum eorum, qui contrariam ſequuntur, Clar. *in* §. *fin. quæſt.* 37. *verſ. Vnum tamen*, Joan. Lupus *ubi ſupra*, & Michael Graſſ. *lib.* 2. *commun. opin. cap.* 8. *num.* 4.

Et communem hanc ſententiam etiam in practica obſervari, & ab ea non eſſe recedendum, & ſecundùm illam fuiſſe judicatum in facti contingentia teſtatur Clar. *loc. citat.* & Pap. *lib.* 1. *tit.* 5. *arreſto* 26. Maxver. *in praxi de iudic. & eor. iuriſd. numer.* 20. *colum.* 2. *in princip. verſ. Item Epiſcopus*, niſi in caſibus privilegiatis, ut ibi Boer. *deciſ.* 227. *numer.* 11. ubi affirmat ita fuiſſe per plura arreſta declaratum, ut habetur in ſtylo Parlamen. 4. *part. de arreſt.* §. 26. *& ſeq.* & idem Boer. *lib. de Conſuet. Biturig. tit. de iuriſd. gloſſ.* 1. *circa med.*

Pro contraria verò opinione, id eſt licere Eccleſiaſtico judici in cauſis criminalibus Eccleſiaſticis vel mixti fori procedere ad capturam adverſus laicos, adducitur textus noſter ponderatus ut ſupra in ultim. notab. qui efficaciter probat hanc partem. 17

Secundò adducitur textus in *cap. Contra idolorum*, 26. *quæſt.* 5. qui videtur loqui in crimine ſacrilegii; ut innuunt verba illa, *eoſque à tanti labe ſacrilegii*, *&c.* Et tamen Gregor. ſcribens ad Januarium Epiſcopum ſic præci- 18

pit: *& ſiquidem ſervi ſint, verberibus, cruciatibuſque, quibus ad emendationem pervenire valeant, caſtigentur: ſi vero ſint liberi, incluſione digna, diſtrictaque in pœnitentiam redigantur:* ubi gloſſ. ex text. colligit licere Epiſcopis aliquos verberibus caſtigare, & in carcerem mittere reos, & alio modo punire nobiles, atque ignobiles. Niſi dixeris textum loqui contra idolorum cultores, aruſpices, & ſortilegos: in crimine autem hæreſis non eſt dubium, ut initio diximus.

Tertiò, affertur textus clarus in *Authent. Cauſam quæ, in fin. C. de Epiſc. & Cleric.* ubi diſponitur ut executores laici, qui trahunt Monachos ad judicium ſeculare, ab Epiſcopo in carcerem detrudantur. Nec refragatur quod Ancharan. in dict. *cap. Ea qua, num.* 17. dicat hoc ibi eſſe ſpeciale, ut in hæreſi. Quandoquidem delictum illud non eſt adeò grave, ut deciſio illius Authenticæ poſſit dici ſpecialis, ut in hæreſi propter criminis immanitatem, juxta textum in *cap. Per tuas, §. Cæteras, de ſimon.*

Quartò, idem probat generaliter textus in *c. Attendendum*, 17. *q.* 4. ubi contra uſurpantes bona Eccleſiæ uſibus dedicata Urbanus in epiſt. ad omnes Epiſcopos ſcribit his verbis: *Quod ſi quis fecerit poſt debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos iure promovenda eſt perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuo deporta-*
19 *tionis tradatur:* ubi gloſſ. *in verb. Carceri.* [Nota, inquit, quod Eccleſia habet carcerem, & infligit pœnam relegationis:] verbum autem illud, *ſi quis*, aptum eſt comprehendere tam laicos, quàm Clericos, *cap.* 1. ubi DD. *de Baptiſm.* cùm crimen ſacrilegii ſit mixti fori, *deciſion. Pedemon,* 103. *num.* 7. Clar. *in §. fin. quæſt.* 3. *num.* 6.

20 Quintò, qualitas delicti eccleſiaſtici, vel mixti fori efficit laicum de foro Eccleſiæ, *Authen. Item nulla*, ubi notatur *C. de Epiſc. & Cler. cap. Cum ſit, & cap. Ex tenore, de foro compet.* Ergo ad Epiſcopum ſpectabit eumdem ſive laicum, ſive Clericum punire. Ita Oldrad. *conſ.* 86. *Quæritur an Eccleſia, circa med. verſ. In contrarium*, & Anchar. *in cap. Cum Epiſcopus, propè fin. verſ. In contrarium, de offic. Ordin. in* 6.

21 Sextò, in criminibus atrocioribus ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus, in quibus venit pœna irroganda mortis, Judex eccleſiaſticus non poteſt hanc pœnam infligere, ſed debet reum tradere Curiæ ſæculari ſecundum Conſtitutiones legitimas puniendum, *cap. Ad falſariorum, de crimin. falſi*, ubi gloſſ. *in verb. Tradantur*, dat concordantes. Idque ſive reus ſit Clericus, ſive laicus: ut innuit littera ibi, *per quam*, (id eſt poteſtatem ſæcularem,) *& laici qui fuerint de falſitate convicti*, (ſcilicet per Judicem eccleſiaſticum,) *puniantur prævia ſcilicet proteſtatione*, de qua in *cap. Novimus, de verb. ſignific.* Id autem neceſſariò ſupponit Judicem eccleſiaſticum habere reum ſub arcta corporis cuſtodia, quia aliàs numquam poſſet eſſe locus huic traditioni.

22 Septimò, conceſſa juriſdictione, quod eſt principale, cenſentur etiam conceſſa acceſſoria, ſeu media ad illam exercendam, *cap Præterea, de offic. Deleg.*

Nec obſtat, quod ait Ancharan. in dict. *cap. Ea quæ, num* 17. *de reg. iur. in* 6. Quod ex quo Epiſcopus habeat poteſtatem cognoſcendi, non ſit inferendum ut habeat poteſtatem exequendi; eo quod hæc conſequentia non ſit bona inter non ſubditos; & quod etſi laici in cauſis eccleſiaſticis, vel mixti fori ſortiantur forum Epiſcopi, non proptereà dici poſſint ſubditi, ut inquit gloſ. *fin. in Clem.* 1. *de foro compet.* cum in multis jura dent poteſtatem cognoſcendi, ſed non exequendi, ut *l. a Divo Pio, in princip. de re indic.*

Id, inquam, non obſtat, quia laicus in ejuſmodi cauſis ſortitur forum Epiſcopi, & efficitur illius ſubditus etiam ratione perſonæ, ut probant jura ſuperiùs adducta; aliàs non poſſet excommunicari juxta *cap. Primum, de offic. Ordinar. cum ſimilib.* Ergo cùm res agatur inter ſubditos erit bona illatio: Epiſcopus habet poteſtatem cognoſcendi, igitur & exequendi; juxta textum in d. *cap. Præterea.* Et hanc opinionem ſequuntur gloſ. in d. *cap. Contra idolorum*, 26. *q* 5. Oldrad. *d. conſ.* 86. ubi inclinat in hanc partem; licèt alii illum adducant pro contraria, Gemin. in *cap. Cum Epiſcopus, de offic. Ordin. in* 6. *col.* 2. *verſ. Sed quæro*, ubi aſſerit ſibi numquam placuiſſe contrariam opinionem, licèt fateatur etiam communiter teneri Franc. *ibidem verſ. Quinto nota à contrario ſenſu*, Joan. de Anan. *hic & in rubr. de Sortileg. num.* 5. Felin. in *cap. Cum ſit generale, de foro compet. num.* 20. *& in dict. cap. Significaſti, col. ult. de offic. Deleg.* Covarr. *Pract. quæſt. cap.* 10. *num.* 2. *verſ. Secundo quoties*. Alios Clar. *§. fin. q.* 37. *num.* 8. adjiciens in numero totidem eſſe tenentes hanc partem, ac qui contrariam: eamque pluribus comprobat, & ab objectis tenetur Barbat. *inter conſ. crimin. tom.* 1. *conſil.* 3. *num.* 12. *in fin.* Aufret. *de poteſt. Eccleſ. & ſecul. num.* 1. ubi ait ſe ita practicaſſe, licet non ſine aliqua murmuratione judicum ſæcularium.

Eamdem & leges Regiæ admiſerunt, & probarunt ſæpiſſimè, ut teſtatur Covarruv. *cap.* 10. *loc. citat.* & Epiſcopus Montis Marani *in Praxi Archiepiſcopali, cap.* 13. *numer.* 3. ait in regno extare, *cap.* 104. quod Prælati in criminibus eccleſiaſticis cognoſcant libere contra laicos, & puniant eos, nec officiales laici poſſint ſe intromittere.

Ex his conſtat hanc poſteriorem ſententiam non eſſe 23
gravibus auctoribus deſtitutam, & proculdubio eſſe veriorem etiam circumſcripta Tridentini Concilii diſpoſitione, quia textus pro ea allegati, quia loquuntur de captura laicorum per judices eccleſiaſtices id probant directo, textus verò in contrarium adducti inducuntur omnes ſumpto argumento à contrario ſenſu; quod tamen argumentum non deſumitur ubi oppoſitum reperitur ſtatutum à jure, gloſſ. in *cap. Significaſti, de foro compet.* Atque 24
ita non ſequitur, Epiſcopus excommunicat laicum: Ergo non poteſt illum perſonaliter diſtringere. Item, Epiſcopus poteſt apprehendere eccleſiaſticum; ergo non laicum: Quia hoc ultimum textus expreſsè non negat, ſed potiùs omittit. Unde ſolutio peti debet ab aliis juribus, quæ de captura laicorum expreſsè loquuntur. Ita in terminis reſpondet Gemin. in d. *cap. Cum Epiſcopus, col.* 3. *verſ. Et ad textum allegatum in contrarium*, & Franc. *ibid. verſ. Nec obſtant iura.*

Magni etiam ponderis videtur eſſe, quod facultas pro- 25
cedendi in his cauſis ad capturam laicorum tribuatur Epiſcopo non ſolùm per ſacros Canones, ſed etiam per leges Imperiales, ut in d. *Authent. Cauſam quæ, C. de Epiſc. & Cleric.* ut proptereà Imperatores videantur juri ſuo ceſſiſſe, ſi quod prius habebant, excluſo Epiſcopo, atque in Eccleſiam irrevocabiliter tranſtuliſſe, argumen. *cap. Ego Ludovicus*, 63. *diſtinct.* probatur in *cap. Novit. de iudic.* ubi hoc tenet Innocent. *num.* 6. *verſ. Vel melius*, quem ibi ſequuntur Abb. *numer.* 23. *verſ. Quarta ſolutio*, & alii communiter. Idem firmat Archidiac. in *cap. Quicumque*, 11. *quæſt.* 1. *per text. in l. Perfecta, Cod. de donat. quæ ſub mod.* ubi patet donationem ſemel perfectam non revocari, & Joan. Andr. in *cap. Conſtituens, de relig. domib.*

Et per hoc ceſſat etiam primum objectum diſtinctionis 26
juriſdictionum: imò argumentum retorqueretur; quia ubi crimen eſt eccleſiaſticum, juriſdictio etiam adverſus laicos eſt attributa judici eccleſiaſtico tantùm, ut pluribus probat Henric. Boich. in *cap. Nos inter, col.* 3. *verſ. Aut quæris, de purg. Canon.*

Ergo ex vi diſtinctionis juriſdictionis, perſonalis diſtrictio non ad judicem laicum, ſed ad eccleſiaſticum pertinet: & in cauſis mixti fori juriſdictio ſimiliter tribuitur eccleſiaſtico, ſi in cauſa prævenerit, cùm in his cauſis, in quibus cumulativa eſt juriſdictio, ſit locus præventioni, *cap. Cum ſit generale*, ubi DD. *de foro compet.* Ergo diſtinctio ipſa juriſdictionum operatur, ut captura laicorum ſpectet ad judicem prævenientem: & per hæc patet reſponſio ad primum, & ſecundum argumentum contrarium.

Non obſtat tertium, quod ſicut judex laicus non punit 27
Clericum ante traditionem, ita nec eccleſiaſticus punire debet laicum; quia non eſt par ratio, cùm laicus non ſit capax juriſdictionis ſpiritualis adverſus Clericum, *cap. Decernimus, de iudic.* ſed eccleſiaſticus benè eſt capax juriſdictionis temporalis contra laicum; ita in ſpecie reſpondet Oldrad. d. *conſ.* 83. *num.* 7.

Non obſtat quartum de doctrina Innocentii in dict. *cap.* 28
Significaſti: nam reſpondetur illam procedere de urbanitate, quia judex modeſtè ſe gerit non exequendo ſententiam in bonis laicorum; ſed ſi exequatur, executio tenebit.

bit. Quæ reſpenſio eſt Felini in dict. *cap. Significaſti*, *col. ult. ante num.* 5. ac prætereà opinionem contra Innocentium eſſe veriorem teſtatur ibi Jo. de Anan. *in fin.* ex quibus patet poſteriorem hanc ſententiam validioribus rationibus fulciri.

29 Sed quatenus dubia videretur in terminis juris communis, tamen poſt Concilium Tridentinum videtur eſſe extra omnem difficultatem; ſive quia correxerit jus commune quatenus clarè ſanxiſſet ut judicibus eccleſiaſticis non liceret laicos perſonaliter diſtringere; ſive quia quatenus jus commune fuiſſet dubium, approbaverit opinionem gloſſæ, & DD. qui ſcripſerunt id licere judicibus eccleſiaſticis.

30 Quod ut evidentiùs appareat, obſervandum eſt primò opinionem eorum, qui arbitrati ſunt Epiſcopum non poſſe procedere ad capturam adverſus laicos, in eo præcipuè fundari; quod cùm Epiſcopus haberet contra eos remedium cenſuræ eccleſiaſticæ, illo uti deberet, non autem aliis pœnis temporalibus; nam ut ait Anchar. in dict. *cap. Ea quæ*, *ſub num.*17. Canones non loquuntur expreſsè de captura laicorum, ſed de cenſura, ut in *cap. Querenti*, *de verbor. ſignific.* & ſimiliter cùm in *Clemen.* 1. §. *Cæterùm*, *de uſur.* decernatur laicum uſurarium eſſe compellendum cenſura eccleſiaſtica edere codices rationum, gloſ. *in verb. Cenſura*: non vult ergo, inquit, hæc Conſtitutio ipſo invito domum ipſius ingredi, vel arcam ipſius frangi.

31 Itaque de jure communi cenſura erat remedium ordinarium, quia eo judex eccleſiaſticus primario uti debebat pro executione ſuæ ſententiæ, & pro ſua juriſdictione, *cap. Dilecto*, *de ſenten. excommun. lib.* 6. diſtrictio verò perſonalis, ſeu invocatio brachii ſæcularis erat remedium extraordinarium: hoc enim utendum non erat, niſi cùm cenſura non proficiebat, juxta notata in *cap.* 1. *de offic. Ordin.* & aliàs pependit Sacra Congregatio; dum reſpondit Epiſcopum poſſe ex decreto Concilii in dict. *cap.* 3. in cauſis mixti fori adverſus laicos etiam pœnis pecuniariis procedere.

32 Deinde ſupponendum eſt Oratores Regis Catholici, dum adhuc Tridentinum Concilium eſſet apertum Regis nomine conqueſtos fuiſſe, quod locorum Ordinarii nimia facilitate uterentur gladio excommunicationis indeque fieret ut fideles illaquearentur, & cenſuræ eccleſiaſticæ contemnerentur, ac proinde inſtitiſſe, ut Patres ſtatuerent, ne de cætero liceret uti excommunicatione, ſed prius deberent Ordinarii alia remedia experiri pro juſtitiæ executione, ac demum in ſubſidium cenſuras adhibere, ubi executio realis, vel perſonalis fieri non poſſet: itaque præcipuè ad illorum inſtantiam Patres addiderunt decretum illud *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de reform.* ut patet ex Actis, quæ in Arce S. Angeli aſſervantur.

Ex his infertur ut hæc controverſia ſit hodie dirimenda ordine converſo, quàm dirimenda eſſet de jure communi: tunc enim idcircò Epiſcopus uti non debebat remedio extraordinario capturæ, quia illi ſuppetebat remedium ordinarium excommunicationis. At poſt Concilium executio realis, vel perſonalis effecta eſt remedium ordinarium, & excommunicatio remedium extraordinarium, & ſubſidiarium: unde non eſt abigendum, quin judicibus eccleſiaſticis in cauſis ad eorum forum pertinentibus liceat ad capturam contra laicos primo, & principaliter procedere, cùm cenſura ſit reſervata in ſubſidium dumtaxat.

Id autem probatur primò ex decreto dict. *cap.* 3. in proœmio in ſui ratione ibi: *Excommunicationis gladius ſobriè, & magna circumſpectione exercendus eſt; cùm experientia doceat, ſi temerè, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari.* Quæ quidem ratio æquè viget cùm Epiſcopus procedit contra Clericos, ac cùm contra laicos.

Deinde probatur ex diſpoſitiva in ſui generalitate, ibi: *In cauſis verò judicialibus mandatur omnibus judicibus eccleſiaſticis, ut quandocumque executio realis, vel perſonalis ab ipſis propria auctoritate fieri poterit, abſtineant à cenſuris eccleſiaſticis.* Quæ verba tamquam generalia ſunt apta comprehendere cauſas tam civiles, quàm criminales, & perſonas tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares.

Tertiò, Concilium expreſsè prohibet uſum cenſurarum in cauſis civilibus, ubi poteſt fieri executio realis, vel perſonalis etiam contra laicos, *verſ. Sed liceat eis*, ibi, *contra quoſcumque etiam laicos*; ergo idem dicendum in criminalibus, quia eodem modo ſortitur laicus forum Eccleſiæ ratione delicti, ac ratione contractus. *Authent. Item nulla*, *Cod. de Epiſc. & Cleric. & cap.* 1. *de offic. Ordin. facit cap. fin. de foro competen. & cap. Volentes*, *de privil. in* 6.

Et confirmaatur ex dictione illa, *quoque*, ibi, *In cauſis quoque criminalibus*; necnon ex dictione, *ut ſupra*, ibi, *ubi executio realis*, *vel perſonalis ut ſupra*; quarum prima eſt copulativa, & inducit repetitionem præcedentium, *l. In repetendis*, *ff. de leg.* 3. *l. Sæpè*, *§. Caio*, *ff. de fund. inſtruct.* Oldrad. *conſ.* 103. *Quæſtio eſt*, *num.* 4. *verſ. Quarto hoc denotat*, ſecunda itidem eſt repetitiva præcedentium cum omnibus qualitatibus, perinde ac ſi nominatim eſſent expreſſæ, Cravett. *conſ.* 729. *num.* 10. *& ſeq.* & Decian. *conſ.* 72. *num.* 46. *lib.* 2. 33

Cùm igitur Concilium primò illuc ſtatuat, ut in cauſis civilibus contra quoſcumque etiam laicos liceat Epiſcopis etiam per mulctas pecuniarias, ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem procedere, & mox immediatè ſubjiciat: *in cauſis quoque criminalibus*, *ubi executio realis*, *vel perſonalis ut ſupra fieri poterit*, *à cenſuris abſtineant*: manifeſtè patet per verba illa, *contra quoſcumque etiam laicos*, cenſeri etiam repetita in ſecunda clauſula, ubi de cauſis criminalibus diſponitur.

Et reverà maximè abſurdum eſſet ut liceret Epiſcopo procedere ad perſonalem executionem in cauſis civilibus, & tamen non liceret in criminalibus, in quibus longè major eſt ratio, ac neceſſitas perſonalis diſtrictionis.

In cauſis enim civilibus carcer eſt regulariter interdictus, Oldrad. *conſ.* 54. *An fugiens*, *in princip.* Roman. *conſ.* 120. *Circa primum*, *col.* 2. *verſ. Tertiò quia*; ubi apoſtilla plures cumulat, & dicit communem; ſecus in criminalibus, præſertim capitalibus, Joan. de Anan. *conſ.* 1. *in princip.* qui reddit rationem, ne fruſtratorium ſit judicium. 34

Rurſus in cauſa civili intenditur privata utilitas creditoris; at in criminali ſive carcer ſit ad cuſtodiam, ut de jure civili, *l.* 1. *ubi not. Cod. de cuſtod. reor.* ſive ſit ad pœnam, ut de jure Canonico, *cap. Quamvis*, *de pæn. lib.* 6. verſatur publica utilitas: idcircò enim delinquentes arcta poſſunt cuſtodia mancipari, ut legitur in *cap. Ut fama*, *de ſentent. excommun.* quia Prælati ejuſmodi exceſſus corrigere debent, & publicæ utilitatis intereſt ne crimina remaneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerunt, nequiores, facit *cap. Eſt injuſta miſericordia*, *& per totam*, 23. *q.* 4. 35

Ideòque non obſtat, quod Concilium dum loquitur de cauſis civilibus, dicat licere Epiſcopis procedere per mulctas pecuniarias, perſonarumque diſtrictionem contra quoſcumque etiam laicos; in cauſis verò criminalibus nullam laicorum mentionem faciat, nec dicat Epiſcopis licere ad perſonalem diſtrictionem procedere; ſed ſimpliciter debere abſtinere à cenſuris; quaſi ex hac diverſa loquendi ratione inferatur, ut in criminalibus non liceat Epiſcopo uti perſonali diſtrictione adverſus laicos. Siquidem reſpondetur in effectu non extare hanc diverſitatem, quia propter dictiones illas repetitivas, *quoque*, &, *ut ſupra*, perinde eſt ac ſi etiam in criminalibus nominatim de laicis eorumque diſtrictione ſanxiſſet. Dum enim juſſit Ordinarios abſtinere à cenſuris ubi executio realis, vel perſonalis fieri poſſet, in neceſſariam conſequentiam cenſetur voluiſſe ut prætermiſſa cenſura, uterentur executione reali, vel perſonali ut ſupra, id eſt contra quoſcumque, etiam laicos, ex ſupradictis; alioquin enim iniquum fuiſſet, ut Patres Concil. abſtuliſſent Epiſcopis facultatem quam habebant à jure communi procedendi in criminalibus contra laicos per cenſuras eccleſiaſticas, & reliquiſſet eos deſtitutos aliis remediis temporalibus; hac enim ratione liceret laicis quodcumque facinus in cauſis ſpiritualibus, vel mixti fori impunè committere in maximam epiſcopalis juriſdictionis perturbationem. Quam rationem in exemptionibus conſiderat idemmet Concil. in *cap.* 2. *in princip. ſeſſ.* 24. & conferunt textus in d. *cap. Eſt injuſta*, *& in cap. Duo iſta*, 23.

Digitized by Google

quæſt. 4. Ita nihil novi juris quoad hoc induxit Concil. ſed tantùm ordinem immutavit: nam cùm olim prius utendum eſſet cenſura, deinde pœnis temporalibus, hodie ordine inverſo primum utendum eſt pœnis temporalibus, & in ſubſidium remedio ſpirituali excommunicationis.

36 Et confirmatur ex alio Tridentini Concilii decreto, nempe ex *cap.* 8. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* ubi præcipitur, ut concubinarii tam ſoluti, quàm uxorati ſi ter admoniti concubinas non dimiſerint, excommunicatione feriantur, & mulieres ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel diœceſim, invocato, ſi opus fuerit brachio ſæculari ejiciantur aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus. Ex quo decreto duo colliguntur.

37 Primum eſt licere Epiſcopo mulieres adulteras, & concubinas etiam extra diœceſim ejicere, quod nihil aliud eſt, quàm contra eas ad perſonalem executionem procedere, etiam ſine brachii ſæcularis auxilio, cùm Concilium non præcipiat abſolutè, ut illud ab Epiſcopis invocetur, ſed tantum ſub conditione illa, *ſi opus fuerit*, id eſt ſi executores, ac miniſtri Curiæ Epiſcopalis nequiverint ipſi per ſe exequi ſententiam Epiſcopi: concordant textus in *cap.* 1. ibi: *Cum opus fuerit publicum convocent auxilium, de offic. Ordin. & in cap. Periculoſo*, §. *ult. verſ. Invocato ſi opus fuerit*, *&c. de ſtatu regular. lib.* 6. innovato à Concilio *in cap.* 5. *ſeſſ.* 25. *de regular.*

Secundùm eſt, quod Concilium, dum jubet concubinarios etiam laicos excommunicari, præſervat alias pœnas contra concubinarios inflictas, quæ quidem pœnæ, excluſa cenſura eccleſiaſtica, ſunt aptæ comprehendere etiam capturam; unde cùm in *cap.* 1. *de offic. Ordin.* ſtatutum ſit, ut Epiſcopi liberam habeant facultatem adulteria, & alia crimina ulciſcendi, ſecundùm quod Canones cenſent, Ancharan. qui in dict. *cap. Ea quæ*, in terminis juris communis tuetur contrariam ſententiam, ut evitet diſpoſitionem dict. *cap.* 1. reſpondet ſub facultate ulciſcendi crimina laicorum ibi non comprehendi pœnas temporales, quia textus dicit ſecundùm quod Canones cenſent: Canones autem de hac captura laicorum, vel executione in rebus laicalibus non expreſsè loquuntur, ſed de cenſura, *de verb. ſignific. cap. Quærenti*. Non debemus ergo, inquit Anchar. abſque Canonibus affirmare, quia erubeſcimus, &c. *l. Illam*, *C. de collat. in Auth. de Triente, & ſemiſſe*, §. *Conſideremus*. Et quod non eſt decreto Sanctorum Patrum ſancitum, &c. *cap. Inter corporalia*, *de transl. Epiſc.*

Quæ quidem ratio Ancharani concludit oppoſitum per Concilium: nam decreto Patrum in dict. *cap.* 8. ſancitum eſt, ut Epiſcopus non ſolùm cenſura eccleſiaſtica, ſed etiam aliis pœnis ulciſci poſſit adulteria, & concubinatus, & gloſſ. & DD. qui cenſuerunt dict. *cap.* 1. *de offic. Ordin.* propter ſui generalitatem comprehendere etiam capturam id haberent pro indubitato in terminis dict. *cap.* 8. quod ſpecificè loquitur tam de excommunicatione, quàm de aliis pœnis, quas præſervatas eſſe vult: ejuſmodi enim pœnæ diſtinctæ à cenſura aliæ eſſe non poſſunt, quàm temporales.

38 Porrò hæc concluſio procedit etiamſi Ordinarius Eccleſiaſticus ad capturam laicorum procedere non conſueverit: nam ſi inſpiciamus tempus ante Concilii publicationem, cùm Ordinarius tunc haberet remedium cenſuræ eccleſiaſticæ, qua primo uti debebat, non poteſt ei imputari, quod diſtrictione perſonali uſus non fuerit. Quod adeò verum eſt, ut aliqui DD. exiſtimaverint de jure communi Ordinarium ita demum poſſe ad capturam contra laicos procedere, ſi hanc facultatem legitimè præſcripſerit, ut apud Menchac. & Clar. *locis ſupracit.* At cùm Concl. hac in parte ſuſtulerit diſpoſitionem juris communis, & novam formam præſcribendo noluerit cenſuras adhiberi niſi in ſubſidium, cenſetur etiam ſuſtuliſſe conſuetudinem juri communi conformem, quæ propriè non dicitur conſuetudo, ſed juris communis obſervantia, ut ſcripſit Jo. Andr. in *cap. unic. de Cler. conjug. in* 6. quem ibi ſequitur Anchar. & Raphael. Fulgoſ. *conſ.* 123. *nu.* 2. & alias advertit Sacra Congreg. dum ob hanc rationem reſolvit conſuetudinem; ſecundùm quam Clericus habitum, & tonſuram deferens fori privilegio gaudebat, licet beneficium eccleſiaſticum non haberet, nec alicui eccleſiæ inſerviret; fuiſſe ſublatam à Concilio *in cap.* 6. *ſeſſ.* 23. Tametſi decretum illud quoad hoc de conſuetudine mentionem non faciat; alioquin enim niſi Concilium in dict. *cap.* 3. ſuſtuliſſet obſervantiam juris communis, non ſuſtuliſſet niſi jus commune non obſervatum, quod abrogare opus non fuerat. Quam rationem in his terminis dicit evidentiſſimam gloſſa in *cap.* 1. *in verb. Facti*, *verſ. Item probo id evidentiſſima ratione*, *de Conſtit. in* 6. quam ſequuntur Geminian. *col.* 2. *in* 2. *oppoſit.* & Franc. *col.* 7. *verſ. In ea gloſſa*, ibi, *eſſet abſurdum*.

Poſt Concilium verò non obſtat Epiſcopo quod captura 39
uſus non fuerit adverſus laicos; hoc enim potuit contingere aut quia non cadit caſus, aut ſi accidit; Epiſcopus utendum non putavit remedio capturæ, ſed aliis pœnis temporalibus. Aut quia cùm in delictis mixti fori contra laicos
ſit locus præventioni, fortè judex laicus in cauſa prævenit;
quo caſu ipſe procedit, *cap. Cum ſit generale*, ubi Abb. &
alii communiter *de foro compet.* & *l. Si quis in hoc genus*,
ubi Legiſtæ, ac præſertim Paul. de Caſtro *numer.* 4. *verſ.*
Item nota, *C. de Epiſc. & Cler.* Aut ſi prævenit eccleſia- 40
ſticus in citatione, laicus tamen prævenit in captura; quo
caſu præventio realis præfertur verbali, Bart. in *l. Sepulcra*, ubi etiam Alex. *in apoſtil. verſ. Secundo eſt videndum*, *ff. de ſepulc. viol.* niſi id fieret in fraudem, ſecundum 41
Boſſ. *Praxi tit. de foro compet. num.* 97. *& ſeq.* licèt Dec. in
cap. Cum M. Ferrarien. de Conſtit. in fine, dicat etiamſi ſit
in fraudem, prævalere, & in ſumma captura eſt arbitraria judici, Clar. §. *fin. quæſt.* 28. *in princ.* Unde non præju- 42
dicat Epiſcopo, quod ad capturam procedere non conſueverit; quia ad hoc ut inducatur conſuetudo, vel præſcriptio negativa per non uſum ejus, quod eſt in facultate faciendi requiritur actus contrarius, nec ſufficit negativus,
ut declarat Calder. *conſ.* 41. *alleg.* 3. *de conſuet.* incip. *An valeat conſuetudo*, *num.* 3. *verſ. Ad aliud vero dubium*, &
Abb. *conſ.* 101. *In quæſtione*, *num.* 7. *verſ. Quinimo poſſet*,
lib. 1. Contraria autem præſcriptio ad eum modum, quo 43
requiritur in facultativis, induci non poteſt; Tum quia eſt contra generale Concilium, ut ſæpiùs advertit Sacra Congregatio, & præſertim in deciſione paulò ante relata; Tum quia in Bulla Cœnæ *cap.* 16. excommunicantur omnes, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, &c. & omnes alios quoſcumque judices eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus ſua juriſdictione eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur ſecundùm quod Canones, & ſacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum Generalium, & præſertim Tridentini ſtatuunt, & derogantur conſuetudinibus etiam immemorabilibus.
Unde per ſolemnem hujus Bullæ publicationem, quæ fit 44
quotannis in die Cœnæ Domini, non ſolum abrogantur conſuetudines, & præſcriptiones uſque ad illud tempus introductæ in præjudicium ordinariæ juriſdictionis, ſed etiam prohibentur in poſterum introduci, ita ut conſuetudines, vel præſcriptiones aut inchoari non poſſint, aut inchoatæ per annuam illam publicationem interrumpantur, ut in terminis Bullæ Cœnæ ſcripſit Felin. in *cap. Cum non liceat*, *col. fin. ſub num.* 12. *verſ. Quinto conſidera quod ſingulo anno*, *de præſcript.*

Digitized by Google

DE FURTIS.

Alexander III. Cremonen. Epiſcopo.

CAPUT V.

EX litteris tuis innotuit, quòd B. Calicem quemdam in Eccleſia minus cautè dimiſſum rapiens, longo tempore detinere præſumpſit: & infrà. Mandamus, quatenus ſi ſpontè confeſſus fuerit, & exinde Eccleſiæ, cujus Calix fuerat, ſatisfecerit, nec eſt ſuper hoc nota, vel infamia manifeſta reſperſus: poſt peractam pœnitentiam, aut congruam partem pœnitentiæ (dummodo aliàs idoneum ipſum eſſe cognoſcas) ad ſacros ordines non dubites promovere.

SUMMARIUM.

1 *FUr occultus poteſt poſt reſtitutionem, & pœnitentiam ad ſacros Ordines promoveri.*
2 *Immunitatem Eccleſiæ violans vaſa ſacra ſurripiendo non eſt ipſo iure excommunicatus.*
3 *Excommunicatio impedit promotionem.*
4 *Immunitatem Eccleſiæ violantes ſecundum Canones non ſunt excommunicati, ſed excommunicandi.*
5 *Fallit in incendiariis, & effractoribus Eccleſiæ.*

1 E*X litteris*. Fur occultus poteſt poſt reſtitutionem, & pœnitentiam ad ſacros Ordines promoveri. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Abb. Joan. de Anan. & Marian. Socin. ſecunda pars ibi, *Mandamus*.

2 Nota ſingulariter ex hoc textu, quia fortè non reperies alibi: ita clarè, quod violans Eccleſiæ immunitatem etiam ſacra vaſa inde abſtrahendo non eſt ipſo jure excommunicatus: nam iſte Clericus de Eccleſia calicem ſurripuit, & tamen poſt ſatisfactionem, & pœnitentiam poteſt ad ſa-
3 cros Ordines promoveri: ergo non fuit excommunicatione innodatus, quia excommunicatio impedit promotionem, *cap. Cum illorum*, *infra de ſentent. excommunicat.* cum ſimilibus; & ita hunc textum ad hoc ponderat Abb. *in cap. Cum pro cauſa*, *num. 5. eodem tit.* quod eſt contra Hoſtien. *ibi num. 2.* ubi voluit excommunicatum eſſe qui Eccleſiam violat eam ſpoliando, vel in clauſtro ipſius laicum verberando. Sed eum reprobant ibi Joan. Andr. & communiter DD. ut *ibi dixi num. 10.* Et contrarium deter- 4
minat idemmet Hoſtien. *in ſumma de immunit. Eccleſ. in fin. §. Quæ ſit pœna violantium*, ubi ait, ſecundum Canones Eccleſiæ immunitatis violatores eſſe excommunicandos, *cap. Nullus*, *& cap. Si quis deinceps*, 17. *quæſt.* 4. Et 5
ſolos incendiarios, & effractores eſſe excommunicatos ipſo jure, *cap. Canonica*, 11. *quæſt.* 3. *cap. Omnes*, 17. *quæſt.* 10. *cap. In litteris*, *ſupra de raptor. & cap. Conqueſti*, *infra de ſentent. Excommunic.* Hodie etiam extrahentes reos ab Eccleſiis excommunicati ſunt ex Bulla Gregorii IV. & abſolutio eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata, ut fusè probavi in prædicta Decretali, *Cum pro cauſa*, *à num. 5. uſque ad n. 36.* De multiplici autem ſacrilegii ſpecie, & de illius pœna vide ibi plenè per Innocen. *num. 1.*

DE USURIS.

Alexander III. Genuen. Archiepiſcopo.

CAPUT VI.

IN civitate tua dicis ſæpè contingere, quòd quidam piper, ſeu cinnamomum, ſeu alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valent, & promittunt ſe illis, à quibus illas merces accipiunt, ſex libras ſtatuto termino ſoluturos: Licèt autem contractus hujuſmodi ex tali forma non poſſit cenſeri nomine uſurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt: niſi dubium ſit merces illas plus minusve ſolutionis tempore valituras: Et ideò cives tui ſaluti ſuæ benè conſulerent, ſi à tali contractu ceſſarent: cùm cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

SUMMARIUM.

1 *VEndens rem pluris, quàm valeat, quia ſolutionem differt, peccat, niſi dubium ſit an res tempore ſolutionis plus, minuſve ſit valitura, & vendens non erat ſtatim venditurus, & num. 12.*
2 *Vendens cariori pretio ob dilatam ſolutionem an uſurarum nomine iure damnari poſſit, & num. ſeqq. uſque ad num. 13.*
Iniuſtitia notoria nullitati æquiparatur, ibid.
3 *Vendens cariùs ob dilatam ſolutionem in foro externo uſurarum nomine non tenetur, ſecus in foro animæ, & num. ſeqq. & num. 10. & 11.*
Declaratur, num. 7.
4 *Intellectus* cap. Conſuluit, infra eodem.
5 *Uſura propriè non committitur in contractu emptionis, & venditionis, ſed in mutuo.*
6 *Mutuum interpretativum, præſumptum, implicitum, aut indirectum explicatur.*
7 *Vendens cariùs ob dilatam ſolutionem ubi de prava intentione conſtat, cenſetur uſurarius, etiam in foro contentioſo.*
8 *Et ex quibus conſtet de huiuſmodi prava intentione.*
9 *Vendens cariùs licet fateatur in iudicio ſe id feciſſe ob dilatam ſolutionem, tamen ſi pravam intentionem neget iure damnari non poteſt.*
11 *Canoniſtarum opinio præferenda eſt opinioni Theologorum ſuper interpretatione iuris divini in ſpectantibus ad moralem philoſophiam.*
12 *Vendens cariori pretio ob dilatam ſolutionem quando excuſetur in foro conſcientiæ ab uſuraria pravitate.*
13 *Cenſualis contractus ad tempus limitatum an ſit de iure licitus, & num. ſeq. uſque ad num. 18.*
14 *Et quid ſi non agatur de cenſu antiquitus conſtituto, ſed de eo, qui conſtituitur tempore contractus.*
15 *Et quid ſi emptor computatis ſolutionibus annuis totius temporis aliquid ultra pretium conventum ſit recepturus, & num. ſeqq.*

17 *Cenſualis contractus eſt illicitus ſi excedat annuatim redditum, quem emptor de tantâ pecuniâ in terra empta poſſet habere, & num. 30.*

18 *Cenſus pecuniarus ſi certi, & determinati temporis ſupponitur Bullæ Pii V.*

19 *Cenſualium redditum emptiones omni tempore viſæ ſunt ſuſpectæ.*

30 *Bulla Nicolai V. ſuper emptionibus cenſuum in regno Siciliæ ad rationem decem pro centenario continet diſpenſationem.*

21 *In cenſuum emptione non videtur certum pretium generaliter ſtatuendum.*

22 *Pretia rerum ex quibus varientur.*

23 *Æſtimatio rei pretium eſt, & fieri debet ſecundum præſentem valorem.*

24 *Cenſus annales non eſt tutum decernere, ut certam ſummam non excedant.*

25 *Cenſus emptio licita eſt ſi illius redditus, & penſio incerta ſit.*

26 *Cenſus annui minoris valent, quàm fructus, qui liberè ex prædio percipiuntur.*

27 *Pactum de redimendo minuit pretium rei.*

28 *Pretium cenſus qua ratione ſit minuendum propter pactum de redimendo, vel alia onera emptioni adiecta.*

29 *Cenſuali contractui poſſunt accedere obligationes Camerales, fideiuſſiones, & hypotheca.*

30 *In contractu cenſuali non emitur res, ſed ius petendi penſionem, & num. 34.*

31 *Cenſus conſtitui non poteſt niſi ſuper re ex ſui natura fructifera.*

32 *Cenſus pro parte perimitur re pro parte perempta, vel reddita infructifera.*

Cenſus reſervativus qui ſit, & qui cenſus conſignativus.

34 *Cenſualis contractus in quibus differat à contractu emphyteutico.*

1 IN *Civitate*. Qui vendit rem plus, quam valeat, eo quod differat ſolutionem pretii, peccat, niſi dubium ſit, an tempore ſolutionis plus, vel minus valere deberet. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. Butr. & Anchar. vel juxta intellectum Cardin. quem dicunt eſſe communem Abbas, & Joan. de Anania hoc intendit. Vendens rem plus quàm valeat, quia ſolutionem differt, peccat: niſi dubium ſit an tempore ſolutionis erit valor rei variatus, & venditor non erat venditurus tempore, quo vendidit. Hæc tamen ultima pars non habetur in hac Decretali, ſed ſuppletur ex *cap. Naviganti, infra eodem*. Communis diviſio; ſecunda ibi, *licet*.

QUÆRO. Utrum N. qui frumentum cariùs vendidit ob dilatam pretii ſolutionem, uſurarum nomine jure damnatus fuerit.

2 Sententia, quia N. uſurarum nomine fuit condemnatus eo prætextu, quod frumentum ob dilatam ſolutionem cariori pretio vendiderit, continet evidentem iniquitatem, & injuſtitiam: ideòque nedum revocari; ſed etiam nullam declarari debet, cùm notoria injuſtitia nullitati æquiparetur, *cap. Inter cæteras, & cap. Cum Bertoldis*, ubi Innocen. *ſuper verb. Conceſſimus, de re iudic.* Clem. *Paſtoralis, eodem tit.* Vant. *in tit. de nullit. ex defectu proceſs. num.* 127. Rota *deciſ.* 414. *num.* 7. *part.* 4. *& deciſ.* 322. *num.* 2. *part.* 6. *recent.* & fuit ſæpius deciſum, ut inquit Cardin. Seraph. *deciſ.* 493. *nu.* 2. notoria injuſtitia patet ex eo, quod lata eſt contra textus expreſſos, & contra auctoritatem omnium Doctorum de materia loquentium.

3 Qui enim frumentum habita fide de pretio cariùs vendit, quàm communiter venditionis tempore conſueverat, quamvis in foro conſcientiæ quandoque ad reſtitutionem teneatur; in foro tamen contentioſo uſurarum nomine conveniri non poteſt.

4 Quod primò probatur in hoc cap. ubi propoſita hac eadem facti ſpecie, Alexander III. diſertis verbis decidit non poſſe hujuſmodi contractus ex tali forma uſurarum nomine cenſeri; nihilominus tamen venditores peccatum incurrere. Et ita his Papa ab uſurarum nomine in foro contentioſo venditores liberat, & eoſdem in foro tantùm conſcientiæ diſtinguit: id quod etiam indicant ſequentia verba: *dum animarum ſaluti Apoſtolica benignitate proſpiciens, conſulit talibus venditoribus, ut ab his contractibus abſtineant, cùm cogitationes hominum Deo omnipotenti nequeant occultari, quaſi ſignificet quamquam contentioſi fori periculum vitabunt, Deum ſcrutatorem cordium fallere non poterunt*, ut in juribus hic allegatis in gloſ. ultima.

Secundò, idem clarè probatur per text. *in cap. Conſuluit, infra eodem*, ubi pluribus quæſtionibus propoſitis, inter quas poſtremò loco habetur hæc noſtra de mercibus, ob dilatam ſolutionem majori pretio diſtractis, Urbanus III. declarat ſimiles contrahentes malè agere, & ad ea, quæ acceperunt reſtituenda in animarum judicio efficaciter eſſe inducendos. In quibus verbis præcipuè duo ſunt ponderanda. Alterum, quod dum dicitur in animarum judicio, à contrario ſenſu ſatis oſtenditur ſecus obſervandum eſſe in foro contentioſo, argum. *cap. Nonne, de præſumptionibus*. Alterum, quod ibi Pontifex utitur verbo inducendi, quod cohortationem quidem efficacem non autem coactionem ſignificat, *cap. Cum ſimus de Regul.* & ex conſequenti imponit obligationem reſtituendi, & damnat talem contractum in foro animæ, in quo peccator ad ſatisfaciendum inducitur, non autem in foro judiciali, in quo compellitur, ut in ſpecie ponderat Berous *in rub. de Uſuris, num.* 24.

Tertiò; Idem confirmant omnes DD. de hoc articulo loquentes, & in primis gloſ. *in dict. cap. Conſuluit, in ver. Male agere*, ubi conciliando textum noſtrum, in quo dicitur tales contractus non eſſe cenſendos nomine uſurarum, cum *d. cap. Conſuluit*, in quo habetur hujuſmodi venditores malè agere, dicit, hunc textum loqui quoad judicium Eccleſiæ, & ſic quoad forum judiciale; ſed *cap. Conſuluit:* loqui in foro animæ: & deinde clariùs explicans ſubjungit tales contractus quoad formam non dici uſurarios, ſed contrahentes propter depravatam intentionem in foro animæ judicandos eſſe malè agere, & inducendos, non autem compellendos, ut accepta reſtituant, nec tamquam uſurarios puniendos, licet re vera quoad Deum uſurarii videantur. Opinionem gloſ. nec ibi, nec alibi ullus Doctor, quem viderim, refellit: imò eam in ſpecie ſequuntur ibi Hoſtien. *num.* 4. Anan. *d. num.* 1. *prope fin. verſ. in gloſ. fin.* Anton. de Butr. *in fin.* ubi expreſsè dicit tales venditores eſſe uſurarios quoad forum animæ, ſed non quoad forum contentioſum, Henrich. Boich. *in cap. Naviganti, infra eodem in princ.* 2. *col.* ubi materiam plena diſtinctione de more proſecutus concludit, cùm contractus ſit cum dilatione ſolutionis pretii conventi, licet majoris, quàm ſit rei valor; in foro contentioſo non poſſe judicari uſurarium, Abb. *in d. cap. Conſuluit, num.* 4. *&* 5. Berous *in loco ſupracitato num.* 17. 24. *&* 25. Rip. *in reſponſ.* 116. *in princ.* Cald. *tit. de uſur. conſ.* 11. *prop. fin.* Idque etiam ſentiunt Joan. Andr. & Anchar. *in eodem cap. Conſuluit:* dum ſummant illum textum, quod vendens rem plus debito ob dilationem temporis ad ſolvendum, tenetur in judicio animarum, innuentes non idem juris eſſe in foro judiciali.

Et ratio diverſitatis inter forum contentioſum, & conſcientiæ quoad hunc caſum ea eſſe videtur, quod hujuſmodi contractus emptionis, & venditionis ex ſui forma non eſt uſurarius, quia uſura non committitur præterquam in mutuo, ut probat textus hic, & eſt communis 5
DD. ſententia teſte Bero. *in d. rubr. de uſur. num.* 37. Verùm 6
ubi venditor habet intentionem fœnerandi, & propterea majori pretio vendit, quia ſolutio differtur, ſurgit mutuum interpretativum, in quod cadit uſura: fingitur enim pretium ab ipſo emptore ſolutum, & deinde à venditore ei mutuatum cum lucro illius quantitatis, in qua pretium conventum verum valorem excedebat. Ita declarant *hic* Abb. *num.* 2. & Joan. de Anan. *num.* 1. Bero. *ſupra in rubrica, num.* 38. Joan. de Capiſ. *in tract. de uſuris quæſt. An vendens ad tempus, num.* 45. Ideòque paſſim DD. effectum reſpicientes talem contractum modo vocitarunt mutuum præſumptum, vel interpretativum, ut Abb. Anan. & Bero. in locis proximè citatis modò mutuum implicitum, ut Cajetanus *in ſumm. in verb. Uſura exterior. verſ. uſur. implic. commiſs.* Aliquando uſuram indirectam, ut Capiſ. *in loco ſupracit.* aliquando quaſi uſuram, & ſic uſuram impropriam, ut Hoſtien. *d. cap. Conſuluit.* Hæc autem mutui interpretatio in caſu noſtro quoad forum judiciale non eſt facienda, quia cùm talis contractus ſemper ſit licitus, niſi venditor habuerit intentionem depravatam, ut per DD. *in dict.*

Digitized by Google

in dict. cap. Conſuluit, ſi talis intentio lateat, non poteſt judicari uſurarius quoad forum exteriorem Eccleſiæ, quæ non judicat de occultis, *cap. Sicut tuus, de ſimon.* At in foro animæ ſi intentionem pravam habuerit, quamvis occultam, eſt uſurarius, quia Deus, quem nihil latet, etiam de occultis in foro animæ judicàt, *cap. Tua nos, de ſimon. cum ſimilib.* ut *hic* in gloſ. *ult.* Et hæc doctrinæ ratio colligitur ex not. per Bero. *hic num.*2. & Joan. de Anan. *in dict.*
7 *cap. Conſuluit*, *num.*2. *verſ. Et hoc plus placet*. Hinc eſt, ut quando in foro contentioſo de prava intentione venditoris conſtaret, etiam in eo contractus eſſet cenſendus uſurarius; tuncque non eſſet diſcrimen inter forum conſcientiæ, & judicialem, Hoſtien. *in dict. cap. Conſuluit*, *num.*4. *verſ. Quod ſi in judicio contentioſo*, Joan. Andr. *ibid. in fin.* Ant. de Butr. *num.*6. Anchar. *num.*5. Abb. *item num.* 5. quæ declaratio Hoſtien. videtur communis; tametſi Bero. *ſup. in rubr. num.*29. non levibus eam rationibus oppugnet.

8 Nec objiciatur, quod ſi declaratio Hoſtien. eſt vera, ut cùm de prava intentione conſtat, venditor in foro contentioſo cenſeatur uſurarius: hinc conſequatur in caſu noſtro venditorem eſſe puniendum, quia ſatis de prava intentione conſtat ex facto ipſo, ſcilicet per exceſſum pretii, & dilationem conceſſam ad ſolvendum.

Reſpondetur enim de prava intentione debere alio modo conſtare, quàm ex pretii exceſſu, & dilatione data, quia ſi id ſufficeret, tolleretur diſtinctio ſupra poſita de foro animæ, & contentioſo, & ſemper ex ſola forma talis contractus uſurarius eſſet contra hoc cap. *& cap. Navigan-*
9 *ti, & cap. Conſuluit*, & Doctores ſupra relatos. Idque Hoſt. Butr. Abb. Anan. & alii ſupra proximè citati tunc dixerunt in propoſito conſtare de prava intentione cùm venditor eam fatetur in judicio: & ita neceſſariò convincitur oportere eam intentionem aliundè probari, quàm per dilationem datam ad ſolvendum hujuſmodi pretium. Imò non ſufficeret ſi venditor fateretur ſe dilatione data carius vendidiſſe, quàm præſenti pecunia fuiſſet venditurus; niſi etiam teſtaretur ſe habuiſſe pravum animum fœnerandi, Ripa *d. reſp.* 116. *num.*2. quod & ſenſiſſe videtur Anan. d. loco dicens indubitatum eſſe venditorem ex tali contractu in foro contentioſo non teneri quoties negat ſe intentionem habere corruptam.

Cùm igitur inquiſitus ſemper negaverit ſe habuiſſe pravam intentionem, neque ea aliundè colligatur, non potuit ullo pacto tamquam uſurarius in foro contentioſo damnari.

10 Non obſtant prædictis auctoritates Abb. Dec. Covarr. Sot. Summ. Confeſſ. qui in contrarium allegantur, quibus addo Joan. de Capiſtr. *tract. de uſur. tit. de vendit. ad cred. num.*56. Lupum *in Comment.* 3. *ad cap. Naviganti infra eodem*, §. 5. *num.* 19. ubi alios refert. Primò, quia ipſi ſimpliciter dicunt tales contractus eſſe uſurarios, ſed non attingitur articulum quæſtionis an venditor ex eiſdem contractibus teneatur in foro conſcientiæ tantum, vel etiam in contentioſo; & ex conſequenti intelligendi ſunt dumtaxat in foro conſcientiæ, ne diſſentiant à juribus, & DD. citatis.

Quinimò ex his Doctoribus, qui contractum hujuſmodi tamquam uſurarium notant, Covarr. *lib.* 2. *var. reſol. cap.*3. *num.*6. *&* 7. & Capiſtr. *ſupracitat.* dum citat *dict. cap. Conſuluit*, & hoc *cap. In Civitate*, ſatis oſtendunt ſe non improbare ſupra traditam diſtinctionem inter forum conſcientiæ, & contentioſum, Abb. autem etſi in *cap. Ad noſtram*, *de empt. & vend. num.* 3. aſſeveret tales contrahentes eſſe uſurarios, nobis tamen non obeſt; nam cùm poſtea maturius ſenſerit contrarium in *dict. cap. Conſuluit*, utique ſtandum eſt poſteriori ſententiæ, præſertim diſtinguenti, argum. *cap. Litteras, cum gloſ. in ver. Viam mediam, de reſtit. ſpoliat. & cap. Per tuas, verſ. Nos igitur, de ſentent. excommun.* & eo magis cùm in *cap. Ad noſtram*, citet hoc cap. quod non probat ſententiam, quam ibi Abb. tuetur: nam ille text. quamvis dicat hujuſmodi contractus eſſe uſurarios, tamen declarandus, & diſtinguendus eſt juxta text. *hic*, & in *d. cap. Conſuluit*: nimirum ut ſint uſurarii in foro animæ, non autem in foro judiciali. Neque enim eſt novum poſteriores leges per priores diſtingui, & declarari, *l. Non eſt novum*, *ff. de legib. cap. Cum expediat*, *de elect. lib.*6. Roman. *conſ.*57. *num.*3. *alioquin induceretur* correctio legum contra *l. Præcipimus*, *de appell. cum ſimilib.* At vero Joannes Lupus, & Decius expreſſim de foro conſcientiæ loquuntur; nam Joan. Lupus regulam conſtituens in hac noſtra quæſtione non dicit abſolutè hujuſmodi venditores eſſe uſurarios, ſed peccatum uſuræ incurrere; & ita in foro conſcientiæ tantùm; & omnes exceptiones, quas poſtea ibi ſubnectit, ut terminos regulæ non egrediantur, ſunt intelligendæ retentis eiſdem terminis, nempè quoad peccatum, & in animæ judicio. Dec. itidem qui allegatur in *conſ.*91. de hac re non loquitur, ſed in *conſ.*3. manifeſtè agit de foro conſcientiæ, de quo erat conſultus, ut habetur *ibi in princ.* An Bernardin. ſalva conſcientia, &c. & *ibid. propè fin. in concl.* ibi Silv. Bert. habet examinatorem conſcientiam: cæteri verò, qui allegantur Theologi, ſunt de foro conſcientiæ, quæ propria eorum eſt meſſis, expreſsè loquentes. Et quatenus de utroque 11
foro loquerentur, nihil eſſent ponderis habituri adverſus opinionem Canoniſtarum, quibus in hac materia magis ſtandum eſt, quam Theologis: nam Canoniſtarum eſt interpretari jus divinum in dubiis caſibus pertinentibus ad moralem philoſophiam, Anchar. in celebri illa diſputatione incipiente *Antiquis, & modernis temporibus*, Alex. *conſ.* 1. *num.* 16. *lib.*2. Decius *d. conſ.*3. *num.*4.

Præterea ſi Canoniſtæ, & Theologi in contrarium citati in foro contentioſo expreſſim loquerentur: eſſent intelligendi quando de prava intentione in eo foro per partis confeſſionem, aut aliàs legitimè conſtaret, juxta doctrinam Hoſtien. & Ant. de Butr. Anan. & Abb. de quibus ſup. *num.* 7. *in dict. cap. Conſuluit*. Et quatenus abſolutè ſentiret tales venditores etiam non aliter probata intentione corrupta, uſurarios cenſeri in foro contentioſo, nullius eſſent auctoritatis: quippe loquerentur contra text. expreſſos in *dict. cap. Conſuluit*, & in hac decretali, & receptam Doctorum ſententiam, de qua teſtatur Berous *ſupra in hac rubr. num.* 34. qui *dict. cap. Conſuluit*, in propoſito textum clarum, & ad litteram appellat.

Verùm tametſi ex ſupradictis aperta, & evidens ſit latæ ſententiæ injuſtitia; breviter tamen attingendum an 12
idem N. eo contractu peccaverit, & uſurarius ſaltem in foro conſcientiæ cenſendus ſit; nam ſi non erit cenſendus uſurarius in foro conſcientiæ etiam juxta opinionem DD. qui de foro conſcientiæ loquuntur; longè minus judicandus erit talis in foro fori: & quidem ſecundum ea, quæ proponuntur dicendum eſt ipſum etiam in foro conſcientiæ non eſſe uſurarium.

Primò enim excuſatur in foro animæ vendens rem carius ſolutione dilata, quando erat probabile dubium, an res pluris, minoriſve ſolutionis tempore eſſet valitura, ut eſt caſus expreſſus in hoc cap. ſecundum Joan. Andr. & omnes *in ſum. textus*, *& in cap. Naviganti*, *in* 3. *caſu*, *infra eod.* tunc enim, ut ait gloſ. *hic in ver. Veriſimiliter*, tam emptor, quàm venditor æqualiter incommodum ex tali dilatione expectant, & concordant DD. *hic*, & in *d. cap. Naviganti*, Joan. de Capiſtr. *in d. tract. num.* 46. *de communi*, Joan. Lupus ad idem *cap. Naviganti*, §. 5. *num.* 19. 20. *&* 21. quæ qualitas in caſu noſtro plenè concurrit, quia nedum venditionis tempore erat probabile dubium, an frumentum venditum plus, minuſve ſolutionis tempore eſſet valiturum, ſed etiam erat veriſimile, & ferè certitudini proximum fore ut pretium in dies valdè augeretur, ut ratio illius temporis ſuadebat; & re ipſa evenit. Igitur in foro animæ uſuram non commiſit, cùm hæc ſola qualitas ſufficiat ad excuſationem talis venditoris, ut ſentit Cajet. *in ſumm. in loc. ſuprac. verſ. Et ſimiliter*. Quod ſi cum dicta qualitate ad excuſationem concurrere debeat etiam alia, ut venditor non eſſet aliàs frumentum contractus tempore venditurus, ut habetur in *dict. cap. Naviganti in fin.* & receptior eſt Doctorum ſententia, teſte Joan. Lupo *in loco ſupracit. num.*22. & dictum eſt ſupra in *ſumm. text.* planè & hæc qualitas abundè concurrit, quia N. ejus qualitatibus inſpectis niſi tale pretium fuiſſet conſequutus, venditionem diſtuliſſet in tempus, quo frumentum cariori pretio potuiſſet diſtrahere quemadmodum boni patresfamilias conſueverunt.

Secundò excuſatur N. in foro conſcientiæ, ſi inopiam, aut malitiam debitoris fortaſsè proſpiciens, ideò carius frumentum vendidit, quia verebatur ne in pecunia exigenda laborem, impenſam, difficultateſve ſubiret, Joan. à Capiſt. *in loco ſupracit.* Ripa *d. reſp.* 116. *num.*4.

Demum aliis omiſſis excuſatur, ſi propterea vendidit majori pretio dilata ſolutione, quam præſenti pecunia

fuiſſet

fuiſſet venditurus, ratione damni, quod paſſurus, vel lucri, quod amiſſurus fuiſſet ob dilatam pretii ſolutionem: hujus enim intereſſe ratio habetur in mercatore negociari ſolito, Jo. à Capiſtr. *d. loc.* & poſt Anan. Salic. Dec. & alios tradit Jo. Lupus *d.* §. 5. *num.* 20.

13 Ulterius QUÆRO, An cenſualis contractus ad tempus limitatum ſit de jure licitus.

In terminis juris communis videtur licitus, quia continet in ſe veram venditionem excludentem mutuum, & adeſt pretium certum, & certa etiam merx, quæ eſt jus exigendi annuam præſtationem per tot annos: & cùm venditor non teneatur, nec cogi poſſit ſortem ipſam reddere, procul abeſt hic contractus à mutuo, & ab uſuræ vitio: id enim, quod venditor pluribus ſolutionibus determinato tempore ſeparatim factis teneatur reſtituere ſortem, procedit ex eo, quod in hoc contractu certo pretio emitur jus limitatum percipiendi annuam præſtationem per tot annos, & non ultra; & ita tenet Innocen. *hic num.* 2. quem ad verbum refert, & ſequitur Joan. Andr. *eodem num.* & concordant Hoſtien. *num.* 7. *in verb. Vſurarum*, Cardin. *in* 3. *quæſt.* Abb. *num.* 7. dicens ita tenere Innocen. Hoſtien. & communiter omnes DD. ſequentes Jo. de Anan. *num.* 21. *verſ. In ſecundo caſu*, plenè Anchar. *conſil.* 30. incipien. *Dubitare ſolet*, Conrad. *de contract. q.* 80. Joan. de Med. *de reb. per uſur. acquiſ. quæſt.* 13. Sotus *de juſt. & jur. lib.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 2. *col.* 2. *verſ. Pari iure*, Navar. *de uſur. num.* 71. Covar. qui alios citat *lib.* 3. *var. reſol. cap.* 7. *num.* 4. & ratio eſt evidens, quia ſi poſſum emere cenſum perpetuò duraturum, quod eſt indubitatum, nulla ſubeſt ratio, quare non poſſim emere ad certum tempus, ut per Anchar. *d. conſ.* 30. & tradunt omnes ſupracit. Nec placet differentia, quod in perpetuò conſiſtat contractus emptionis, ex quo merx eſt perpetuò remanſura penes emptorem, quod ſecus eſt in cenſu temporali, in quo res revertitur ad venditorem, ut per Joan. de Anan. *dict. num.* 21. quia etiam in temporali res non revertitur ad venditorem, ex quo dictum jus percipiendi limitatum ad certos annos
14 elapſis dictis annis finitur, & ceſſat. Et hæc procedunt non ſolùm in venditione cenſus antiquitus conſtituti, ad quem ſe reſtringit Innoc. & Joan. Andr. ſed etiam ſi agatur de cenſu, qui eodem tempore contractus conſtituitur, cùm etiam ille habeat eandem rationem mercis, ut voluit Card. *ubi ſupr.* Conrad. *d. quæſt.* 80. *concl.* 3. qui reprobant diſtinctionem Innoc. quam etiam reprobat Sot. *de juſt. & iur. lib.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 1. *in* 1. *concl. in fin. & in* 2. *concl.* & eſt communis opinio.

15 Et ejuſmodi contractus abſque dubio eſt validus, & nullam habet fraudis ſuſpicionem, ubi ex particularibus ſolutionibus toto tempore cenſus nihil recipitur ultra pretium datum: quod ſi per particulares ſolutiones emptor ſit aliquid recepturus ultra pretium conventum, nihilominus validum eſſe de rigore cenſuerunt Innocen. Hoſtien. & Joan. Andr. & ſequentes ſupracit. quia hæc lucri certitudo, quæ reprobatur in mutuo, admittitur in contractu emptionis, in quo poteſt quis ſucceſſivè ex re empta plus percipere, quàm ſit pretium numeratum pro d. re empta, maximè conſideratis oneribus, quibus emptor ſe ſupponit: & hanc opinionem tenent Conrad. *dict. quæſt.* 80. *concluſ.* 2. & 4. Navarr. *dict. num.* 71. & Covarr. *dict. cap.* 7. *ſub num.* 4. & alias hujuſmodi contractus nunquam reciperetur tanquam inutilis, & fruſtratorius, ut dicit Joan. Lup. *in tract. de contract. cap.* 55. *verſ. His ſuppoſitis*, *lib.* 1.

16 Omnes tamen prææallegati DD. dicunt ab eo tanquam mutuo proximo, & præſeferente ſpeciem mali eſſe abſtinendum: ita in ſpecie Innoc. hic ad fin. dicens conſulendum eſſe omnibus fidelibus, ut ab hujuſmodi contractu abſtineant, Joan. Andr. *num.* 2. *verſ. Sed certe conſulendum eſt*, Cardin. *in* 3. *quæſt. verſ. Hanc dicit Innoc.* & Anchar. *nu.* 4. *in fine*, *verſ. Conſuluit tamen Innocent.* & Conrad. *d. quæſt.* 80. *concl.* 4. *in fin.* qui dicit conſulendum eſſe Magiſtratibus, ut illum prohibeant, Sot. *d. quæſt.* 5. *art.* 3. *in fin.* qui etiam dicit ſe non audere approbare hunc contractum abſque formidine, ut poſſint hujuſmodi pecuniarii cenſus certi temporis emi, niſi tanto prorſus pretio, quanta eſt omnium penſionum ſumma, Covar. *d. cap.* 7. *num.* 4. qui dicit conſulendum eſſe, ut Chriſtiani ab eo abſtineant, & utile eſſe illum à Republica relegare, & rejicere, Medin. *d. quæſt.* 13. qui etſi dicat de rigore ſcholaſtico poſſe defendi opinionem Conradi, ut poſſit emi minori pretio, ubi adeſt conſuetudo communiter approbata, ipſe tamen tenet contrariam opinionem uti tutiorem, ut non poſſit emi minori pretio ex quo contractus habet ſpeciem mali, & magnam ſimilitudinem cum uſurario, & ſequi poſſunt ex eo multa inconvenientia, quæ ex vero contractu uſurario evenire ſolent.

Ex hoc nullam habet difficultatem ubi adeſt exceſſus in 17
proportione debiti pretii, quia aliàs redderetur iniquus, ut fatentur Innocen. *hic num.* 2. Hoſtien. *num.* 7. *in verb. Vſurarum*, & Joan. Andr. *num.* 2. nam poſteaquam dixerunt, ſi quis pro certa pecuniæ quantitate emeret aliquem redditum grani, vel vini, vel alium conſimilem perpetuò, vel ad certum tempus, vel ad tempus vitæ alicujus, hujuſmodi contractum eſſe licitum: immediatè hoc limitant, dummodo redditus annuus communi æſtimatione non excedat annuatim redditum quem de tanta pecunia in terra empta potuiſſet habere; ſi vero excedat communiter, eſt illicitus, argum. *cap. Conſuluit*, *infra eod.* Idem dicunt, Conrad. *d. quæſt.* 80. *concl.* 2. & 4. Navar. *d. num.* 71. Covar. *d. cap.* 7. *num.* 4. qui dant exemplum in cenſu decem vendito pro ſcutis nonaginta ad decem annos, & ad ſummum pro quindecim annis: & omnes concludunt pretium debere eſſe juſtum arbitrio boni viri, quem credo non eſſe arbitraturum pretium juſtum in cenſu novem ſcutorum vendito pro centum ſcutis ad 25. annos, quo tempore facta ſupputatione emptor habiturus eſt longè ultra dimidiam ejus, quod dedit, maximè conſiderato modo hujus contractus, quo emitur virtualiter annuus cenſus ad rationem quinque pro centenario, cùm hoc ut venditor teneatur omni anno reſtituere vigeſimam quintam partem capitalis, videlicet quatuor, quæ juncta cum dictis quinque faciunt novem, adeo ut non facta redemptione, puta ante duodecim annos, non obſtante, quod emptor jam recuperavit duodecim vigeſimas quintas ſui capitalis, adhuc pro reliqua dimidia capitalis exigit quinque ad rationem 18. pro centenario, & ſi non redimatur, niſi in 24. anno pro ſcutis quatuor capitalis, quæ remanent inexacta, exiget novem pro fructibus, quod eſt ab omni ratione alienum, maximè erga pauperes, qui non poſſunt ſe redimere, & in 12. anno ſolvent ad rationem 19. pro centenario in 18. anno ad rationem 100. pro centum, & in 24. anno ad rationem 200. pro centum, quod repugnat bono univerſali, & maximè pauperum, pro quibus edi dicitur hujuſmodi Conſtitutio. Hæc de jure communi; ſed hodie præſcripta eſt forma noviſſima creandi cenſus in Bulla 79. Pij V. cui quidem Bullæ proculdubio ſupponitur cenſus pecuniarius 18
certi, & indeterminati temporis, ut per Navar. *in tract. de Vſur. in gloſ.* 18. *ſup. de Bulla*.

Cæterùm etſi dubitari non poſſit emptiones cenſualium 19
reddituum ſi juxta formam ibi præſcriptam celebrentur licitas eſſe, quia tamen non nihil ſuſpectæ omni tempore viſæ ſunt, ab iis abſtinendum eſſe cautè cenſuerunt poſt Innoc. & alios ſupracitatos *num.* 16. Tiraq. *de retract.* §. 1. *gloſſ.* 6. *num.* 16. & Joan. Bapt. Lup. *in l.* 2. *Cod. de pact. int. empt. & vendit.* §. 2. *num.* 62. & veluti odioſas reſtringendas eſſe dixerunt Tiraq. *ubi ſupr.* & Covar. *var. reſ. l.* 3. *c.* 7. *num.* 7. Itaque tum veteres Pontifices Martinus, & Calixtus, tum Pius V. certis cancellis, & conditionibus hujuſmodi contractus indulſerunt, quia cùm viderent genus hoc contractuum ad inſtar clypei redactum eſſe pro ſubterfugiendis uſuris, videntur voluiſſe potiùs animarum ſaluti conſulere, & corruptelæ occurrere, quàm has cenſuum venditiones, & emptiones uti conducibiles approbare. Et 20
quod attinet ad Conſtitutionem Nicolai V. qua licentiam concedit ejuſmodi contractus in Regno Siciliæ celebrandi, pro diſpenſatione illam fuiſſe editam ſatis liquet ex ejus inſpectione, quia cùm eſſet frequentiori uſu recepta, & poſtea populi illa pro lege uterentur, Pius V. ſalubri ſua Conſtitut. tam gravi morbo ſubvenire tentavit, & quò plures conditiones adjecit, ut ab uſurarum pravitate cautum ſit, eo plus ſuſpicionis ineſſe his contractibus indicavit, dum ad diluendas præſumptiones uſurarum præfixit certos limites cenſuum emptionibus, & venditionibus. Ad hæc animadverſione dignum videtur, quod Conſtitutiones Pontificum ſuper cenſibus locales omnes fuerunt, cùm ſupponeretur jam in illis locis vigere hujuſmodi contractus. Pius Quintus verò anguſtius coercere voluit licentiam, quam contrahentes vigore dictarum Conſtitutionum ſibi uſurpaverunt, ut vix ſine labe, aut ſaltem ſcrupulo hujuſmodi

con-

Digitized by Google

21 contractus celebrari poſſe videantur; quia tamen libet credere, his omnibus accuratius conſideratis Concilium provinciale ut fœneraritiis contractibus materia ſubtrahere ſimilem facultatem in Proviocia Mediolani indulgendam cenſuiſſe; An cooſuetudo hæc introduci debeat, ubi hactenus cenſuum contractus in uſu non fuerunt, judicium erit Sanctiſſimi.

22 Et quatenus cenſibus aperiatur aditus, non videtur certum pretium generaliter ſtatui poſſe, aut debere, quo hujuſmodi redditus annui emi debeant: nam rerum pretia non ſolum pro diverſitate locorum, ſed & temporum variantur: item pro copia, & penuria ementium, aut vendentium: itemque mercium, vel pecuniæ numeratæ;
23 *l. Pretia rerum, §. fin. cum ibi notat. ff. ad l. Falc.* Cùm igitur rerum æſtimatio, quæ pretium eſt, *l. In ſumma. §. Frumentum, ff. de condict. indeb.* ut ſit juſta, commenſurari debet valori rei ſecundum tempus præſens, in quo res ipſa venditur, ac traditur, ex Sot. *de uſ. & in l.6. quæſt.4. art.1.* ſequitur ut per legem, aut edictum aliquod generale propoſita taxatio fieri non poſſit.

24 Non etiam videtur expedire, ut decernatur ne annales cenſus certam ſummam excedant juxta Conſtitutionem Nicolai V. oam, ut docuit experientia, ſi oſtendatur ſumma, quam excedere non liceat, cedet hoc in præjudicium venditorum pecuniis indigentium: ſemper enim ſuadebunt emptores vendentibus, ut ſint contenti dicto pretio, quod uſu venit poſt Bullam Nicolai V. ſecundum quam cenſus ad rationem decem pro quolibet centenario ven-
25 duntur, quia pretium per eum ſic taxatum fuerat: quam ob cauſam Navar. *in Man. cap.23. num.77.* hujuſmodi taxationem videtur improbare, & Jo. Bapt. Lup. *in d. l. 2. C. de pact. in emp. & vend. §. 2. num. 71.* dicit ſecundum communem opinionem DD. licitam eſſe emptionem cenſus, quando illius redditus, & penſio incerta ſit.

26 Similiter non videtur ſufficere, ut habeatur ratio fructuum, qui communiter perciperentur ex prædiis ſi illa emerentur ſecundum temporis qualitatem: jus enim exigendi penſionem, aut redditus annuos cum conditionibus, & oneribus annexis minoris valent, quàm ipſi fructus,
27 qui liberè ex prædiis percipiuntur. Etenim emptores cenſuum ſubjiciuntur multis periculis ſine ſpe lucri, quod emptores fructuum ſperare poſſint. Præterea certum eſt onera, & pactum de redimendo, quo cenſuum emptores tenentur minuere pretium rei, Tiraquel. *in præfatione de retract. convent. num.20.* poſt Abb. *in cap. Ad noſtram, de emptione, & vendit.* non enim eſt dubium quin pacta, & onera appoſita in venditione faciant partem pretii, ut per
28 Tiraq. *ibi num.22.* quantum autem debeat minui pretium cenſualium redditaum penſatis conditionibus, & oneribus illis annexis, vel relinquendum eſt, ut ipſi inter ſe contrahentes deſpiciant, & conveniant, prout conveniunt quando emitur prædium cum pacto de retrovendendo, aut cum aliis oneribus, ad trad. in *dict. l. & in cap. Ad noſtram.* Vel poteſt Synodus provincialis decernere quanti minoris licitè emi poſſint hujuſmodi annales cenſus, quam emerentur fructus, qui communiter perciperentur ex prædiis ſi illa empta forent, v. g. quia talia onera non poſſunt minui ultra tertiam, vel quartam partem juſti pretii ipſorum fructuum, juxta id, quod factum fuiſſe in Synodo Florentina refert Lup. *ubi ſupra, num.79.*

29 Porrò celebrato hujuſmodi contractu cenſus ſecundum terminos legitimæ obligationis, nihil prohibet quin accedant quæcumque obligationes Camerales, fidejuſſiones, & generales bonorum hypothecæ, quibus contrahentes efficacius aſtringantur ad obſervationem eorum, quæ in principali obligatione continentur tam ratione evictionis prædii, ſuper quo cenſus conſtitutus eſt, quàm etiam quoad ſolutionem annui cenſus. Siquidem hæ cautiones ſequuntur naturam principalis contractus: & quatenus reſpiciunt executionem contractus cenſualis, non immutant ejus formam; & conſentaneum legibus eſt, ut caveat ſibi contrahens, ne eludatur: imò, ut ille ait, contrahentem ſi centum vincere catenis ſtudeas, effugiet tamen.

Quod verò Pius V. prohibuit pacta omnia continentia moroſum cenſuum debitorem in aliquam pœnam cadere, non eo pertinet, ut moroſus non poſſit ſe ſubjicere cenſuris, & obligari in forma Cameræ, quia prohibetur pœna temporalis ad obviandum fraudibus uſurarum, per quam prohibetur emptori aliquod pretium exigere ultra creditum ſuum.

Cæterum ut res cenſualis reddat tantum, quantum eſt 30
cenſus, non ſufficit, ut valor rei cenſualis æquet, aut ſuperet ſummam pecuniarum quibus cenſus emitur; nam in contractibus cenſualibus non emitur res, ſed jus petendi penſionem: valor autem ejuſdem juris non eſt major, quàm ipſa penſio, Sot. *de juſt. & jur. lib. 6. quæſt. 5. art. 1. verſ.*
Reſtat. Unde ut talis penſio loco fructuum ſubrogetur, 31
cùm cenſus non poſſit conſtitui niſi ſuper re fructifera de ſui natura ex Bulla Pii V. neceſſe eſt, ut non poſſit excedere valorem redditaum, qui annuatim ex re percipiuntur, & quatenus deſtitueretur fundamento reali, & uſura committeretur.

Cùmque re pro parte perempta, vel infructifera reddita, 32
pro parte etiam cenſus perimatur, ex Bul. Pii V. manifeſtum eſt cenſum debere cum fructibus rei commenſurari.

Conſideratio autem propoſita fortè locum habitura 33
eſſet ſi ageretur de introducendo cenſu, quem vocant reſervativum; id eſt cùm quis rem ſuam alteri tradit, reſervato ſibi jure quotannis percipiendi partem quampiam, ſeu penſionem ex illa re, de quo in *l. ult. C. de re permut.* & per gloſ. *penult. in cap. Conſtitutus, de Relig. domib.* de hoc enim ſentiunt Doctores tenentes in dubio præſumi contractum emphyteuticum potiùs, quàm cenſualem, quia ille minus præjudicialis eſt Eccleſiæ. Eadem verò conſideratio accommodari non poteſt ad cenſum, de quo inducendo agitur, qui conſignativus appellatur, ut dum quis retentis ſuis bonis, eorumque uſu conſignat alteri certam penſionem, quam obligatur ſolvere ſingulis menſibus, aut annis, ex Sot. *de inſt. & iur. lib.6. quæſt.5. art. 1.*

Hic cenſualis contractus, de quo loquitur Conſtitutio 34
Pii V. adeò diſtat à contractu emphyteutico, ut nihil ferè commune cum eo habeat, ut notat gloſ. *penult.* Cardin. Anchar. Abb. & alii communiter in *d. cap. Conſtitutus, de Rel. domib.* nam is, qui rem ſuam in emphyteuſim concedit, transfert in accipientem dominium utile, & ſibi directum retinet. Qui rem ſuam ſupponit cenſui, retinet ſuæ rei dominium, & uſum; vendit autem ſolum jus percipiendi penſionem ſive in fructibus, ſive in pecunia, vel re aliqua utili, ut vult gloſ. præalleg. & Bald. *conſ. 379. incipien. Sequitur, num.7. verſ. Quæro quod inde reſultat, lib.1.* Emphyteuta vendens non ſine conſenſu domini incidit in commiſſum, *l. 2. C. de iur. Emphyt.* Cenſuarius rem cenſui ſuppoſitam liberè poteſt vendere emphyteuta habet in re dominium utile, at qui emit cenſum habet tantùm hypothecam in re cenſui ſuppoſita. Emphyteuta ob non ſolutionem canonis incurrit pœnam caducitatis, *cap. Potuit, de locat.* Cenſuarius moroſus numquam amittit rem cenſuariam, ut eſt text. in *d. cap. Conſtitutus*, & ibi præcitata gloſ. *penult.* & communiter DD. In emphyteuſi re pro parte perempta non minuitur, canon. *l. 1. C. de iur. emphyt.* In hoc caſu re pro parte perempta, vel infructifera reddita perimitur etiam pars cenſus. Aliam differentiam ponit Everardus *in ſua Centuria legali in loco ab emphyteuſi ad cenſum num. 4.*

Sicut igitur fieri non poteſt, ut cenſualis hic contractus regatur clauſula contractus emphyteutici, ita verendum non eſt, ne fiat præjudicium Eccleſiis reſpectu penſionum, quas jure emphyteutico exigere intelliguntur ſi de novo cenſus hic conſignativus inducatur.

DE USURIS.

Urbanus III.

CAPUT X.

CONſuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non aliàs mutuo traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat: Et utrùm eodem reatu criminis involvatur, qui (ut vulgò dicitur) non aliter parabolam juramenti concedit, donec, quamvis ſine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat: Et an negotiator pœna conſimili debeat condemnari, qui merces ſuas longè majori pretio diſtrahit, ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quàm ſi ei incontinenti pretium perſolvatur. Verùm quia quid in his caſibus tenendum ſit, ex Euangelio Lucæ manifeſtè cognoſcitur, in quo dicitur: Date mutuum, nihil inde ſperantes: hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cùm omnis uſura, & ſuperabundantia prohibeatur in lege) judicandi ſunt malè agere: & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi.

SUMMARIUM.

1 *MUtuans ea mente ut plus ſorte percipiat, tenetur in judicio animarum, & num. 3.*
2 *Vendens rem pluris, quam valeat ob dilatam pretii ſolutionem, cenſetur quaſi uſurarius in foro animæ, & ad reſtitutionem tenetur, & num. 8.*
Fallit ſi duo copulativè concurrant, num. 9.
Et quid in foro judiciali, num. 10.
3 *Uſurarius mentalis tenetur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem ejus, quod ultra ſortem accepit.*
4 *Quod verum eſt ſi habuit intentionem ad lucrum principaliter. Secus ſi ſecundario.*
5 *Uſura non eſt ſecundario aliquid ſperare ex mutuo.*
6 *Niſi ſpes iſta deducatur in pactum, num. 7.*
7 *Debitor eſt mutuanti naturaliter obligatus ad antidora.*

1 *COnſuluit.* Mutuans ea mente, ut plus ſorte percipiat; non dans parabolam juramenti niſi aliquid inde recipiat; vendens rem plus debito, quia ſolutionem pretii
2 differt, tenetur ex his in judicio animarum. Hoc dicit: Jo. Andr. Butr. & Anchar. & in ſubſtantia concordant, Card. Abb. & Jo. de Anan. & ſunt duæ partes; in prima ponitur conſultatio tria dubia continens: ad quæ ſimul in ſecunda reſpondet, ibi, *Verum quia.* Et quid ſit date parabolam juramenti declarat hic Bernard. in figuratione caſus in 2. *quæſt.* cum quo tranſeunt communiter Doctores.

3 Nota primò ex ſolutione primi dubii, uſurarium mentalem teneri in foro conſcientiæ ad reſtitutionem ejus, quod ultra ſortem accepit: & quamvis nonnulli opinentur talem cenſeri quidem uſurarium, ſed nihilominus ad reſtitutionem non teneri, quaſi non noceat uſura mentalis, ſicut non nocet mentalis ſimonia quantum ad reſtitutionem ſic receptorum, ut *cap. final. ſupra de ſimonia*; tamen quod primò dixi eſt tutius, ſecundum Innocentium hic ad finem: imò veriſſimum, & aliud falſiſſimum, & formaliter inquit Hoſtien. *num. 3. in verb. Pro intentione*, Joan. Andr. *num. 4.* poſt Raymund. quem citat in *Summa hujus titul. verſ. Sed numquid voluntas*, Butr. *num. 4. verſ. Quæro ulterius*, & Abb. *num. 5.* dicens hic eſſe caſum apertum pro opinione Innocentii, & Hoſtienſis, quam ſequuntur communiter Doctores, quod adeptus lucrum ex mutuo, intentionem tamen depravata, tenetur reſtituere in foro animæ, nec ſufficit agere ſolam pœnitentiam, licet aliud ſit in ſimonia mentali, ut in *d. cap. final. de ſimon.* ubi etiam notatur ratio diverſitatis.

4 Ceterùm hoc verum eſt ſi principaliter habuit intentionem lucrandi aliquid ex mutuo; tunc enim omni etiam pactione ceſſante uſuram committit, & in judicio animæ reſtitutioni eſt obnoxius, ut hic eſt expreſſum. Secus verò ſi 5
habuerit hujuſmodi intentionem ſecundariò, ut hic firmat gloſ. 2. Innocen. *in princip.* dicens: [Si creditor principaliter intentionem habet ad lucrum, uſura eſt, vel malum lucrum; alias ſi ſecundariò aliquid ſperat] ſecus Hoſtien. *num. 2.* qui ſimiliter ait: [Secundariò aliquid ſperare omninò eſt reprobandum, nam ſi tibi ſervio, ſperare poſſum quod & tu mihi ſervias, vel me remuneres,] argum. *cap. Quid proderit, 61. diſt. cap. Si officia, 59. diſt.* nec etiam recipere ex tali ſpe uſurarium, vel quaſi cenſebitur, argum. *cap. Quam pio, 1. quæſt. 2.* quinimò ſecundum gloſ. Innoc. 6
& Hoſtien. debitor eſt mutuanti naturaliter obligatus ad antidora, *l. Sed ſi lege, §. Conſuluit, ff. de petit. hæred. cap. Cum in officiis, ſupra de teſtam.* & in his concordat *hic* Jo. Andr. *num. 4. verſ. Et quod dicitur uſuram*, Card. *in 2. oppoſit.* adjiciens tamen cum gloſ. quod ſi ſpes iſta ſecundaria 7
deduceretur in pactum, uſura committeretur, Butr. *num. 4. ad fin. verſ. Et quod dicitur uſurarium*, & Anchar. *num. 5. verſ. Poſſet eſſe verum quando ſecundariò*, & idem Hoſtien. *in ſumma hujus tit. poſt princ.* & plenius Joan. Andr. *in reg. Peccatum, in primo articulo quæſtionis, de reg. jur. lib 6.* Verumtamen ut ſeriò ſubdit Hoſtien. *hic num. 3.* Quamvis talis poſſit hominem fallere, & judicem humanum; non tamen illum, cui omnia nuda ſunt, & aperta, quia Deus eſt cognitor ſecretorum, *cap. Erubeſcant, 32. diſt. cap. Conſuluiſti, 2. quæſt. 4. cap. Novit. ſupra de judic. cap. Tua nos, in fine, de ſimon.* quem non latet peccati qualitas, nec peccantis affectus, *cap. Deus, 24. quæſt. 1.* gloſ. *ult. in cap. In Civitate, ſupra eodem.*

Secundò nota ibi, *Prolixioris temporis dilatio*, enim qui 8
vendit rem pluris, quam valeat ob dilatam pretii ſolutionem, cenſeri quaſi uſurarium in foro animæ, & ad reſtitutionem teneri: & eſt communis opinio, ut conſtat ex dictis in præcedenti notab. Fallit tamen ſi duo copu- 9
lativè concurrant. Primum eſt, plus ut dubium ſit, an res tempore ſolutionis, minoriſve valitura eſſet. Secundum, ut tempore contractus eam rem non eſſet venditurus, ut eſt textus in *cap. Naviganti, in ult. caſu infra eod. & in cap. In Civitate, ſupra eodem*, ſecundum Lecturam Cardinal. quam dicunt ibi eſſe communem, Abbas, & Joan. de Anan. *in princ.* & magis communem Joan. Lupus *in repetition. d. cap. Naviganti, §. 5. num. 22.* & hic notat Henric. Boich. *in princip.* An autem vendens cariori pretio ob 10
dilatam ſolutionem poſſit in foro contentioſo tamquam uſurarius damnari, & quibus ex cauſis excuſetur in foro animæ ab uſuraria pravitate, dic ut plenè ſcripſi in prædicta Decretali *in Civitate, ſupra eodem à num. 2. uſque in finem.*

D E U S U R I S.

Gregorius IX. Fratri R.

C A P U T XIX.

NAviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus. Ille quoque, qui dat decem ſolidos, ut alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddatur: quæ licèt tunc plus valeant, utrùm plus vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur: non debet ex hoc uſurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excuſatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quàm tunc valeant in certo termino recipiat pro eiſdem: ſi tamen eo tempore contractus non fuerat venditurus.

S V M M A R I V M.

1 *MVtuans pecuniam naviganti, ſi recipiat aliquid ultra ſortem, uſurarius cenſetur, etiamſi periculum in ſe ſuſcipiat, & num. 4.*
Quid de iure civili, num. 5.
Et quid de iure canonico, num. 8.
Quid in foro iudiciali, num. 21.
Et quid in foro animæ, num. 24. & 57.
2 *Vſurarius non eſt emens rem minus iuſto pretio ſi tunc veriſimiliter dubitetur, an tempore traditionis plus, vel minus ſit valitura, & num. 30.*
3 *Vendens rem plus, quam valeat ex eo quod differt ſolutionem pretii, excuſatur ab uſura ratione dubii, ſi tunc non erat aliàs venditurus, & num. 34.*
5 *Nauticum fœnus de iure civili, etiam uſque ad uſuram centeſimam permittebatur.*
6 *Vſura centeſima quæ ſit.*
7 *Pecunia traiectitia quæ dicatur.*
8 *Vſura nautica de iure Canonico reprobatur ſecundum Canoniſtas.*
Contrarium ſecundum Theologos, num. 12.
Diſtinguitur, num. 21.
9 *Ius Canonicum in materia peccatum concernente in totum derogat iuri civili.*
10 *Periculum rei mutuatæ quod in ſe ſuſcipit creditor, cur eum non excuſet ab uſura ſi aliquid ultra ſortem recipiat, & num. ſeq.*
11 *Dominium rei mutuatæ conſumptione amittitur, & fit alterius.*
13 *Intellectus varii Theologorum ad hoc cap. & num. 55. uſque ad num. 59.*
14 Aliquid, *dictio, verificatur in qualibet minima re.*
15 *Vſura committitur ſi aliquid quantumcumque modicum ultra ſortem accipiatur.*
16 Nihil, *dictio, quamcumque quantitatem excludit.*
17 *Navigare dicitur qui uxorem duxit, & cur.*
18 *Vſura eſt aliquid ultra ſortem accipere ratione mutui tantum, vel ratione mutui, & periculi ſimul, ſed non ratione periculi tantum ſecundum Theologos.*
19 *Et ratione mutui tantùm intelligitur quando creditor vult omnino in ſe ſuſcipere ſortis periculum aliàs non mutuaturus.*
20 *Idem ſi non exprimat an lucrum recipiat propter mutuum, vel propter periculum.*
22 *Simoniaca eſt electio, licèt electores dicant ſe non fuiſſe motos propter pecuniam ſibi datam, vel promiſſam, quia aliàs electuri erant.*
23 *Vſurarius an iudicetur qui prius liberè mutuat, & poſtea ſub certa mercede periculum in ſe ſuſcepit.*
Correſpectivitas præſumitur ex proximitate temporis, ibidem.
24 *Vſura ſola voluntate committitur.*
25 *Vſura non eſt, ſed locatio operarum ſi navigans recipiat pecuniam ultra mare vehendam ſub certa mercede.*
26 *Pecuniæ nullus eſt uſus.*
27 *Locator cur iuſte ſalarium recipit, non autem mutuans.*
28 *Socius ponens pecuniam liciti poteſt habere partem lucri, dummodo pecuniam periculo exponat.*
29 *Societas eſt quædam fraternitas.*
30 *Vſurarius eſt, qui nunc emit rem minus quàm valeat ob eam cauſam, quia rei traditio differtur, & nunc ſolvit pretium.*
31 *Niſi dubium ſit an tempore traditionis plus, minuſvè ſit valitura.*
32 *Et in æſtimatione valoris conſiderari debet quod communiter ſolet contingere.*
33 *Dubia in foro iudiciali ſunt interpretanda in meliorem partem; ſed in foro animæ in duriorem.*
34 *Vendens rem carius, quam valeat ob dilatam pretii ſolutionem, ut excuſetur ab uſura, quæ debeant concurrere.*
35 *Vſurarius mentalis, eſt qui carius vendit credita, quàm numerata pecunia. & num. 45.*
36 *Societas inita ab officiali Romanæ Curiæ ſuper officio ultra valorem gravato, contemplatione tamen alterius perſonæ recognoſcentis bonam fidem, & ſervantis eum indemnem, an ſui natura ſit illicita, & uſuraria, & num. ſeqq. uſque in fin.*
37 *Societas contrahi non poteſt ſuper re non exiſtenti.*
Societas officii ſive officio ſuper ſolo periculo vitæ conſtitui non poteſt, ibidem.
Declaratur, num. 73.
38 *Societas requirit ſubiectum communicativum lucri, & damni.*
Vſurarium putatur ex re infructifera lucrum ſperare, ibidem.
Declaratur, num. 74.
39 *Vſura non cadit niſi ubi mutuum verum, vel fictum intercedit.*
40 *Vſura eſt lucrum ex mutuo, vel quaſi mutuo.*
41 *Contractus præſumitur qualis in ſui figura apparet.*
42 *Vſura ex mutuo vero quando dicatur.*
43 *Mutuatarius ex ratione mutui veri, vel palliati ſubit omne periculum rei mutuatæ, & ſemper obligatur ad ſortis reſtitutionem.*
Cenſus vitalitius, in quo perpetuò pecunia fit recipientis, ſortitur naturam emptionis, ibid.
44 *In ſocietate officiorum pecunia non fit recipientis, ſed remanet ſolventis ſub ſolo periculo in caſu mortis.*
45 *In mutuo palliato neceſſe eſt ut lucrum, quod ſperatur, proveniat ex intereſurio temporis.*
46 *Vſurarius cenſetur contractus, qui ex ſui forma uſurarius non eſt, ob depravatam contrahentium intentionem.*
47 *Vſura palliata eſſe non poteſt ubi ceſſat depravata intentio contrahentium.*
48 *Vſura mentalis committitur cùm quis ex mutuo lucrum ſperat: ſecus ſi ex alia iuſta cauſa.*
49 *In ſocietate ſuper officio ultra valorem gravato fructus non accipiuntur ratione mutui, ſed ratione periculi, quod ſui natura non eſt illicitum, & num. ſeqq. & num. 71.*
50 *Periculum amiſſionis ſortis in ſocietate officiorum eſt pecunia æſtimabile ad rationem duodecim pro centenario.*

51 *Pre-*

51 *Pretii iuſtitia deſumitur ex conſuetudine longiſſimi temporis cum ſuperiorum tolerantia.*

52 *Societatis contractus tunc iuſtus dicitur, cùm inter ſocios lucri, & damni ſervatur æqualitas.*

53 *Mortis eventus inter caſus fortuitos computatur.*
In ſocietatibus officiorum ceſſat ſuſpicio uſurarum propter incertitudinem vitæ, ibid.

54 *In ſocietate officiorum fructus iuſtè percipiuntur non ratione ſocietatis, ſed ratione periculi.*

55 *Vſura an ſit mutuare pecuniam ruſtico, ut iuſta mercede agros mutuantis colat, & num. 57.*

58 *Vſurarium non eſt periculum in ſe ſuſcipere, & aliquid ultra ſortem recipere, niſi in contractu mutui.*

59 *Contractus mutui quoad uſurariam pravitatem multum differt à contractu denominato, & num. 62.*

60 *Contractus, in quo datur alicui pecunia cum pacto duplum reſtituendi, ſi accipiens ducat uxorem, aut presbyter fiat, non eſt uſurarius.*

61 *Mutuans cum pacto ut nihil ſibi reſtituatur ſi mutuatarius intra certum tempus moriatur, ſi vivat, duplum reſtituat, an committat uſuram, & num. ſeq.*

63 *Officialis poteſt inire ſocietatem ſuper fructibus ſibi debitis à recognoſcentibus bonam fidem.*

64 *Actus ſi non valet ut agitur, an valeat ut valere poteſt, num. 66. & ſeqq.*

65 *Contractus non à nomine, ſed à conventionibus, & circumſtantiis ſortiuntur naturam.*

66 *Actus in dubio cenſetur factus omni meliori modo.*

67 *Iuramentum facit ut actus etiam nullus defectu formæ valeat omni meliori modo quo poteſt.*

68 *Contractus in dubio neque iniuſtus, neque uſurarius eſt iudicandus.*

69 *Societas officii congruè appellari poteſt, etiam ſi contracta fuerit ſuper officio ultra valorem gravato, & num. ſeq.*

70 *Nuptiæ unde dictæ.*

71 *In ſocietate officiorum non deſerviunt officia niſi pro colorando contractu, qui ſolum ſuſtinetur ratione periculi amiſſionis capitalis.*

72 *Societas contracta ſuper officio ultra valorem gravato extinguitur ſublato officio.*

75 *Bulla Pii IV. de ſocietatibus officii non contrahendis ſuper officio ultra valorem gravato continet ius poſitivum, & num. ſeq. uſque in fin.*

76 *Contractus natura hoc non patitur, ergo eſt contractus iniuſtus, erronea eſt conſequentia.*

77 *Contractus quando dicatur iure poſitivo, vel naturali prohibitus.*

78 *Societates officiorum an contrahi poſſint ſuper officiis extra Romanam Curiam exiſtentibus.*

79 *Conſtitutio revocata, vel illius ratio ad deciſionem cauſarum allegari non poteſt.*

80 *Societatem ignoranter contrahens ſuper officio gravato, præter ſortem poteſt etiam fructus recuperare.*

81 *Bona fides in his quæ ſunt iuris naturalis, poteſt excuſare à peccato, ſed non à reſtitutione.*

82 *Societates officiorum ex ſtylo Curiæ fiunt etiam ſuper officiis ultra valorem gravatis.*
Conſtitutionibus Apoſtolicis obiici non poteſt quod non ſint uſu recepta; ſed benè obiici poteſt quod per contrarium uſum ſint abrogata.

1 N*Aviganti*. Gregoriana eſt, ut inquit Joan. Andr. & ideò legalis, ſecundum Joan. de Anan. & ipſa ſe ſummat, & dividit. Breviùs tamen ſic ſummari poteſt. Recipiens aliquid ultra ſortem, uſuratius cenſetur, licèt
2 periculum in ſe ſuſcipiat: hoc dicit primò. Emens rem minus juſto pretio, non eſt uſurarius ſi tunc veriſimiliter dubitetur an tempore traditionis plus, vel minus ſit vali-
3 tura: hoc ſecundò. Propter dubium excuſatur is, qui ex eo quod differt ſolutionem pretii, vendit rem plus, quam valeat, ſi tunc non erat alias venditurus: hoc tertiò; & ita ſunt tria dicta. Secundum ibi, *Ille quoque*, Tertium ibi, *ratione huius dubii*.
4 Nota primò ibi, *pro eo quod ſuſcipit in ſe periculum*, textum expreſſum, qui non reperitur alibi, quod mutuans pecuniam naviganti, vel eunti ad nundinas, ſi aliquid ultra ſortem recipiat, ab uſuræ vitio non excuſatur, ex eo
5 quod pecuniæ periculum in ſe ſuſcipiat: & per hoc ſigna differentiam inter jus civile, & jus canonicum: nam de jure civili permittebatur nauticum fœnus, ut *Cod. de naut. fœn. per tot.* ità ut mutuanti periculo ſuo pecuniam ultra mare vehendam liceret recipere uſuram etiam centeſi-
mam, ut *l. Nihil, ff. eod.* quæ ſcilicet in anno æquatur 6
ſorti, ut per Hoſtien. *in cap. Quanto, num. 5. ſupra eod. & in ſumma de uſur. §. Ex quibus, verſ. Item in traiectitia, &*
verſ. ſeq. & dicebatur hujuſmodi pecunia trajectitia, eò 7
quod trans mare periculo creditoris trajiceretur, *l. 1. ff. de nautic. fœn.* & *hic* notant Hoſtien. & Joan. Andr. ambo *num. 1.* & Calder. *num. 6.* & erat hoc ſpeciale in uſura nautica, in qua erant & alia ſpecialia: nam aliæ uſuræ ſine ſtipulatione non debebantur: nautica verò debebatur etiam ex pacto nudo, *l. Periculi, §. fin. ff. eod. tit.* ſecundùm Calder. *hic num. 7.* & Cardin. *num. 1.*
Verum de jure canonico uſura hæc nautica omninò re- 8
probatur, ut hic eſt textus clarus, quo ſublata eſt juris communis diſpoſitio, & correctus totus titulus, *ff. & C. de naut. fœn.* ut hic firmant Hoſtien. *num. 1. 2. & 3.* Cardin. *in princ.* ubi ſic ſummat textum, videlicet [Nauticum fœnus jure canonico reprobatur,] & fuſiùs *nu. 1. in 1. oppoſit.* Anchar. *in 2. notab.* Joan. de Anan. *num. 2.* & Joan. Crot. *num. 8. in 3. notab. tom. 4. Repeten. fol.* 373. dicens: [Nota quod per juſtum textum eſt correctus totus titulus *ff. & C. de naut. fœn.*] Et quamvis contrarium teneat Jacobus Butrigarius in *l. 1. C. de naut. fœn.* exemplo duorum, qui ludunt taxillis: nam cùm ſubjiciant ſe fortunæ periculo, ſi unus vincatur ab alio, lucrum licitè retinetur: & Joan. Crot. dicat hanc opinionem ſibi aliquando placuiſſe, eò quod cùm creditor ſuſcipiat in ſe periculum pecuniæ, & aliquid recipiat ultra ſortem, hoc non eſt contra jus divinum: ideòque jus civile ſervabitur in terris Imperii, iuxta gloſ. *in cap. 2. de arbitr. lib. 6.* & Abb. *in cap. Dilecti, de re*
iudic. Attamen, ut idem Crotus ſubdit, prior opinio eſt 9
tenenda; quia hic textus prohibet talem contractum uti uſuratium; & ita illum prohibet ratione peccati: in materia autem concernente peccatum jus canonicum in totum derogat juri civili, & ubique locorum ſervari debet, *cap. fin. de præſcript.* Bart. & DD. *in l. Privilegia, C. de Sacroſ. Eccleſ.* idem voluit Salyc. *in Authen. Ad hæc, in 3. col. C. de Summ. Trinit.* dicens, legibus loquentibus de uſura nautica hodie non eſſe accommodandum aſſenſum, propter id quod habetur in hoc cap. Nec obſtat dictum Jacobi Butrigarii, quia non eſt verum per hunc textum ut inquit Joan. de Anan. *hic num. 3.* poſt Petr. de Anchar. cujus manuſcripta dicit ſe vidiſſe, & atteſtatur ita communiter teneri: de communi etiam teſtatur Navar. *in Manuali, cap. 17. num. 221.* & ex Theologis hoc tenet ſupple-
mentum, ut refert Silveſt. *in ver. Vſura, 1. num. 35.* Item 10
non obſtat quod cùm in mutuo dominium transferatur in debitorem; ideòque ad ipſum ſpectet periculum rei mutuatæ, ut *l. Incendium, C. ſi cert. petat.* creditor, qui periculum in ſe ſuſcipit, videatur licitè poſſe aliquid accipere quaſi in compenſationem ſuſcepti periculi. Quoniam reſpondetur hunc nihilominus uſurarium cenſeri, cùm recipiat aliquid ultra ſortem; quod eſt contra naturam mutui, ut *cap. Conſuluit, & cap. Conqueſtus, ſupra eod.* & ſive pecuniæ ſors ſit perempta, ſive non, ſi emolumentum ultra ſortem accipiat, uſura eſt, quia nihil ex mutuo ſperare licet, *l. 14. quæſt. 3. per totam*, ita ſolvit gloſ. 1. *hic*, quæ optimè loquitur ſecundum Anton. de Butr. *num. 10.* ſed aliter, & fortè melius prædictam objectionem diluit Hoſtien. *in ſumma hoc tit. §. An aliquo caſu, verſ. Sed numquid pro traiectitia*, ubi hunc articulum latè proſequitur, & affirmat pecuniam trajectitiam eſſe uſurariam, quamvis creditor periculum ſubeat; idque probari ratione naturali,
quia aut recipiens juvat ſe uſu pecuniæ, aut non: ſi non 11
juvat ſe, iniquum eſt ut creditor ab eo lucrum exigat, quod non habuit, ſi juvat ſe: ergo dominium non remanet penes creditorem; quia conſumptione amittitur, & fit alterius, ut *l. Si alien. ff. de ſolut.* unde patet creditorem non debere lucrum recipere à debitore, qui re propria utitur, & cum ea lucratur: nam periculum, quod in ſe ſuſcipit creditor, in nihilo ipſum relevat, ſed potius oneratum relinquit: Imputet ergo ſibi ſi periculum in ſe ſuſcepit; ut ibi latiùs per Hoſtien.
Contrariam opinionem, videlicet nauticum fœnus nul- 12
lo jure improbari, amplectuntur communiter Theologi, quia quod in hac ſpecie ultra ſortem accipitur, non datur ratio-

Digitized by Google

ratione mutui, nec propter nudum intereſſe interuſurii
temporis, ſed propter juſtiſſimam cauſam, id eſt propter
periculum, quod in ſe ſuſcipit creditor contra naturam
mutui: ita S. Thom. *in tract. de uſur. opuſc. 73. quaeſt. 9.*
S. Antonin. *in 2. part. lib. 1. cap. 6. §. 21.* Conrad. *de contract.*
quaeſt. 39. concl. 1. Silveſt. alios adducens *in ver, Vſura 1.*
num. 35. Jo. Major. *in 4. ſentent. diſtinct. 15. quaeſt. 31.* &
Cajet. *in ſumma in ver. Vſura exterior, verſ. Duodecimus*
caſus, quos refert, & ſequitur Covar. *variar. reſol. lib. 3.*
cap. 2. num. 5. & ex Juriſperitis Jacob. Buttigar *ſupracit. in*
l. 1. C. de naut. fen. & Bald. *in l. 1. num. 33. verſ. Vel eſt ſu-*
ſceptio periculi, C. de Summa Trinit. dicens in nautico fœ-
nore non eſſe propriè uſuram, quia ibi non eſt lucrum, ſed
quædam recompenſatio debita hinc inde; & ita quotidie
fit Venetiis, Florentiæ, & alibi, ut hic atteſtatur Cardin.
num. 1. in 6. oppoſ.

13 Magnoperè tamen laborant præcitati Auctores, ut vi-
tent diſpoſitionem inſignis hujus Decretalis, quam pro-
pterea in varios ſenſus deducunt.

Primus intellectus eſt Adriani *in 4. ſentent. in tract. de*
Vſur. cap. Occurrunt, qui putavit hoc capitulum habere
locum in eo tantùm caſu, in quo pretium periculi, quod
in ſe ſuſcipit creditor, eſt injuſtum, & immoderatum:
tunc enim ultra ſortem accipitur id quod juſtum pretium
excedit, & hoc cauſa mutui; & ideò uſura eſt: ſecus verò
ſi pretium periculi ſit juſtum, ut etiam dicam infra *nu. 55.*
14 Verùm hic intellectus non conſonat litteræ ibi, *recepturus*
aliquid ultra ſortem: nam dictio *aliquid*, verificatur in qua-
libet minima re, juxta gloſ. in Clem. 1. *in ver. Aut earum*
aliqua parte, de foro compet. & hic notat Abb. *num. 2. verſ.*
Et nota benè quod textus dicit, aliquid, & Jo. Crotus *in 2.*
15 *notab. num. 7.* Unde ſecundum eos uſura committitur, ſi
aliquid quantumcumque modicum ultra ſortem exigatur.
Idem probatur in *cap. Plerique, 14. quaeſt. 3.* & ſuffragatur
illud, *Mutuum dantes nihil inde ſperantes, cap. Conſuluit ſu-*
16 *pra eod.* nam dictum, *nihil*, cùm ſit univerſalis negativa,
excludit quamcumque quantitatem, *l. Si is qui ducenta,*
§. Verum, ff. de reb. dub. Igitur ſive pretium periculi ſit modi-
cum, ſive magnum, in contractu mutui uſura eſt per hunc
textum.

Secundus intellectus eſt ejuſdem Adriani *in d. cap. Occur-*
runt, ad primum Caroli Molinei *de Contract. quaeſt. 3.* & So-
ti infra citandi *num. 46.* exiſtimantium hunc textum obti-
nere in eo caſu, in quo probabiliter nullum ſubeſt pericu-
lum, ſed ſolùm prætexitur à creditore, ut hoc colore quæ-
ſito ſit certus de lucro ultra ſortem convento. Sed eos me-
ritò refellit Covar. *d. cap. 2. num. 5. verſ. Primum equidem*;
quia textus loquitur de illo, qui mutuat pecuniam navi-
ganti. At nil tam capax fortuitorum, quàm mare, ut in-
quit Tacit. *Annal. lib. 14.* ideòque ſecundum Calder. *hic*
num. 2. verbum, *navigare*, in latiori ſignificatione ponitur
pro quolibet actu laborioſo, cùm ſæpè navigando labor, &
periculum immineat, *cap. Non turbetur, 24. quaeſt. 1. cap.*
17 *Adverſitas, 7. quaeſt. 1.* unde navigare dicitur qui uxorem
duxit, *cap. Nos novimus, 17. quaeſt. 2.* ubi gloſſa prima,
[Sicut navigans, inquit, ſubjicit ſe variis periculis, nec
proprio motu regitur, ſed ventis; ſic habens uxorem.]
18 Tertius denique intellectus eſt illorum, qui ſic diſtin-
guunt. Aut mutuans recipit aliquid ultra ſortem ratione
mutui tantùm, aliàs non mutuaturus, & eſt uſura, non
obſtante quod periculum ſortis in ſe ſuſcipiat; & in hoc
caſu loquitur hoc capitulum. Aut recipit partim ratione
mutui, & partim ratione periculi; & ſimiliter uſura eſt
quantum ad illud quod recipit ratione mutui. Aut de-
mum recipit ratione periculi tantùm, atque ut pretium
periculi; & ſic non eſt uſura: nam etſi non mutuaret, &
periculum navigantis vellet ſubire, licèt poſſet recipere
pretium periculi ſuſcepti: nec propter hoc quod ei inſer-
vit mutuando, efficitur deterioris conditionis: & hic
quidem intellectus à Theologis communiter approbatur,
ut inferiùs patebit; ſed tamen illud impugnat ſupplemen-
tum duplici motivo. Primò quia hoc cap. vult eſſe uſu-
ram, etiamſi quid ultra ſortem recipiatur ratione pericu-
li, ut ſonat littera ibi, *pro eo quod*. Verba enim textus ſic
ſe habent, *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mu-*
tuans pecuniæ quantitatem pro eo quod ſuſcipit in ſe pericu-
lum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſen-
dus. Deinde quia ſi haberetur reſpectus ad mutuum, nul-
lum fuiſſet dubium: & ſic lex lata eſſet ſuper indubita-
bili, quod eſſe non debet, quia eſſet ſuperflua; ad hoc
l. Quod Labeo, & ibi gloſ. 1. *ff. de Carbon. ed c.* ſed eum
mordet Silveſt. quod non benè intellexerit textum; quia
verba illa, *pro eo quod* non denotant cauſam receptionis
lucri ultra ſortem, ſed cauſam mutuandi; & ſecundum
hoc poni debet coma poſt verbum, *ſuſcipit*, non autem
poſt verbum *quantitatem*. Cenſetur autem creditor mo- 19
veri ratione mutui, quando vult, & paciſcitur ut ſortis
periculum omninò ad ſe pertineat, aliàs non mutuaturus:
& ſic ex mutuo vult conſequi lucrum non quidem imme-
diatè, ſed mediante ſuſceptione periculi; quod uſurarium
eſt: & ita hunc textum intelligunt S. Antonin. *in 2. part.*
lib. 1. tit. 1. cap. 6. §. 21. Silveſt. alios adducens *in ver. Vſu-*
ra, 1. num. 35. Conrad. *de contract. concluſ. 1.* Jo. Major. *in*
4. ſent. diſt. 15. quaeſt. 31. & Cajet. *in ſumma in ver. Vſura*
exterior, verſ. Duodecimus caſus, & hunc ſenſum verè pro-
prium eſſe, ut frequentiori Theologorum judicio proba-
tum, atteſtatur Covar. *variar. reſol. lib. 2. cap. 2. num. 5.*
verſ. Secundo. Quando autem mutuans ſuſcipit in ſe pe- 20
riculum pecuniæ mutuatæ, & ſimpliciter recipit aliquid ul-
tra ſortem, non exprimens an id recipiat ratione periculi,
an ratione mutui; Canon vehementer præſumit eum re-
cipere propter mutuum, & ſuſceptionem periculi adhibi-
tam eſſe ad palliandam uſuram, ad quam quidem pallia-
tionem de medio tollendam ſub colore periculi ſuſcepti
emanavit hæc Decretalis; ſecùs verò ſi mutuans exprimat
ſe emolumentum accipere propter periculum, quod in ſe
ſuſcipit; quia tunc contractus non eſt uſurarius, ut per
Valaſc. *conſ. 18. num. 4.* & alios complures hic congeſtos à
modernis Collectoribus.

Quid dicendum? Ego ad conciliandas opiniones puto ſic 21
diſtinguendum: Aut quæritur an ejuſmodi contractus cen-
ſeatur uſurarius in foro externo, & quantum ad judicium
Eccleſiæ: Aut quæritur an ſit uſurarius in foro animæ, &
quoad Deum. In primo caſo exiſtimo contractum judicari
uſurarium, & ita procedere opinionem Canoniſtarum;
quia cùm creditor recipit in ſe periculum rei mutuatæ, &
aliquid accipit ultra ſortem, Eccleſia judicat principale
objectum illius eſſe lucrum ex mutuo, ita ut non ſit au-
diendus ſi dicat ſe non recipere ratione mutui, ſed ſolùm
ratione periculi: quia cum hoc conſiſtat in intentione, non
pertinet ad judicium Eccleſiæ, quæ non judicat de occultis,
cap. Sicut tuis, in fin. & ibi gloſ. *ult. & cap. Tua, de ſimon.*
& cap. 1. Vt Eccleſ. benefic. Talis enim intentio, ut inquit
Jo. Andr. *in cap. Nobis, num. 5. de ſimon.* non video quo-
modo probari poſſit niſi per ipſum, cui tamquam ſoli cri-
minoſo, & in facto ſuo deponenti non eſt credendum; alio-
quin cuique facile eſſet dicere; Ego fuiſſem aliàs mutuatu-
rus; occulta enim, & incognita illi ſoli ſunt relinquenda,
qui ſolus novit corda fidelium hominum, *cap. Conſuluiſti,*
2. quaeſt. 5. Et eſt ſimile in ſimonia: nam ſi pecunia promiſ- 22
ſa, vel data interveniat, non audiuntur electores ſi dicant
ſe non fuiſſe motos ad eligendum propter pecuniam, quia
aliàs electuri erant: ſed qualiſcumque fuerit eorum inten-
tio, electio judicatur ſimoniaca, ut firmat gloſ. 2. in *d. cap.*
Nobis, ſupra de ſimon. quam ibi ſequuntur Hoſtien. Joan.
Andr. Abb. & alii communiter, & videtur ſententia
D. Thom. *in 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.* Eodem igitur modo
non eſt audiendus creditor, qui dicit ſe non moveri ad emo-
lumentum ultra ſortem accipiendum ex cauſa mutui, quia
aliàs erat mutuaturus; ſed nihilominus uſurarius ab Eccle-
ſia judicatur qualiſcumque ſit ejus intentio: & propterea
text. non dixit, uſurarius eſt, ſed uſurarius eſt cenſendus:
quaſi ſenſerit non eſſe uſuram intrinſecè, & ex natura rei,
ſed uſuram reputari ab Eccleſia: nam cenſeri idem impor-
tat quod judicare, *l. Cenſere, ff. de verb. ſignific.* gloſ. in
Clem. 2. *in ver. Cenſemus, de probat.* Quod ſanè judicium
in eo videtur fundatum, quia ut plurimum creditores ſuſci-
piunt in ſe periculum ad palliandam pravam intentionem,
quam gerunt lucrandi ex pecunia mutuata, & ex his, quæ
plerumque accidunt jura conſtituuntur, *l. Nam ad ea, ff.*
de legib. & ſic non quia culpa ſit, ſed quia ſolet eſſe, ut in-
quit gloſ. *in cap. Præſentiam, in ver. Iſtam, 1. quaeſt. 1.* & eſt
ſimile in *cap. Mulier, 15. quaeſt. 1.*

Limitari tamen poſſet hoc primum membrum niſi ali- 23
quis primò mutuaret, & poſtea conveniret ut ad ſe pericu-
lum pertineret certa mercede ſibi conſtituta: tunc enim
non ex mutuo lucrum acciperet, ſed ut ajunt, pro aſſecura-
tione ſortis: ita Navar. *in Manual. cap. 17. num. 221.* alios

citans; & videtur ex mente Cardin. *hic num. 1. in 6. oppoſit.* ſed ego hoc admitterem, dummodo ejuſmodi actus non eſſent correſpectivi, quod ex brevitate temporis inter mutuum, & ſuſceptionem periculi, atque ex aliis circumſtantiis dijudicari facilè poteſt, ſecundum ea, quæ ſcribit Anchar. *in conſ. 434.* incip. *Ex narratis, num. 3. verſ. Præterea,* & Menoch. latiſſimè *de præſumpt. lib. 6. Præſumpt. 12. per ipſam, præſertim num. 28.* Alioquin levi negotio poſſet unuſquiſque prius mutuare, & paulò poſt periculum in ſe ſuſcipere, ut eluderet diſpoſitionem hujus textus: imò intervallum unius diei ſuſpicionem augeret, ut per Modern. Pariſien. *in tract. de uſur. num. 407.* & Menoch. *d. præſump. 12. num. 29.*

24 In ſecundo autem caſu, id eſt in foro animæ vera videtur Theologorum diſtinctio: nam ſi mutuans recipiat aliquid ultra ſortem ratione mutui, ſeu ea intentione ut lucretur ex mutuo, quamvis periculum in ſe ſuſcipiat, abſque dubio eſt uſura, quæ ſola voluntate committitur, *cap. Cum conſuluit, ſupra eodem*, gloſ. *in cap. Ex parte, el primo, in ver. Dimittere, de offic. Deleg.* Sed ſi verè non intendat lucrari ex mutuo, ſed tantummodo accipere per mercedem, ſeu pretium periculi, juxta text. *in l. Periculi, ff. de naut. fœn.* in foro interiori, & quantum ad Deum non eſt uſurarius. Itaque tota hæc res ab intentione diſtinguitur, & ſpecificatur, *cap. Cum voluntate, infra de ſent. excomm. l. Qui injuria, ff. de furt.* Facit text. *in cap. In Civitate, in fin. ſupra eodem.* In dubio autem cùm non diſtinguitur an lucrum recipiat ratione mutui, vel ratione periculi, cenſetur recipere ratione mutui; & ideò uſura eſt ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra *num. 20.* & ſic arbitror poſſe conciliari diſſidentes opiniones: quod nota.

25 Recenta Canoniſtarum opinione, eam declara primò ſecundum Innocen. *in princ.* Hoſtien. *num. 5.* Butr. *num. 7.* Cardin. *n. 4.* ut non procedat ſi navigans recipiat pecuniam ultra mare trajiciendam certo pretio ſibi conſtituto: nam ſive periculum in ſe ſuſcipiat, ſive non, uſura non eſt, quia ibi non eſt mutuum, ſed locatio operarum, vel invectionis, vel cuſtodiæ, quæ licita eſt, *l. Et ita de facto, & toto tit. ff. Naut. caup. ſtabul. l. In nave, l. Qui operas, l.*
26 *Qui mercedem, & l. ſeq. ff. Locati;* Secus verò ſi non detur pro mercede, ut vehat, ſed ut negotietur, quia hoc eſt mutuum. Unde quidquid accipitur ultra ſortem uſura eſt, cùm pecuniæ nullus ſit uſus, vel utilitas utendi, ut in illa
27 palea incip. *Ejiciens, 88. diſtin.* Ratio differentiæ eſt, quia locator retinet dominium rei locatæ, *l. Non enim, ff. Locati:* propter quod ad eum rei ſuæ pertinet periculum. At creditor non retinet dominium pecuniæ mutuatæ, ſed illud transfert in debitorem, cujus propterea eſt periculum, *l. 2. ff. Si cert. petat.* Præterea res locata uſu fit deterior, quod in mutuo non contingit. Non igitur mirum ſi locator ſalarium percipit, non autem mutuans. Ita Jo. Andr. *hic num. 11.* Butr. *num. 10. verſ. Ratio eſt,* ut Joan. de Anan. *n. 3. verſ. Et ex prædictis,* & conſentit S. Thom. *in 2. 2. quæſt. 78. art. 2. ad 5.*

28 Declara ſecundò Canoniſtarum opinionem, ut procedat in mutuo, prout loquitur hoc cap. non autem in contrahentibus ſocietatem, quorum unus ponit operam, alter pretium; quia ut inquit Bald. *in l. 1. num. 36. C. de Summa Trinit.* non eſt uſura, ſed diviſio lucri induſtrialis: & ſic licet, ut ait Goffred. communicantur commoda, & incommoda. Unde ponens pecuniam poteſt habere partem lucri, dummodo pecuniam periculo exponat, ita ut ſit particeps damni, & lucri, *cap. Plerique, 14. quæſt. 3.* So-
29 cietas enim eſt quædam fraternitas, ut *l. Verum primo reſponſo, ff. Pro ſocio;* & ita *hic* firmant Joan. Andr. *num. 3. in ver. Mutuans,* & Butr. *num. 6.* de quo latius per Calder. *in ſecunda quæſtione, n. 28.* & eſt ex mente D. Thomæ *loco citato.*

30 Secundò nota ex ſecunda parte textus uſurarium cenſeri eum, qui nunc emit rem minus quam valeat ob eam cauſam, quia differtur traditio rei emptæ, & nunc ſolvit pretium: Fingimus enim emptorem nunc mutuare venditori pretium rei, & accipere illud plus quam valebit tempore traditionis, niſi dubium ſit an res tunc temporis plus minuſve ſit valitura; tunc enim tam emptor, quàm ven-
31 ditor æqualiter commodum, & incommodum ex dilatione expectant, ut hic per gloſ. 2. & Abb. *num. 6.* Atque ita rationem dubii valet quod aliàs non valeret: de quo plenius dicetur infra *in 3. notab.*

Porrò in æſtimatione valoris conſiderari oportet id, 32
quod veriſimile eſt, ut innuit littera ibi, *veriſimiliter;* Ita ut ſi communiter traditionis tempore res pluris valitura eſſet, veluti ſi ſolvatur pretium tempore meſſium, ut menſura detur tibi in Paſchate, erit interuſurium ſecundum communem curſum, & morem omnium regionum, qui ſpectandus eſt, ut *l. 1. in princip. ff. de flumin.* Idemque dicendum ſi ematur ante meſſem frumentum tradendum in æſtate tam modico pretio; ut probabiliter plus ſit valiturum, & valere communiter conſueverit. Nec refert quod nonnunquam contingat oppoſitum; quandoquidem ad ea quæ rarò accidunt, jura non adaptantur, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Sed quod fit frequenter, id eſt plerumque, & reſpiciunt, & medentur, ut in Auth. *Ut ſine prohibit. §. Quia vero, coll. 1.* Ut ergo evitetur fraudis ſuſpicio, emat de tempore ad idem tempus in qualitate, puta de æſtate ad æſtatem, & de vere ad ver, vel ad tempus, in quo non lædat conſcientiam, vel in animarum judicio ad reſtitutionem judicetur, ut *cap. Conſuluit, ſupra eod.* Ita Hoſtien. *hic num. 6.* Joan. Andr. *eod. num. in ver. Veriſimiliter,* Butr. *num. 2. & 11.* Anchar. *in 4. & 5. notab.* Abb. *num. 10.* & alii communiter.

Tertiò nota ibi, *veriſimiliter dubitetur,* dubia in meliorem partem eſſe interpretanda: ad idem *cap. 2. infra de* 33
reg. jur. promptiores enim eſſe debemus ad abſolvendum, quàm ad condemnandum *cap. Ex litteris, ſupra de probat. & l. Arianus, ff. de act. & obligat.* & *hic* notat gloſ. 2. Verùm Hoſtien. *num. 9.* cui Cardin. *num. 2.* & cæteri conſentiunt, declarat hoc verum eſſe in judicio contentioſo, ut hic, & in juribus ſupracitatis, in quo non debet judex ſe certum reddere, ubi certus non eſt, nec dubitare ubi certus eſt, *cap. Cum contingat, §. penult. ſupra de reſcript.* in quo etiam quandoque relinquitur aliquis conſcientiæ ſuæ, ut *cap. Mulieri, ſupra de jurejur.* Secus in foro animæ, in quo ad vitandum ſalutis periculum in duriorem partem interpretamur: & ſic non obſtat *cap. Ad audientiam, §. 1. & cap. Significaſti, §. fin. de homicid. cap. In Civitate, §. fin. ſupra eod. cap. Illud infra, de Cler. excomm. miniſtran.* Eamdem diſtinctionem adhibuit gloſs. notab. *in cap. un. in ver. Aeſtimare, ſupra, de Scrutin.* & S. Thom. *in 2. 2. quæſt. 60. art. 4.* & ſcripſi plenius in *cap. Ne innitaris, à num. 137. uſque ad 147. ſup. de Conſtit.*

Ultimò nota ex tertia parte textus ad hoc ut contractus 34
ſit licitus, quando venditur res plus quàm valeat, & differtur ſolutio pretii in certum terminum, neceſſarium eſſe ut duo copulativè concurrant. Primum eſt, ut probabile dubium ſit an tempore ſolutionis pretii res empta plus, vel minus ſit valitura. Alterum eſt, ut venditor non eſſet aliàs venditurus tempore contractus. Si igitur certum ſit tempore ſolutionis pretii rem minus valituram fuiſſe, quàm tunc ille numerata pecunia vendidiſſet; eo caſu contractus uſurarius eſt cenſendus, ut hic probatur apertè: & hoc per rationem, quam tetigi ſupra in 2. *notab. num. 30.* & notat gloſſ. 2. Butr. *num. 11.* & Abb. *num. 7.*
Et talem, qui propter dilationem carius vendit, 35
quàm ſtatim ſoluto pretio fuiſſet venditurus, dicunt eſſe uſurarium mentalem, Hoſtien. *num. 22. in fin.* Joan. Andr. *num. 6. in ver. Tempore contractus,* & Anchar. *in 6. notab.*

QUÆRO, An contractus ſocietatis initæ ab aliquo Of- 36
ficiali Romanæ Curiæ ſuper officio ultra valorem gravato, contemplatione tamen alterius perſonæ recognoſcentis bonam fidem, & ſervantis eum indemnem, ſui natura illicitus ſit, atque uſurarius.

Pro opinione illorum, qui putant hunc contractum de- 37
fendi non poſſe ab uſuraria pravitate, adducitur illud præcipuum argumentum, quod ſocietas contrahi nequit ſuper re non exiſtente, *l. Verum, §. fin. ff. pro ſoc.* Sed ipſe officialis jam obligatos habet omnes officii fructus. Ergo ſibi amplius non licebit ſuper illis ſocietatem inire. Sublato enim fundamento, &c. *cap. Cum Paulus, 1. quæſt. 1. cap. Veniens, infra de Presbyt. non baptiz.* Ita Lelius Zecchius *in tract. de uſur. cap. 7. de ſocietate, num. 10. verſ. Notandum, col. fin.* Jo. Baptiſt. Conrades *in ſuis reſponſis Caſuum Conſcientialium, num. 255. col. 5. verſ. Si non concedam,* & Rota *deciſ. 287. num. 1. part. 4. diverſ.* ubi in terminis reſolvit ſocietatem officiorum ſuper officio ultra valorem gravatam non ſuſtineri ob eam rationem, quia ubi deficit ſubjectum, ſuper quo ſubſiſtat contractus, in vim

ſocie-

58 ſocietatis valere non poteſt, & neceſſe eſt, ut reſolvatur in
mutuum, *& deciſ. 552. num. 3. 5. 6. part. 1. recent.* ubi deci-
dit ſocietatem officii ſine officio ſuper ſolo periculo vitæ
conſtitui non poſſe, quia deficit ſubjectum communicati-
vum aptum reddere lucrum, & damnum, ut eſt neceſſa-
rium in ſocietate ex *d. l. Verum, §. fin. ff. pro ſoc.* & ex aliis
authoritatibus ibi allegatis.
39 Quibus tamen non obſtantibus videtur reſponden-
dum contractum, circumſcripta Eccleſiæ prohibitione,
ex ſe licitum eſſe, & ſui natura ab uſurario crimine longè
abeſſe.
Primò, quia uſura non cadit niſi ubi mutuum verum,
vel fictum intercedit, *cap. 1. 4. quæſt. 3.* Abb. *conſ. 114. At-
tingendo, num. 1. part. 2. & conſ. 15. Quæritur, num. 2. part. 1.*
notant Canoniſtæ in rubrica, *& in cap. Conqueſtus, ſupra
eodem*, & Legiſtæ *in l. 2. §. Creditum*, ubi Dec. *in 3. notab.
ff. Si cert. petat.* & colligitur ex ipſa uſuræ diffinitione.
40 Dicitur enim eſſe lucrum ex mutuo, vel quaſi mutuo, Sot.
lib. 3. de juſt. & iur. quæſt. 1. art. 1. Covar. *lib. 3. variar. reſo-
lut. cap. 3.* Conrad. *de contract. tract. 2. quæſt. 21.* Sed hic nul-
la veri, aut ficti mutui ſubeſt ratio. Ergo, &c. Mutuum
41 verò in hoc contractu non intervenire oſtendunt verba
ipſa, quæ in contractum ſocietatis, non in contractum
mutui ſonant, *l. Si quis ſtipulatus*, ibi, *reſpiciendus erit
ſermo ſtipulationis, ff. de verbor. obligat. l. fin.* & ibi gloſs.
in ver. Proclivior, ff. de condit. cauſ. dat. Contractus enim
præſumitur qualis ex figura apparet, Bart. *in cap. 1. in princ.
de feud. dat. contra | vic. leg. commiſſ.* & in ſpecie contra-
ctum ſocietatis fuiſſe initum ſi verba ſonent in ſocietatem,
plenè conſuluit Curt. ſen. *conſ. 52.* incip. *Super art. num. 2.*
42 Itaque mutuum verum dicitur ubi partes expreſsè de
mutuo agunt, & tunc uſuram veram committunt, cùm
aliquid ultra ſortem ex pacto, & conventione recipiunt,
juxta *l. Rogaſti, §. Si tibi, ff. Si cert. petat.* de hoc mutuo
loquitur Pontifex *in cap. Inter dilectos, de exceſſ. Prælat.
in princ.* dicens uſurarium eſſe illum qui in ludo alteri mu-
tuavit undecim pro duodecim; quo exemplo utitur Bero.
conſ. 207. n. 51. vol. 5. ad oſtendendam differentiam, quæ
inter mutuum uſurarium verum, & mutuum uſurarium
43 palliatum intercedit. Quod verò neque mutuum fictum,
aut palliatum in hoc contractu conſiderari poſſit: patet,
quia de ratione mutui tam veri, quàm palliati eſt, ut mu-
tuatarius omne damnum rei mutuatæ, & omne pericu-
lum ſubeat, & in omni caſu ad illam mutuanti reſtituen-
dam teneatur, *l. Incendium, ff. Si cert. pet. §. Item ſecus,
Inſtit. quib. mod. toll. oblig.* Angel. *in Summa ver. Mutuum*,
latiſſimè Conrad. *de contract. tract. 2. quæſt. 33. in fin. 2.
ſuppoſitionis, & quæſt. 34. concl. 1.* ubi pluribus comprobat
ad ſubſtantiam mutui pertinere, ut mutuatarius ſemper
obligatus remaneat ad ſortis reſtitutionem, *& deciſ. 552.
num. 7. part. 1. recent.* ubi propterea decidit cenſum vitali-
tium, in quo datur pecunia, ut perpetuò ſit apud reci-
44 pientem, ſortiri naturam emptionis. In hoc autem con-
tractu ſocietatis officii, pecunia non fit recipientis, ſed
remaneat ſolventis ſub ſolo periculo amiſſionis in caſu
mortis, ut dixit Rota *d. deciſ. 552. num. 8.* & recipiens
ſpem probabilem habet illam lucrandi, & facilè poteſt for-
tunæ beneficio ab onere reſtitutionis ſe liberare. Ergo
certum eſt ne palliatum quidem mutuum hic interveni-
re; quandoquidem hujus contractus forma, quæ in hu-
juſmodi conventione conſiſtit à forma contractus mutui
maximè differt.
45 Præterea ut mutuo palliato, & interpretativo ſit locus,
neceſſe eſt, ut quod ſperant contrahentes, ſperens, & ex-
pectent ex curſu, & interuſurio temporis, aut certè aliun-
de expectare non poſſint. Exemplum eſt clariſſimum in
hac Decretali *in 2. reſponſ.* ubi mercatores, qui cariùs ven-
dunt merces credita pecunia, uſuræ labe infecti cenſentur.
Quamvis enim contractus venditionis ſui natura careat
omni ſuſpicione uſuræ; quia tamen id quod ultra juſtum
pretium recipiunt mercatores, non aliunde ſperant, quàm
ex dilata ſolutione, nec aliunde provenit, quàm ex cur-
ſu, & lapſu temporis: meritò judicatur ab Eccleſia mu-
tuum palliatum nomine emptionis, & venditionis. Ita
46 in terminis declarat Abb. *conſ. 5. Omiſſis argumentis, n. 3.
part. 1.* Ideòque gloſ. *ult. in cap. Conſuluit, ſupra eod. circa
med.* ubi idem exemplum habemus dicit ob depravatam
intentionem contrahentium uſurarium exiſtimari contra-
47 ctum, qui ex ſui forma uſurarius non eſt. Item gloſ. *hic in
verb. Venditores*, ubi etiam Abb. *num. 2.* docet mercatores
cariùs vendentes ob dilatam pretii ſolutionem de uſura
damnari, quia fraudem habent in mente. Hinc etiam
Hieronymus Gabriel *conſil. 156. num. 26. & 35. vol. 2.* ſcri-
pſit uſuram palliatam locum habere non poſſe ceſſante de-
pravata intentione contrahentium. Verum quod in caſu
noſtro a contrahentibus accipitur, vel expectatur ubi gra-
vatum eſt officium non accipitur, neque expectatur ex di-
lata ſolutione ob pecuniæ uſum propter curſum, & lapſum
temporis, ſed propter illud grave periculum, quod ſubeunt
amittendi ſortem; nec habent animum depravatum, &
voluntatem corruptam. Ergo nulla prorſus mutui ſpecies
hic eſſe videtur, ut ſæpiſſimè firmavit Rota, & præſertim
deciſ. 291. num. 4. & deciſ. 336. num. 5. ubi aliæ deciſiones
referuntur, *part. 4. diverſor.*
Hoc dictum ex eo licet confirmare, quod uſura menta- 48
lis eſt per objectum perpendenda, ita ut tunc demum com-
mitti dicatur, quando quis ex mutuo lucrum ſperat: ſecus
verò ſi non ratione mutui, ſed ex alia juſta, atque legitima
cauſa; quia tunc non eſt uſura ſive ſecundariò, ſive prin-
cipaliter ſperet lucrum: ita Sot. *lib. 6. de juſt. & iur. quæſt. 1.
art. 2. col. 3. circa fin.*
Cùm itaque contrahentes ſocietatem ſuper officiis etiam 49
gravatis ultra valorem fructus ſibi promiſſos accipiant non
ex vi mutui, ſed ob pecuniæ periculum ſuaptè natura æſti-
mabile, ut *l. Periculi, ff. de naut. fœnor.* utique dici non
debent uſuraria labe coinquinati, etiamſi eorum mens in
contrahendo ad lucrum principaliter dirigatur; præſertim
cùm periculum ſit tale ut hoc pretio, & recompenſatione
dignum judicetur.
Quod probatur primò authoritate Soti *lib. 6. de juſt. &* 50
iur. quæſt. 6. art. 2. ad fin. ubi de hujuſmodi ſocietatibus ver-
ba faciens, [periculum, inquit, quod centum conferens
ſubit, ut ſi tempore durantis ſocietatis moriatur, illa amit-
tat, æſtimabile eſt pecunia, atque adeo ſicut in ludo, & in
aliis itidem fortuitis fieri conſuevit, juſtè videntur pro il-
lo periculo centum recipi ſex pro quolibet ſemeſtri,] Hæc
ille.
Secundò, quia homines prudentes, ac timoratæ con- 51
ſcientiæ juſtum putant recipere ſex pro centenario ſexto
quoque menſe ratione illius periculi; & hoc pretium con-
ſuetudo longiſſimi temporis cum ſuperiorum tolerantia
hucuſque approbavit: ex his namque ſumitur pretii juſti-
tia, ut tradunt Doctores in *l. Pretia rerum, ff. ad l. Falcid.
& in cap. 1. de empt. & vendit.* & ex multis Conrad. *de con-
tract. quæſt. 56. & quæſt. 89.*
Tertiò, quia ubi contrahentes ob dubiam ſpem dubium- 52
que eventum potentiam habent ad plus, & minus, ad
damnum, & lucrum, nulla inter eos inæqualitas, nulla
injuſtitia conſiderari poteſt, argum. *l. Si oleo*, ubi Bald. &
Salyc. *& l. Si pactione, C. de uſur.* & patet ex dictis ſupra
num. 28. Quis autem non videat in hoc contractu accipien-
tem pecunias habere ſpem non minus probabilem lucran-
di ſortem, quàm dantem lucrandi fructus, cùm mors cer-
tiſſima ſit, tempus verò mortis adeò incertum, ut non abſ- 53
que ratione caſus mortis inter alios fortuitos computetur,
l. fin. in princip. C. de iure dot. Bald. *in l. 1. in fin. C. Qui non
poſſ. ad libert. perven.* unde Rota coram Gregor. XV. *de-
ciſ. 107. n. 4.* dixit in ſocietate officiorum ceſſare omnem ſu-
ſpicionem uſurarum propter incertitudinem vitæ, ex tradi-
tis per Roman. *conſ. 302. num. 3.* & Dec. *in l. fin. num. 4. C.
de tranſact.*
Quartò, & ultimò, ut alia omittamus, quia juſtitia ſo- 54
cietatis contractæ intra valorem officii ab hoc periculo de-
pendet; propterea eo caſu putatur licere ſocio accipere
duodecim pro centenario ſingulis annis, quia hoc æſtima-
tur juſtum pretium illius periculi amittendi cenſum. Ita
fatentur omnes uno ore hac de re tractantes, præcipuè
autem Caſtrac. *cap. 8. num. 2. cap. 42. & 48. num. 1.* quibus in
locis apertè teſtatur jus percipiendi fructus, quod habet pe-
cuniam tradens, fundatum eſſe in periculo illam perdendi;
atque ideò tali periculo ceſſante veluti cauſa, ceſſare &
ipſum jus fructus percipiendi: quinimo Navar. *conſ. 29. Ex-
cellentiſſime Domine, in tit. de uſur.* aſſerit fructus in hoc
contractu juſtè recipi non ratione ſocietatis, ſed ratione
periculi, quod ſubit ſocius in utilitatem officialis: quod
videtur etiam ſenſiſſe Rota *deciſ. 742. num. 1. & deciſ. 763.
num. 3. part. 1. diverſ.* & Oldrad. *conſ. 207. Univerſis, nu. 6.
& per tot.* Sed qui ſocietatem ſuper officio gravato contra-

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Digitized by Google

hunt, eidem, ac fortaſſe etiam majori ſe exponunt periculo, ut ex ſe patet. Ergo eoſdem etiam fructus pro illius periculi pretio accipere poterunt: nam quod fructus officii extent, vel non extent, non efficit majus, vel minus juſtum, vel injuſtum talis periculi pretium.

Nec quidquam obſtat, quod qui contrariam tenet opinionem reſpondeant fructibus officii non extantibus contractum hunc ad mutuum reduci, in quo periculum rei mutuatæ, quod mutuans in ſe ſuſcipit, illum non excuſat ab uſura, ut videtur eſſe textus inſignis in hoc *cap. Naviganti*, & tradit Navar. *in Manual. cap.* 17. *num.* 221. *&* 284. Quare hoc caſu periculum non erit habendum in conſideratione.

55 Reliquum non obſtat, primò quia non deſunt graves viri, qui uſurariam non exiſtimant mutui dationem ea lege factam, ut mutuatarius cogatur ſolvere mutuanti pretium periculi rei mutuatæ quod in ſe ſuſcipere vult, dummodo tamen juſtum pretium ſit, ac legitimum: & inter hos præcipuus eſt Adrianus *in* 4. *ſent. tract. de uſur. in cap. Occurrunt*, cujus ſententia adjuvari videtur ex doctrina Baldi *in l. Rogaſti*, §. *Si tibi*, *col.* 2. *ff. Si cert. pet.* & Jo. Lup. *in cap. Per veſtras*, *de donat. inter vir. & uxor.* §. *ult. num.* 39. qui committere uſuram non credunt civem, qui ruſtico certam pecuniæ quantitatem mutuat, ut ſuos agros

56 juſta mercede colat. Et ad hunc textum prædicti Doctores reſpondent maximè verò Adrianus *loco citato*, procedere ubi periculum non eſt verum, ac reale, ſed fictum, ac ſimulatum in fraudem uſurarum. Hunc intellectum probat Sot. *lib.* 6. *de juſt. & jur. quæſt.* 4. *art.* 2. Quis autem dixerit periculum perdendi capitale, quod in ſe ſuſcipit tradens pecunias, ſimulatum eſſe, cùm oculis quodammodo cernatur, & quaſi manibus tangatur? hunc tamen intellectum confutavi ſuprà *n.* 27.

Reſpondet præterea idem Adrian. ubi ſupra hujus textus diſpoſitionem non habere locum niſi quando injuſtum eſt periculi pretium. In caſu autem noſtro juſtum ſupponimus, ut jam in ſuperioribus probavimus.

57 Sed quia neque hujuſmodi interpretatio conſonat literæ hujus capi. ut dixi ſuprà *num.* 14. & doctrina Adriani, & ſequacium, de quibus ſuprà *num.* 55. communiter reprobatur teſte Covar. *lib.* 3. *variar. reſolut. cap.* 2. *num.* 5. *verſ. Tertio*, & contra illum valdè urgent rationes per eum ponderatæ. Ideò tertiò loco reſponderi poteſt hujus textus deciſionem fundatam eſſe in præſumptione, ut colligitur ex verbis textus ibi, *Uſurarius eſt cenſendus:* id eſt præſumendus, ut interpretatur Navarr. *in Manuali cap.* 17. *num.* 284. hunc intellectum recipit Conrad. *de contract. quæſt.* 39. *col.* 4. *verſ. Secundo*, *&c.* Ad quod vide quod dixi ſuprà *num.* 22. quare cùm nos loquamur de foro interiori conſcientiæ, in quo veritas rejectis præſumptionibus attenditur, ut per Feder. de Sen. *conſ.* 21. *n.* 2. *verſ. Preterea lex ſeu forum conſcientia*, non eſt cur de ejus deciſione laboremus.

58 Sed quatenus hic quoque intellectus aliquam pateretur difficultatem quarto loco, & fortè melius, quod ſpectat ad rem præſentem, reſpondetur hunc textum intelligendum eſſe de mutuo vero habente propriam formam contractus mutui, concurrente depravata, ac perverſa mutuantis voluntate, ut unuſquiſque cognoſcere facilè poterit, ſi verba textus diligenter legat, & illorum etiam, qui communem intellectum tuentur, loquendi modum accuratè perpendat. *Naviganti*, inquit Gregorius IX. *vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem*, *&c.* verba ſunt illam, apertèque mutuum demonſtrant. Non procedit ergo in alio contractu, qui mutui ſpeciem ac formam non præfefert, ſed ad aliud genus contractus à mutuo diverſum reduci poſſit, licèt certum ac proprium illius nomen non habeamus. Sed contractus, de quo agitur, non eſt mutuum habita ratione illius formæ, ut ſuprà probatum eſt *num.* 41. neque contrahentes vitiatam habent intentionem, cùm bona fide contractum licitum celebrare ſibi perſuadeant, ut pro certo ſupponimus. Ergo periculum in caſu noſtro excuſare optimè poterit ab uſuraria pravitate.

59 Quæ diſtinctio confirmatur etiam ex his, quæ tradit Navar. *conſil.* 23. *Reſpondimus*, *de uſur. lib.* 5. Nam in principio dicit non committere uſuram illum, qui dat centum mercatori in Syriam ducere volenti navem mercibus onuſtam ea lege, ut percant illa ſi navis pereat, ſi verò ſalva revertatur, reddantur ſibi centum: & quia contrarium videtur tenere in ſuo *Manuali cap.* 17. *num.* 284. ut ſe eximat ab illa contradictione declarat ea, quæ habentur in Manuali, procedere in mutuo; quæ verò tradit in dict. conſ. locum habere in contractu innominato, per quem datur aliquid alteri ob periculum ſubeundum, neque valere argumentum à contractu mutui, qui debet eſſe gratuitus ad alios contractus non gratuitos, quam autem differentiam conſiderare poſſumus inter unum contractum, de quo in Manuali, & alterum de quo in conſil. niſi dicamus eam eſſe, ut contractus, de quo in manuali, habeat veram mutui formam, & ibi de mutuo agatur ex mente contrahentium; alter verò careat forma mutui, & in eo mens contrahentium ad mutuum non referatur, quod clariùs apparebit, ſi eumdem Navarrum adeamus in conſil. 29. *Excellentiſſime Domine*, *num.* 4. *verſ. Tertio quæro*, *eodem tit. de uſur.* ubi juſtam dicit conſuetudinem 60
in Gallia Belgica receptam, ut quis det alteri centum cum pactione reddendi ducenta ſi poſt duos annos uxorem accipiens, viſa Roma in patriam revertatur, vel tradat alicui certum quid cum pacto duplum reſtituendi ſi uxorem ducat, vel ad Presbyterii gradum aſcendat: & juſtitiam 61
conſuetudinis fundat in periculo, cui ſe exponit tradens pecuniam: quod quidem periculum, ut ait Navar. efficit ut liceat mutuare alicui ea lege, ut ſi moriatur intra ſex annos, nihil mutuanti reſtituatur, ſi vivat ſex annos, reddantur illa, & centum pro milliario, quæ profectò pugnare omninò videntur cum iis, quæ in *Manual.* ſcripta reliquit *d. cap.* 17. *num.* 222. Ibi enim qui mutuat, inquit, cum pacto ut ſi mutuatarius infra certum tempus moriatur, ſit liber, ſi vivat, duplum reddat, uſuram committit. Ut ergo vindicemus Navarrum ab hac apparenti con- 62
tradictione, dicamus in manuali eum loqui de vero, & proprio mutuo, ac mutui formam habente: in citato verò conſil. de contractu à forma mutui longè diverſo, de contractu ſcilicet innominato donationis ſub modo, vel dationis pecuniæ ad aliquem uſum ſub periculo amittendi eam in aliquo caſu dubio ſi perierit, & accipiendi aliquid ultra ſortem ſi ſalva fuerit. Nemo autem videt contractum, de quo dubitamus, ſublato fundamento fructuum ex officio manantium induere formam, ac ſpeciem contractus innominati, argum. *l.* 2. *cum tribus ſeqq. ff. præſcript. verbis.* Quare adhuc licitus, & juſtus erit; nemo enim cogitur pecuniam ſuam alteri gratis concedere, ſed poteſt petere, ac recipere honeſtum pretium eorum, quæ dat, vel concedit per tales contractus innominatos legitimos non gratuitos, ut per Navar. *in præcit. conſ.* 23. *de Uſur.*

Secundum, ac ultimum principale fundamentum pro 63
hac opinione, aliis prætermiſſis, eſſe videtur, quod etſi officialis, qui officium obligavit pro quantitate totius valoris, nullos amplius habeat fructus ex officio; tamen negari non poteſt quin habeat penſiones, ut ita loquar, & fructus, qui ſibi debentur ab illis, in quorum favorem ſocietates contraxit, cùm illi accipientes pecuniam pro ſuis uſibus, atque neceſſitatibus, ab officiali recognoſcant bonam fidem, eumque indemnem ſervare promittant obligando ſe ad reſtituendos omnes, & quoſcumque fructus, quos idem officialis illorum cauſa tradenti pecuniam perſolveret; nihil autem impedit quominus officialis contrahere poſſit ſocietatem ſuper hujuſmodi fructibus, in quibus non minus jura habere intelligitur, quàm in fructibus officii non obligati: neque enim aſſignari poteſt concludens ratio diverſitatis. Cùm itaque fructibus officii non extantibus contractus poſſit nihilominus habere verum ac ſolidum fundamentum à parte rei, non debemus illum, tanquam uſurarium, & illicitum condemnare, ſi nullus adſit dolus, & omnis abſit fraus reſpectu contrahentium, ut nos ſupponimus.

Qui contrariam ſententiam tuentur, prædicta funda- 64
menta conantur evertere hac ratione, quia etſi contractus fieri poſſit cum officiali habente officium gravatum in vim ſponſionis, dationis pecuniæ cum periculo, vel etiam in vim contractus ſocietatis habita ratione fructuum, quibus ſibi reſpondent perſonæ recognoſcentes bonam fidem: attamen in caſu noſtro cum ineuntes ſocietatem eorum contractum hoc nomine ſocietatis officii agant, nec cogitando quidem de hujuſmodi modis contrahendi, qui poſſunt admitti gravato etiam officio; utique

ſition

ſi non valet ut agitur, neq; etiam valere debet ut valere poſſet, ad reg. *l.* 1. §. *Si quis ita*, & ibi Bart. *num.* 2. *ff. de verb. obl. & l. Non codicillum*, ubi Alex. *in princ. C. de teſtam.*

65 Pro ſolutione hujus argumenti quod attinet ad nomen, quod contractui dederunt contrahentes parum eſt laborandum, cùm non à nomine, ſed à pactis, conventionibus, & circumſtantiis, quas ſortitus eſt, qualitatem ſumat, & naturam, ut optimè Conrad. *de Contract. quaſt.* 33. *in* 2. *&* 3. *ſuppoſit.* ubi ſexcentis exemplis, & auctoritatibus probat non valere hanc conſequentiam; contractus talis vocatur à contrahentibus; ergo talis eſt judicandus. Præterquam quod huic contractui noſtro etiam remoto officii fundamento convenit nomen ſocietatis reſpectu fructuum, qui ſibi ab illis debentur, quorum favore officium obligavit, ut ſupra tetigimus *num.* 63. & infra probavimus.

Quod verò dicitur contrahentes in coeunda ſocietate ne cogitaſſe quidem de hujuſmodi contractibus innominatis, qui gravato etiam officio liciti cenſentur; admittimus eos expreſsè, & ſpecificè non cogitaſſe de alia contractus ſpecie diverſa à ſocietate officii: negamus tamen eoſdem ſaltem implicitè virtualiter, & in genere mentem non direxiſſe ad hujuſmodi etiam contractus: eo enim ipſo quod celebrare intellexerunt contractum talibus circumſtantiis indutum, & actum validum gerere, ſimul etiam tacitè voluerunt contractum juſtum bona fide inire: nam contractus talibus concurrentibus circumſtantiis in aliam ſpeciem contractus tranſire videtur, nec poteſt valere, aut juſtus eſſe niſi ut eſt reducibilis ad hujuſmodi contractus innominatos. Quare ex præſumpta, & veriſimili mente contrahentium ſuſtineri debet, ad gloſs. *ultim. in fin.* communiter approbatam in *leg. Tale pactum*, §. *fin. ff. de pact.* Ita in ſimili caſu reſpondet Conrad *de Contract. queſt.* 34. *poſt tertiam concluſionem in tertio argum.*

66 Neque obſtat reg. *d.* §. *Si quis ita*, nam in primis animadverto hanc regulam eſſe brocardicam, imò contrariam regulam eſſe longè univerſaliorem, ita ut reſpectu illius hic §. Dici poſſit exceptio potius ad regulam, quam regula, ut ibi tradit Jaſ. *num.* 21. nam ut inquit Abb. *conſil.* 67. *In cauſa qua vertitur*, *col.* 2. *num.* 2. *verſ. Nec obſtat ſi dicatur*, *part.* 2. In dubio quis videtur facere actum omni meliori modo, quo poteſt, ſequitur Roland. à Valle *conſil.* 67. *num.* 13. *cum ſeqq. volum.* 1. Quare contrariæ regulæ ſtandum erit quamdiu non probetur exceptio, ad Bart. *in l.* 2. *ff. Si quis in ius vocat. DD. in rubr. ff. de reg. iur. & in l. Omnis definitio*, *eodem tit.* Præterea quatenus etiam pro regula habendum eſſet, ut quoties actus non valet eo modo, quo agitur, nec valeat ut valere poteſt: Reſpondeo hujuſmodi regulam inter alias multas præcipuè duas recipere declarationes, quæ maximè conferunt ad rem noſtram. Prima eſt, ut procedat in caſu, in quo contrahentes ſciebant actum eo modo geſtum non valere, ut declarat Raph. Cumanus, quem refert, ut ſequitur Alexand. *in cit.* §. *Si quis ita*, *num.* 8. Tunc enim præſumitur facere velle actum eluſorium, argum. *l. Non ſolum*, *ff. de act. & obligat.* Secus verò ubi contrahentes id probabiliter ignorabant, ut in caſu propoſito: nam tunc ceſſat præſumptio actus eluſorii, & ſuccedit alia præſumptio pro actus validitate, quæ tanquam potentior, ac firmior, alias omnes elidit, argum. *l. Divus*, *ff. de integr. reſtit. mi-*

67 *nor.* Secunda regulæ declaratio eſt, ut non habeat locum quando actus juramento fuit confirmatus: ea enim eſt potentia juramenti, ut faciat actum valere omni meliori modo, quo poteſt, Barthol. Alexand. & Jaſ. *in dict.* §. *Si quis ita*, tradunt Doctores *in l. Cum pater*, §. *Filius matrem*, *ff. de legat.* 2. Covar. 2. *parte relect.* §. 6. *col.* 2. *verſ. Decimatertia*, *ante num.* 2. ubi de communi teſtatur; quod procedit etiam ſi actus eo modo, quo geſtus eſt, nullus ſit ex defectu formæ, Honded. *conſil.* 307. *num.* 41. Cùm itaque contrahentes ex inveterata jam conſuetudine in hoc contractu juramentum adhibere ſoleant, virtute hujus Sacramenti ſuſtineri debet eo modo, quo valere poteſt;

68 præſertim cùm agatur de evitando uſuræ crimine, eaque ſemper ſit facienda interpretatio, ut contractus neque uſurarius, neque injuſtus judicetur, Hieronym. Gabr. *conſ.* 168. *quaſt.* 6. *num.* 12. *lib.* 1. *& conſ.* 156. *num.* 3. *vol.* 2. Bero. *conſ.* 169. *num.* 19. *vol.* 1.

His accedat, quod homines per ſe, & non per interpoſitas perſonas, non clam, ſed palam celebrarunt hujuſmodi contractum ſpacio longiſſimi temporis, idque fecerunt tolerantibus Superioribus tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus. Tales contractus communi hominum opinione habiti ſunt pro juſtis, & licitis; ab omnibus indifferenter celebrati fuere, à doctis, gravibus, & prudentibus viris timorataque conſcientiæ; Confeſſarii nunquam contrahentibus abſolutionem ſacramentalem denegarunt; imò ne admonuerunt quidem umquam de injuſtitia horum contractuum; ſæpè, ac ſæpius accidit, ut accipientes pecunias ſuper officio gravato ingentem illarum ſummam lucrati ſint per mortem dantis, vel illius qui ab eo fuerat nominatus. Hæc ſanè omnia ſuadent ut contractus initus ſuper officio gravato ſi non valet jure ſocietatis, ſuſtineatur eo modo, quo valere poteſt ſaltem ex æquitate, quæ in foro interiori maximè attendi ſolet. Præſertim quia contrahentes ſi ſciviſſent illicitam eſſe ſocietatem ſuper officio gravato contractam libenter confugiſſent ad officium non gravatum, cùm ex hoc, quod officium ſit gravatum nihil commodi atque utilitatis ad eos redundare poſſit; quare iniquum videtur ut decepti authoritate conſuetudinis à Superioribus non improbatæ ſine culpa ſentiant hoc graviſſimum damnum reſtitutionis fructuum perceptorum, ad quam tenentur ſi contractus eſt uſurarius, ut *cap. Cum tu*, *ſupra eod. cum ſimilib.* Et certè cum Superiores tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares hunc contractum in Urbe, & ubique locorum ſcienter toleraverint à tempore ferè immemorabili uſque ad hanc diem, pium eſt credere id eos feciſſe, quia viderunt, ac prudenter conſiderarunt talem contractum concurrente bona fide contrahentium fieri abſque peccato, & juſtè ſuſtineri poſſe, cùm à parte rei inveniatur modus illum juſtificandi per reductionem ad contractum innominatum dationis pecuniæ cum periculo futuri eventus; vel certè ad contractum ſocietatis initæ ſuper fructibus officiali debitis ab illis, in quorum gratiam officium obligatur: & ad hanc fortaſſe faciliùs redigetur, cùm majorem habeat cognationem, & affinitatem cum ſocietate ipſa contracta ſuper fructibus officii, & in habentibus ſymbolum facilior ſit tranſitus, *l. Item veniunt*, §. *Cum prædiximus*, *ff. de pet. hered. cum vulg.* Et talis contractus quamvis initus ſuper fructibus 69 aliunde quæſitus, quàm ex officio, adhuc tamen congruè retinebit nomen ſocietatis officii. Primò ob originem, quam habuit, quia ortum duxit ab illo contractu ſocietatis, quem homines à principio frequentare cœperunt: prout in ſimili videmus nuptias ſic dictas, quia olim ſpon- 70 ſa pudoris gratia obnubere, ac velare ſolebat caput, *cap. Hæc imago*, 33. *quaſt.* 1. Hodie quoque tali nomine appellari ob antiquum illum ritum, licèt jam abierit in deſuetudinem. Secundò voluerunt fortaſſe ſummi Pontifices hunc contractum celebratum ſuper officio gravato hoc nomen habere ad ſcandalum evitandum, ut mos eſt Romanorum Pontificum, ut per Bero *conſ.* 146. *num.* 27. *col.* 3. Ne ſcilicet homines vulgares ignorantes nomen contractus, judicarent hunc contractum nomine mutui eſſe appellandum; & ex conſequenti cùm à ſummo Pontifice permiſſum ſit ex hujuſmodi contractu lucrum quærere, ſibi temerè, ac falsò perſuaderent ex mutuo aliquid ultra ſortem licitè recipi poſſe. Quam ob cauſam Rota 71 in cauſa Romana Societatis coram Gypſio, quæ habetur *deciſ.* 311. *num.* 6. & in alia Romana Societatis coram Cardinali Blanchetto, quæ refertur *deciſ.* 336. *num.* 5. *part.* 4. *diverſor.* dixit hujuſmodi officia deſervire ſolùm pro colorando contractu. Denique non ineptè hunc contractum ſocietatem officii appellamus, quia fructus, qui ab officiali percipiuntur à tertia perſona, quamvis non proficiſcatur immediatè ex ipſo officio, debentur tamen occaſione, & cauſa officii, cùm officialis aliorum gratia, & contemplatione officium proprium obligaverit; quare latè ſaltem accepto vocabulo, dici poſſunt fructus officii: nam quidquid eſt cauſa cauſæ, dicitur eſſe cauſa cauſati, *l. Manumiſſionis*, *ff. de inſt. & iur. cum vulg.* & à primordio tituli poſterior formatur eventus, *l.* 1. §. *Lucrativas*, *C. de impon. lucrat. deſcript. lib.* 10. Facit textus in *l. Qui id quod*, *ff. de donat.* Hinc fit ut ſocietas contracta ſuper officio grava- 72 to extinguatur ſublato officio, Rota *deciſ.* 291. *num.* 1. *& ſeqq. deciſ.* 308. *num.* 1. *&* 2. *part.* 4. *diverſ.* Non ſolum quia cùm originē duxerit à contractu illo primo ſuper fructibus

officii initi, ſecundum illius naturam regulari debet; ve-
rum etiam quia ſublato officio, auſertur officiali illud jus
percipiendi fructus à perſonis, quarum beneficio fructus
officii obligavit. Cùm enim tale jus ab officio tamquam
à cauſa dependeat, ceſſante officio, & ipſum jus ceſſare
intelligitur, *cap. Et ſi Chriſtus, circa fin. de iureiur. & cap.
Cum ceſſante, de appell.* Sicut igitur Navar. *in Manuali
cap. 17. num. 257.* optat à ſummo Pontifice, & ab Epiſco-
pis juſtam declarari conſuetudinem in Gallia, & in multis
aliis Italiæ locis receptam, ut Eccleſiæ, viduæ, pupilli, &
ſimiles perſonæ miſerabiles dantes mercatoribus ſuas pecu-
nias lucrentur quatuor, aut quinque pro centum in ſui ſu-
ſtentationem, cùm conſuetudo talis legitimam originem
habuerit, & commodè defendi poſſit: ita fortè ab re non
eſſet ut Eccleſia contractum hunc ſocietatis initæ ſuper
officio gravato ab omni uſura, & injuſtitia alienum de-
clararet, cùm à contractu licito originem duxerit, funda-
mentum habeat à parte rei, & nullus dolus, nullaque
fraus ſubſit ex parte contrahentium. Ita enim conſulere-
tur & animarum ſaluti, & Reipublicæ utilitati. Neque
tot homines illaqueati tenerentur, nec damnum illud ſe-
queretur in publicæ tranquillitatis perturbationem; quod
ſuo tempore accidiſſe refert Pius IV. in ſua Bulla hac de
re edita in princ. de qua infra *num. 75.*

73 Ex his apertè colligitur quam infirma ſint argumenta,
quæ in contrarium afferuntur. Primò enim quod aiunt
ſe non exiſtentem ſocietatem ſuper ea inire non poſſe, id
ſolum probat officio gravato ultra illius valorem contra-
ctum in vim ſocietatis officii propriè loquendo non ſubſi-
ſtere: quod & nos fatemur. Sed tamen negamus quin
ſuſtineri poſſit in vim aliorum contractuum, quorum
74 ſupra meminimus. Deinde quod dicunt ex re infructuo-
ſa lucrum ſperare uſurarium eſſe, non officit concluſio-
ni noſtræ; quia falſum eſt, quod ipſi gratis aſſumunt, of-
ficium gravatum omninò infructuoſum eſſe: nam ejus
cauſa, & occaſione habet officialis jus percipiendi tot fru-
ctus ab iis, ad quos revera pervenerunt pecuniæ, quot
illorum contemplatione ſolvit tradenti pecunias: & ideò
fructus tales non incongruè fructus officii licet appellare,
ut ſupra oſtendimus. Præterea ſi concedamus officium
eſſe infructuoſum poſtquam gravatum eſt pro quantitate
totius valoris, non concedimus tamen ſocios hoc caſu
uſuram incurrere, quia quod expectant, aut accipiunt
ab officiali, cui pecunias tradiderunt, non expectant,
aut accipiunt ratione officii abſolutè, ac ſimpliciter,
ſed ratione periculi, quod in ſe ſuſcipiunt, tali pretio
æſtimabilis, ut ſimiliter oſtenſum eſt ſupra; hoc enim
permiſſum, & licitum eſſe præſertim extra cauſam mutui
liquido conſtat ex iis, quæ ex mente ipſius Navar. *in
Manual. & in conſil. 23. de uſur. ſupra retulimus, num. 59.*
quæ non obſcurè indicant eumdem Navar. *conſil. 15. Pri-
mum dubium, col. 5. tit. de empt. & vendit.* nihil aliud ſibi
velle, quam contractum ſuper officio gravato celebratum
jure ſocietatis non ſubſiſtere; quinimo contrahentes uſu-
ram fortaſſe committere ſi depravata intentione lucrum
inhiantes, & ſcientes ita contrahant in fraudem uſurarum.
75 His conſequens eſt, ut conditio illa, de qua per Pium IV.
in ſua Bulla incip. *Cum ſicut accepimus, in Bullar. tom. 2.
pag. 22.* ut contractus ſocietatis celebrari nequeat ſuper of-
ficio pro quantitate valoris gravato, pertineat potiùs ad
jus poſitivum, quàm ad jus naturale; cùm probatum ſit
exhauſtis officii fructibus, contractum à parte rei habere
poſſe fundamentum, nec intrinſecè malum, aut uſura-
rium eſſe: quod videtur ſenſiſſe Rota *deciſ. 287. num. 1.
verſ. Nec obſtat periculum, part. 4. diverſ. & deciſ. 117. n. 1.
part. 2. recent.* ubi decidit ſocietatem officiorum ſuſtineri
duntaxat uſque ad valorem officii, ſed non ultra, idque
tam ex forma Conſtitutionum ſummorum Pontificum,
quàm ex diſpoſitione juris communis; & allegat deciſ.
Cardin. Millin. *in Romana ſocietatum 29. Ianuarii 1602.*
quam refert, & ſequitur Gregor. XV. *deciſ. 167. num. 1.*

76 Quamvis enim talem conditionem deſiderare videatur
natura contractus ſocietatis officii, cum hic contractus
conſiſtere nequeat ſine fructibus ab officio manantibus,
Rota *deciſ. 287. num. 1. part. 4. diverſ.* Id tamen non eſt de
natura contractus abſolutè, ac ſimpliciter, ita ut con-
tractus alio modo celebrans ſine officii fructibus defendi
nullo modo poſſit. Aliud enim eſt, ut ad formam, & na-
turam alicujus contractus, aliquid neceſſario requiratur,
quod juris poſitivi eſſe poteſt, à quo dependet natura,
ac forma particularis contractus, ut per DD. commu-
niter in *l. 1. in princ. ff. de verb. oblig.* ubi de ſtipulatio-
ne in ſpecie exemplum habemus. Aliud verò, ut con-
tractus in genere ex ſua natura ſimpliciter, & abſolu-
tè ſecluſa omni humana Conſtitutione aliquid neceſſa-
rio poſtulet, quod propriè dicatur eſſe juris naturalis,
cui derogari non poſſe teſtantur Theologi, & ſequuntur
Doctores noſtri, inter quos egregiè Bald. *in l. 1. num. 37.
C. de Summa Trinit.* Hinc rectè Conrad. *de Contract. q. 83.
col. 9. verſ. Quarta ratio*, quamvis, inquit, aliquid ſit
contra naturam contractus, naturam pro naturali-
bus, aut ſubſtantialibus accipiendo; non tamen ſe-
quitur idcircò illicitum, & damnandum, & hanc con-
ſequentiam; Id non patitur natura contractus: ergo
contractus eſt injuſtus, & illicitus, erroneam, atque
irrationabilem eſſe probat eleganter idem author *quæſt. 83.
coroll. 1.*

Quod præterea illa conditio non ſit propriè juris natu- 77
ralis, elicitur ex Bullis hac de re editis Pauli Quarti, &
Pii Quarti. Primò quia ponitur inter alias conditiones
juris poſitivi: ergo ejuſdem qualitatis, & naturæ cenſe-
ri debet, argum. *l. Iam hoc iure, §. Sed ſi*, & ibi Bart. *n. 1.
ff. de vulg. pupil. & l. fin. Cod. de ſentent.* Quod verò aliæ 78
conditiones ſint juris poſitivi certiſſimum eſt: inter alia
enim illa eſt præcipua, qua ſocietates contrahi prohiben-
tur ſuper officiis in Romana Curia non exiſtentibus. Quis
autem dubitet etiam ſuper aliis officiis contrahi ex natura
ſua legitimè poſſe ſi aliqua fructifera reperiantur, ut reve-
ra reperiuntur? Nec obſtat, quod in Conſtitutione Pauli 79
Quarti, quæ incipit *Inter cæteras, in Bullar. tom. 1. pag. 723.*
contractus ſocietatis aliter initi, quàm ſuper officiis Ro-
manæ Curiæ, declarentur illiciti, injuſti, atque uſurarii.
Quandoquidem eamdem Conſtitutionem Pius IV. caſſa-
vit, irritavit, & annullavit cum omnibus in ea appoſitis
clauſulis: unde cùm in totum ſit abrogata, nec Conſtitu-
tio ipſa, nec illius ratio ad deciſionem cauſarum, aut in ar-
gumentum allegari poteſt, ut probat Dec. *in cap. 1. num. 11.
37. & ſeqq. de Conſtit.* Secundo, quia Bulla Pii IV. cautum 80
eſt, ut qui ignotanter contraxerint ſocietates ſuper officio
gravato, nullum ex hoc damnum, & detrimentum ſen-
tiant, atque ita ſimul cum fructibus recuperare poſſint, ut
interpretatur Caſtracan. *in tract. de ſociet. cap. 6. num. 18.
cum ſeq.* Hoc enim argumento ſatis patet talem conditio- 81
nem non eſſe juris naturalis; quandoquidem in iis, quæ
juris naturalis ſunt, etſi bona fides excuſare poſſit inter-
dum à peccato, numquam tamen excuſat à reſtitutione ubi
aliquid quæſitum eſt ex illegitimo, & uſurario contractu,
ut communiter Theologi fatentur, & multi ex noſtris, ut
teſtatur Navar. *conſ. 16. Conſuluit quidam, num. 2. de Vſur.*

Ex abundanti dicimus in prædicta Pii IV. Conſtitutio- 82
ne nullum poſſe fieri fundamentum, quia non ſolùm num-
quam fuit uſu recepta neque Romæ, neque alibi, cùm nul-
lus inventus ſit ex officialibus, qui juridicè officio priva-
tus fuerit vigore dictæ Bullæ, neque ullus ex ſociis, qui ad
fructuum contra formam Bullæ perceptorum reſtitutio-
nem fuerit condemnatus: ſed etiam per contrarium uſum,
cùm juris poſitivi ſit, abrogari potuit, & de facto abro-
gata cenſeri debet, cùm inoleverit jam conſuetudo lon-
giſſimi temporis, quo officiales ad petitionem extraneæ
perſonæ aſſumere quotidie ſolent ſibi ſocios ſuper officio
ultra illius valorem gravato ſcientibus, & patientibus
Romanis Pontificibus: & de hoc ſtylo Curiæ contrahen-
di ſocietates officiorum ſuper officiis ultra valorem grava-
tis atteſtantur Domini de Rota *deciſ. 310. num. 5. part. 4.
diverſ.* Quamvis enim in Conſtitutionibus Apoſtolicis, 83
quæ non à conſenſu populi, ſed ab auctoritate à Chriſto
Domino Summis Pontificibus attributa proficiſcuntur,
admitti non poſſit propoſitio Navarri *conſ. 4. incip. Pœna,
num. 4. de iniur. & damn. dat. & conſ. 10. Per gratiæ, num. 3.
de ſent. excom. lib. 5.* & aliorum quos cumulat Hierony-
mus Gabriel. *conſ. 78. num. 9. & 10. vol. 2.* aſſerentium illas
non ligare, niſi ſint uſu receptæ: tamen advertenda eſt
alia propoſitio tamquam ſacris Canonibus conſentanea,
& à Doctoribus ubiq; recepta; quod per contrarium uſum
cum ſcientia Papæ, & longiſſimi temporis curſu abrogari
valeant, ut optimè declarat Cardin. *in proœm. Clementin.
verſ. Vniverſitatis, num. 3. in fin.* Nulla enim eſt lex poſiti-
va quæ per contrariam conſuetudinem rationabilem, &
legiti-

Digitized by Google

legitimè præſcriptam abrogari non poſſit, *cap. Iſtis*, §. *Leges*, 4. *diſt. cap. fin.* ubi Canoniſtæ *de conſuet.* & ſcripſit Abb. *conſ. 7. col. penult. in princ. lib. 2. verſ. Et notanter*, Rom. *conſ. 512. n. 130. in fin verſ. Tertiò quia*, Bart. & DD. *in l. De quibus*, *ff. de legib.* & in propriis terminis tradit Roland. *conſ. 75. num. 42. lib. 1.* & de generali Vrbis conſuetudine ineundi ſocietatem officiorum ſuper officiis alienis, Rota *deciſ. 311. num. 5. part. 4. diverſor.*

DE CRIMINE FALSI.

D. Auguſtinus.

CAPUT I.

FAlſidicus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius: primùm Deo, cujus præſentiam contemnit: deinde judici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit, Uterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat.

S V M M A R I V M.

1 *TEſtis falſidicus tres lædit, Deum, iudicem, & partem, & num. 120. uſque ad num. 133.*
2 *Falſi pœna tenetur teſtis non modo ſi falſum dicit, ſed etiam ſi veritatem occultat, & num. 124. & ſeqq.*
Declaratur num. 56. & ſeqq. num. 144.
3 *Delicto unico poteſt quis lædere plures perſonas, & tenetur omnibus ſatisfacere.*
4 *Et qui in pluribus offendit, in pluribus punitur.*
5 *Teſtis tenetur de falſa, ſi interrogatus ſuper certo articule dicat ſe neſcire, aut non recordari; vel ſi deponat obſcurè, verſutè, vel per malitiam, & n. 149. & ſeqq.*
6 *Secus ſi non iuraſſet, vel non fuiſſet interrogatus.*
7 *Tacens veritatem quando teneatur pœna falſi, & peccet, latè declaratur, ut num. ſeqq.*
Tacens veritatem peccat quando aſſumpſit officium teſtificandi, ibid.
8 *Et eſt peccatum mortale, & num. 124.*
9 *Idem eſt, quando aliter ex alio officio aſſumpto tenetur dicere veritatem.*
10 *Et idem quando ex alia cauſa ad id tenetur.*
11 *Tacens veritatem ſuperioribus ſuis peccat.*
Quod procedit etiam in tacente crimen capitale per ipſum commiſſum, num. 125.
12 *Tacens veritatem non peccat quando non compellitur reſpondere, & veritas aliter haberi poteſt.*
13 *Limitatur quando procuraret, ne veritas ab aliis poſſet haberi.*
14 *Tacens veritatem peccat quando non poteſt aliter de veritate liquere, & proximus inde damnum patitur, & n. 131.*
15 *Tacens veritatem ad favorem proximi, ne puniatur in cauſa criminali, non peccat.*
16 *Fallit primo quando aſſumpſit officium teſtificandi, vel alias ex officio tenetur.*
17 *Fallit ſecundo in ſubſidium quando veritas aliter haberi non poteſt.*
18 *Tacens veritatem in impetratione à Principe peccat.*
19 *Paria ſunt nocere iniuſte, & iuſte prodeſſe nolle.*
20 *Iurans falſum ſubaudiendo aliquid in mente, quod reddat ſenſum verum, an peccet mortaliter, & num. ſeqq. uſque in fin.*
21 *Quid ſi id faciat ſine iuſta cauſa.*
Et quid ſi iuſta cauſa ſubſit, num. 26. & num. ſeqq. uſque in fin.
22 *Iuramenti finis eſt determinatam veritatem aperire, & num. 133. & ſeqq.*
Iuramentum quod huic fini adverſatur, non inducit mortale peccatum in materia levi, num. 24.
Contrarium, num. 137.
23 *Iuramentum cui deeſt ſola diſcretio, non ingerit culpam mortalem, & num. 152.*
24 *Iurare ioci cauſa Principem eſſe in oppido, intelligendo pictum eſt grave peccatum, ſed non mortale.*
Imo eſt mortale, num. 145. & ſeqq.
26 *Iurare falſum ex iuſta cauſa, ſubaudiendo aliquid in mente, quod reddat ſenſum verum, nullam eſſe culpam, qui Authores ſenſerint.*
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.
27 *Et quibus fundamentis, & num. ſeqq. uſque ad n. 55.*
Scriptura ſacra frequenter utitur verbis quæ ſecundum litteram videntur falſa, ſunt tamen vera ſecundum implicitas ſubauditiones, ibidem, & num. 161.
Declaratur, num. 156. & ſeqq.
28 *Deus audit verba noſtra prout ex intimis proferuntur: Humanæ aures prout foris ſonant, & num. 70.*
Declaratur num. 76. & 80. & 162. verſ. Non obſtat ſecundum.
29 *Veritas, aut falſitas ſermonis non eſt accipienda ex verbis externis, ſed ex intentione proferentis.*
Contrarium, num. 84.
Declaratur num. 76. & 162. verſ. Non obſtat ſecundum.
30 *Verba deſerviunt intentioni, non intentio verbis, & num. 71.*
31 *Linguam ream non facit niſi rea mens, & num. 72.*
32 *Mentiri eſt contra mentem ire, & num. 163.*
33 *Mendacii ad rationem verba materialiter ſe habent; ſed formalitas ex mente proferentis eſt accipienda, & num. 87. in fin.*
Declaratur num. 163.
34 *Mendax non eſt qui dirigit greſſus in aliquam partem, ad quam ire non intendit, & num. 164.*
35 *Opinio adſtruens periurium non eſſe verbis falſum iurare, & interna ſubauditione verum concipere eſt probabilis, & ideo eligi poteſt, licèt oppoſita ſit probabilior, ac tutior.*
Contrarium, num. 166.
36 *Iurare ſe aliquid neſcire, quod expedit ſub ſecreto tegere, ſubaudiendo in mente, ita ut expediat revelare, multi opinantur non eſſe periurium.*
37 *Idem in eo, qui coactus iurat ſe pecuniam ſoluturum, ſubaudiendo intra ſe, ſi erit debitor.*
38 *Idem in eo, qui per metum iurat ſe accepturum aliquam in uxorem, ſubintelligendo, ſi mihi placuerit.*
39 *Idem in muliere, quæ ſciens occultum impedimentum dirimens, metu excommunicationis iurat ſe velle viro cohabitare, ſubaudiendo, ſi mihi licebit.*
40 *Idem in eo, qui pecunia egens iurat ſe illam non habere, intelligendo ad mutuandum.*
41 *Idem in adultera, quæ iurat ſe adulterium non commiſiſſe, ſubaudiendo, in alio die, vel loco.*
42 *Idem in Clerico, qui ut ſe eximat ab indebita ſolutione gabellæ, iurat ſe nihil portare, ſubaudiendo, ex quo gabellam ſolvere teneatur.*
43 *Idem in viatore veniente ex loco, qui peſte infectus creditur, & iurat ſe inde non venire, ſubintelligendo, tamquam ex loco infecto.*
44 *Idem in pœnitente, qui malè inter rogatus à Sacerdote, falso negat ſe confeſſum fuiſſe aliquod peccatum, ſubaudiendo, ut ante illud dicere teneatur.*
45 *Iuramentum quoties exigitur ad faciendum peccatum, poteſt quis iurare ſe facturum, ſubintelligendo intra ſe, ſi abſque peccato id ſibi licuerit.*
Contrarium à num. 80. uſque in fin.
46 *Reus non iuridicè interrogatus poteſt iurare ſe delictum non commiſiſſe, intelligendo intra ſe, prout ſubeſt illi iudicio, & num. 129.*

47 *Et Item in teſte, qui iurat ſe neſcire.*
Contrarium num.129.

48 Neſcio, *verbum recipit hanc interpretationem, ſcilicet ad revelandum.*

49 *Iurans falſum in iudicio ex iuſta cauſa, ſubaudiendo in mente aliquid, quod reddat ſenſum verum non peccat ſecundum aliques.*

50 *Idem putans in eo, qui occidit hominem ad ſui defenſionem, vel putans eſſe feram, & negat in iudicio ſe occidiſſe, intelligendo intra ſe de facto crimi noſo, & num.127. & 153. & ſeqq.*

51 *Idem in eo, qui ut ſibi ſatisfaciat de iniuſta taxa, negat in iudicio ſe fraudaſſe, intelligendo, ita ut deliquerit.*

52 *Idem in eo, qui ut ſe eximat ab imputatione homicidii, quod non commiſit, in iudicio negat gladium repertum penes cadaver eſſe ſuum, ſubaudiendo in mente, quatenus eſt indicium illius delicti.*

53 *Idem in eo, qui ad ſui ſuſtentationem abſcondit bona ne à creditoribus capiantur, & negat iudici ſe illa habere, ſub audiendo, ita ut teneatur manifeſtare.*

54 *Idem in eo, qui cum pecunias mutuo acceptas reſtituerit, in iudicio negat mutuum, ſubintelligendo, ita ut teneatur ſolvere.*

55 *Mendacium non eſt uti verbis falſum ſignificantibus, quando attentis circumſtantiis recipiunt ſenſum verum iuxta interrogantis intentionem, quam reſpondens mente concipit.*
Contrarium, num.153.

57 *Mendacium omne ex ſuo genere eſt peccatum.*
Adeo ut nec ad vitandam mortem, aut pudicitiam ſervandam, nec pro ſalute animæ, nec pro Dei gloria mentiri liceat, ibidem.

58 *Mendacium, & odio Dei adeo intrinſeca eſt malitia, ut nec per omnipotentiam Dei abſolutam poſſit auferri.*

59 *Mendacium non perniciosum, ſed officioſum, vel iocoſum eſt peccatum veniale.*
Sed addito iuramento fit periurium, num.60.

60 *Periurum eſt mendacium iuramento firmatum.*

61 *Periurium omne, quantumcumque mendacium ſit leve, ex ſui ratione eſt mortale.*

62 *Eſt grave ſcelus, & in Lege, & in Prophetis, & in Evangelio prohibitum.*

63 *A quo nec metus mortis excuſat.*

64 *Per illud infertur veritati Dei atrociſſima iniuria, quæ ſine mortali eſſe non poteſt.*

65 *Mendacio interveniente ex univerſali regula iuramentum ſemper eſt mortale, & num.82.*

66 *Iuramentum in foro animæ an ſit interpretandum iuxta intentionem recipientis, vel iurantis: altè diſtinguitur, ut num. ſeqq. uſque ad num.80.*

67 *Intellectus* cap. Quacumque arte, 22. quæſt. 5. *& num. ſeqq. uſque ad num.81. maximè num.76.*

68 *Iurans falſum ſuper lapidem, periurus eſt.*

69 *Sermo malus toties procedit de ore noſtro ad deſtructionem audientium quoties loquimur non ut convenit audientibus, & num.136.*

70 *Intellectus* cap. Humanæ aures, 22. q. 5. *& num. ſeqq. uſque ad num.80. maximè num. 76. &* 162. verſ. Non obſtat ſecundum.

71 *Intentio non debet verbis deſervire, ſed verba intentioni.*

72 *Periurium eſt non quod quis ore, linguave protulit, ſed mente iurata concepit, & animo.*
Declaratur num.76.

73 *Iuramentum in conſilio animæ ſecundum intentionem iurantis recipit interpretationem, ſed in iudicio ſecundum ius ex ſententia Innocentii.*

74 *Contrarium.*
Declaratur num.76.

75 *Iurantis intentio non ita eſt attendenda, ut ſit in libertate ſua exponere verba ut vult, ſed ſecundum id, quod communiter intelligitur.*

76 *Iuramentum ſi non ſit eadem intentio iurantis, & ſuſcipientis, in foro animæ accipiendum eſt iuxta ſanum intellectum eius, qui dolum non adhibet, & num. 80. &* 162. verſ. Non obſtat ſecundum.

77 *Iurantis, & recipientis ſimplicem intentionem conſiderat Deus, & ex parte utriuſque verborum artem aſpernatur, & odit.*

79 *Iurare falſum ſubaudiendo aliquid in mente, quod reddat ſenſum verum, eſſe peccatum mortale, latiſſimè oſtenditur num. ſeqq. uſque ad num. 138.*

80 *Iuramentum artificioſè compoſitum ad fallendum proximum accipit Deus ſecundum quod is, cui iuratur intelligere debet iuxta rectam intelligentiam verborum.*

81 *Lingua loquentis eſt tuba cordis.*

82 *Mendacium iuramento firmatum in quacumque materia, & ex quacumque cauſa ſemper eſt peccatum mortale, & num.88.*

83 *Mendacium committit qui ſcienter utitur falſa ſignificatione vocis, & aliud ſubaudit in mente, quod reddat ſenſum verum, & num. ſeqq. uſque ad num.96. & num. 146.*

84 *Mendacium eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi.*
Id eſt falſum dicendi, num.88. & ſeqq.

85 *Falli, & errare eſt unum pro alio, ſeu falſum pro vero putare.*

86 *Iuramentum in quacumque materia eſt mortale, ſi verba ſunt falſa.*

87 *Subauditio implicita in mente retenta non excuſat quin ſit falſa vocis ſignificatio, & n.97. uſque ad n.102. & num.111. & 147.*

88 *Fallit quiſquis falſum loquitur, etiamſi audiens non fallatur, quia fallaciam intendit ſecundum quod eſt in fallente, & num. ſeqq.*

89 *Mendacia ſi non habent quem decipiant, ipſa ſibi mentiuntur.*
Mendacii ratio ſumitur à voluntate falſum enunciandi; intentio autem imprimendi falſum in alterius opinionem fallendo ipſum non pertinet ad rationem mendacii, ſed ad quamdam illius præfationem, ibid.

90 *Mendax eſt qui lingua profert contrarium eius, quod mente gerit, & num. ſeqq.*

91 *Mendacii ratio formalis conſiſtit in difformitate, & diſſonantia verborum ab intentione.*

92 *Mentientis malum eſt unum habere clauſum in pectore, aliud promptum in lingua.*

93 *Voces cum ſint ſigna intellectus, innaturale eſt, ut aliquis voce ſignificet quod habet in mente.*

94 *Iuramenti verba ſi non admittunt ſenſum, quem iurans mente concipit, à periurio non excuſant.*

97 *Vox externa, quæ ſignificat falſum, in nullo caſu admittit ſubauditionem internam, quæ ſignificet verum, & num. ſeqq. uſque ad num. 102.*

98 *Verum, & falſum invicem ſunt contraria, & eſſe non poſſunt in eodem ſubiecto.*

99 *Periurium eſt aliquid iuramento promittere, ſubaudiendo in mente conditionem natura impoſſibilem.*

100 *Conditio impoſſibilis natura vitiat ſtipulationem.*

101 *Eſſe, & non eſſe contradictoriè ſunt oppoſita.*

102 *Periurus eſt qui apparenter iurat, ſed intentionem habet aut non iurandi, aut ſe iuramento non obligandi, aut promiſſionem iuratam non adimplendi.*

103 *Mendacium eſt materia omnino contraria iuramento tam interiori, quàm exteriori.*

104 *Iurat is in dolo, in cuius mente eſt non ſic ſe facturum ut promittit.*

105 *Periurus eſt antequam iuret, qui peierare paratus eſt.*

106 *Infidelium ſectas ore profiteri, ſubaudiendo in corde, ſi mihi liceat, nefas eſt Chriſtiano.*

107 *Iuramentum eſt actus latriæ.*

108 *Iuramento firmare id, quod nihil eſt, periurium eſt.*

109 *Verum, & nihil ſunt contradictoriè oppoſita.*

110 *Iuramentum, cui veritas non eſt comes, eſt periurium, & num.113.*

111 *Mentiens nihil dicit, quia non dicit quod vox ſignificat, nec dicit quod cogitat.*

112 *Veritas eſt ut quod eſt dicatur.*

114 *Mendacium eſt non ſolum in falſis verbis, ſed etiam in ſimulatis operibus.*

115 *Et æquale eſt peccatum.*

116 *Facto qui mentitur, & mente concipit verum, non eſt à mendacio immunis, & num.140.*

117 *Res*

Digitized by Google

117 *Res verbis accommodare non eſt in facultate hominis, ſed ſolius Dei, & num. 156.*
118 *Nec verbis ſignificationem imponere.*
119 *Veritas in iuramento eſt adæquatio vocis ad rem.*
120 *Iurans falſum in iudicio, & ſubaudiens in mente verum, eſt obnoxius Deo.*
121 *Item iudici, & num. ſeqq. uſque ad num. 132.*
Item parti, num. 131. & num. ſeqq.
122 *Periurium eſt nequiter decipere credentem.*
123 *Sententia ferri debet ſecundum acta, & probata.*
124 *Veritatem occultans metu cuiuslibet poteſtatis, iram Dei ſuper ſe provocat.*
125 *Accuſatus de crimine capitali non poteſt iudici ſecundum iuris formam interroganti veritatem celare ſine mortali peccato, & num. 155.*
126 *Damnatus ad mortem peccat aufugiendo de carcere.*
127 *Tacens veritatem iudici non iuridicè interroganti non peccat.*
128 *Carceratus iniuſtè peccat non fugiendo de carcere.*
Contrarium, num. 130.
129 *Reus non tenetur reſpondere ſi iudex exquirat quod non debet ſecundum ordinem iuris, ſed poteſt appellare, vel aliàs licitè ſubterfugere, ſed non poteſt uti mendacio.*
131 *Accuſator ſi in probatione deficiat, tenetur pœna talionis.*
132 *Item efficitur infamis, & communione privatur.*
133 *Iuramentum inſtitutum eſt non per quod ſe homines fallant, ſed per quod quiſque in alterius notitiam cogitationes ſuas proferat.*
134 *Verbis uti ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt peccatum eſt.*
135 *Iuramenti finem deſtruit modus iurandi per internas ſubauditiones verborum ſenſum invertens.*
136 *Iuramenti comes principalis eſt veritas in audientis notitiam delata.*
Voces inſtituta ſunt, ut adſtruatur veritas apud audientem, quæ eſt apud loquentem, & qui ad aliud utitur, incurrit peccatum mendacii, ibid.
138 *Iurans alta voce aliquid falſum, & ſuperaddens aliquid voce ſubmiſſa, & imperceptibili, quod reddat ſenſum verum, mortaliter peccat.*
139 *Reſpondere nihil, vel ita reſpondere, ut incertus dimittatur interrogator, paria ſunt.*
140 *Iurans Italico idiomate* perd'io, *cum apoſtropho, ut audientem fallat, intendens ſignificare* perdo io, *periurium committit.*
141 *Idem in eo, qui iurat per verb.* Uro, *ſupprimendo litteram I.*
142 *Idem in eo, qui pronunciat iuramenti verba interrogativè, ut contrarium ſenſum inducant.*
143 *Idem in eo, qui intendit ironicè loqui ad fallendum proximum.*
144 *Mentiri aliud eſt, quod numquam licèt, aliud veritatem occultare, quod aliquando licèt, & numer. 164.*
145 *In iuramento uti amphybologia, ſeu æquivocatione etiam ex iuſta cauſa, vel iocosè, eſt mortale peccatum, ſi verba communi audientium uſu non admittant ſenſum verum, quem iurans intendit.*
Secus ſi verba utrumque ſenſum admittant, num. 147. & num. 152.
Quod tamen fallit in iudicio, num. 149. & ſeq.
146 *Iuramentum eſt accipiendum iuxta propriam, & communem verborum intelligentiam.*
Mendacium idem eſt, quod aſſertio falſi cogniti, ibidem.
Peccatum grave, & mortale idem ſunt, ibid.
147 *Iurans non obligatur niſi ſecundum intentionem ſuam, ſi verba ita duplicia ſint, ut æqualiter diverſos ſenſus exprimant.*
148 *Amphybologia, qua uſus eſt B. Franciſcus an ſalvetur a mendacio.*
149 *Amphybologia, ſeu æquivocatione doloſè uti in iudicio eſt mortale peccatum, etiamſi verba ex communi intelligentia utrumque ſenſum admittant.*
150 *Veritatis proditor eſt, qui in iudicio non liberè veritatem pronunciat, quàm liberè pronunciare poteſt.*
151 *Teſtis tenetur pœna falſi, qui obſcurè, verſutè, aut per malitiam teſtificatur.*
153 *Mendacium ſalvari non poteſt ex interrogantis intentione, quam reſpondens mente concipit attentis circumſtantiis.*
154 *Maxime in iudicio.*
155 *Iudex debet ſolam veritatem indagare pro adminiſtratione iuſtitiæ.*
156 *Scriptura ſacra præter ſenſum litteralem inſunt alii ſenſus ſpirituales, & myſtici.*
157 *Omnes ſcientias tranſcendit, quia dum narrat geſtum, prodit myſticum.*
158 *Nec multiplicitas ſenſuum facit æquivocationem, nec aliquam ſpeciem multiplicitatis.*
159 *In nulla ſcriptura humana poteſt reperiri niſi ſenſus litteralis, ſed tantum in divina, cuius Spiritus ſanctus eſt auctor, homo vero inſtrumentum.*
160 *Mendacium per vetus Teſtamentum tueri non licèt, & num. 162.*
161 *Et quomodo in Scriptura divina à mendacio excuſetur, quæ ſecundum litteram videntur falſa.*
164 *Factis aut verbis ſignificare id quod non eſt, nunquam licèt: ſed prætermittere ſignificare id, quod eſt aliquando licèt.*
165 *Simulatio ſeu fictio, cui mendacium non ineſt, utilitatis cauſa interdum eſt licita.*
166 *Ore non aliud loquamur, & aliud corde, ne ſimus Iudas, & Herodiani.*

F*Alſidicus*. Joan. Andr. non ſummat, quia breve eſt; 1
ſed ſecundum Abbat. & ſequaces hoc dicit. Teſtis 2
falſidicus tres lædit. Deum, judicem, & partem: & falſus eſt non ſolùm qui mendacium dicit, ſed etiam qui veritatem occultat; ſecunda pars ibi, *uterque*. In ſupraſcriptione tribuitur Auguſtino, cui etiam tribuitur à Raym. Cont. & Gratian. in *cap. Quiſquis, metu, in ſupraſcriptione*, 11. *quæſt*. 3. Non ſunt tamen verba Auguſtini, ſed Iſidori *lib. 3. de ſummo bono, cap.* 59. ut refert Ant. Auguſtin. *in notis ad primam collectionem Decretalium lib.* 5. *tit.* 16. *cap.* 2. & notatur *hic in gloſſ. marginali in princip. & in notis poſt dict. cap. Quiſquis*.
Nota primò ibi, *tribus perſonis eſt obnoxius:* unico de- 3
licto poſſe aliquem lædere plures perſonas, & teneri omnibus ad ſatisfactionem, Butr. hic *num.* 3. Abb. & Marian. Soc. *in* 1. *notab.* Facit quod legitur, & notatur in *l. Numquam, ff. de privat. delict. & in cap. Parochianos, de ſent. excommun.* Et quia in tribus offendit, in tribus pu- 4
nitur, ut hic *in gloſſ. penult.* & per Hoſtien. *num.* 4. Butr. *num.* 6. quod latius proſequitur Abb. *num.* 5. & 6.
Secundò nota ibi, *& qui veritatem occultat:* teſtem 5
eſſe falſum, & pœna falſi teneri non modo cùm mendacium dicit, ſed etiam cùm celat veritatem. Idem dicitur in *cap. Quiſquis*, 11. *quæſt*. 3. Hoc tamen intellige ſecundùm Abb. hic *in* 2. *notab.* quando interrogatus ſuper certo articulo, reſpondet ſe nihil ſcire, vel quando juravit dicere puram, & meram veritatem, & multa ſubticuit, ut in *cap. Cum dilecti, ſupra de accuſat.* Et idem eſt ſi dixerit, ſe non recordari de eo, de quo veriſimiliter recordari debet, vel ſi depoſuerit obſcurè, verſutè, aut per malitiam, Farin. *in prax. crim. par.* 2. *quæſt.* 67. *num.* 223. & *num.* 225.
& dicam infra *num.* 151. Secus autem ubi non juraſſet, 6
vel non fuiſſet interrogatus, ut in dict. *l. Numquam, ff. de privat. delict.* Tunc enim non tenetur de falſo ſi veritatem non operit; quia teſtis non debet eſſe verboſus, ſed ſatis eſt, ut reſpondeat ad interrogata, ſecundùm Abb. Sed tu vide Mar. Soc. *num.* 45. & *ſeqq.*
Tertiò nota in iiſdem verbis: *peccatum eſſe veritatem* 7
celare, quod tamen intelligunt Goffred. & Innocent. hic *in fin.* Quando quis aſſumpſit officium teſtificandi, vel quando aliàs de veritate liquere non poteſt: & concordant Abb. Antiq. *in fin.* Hoſtien. *num.* 6. Joan. Andr. *num.* 1. Butr. *num.* 5. Cardin. *num.* 1. Anchatan. *num.* 5. & Abb. Sicul. *in* 3. *notab.* Sed tu latiùs diſtingue ſecundùm Marian. Socin. *in* 4. *notab. num.* 5. nam aut quis officium teſtificandi aſſumpſit: & peccat tacendo veritatem, ut hic, & 8
notatur in dict. *cap. Quiſquis*, 11. *quæſt.* 3. in gloſſ. 1. juncto *cap. Fraternitatis, ſupra de teſtibus*, Goffred. Innoc. & alii præallegati, & dicit Butr. *num.* 2. & 5. hoc eſſe
peccatum mortale, quia eſt contra charitatem, & præce- 9
ptum

Digitized by Google

9 ptum Dei: quod latiùs patebit infra *num.* 125. Et idem
dicendum ſi aliter ex officio aſſumpto ad hoc teneretur pro-
pter eandem rationem, & conſentit Abb. Siculus *ubi ſu-*
10 *pra*. Si verò quis non aſſumpſit officium teſtis, vel ſimi-
lis: tunc ſubdiſtingue: nam aut loquimur in caſibus, in
11 quibus tenetur interrogatus reſpondere, ut in Superioribus,
ad quorum interrogationem ſubditus tenetur pandere
veritatem: & tacens peccat, ut in *cap.* 2. *ſupra de maior.
& obed. & cap. Qui reſiſtit*, 11. *quæſt.* 3. & latiùs dicam
12 infra dict. *num.* 125. Aut non cogitur reſpondere: & tunc
aut veritas aliter haberi poteſt; & non peccat, niſi ipſe
13 affectatè procuraſſet; ut veritas ab aliis haberi non poſſet,
ſed ſolum ab ipſo, ut in *cap. Primum, & cap. Ne quis*,
14 22. *q.* 2. Aut non poteſt aliter de veritate liquere; & tunc
aut taciturnitas tendit ad damnum proximi: & hoc etiam
caſu tacens peccat, argum. hujus cap. quia in mandato le-
gis continetur, *Dilige proximum tuum ſicut teipſum, cap.
Charitas, §. Proximos, de pœnit. diſtinct.* 2. Et quia quod
mihi prodeſt, & non nocet, facere teneris, *l.* 2. *§. Item
Varus, ff. de aqua pluvial. arcen.* & not. gloſſ. in *cap. Quiſ-
quis meus, in verb. Prodeſſe*, 11. *quæſt.* 3. Si verò taciturn-
nitas tendit in utilitatem proximi, ut in cauſa criminali,
15 ne proximus damnetur: & hoc caſu non eſt peccatum ta-
16 cere, ex quo non acceptavit officium teſtificandi, nec a-
liàs ex officio tenetur, ut in *cap. Dilectorum, ſupra de te-*
17 *ſtib. cogen.* Quod tamen verum eſt, niſi in ſubſidium ſe-
18 cundùm Innocent. in *cap.* 1. *eodem tit.* Et prædictis adde,
quod peccat etiam qui tacet veritatem in impetratione,
quam facit à Principe, ut *cap. Super litteris, de reſcript.*
ſecundùm Mar. Soc. hic *num.* 20.

19 Ultimò nota ex fin. litteræ, pari reprehenſione dignum
videri eum, qui nocet injuſtè, & eum, qui juſtè non
vult prodeſſe: utrumque enim eſt contra officium Sacer-
dotis, *cap. final. in princip. ſupra de poſtul.* Hoſt. hic *in fine*,
Joan. Andr. *num.* 1. *in fine*, Abb. *num.* 4. *in fin. verſ. ul-
tim.* & Marian. Socin. *num.* 2.

20 QUÆRO, An ſit mortale peccatum jurare falſum,
ſubaudiendo aliquid in mente retentum, quod reddat ſen-
ſum verum.

Hæc eſt frequens Modernorum concertatio, in qua
conveniunt omnes, peccatum eſſe ſic jurare ſine juſta cau-
21 ſa. Licèt variatum ſit ſententiis, quale ſit peccatum.
22 Aliis quidem affirmantibus eſſe mortale, quia ſic jurans
agit contra præcipuum juramenti finem, qui eſt determi-
natam veritatem aperire, *cap. Iuramenti*, 22. *quæſt.* 5. &
latiùs patebit infrà *num.* 133. inter quos recenſentur Card.
Cajetan. in 2. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 7. *in reſponſ. ad* 4. *col. penult.
verſ. Ad hoc dicitur*, Sotus *lib.* 5. *de iuſtit. & iur. quæſt.* 6.
artic. 2. *concl.* 7. *& in lib.* 8. *concl.* 1. *art.* 7. *col. ult. & de
Secreto, membr.* 3. *qu.* 3. *concl.* 3. *in fin.* Corduba *in Summa
quæſt.* 65. Azor. *Inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *qu.* 5. *in
fin.* Lopez *par.* 1. *Inſtructorii, cap.* 42. *col.* 7. *verſ. Item qui
non, & verſ. ſeq.*

23 Aliis verò exiſtimantibus tantùm eſſe culpam venialem
ſine juſta cauſa ſic jurare, dummodo id non fiat in judicio
ad legitimam judicis interrogationem nec in præjudicium
tertii; quia in tali juramento deeſt ſola diſcretio, ſeu ju-
dicium, *cap. Unum orarium, §. Quæ autem, circa fin.*
24 *verſ. Si dum incantè iuramus* 25. *diſtin.* Et quamvis hoc
adverſetur fini juramenti, tamen dicunt id contingere in
materia levi; ac proinde non ingerere culpam mortalem,
argumen. *cap. Ne quis arbitretur, §. Duo ſunt*, 22. *quæſt.*
2. Cujus ſententiæ ſunt Thom. Sanchez *ſuper Decalogo
tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 15. Bonacina *tract. de legib. diſp.*
4. *quæſt.* 1. *pun.* 12. *num.* 3. Filiuc. *in quæſt. moral. tom.* 2.
tract. 25. *cap.* 11. *num.* 331. & noviſſimè Diana *reſolut. mo-*
25 *ral. par.* 2. *tract.* 1. *miſcell. reſolut.* 25. & vacillando Leo-
nat. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 9. *num.* 98. *in fin.* dicens:
Quod ſi tali oratione, cùm juſta cauſa non ſubeſt, adda-
tur juſjurandum, ut ſi jures Principem eſſe in oppido in-
telligendo pictum, joci cauſa erit grave peccatum,
quia eſt magna irreverentia ſuis jocis Deum teſtem
adhibere, fortè tamen ſi ſcandalum abſit, non erit mor-
tiferum.

26 Sed ſi juſta cauſa ſubſit, puta quia id neceſſarium, aut
utile ſit ad ſalutem corporis, vel ad honorem, aut ad res fa-
miliares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis finem;
tunc multorum opinio eſt, nullam eſſe culpam jurare id,
quod falſum eſt ſecundùm vocis ſignificationem implici-
tè ſubaudiendo aliquid in mente, quod efficiat ſenſum
verum; eamque tenuerunt Navarr. in *cap. Humanæ au-
res*, 22. *quæſt.* 5. *in* 2. *quæſt. numer.* 12. Gregor. de
Valen. *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 13. *punct.* 2. *& tom.* 4. *diſput.* 7.
quæſt. 13. *punct. ult.* Salon. *in* 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 2. *contro-
verſ.* 11. *in* 4. *ratione, & in ſolut. ad* 1. *& ad* 2. Toledo
in Summa lib. 4. *cap.* 21. *num.* 9. Philiarchus *de offic. Sacer-
dot. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. Suarez *tom.* 2. *de Religio-
ne, lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 4. *&* 5. Reginald. *in prax. tom.* 2.
lib. 24. *cap.* 1. *num.* 10. & mordicus tuetur Sanchez alios
referens *ſuper Decalog. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 15.

Pro hac opinione ponderant primò hunc loquendi mo- 27
dum per implicitas ſubauditiones frequenter uſurpari in
ſacris Litteris: nam Joan. 7. Salvator dixit: *Non aſcen-
dam ad diem feſtum*: & tamen ſtatim aſcendit, & nihilo-
minus loquutio vera fuit ex ſubauditione in mente Chri-
ſti retenta, ſcilicet non aſcendam manifeſtè, quem ſen-
ſum ſignificatio vocis non importabat: & Tobiæ 5. An-
gelus dixit: *Ex filiis Iſrael ego ſum Azarias Ananiæ ma-
gni filius*. Quæ verba ſimiliter ſecundùm propriam ſigni-
ficationem erant falſa, ſed tamen vera ſecundum inter-
pretationem retentam in mente Angeli. Item Geneſis 27.
Jacob dixit: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau, & feci ſicut
præcepiſti mihi*. Quorum utrumque fuit falſum, inſpecta
verborum ſignificatione; & tamen eum vindicant à men-
dacio multi, quos refert & ſequitur Pereira in eum locum
diſp. 5. *per totam*. Item Matth. 11. Chriſtus dixit, Joan-
nem eſſe Eliam. Item Geneſ. 12. Abraham rogavit Saram
uxorem ſuam, ut ſororem ejus ſe eſſe mentiretur: & ta-
men hæc quoque ex ſubauditis ſenſibus à mendacio excu-
ſantur, ut in *cap. Quæritur, & in §. Item opponitur*, 22.
quæſt. 2.

Deinde pro eorum opinione inducunt text. in *cap. Hu-* 28
manæ aures, 22. *quæſt.* 5. ubi dicitur: *Humanæ aures ver-
ba noſtra talia iudicant, qualia foris ſonant; Divina verò
iudicia tales eſſe audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*
Igitur veritas, aut falſitas ſermonis non eſt accipienda 29
ex verbis externis, ſed ex intentione proferentis, ut ibi in
gloſſ. 2. Nec mirum, quia ut dicitur in *cap. Intelligentia*, 30
infra de verbor. ſignific. Intelligentia verborum ex cauſis
eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt
ſermo ſubjectus.

Nec linguam ream facit niſi rea mens, ut *cap. Hominis*, 31
in fin. 22. *quæſt.* 2.

Tertiò arguunt ab etymologia, ſeu alluſione vocabu- 32
li, ad text. in *l. Notionem, §. Inſtrumentorum, ff. de ver-
bor. ſignificat. cum ſimilib.* nam mentiri eſt contra men-
tem ire, Connan. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Raphael. Cuman.
in *l. Si quis extraneus, ff. de acquir. hered.* Quare exter-
na verba materialiter tantùm ſe habent ad rationem men- 33
dacii, nec refert utrùm vera ſint, an falſa; ſed formalitas
ex mente proferentis eſt accipienda, *cap. Is autem menti-
tur, §. Nemo mentiens*, 22. *quæſt.* 2. Sanctus Bonaventu-
ra *in* 3. *Sententiarum, diſtinct.* 38. *quæſt.* 1. *num.* 2. *&* 10.
Cùm ergo hoc caſu mens non intendat aliud verbis aſſere-
re, aut negare, quia quod ipſa concipit, utique verba
non adverſantur intentioni; ac proinde cùm non ſint men-
dacium, nullum erit peccatum illa jurejurando firmare,
cap. Animadvertendum, 22. *quæſt.* 2.

Id quod etiam confirmant, quia ratio mendacii non
conſiſtit in falſitate menti alterius impreſſa; alioquin men-
tiretur etiam qui utitur verbis ex ſe ambiguis, quod eſt
falſum, ut patebit infra *num.* 147. Rurſus non conſiſtit in
uſurpatione verborum in ſenſu improprio, & qui eam
amphybologiam non admittat: ſed mendacium eſt inten-
dere verbis negare eam ipſam veritatem, quæ mente
concipitur, d. *cap. Is autem mentitur*, 22. *quæſt.* 4. quod
ſecundùm eos non contingit in caſu propoſito.

Quartò arguunt ſic: Mendacium eſt non modò cùm 34
quis intendit exprimere falſum verbis, ſed etiam factis, *cap.
Cavete*, 22. *quæſt.* 5. S. Thom. in 2. 2. *quæſt.* 111. *artic.* 1.
ſed non mentitur, qui v. g. dirigit greſſus in aliquam par-
tem, ad quam ore non intendit; quia non vult ſignifica-
re ſe animum illuc eundi habere, quamvis adſtantes id
concipiant; ſed tantùm vult occultare animum ſuum alio
eundi, ut idem docet *eod. art.* 1. *ad quartum*. Ergo ſimiliter
non mentitur qui verbis non intendit aliquid falſum ſignifi-
care; ſed tantùm celare aliquam veritatem audientibus in-
tendendo dicere ſolùm id, quod verum eſt ſecundùm im-
plici-

Digitized by Google

plicitam ſubauditionem in ſua mente retentam.

35 Ultimò aſſerunt ſaltem negari non poſſe quin hæc opinio ſit probabilis, cùm tot ſuaſibilibus rationibus, & auctoritatibus fulciatur, argum. *Clemen. unica*, §. *fin. de Summa Trinitate*, *& Fid. Cathol.* in concurſu autem probabilium opinionum, ubique proclamant nullum eſſe peccatum eligere probabilem, licèt contraria ſit probabilior, ac tutior.

36 Ex concluſione ut ſupra firmata deducunt primò ut interrogatus de re, quam expedit ſub decreto tegere, poſſit licitè jurare ſe neſcire, ſubaudiendo intra ſe, ita ut expediat revelare, quia locutio vera eſt, & urget neceſſitas ſic jurandi: ita Sylveſter *in verb. Mendacium*, *quæſt. ultim. verſ. Quarto*, qui tamen non loquitur de juramento, Sot. *de juſt. & jur. lib. 5. quæſt. ult. art. 2. col. penult.* Petrus à Navarr. *de reſtit. lib. 2. cap. 4. in nov. edit. in 3. par. dub. 5. numer.* 242. quos refert & ſequitur Sanchez *ſuper Decalogo lib. 3. cap. 6. num.* 25.

37 Deducunt ſecundò, ut ſi per injuriam extorqueatur promiſſio jurata de ſolvendo aliquam pecuniam licèt jurare ſe ſoluturum, ſubaudiendo hanc conditionem in mente retentam, ſi debuero; quod tenuerunt Angel. *in verb. Iuramentum*, 3. *num.* 8. *caſu* 9. Sylveſt. *in verb. Iuramentum*, 4. *quæſt.* 7. *verſ. Secundum*, ubi ſic ait: [Si verò in aliquo ſenſu intendebat facere quod jurabat, licèt non in ſenſu ejus, cui jurabat, ut quia juravit dare centum latroni, ſubaudiendo in animo ſuo, ſi debuero; tunc non peccat, quia non tenetur jurare ſecundùm intentionem ejus, cùm non ſit ſuus judex, ſed utitur ſimulatione licita.] Quod licèt ut in *cap. Utilem*, 22. *quæſt.* 2. & ſequuntur Navarr. in *cap. Humanæ aures*, 22. *cap.* 5. *in* 3. *qu. num.* 6. *in fine*, & in Manuali *cap.* 12. *num.* 14. Azor. *inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæſt.* 5. *regul.* 3. *juncto verſ. Primo quidem*. Gregor. de Valent. *in* 2.2. *diſp.* 6. *quæſt.* 7. *punct.* 4. *col. antepenult.* & Sanch. *ſuper Decalogo lib.* 3. *cap.* 6. *nu.* 37. *&* 38. Oppoſitum tamen docuerunt Cajet. in 2.2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *in reſp. ad* 4. *col. pen. verſ. Ad hoc dicitur*, & Arag. *ibid. circa ſolutionem ad* 4. *in* 2. *concl.* & Sot. *de juſt. & jur. lib.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 7. *col. ult.*

38 Deducunt tertiò, ut coactus aliquam accipere in uxorem, quàm accipere non tenetur tuta conſcientia, jurare poſſit ſe illam accepturum, intelligendo intra ſe, ſi teneor, vel ſi placuerit mihi, ſic Toled. *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 9. & Sanch. *ubi ſupra num.* 39.

39 Deducunt quartò, ut mulier excommunicata eo, quod viro non cohabitet propter occultum impedimentum dirimens juxta terminos *cap. Litteras*, *de reſtit. ſpoliat.* & *cap. Inquiſitioni*, *de ſentent. excomm.* licitè poſſit jurare ſe cohabitaturam, ſubaudiendo in mente, ſi mihi id licebit, Angel. *in verb. Iuramentum*, 4. *in princip.* Sylveſt. *in verb. Iuramentum*, 3. *quæſt.* 2. *verſ. In juramento verò*, Navarr. *in manuali cap.* 12. *num.* 9. Philiar. *de offic. Sacerd. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. *ad fin.* Sanchez *ſuper Decalogo lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 40.

40 Deducunt quintò, ut rogatus ab amico, ut det ei pecunias mutuas, poſſit licitè, ſi illis egeat, juramento affirmare ſe illas non habere, quamvis verè habeat, ſubintelligendo intra ſe, ad ſibi mutuandum, Navarr. *in manuali cap.* 12. *num.* 18. *& in dict. cap. Humanæ aures*, *in* 3. *quæſt. num.* 13. Philiar. *d. c. cap.* 14. *ad fin.* Sayr. *in Clavi Regia*, *cap.* 4. *num.* 26. & Sanchez *d. cap.* 6. *num.* 43. contra Cordub. *de Secreto*, *membro* 3. *quæſt.* 3. Henriquez *in ſumma lib.* 3. *de pæn. cap.* 19. *num.* 8. *in Commento littera R. in fine*, & Ludovic. Lopez *in* 1. *par. Inſtructorii cap.* 42. *col.* 7. *verſ. Item qui non tenetur*.

41 Deducunt ſextò, ut uxor interrogata à viro, num commiſerit adulterium, abſque peccato jurare poſſit, ſe non commiſiſſe, ſubaudiendo tacitè in alia die, vel in alio loco, quàm in eo, in quo illud perpetravit, Navar. in dict. *cap. Humanæ aures*, *in* 1. *quæſt. num.* 9. Philiar. *de offic. Sacerd. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *d. cap.* 14. *ad fin.* & Sanchez *d. cap.* 6. *num.* 4. & eſt ex mente Sylveſtr. *in verb. Iuramentum*, 3. *quæſt.* 2. *verſ. In juramento vero*, ubi poſt Roſell. & Aſten. ſic ait: [Cùm vir exigit ab uxore juramentum ſuper adulterio, quia iniquè agit poterit jurare, quod eſt verum ſecundùm ſuam intentionem, licèt ſit falſum ſecundùm intellectum audientis.] Sed contra Sot. *de Secreto*, *membr.* 3. *quæſt.* 3. *poſt.* 5. *concl. verſ. Sed ais forte*, *& de juſt. & jur. lib.* 5. *quæſt.* 6. *art.* 2. *in corp. ad fin.*

Deducunt ſeptimò, ut Clericus interrogatus à cuſtodi- 42
bus, an ſecum deferat aliqua bona eo fine, ut gabellam
ſolvere compellatur, tutò jurare poſſit ſe nihil deferre,
tacitè addendo intra ſe, ex quo debeatur gabella, Sylveſt.
in verb. Mendacium, *quæſt. ult. verſ. Tertio*, Sanchez *ſu-*
per Decalogo lib. 3. *d. cap.* 6. *num.* 32. *verſ. Et eadem ratio-*
ne, qui hoc ampliat etiam ad laicum in eo caſu, in quo ex
aliqua cauſa non tenetur ad ſolutionem gabellæ, ex Sua-
rez *tom.* 2. *de Relig. tract. de juram. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 7.

Deducunt octavò, ut viator interrogatus à Cuſtodibus 43
Civitatis, an venerit ex tali loco, qui creditur, ſed non
eſt peſte infectus, tuta conſcientia jurare poſſit, ſe ex illo
non venire, ſubaudiendo implicitè, tamquam ex loco ſuſpe-
cto, Sylveſter *in verb. Iuramentum*, 3. *quæſt.* 2. *in fin.* Na-
varr. *in cap. Humanæ aures*, 22. *quæſt.* 5. *in* 2. *quæſt. num.* 9.
& in Man. cap. 12. *num.* 19. Toled. *in ſumm. lib.* 4. *cap.* 21. *nu.*
9. Philiar. *de offic. Sacerd. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. *ad fin.*
Suarez *ubi ſupra*, & Sanchez *d. cap.* 6. *num.* 35.

Deducunt nonò, ut pœnitens à Sacerdote perperam in- 44
terrogatus, an tale peccatum confeſſus fuerit, licitè poſ-
ſit jurare, ſe illud non fuiſſe confeſſum, concipiendo in
mente, ita ut teneatur hoc illi manifeſtare: ita Henri-
quez *in ſumm. lib.* 6. *de pæn. cap.* 19. *num.* 7. Gregor. de Va-
lent. *tom.* 4. *diſput.* 7. *quæſt.* 13. *punct. ult. col.* 2. & Sanchez
d. cap. 6. *num.* 44. contra Sot. *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 4. *art.*
5. *in ſol. ad* 4. *verſ. Atque conſiderate*, qui ait pœnitentem
poſſe quidem reſpondere ſe non dixiſſe: at non poſſe affir-
mare ſe non dixiſſe in confeſſione, aut ſe confeſſum non
fuiſſe.

Demum hanc eſſe regulam univerſalem, ut quoties e- 45
xigitur juramentum ad faciendum aliquid, quod ſine pec-
cato fieri non poteſt, jurans poſſit ſemper jurare ſe factu-
rum, intra ſe intelligendo, ſi abſque peccato id facere po-
tuero, tradit Sylveſt. *in verb. Iuramentum*, 3. *quæſt.* 2.
verſ. In juramento vero, & poſt eum Sanchez *dict. cap.* 6.
num. 40.

Extendunt plerique præmiſſam concluſionem, ut lo- 46
cum habeat etiam in judicio, ſi judex non ſit competens,
aut interroget non juridicè, ſecundùm ea, quæ leguntur,
& notantur in *cap. At ſi Clerici*, *ſupra de judic.* unde ſi reus
non legitimè interrogetur de crimine, quod verè perpe-
travit, poteſt jurare ſe illud non commiſiſſe, ſubaudien-
do intra ſe, eo modo quo judex interrogat, nempe ut ſub-
eſt illi judicio.

Idemque affirmant procedere in teſte, qui non juridicè 47
interrogatus de aliquo delicto, poteſt reſpondere ſe neſci-
re, intelligendo in mente, ita ut teneatur dicere, quamvis
verè illud ſciat: quia verb. *neſcio*, recipit hunc ſenſum,
ut tibi dicam, ſecundùm illud Marci 13. *De die illa nemo* 48
ſcit, *neque filius hominis*. Quod explicat B. Auguſtinus
Pſal. 6. *in prologo*, ut intelligatur ad revelandum, ſic Syl-
veſt. *in verb. Mendacium*, *quæſt. ult. verſ.* 4. & Navarr. in
dict. *cap. Humanæ aures*, 22. *quæſt.* 5. *in* 1. *quæſt. n.* 9. quem
dicit communiter receptum Sanch. *ſuper Decalog. lib.* 3.
cap. 6. *num.* 23. *&* 26. Sayr. *in Clavi Regia lib.* 4. *cap.* 5.
num. 24. *& lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 29. quamvis de hoc dubi-
tet Sot. *de juſtit. & jur. lib.* 5. *quæſt.* 6. *artic.* 2. *concl.* 7. *&*
de ſecreto, *membr.* 3. *quæſt.* 3. *concl.* 4. & abſolute id neget
Sepulveda *in lib. de ratione reddendi teſtimonii*, *cap.* 13.

Quinimò aliqui eamdem concluſionem extendunt 49
etiam ad eum, qui in judicio interrogatur juridicè;
dummodo ſubſit juſta cauſa ſic jurandi. Et ex hoc

Inferunt primò, ut ſi quis occiderit hominem ad ſui ne- 50
ceſſariam defenſionem, vel ignoranter, putans eſſe feram,
aut rem alienam ſurripuerit in debiti compenſationem,
de hoc in judicio legitimè interrogatus, tuta conſcientia
negare poſſit, intelligendo intra ſe de facto criminoſo;
ſic Bannes in 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 2. *dub. penultim* Salon.
ibidem controver. 11. *in* 4. *ratione*, Sayr. *in Clavi Regia lib.*
12. *cap.* 17. *num.* 26. Leſſius *de juſtit. & jur. lib.* 2. *cap.* 31.
dub. 3. *num.* 14. & Sanchez *ſuper Decalogo lib.* 3. *cap.* 6. *nu.*
29. qui ex eadem ratione deducit, ut ſi taxa alicujus mer-
cis ſit injuſta, & aliquis majori pretio vendiderit, vel de-
fraudaverit in pondere, & menſura, ad hoc ut ſibi ſatis- 51
faceret pro pretii injuſtitia, interrogatus à judice an pluris
vendiderit, vel fraudaverit in pondere, & menſura,
poſſit licitè jurare ſe pluris non vendidiſſe, nec fraudaſſe,
ſubaudiendo in mente, ita ut deliquerit.

Inferunt ſecundò, ut ſi reperto cadavere aliquis inter- 52
toge-

rogetur à judice, an gladius ibi repertus ſit ſuus, vel tali
hora illac tranſiverit, licitè poſſit juramento id negare,
ſi verò homicidium non commiſerit, ſubaudiendo intra
ſe, quatenus eſt medium illius delicti: ita Sot. *de Secreto,
memb. 2. quæſt. 7. poſt 3. concl. dub. 2.* Manuel. *de ordin. in-
dic. cap.* 10. *num.* 7. Salon. *ubi ſupra*, Sayr. *dict. cap.* 17.
num. 11. Leſſius *dict. dub.* 3. *num.* 14. Sanchez *dict. cap.* 6.
num. 30.

53 Inſerunt tertiò, ut ſi quis ad ſui neceſſariam ſuſtentatio-
nem abſconderit aliqua bona, ne à creditoribus rapiantur,
juridicè interrogatus jurare poſſit, ſe nulla bona abſcondi-
ta habere, addendo intra ſe, ita ut judici manifeſtare
teneatur, Sanchez *ubi ſupra num.* 31.

54 Inſerunt demum aliis prætermiſſis, ut ſi quis pecunias
mutuo acceptas ſolverit, & interrogetur à judice de mu-
tuo, poſſit juramento id negare, ſubaudiendo in mente,
ita ut ſolvere teneatur, Jaſ. in *l. Manifeſte, col. penult. ff.
de iureiur.* Cepol. *cautel.* 60. Alciat. in *l.* 1. *§. Si quis ſim-
pliciter, num.* 74. *ff. de verb. oblig.* quos refert & ſequitur
Covarr. *lib.* 1. *var. reſol. cap.* 2. *num.* 4. Azor. *inſtit. moral.
tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæſt.* 5. *reg.* 2. Suarez *tom.* 2. *de Relig.
tract.* 2. *de iuram. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 6. & Sanchez *d. cap.* 6.
num. 32. qui hoc ampliat pluribus modis.

55 Quas quidem illationes tuetur ea præcipuè ratione,
quod etſi verba ex proprietate vocabuli falſum ſignificent:
tamen attentis circumſtantiis loci, temporis, perſonæ, &
modi interrogandi, recipiunt ſenſum verum juxta inter-
rogantis intentionem, quam reſpondens mente concipit;
ideò verba hujuſmodi poſſunt abſque mendacio uſurpari,
prout hanc regulam tradunt Navarr. *cap. Humanæ aures*,
22. *quæſt.* 5. *in* 2. *quæſt. numer.* 8. *in fin.* Bannes *in* 2. 2. *quæſt.*
69. *artic.* 2. *dub. penult.* & ibi Salon. *controverſ.* 11. Azor.
inſtitut. moral. tom. 11. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæſt.* 5. *reg.* 2. Sayr.
in Clavi Regia lib. 12. *cap.* 17. *num.* 26. Suarez *tom.* 2. *de
Relig. tract. de iuram. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 6. Sanchez *d. cap.*
6. *num.* 14.

56 Cæterùm his non obſtantibus, ego veriùs puto hu-
juſmodi implicitas ſubauditiones non excuſare ſic ju-
rantes à culpa mortali, & hanc eſſe perniciosam cau-
telam ad mentiendum, & pejerandum in ſtragem anima-
rum. Quod ut evidentiùs appareat, præmitto duas con-
cluſiones, in quibus unanimiter conveniunt Theologi,
& Canoniſtæ.

57 Prima concluſio eſt. Omne mendacium ex genere ſuo
eſt peccatum, ſecundùm illud Eccleſ. 7. *Noli velle menti-
ri omne mendacium*: adeò ut nullo caſu nec ad vitandam
ſui, vel alterius mortem, nec ad pudicitiam ſervandam,
nec pro ſalute animæ, nec etiam pro Dei gloria mentiri li-
ceat. Jura ſunt clara in *cap. Primum eſt capitale, in cap.
Ne quis arbitretur, & in cap. Faciat homo, cum duobus cap.
ſeqq.* 22. *quæſt.* 2. & docet Sanctus Thomas *in* 2. 2. *quæſt.*
58 110. *art.* 3. Imò quod eſt mirabile, multorum ſententia
eſt, Deum ex poteſtate abſoluta poſſe diſpenſare, etiam
in lege naturali, eamque immutare auferendo malitiam à
quibuſvis actibus lege naturæ prohibitis, ita ut nullum ſit
peccatum furari, occidere, fornicari, &c. & tamen
conveniunt omnes nullam cadere diſpenſationem in odio
Dei, & mendacio, quibus adeò eſſentialis, intrinſeca,
& inſeparabilis eſt malitia, & inordinatio, ut nec per om-
nipotentiam Dei abſolutam poſſit auferri, ut latiſſimè diſ-
ſerit, & probat Suarez *de legib. lib.* 2. *cap.* 15. *per tot. maxi-
me num.* 4. *verſ. Qui enim fieri poteſt, num.* 5. *& nu.* 12. *verſ.
Unde mendacium, & num.* 23. concludens in præceptis 2.
tabulæ nullam inveniri immutabilitatem ex parte materiæ
ſolo excepto mendacio, tum propter alias rationes ibi ad-
ductas, tum verò quia ejus deformitas non pendet ex alio
dominio, vel divino jure, ſed ſtatim oritur ex diſſonantia
verborum ad mentem: quod etiam docuit S. Bonaventu-
ra *in* 3. *ſentent. diſtinct.* 38. *quæſt.* 2. *num.* 25. *&* 26.

59 Secunda concluſio. Quamvis mendacium jocoſum,
vel officioſum ſi nihil habeat perniciosi ſit peccatum venia-
le, *cap. Ne quis arbitretur, §. Duo ſunt omnino genera*, 22.
quæſt. 2. *gloſſ. ultim. in cap. Nec artificioſo, ead. cauſ. &
60 quæſt.* S. Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 7*o. artic.* 4. Tamen ſi jura-
mentum adjiciatur, tranſit in perjurium, quod nihil eſt
aliud, quam mendacium juramento firmatum, ut diffinit
61 Magiſter *in tertia ſenten. diſtin.* 39. & ibi S. Thomas *quæſt.*
1. *art.* 7. *Omne autem perjurium, quantumcumque menda-
cium ſit leve, ex ſui ratione eſt peccatum mortale, ut cap. In
novo*, ibi, *Peierare in mane peccatum eſt, & cap. ult.* 22.
quæſt. 1. ubi dicitur: *Periurium grave ſcelus eſſe, & in le-* 62
*ge, & in Prophetis, & in Evangelio prohibitum, & talem
de periurio pænitentiam imponi debere, qualem & de adulte-
rio, & de fornicatione, & de homicidio ſponte commiſſo,
& de cæteris criminalibus vitiis.* Hæc ibi: adeò ut à perju- 63
rio nec metus mortis excuſet: nam ut legitur in *cap. Si
quis*, 22. *quæſt.* 5. qui coactus pro vita redimenda, vel pro
quolibet cauſa, vel neceſſitate perjurat, plus corpus,
quàm animam diligit: & probat S. Thomas *in* 3. *ſentent.
diſtinct.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 5. *& in* 2. 2. *quæſt.* 98. *art.* 3. Co-
varruv. in *cap. Quamvis, de pactis in* 1. *part. §.* 1. *num.* 4.
Reddens rationem, quia cùm in juramento Deus adduca- 64
tur in teſtem, perjurium ſemper eſt mortale etiam in re
leviſſima, quia atrociſſima fit injuria in ejus veritatem:
quæ quidem contumelia non poteſt abſque peccato morta-
li contingere: & idem repetit *lib.* 1. *var. reſolut. cap.* 1. *nu.*
2. *circa medium, verſ. Nam quod de iuramento.* Et hanc
eſſe univerſalem regulam, ut mendacio interveniente, 65
ſemper juramentum ſit mortale, tradit Cajetan. *in* 2. 2.
quæſt. 89. *art.* 7. *in reſponſione ad* 4. *col.* 7. *verſ. Ad hoc di-
citur.*

Quibus ſuppoſitis, pro ſolutione quæſtionis ante om- 66
nia inquirendum eſt. An juramentum in foro animæ ſit
interpretandum juxta intentionem recipientis, vel juran-
tis. Hujus autem articuli determinatio potiſſimum pen- 67
det ex intellectu, & conciliatione duorum jurium, quæ
videntur inter ſe contraria, nempe *cap. Quacumque arte,
& cap. Humanæ aures*, 22. *quæſt.* 5. Nam in dict. *cap. Qua-
cumque*, Iſidorus ait: [Quacumque arte verborum quiſ-
que juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita
hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter
autem reus fit: quia & Dei nomen in vanum aſſumit, &
proximum dolo capit.] Hæc ibi: concordant text. in *cap.
Ecce, ead. cauſ. & quæſt.* ubi de eo, qui ſuper lapidem 68
falſum jurat, Auguſtinus ſic ait: *Si tu illud ſanctum non
putas, ſanctum puta cui iuras: non enim quando iuras tibi
iuras, ſed proximo iuras: Homini iuras ante lapidem, ſed
numquid ante Deum? non te audit lapis loquentem, ſed pu-
nit te Deus fallentem.* Ad idem textus in *cap. Quoties*, 22. 69
quæſt. 5. ubi Hieronymus dicit: *Quoties loquimur non ut
convenit audientibus, toties ſermo malus procedit de ore no-
ſtro ad deſtructionem eorum, qui audiunt.* Quibus aucto-
ritatibus conſtare videtur juramentum eſſe interpretan-
dum juxta intentionem recipientis.

E contra verò in dict. *cap. Humanæ aures*, 22. *quæſt.* 5. 70
Gregorius ait: *Humanæ aures verba noſtra talia iudicant,
qualia foris ſonant: Divina verò iudicia talia ea audiunt,
qualia ex intimis proferuntur. Certè noverit ille, qui inten-* 71
*tionem, & voluntatem alterius variis explicat verbis: quia
non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, & in-
tentionem: quia non debet intentio verbis deſervire, ſed ver-
ba intentioni.* Hæc Gregorius. Cui conſonat, quod ait 72
Ariſtoteles 1. Rhetoric. *cap. ult.* videlicet: *Periurium eſt
non quod quis ore, linguave protulit, ſed mente iurata con-
cepit, & animo.* Nec non illud Euripidis in Hypomen.
tranſlatum a Tullio *lib.* 3. *de officiis* 73. *Iuravi lingua men-
tem iniuratam gero.* Unde Gratianus poſt dictum *cap. Hu-
mana*, ſic infert. [Si ergo Divina judicia verba noſtra talia
foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur: ſi intentio
non debet ſervire verbis, ſed verba intentioni: patet quod
Deus non accipit ſic juramentum, ſicut ille cui juratur,
ſed potiùs ſicut qui jurat, intelligit.] Cujus oppoſitum 73
docuit Iſidorus in dict. *cap. Quacumque*, Gloſſ. in *cap. Ve-
niens, in verb. Præſcerviſſet, ſupra de iureiur.* arguit pro
& contra, & non ſolvit. Sed Innocentius *ibi nu.* 2. *verſ.
Si autem iurat aliquid determinatè*, diſtinguit forum inter-
num ab exteriori judicio, dicens: Juramentum in conſi-
lio animæ ſecundùm intentionem jurantis recipit interpre-
tationem, *cap. Quanto, & cap. Ad noſtram, il ſecondo,
de iureiuran.* Sed in judicio recipit interpretationem ſecun-
dum jus *cap. Venientes, eodem tit.* quam diſtinctionem to-
tidem ferè verbis ſequuntur ibi Hoſtienſ. *num.* 4. *verſ. Ex
dictis Innocentii*, dicens eſſe notandum, & ſemper hic al-
legari, quod juramentum recipit interpretationem ſecun-
dùm jus in judicio contentioſo, ſed in Pœnitentiali ſecun-
dùm intentionem jurantis, & Abb. *num.* 4. Bald. in *l. fi-
nal. num.* 9. *C. de non numerata pecun.* Joan. de Selva *in tra-
ctat. de iureiur.* 2. *par. quæſt.* 2. & Bart. Cepol. Veronen. *in
Rubr.*

*Rubr. Digeſtorum, de verb. ſignific. in 7. quaſt. 6. quaſt.prin-
cipalis*, ubi ait: [Hæc ſit concluſio, quod in foro animæ
juramentum interpretatur ſecundùm intentionem juran-
tis: in foro autem contentioſo ſecundùm intentionem
deferentis.]

74 Sed certè primum membrum hujus diſtinctionis, quod
jurameotum in foro animæ ſecundùm intentionem juran-
tis ſit interpretandum; pugnat ex diametro cum verbis d.
c. Quacumque, 22. *queſt*. 5. nam ibi Iſidor. dicit: [Deum,
qui conſcientiæ teſtis eſt, accipere juramentum juxta men-
tem ejus, cui juratur:] & ſic apertè loquitur in foro
conſcientiæ, prout etiam loquitur Auguſt. in dict. *cap.
Ecce*, 22. *queſt*. 5.

75 Antonius de Butrio in dict. *cap. Veniens, num*. 17. *de
jurejur*. aliter diſtinguit, videlicet aut mens ſuſcipientis
eſt certa: & juramentum debet intelligi ſecundùm inten-
tum ſuſcipientis; aut non eſt certa, & tunc intelligi de-
bet ſecundùm mentem veriſimilem jurantis, & non ſe-
cundùm mentem non veriſimilem ſuſcipientis; ſed ſecun-
dùm id, quod communiter intelligitur: & ferè in idem
recidit diſtinctio Cardin. *ibid. num*. 4. dicentis. [Non
ita eſſe attendendam intentionem jurantis, ut ſit in liber-
tate ſua exponere verba ut vult, ſed debet attendi inten-
tio, quàm veriſimiliter præſumimus eum habuiſſe,] ar-
gum. *cap. Quintavallis, de jurejur. cum ſimil*. Verùm
hæc diſtinctio pertinet potiùs ad forum externum, nec con-
ciliat jura præallegata.

76 Quamobrem pro conciliatione rectiùs diſtinguit gloſſ.
communis in §. *Quæritur, poſt cap. Hoc videtur, in verb.
Quaritur*, 22. *queſt*. 5. videlicet, Aut ab utroque inter-
ponitur dolus: & tunc juramentum eſt intelligendum ſe-
cundùm communem ſignificationem verborum, ut *cap.
Ex litteris, de ſponſalibus*; Aut à neutro intervenit do-
lus, & interpretandum eſt ſecundùm intellectum utriuſ-
que, ſi verba poſſint utrique intellectui adaptari, *cap. Cum
tu, de teſtib*. Aut ab altero tantùm, & tunc intelligen-
dum eſt ſecundùm eum, qui rectè intelligit, ut in *cap.
Quacumque*, 22. *queſt*. 5. ubi idem tenent Archid. *num*. 1.
& Bellam. *eod. num* & eodem ferè modo diſtinguit egregiè
S. Thom. in 2. 2. *queſt*. 89. *artic*. 7. *ad* 4. nam ut ipſe ait:
*Quando non eſt eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat,
ſi hoc procedit ex dolo jurantis, debet juramentum ſervari
ſecundùm ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſta-
tur*. Et de hoc doloſo juramento loquitur Iſidorus, ut con-
ſtat ex illis verbis: [Quacumque arte verborum, id eſt
fraude, calliditate, & verſutia,] ſecundùm Hug. Archi-
diac. Bellam. & Turrecr. *in princip*. Tum ex verbis ſubſe-
quentibus: [Nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum
dolo capit: ſi autem jurans dolum non adhibeat, obliratur
ſecundùm intentionem jurantis.] Et in hoc caſu intelligi-
tur auctoritas Gregorii in dict. *cap. Humana aures*. Ita
D. Thomas qui idem docuit in 3. *ſentent. diſtinct*. 39. *quaſt*.
1. *art*. 3. *quaſt*. 3. *in corp*. dicens: *Doloſe jurantem ex jura-
menti neceſſitate obligari ad illud ſervandum taliter, ut ex
dolo alius non lædatur: ſi autem ſimpliciter juret abſque dolo;
tunc in foro conſcientia non obligari, niſi ſecundùm ſuam in-
tentionem: ſed in foro contentioſo, ubi intentio ignoratur,
obligari ſecundùm quod verba communiter accipi ſolent*. I-
demque ante eum docuit Alexan. de Ales in 3. dicens:
[Deus ſimplicitatis amator, & duplicitatis aſpernator ita
accipit, ſicut ille, qui ſine fraude intelligit: unde dictum
Iſidori intelligitur de doloſè jurante. Si verò uterque frau-
dolentus fuerit, debent accipi verba iſta ſecundùm arbi-
trium boni viri, & ſecundùm quod ſonant verba illa apud
rectè intelligentes.] Hæc ille: quem refert, & ſequitur
Turrecrem. *in dicto* §. *Quæritur, poſt cap. Hoc videtur*, 22.
quaſt. 5. *num*. 4. *& ſeqq*. ubi etiam Raymundum, & Gu-
lielmum ejus gloſſatorem in hanc ſententiam citat, & con-
ſentiunt Cajetanus in 2. 2. *quaſt*. 89. *d. art*. 7. *in reſpon-
ſione ad* 4. *col*. 7. *verſ. Ex quibus patet ſolutio*; & Covarr.
in *cap. Quamvis, de pact. in* 1. *par*. §. 5. *num*. 2. nec diſcre-
pat Hoſtien. in dict. *cap. Veniens, num*. 4. *de jurejur*. dum
ait: [Juramentum in conſilio animæ ſecundùm bonam,
& ſanam, & non fraudulentam intentionem jurantis reci-
pere interpretationem.] Quæ diſtinctio in effectu fuit
Gratiani in *cap. Qui peierare*, §. *Ex his omnibus*, 22. *quaſt*.

77 5. Nam concilians auctoritatem Gregorii ſic ait: *Sicut a-
liud eſt callida verborum arte jurare, aliud ſimpliciter in-
tentionem ſuam jurando munire; ſic aliud eſt ſimplici in-
tentione juramentum factum recipere, aliud in recipiendo
calliditate uti*. Et infrà: *Deus autem duplicitatis aſperna-
tor ſimplicem intentionem utriuſque conſiderat, & tam ex
parte recipientis, quàm ex parte præſtantis verborum artem
aſpernatur, & odit*. Quid plura? Hanc veritatem lumi- 78
ne naturali etiam Ethnici agnoverunt: nam Cicero *in ora-
tione pro Sexto Roſcio* 52. *littera B. Non enim*, inquit,
*ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur,
ſed ex perfidia, & malitia, per quam inſidiæ tenduntur a-
licui; Dii immortales hominibus iraſci, & ſuccenſere ſo-
lent*.

His ita conſtitutis, quod ſit mortale peccatum ex qua- 79
cumque cauſa jurare falſum ſubaudiendo aliquid in men-
te, quod reddat ſenſum verum, oſtenditur apertiſſimè ex
ſequentibus.

Et primò, Juramentum artificioſè compoſitum ad fal- 80
lendum proximum in foro animæ juxta ſanam intelligen-
tiam ſuſcipientis eſt accipiendum; quia Deus accipit hoc
juramentum ſecundùm quod is, cui juratur, intelligit
dict. *cap. Quacumque*, 22. *queſt*. 5. id eſt intelligere debet
ſecundùm rectam intelligentiam verborum, ut ibi explicat
gloſſ. 1. ex Turrecrem. *in verb. Intelligit*, & conſtat ex di-
ctis ſupra *num*. 76. *&* 77. ſed qui jurat id, quod ſecundùm
vocis ſignificatioonem eſt falſum, & ſubaudit aliud in men-
te, quod reddit ſenſum verum, artificiosè conjungit in-
ternam ſubauditionem cum verbis externis, ad hoc, ut
audiens fallatur, & credat verum eſſe quod verba ſonant.
Si enim hoc non intenderet, utique verba falſa non pro- 81
nunciaret, *l. Labeo*, §. *Idem Tubero, ff. de ſupellect. le-
gat*. cùm tuba cordis ſit lingua loquentis, ut Bald. inquit
conſ. 160. *Falſa fuit inveſtitura, circa finem, verſ. Et ſi
dicatur*; *lib*. 1. Ergo juramentum ejuſmodi artificio com-
poſitum ad fallendum proximum in foro animæ, juxta
ſanam ſuſcipientis intelligentiam eſt accipiendum: ſed jux-
ta ſanam ſuſcipientis intelligentiam, quæ ex recta verbo-
rum ſignificatione deſumitur, id quod juratur eſt falſum,
ut ſupponitur, in quæſt. ergo tale juramentum eſt perju-
rium, quod ex ſui ratione ſemper eſt mortale, ut ſupra
in 2. *concluſ. num*. 60.

Secundo, mendacium juramento firmatum in quacum- 82
que materia, & ex quacumque cauſa ſemper eſt peccatum
mortale, *cap. ult*. 22. *qu*. 1. *cap. Si quis, ead. queſt*. 5. & pa-
tet ex dictis ſupra in 2. *concluſ. num*. 60. *& ſeqq*. Sed enun- 83
ciare id, quod ſecundùm vocis ſignificationem cognoſci-
tur eſſe falſum ſubaudiendo aliud in mente, quod reddat
ſenſum verum, eſt mendacium: ergo ſi firmetur juramen-
to, ſemper mortale peccatum.

Minor probatur, quia mendacium nihil eſt aliud quam 84
falſa ſignificatio vocis cum voluntate fallendi, ut diffinit
Auguſtin. in *lib. Contra mendacium ad Coſentium, cap*. 22.
& in Enchirid. cap. 18. relatum à Gratiano in *cap. Beatus*,
§. *Ille ergo*, 22. *queſt*. 2. gloſſ. in *l. De ætate*, §. *Si cum eſ-
ſet, in verb. Mendacii, ff. de interrogat. action*. Magiſter,
& Theologi in 3. *ſentent. diſtin*. 3. & in ſpecie S. Thomas
queſt. 1. *art*. 1. Sylveſt. *in verb. Mendacium, num*. 1. ſed
qui ſcienter dicit ſe aliquid feciſſe, quod non fecit, quid-
quid in mente ſubaudiat, utitur falſa ſignificatione vocis;
quia ſubauditio illa in mente retenta nihil operatur quoad
externam ſignificationem vocis, *l. Si repetendi, C. de con-
dit. ob cauſ. & l. In ambiguo, ff. de rebus dubiis*. Item ha- 85
bet intentionem fallendi, quia intendit, ut audiens cre-
dat verum eſſe, quod ſecundùm vocis ſignificationem eſt
falſum, & ſic fallatur: nam falli, & errare nihil eſt aliud,
quam unum pro alio putare, *cap. In quibus*, 22. *queſt*. 2. *l.
Si poſthumus*, §. *ultim. ff. de libr. & poſthum*. gloſ. *prima,
circa fin. in ſumma* 29. *queſt*. 1. Hoſt. in *cap. Ad noſtram,
num*. 2. *ſupra de conjug. ſervor*. ſeu falſum pro vero putare,
cap. Quamvis, 38. *diſtin*. dict. gloſſ. *in ſumm*. 29. *queſt*. 1.
in verb. Erravit. Igitur enunciare quod cognoſcitur eſſe
falſum ſecundùm ſignificationem vocis, quicquid internè
ſubaudiatur, mendacium eſt. Et confirmatur ex verbis
Cajetani in 2. 2. *queſt*. 89. *artic*. 7. *in reſponſione ad* 4. *verſ*. 86
Ad hoc dicitur, ubi ſic ait: [In quacumque materia ſi
verba ſunt falſa, tale juramentum eſt peccatum mortale:
& ratio eſt, quia ibi eſt mendacium juramento firmatum,
quia ibi eſt falſæ vocis ſignificatio cum intentione fallendi
juramento firmata. Nec excuſatur propter implicitam 87
ſubauditionem in mente retentam, quoniam hujuſmodi
ſubauditio non excuſat, quin ſit falſa vocis ſignificatio
cum

Digitized by Google

eum intentione fallendi illum; ut intelligit ſibi promitti
quod iſte promittere non intendit.:] Hæc ille.
88 Præterea eſto in aliquo caſu audiens non fallatur, ut
contingit in mendacio jocoſo, quia audiens fidem non adhibet,
& ſic non fallitur; nihilominus, ut inquit S. Thomas
in 3. *ſentent. diſtinct.* 38. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *ad ultimum.*
*Quiſquis ſciens falſum loquitur, fallit, quamvis non ſemper
aliquis per eius verbum fallatur, veluti ſi mendacium ſit
iocoſum, quia fallaciam intendit ſecundum quod eſt in fallente;
ſecundum illud Chryſoſtomi ſuper Matth. cap.* 21.
*Mendacia ſi non habent quem decipiant, ipſa ſibi mentiuntur,
ſicut ait Pſalm. Mentita eſt iniquitas ſibi.* Unde
89 ratio mendacii ſumitur à falſitate formali, ſecundùm hoc
ſcilicet, quod aliquis habet voluntatem falſum enunciandi:
quod autem quis intendat falſitatem in opinione alterius
conſtituere fallendo ipſum non pertinet ad ſpeciem
mendacii, ſed ad quamdam illius perfectionem, ut idem
S. Thomas docuit in 2. 2, *quæſt.* 100. *art.* 1. *in corp.* & poſt
eum S. Anton. 2. *par. tit.* 10. *cap.* 1. *de mendacio*, §. 1. *verſic. Secundum
eſt*, & *verſ. Tertium*, & Sylveſter *in verb.
Mendacium*, *numer.* 1. & conſentit D. Bonaventura in 3.
ſentent. diſtin. 38. *quæſt.* 5. *num.* 30. ubi ſic ait: *Cum dicitur
mendacium, eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi;
non idem eſt fallere, quod decipere; ſed idem eſt fallere,
quod falſum dicere: unde ſenſus eſt cum intentione fallendi,
hoc eſt falſum dicendi; & hoc utique convenit mendacio
iocoſo, licet minus complete, quàm pernicioſo.* Hæc ille.
Ergo qui ſciens falſum loquitur etiam per jocum, quicquid
in mente ſubaudiat, mendacium incurrit, ſive audientem
fallat, ſive non.
90 Tertiò, mendax eſt, qui lingua profert contrarium
ejus, quod mente gerit, *cap. Is autem mentitur*, 22, *quæſt.*
91 2. In difformitate enim, & diſſonantia verborum ab
intentione conſiſtit ratio formalis mendacii, *cap. Queritur*,
§. *Item opponitur*, *verſ. Epiſcopus vero*, *ead. cauſ.* &
quæſt, & dictum eſt ſupra *num.* 58. *in fin.* *Nam*, ut inquit
Magiſter in 3. *ſententiarum diſtinct.* 38. *in* 4. *dub. littera C.*
92 *hoc malum eſt proprium mentientis, unum habere clauſum in
pectore, aliud promptum in lingua.* Unde gloſſa exponens
illud Pſalmi, *Labia doloſa in corde locuti ſunt*, ſic ait: [ubi
eſt duplex cor, ita quod aliud dicitur, & aliud intenditur,
ibi eſt mendacium;] ſequitur S. Antonin. in 2. *par.*
93 *titul.* 10. *cap.* 1. *de mendacio*, §. 1. Rationem reddit D.
Thom. *in* 2. 2, *quæſt.* 110. *artic.* 3. *in corp.* *Quia cum voces
naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt, & indebitum,
quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in
mente.* Hinc Homer. in 1. Iliade. *Exoſus mihi veluti inferni
porta, qui aliud quidem occultum habet in mentibus, a-*
94 *liud ore profert.* Qui autem implicita ſubauditione utitur
ad invertendum ſenſum verborum, utique lingua
profert contrarium ejus, quod gerit in mente: nam
lingua profert ſenſum falſum juxta ſignificationem vocis;
& mente concipit ſenſum verum juxta implicitam
ſubauditionem; nam verbi gratia, ſi homicida
dicat, *Non occidi*, & mente ſubaudiat ſcilicet in die
Paſchatis, propoſitio illa, *non occidi*, ſecundùm externam
vocis ſignificationem eſt falſa, quia in veritate occidit;
ſed ſecundùm mentis ſubauditionem eſt vera, quia in
95 veritate non occidit tali die. Rurſus propoſitio illa, *non
occidi*, juxta ſonum verborum eſt ſimplex, & abſoluta
& juxta implicitam ſubauditionem redditur complexa,
& qualificata: idque non contingit ex ſignificatione vocis,
quàm verba, *non occidi*, non admittunt hanc interpretationem,
ſcilicet in die Paſchatis, ut per ſe patet: ſed contingit
ex conſpectu mentis: & ita qui ſic loquitur, habet
in lingua contrarium ejus, quod mente gerit: Igitur eſt
mendax: & ſi huic mendacio etiam non pernicioſo, ſed
officioſo, vel jocoſo juramentum addat, ſemper eſt perjurus,
& mortaliter peccat, ut conſtat ex dictis in 1. & 2.
concluſ.
96 Quartò, ſi verba juramenti ex propria ſignificatione
non admittunt ſenſum, quem jurans mente concipit, per
hoc à perjurio non excuſatur, ut ſi quis jurat ſe non comediſſe,
volens ſignificare ſe non dormiſſe: vel ſi dicat fundum,
intelligens de equo, ut exemplificat gloſſ. 1. in *l. In
ambiguo*, *ff. de reb. dub.* quia non eſt in facultate cujuſquam
ſignificationem verbis imponere, idque liberè fatetur
Vaſquez in 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 4. *diſput.* 82. *cap.* 4. *nu.*
39. & Auctores contrariæ ſententiæ, ut Sanchez *in Decalogo
lib.* 3. *cap.* 6. *numer.* 15. *in fin.* idemque dicit Sotus *de
Secreto*, *membro* 3. *quæſt.* 3. *ad fin.* de eo, qui jurat aliquid
de Petro, intelligendo intra ſe alium Petrum ab eo, de
quo interrogatur. Ergo ob eandem rationem non excuſa- 97
bitur à perjurio, qui in quocumque caſu ex ſubauditione
in mente addita invertit ſenſum aſſertionis juratæ, quia
vox externa, quæ ſignificat falſum, in nullo caſu admittit
ſubauditionem internam, quæ ſignificat verum; alioquin
contineret contrarietatem, quia ſimul ſignificaret verum, 98
& falſum, quæ invicem ſunt contraria, & eſſe non poſſunt
in eodem ſubjecto, gloſſ. in *cap. Cum humilitatis*, *in
verb. Falſitas*, 22. *quæſt.* 2. & probat S. Thomas in 1. *par.
quæſt.* 17. *art.* 4. quod exemplis clarius apparebit. Ecce tu 99
ad interrogationem meam reſpondes, dabo tibi centum,
& ſubaudis intra te, ſi Cœlum digito tetigeris: utique
reſponſio verbis expreſſa affirmat te daturum centum;
ex conditione autem in mente addita negat te daturum, 100
quia conditio impoſſibilis natura vitiat ſtipulationem, *l.
Generaliter*, & *l. ſeq. ff. de verb. obligat.* *l. Non ſolum*, *ff.
de act. & obligat.* §. *Impoſſibilis*, *inſtitut. de inutil. ſtipulat.*
ſimiliter vir dicit mulieri, Accipio te in meam uxorem:
quæ verba matrimonium inducunt, *cap. Si inter virum*,
ſupra de ſponſ. & *cap. Licet de ſponſa duorum*, & ſubaudit
intra ſe conditionem, ſi adulterium commiſeris;
quæ conditio matrimonium vitiat, cùm ſit contra
illius ſubſtantiam, *cap. fin. de condit. appoſ.* Igitur exter- 101
na vox cum ſubauditione mentis conjuncta ſimul ſignificat
matrimonium eſſe, & non eſſe, quæ contradictoriè
ſunt appoſita, Sanctus Thomas in 1. 2. *quæſt.* 64. *artic.* 3.
ad tertium; & idem eſt ſi propoſitiones non ſint oppoſitæ:
nam ſi tu dicis dabo tibi centum, & ſubaudis intra te, ſi
mihi placuerit, propoſitio verbis expreſſa eſt pura: tu verò
ex conceptu mentis facis eam conditionem. Item ſi interrogatus
à judice dicas, *non occidi*, & mente ſubintelligas,
ut tibi dicam; reſponſio verbalis eſt nuda, & ſimplex: at
ſubauditio eam efficit modalem, & complexam: quæ
omnia repugnant naturæ verborum, cùm ſtare non poſſit,
ut una & eadem propoſitio ſimul ſit conditionalis,
& pura, vel complexa, & ſimplex, ut per ſe patet: & idem
dicendum de ſimilibus; nam in quocumque caſu quæſtionis
propoſitæ ſubauditio in mente retenta corrumpit,
ac deſtruit externam ſignificationem vocis, cùm aliud
vox, aliud ſubauditio ſignificet: ad hoc textus optimus
in *l. In ambiguo*, & ibi gloſſ. 1. *ff.* 1. *de reb. dub.* & latiùs patebit
infrà *num.* 111.
Quintò, qui apparenter jurat, ſed intentionem habet 102
aut non jurandi, aut ſe juramento non obligandi, aut
promiſſionem juratam non adimplendi, perjurus eſt;
quia exterius juramentum applicatur mendacio, quod 103
eſt materia omninò contraria juramento tam interiori,
quàm exteriori: unde Gratian. in §. *Item qui falſum*, *circa
fin. poſt cap. Animadvertendum*, 22. *quæſt.* 2. [Ille, in- 104
quit, in dolo jurat, aut mendaciter promittit, in cujus
mente eſt non ſic ſe facturum, ut promittit;] & in *c. Qui
pejerare*, 22. *quæſt.* 5. Cromatius ait: [qui pejerare para- 105
tus eſt, antequam juret, jam perjurus eſſe videtur; quia
Deus non ex operibus judicat, ſed ex cogitationibus, &
ex corde:] & ſingula membra per rationes invincibiles latè
proſequitur, & probat doctiſſimus Cajetanus in 2. 2.
quæſt. 89. *artic.* 7. *in reſponſ. ad quartum*, *col.* 6. *verſ. Quocirca*;
ſed qui verbis externis jurat aliquid eſſe, vel non
eſſe, aut ſe daturum, vel facturum, & in mente ſubaudit
conditionem impoſſibilem, vel inducentem contrarium
ſenſum, utique apparenter jurat, ſed intentionem
habet aut non jurandi, aut certè ſe non obligandi, & promiſſionem
non adimplendi: propterea enim externo juramento
obligatorio ſecundùm ſignificationem vocis addit
in mente conditionem impoſſibilem, vel aliam, quæ
juramenti vim, & obligationem perimit, ut per hanc cautelam
non remaneat juramento obligatus; idque conceduut
vel Auctores ſententiæ oppoſitæ, dum aſſerunt
ſic jurante non obligari juramento; ergo ſic jurans perjurus
eſt.
Sextò, ſi ex aliqua juſta cauſa liceret verbis exteriori- 106
bus jurare falſum ſubaudiendo in mente aliquid, quod
redderet ſenſum verum, ſecluſo ſcandalo licuiſſet etiam
Martyribus ad vitandam mortem infidelium ſectas ore
profiteri, ſubaudiendo in corde, ſi mihi liceat: ſed hoc
impium eſſet aſſerere, *cap. Non ſolum*, 11. *quæſt.* 3. quia
eſſet

Digitized by Google

eſſet applicare actum exterioris cultus cui non debetur.
107 Ergo ſimiliter qui actum exterioris juramenti, qui eſt a-
ctus latriæ (S. Thom. in 2. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 4.) applicat
materiæ contrariæ, ſcilicet mendacio, dum dicit: *Deus
eſt mihi teſtis quod ſi faciam, & ſubaudit in mente aliud,
per quod non intendit facere, mortaliter peccat: eſt enim
hoc exhibere Deo irreverentiam coram hominibus, qui au-
diunt juramentum falſum ſecundum vocis ſignificationem,
& non percipiunt ſubauditionem in mente jurantis retentam:*
quo argumento utitur Cajetan. *in* 2. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 7.
*in reſponſ. ad quartum, verſ. Ad hoc dicitur, colum. penult.
circa fin.*
108 Septimò, qui firmat juramento id, quod nihil eſt, per-
jurium committit; quia quod nihil eſt, non poteſt eſſe
verum, cùm verum, & nihil, ſeu non ens contradicto-
109 riè ſint oppoſita, Sanctus Thomas *in* 1. *part. quæſt.* 17. *ar-
tic.* 4. *& in* 1. 2. *quæſt.* 64. *articul.* 3. *ad tertium, & in* 1.
110 *ſentent. diſtinct.* 19. *quæſt.* 5. *artic.* 1. *ad ultim.* Et juramen-
tum, cui veritas non eſt comes, perjurium eſt, *cap. Ani-
madvertendum,* 22. *quæſt.* 2. qui autem lingua jurat ſcien-
ter falſum, & mente concipit verum, utique firmat ju-
ramento id, quod nihil eſt: nam ut formaliter inquit gloſ.
111 1. *part. in cap. Is autem mentitur,* 22. *quæſt.* 2. Qui menti-
tur nihil dicit, quia non dicit id, quod vox ſignificat; a-
liud enim cogitat mente, quàm ore proferat. Item non
dicit id, quod cogitat, quia vox illud non ſignificat, nec
dicit illud, quod voce ſignificat, quia illud non intendit:
ergo nihil dicit, ut *l. In ambiguo, ff. de reb. dub.* ubi dici-
tur: qui aliud dicit, quam vult, neque id dicit, quod ſi-
gnificat, quia non vult: neque id quod vult, quia id non
loquitur. Igitur qui ſic loquitur, cùm firmet juramentum
id, quod nihil eſt, perjurium committit.
112 Et confirmatur, quia veritas eſt, ut quod eſt dicatur,
cap. Cum humilitatis, 22. *quæſt.* 2. Tu verò dicis, quod
non eſt, ut ſupponitur in quæſtione: nam quod implici-
tè ſubaudis, non dicis, ſed mente cogitas, *dict. l. In am-
biguo, & l. Si repetendi, ff. de condict. ob cauſ.* ergo ipſe
te ſeducis, & veritas in te non eſt, dict. *cap. Cum humili-
tatis*, Sanctus Thomas in 2. 2. *quæſt.* 111. *artic.* 1. *in corp.
& in reſponſ. ad primum:* & cum ſine veritate jures, non
113 juras, ſed pejeras, ut in dict. *cap. Animadvertendum*, ibi:
*Si iſta defecerint, nequaquam erit juramentum, ſed perju-
rium*, 22. *quæſt.* 2.
114 Octavò, non ſolùm in falſis verbis, ſed etiam in ſimu-
latis operibus mendacium eſt, dicit textus in *cap. Cavete*,
22. *quæſt.* 5. ubi gloſſa unica deſumit argumentum quod
factis mentimur ſicut verbis, & factis negamus Chriſtum
115 ſicut verbis, *cap. Exiſtimant*, 11. *quæſt.* 3. Nam ut in-
quit Sanctus Thomas *quodlib.* 6. *art.* 17. *in corp. Cum ea-
dem intentio fallendi ſit in eo, qui mentitur verbo, & in eo,
qui mentitur facto, uterque æqualiter peccat; verbum enim,
& factum aſſumuntur, ut inſtrumentum fallendi: Unde
non refert quantum ad peccatum mendacii, utrum quis ver-
bo, vel facto quocumque, vel ſcripto, vel motu mentiatur;
ſicut nec refert quantum ad peccatum homicidii, utrum a-
liquis gladio, vel ſecuri interficiat hominem.* Hæc D. Tho-
mas, quem ſequitur Archidiac. in *cap. Is autem, numer.* 1.
116 22. *quæſt.* 2. & idem docuit in 2. 2. *quæſt.* 111. *artic.* 1. Sed
qui facto ipſo mentitur, non ideò immunis eſt à menda-
cio, quod in mente aliquod verum ſubaudiat, quia non
eſt in facultate mentientis rerum merita immutare, ut
Boet. inquit *lib.* 1. *de conſolat. proſ.* 4. aut res verbis ac-
commodare, S. Thom. *in* 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 10. *& quod-
lib.* 7. *art.* 14.
117 Alioquin ſecluſo ſcandalo licuiſſet etiam Beato Marcel-
lino Jovis ſimulacro thura adolere, concipiendo in men-
te ſe non thurificare idolis, ſed vero Deo: & tamen fa-
tentur omnes eum peccaſſe contra fidei confeſſionem,
ut *cap. Non ſolum*, 21. *diſtinct.* quia ſcriptum eſt, *Qui-
cumque me erubuerit coram hominibus, hunc & filius homi-
nis erubeſcet coram Angelis Dei*, ut in propoſito ejuſdem
Pontificis notat Cajetan. in 2. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 7. *in reſp.
ad* 4. *verſ. Ad hoc dicitur, colum. penult. circa finem.* Cu-
jus rei evidentiſſimum teſtimonium præbuerunt horribi-
lis pœnitentia poſteà peracta, Pontificatus ſponte dimiſ-
ſus, & martyrium ob fidem ſuſceptum, ut apud Cardin.
118 Bellarm. *lib.* 4. *de Roman. Pontific. cap.* 9. Ergo pariter nec
qui falſis verbis utitur eſt à mendacio immunis ex eo, quod
in mente ſubaudiat verum; quia ſicut non eſt in poteſtate
alicujus facti veritatem immutare, ita nec verbis aliam
ſignificationem imponere: nam ut inquit Sanctus Tho-
mas in 3. *ſentent. diſtinct.* 38. *quæſt.* 1. *articul.* 1. *in corpor.*
Non eſt in poteſtate hominis verum ſignificare, nec ve-
rum ſcire: & probatur in dict. *l. In ambiguo*, & ibi gloſſ.
1. *ff. de reb. dub. & in l. Si repetendi, Cod. de condict. ob
cauſ.* & ex dictis ſupra *num.* 89. *&* 111. Et veritas in ju- 119
ramento eſt adæquatio vocis ad rem, ſecundùm Turrecr.
in *cap. Animadvertendum, in reſponſione ad primum, verſ.
Nec veritas*, 22. *quæſt.* 2. & D. Bonaventura in 3. *ſent. di-
ſtin.* 38. *quæſt.* 1. *num.* 9.
Nonò, cùm hæc ita ſe habeant in extrajudicialibus, 120
longè magis procedunt in judicio: nam qui in juramento
utitur hujuſmodi ſubauditionibus ſenſum invertentibus;
obnoxius eſt Deo, Judici, & parti: quæ tria damnantur
in hac Decretali.
Obnoxius eſt Deo, qui artificioſum juramentum ac-
cipit non ſecundum mentem jurantis, ſed juxta ſa-
nam intelligentiam ſuſcipientis, id eſt ſecundùm id,
quod ſuſcipiens intelligere debet juxta rectam intelli-
gentiam verborum, ut probatum eſt ſupra *numer.* 79.
& 80. At juxta rectam intelligentiam verborum, &
ſignificationem vocis id, quod juratur eſt falſum, ut
ſupponitur in quæſtione. Ergo ſic jurans graviter ob-
noxius eſt Deo, cùm Divinum ejus nomen invocet in
teſtimonium falſitatis, & ipſius præſentiam contemnat,
ut hic dicitur.
Obnoxius eſt judici, quia cùm implicita ſubauditio in 121
mente retenta ſit judici abſcondita, & imperceptibilis, &
exteriora juramenti verba ſint falſa, per hoc judex falli-
tur, eique ſubtrahitur debitum Juſtitiæ, quod eſt morta-
le peccatum, ut per Div. Thom. in 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 1.
Item perjurium eſt nequiter decipere credentem, ut *cap.* 1. 122
22. *quæſt.* 2. Præterea doloſo hoc juramento inducitur ju-
dex ad ferendam iniquam ſententiam, utpotè falſis proba-
tionibus innixam; quod ſimiliter eſt contra juſtitiam,
*cap. Super eo, infra eodem, & cap. Cum venerabilis, ſup.
de except.*
Nec dicatur: ſi reus, qui homicidium commiſit ad ſui 123
neceſſariam defenſionem, juret ſe non occidiſſe, ſubau-
diendo in mente, ita ut puniri poſſit, ſententia abſoluto-
ria non eſt iniqua, cùm homicidium hoc caſu non ſit pu-
nibile, *Clement. Si furioſus, de homicidio.* Imò enim
adhuc judex malè judicat, quia non fert ſententiam abſo-
lutoriam ex eo, quod accuſatus commiſerit homicidium
ad ſui defenſionem, ſed ex eo, quod homicidium non
commiſerit; & ita ex falſa cauſa, cùm verè illud perpe-
traverit. Unde fertur ſententia ex falſis probationibus,
cùm ſecundùm acta, & probata ſit judicandum, *cap. Ju-
dicem*, 3. *quæſt.* 7. *& § Si quando autem*, 2. *quæſt.* 1. *cap.
Paſtoralis*, §. *Qui vero*, ubi gloſſ. *ultim. ſupra de offic. De-
leg.* Inſuper reus negando homicidium in cauſa eſt, ut ju-
dex ad veritatem indagandam inquirat contra alios non
culpabiles: & injuſtè puniat accuſatorem in probatione
deficientem, ut dicam infra *numer.* 131. quod non faceret
ſi accuſatus veritatem confiteretur. Unde ſic jurans me-
ritò obnoxius eſt judici, quem mentiendo fallit, ut hic
dicitur.
Inſuper eſto ſic jurans non ſit perjurus ex eo, quod fal- 124
ſum dicat: tamen procul dubio perjurus eſt ex eo, quod
veritatem occultat judici, cui tantùm nota eſt externa
ſignificatio vocis, ſed prorſus ignota ſubauditio in mente
jurantis retenta. Unde ex nulla cauſa excuſatur a culpa
mortali, ut per Silveſt. *in verb. Mendacium, quæſt. ultim.
verſ. Cavenda tamen*: nam ut legitur in *cap. Quiſquis*,
11. *quæſt.* 3. *Qui metu cuiuslibet poteſtatis veritatem occul-
tat, iram Dei ſuper ſe provocat, quia magis timet hominem,
quàm Deum.* Et in fi: *Uterque reus, & qui veritatem oc-
cultat, & qui mendacium dicit*: quæ verba ſunt repetita
in hac Decretali. Ad idem text. in *l. Si quis obrepſerit, ff.
de falſ.* & fuſiùs dictum eſt ſupra *in* 3. *notab.* Adeò ut et- 125
iam accuſatus de capitali crimine, non poſſit abſque
mortali peccato veritatem celare, licèt certò ſciat ſe pro-
pterea ultimo ſupplicio affectum iri; quia ut egregiè do-
cet Sanctus Thomas *in* 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 1. *in corp. Qui-
cumque facit contra debitum juſtitiæ mortaliter peccat. Per-
tinet autem ad debitum juſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo Su-
periori in his, ad quæ ius Prælationis ſe extendit. Judex
autem Superior eſt reſpectu eius, qui judicatur; & ideo ex*
debito

debito tenetur accuſatus iudici veritatem exponere, quam ab
eo ſecundùm formam iuris exigit, & ideò ſi confiteri noluerit
veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter ne-
126 *gaverit mortaliter peccat.* Hæc ille. Idem firmat Bartol.
in *l. Relegati, ff. de pœn.* ubi *numer.* 1. Fortiùs dicit ſe-
cundùm Theologos damnatum ad mortem peccare au-
fugiendo de carcere: & ſequitur Abb. in *cap. Ex par-*
te, il ſecondo, numer. 2. *in fine, verſ. Per quod idem è*
contra, de ſepultur. & Marian. Socin. *hic numer.* 10. &
11.
127 Sed dices: hæc vendicant ſibi locum ſi reus, vel teſtis
interrogetur ſecundùm formam juris; ſecus verò ſi non
juridicè, puta quia judex non ſit competens, vel ejus ju-
riſdictio ſit ſuſpenſa, aut non extent indicia ſufficientia
ad interrogandum: quia tunc tacendo veritatem non
128 peccat, ut conſtat ex dictis ſupra in 3. *notab.* Quinimò
hoc caſu peccat reus non fugiendo de carcere, ſecundùm
Marian. Socin. hic *numer.* 12. & *per cap. Si non licet*, 23.
quæſt. 5.
129 At reſpondetur, Licere quidem hoc caſu veritatem
celare, ſed non mentiri aliud ore proferendo, aliud men-
te ſubaudiendo, *cap. Ne quis arbitretur*, 22. *quæſt.* 2. &
in ſuperioribus abundè probatum eſt: quod ſi judex inju-
ſtè urgeat ad confeſſionem extorquendam, poterit reus u-
ti cautelis, quarum meminit Sanctus Thomas in 2. 2. *quæſt.*
69. *d. artic.* 1. *in corp.* dicens: *Si verò iudex hoc exquirat,*
quod non poteſt ſecundùm ordinem iuris, non tenetur ei accu-
ſatus reſpondere, ſed poteſt vel per appellationem, vel aliter
licitè ſubterfugere; mendacium tamen dicere non licet. Ad-
130 de verum non eſſe, quod ait Marian. Socin. de reo non
fugiente de carcere. Imò enim, ut rectiùs docuit Cajetan.
in 2. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 7. *in reſp. ad* 4. *verſ. Ex his autem*
in tot dubiis. Quantumcumque carceratio ſit injurioſa
vel injuſta: tamen materia eſt juſta, & ſancta; nam vel
pati juſtum, & velle pati injuſtum, ſanctum eſt: ad hoc
23. *quæſt.* 1. *in Summa, cap. Quod Chriſtus, §. Poteſt,*
quæſt. 4. & *cap. Suggeſtum*, 7. *quæſt.* 1. Nec ad rem facit
dict. cap. Non licet, quia loquitur de eo, qui occidit ſeip-
ſum: quod nullo caſu eſt licitum, cùm ſit malum intrin-
ſecè, ut ibi patet.
131 Demum jurans in judicio, obnoxius eſt parti, quam
doloſo juramento lædit, ut hic in textu contra illud Pſalm.
Domini eſt terra, &c. nec iurabit in dolo proximo ſuo, ut
notatur *in Summ.* 22. *quæſt.* 2. Necnon contra illud Eccleſ.
23. *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſce-*
det à domo illius plaga: & ſi fruſtraverit, delictum il-
lius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulaverit, delinquit duplici-
ter; & ſi in vanum iuraverit, non iuſtificabitur. Item ut
inquit Sanctus Thomas in 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 1. *ad tertium.*
Qui mentitur in iudicio, ut ſe à morte liberet, non ſolum
facit contra dilectionem Dei, cuius eſt iudicium, & contra
dilectionem proximi ex parte iudicis, cui debitum negat;
ſed etiam ex parte accuſatoris qui punitur, ſi in probatione
deficiat, ſcilicet pœna talionis, *cap. Calumniator*, 2. *quæſt.*
3. *l. final.* & ibi gloſſ. *in verb. Similitudo ſupplicii, Cod. de*
132 *accuſator.* Sanctus Thomas in 2. 2. *quæſt.* 68. *artic.* 4. Et
efficitur infamis, *cap. Qua autem pœna*, 2. *qu.* 3. & com-
munione privatur, *cap. Si quis Epiſcopum, & c. Enthe-*
nium, ead. cauſ. & quæſt.
133 Decimò, & ultimò, juramentum inſtitutum eſt, non
per quod ſe invicem homines fallant, ſed per quod quiſ-
que in alterius ootitiam cogitationes ſuas proferat. Ver-
134 bis ergo uti ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, pec-
catum eſt; quæ ſunt formalia verba text. in *cap. Is autem*
135 *mentitur*, 22. *quæſt.* 2. Modus autem jurandi per has im-
plicitas ſubauditiones mentis alium ſenſum inducentes,
quam vox ſignificet, hunc juramenti finem enervat pror-
ſus, ac deſtruit. Nam idcircò ſuſcipiens juramentum red-
ditur certus de fideli jurantis intentione, quia eum oon
credit uſque adeò immemorem ſalutis æternæ ut velit jura-
re, Deum invocando in teſtimonium falſitatis. At quo
pacto poterit amplius certior fieri de hujuſmodi intentio-
ne, ſi jurans ſine ollo ſcrupulo peccati poteſt lingua pro-
ferre contrarium ejus, quod animo ſentit, & quæ fi-
des erit ſacramenti, ſi illius veritas pendet ex ſubaudito
intellectu mentis audienti occulto, & impenetrabili? Pro-
fectò ſi fas eſſet has ſimulationes, & cordis duplicitates
jurejurando adſtruere, hinc poſſet quiſque ſuo arbitra-
tu proximo illudere: & penè corrueret certitudo judi-
ciorum, contractuum, ne humanarum actionum, quæ
potiſſimum jurejurando vallantur, & firmitatem acci-
piunt, & omnia dolis, ac fallaciis paterent, reſque ſacro-
ſancta, & in actibus humanis tam neceſſaria ludibrio ha-
beretur. Cùm nihil ſit tam falſum, quod his duplicitati-
bus, & implicitis ſubauditionibus velari non poſſit: &
tamen principalis juramenti comes eſt veritas, *cap. Ani-*
madvertendum, 22. *qu.* 2. nec veritas in mente jurantis 136
retenta, ſed in audientis notitiam delata, ut in *dict. cap. Is*
autem mentitur, Nam, ut inquit S. Bonavent. in 3. *ſenten.*
diſtin. 38. *quæſt.* 2. *num.* 24. *voces inſtitutæ ſunt, ut adſtrua-*
tur veritas apud audientem, quæ eſt apud loquentem: & id-
eo qui ad aliud utitur, ipſo ſermone abutitur, & incurrit
peccatum mendacii. Hæc ille. Item omnis, qui jurat, ut
quod verum eſt, eloquatur, dicit textus in *cap. Iuramen-*
ti, 22. *q.* 3. quamobrem ut verbis Auguſtini utar in *cap.*
Homines, 22. *q.* 2. *Videtis quàm iſta deteſtanda ſit bellua,*
& de rebus humanis exterminanda.
Nec relevat replicatio, quod etſi modus hic jurandi ad- 137
verſetur fini ſacramenti, tamen ſi id contingat in materia
levi, non ſit ſine culpa venialis, quoniam non de ſimpli-
ci mendacio, ſed de perjurio hic agitur, ut conſtat dictis.
Perjurium autem in quacumque materia etiam leviſſima
ex ſui ratione ſemper eſt mortale peccatum, ut ſæpiùs re-
petitum eſt.
Amplia primò: concluſionem ſuperiùs firmatam, 138
ut locum habeat etiam in eo, qui alta voce juramento af-
firmat aliquid falſum, & continuando ſubmiſſa voce ab a-
liis imperceptibili ſuperaddit aliqua verba, quæ reddunt
ſenſum verum: nam & is dicendus eſt pejerare, quicquid
contra ſcripſerit Sanchez *ſuper Decalogum lib.* 3. *cap.* 6. *nu-*
mer. 15. *verſ. Quintò quia*: quid enim intereſt, an quis in 139
materia falſa implicitè ſubaudiat aliquid in mente, vel vo-
ce adeò ſubmiſſa id exprimat, ut audiens non percipiat;
utroque enim caſu eadem eſt fallendi intentio, cùm alta
vox aſſumatur tamquam inſtrumentum fallendi. Unde
ſicut mentiri non licèt mente ſubaudiendo, ut abundè o-
ſtenſum eſt ſupra, ita nec imperceptibili voce loquendo,
cùm paria ſint nihil reſpondere, vel ita obſcurè reſpon-
dere, ut incertum dimittat interrogatorem, dicit text. in
l. De ætate, §. Nihil, & ibi Bart. *in princ. ff. de interrog.*
action.
Amplia ſecundò, ut ob eamdem rationem non excuſe- 140
tur à perjurio, qui in materia falſa diceret Italico idiomate,
Giuro perd'io, cum apoſtropho, poſt litteram *d'* intendens
ſignificare, *perdo io*, vel qui juraret per verb. *uro*, ſuppri- 141
mendo infra dentes litteram *I*, adeò ut audiens id non
perciperet, ſed intelligeret jurantem dixiſſe, *Iuro*, licèt
contrarium, etiam benè docuerit idem Sanch. *d. cap.* 6. *nu.*
37. *verſ. Smiliter.*
Amplia tertiò, ut ratione conſimili idem ſit dicendum 142
in eo, qui in materia itidem falſa pronunciet juramenti
verba interrogativè, ut contrarium ſenſum inducat ad a-
liquem decipiendum, veluti ſi dicat: Ego non novi ho-
minem acuendo pauliſper vocem in ultima ſyllaba, ſed ita
artificiosè, ut non percipiatur ab audiente. Sicut non-
nulli hæretici invertunt illud Beati Auguſtini. *Qui fecit*
te ſine te, non ſalvabit te ſine te? quaſi ſit ſenſus, utique 143
ſalvabit. Vel ſi intendat loqui per ironiam, intelligendo
album pro nigro, & verum pro falſo. Et generaliter quo- 144
cumque alio modo ad aliquem circumveniendum in
juramento utatur fallacia, artificio, ſimulatione, dupli-
citate, vel fictione aliqua, prout in ſingulis decem prædi-
camentis exemplificat Margarita decreti, ſeu tabula Mar-
tin. *in verb. Fingere*; & patet ex D. Thom. in 2. 2. *quæſt.*
111. *artic.* 1. nam ut legitur in *cap. Nec artificioſo*, 22. *qu.*
2. *Nec artificioſo mendacio, nec ſimplici verbo oportet de-*
cipere quemquam; & quomodolibet mentitur, quis occidit a-
nimam: aliàs legitur, quolibet artis modo mentiatur os,
quod mentitur, occidit animam.
Amplia quartò, eamdem concluſionem; ut vendicet 145
ſibi locum etiam in eo, qui in juramento utitur verbis
amphybologicis, ſeu æquivocis, ſub hac tamen diſtin-
ctione: nam aut verba, quæ uſurpantur ex propria ſigni-
ficatione vocis, & communi audientium uſu non ad-
mittunt interpretationem, quam jurans intendit, ut in
exemplo Principis picti, de quo ſuprà *num.* 25. & hoc ca-
ſu in juramento uti amphybologia, & verbis duplicibus,
etiam ex juſta cauſa, vel jocosè, eſt mortale peccatum. Et
ratio

146 ratio eſt in promptu, quia cùm juramentum ſit accipien-
dum,juxta propriam, & communem intelligentiam verbo-
rum, ut *cap. Ex litteris, il primo*, & ibi omnes, *ſupra de
ſponſal.* & exteriora verba ex communi intelligentia non
recipiant ſenſum verum, quem jurans intendit, ut ſuppo-
nitur in hoc primo membro diſtinctionis: eſt manifeſta
ibi falſa vocis ſignificatio juranti cognita, & ſic menda-
cium juramento firmatum, quod ex nulla cauſa excuſatur
à mortali, cùm in ſubſtantia mendacium idem ſit, quod
aſſertio falſi cogniti, ut per D. Bonavent. in 3.*diſt*.38. *qu*.1.
num.13. & latiùs oſtenſum eſt ſupra *n*.88. *&* 89. neque enim
interna ſubauditio veri operatur, quia externa ſignificatio
vocis ſit falſa, ut ſimiliter probatum eſt ſupra *n*.87. *&* 97.
uſque ad num.102. *& num*.111. Unde quemadmodum qui
ſciens aliquid facit quamvis mente concipiat ſe illud non
facere, tamen facit: ita qui ſciens falſum dicit cum jura-
mento, quamvis mente concipiat ſe verum dicere tamen
falſum dicit, & mortaliter peccat cùm utrobique eadem
ſit ratio, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra *num*.114. *&
ſeqq.* & quamvis Leonardus Leſſius ſupracitatus *numer*.25.
de hoc hæſitaverit; dicens ineſſe grave peccatum, ſed for-
tè non mortiferum: tamen non percipio quomodo pecca-
tum poſſit eſſe grave, & non mortale, cùm in oppoſitum
ſit text. in *c*.1. 81. *diſt*.Unde Jo. Andr.*in c. Sacris,n*.20. *ante
med. ſupra de his, quæ vi met. cauſ.* ſic arguit: Crimen eſt
grave peccatum. Ergo mortale. Cujus dictum ſequuntur
ibi communiter Doctores: venialia enim non gravia pec-
cata, ſed minuta, parva, minima, & levia dicuntur,
c. Unum orarium, §. *alias autem*, *& c. ſeq*. 25. *diſt. cap. De
quotidianis, de pænit. diſt*.3.

147 Aut verba hujuſmodi ex proprietate vocabuli, & com-
muni uſu utramque interpretationem recipiunt, & tunc
non eſt mortale peccatum his verbis amphybologicis, &
æquivocis ſine alicujus præjudicio uti in eum ſenſum,
quem jurans intendit, licèt is, cui juratur, illa in alium
ſenſum accipiat, eo quod his verbis nullum inſit menda-
cium, ac proinde nec perjurium, & hanc diſtinctionem
probant Alexand. de Ales in tertio relatus à Turrecrem. in
§. *Quæritur*, poſt *cap. Hoc videtur, numer*.5. 22. *quæſt*.5.
ubi quærit quid ſi verba ita duplicia ſint, ut æqualiter di-
verſos ſenſus exprimant, & reſpondet, tunc non obligari
jurantem niſi ſecundum intentionem ſuam, nec poſſe co-
gi ad obſervationem in alio ſenſu, ſed ad implendum in
quo intendit jurare. Sequitur ibi Turrecr. ubi etiam Hoſt.
Raymundum, & Guilielmum ejus gloſ. in hanc ſenten-
tiam citat. Idem firmat Cardinal. Cajet. *in* 2. 2. *quæſt*.89.
art.7. *col.penult. verſ. Ad hoc dicitur*, ibi, [ſi verò non in-
terveniunt verba falſa, dicens hoc caſu non eſſe mortale,
etiam ſi jurans intendat, ut accidens fallatur,] Sot. *de Iuſt.
& iur. lib*.5. *quæſt*.6. *art*.2. *concluſ*.7. *& lib*.8. *concluſ*.1. *art*.
7. *col. ult. & de Secreto, memb*.3. *quæſt*.3. *concluſ*.3. *in fin.*
Corduba *in ſumm. quæſt*.65. *& de Secreto, membr*.3. *quæſt*.3.
Azor. *tom*.1. *Inſtitut. moral. lib*.11. *cap*.4. *quæſt*.5. *in fine*,
Lopez 1.*part. Inſtructorii, cap*.42. *col*.7. *verſ. Item qui non
eſt, & verſ. ſeq.* licèt S. Bonavent. *num*.3. *diſt*.39. *quæſt*.1.
num.50. dicat quando verba multiplicia indifferenter ſe
habent ad utrumque ſenſum, cùm neutrum probari poſſit,
ſtandum eſſe judicio bonorum virorum, qui penſatis con-
jecturis, & rationibus condeſcendere debent ſaniori, &
puriori intentioni.

148 Et hac ratione ſalvant nonnulli cautelam S. Franciſci,
qui interrogatus à miniſtris Curiæ, An quidam illac tran-
ſiſſet, manus in veſtis manicas intromittens reſpondit: non
tranſit hac, intelligens de loco, in quo manus habebat.
Ita Jo. de Anan. & Angelus, quos refert, & ſequitur Na-
varr. *in cap. Humanæ aures*, 22. *qu*.5. *in* 2.*qu. num*.10. *&* 11.
Suarez *tom*.1. *de Relig. tractat. de Iuram. lib*.3. *c*.9. *num*.7.
& 8. & idem Navarr. *in manual. c*.12. *n*.8. Salon. *in* 2. 2.*qu*.
69. *art*.1. *controverſ*.11. & Sanchez *ſuper Decalog. lib*.3. *c*.6.
num.42. ſubdens idem eſſe ſi dixiſſet: non tranſit hac, in-
telligendo locum individuum, quem, pede, vel manu
tangit, & allegat Sylveſtrum hoc dicentem *in ver. Menda-
cium quæſt. ult. verſ. Tertiò*, licèt amphybologia B. Franci-
ſci reprobet Sotus *de ſecreto membr*.3. *q*.3. *poſt* 5. *concl. verſ.
Sed an fortè*.

149 Cæterùm hoc ſecundum membrum diſtinctionis limita-
ri debet, ut non procedat in judicio, quia hoc caſu cùm
non modo ſit perjurus, qui falſum dicit, ſed etiam qui
veritatem occultat, ut patet in hoc cap. Et fuſiùs dictum

eſt ſupra in 3. *not*. Quiſquis utitur verbis amphybologicis, 150
æquivocis, & diverſos ſenſus habentibus quamvis non
dicat falſum poſitivè, tamen veritatem occultat, & ſic
perjurium committit: nam ut legitur in *cap. Nolite time-
re*, 11. *quæſt*.3. non ſolum ille eſt proditor veritatis, qui
tranſgrediens veritatem palam pro veritate mendacium
loquitur, ſed etiam ille, qui non liberè veritatem
pronunciat, quam liberè pronunciare poteſt. Unde tene-
tur pœna falſi qui obſcurè, verſutè, aut per malitiam te-
ſtificatur, Mar. Socc. *hic num*.68. Farinac. *in praxi criminali
part*.2. *quæſt*.67. *num*.223. *&* 225. & tetigi ſupra *num*.5. quæ 151
limitatio apertè colligitur ex Cajetan. *loco ſuperius citato*,
ubi ſic ait: [Si verò non invenerint verba falſa, ſed plures
ſenſus habentia, & in uno vera, & in alio falſa, & à Ju-
rante intenduntur in ſenſu, quo ſunt vera, ſi non eſt in ju-
dicio, & materia præjudiciali, quamvis ſit intentio, ut
audiens fallatur; abſque peccato mortali ſit tale juramen-
tum, quia veritas & juſtitia adſunt, licèt diſcretio deficiat, 152
quoniam non debet Divinum teſtimonium bis immiſceri
quaſi duplicitatibus.] Hæc Cajetan. qui ut vides limitat
ſuam concluſionem ſub conditione illa, ſi non eſt in ju-
dicio, idem Sylveſtr. *in verb. Mendacium*, *quæſt. ult. verſ.
Quarto*.

Et ex his patet illationes, de quibus ſupra à *num*.50. vix 153
poſſe ſuſtineri ex regula ibi poſita *num*.55. quod falſitas ver-
borum ſalvari poſſit ex interrogantis intentione, quam
reſpondens mente concipit, attentis circumſtantiis, ete-
nim cùm verba ſecundùm rectam, & ſanam intelligen-
tiam non ſignificent id, quod reſpondens intendit, eſt ibi
manifeſta diſſonantia cordis, & oris, in qua conſiſtit ra-
tio formalis mendacii, ut fuſè in Superioribus probatum
eſt, præſertim in 3. 5. *&* 7. *fundamento*. Præthereà propo- 154
ſita regula quatenus ſit vera, limitari debet; ut non pro-
cedat in judicio, nam ſi amphybologia, & æquivocatio-
ne in judicio uti non licet, etiam in eo caſu, in quo ver-
ba ex propria ſignificatione utrumque ſenſum admittunt,
ſed nuda, & ſimplex veritas eſt liberè pronuncianda, ut
ſupra proximè oſtenſum eſt: longè minus ea uti licebit,
quando verba utrumque ſenſum non recipiunt ex pro-
prietate vocabuli: ſed tantùm ex intentione interrogan-
tis, quam reſpondens mente concipit. Præterquam quod 155
verum non eſt, quod ajunt judicem interrogare de homici-
dio tamquam de facto criminoſo. Imò enim intentum
judicis eſſe debet ſolam veritatem indagare pro adminiſtra-
tione juſtitiæ, *l. Nemo, C. de ſent. l*.2. & ibi gloſ. *fin. C.
de edendo*, gloſ. in §. *Si verò abſens*, *in verb. Veritatem*, *in
auth. de hæredit. & Falcid.* Ideòque non tantùm inqui-
rere debet de homicidio, ſed etiam an caſu, vel culpa
dolove malo fuerit perpetratum, ut ſic pro modo culpæ
pœnas exaſperet, aut temperet, ut *l. Reſpiciendum*, *in
princip. &* §. *Delinquunt*, *ff. de pæn.* & culpabilem pu-
niat; aut innocentem abſolvat, ad quod pronior eſſe
debet, ut *cap*.3. *ſup. de probat. l. Abſentem*, *ff. de pæn.* Un-
de accuſatus utcumque homicidium commiſerit ad ſui de-
fenſionem, vel aliàs ſine culpa, tenetur judici ſecundum
ordinem juris id exquirenti liberè & clarè confiteri: alio-
quin tacendo veritatem ſubtrahit legitimo ſuperiori debi-
tum juſtitiæ, & mortaliter peccat, *cap. Qui reſiſtit*, 11.
quæſt.3. *cap*.2. *de maior. & obed.* & ex D. Thom. oſtenſum
eſt ſupra *num*.125.

Supereſt nunc ut ad objecta reſpondeamus. Et quidem 156

Non obſtat primum, quoniam exempla ibi adducta
deſumuntur ex Divina Scriptura, cui præter ſenſum litte-
ralem inſunt & alii ſenſus ſpirituales & myſtici; nam il-
lius Auctor eſt Deus, in cujus poteſtate eſt, ut non ſolum
voces ad ſignificandum accommodet, (quod etiam ho-
mo facere poteſt) ſed etiam res ipſas: & ideò cùm in
omnibus ſcientiis voces ſignificent,hoc habet proprium iſta
ſcientia, ipſæ res ſignificatæ per voces etiam ſignificent
aliquid. Unde Gregor. 20.*Moralium*, *cap*.1. *circa med.* 157
dicit: *Sacra Scriptura omnes ſcientias ipſo locutionis ſuæ
more tranſcendit, quia uno, eodemque ſermone, dum nar-
rat geſtum, prodit myſterium*, & Hieron. *in prolog. Bibliæ* lo-
quens de Apocalypſi: *in verbis ſingulis multiplices latent
intelligentiæ*: & docet S. Th. *in* 1.*part. qu*.1. *art*.10.*& quod-
lib*.7. *art*.14. Nec multiplicitas iſtorum ſenſuum facit 158
æquivocationem, nec aliquam ſpeciem multiplicitatis, ut
per eumdem *d. quæſt*.1. *art*.10. *ad* 1. In nulla autem ſcien- 159
tia, vel ſcriptura humana poteſt inveniri niſi ſenſus lit-

teralis, ſed ſolum in Divina Scriptura, cujus Spiritus ſan-
ctus eſt Auctor, homo verò inſtrumentum, ut idem do-
160 cet *d. quodlib.7. art.16.* Igitur per vetus Teſtamentum men-
dacium ſuum tueri non licet, ut *c. Si quis per vetus*, 22.q.2.
161 Et ita in propriis terminis ad primam objectionem reſpon-
det gl.2. *in cap. Noc artificioſo, eadem cauſa, & quaſt.* di-
cens: *Quid ergo dicis de Abraham, nonne mentitus eſt cum
aliud gereret in animo?* ut infra eodem, §. *Abraham.* Item
quid de Paulo, qui dixit: *Neſcivi, quia Princeps eſſet*,
cum ſciret, *ut cap. Paratus*, 23.qu.1. Item quid de men-
dacio Jehu, qui aliud in animo gerebat, *cap. Vtilem*, 22.
quaſt.2. Ad hoc dicendum eſt, quod Abraham myſtico in-
tellectu verum dixit, oſtendens Patrem, & Filium in
fine temporum reverſurum ad Judæos, cùm omnes rever-
tentur ad ipſum. Paulum per illa verba prædixit deſtructio-
nem Regni Judæorum futuram veniente Chriſto. Item
Jehu non fuit mentitus, ſed ironicè locutus eſt; vel dic
quod inſpiratione Divina hoc dixerunt, ut *cap. Gaudemus,
de divortiis.*] Hactenus verba gloſ. Ad exemplum de
Abraham qui rogavit Saram, ut uxorem ejus ſe eſſe men-
tiretur: Reſpondetur ut in d. *c. Vtilem*, §. *Ecce*, *& c. ſeqq.*
22. *quaſt.2.* ubi etiam *in §. Item opponitur.* Reſpondetur ad
exemplum de Jacob, qui dixit ſe eſſe Eſau, & de Chriſto
162 dicente Joannem eſſe Eliam. Quamobrem, ut ait Gratia-
nus *in cap. Quod autem ait*, §. *Sed in veteri*, 22.q.2. [In ve-
tere teſtamento multa permittebantur, quorum exemplis
hodie uti non licet.]

Non obſtat ſecundum, deſumptum ex *cap. Humana au-
res*, 22. *quaſt.5.* Quoniam ad illum textum abundè reſpon-
ſum eſt ſupra *num.76.* Procedit enim in eo, qui iurat ſine
dolo, & intentione fallendi, veluti cùm quis iurat ſuper
Breve per dolum ſuppoſito in quo aliud continetur, quam
ipſe arbitretur, ſe juraturum, ut exemplificat Gratian. in
§. *Si ergo, verſ. Item obiicitur de civibus* poſt d. *cap. Huma-
na aures*, vel aliàs cùm quis jurat falſum quod putat eſſe
verum. Is enim non mentitur, quoniam quantum in
ipſo eſt, non fallit ipſe, ſed fallitur, ut *c. Is autem menti-
tur*, §. *Nemo mentiens*, 22.qu.2. *& c. ſeq.* S. Thom. 2.2.qu.
111. *art.1.* & idcircò in eo caſu iuramentum ſecundum re-
ctam intentionem jurantis à Deo judicatur, quia Deus
audit in corde, gloſ. *fin. in cap.14. de Summ. Trinit. & fide
Cathol. lib.6.* At ſecus eſt in eo, qui aliud verbis ſignificat,
& aliud in mente gerit, ut audientem fallat, ut in caſu
quæſt. propoſitæ; quia tunc juramentum accipit Deus, ſe-
cundùm ſanam intelligentiam ejus, cui juratur, ut con-
ſtat ex dictis *eod. n.76. & n.80.*

Non obſtat tertium, nam reſpondetur retorquendo ar- 163
gumentum; ſi enim mentiri eſt contra mentem ire, &
ratio mendacii conſiſtit in negando eam veritatem, quæ
mente concipitur, ſanè qui per implicitam ſubauditionem
mente concipit aliquid eſſe verum, & verbis exprimit
quod in veritate eſt falſum, ut ſic audientem fallat, & in-
ducat ad credendum eſſe verum quod verum non eſt; pro-
culdubio mendacium committit, & adjecto juramento
pejerat.

Non obſtat quartum, quia qui diripit aliò ingreſſus 164
ſuos non animo illud proficiſcendi nihil agit per ſimulatio-
nem, vel duplicitatem; non enim per exteriora ſigna fa-
ctorum, vel rerum ſignificat aliquid quod non eſt, quod
numquam licèt, ſed ſecundùm prætermittit ſignificare il-
lud, quod eſt, quod aliquando licèt, ut per D. Thom.
in 2. 2. qu.111. d. art.1. ad quartum. Quandoque enim 165
aliquid jubendo ſignificamus velle fieri, quod fieri nolu-
mus, ſed experimentum obedientiæ quærimus, ut *c. Si
quilibet*, §. *Quandoque* 22. q.2. & ita nulla eſt ibi ſimulatio,
ſed ſolùm quædam fictio, cui non ineſt mendacium; &
ideò utilitatis cauſa eſt licita, ut in d. *c. Vtilem.* In noſtro
autem caſu manifeſtè concurrit mendacium; & ita in
terminis ad prædictam objectionem reſpondet Cajetan. in
2. 2. *qu.89. art.7. in reſponſ. ad 4. col. ult. verſ. Ad obiectio-
nem autem.*

Non obſtat ultimum, quia reſpondetur negando con- 166
trariam opinionem eſſe probabilem: imò enim eſt falſa ſi-
cut Judas, ſecundùm illud Auguſtini *tom.4. lib. de ſalutar.
docum, incert. Author. c.63.* Non aliud loquamur ore, &
aliud corde, ne ſimus Judas, & Herodiani. Et nihilomi-
nus etſi prædicta opinio eſſet probabilis: tamen in foro
animæ omninò eligenda eſſet contraria, quæ tutior eſt, ut
dixi *in tract. de opinione probabili*, quem poſui *in c. Ne in-
nitaris, ſupra de Conſtit.* ubi latiſſimè oſtendi inter duas
opiniones oppoſitas æquè probabiles, vel quaſi non licere
utramlibet ſequi, ſed omnino eligendam eſſe tutiorem, à
n.54. uſque ad n.236. idque multò magis ſi tutior opinio ſit
etiam probabilior à *n.237. uſque ad n.246.*

DE CRIMINE FALSI.

Lucius III. Vigorien. Epiſcopo.

CAPUT II.

SUper eo, quòd ſententiam auctoritate litterarum falſarum latam noluiſti executioni mandare; tuam prudentiam commendamus; Mandantes, ut quoties aliqua ſcripta ſub nomine noſtro deſtinata, redarguenda videris falſitatis, nullam eis adhibeas fidem; & quod per ipſas mandatum fuerit, non obſerves: ſed eum, qui præſentaverit, retineri facias diligenter.

SUMMARIUM.

1 *SEntentia lata per falſas litteras non debet executioni mandari.*
2 *Falſa littera iuriſdictionem non conferunt, & numer.8. & num.11.*
3 *Matrimonia bona fide contracta in gradibus prohibitis vigore diſpenſationum, quas concesserunt Ordinarii in vim falſarum litterarum, an ſint irrita nec ne, & n.ſeq.uſque ad n.13.*
4 *Prælati putativi ſive Ordinarii, ſive Delegati geſta regulariter ſunt valida.*
5 *Etiam quoad ſpiritualia, & pertinentia ad forum interiorem.*
Declaratur, n.9.
6 *Indulgentia conceſſa à falſis Prælatis ob communem errorem an valeant, & n.11.*
7 *Matrimonium contractum coram Parocho putativo tenet.*
Declaratur, num.10.
8 *Reſcriptum falſum, cuius falſitas ignoratur, tribuit iuriſdictionem.*
Contrarium, num.11.
9 *Geſta à Prælato putativo non ſuſtinentur ex communi errore, ſed requiritur etiam titulus ab habente auctoritatem.*
10 *Matrimonium contractum coram Parocho intruſo non valet.*
11 *Indulgentia à falſis Prælatis conceſſa quomodo intelligantur eſſe meritoria.*
Exceptio falſitatis impedit executionem ſententiæ etiam latæ cum ignorantia falſitatis reſcripti, ibid. verſ. Quemadmodum, & n.ſeq.
12 *Prælato putativo obediendum eſt ſi habeat titulum auctoritate ſuperioris, ſecus ſi per falſas litteras.*
13 *Diſpenſati à Legato extra limites ſuæ legationis non ſunt tuti ex titulo putativo, & communi errore.*

14 *Ger-*

Digitized by Google

14 *Germania appellatione ex ſtylo in facultatibus non venit Belgium.*

15 *Bona fides excuſat à culpa, & pœna, ſed non validat actum nullum.*

1 S*Vper eo*. Sententia lata per falſas litteras non debet executioni mandari. Hoc dicit ſecundum Abbatem Antiquum, cui conſentiunt Jo. Andr. & omnes. Dividitur in duas partes. Primò commendat eum, cui ſcribit de præterito. Secundò eum inſtruit in futurum ibi, *mandantes*.

2 Nota ex hac Decretali per falſas litteras delegatorias juriſdictionem non conferri: propterea enim ſententia ex falſis litteris commiſſionis prolata non demandatur executioni, quia eſt vitium in radice, & fundamento juriſdictionis. Unde ut hic dicebant Laurentius, & Goffred. in hoc caſu ſine temporis præfinitione ſemper retractanda eſt ſententia, quia ipſo jure nulla eſt, cùm defectus ſit in juriſdictione: quorum dictum ſequuntur gloſ. 1. Hoſt. *in princ.* Jo. Andr. *n.4. in gloſ.1.* Collectar. *in princ.* Butt. *n.6.* Card. *n.1. in 2. oppoſ.* Anchar. *in primo notab.* Abb. *num.4.* & Jo. de Anan. *num.1. verſ. Nota quod ſententia*, ubi concludit ſententiam latam virtute falſi reſcripti dici lata à non judice, & de hoc eſſe caſum hic; unde ipſe ſic ſummat hanc Decretalem: Sententia lata à judice impetrato per falſas litteras eſt nulla; ex quibus apparet hanc eſſe unanimem Canoniſtarum ſententiam. Nec obſtat, quod textus dicat, auctoritate falſarum litterarum: quia verbum, *auctoritate*, poteſt exponi ſecundum apparentiam, & intentionem judicantis, ut per Cardin. *n.1. in 1. oppoſit.*

Verùm hæc procedunt, ut dictum eſt, ſi ſententia lata fuerit in vim falſi reſcripti delegatorii; & ſic cùm exceptio falſitatis concernit fundamentum juriſdictionis. Nec mirum, quia illius defectus eſt inſanabilis, Vetall. *deciſ.38. num.2. lib.3.* ſecùs verò ſi judex aliàs habeat juriſdictionem, & falſitas concernat tantùm merita cauſæ, eo quod ſententia ſit lata per falſos teſtes, vel per falſa inſtrumenta; quia tunc ſecundùm Jo. de Anan. *n.4. in gloſ.1.* communiter tenetur ſententiam eſſe aliquam, ſed eſſe reſcindendam ope reſtitutionis in integrum, juxta text. *in l. Divus, ff. de re indic.* Quæ opinio eſt etiam de jure verior, niſi in certis caſibus, de quibus per eum.

QUÆRO, An matrimonia bona fide contracta in gradibus prohibitis vigore diſpenſationum, quas conceſſerunt Ordinarii in vim falſarum litterarum ſint irrita necne.

3 Quidam Regularis Ordinis N. in Hiſpania decem annorum ſpatio multas litteras diſpenſationum matrimonialium à Sede Apoſtolica impetratas ſuper impedimentis dirimentibus falſificavit mutatis gradibus, atque aliis falſitatibus patratis, de quibus conſtitit in Curia Nuncii Apoſtolici. Cùm verò Ordinarii ad quos litteræ fuerunt directæ, falſitatem ignorantes multas diſpenſationes conceſſerint; & ſubinde ſic diſpenſati bona fide in gradibus prohibitis matrimonium contraxerint, ac prolem ſuſceperint; Rex Catholicus ſupplicat S. D. N. ut dignetur committere Epiſcopo Oxomenſi, ut auctoritate Apoſtolica confirmet matrimonia, ut præfertur contracta.

Explorati juris eſt ſententias ab Ordinariis latas in vim falſarum litterarum hujuſmodi, & diſpenſationes exinde conceſſas eſſe omninò irritas ex defectu juriſdictionis. Caſus eſt hic ſecundum communem omnium intellectum, ut plenè oſtenſum eſt ſupra: unde difficultas ad hoc tantùm reſtringitur, an ſic diſpenſati tueri ſe poſſint ex titulo putativo, & communi errore, juxta terminos *l. Barbarius, ff. de off. Prætor.*

4 Et quidem geſta publici officii auctoritate per Prælatum ſive Ordinarium, ſive delegatum, qui communi æſtimatione credebatur auctoritatem habere, regulariter ſunt valida, ut de Ordinario eſt textus *in d. l. Barbarius*, & de Delegato *in cap. Infamis, §. Verumtamen, 3. quæſt.7.* Imò quamvis Innoc. *in cap. Cum dilecta, de reſcript.* teneat *d. l. Barbarius*, habere locum in Ordinario tantùm, prout loquitur, non autem in Delegato; idemque videatur ſentire Bart. *in l.2. C. de Senator.* tamen communis opinio eſt in contrarium, quam ſequuntur Angel. & Salyc. *in d. l.2.* Imola *in l. Quidam conſulebant, de re indic.* Abb. *in cap.*
5 *Gratum, num.11. de off. Delegat.* Quæ concluſio habet locum etiam in ſpiritualibus, in quibus jus divinum non repugnat, ut cenſent Innoc. Hoſtienſis, Cardin. & alii in *cap. Nihil, de elect.* & idem Innoc. *in cap. Veritatis, n.2. de*

Profeſſ. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

dol. & contum. Roſell. *in ver. Confeſſio ſacramentalis, 3. n.4.* Tabien. *Abſolutio, n.3.* Ang. *Confeſſio 4. n.12.* Sylveſt. *Confeſſor, 2. num.15.* & Navarr. *in cap. Placuit, de pœnit. diſt.6. n.177.*

Ideòque indulgentias conceſſas à falſis Prælatis ob com- 6
munem errorem putat eſſe validas Jaſ. *in l. Præſcriptione,*
n.26. C. Si contra ius. Et matrimonium contractum coram 7
Parocho carente legitimo titulo ob vitium aliquod latens eſſe validum tenet Henric. *lib.11. de matrim. c.3. num.4.* & Man. *1. tom. Summæ, 2. edit. c.219. n.8.*

Et generaliter reſcriptum omninò falſum cujus tamen 8
falſitas ignoratur, tribuere juriſdictionem, cùm propter dubium conſtituat Delegatum in quaſi poſſeſſione juriſdictionis, tradit Bart. *in d. l. Præſcriptione*, quem ſequitur Card. *in cap. Super litteris, de reſcript.* & illius opinionem putat veram Jaſ. *in d. cap. n.26.*

Verumtamen ad hoc ut valeant geſta ab eo, qui auctoritatem non habet, non ſufficit communis error, ſed requiritur etiam titulus à Superiore collatus, licèt is titulus ſit revera invalidus ob vitium aliquod occultum: ita probat text. in dicta *l. Barbarius. & in d. c. Infamis*, ibi: *Si ſervus cùm putaretur liber ex delegatione ſententiam dixit*, & ſenſit gloſ. *fin. in d. cap. Nihil, de elect.* ubi dicit idcircò ibi valere acta illius Prælati, quia fuit in quinta adminiſtratione, & in quaſi poſſeſſione prælationis de licentia Papæ, & pro Prælato habitus fuit; quam gloſ. illic ſequuntur Innoc *n.4.* Joan. Andr. *n.28.* Butr. *n.27.* Anchar. *in fin. qu.4.* ubi Jo. Vinc. & Goffred. in hanc ſententiam citat, Imol. *n.7.* & Abb. *num.11.* dicens: [Nec communis error ex quo deeſt auctoritas ſuperioris: Nam lex *Barbarius, ff. de off. Præt.* fundat ſe ſuper communi errore, & ſuper auctoritate ſuperioris; nam ille ſervus, qui putabatur liber, habuit officium à ſuperiore; & ſic concurrebant ibi duo, ſcilicet auctoritas ſuperioris, & communis error: ſecùs autem ubi adeſſet unum tantùm, ut tenuit *hic* Innoc. & Bald. in repet. *d. l. Barbarius*] Hæc Abb. Idem tenet Archid. *in cap. Alienationis, 12. qu.2. num.2.* & alii copiosè relati à Tiraquell. *poſt leges connub. gloſ.8. num.145.* Tabien. Ang. Sylveſt. & Navarr. *in locis ſupracit.* & eſt communis opinio, ut teſtatur Abb. in *cap. Dudum, il ſecondo, num.20. de elect.*

Neque verò ad hoc ſatis eſt, ut titulus conferatur à quo- 9
cumque ſuperiore, ſed conferendus eſt à legitimo, & auctoritatem habente, ut docuit Compoſt. in d. *cap. Nihil, num.4. in ver. Adminiſtret, verſ. Item per ſuperiorem confirmatum*, quem refert & ſequitur ibi Anton. de Butr. *num.24.* Anch. *ibi ad fin. quæſt.4.* Henric. Boich. *in §. Cæterum, num.4.* idem apertè ſcripſit Bald. in d. *l. Barbarius in prima lectura, num.29.* & ibi Jaſ. *num.48. & 51.* Bertrand.
conſ.128. ad fin. vol.1. Anton. Gabr. *in tit. de probat. lib.3.* 10
concluſ.8. Et ideò etſi valida ſint matrimonia celebrata coram Parocho, qui caret titulo ob occultum aliquod vitium, tamen nulla ſunt contracta coram Parocho intruſo, qui ſcilicet à ſuperiore titulum non habet, ut tradunt Henr. & Manuel *loc. cit.* & poſt eos Sanchez *de matrim. lib.3. diſput.32. num.60.*

Quamobrem cùm in caſu, de quo agitur, Ordinarii qui auctoritate Apoſtolica diſpenſaverunt revera in gradibus falſo expreſſis in litteris nullam habuerint facultatem diſpenſandi à Summo Pontifice, ſed potius ab illo Regulari, qui litteras vitiavit, hinc videtur ſequi, ut matrimonia in vim dictarum diſpenſationum contracta, fuerint prorſus irrita, ac nulla, non obſtante communi errore, & ignorantia falſitatis litterarum.

Neque obſtat, quòd valeant indulgentiæ conceſſæ à fal- 11
ſis Prælatis, ſi communiter ſint habiti pro veris: nam reſpondetur Jaſon. id non aſſerere, ſed tantùm eas non minùs operari quoad ſalutem animarum, quàm ſi eſſent conceſſæ à Prælato vero, ſentiens per hæc verba, opus tribuentis eleemoſynam falſo quæſtori eſſe meritorium: ita enim loquitur Anchar. ab eo relatus; alioquin ſi ſentiret indulgentias eſſe validas, ejus opinio eſſet erronea, nec poſſet defendi, niſi quando Prælatus habuiſſet legitimum titulum à ſuperiore, & tamen titulo careret ob occultum aliquod impedimentum. Ideòque contrariam ſententiam, ideſt indulgentias conceſſas à Prælato cum falſis Bullis non valere, ſequitur Oldrad. *conſ.76. Quæritur de illo, per tot.* Ancharan. in Clem. *Abuſionis, in princ. de pœnit. & remiſſ.* cum quo tranſit Felin. *in ſuo tract. de indulg.*

col. ult. verſ. Ceterum, de indulgentiis Epiſcoporum, Cardin. *in d. Clem. Abuſionibus*, §. *Ad hec qu.* 5. Dec. *in c. Tuarum*, *n.* 6. *de privileg.* & idemmet Jaſon. *in l. Si urbana*, *n.* 8. *verſ. Alibi tamen*, *ff. de cond. indeb.*

Quemadmodum neque obſtat quod ſecundum Bart. reſcripta omninò falſa tribuant juriſdictionem, ſi illorum falſitas ignoretur: nam reſpondetur Bartoli ſententiam hac in parte eſſe communiter reprobatam; & contra eam tenent Bald. & Fulgoſ. *in d. l. Præſcriptione*, Innoc. *in c. Cum venerabili*, *de except. verſ. Nunc de octavo*, ubi dicit obe-
12 diendum eſſe Prælato minus juſto, qui eſt in pacifica poſ-
ſeſſione, dummodo concurrat auctoritas ſuperioris; ſecus verò ſi per falſas litteras obtinuit reputari Prælatum: & plenius idem Innoc. *in cap. Super litteris*, *in ver. Forſan*, *n.* 6. *verſ. Sed quod ſi littera falſa dicuntur*, *uſque in finem illius gloſſe de reſcript.* latè Bellam. *deciſ.* 84. incip. *Executoria*, & Felin. *in cap. Ad audientiam*, *il ſecondo n.* 21. *verſic. Fallit ſeptimo, de reſcript.* & contra Bartolum tenere omnes Legiſtas, & Canoniſtas teſtatur Jaſ. in d. *l. Præſcriptionem*, *ſub n.* 26.

Quæ opinio eſt etiam de jure verior quidquid in oppoſitum ſcripſerit ibi Jaſ. contra quem eſt textus clarus hic ubi ſententia ſupponitur lata per judicem cum ignorantia falſitatis reſcripti; ideòque verbum illud, *authoritate*, exponitur à Cardin. *n.* 1. ideſt ſecundum apparentiam, & intentionem judicantis, qui credidit litteras eſſe veras, & tamen deciditur, ut propter exceptionem falſitatis poſteà propoſitam ſententia executioni mandari non debeat, cùm deficiat fundamentum juriſdictionis, & ita communiter intelligunt Doctores hanc Decretalem, ut initio diximus *n.* 2. ergo per falſum reſcriptum licèt illius falſitas ignoretur nulla tribuitur juriſdictio.

Non obſtat *deciſ.* Rotæ 136. *aliàs* 2. *de fil. Presbyt. in novis*, quæ incipit, *Voluerunt Domini*, *n.* 7. ubi dicitur reſolutum fuiſſe diſpenſationem factam per illum, qui communiter reputabatur habere facultatem ſuper matrimonio, valere, licèt facultatem non haberet, per *conſ.* Ancharan. 409. *Viſo, & diligenter inſpecto*, *in fin.* nam reſpondetur Anchar. non firmare in ſuo caſu diſpenſationem factam ab Epiſcopo durante ſchiſmate in gradibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis eſſe validam propter communem reputationem; imò ſupponit eam nullam, ſed tantùm aſſerit contrahentes ob communem errorem excuſari ad effectum legitimitatis prolis: ait enim *num.* 7. *in fin.* [Dicebam quod præſuppoſito R. P. Dominus electus Leodien. non potuerit in dictis gradibus diſpenſare, tamen ejus diſpenſatio, licèt nulla, excuſat ipſos, ſaltem quoad legitimationem prolis poſteà ſuſceptæ,] & infra. [Excuſantur iſti propter communem errorem; credebatur enim ab omnibus in illis regionibus Ordinarium diſpenſare tunc poſſe, & omnia agere, quæ aliàs erant Papæ ſpecialiter reſervata.] Et quamvis ſubdat, communem errorem reddere actum validum, qui aliàs non valeret; tamen hoc generaliter aſſerit, non autem de illa diſpenſatione in particulari. Unde propè finem concludit ſic. [Etſi non potuit, tamen poſtquam diſpenſavit, dicta diſpenſatio tribuit conjugatis bonam fidem, ſaltem quoad hoc ut filii propter juſtam ignorantiam parentum debeant reputari legitimi.] Deciſio autem Rotæ poteſt ſalvari in eo tantùm caſu, in quo diſpenſator carebat diſpenſandi poteſtate ob aliquod vitium occultum, non autem ex eo quod non haberet legitimum titulum diſpenſandi à ſummo Pontifice; aliàs enim reſolutio non eſſet juridica, ut ex ſupradictis conſtat.

Unde poſſet committi Nuntio Hiſpaniarum, ut iterùm diſpenſet cum his, qui ut proponitur matrimonium bona fide contraxerunt, ut valeat iterùm contrahere ſervata forma Concilii Tridentini. Et ita reſolutum.

Ex prædictis videtur inferri poſſe, ut irritæ ſint provi- 13
ſiones, & diſpenſationes, quas nuper conceſſit in Belgio Cardinalis Legatus Germaniæ ſuper impedimentis dirimentibus, *cap. Cum dilecta*, *de reſcript.* ita ut ſic proviſi, & diſpenſati non ſint tuti ex titulo putativo, & communi errore: nam etſi ſub Germania comprehendatur tam ſuperior, quàm inferior ſecundum tabulas Geographicas, tamen ex ſtylo in facultatibus ſub nomine Germaniæ non venit Belgium, niſi ſpecialiter exprimatur juxta declaratio-
nem S. D. N. Urbani VIII. Ideòque in Conſtitutione 14
Sixti V. de viſitandis liminibus hujuſmodi provinciæ ponuntur tamquam diſtinctæ ibi, *Germani vero*, *Galli*, *Hiſpani*, *Belgæ*, *&c.* Quamobrem cùm quoad Belgium defuerit omninò titulus Apoſtolicus, communis error, & reputatio non ſuffragatur, ut ex dictis patet: & bona fi-
des poteſt quidem excuſare à culpa, & pœna, ſed non va- 15
lidare actum, ut ſunt jura clara *in cap. ſi poſtquam*, *in c. Dudum*, §. *Nos igitur*, *in cap. Si beneficium*, *& in c. penul. verſ. Licèt ab ignorantibus de preb. in* 6. & notat Archid. *in cap. Si Apoſtolica*, *circa med. eod. tit. & lib.* & Felin. *in c.* 2. *n.* 7. *verſ. Quarto limita*, *de Conſtit.* & eo magis, quia Sanctitas ſua dixit ſe benignè acturam cum ſic proviſis, & diſpenſatis, ubi novas proviſiones, ac diſpenſationes petierint à Sede Apoſtolica: atque ita ex mente Sanctiſſimi videntur egere nova gratia.

DE CRIMINE FALSI.

Innocentius III. Archiepiſcopo, & Canonicis Mediolanenſibus.

CAPUT V.

Licet ad regimen: & infrà. Ut autem varietates falſitatis circa noſtras litteras deprehendere valeatis, eas vobis præſentibus litteris duximus exprimendas.

Prima ſpecies falſitatis hæc eſt, ut falſa bulla falſis litteris apponatur.

Secunda, ut filum de vera bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum, falſis litteris inſeratur.

Tertia, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur inciſum, cùm vera bulla falſis litteris immittatur, ſub eadem plicatura cum filo ſimilis canapis reſtauratum.

Quarta, cùm à ſuperiori parte bullæ, altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum litteris falſis inſerta, reducitur infra plumbum.

Quinta, cùm litteris bullatis & redditis, in eis aliquid per raſuram tenuem immutatur.

Sexta, cùm ſcriptura litterarum, quibus fuerat appoſita vera bulla, cum aqua vel vino univerſaliter abolita, ſeu deleta, eadem charta cum calce & aliis juxta conſuetum artificium dealbata, de novo reſcribitur.

Septima, cùm chartæ, cui erat appoſita vera bulla, totaliter abolitæ vel abraſæ, alia ſubtiliſſima charta ejuſdem quantitatis ſcripta cum tenaciſſimo glutino conjungitur. Eos etiam à crimine falſitatis non reputamus immunes, qui contra conſtitutionem noſtram, ſcienter litteras non de noſtra vel bullatoris noſtri manu recipiunt. Illos quoque, qui accedentes ad bullam, falſas litteras cautè projiciunt, ut de vera bulla cum aliis ſigillentur. Sed hæ duæ ſpecies falſitatis non poſſunt facilè comprehendi; niſi vel in modo dictaminis, vel in forma ſcripturæ, vel qualitate chartæ falſitas cogno-

gnoſcatur. In cæteris autem diligens indagator falſitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum vel in collatione bullæ, vel motione, vel obtuſione, præſertim ſi bulla non ſit æqualis, ſed alicubi magis tumida, & alibi magis depreſſa.

S V M M A R I V M.

1 *Littera Apoſtolica novem modis his expreſſis falſantur.*

2 *Doctrina non eſt tradenda de his, quæ melius eſt neſcire, quàm ſcire.*

3 *Falſantes, ſeu confingentes ſignaturam ſupplicationis Papalis ſcribendo verbum,* fiat, *an incurrant pœnas* cap. Ad falſariorum, infra eod. & n. ſeqq. *uſque in finem.*

4 *Argumentum à partium enumeratione validum eſt in jure ſi ſpecies omnes enumerentur, alias ſecus, num.32.*

5 *Littera Apoſtolica non dicuntur expedita niſi quando in plumbo ſunt.*

6 *Supplicatio non eſt littera Bullata; eſt tamen littera Papalis, & n.31. & 35.*

7 *Falſarii ſupplicationum gratiam, vel juſtitiam concernentium à Papa ſignatarum excommunicantur in Bulla Cœna.*

Supplicationes à Papa ſignata in materia odioſa non veniunt appellatione litterarum Apoſtolicarum, ibid. & num.30.

Contrarium n.31. & 36.

8 *Supplicatio ſola non probat ius alicui competere.*

9 *Et illius clauſula quandoque ab officialibus aliter extenduntur, & reſtringuntur, & n.ſeq.*

10 *Et aliquando juſtis de cauſis ſupplicatio laceratur.*

11 *Supplicatio ſola ius certum non continet, nec ſuffragatur litteris non expeditis, & n.13.*

12 *Sed continet gratiam informem, & n.19.*

13 *Et intrans poſſeſſionem beneficii litteris non expeditis, licet habeat ſupplicationem ſignatam, perdit omne ius.*

14 *Et ſola ſupplicatio non dat canonicum titulum, ſaltem in ſuo eſſe perfecto.*

15 *Litterarum expeditio dat formam, & perfectionem gratia.*

16 *Et per illas gratia digeſta, & ſuam perfectionem totaliter habere dicitur.*

17 *Supplicatio adhuc in utero exiſtere dicitur donec per expeditionem litterarum in mundum producatur.*

18 *Et ſumptum de Regeſtro ſupplicationum iudicis fidem non facit: ſecus in ſumpto litterarum Bullatarum.*

20 *Falſificatio litterarum Apoſtolicarum enormius eſt delictum, & ſeverius vindicandum, quam falſificatio ſupplicationum ſignatarum.*

Contrarium n.26. & ſeqq uſque in finem.

21 *Littera ſi diſcrepent à ſupplicatione, ſtatur ſupplicationi tamquam matrici, & non litteris.*

22 *Litterarum regiſtrum, & indeſumpta debent reformari, & corrigi iuxta originalem ſupplicationem.*

23 *Inſtrumentum diſcrepans à matrice, ſeu protocollo debet ſecundum illud corrigi, & emendari.*

24 *Expeditiones dua ſi ſint inter ſe difformes, recurritur ad ſupplicationem tamquam ad matricem.*

25 *Supplicatio attenditur etiamſi non exhibeantur littera ubi non agitur de canonizanda gratia.*

27 *In ſupplicatione, & ſignatura Papa conſiſtit tota ſubſtantia gratia.*

Litterarum expeditio non requiritur, ſed ad probationem, ibidem.

28 *Subſtantiam rei gravius eſt corrumpere, quàm illius accidentia.*

29 *Falſitates facilius committuntur in ſupplicationibus, quàm in litteris, & cur.*

31 *Falſare ſignaturam Papa, ſeu* fiat, *propriiſſimè eſt falſare litteras Apoſtolicas.*

33 *Supplicatio quando eſt regiſtrata, & ſoluta componenda, non habet locum regula de non iudicando iuxta formam ſupplicationis.*

34 *Nec poteſt lacerari ab officialibus cùm ſit gratia perfecta.*

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

LIcet. Ponit novem modos falſandi litteras Papales. 1
Hoc dicit, & advertunt Doctores hanc Decretalem
legendam eſſe cum Bulla ad oculum demonſtrata, ut hic
per Abbat. Joan. de Anan. & Marian. Soccin. in princip.

Nota ex textu novem modos, per quos falſitas commit- 2
titur in litteris Apoſtolicis. Et dicit hic Goffred. non eſſe
tradendam doctrinam qualiter hujuſmodi falſitates perpetrentur:
Sunt enim quædam, quæ melius eſt neſcire,
quàm ſcire, *cap. Quamvis, in fin. 38. diſt.* & docuit Philoſophus
lib.12. Metaphyſices text.51. & S. Thomas *in 1.p.
qu.22. art.3. in 3.argum. contrario*, & in illius reſponſione;
ubi reddit rationem, quia cogitatio malorum pervertit
interdum voluntatem in malum; unde Seneca *ad Lucillum
Epiſtola 76.* monet ipſum ne diſcat quæ forent dediſcenda
ſi ſciret; & Marcus Varro notabiliter inquit: [quædam
ſunt eradenda de animo ſcientis, quia inſerendi verum
locum occupant.] Item Hieronymus *ad Clerum:*
Non diſcat puer quod ei poſteà dediſcendum eſt. Difficiliter
enim eradicatur quod rudes animi receperunt, ſed
nihilominus, ut ſubdit idem Goffred. legimus quædam,
ut cognoſcamus, & reprobemus, *cap. Legimus,
37. diſtinct.* Nam prudentis eſt eligere bonum, & reprobare
malum. Ideòque hæ falſitates ad hunc effectum hic
explicantur: & fuſiùs poſt Hoſtienſem, & Jo. Andr. per
Marian. Soccin. *hic in 2. notab.* ad quos recurre, ſi te moveat
curioſitas.

QUÆRO, an falſantes, ſeu confingentes ſignaturam 3
ſupplicationis Papalis ſcribendo verbum, *fiat*, vel aliud
æquipollens cenſendi ſint falſarii litterarum Apoſtolicarum,
de quibus loquitur hæc Decretalis, & *cap. Ad falſariorum,
infra eod.*

Ad partem negativam inducitur. Primò hoc cap. Ubi 4
enumerantur modi, quibus falſantur litteræ Papales, &
inter hos non ponitur modus falſandi ſupplicationes, ſeu
ſignaturas Papæ; ergo talis modus non eſt inter alios connumerandus,
arguendo à ſufficienti partium enumeratione
juxta textum in *l. Patre furioſo*, ubi Bartol. Bald. Angel.
& DD. notant, *ff. de iis qui ſunt ſui, vel alien. iur. &
in cap. Cum dilectus*, & ibi Abb. *numer.6. de iurepatron.*
Et confirmatur, quia hæc littera in ſingulis novem modis, 5
in quibus exprimit varietates falſitarum, quæ committuntur
circa litteras Apoſtolicas ſemper loquitur de litteris Bullatis,
ſeu ſub plumbo, id eſt quibus apponitur, ſeu appenditur
Bulla plumbea, ut patet legenti per diſcurſum;
Ideòque litteræ non dicuntur expeditæ niſi quando in
plumbo ſunt, ut per text. noſtrum dixit Gomeſ. *in regul.
de non iudicand.* juxta formam ſupplicat. *in 1.quæſt. num.5.
verſ. Teſtamen. ulterius*, ubi refert ita tenuiſſe Rotam in
Salamantina Parochialis menſe Novembris 1539. coram
Marcello Creſcentio, & ita ſervatur in practica, ut inquit
Felin. in *cap. Ex diligenti, in fin. de ſimon.* Supplicatio au- 6
tem non eſt littera bullata, nec ei aliqua Bulla apponitur,
ut eſt notiſſimum: Ergo cùm ſupplicationi non adaptentur
verba hujus textus, conſequenter nec ejus diſpoſitio
adaptari poteſt, *l.4. §. Toties, ff. de damn. infect. cum ſimilibus.*
Cùm præſertim materia ſit odioſa, & pœnalis,
& ſic reſtringenda, ut in regula *odia, de regul. iur. lib.
6. & cap. Pœna de pœnit. diſtinct. 1. cum ſuis concordant.*

Deinde ad hanc partem Navarr. *in manual. c.27. num.62.* 7
*verſ. Declaratio prima inducit Bullam Cœna Domini, quæ
in §.6.* excommunicat falſarios litterarum Apoſtolicarum,
nec non ſupplicationum gratiam, vel juſtitiam concernentium
per Romanum Pontificem ſignatarum. Per quam
clauſulam juncto *cap. Ad falſariorum infra eodem* arguit
Navarr. quod appellatione litterarum Apoſtolicarum
in materia odioſa non includantur ſupplicationes
à Papa ſignatæ, quas ſignaturas vocamus; alioquin
illud cap. Puniens falſantes litteras Apoſtolicas ſuperfluè
per Bullam Cœnæ extenderetur ad falſantes ſignaturas.

Ad idem conferunt quamplures differentiæ, quæ ſunt 8
inter ſupplicationes, & litteras, & omiſſis aliis, quæ ad

Digitized by Google

rem non pertinent, ſupplicatio concludenter non probat
jus alicui competere, quia fortè quando litteræ expediri
9 debent Cancellariæ officiales, clauſulas ſupplicationis
aliter extendent, vel reſtringent, & forſitan ſuper tali
ſupplicatione litteras non dabunt, quia, ut experientia
docet, plures ſupplicationes expediri nequeunt eo quod
in eis reperiantur aliquæ clauſulæ, quæ ſunt contra ſty-
lum, ut obſervat Gomeſ. *in reg. de non iudicand. iuxta
formam ſupplicationis, quæſt.1. num.2. verſ. Quia ſola ſup-*
10 *plicatio*, & re ipſa ſupplicationes jam ſignatæ aliquando
juſtis de cauſis lacerantur, & Datarius ex officio mune-
ris ſui ſupplicatioonibos tam ſignatis, quam ſignandis,
ut ratio poſtulat, addit & detrahit, ut dixit Rota *in
Cauſa Meten. Prioratus* 17. *Maii* 1627. coram Merlino
[qui prius fuerat Datarius Gregorii XV. *deciſ.68. numer.
9. & 10. part.5. recent.* poſt Gonzal. *ſuper regul. de menſib.*
11 *gloſ.63. num.54. & ſeqq.* & ideò ſupplicatio non videtur
certitudinem continere ſecundùm Gomeſ. *ubi ſupra*. Nec
ſuffragatur litteris non expeditis Rota *deciſ.509. numer.
16. part.5. tom.2. in recent.* & eſt expreſſum in extravag.
12 *Iniuncta, de election.* & in conſtitut. Julii III. hac de-
re edita, & propterea per ſolam ſupplicationem gratia
informis per Rotam appellari ſolet, ut patet in *deciſ.19.*
13 *de conceſſ. præben. in novis*. Quo fit ut intrans poſſeſſio-
nem Beneficii litteris non expeditis, licèt habeat ſuppli-
cationem ſignatam, omne jus perdat, ut inquit Felin. in
*cap. Veniens, num.3. verſ. Et adde quod intrans poſſeſſio-
nem, de accuſationibus*, & eſt text. in dict. extravag. *In-
iuncta, de election.* aliàs fruſtra Papa in Cancellaria tot
officiales conſtitueret, dans illis formas per ſuas regulas
expediendi, ſi ſola ſupplicatio ſine expeditione ſufficeret,
ut notat Ægidius Bellam. *in conſ.34. ſuppoſito ſtatuto in
6. col. in reſponſione ad 1. dub. verſ. Aut quæris*, merito
14 Rota jus quod acquiritur per ſupplicationem, judicavit
informe, & confuſum, adeò ut ante litterarum expe-
ditionem plerique DD. voluerint non dari canonicum
titulum ſaltem in ſuo eſſe perfecto, ut dixit Ægid.
deciſ.110. in 3. col. & deciſ.664. & tenet etiam Ni-
15 col. Milis Rotæ Auditor. *in repertorio in verb. Gratia
Apoſtolica*, cum quibus concordat *deciſ.20. circa ſecundum*
16 *numer.5. de conceſſ. præbend. in novis*. At verò per expe-
ditionem litterarum forma, & perfectio gratiæ datur, ut
dixit Rota *deciſ.27. de reſcript. in novis* repetita apud
Ægid. *deciſ.746.* & per illas omne dubium tollitur, &
gratia digeſta, & ſuam perfectionem totaliter habere-
dicitur, ut tradit Oldrad. *in conſ.324.* incipien. *Factum ta-
le eſt*. Dominus noſter, *numer.3. verſ. Quarto circa re-
nunciationem*, & ut Bald. inquit per *l. Contractus, C. de
fid. Inſtrum.* relatus à Gomeſ. *in regul. de non iudican. iux-*
17 *ta form. ſupplicat. quæſt.1. num.3.* ſola ſupplicatio adhuc
in utero exiſtere dicitur, donec per expeditionem litte-
rarum in mundum producatur, & hinc fit ut ſumptum-
18 de Regiſtro ſupplicationum ſignatarum in judicio fidem
non faciat, ut dicit Ægid. *deciſ.252.* ſecus autem ſi ſum-
ptum litterarum Bullatarum extrahatur, ut dicitur in-
deciſ.28. de probation. in Antiq. & refertur à Gomeſ. *ubi*
19 *ſupra num.4.* Hinc etiam fit, ut Romani Pontifices edi-
derint tres regulas Cancellariæ, videlicet regulam de-
non judicando juxta formam ſupplicationis, ſed litte-
rarum expeditarum, in cujus exordio dicitur. Cùm-
ante confectionem litterarum gratia Apoſtolica ſit in-
formis, &c. Item *regulam* 29. quæ diſponit commiſſio-
nes non valere litteris non expeditis. Item regulam 53.
quæ vult diſpenſationes ſimiliter non valere non expe-
20 ditis litteris. Ex quibus omnibus deducitur multò gra-
vius delinquere, & atrociorem injuriam Papæ irroga-
re, ac majus præjudicium inferre poſſe falſantem lit-
teras Bullatas, in quibus conſiſtit totalis perfectio gra-
tiæ, & ſecundum quas eſt judicandum, quàm falſan-
tem ſupplicationes ſignatas quæ continent gratiam ru-
dem, & informem, & quæ ſine litteris minimè ſuf-
fragatur, & conſequenter pœna falſantium litteras Apo-
ſtolicas, de qua in *cap. Ad falſariorum infra eodem*, non
debet extendi ad eos, qui falſant ſupplicationes, ſeu ſi-
gnaturas, quia pœnæ ita debent adæquari, & commen-
ſurari delictis, ut quod ſceleratiùs eſt commiſſum graviùs
vindicetur, *cap. Non efferamus, 24. quæſt.1. cap. Quæſivit
de iis, quæ fiunt à maior. part. Capit. cap. fin. in fin. de exceſ-
ſib. Prælator.*

Ad partem verò affirmativam facit, quia ſi litteræ di- 21
ſcrepent à ſupplicatione, ſtatur ſupplicationi tamquam-
matrici, & non litteris, Caputaq. *deciſ.75. num.6. & de-
ciſ.227. lib.1.* Rota *deciſ.730. num.1. part.2. recent.* & lit-
teræ ſunt corrigendæ ad formam ſupplicationis, ut dixi in
cap. Ex conſcientia num.7. infra eod. Et litterarum regi- 22
ſtrum, & inde ſumpta debent reformari, & corrigi juxta
originalem ſupplicationem, Mandoſ. *in reg. de non iudic. iux-
ta formam ſupplicat. qu.19. n.6.* Rota *deciſ.387. n.10. part.5.
recent.* Trita enim eſt regula ut inſtrumentum publicum- 23
diſcrepans à matrice, ſeu protocollo debeat ſecundum illud
corrigi, & emendari, *l. Si quis ex argentariis, §. Prætor*, &
ibi Bart. *n.3. ff. de edend.* Felin. *in c. Quoniam contra, n.10.
de probat.* cum aliis cumulatis *in præalleg. deciſ.387.* Unde 24
etiam videmus ad ſupplicationem tamquam ad matricem
eſſe recurrendum, ſi expeditiones duæ ſint inter ſe diſcor-
des, ut decidit Rota *in recent. deciſ.225. numer.10. part.4.
tom.2.* allegando Bart. *in l. Sempronius, ff. de leg.2. & in l.
Si Librarius, num.9. ff. de reg. iur.* Imò ſola ſupplicatio at- 25
tenditur etiamſi non exhibeantur litteræ expeditæ ubi non
agitur de canonizanda gratia, Caputaq. *deciſ.235. & de-
ciſ.301. part.3.* Mantica *deciſ.335. num.2.* ubi aliæ cumu-
lantur, Gregor. XV. *deciſ.540. numer.6.* Caſſador. *deciſ.8.
num.14. de reſtitutione ſpoliatorum*, Mohedan. *deciſ.2. in
fin. de privileg.* Seraphin. *deciſ.538. numer.4. & deciſ.775.
num.3. & in recent. deciſ.228. 6. part. numer.6. & deciſ.218.
num.8. part.7.* & aliàs paſſim: ergo enormius eſt delictum, 26
& majoris præjudicii falſare ſupplicationem, quàm litte-
ras, quia falſitas litterarum poteſt corrigi ad formam-
ſupplicationis originalis, ſed non è converſo, ut di-
ctum eſt.

Præterea tota ſubſtantia gratiæ conſiſtit in ſupplicatio- 27
ne, & ſignatura Papæ; expeditio verò litterarum non re-
quiritur ad perfectionem gratiæ, ſed ad probationem tan-
tùm, Geminian. *conſ.106. ſuper d. dubio, verſ. In contra-
rium*, Caſſad. *deciſ.4. num.2. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Se-
raphin. *deciſ.775. numer.2.* cum ſimilibus, ut dixi *in cap.* 28
Nihil, num.28. ſupra de elect. Graviùs autem eſt corrum-
pere ſubſtantiam rei, quàm illius accidentia, argum. eo-
rum, quæ tradit Calder. *conſ.11.* incip. *Epiſcopus rem Ec-
cleſiæ, ante med. verſ. Ad cuius declarationem, de feud.*
conſequenter pœna *cap. Ad falſariorum, infra eod.* magis
convenit ei, qui corrumpit ſubſtantiam gratiæ falſando
ſupplicationem, quàm ei, qui corrumpit gratiæ probatio-
nem falſando litteras.

Ulterius pro hac parte facit, quia falſitates faciliùs, & 29
frequentiùs in ſupplicationibus committuntur propter ap-
poſitionem manus plurimorum officialium, ut advertit
Gomeſ. *in reg. de non iudican. qu.1. n.6.* per text. *in l. fin. C.
de Codicill.* Explorati autem juris eſt propter delicti fre-
quentiam pœnas exacerbari, vel augeri, ut *l. Aut facta
in fin. ff. de pœn.* & notat Aretin. *in c. Cum non ab homine,
n.59. circa finem, ſupra de iudiciis.*

Denium hanc partem amplectitur in puncto Collectar. 30
in cap. Ad falſariorum numer.2. infra eod. ubi format quæ-
ſtionem, quid dicendum de illis, qui falſant, ſeu confin-
gunt ſignum ſupplicationis Papalis, ſeu *fiat*, vel aliud fa-
ciendo; & refero hanc controverſiam de facto tunc conti-
giſſe, & multos dixiſſe tales non poſſe dici falſarios littera-
rum Apoſtolicarum, quia litteræ non dicuntur Apoſtolicæ
niſi propter Bullam, ut in textu; ſed poſteà ſubjungit Col-
lectar. aliud viſum eſſe Bart. & multis aliis, quia certum 31
eſt quod falſare il *fiat* eſt falſare litteras Apoſtolicas, idque
propriiſſimè, ſicut illud; in quo conſiſtit tota virtus, &
ſubſtantia, & ad hoc facit indiſtinctè littera dicti *cap. Ad
falſariorum*. Nec obſtat hæc Decretalis, quia ponit cer- 32
tos modos probandi falſitatem ſecundum eum, id eſt ali-
quos, ſed non omnes, ut hic in gloſ.1. ac proinde cùm-
ſpecies omnes non enumerentur, non procedit argumen-
tum à partium enumeratione, ut eſt textus in *l. Filius,
§. Filiusfamilias miles*, juncta gloſ. *in ver. Locum, ff. de li-
ber. & poſthum. & in cap. Venerabilem*, & ibi Joan. Andr.
num.18. & Abb. *num.8. ſupra de election.* Quæ opinio faci-
liùs eſſet admittenda, quando litteræ eſſent expeditæ, vel
ſupplicatio regiſtrata, & ſoluta componenda, quia tunc 33
non habet locum regula de non judicando, juxt. formam
ſupplicat. ut fuit pluries in Rota reſolutum teſte Card. Sera-
phin. *deciſ.764. n.4. & 5.* Nec ſupplicatio poteſt lacerari ab 34
officialibus cùm eo caſu ſit gratia perfecta, ut dixit Rota-

deciſ.

*deciſ.*554.*n.*9.*part.*5.*tom.*2. *in recent.* unde falſitas talis ſupplicationis perneceſſe influit in falſitatem litterarum, quæ nonniſi ad formam matricis, & originalis ſupplicationis expediuntur, ut dictum eſt; ac proinde eſt punibilis non ſecus ac falſatio ipſarum litterarum.

35 Non obſtant argumenta contraria; nam ad primum patet reſponſio ex jam dictis ſupra *n.*32. Ad confirmationem reſpondetur: Quamvis ſupplicationes non ſint litteræ expeditæ, quia non ſunt in plumbo, ſunt tantùm litteræ Apoſtolicæ ſecundum Collectar. ſupracitatum *n.*30. *&* 31. & ad inductionem Navarr. de qua ſupra *n.*7. reſponderi po-
36 teſt Bullam Cœnæ in ea parte, in qua loquitur de falſantibus ſupplicationes emanaſſe declarationes, *cap. Ad falſariorum*, *infra eod.* & ſic novum jus non induxiſſe, *l. Haredes palam*, §. *Si quid*, *ff. de teſtam.* quod inde liquet manifeſtè, quia in Bulla Cœnæ excommunicantur etiam falſarii litterarum in forma Brevis, ut videre eſt in Bulla Urbani VIII. §.9. in Bull. *tom.*4.*pag.*356. & tamen certum eſt litteras in forma brevis verè, & propriè eſſe litteras Apoſtolicas quæ jam erant comprehenſæ in d. *cap. Ad falſariorum*, ut ipſemet Navarr. fatetur *d. cap.*27.*n.*62. *verſ. Tertia*.

Ad ultimum verò, nempè ad differentias ponderatas in- 37
ter ſupplicationem, & litteras patet reſponſio ex dictis ſupra *d. n.*21. *uſque ad num.*32. ex quibus apparet eas ponderationes in contrarium retorqueri, maximè quando litteræ ſunt expeditæ vel ſoluta eſt componenda, ut conſtat ex dictis ſupra *n.*33.

DE CRIMINE FALSI,

Idem Innocentius III.

CAPUT VII.

AD falſariorum confundendam malitiam: & infrà. De communi fratrum noſtrorum conſilio duximus ſtatuendum, ut qui litteris noſtris uti voluerint, eas primò diligenter examinent: quoniam ſi falſis litteris ſe uſos dixerint ignoranter, eorum ſera pœnitentia evitare nequibit pœnas inferiùs adnotatas. Nos enim omnes falſarios litterarum noſtrarum, qui per ſe vel alios vitium falſitatis exercent, cum fautoribus & defenſoribus ſuis, anathematis vinculo decernimus innodatos, ſtatuentes, ut clerici, qui falſarii fuerint deprehenſi, omnibus officiis & beneficiis Eccleſiaſticis perpetuò ſint privati: ita quòd qui per ſe falſitatis vitium exercuerint, poſtquam per Eccleſiaſticum judicem fuerint degradati, ſæculari Poteſtati tradantur, ſecundùm conſtitutiones legitimas puniendi: per quam & laici, qui fuerint de falſitate convicti, legitimè puniantur. Qui verò ſub nomine noſtro litteris falſis utuntur, ſi clerici fuerint, officiis & beneficiis Eccleſiaſticis ſpolientur; ſi laici, tamdiu maneant excommunicationi ſubjecti, donec ſatisfaciant competenter: ita tamen, ut in iſtis & in illis, malitia graviùs, quàm negligentia puniatur: quod & de his, qui falſas litteras impetrant, ſtatuimus obſervandum.

SVMMARIVM.

1 *Falſantes per ſe, vel per alium litteras Papæ excommunicati ſunt cum ſuis fautoribus, & n.*27.
2 *Et Clerici officiis, & beneficiis privati ſunt, & n.*38.
3 *Item ſunt degradandi, & Curiæ ſæculari tradendi, & num.*40.
4 *Falſis litteris Apoſtolicis utentes, ſi Clerici ſunt, officiis & beneficiis privantur: ſi laici, excommunicati ſunt, & n.*47. *&* 48.
5 *Statutum valet, quo cavetur, ut quis non poſſit allegare illius ignorantiam.*
6 *Litteris Apoſtolicis uti volentes debent prius diligenter illas examinare, an ſint veræ, vel falſæ, vel ſuſpectæ.*
7 *Litteræ Papales ſiunt magna cum diligentia, & exquiſita curioſitate.*
8 *Et nihilominus in eis quaſi imperceptibiles committuntur falſitates.*
9 *Littera gratioſa vel contra ius, vel contra utilitatem publicam maiorem requirunt examinationem, quàm littera de ſimplici iuſtitia.*
10 *Ignorantia quamvis præſumatur in delictis, hoc tamen fallit quando debet procedere diligens inquiſitio, & n. ſeq.*
11 *Falſum non committitur ſine dolo.*
12 *Dolus in dubio præſumitur quando ex officio, vel ex natura actus prærequiritur diligens indagatio.*
13 *Ignorantia affectata, craſſa, & ſupina quæ.*
14 *Falſis litteris utens cum ignorantia craſſa mitiùs punitur, quàm cum dolo expreſſo.*
15 *Clerici falſantes litteras Principis, ſeu Imperatoris quas pœnas incurrant, & n.*16.
*Et quid in falſantibus litteras, ſeu ſigillum Regis, num.*23.
*Et quid in falſantibus litteras maioris Pœnitentiarii, vel Nuncii, aut Brevia Papæ, n.*24.
Proſp. Fagnan. in I. Lib. Decretal.

*Et quid in falſantibus litteras Epiſcopi, vel Capituli, ibidem, & n.*25.
16 *Papa longè præſtat Imperatori.*
17 *Iniuria aggravatur ex dignitate perſonæ, cui irrogatur.*
18 *Delictum gravius eſt in perſonam Principis, cui delinquens eſt ſubiectus quàm in extraneam.*
19 *Læſæ maieſtatis crimen non committit non ſubditus.*
20 *Clericus natus in Terris Principis laici dicitur eſſe originaliter, & naturaliter de dominio, & ditione ipſius Principis.*
21 *Non tamen contra eum dici poteſt committere crimen læſæ maieſtatis.*
22 *Rex habet in Regno ſuo iura ſupremi Principis, ideſt Imperatoris.*
26 Exercere *verbum in diſpoſitione pœnali verificatur in unico actu.*
27 *Falſans litteras Apoſtolicas etiam ſemel tantùm puniendus eſt pœna huius cap.*
28 *Bulla Pii V. contra exercentes vitium nefandum an habeat locum in iis, qui unica tantùm vice illud committunt.*
29 *Falſantes litteras Papæ ſunt excommunicati ſive ſint laici, ſive Clerici, ſive Monachi.*
*Et quid in Epiſcopis, n.*56.
30 *Et abſolutio eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata.*
31 *Falſarii litterarum Apoſtolicarum, vel falſò eas fabricantes, aut ſupplicationes falsò ſignantes excommunicantur in Bulla Cœnæ.*
32 *Excommunicatio Bullæ Cœnæ, & excommunicatio huius cap. contra falſarios litterarum Apoſtolicarum in quibus differant*
33 *Falſans litteras Papæ per alios an incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & n. ſeqq.*
34 *Faciens per alios per ſeipſum facere videtur, quod procedit etiam in delictis, & n.*43.
35 *Item procedit etiam in ſtatutis pœnalibus, quæ iuri*

Digitized by Google

communi non obviant, *& num. ſeq.*

36 *Statutum puniens utentem falſo inſtrumento locum habet etiam in utente per alium.*

37 *Falſans ſupplicationes manu Papæ ſignatas incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ.*

Et an incidat in pœna huius cap. ibidem.

38 *Beneficia falſantium litteras Papæ impetrari poſſunt tamquam vacantia.*

39 *Laici falſantes litteras Papæ non ſunt ipſo iure privati ſuis dignitatibus, & officiis.*

40 *Clerici falſarii litterarum Apoſtolicarum degradatione iudicis eccleſiaſtici traduntur Curiæ ſæculari pœna legali puniendi, ſcilicet mortis naturalis.*

41 *Degradationis pœna de iure communi non imponitur niſi in tribus caſibus hic expreſſis.*

42 *Clericus, qui non per ſe, ſed per alium falſat litteras Papæ an ſit degradandus, & Curiæ ſæculari tradendus.*

44 *Laicus ratione rei eccleſiaſticæ falſificando reſcriptum Papæ ſubiicitur foro Eccleſiæ.*

45 *Falſi pœna de iure civili quæ ſit, & n.46.*

46 *Deportationis pœna, & damnationis in metallum hodie non eſt in uſu.*

47 *Spolientur, ideſt per ſententiam.*

48 *Falſis litteris utentes ſunt ipſo facto excommunicati, etiamſi ab illarum uſu deſiſtant infra viginti dies.*

49 *Secus in habentibus litteras falſas, quia non ſunt excommunicati, ſi illas infra viginti dies laceraverint, vel reſtituerint.*

50 *Clerici falſis litteris ſcienter utentes an ſit excommunicati.*

51 *Pœna falſificantium litteras Papæ, & falſis litteris utentium ſunt in triplici differentia.*

52 *Malitia magis punitur, quàm negligentia.*

53 *Negligentia craſſa, & ſupina dolo æquiparatur.*

54 *Falſis litteris utentes, & falſas litteras impetrantes, ſed non exercentes per ſe falſitatem æquiparantur.*

55 *Impetrantes per ſuggeſtionem falſitatis litteras à Papa quâ pœna puniantur.*

56 *Epiſcopi falſantes litteras Papæ non incidunt in pœnam huius cap.*

57 *Sunt tamen excommunicati ex Bulla Cœnæ.*

58 *Falſarius litterarum Apoſtolicarum etiam occultus incurrit pœnam excommunicationis, & privationis officiorum, & beneficiorum eo ipſo, quod crimen committit, & n.62.*

Sed pœna degradationis ei infligitur tantùm, ſi criminaliter ſit convictus, n.63.

Sive per viam accuſationis, ſive inquiſitionis, numer.64.

Si vero civiliter actum fuerit, mitiùs punitur, numero 59.

61 *Intellectus* cap. Novimus, §. final. de verb. ſignific. *& n.65.*

66 *De crimine falſantium litteras Apoſtolicas an alius, quàm Papa poſſit cognoſcere.*

1 AD *falſariorum*, Qui per ſe, vel per alios litteras
Papæ falſant, excommunicati ſunt cum ſuis fauto-
2 ribus; & Clerici officiis, & beneficiis privati ſunt, &
3 degradandi ſunt, & tradendi Curiæ ſæculari, per quam
4 laici legitimè puniuntur. Qui litteris falſis utitur, ſi
Clericus eſt & officio & beneficio privatur, ſi laicus,
excommunicatur. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Card. Anchar.
Abb. Joan. de Anan. & Mar. Soccin. Dividitur in
duas partes. Primò, punit falſantes litteras Papæ per ſe,
vel per alios. Secundò punit utentes litteris falſis ibi, *qui
vero*.

5 Nota primò ſingulariter ex principio text. argumentum,
quod valet ſtatutum, ut reſpectu ſtatutorum, vel aliorum
gerendorum non poſſit quis ignorantiam allegare, ſeu non
proſit ignorantia, prout ex hac littera deducunt hic Abb.
& Mar. Soccin. *in 1. notab.* & notat Bart. in *l. Divus*, *n.4.
ff. ad l. Cornel. de falſ.*

6 Secundò nota ibi, *examinent obligationem, quam habent
volentes uti litteris Apoſtolicis*; debent enim prius eas diligenter
examinare, utrum ſcilicet ſint veræ; & tunc utantur
illis ſi voluerint; aut falſæ, & tunc nullo modo utantur;
aut ſuſpectæ, & tunc etiam abſtineant, *cap. Inter
dilectos, §. Verum de conceſſ. præben. lib.6. & arg. cap. Ad audientiam,
§. 1. ſupr. de homicid. & cap. Cum ſpecialis, §. Exceſſio
de appell.* ſecundùm Hoſt. *hic numer.6. & in cap. fin. in
princip. in verb. Suſpicionis, infra eod.* Nam etſi litteræ Pa- 7
pales multa cum diligentia, & exquiſita curioſitate fiant,
ut *cap. Cum ad eo, ſupra de reſcript. & cap. Apoſtolica 35.
quæſt.9.* tamen in illis tales plerumque committuntur falſi- 8
tates, quæ etiam prudentiſſimos fallerent, & quæ nedum
de facili cognoſci nequeunt, ſed etiam maxima, & diligentiſſima
diſquiſitione inveniri, aut percipi nequaquam
poſſunt, ut in *cap. Licet ſupra eod.* & notat idem Hoſtien.
in ſumma eod. tit. §.2. verſ. Præterea uſur. & poſt eum Marian.
Soccin. *hic numer.29. & 30.* unde nil mirum ſi hæc
Conſtitutio adſtringat volentes uti litteris Apoſtolicis ad
tam ſedulam examinationem. Major tamen examinatio 9
requiritur in litteris, quæ ſunt de gratia, vel contra jus,
vel contra utilitatem publicam, quàm in litteris de ſimplici
juſtitia, *cap. Accedens infra eod. & l. Reſcripta, C. Si
contra ius, vel util. publ.* ſecundùm Innoc hic *circa med.
verſ. Item examinatio.*

Tertio nota ibi, *Si falſis litteris ſe uſos dixerint ignoran- 10
ter*. Ignorantiam non præſumi, ſeu non excuſare, ubi
non permittitur diligentia, quam quis tenetur adhibere,
ut in textu: quamquam enim in delictis præſumatur ignorantia,
ut *l. Quoties, §. Qui dolo, ff. de probat.* tamen
hoc fallit quando præcedere debet diligens inquiſitio, prout
hoc caſu præcedere debet auctoritatem hujus Conſtitutionis,
gloſ.2. *hic* Innoc. *in princ.* ibi [Tunc non excuſat
ignorantia, cum non præceſſit examinatio: ex hoc enim
fuit in culpa, cùm non examinavit, nec à peritioribus
quæſivit,] *§. ult. 36. diſt. l. regula, ff. de iuris. & facti ignorantia*,
Hoſtien. *num.1.* ibi. [Quod ſi hanc diligentiam 11
non adhibuerint, in dolo eſſe videntur, ſine quo non committitur
falſum,] *l. Nec exemplum, C. Ad leg. Corn. de falſ.
l. Divus, ff. eod.* Butr. *n.2. & n.12.* ubi ait: [In iis, in qui- 12
bus debet diligens inquiſitio præferri, præſumitur ſcientia,
& dolus, niſi probetur ignorantia; Et ſic quod in
dubio dolus non præſumatur, verum eſt, niſi ex officio,
vel ex natura actus requiratur præcedens indagatio ad actus
vel vitii illius certificationem.] Hæc Butr. Concordat
Anchar. *in 1. notab.* & ſequuntur cæteri. Vel certè, ut dicit 13
gloſ. 1. *hic*, tales dici poſſunt affectatores ignorantiæ, *cap.
Cum inhibitio, de clandeſt. deſponſ.* & hujuſmodi ignorantia
appellari poteſt craſſa, & ſupina, *cap. Apoſtolica, de
Cler. excommun. miniſtr.* & hæc punitur pœna hujus *cap.
in verb. Qui vero*, ſecundùm Mar. Soccin. *hic num.34.* qui 14
tamen *num.35.* ſubdit, & benè, mitiùs puniri utentem
falſis litteris cum ignorantia craſſa, & ſupina, quàm cum
dolo expreſſo, quia primo caſu punitur pœna hujus textus
in d. §. *Qui verò*; ſed ſi eſſet in dolo, ita ut probaretur ſcientia,
tunc deberet puniri graviori pœna, ſcilicet *leg. Corn.
de falſ.* ſicut punitur qui tales litteras falſat, ut *l. Maiorem,
& l. Falſos, C. ad l. Cornel. de falſ.* nam & uſu committitur
verum falſum, ut ibi, & in *l. Eos qui §. fin. ff. eodem*,
& latiùs per eum, quod benè nota.

Quartò nota ibi, *litterarum noſtrarum*. Diſpoſitionem 15
hujus Decretalis, & illius pœnas vendicare ſibi locum
dumtaxat in Clericis falſantibus litteras Papæ: ſecus verò 16
in Clericis falſantibus litteras Principis, ſeu Imperatoris,
quia non videtur eſſe tantus exceſſus contra Principem,
quantum contra Apoſtolicum, cùm longè præſtet Papa
Imperatori, ut in *cap. Solita, ſupra de maiorit. & obed.* &
reſpectu perſonæ, in quam delictum commiſſum eſt, aggravatur
pœna, ut notat gloſ.2. in *cap.1. ſupra de calumniator.*
& hæc opinio placet Marian. Soccin. *hic n.12.13. & 14.*
& quamvis *gloſ. in verb. Legitimas*, videatur uniformiter
loqui de litteris Principis, & Papæ, & Marian. Soccin. ſubdat
pro opinione gloſſæ facere, quia cùm delictum ſit valdè
atrox, videtur eſſe locus degradationi, & traditioni Curiæ
ſæculari, ſecundùm ea, quæ traduntur in *c. Cum non ab
homine, ſupra de iudic.* tamen reſponderi poteſt pœnam degradationis,
& traditionis hujuſmodi non eſſe imponendam
niſi in caſibus in jure expreſſis, ut fusè probavimus in
d. c. Cum non ab homine, n.68. & 79. inter quos non reperitur
hic caſus falſantis litteras Imperatoris, cùm hoc cap.
non loquatur niſi de falſantibus litteras Papæ, & in pœnis
benignior pars ſit eligenda, ut in Regula *In pœnis, de reg.
iur. lib.6.* & facit *cap. Ad audientiam, ſupra eodem*: præ-
ſertim verò, quia delictum Clerici falſantis litteras Papa- 17
les

Digitized by Google

les eſt gravius, quàm falſantis litteras Principis duplici con-
18 ſideratione. Prima eſt, ut dixi numer. præcedenti, inju-
ria, quæ Pontifici Maaimo irrogatur, eſt atrocior ratione
præeminentioris dignitatis, §. *Atrox*, *Inſtit. de injur. l.
Prator ff. eod. cap. Cum illorum infra de ſentent. excomm.*
Secunda eſt, quia Clericus non eſt ſubditus Imperatori,
ſed Papæ, *cap. Si Imperator, & cap. Cum ad verum 96. di-
ſtinction. c. Eccleſia Sancta Maria, cum ibi notat. ſupra de
Conſtitut.* Explorati autem juris eſt longè gravius eſſe cri-
19 men in perſonam Principis, cui delinquens eſt ſubjectus,
quam in extraneum, *l. Omne delictum* §. 1. *ff. de re milit.*
Et propterea delinquens contra Principem, cui non eſt
ſubjectus, non dicitur committere crimen læſæ majeſtatis,
ut probat text. in Clem. *Paſtoralis*, ubi gloſ. *in verb. Non
ſubfuit de re indic.* & eſt communis opinio, ut atteſtatur
Rolan. à Vall. *conſ. 4. in Cauſa Inquiſitionis num. 1. vol. 1.*
20 & Jul. Clar. *in praxi criminal. §. Læſa maieſtatis verſ. Vidi
quandoque dubitari:* & hinc fit ut Clericus natus in terris
ſubjectis alicui Principi laico, quamvis dicatur naturali-
ter, & originariè eſſe de dominio, & ditione illius Prin-
cipis, prout tenere communiter Doctores affirmat Gigas
in tract. de crimine læſa maieſtatis q. 63. num. 3. Nihilomi-
21 nus cùm poſt clericatum revera non poſſit dici ſubditus
ipſius Principis, non poteſt dici contra eum committere
crimen læſæ majeſtatis: & eſt communis opinio, ut dicit
Præpoſitus *in cap. In primis §. De perſona col. 5. n. 16. verſ.
Non obſtat opinio 2. quaſt. 1.* & Clar. *loc. cit. verſ. Hinc refer-
tur.* Non igitur mirum, ſi Clericus falſans litteras Papæ ſit
degradandus, & Curiæ ſæculari tradendus; non autem
ſi falſet litteras Imperatoris: & gloſ. noſtra videtur uſurpaſ-
ſe nomen Principis non pro Imperatore, ſed pro Papa, de cu-
jus litteris loquitur hæc Decretalis. Hinc etiam fit, ut
22 quamvis Rex in ſuo Regno habeat jura ſupremi Principis,
ideſt Imperatoris, ut inquit Præpoſ. *ubi ſupra n. 22. verſ.
Tertio dicitur*, per ea quæ notantur *in c. Per venerabilem,*
23 *ſupra, Qui fil. ſint legitim.* Tamen Clericus falſans litteras,
vel ſigillum Regis non punitur pœna hujus cap. Sed depo-
nitur, & in ſignum maleficii ei character in fronte impri-
mitur, quo ab aliis diſcernatur, & in exilium mittitur, ut
eſt caſus *in cap. Ad audientiam ſupra eodem*, & ibi omnes,
Boer. *deciſ. 82. num. 3.* Licèt hodie de conſuetudine hanc
pœnam impreſſionis characteris in Clericis non ſervari at-
teſtentur Ludovic. Piguet. *deciſ. crimin. 80. n. 10. & ſeqq.*
& Farin. *in pract. crimin. parte quinta de falſit. q. 151. n. 62.
ad finem.*

24 Longè autem minus incidunt in pœnas hujus text. Fal-
ſarii litterarum Epiſcopi, vel Nuncii, quia hæ propriè non
ſunt litteræ Apoſtolicæ: & eadem ratione idem dicendum
de falſariis litterarum Pœnitentiariæ, quia non ſunt litteræ
Papæ, ſed ejus Commiſſarii, ut tradit Navarr. *in Manual.
cap. 27. num. 62. verſ. Tertia*, licet ſecus ſit de falſariis Bre-
vium Papæ, ſecundum Gomeſ. *de Brevib. pag. 3.* & Navarr.
ubi ſupra. Tu tamen adverte, quia DD. *in c. Ex litteris ſu-
pra de fid. Inſtr.* videtur tenere pœnas falſantium litteras
Apoſtolicas habere locum etiam in falſantibus Bullas, &
ſigillum litterarum ſacræ pœnitentiariæ, ut videre eſt apud
Hoſtien. *ibi n. 6.* Jo. Andr. *n. 4. ante fin.* Bellam. *n. 3. in fin.*
& Butr. *n. 4.* itidem *in fin.* quos ita intelligit Farin. *in d. pract.
criminal. q. 151. n. 24.*

25 De pœna autem falſantium litteras Epiſcopi, vel capituli
vide textum *in c. Si Epiſcopus 50. diſt. in c. Tam litteris in
fin. de teſtib. & in c. Ad audientiam ſupra eod.* & plenè hic
per Marian. Socin. *n. 11.*

26 Quintò, nota ibi, *vitium falſitatis exercent.* Prima
facie hic videri argumentum, quod ad incurrendas pœnas
hujus cap. non ſufficiat unica falſitas, ſed requiratur itera-
tio actuum, ponderando illud verb. *exercent*, argumen. *l.
Sciendum §. Illud ff. de ædilit. edict.* per quem text. Bartol.
in proœm. Digeſtorum n. 10. quem ſequitur Abb. *in c. 1. n.
24. de iudic.* Dicit artificem, vel mercatorem non dici eum,
qui ſemel, aut iterùm artem, vel mercaturam exercet, ſed
eum, qui toties ut vulgi opinione habeatur pro tali. Ad
idem tex. *in l. Quis ſit fugitivus §. Errorem ff. eodem, & l. fin.*
27 *ff. de Abig.* Sed oppoſitum eſt veriùs, quia verb. *exercent*,
& in diſpoſitione pœnali in unico actu verificatur, ut eſt
text. *in §. Item lex Iulia, il primo, Inſtitut. de publ. iudic.*
Unde etiam qui unica tantum vice falſat litteras Papæ, pu-
niri debet ad præſcriptum hujus Decretalis, ut firmat no-
viſſimè Proſper Farinac. *in praxi crimin. lib. 5. de falſitat.*
q. 251. n. 31. adjiciens ita practicari: & latiùs *in tit. de de- 28
lictis carnis q. 138. n. 30.* Et ex hoc confunditur illorum
opinio, qui dixerunt Bullam Pii V. contra exercentes vi-
tium nefandum, ſecundum ea, quæ ſcripſi *in d. c. Cum non
ab homine n. 76. de iudic.* non habere locum in his, qui ſe-
mel tantùm illud perpetrarunt, ſed ſolum in his, qui qua-
ſi ex uſu continuatn exercent. Inter quos Navarr. *in Ma-
nual. cap. 27. n. 249. verſ. Tertio dico.* Nam & *d. §. Lex
Iulia de exercentibus* loquitur, ibi: *Qui cum maſculis ne-
fandam libidinem exercere audent.* Et ſimiliter hoc cap. lo-
quitur per verb. *exercent*; & tamen illius pœnæ verifican-
tur etiam in his, qui unica tantùm vice delicta hujuſmodi
perpetrarunt, ut dictum eſt, & fuſiùs probat Farinac. *dicta
q. 138. n. 30.*

Sextò, nota pœnam generalem falſantium litteras Apo- 29
ſtolicas. Nam unà cum fautoribus, & defenſoribus ſuis
ſunt ipſo jure excommunicati: hoc enim demonſtrant ver-
ba illa, *anathematis vinculo*, quæ ſunt Canon. latæ ſenten-
tiæ, *ut in c. Dura in gloſ. 3. ſupra eodem*, & hic notat gloſ.
3. Innoc. *circa fin. in verb. Innodatos*, Hoſtien. *n. 3. & 5. in
eod. verb.* Henric. Boich. *n. 4. verſ. Aut quaris*, Cardin. *n. 1.
& in verb. Innodatos*, Butr. *n. 3.* Abb. *eod. num. verſ. Si vero
eſt laicus*, Jo. de Anan. *n. 1.* & Marian. Socin. *n. 40.* Joan.
Andr. & omnes in ſummario textus, Goffred. *in ſumma
huius tit. n. 7.* & Hoſtien. *itidem in ſumma eodem tit. num. 8.
verſ. Nam falſarii Domini Papæ*, gloſ. *in c. Licet in verb.
Temeem ſupra eod.* & ibi Butr. *n. 4. verſ. Dicit gloſ.* & nul-
lus diſcrepat: & cùm littera dicat omnes falſarios, hanc
pœnam infligit cunctis indifferenter, ſive ſint clerici, ſive
laici, ut hic per Marian. Socin. *n. 15.* & conſentiunt om-
nes: & in Monacho conſuluit Feder. de Senis *conſ. 219.* Si
notorium addens abſolutionem eſſe Sedi Apoſtolicæ reſer- 30
vatam per *d. c. Dura*, quod etiam dicit poſt Jo. Andr. Ma-
rian. Socin. *hic n. 23.*

Hodie in falſarios litterarum Apoſtolicarum fertur ex- 31
communicatio in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi con-
ſuevit, §. 6. in hæc verba. *Item excommunicamus, & ana-
thematizamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum,
etiam in forma Brevis, ac ſupplicationum gratiam, vel iu-
ſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel ſanctæ
Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarium, aut gerentes vices eo-
rum, aut de mandato eiuſdem Romani Pontificis ſignata-
rum; necnon falſe fabricantes litteras Apoſtolicas etiam
in forma Brevis, ac etiam falſo ſignantes ſupplicatio-
nes huiuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vice-
cancellarii, aut gerentium vices prædictorum.* Hæc
ibi.

Et ex hoc contextu colligunt nonnulli ex modernis ali- 32
quot differentias, & præcipuè duas inter excommunica-
tionem, quæ infligitur in textu noſtro, & illam, quæ in-
fligitur in Bulla Cœnæ *d. §. 6.* Prima differentia eſt, quia in
hoc cap. excommunicantur non modo indifferenter omnes
qui falſant litteras Papales: ſed etiam laici, qui falſis litte-
ris utuntur, ut dicam infra *in 10. notab.* Sed in Bulla Cœnæ
non excommunicantur niſi falſarii litterarum Apoſtolica-
rum, vel falſas litteras fabricantes, aut ſupplicationes fal-
sò ſignantes; de utentibus autem nihil ſtatuitur, aliud eſt
falſare, & aliud uti falſis, ut colligitur ex hoc cap. *in
principio, iuncto §. Qui vero*, & tres differentias col-
ligimus infra *num. 51.* & hanc differentiam conſtituunt
Navarr. *in Manual. cap. 2. num. 62. verſ. Quarta*,
Suar. *tom. 5. diſputat. 21. ſect. 2. num. 48.* & quidam
alii.

Secunda differentia eſt, quia ex hoc cap. excommunica- 33
tionem incurrunt, qui litteras Papales falſant per ſe, vel per
alios, ut in littera: Sed ex Bulla Cœnæ non excommuni-
cantur, niſi qui hujuſmodi litteras falſant per ſe, ut tenent
Jacobus de Graſſis *in ſuis Deciſionibus par. 1. lib. 4. c. 18.
n. 93. & 95.* & Suarez *d. diſp. 21. ſect. 2. num. 48.* Sed hanc 34
differentiam non puto veram, quia regula: Qui per alium
facit, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum: procedit etiam in
delictis, ut hic notat Marian. Socin. *n. 19. & 20. & in cap.
Ad audientiam n. 286. ſupra de homicid.* Idque non per fi-
ctionem, ſed per veritatem, ut in terminis excommunica-
tionis eſt textus clarius *in cap. Mulieres §. fin. infra de ſent.
excomm.* ubi deciditur mandantem percuti Clericum inci-
dere in excommunicationem, & redditur ratio per hæc for-
malia verba, quia is committit verè, cujus auctoritate, vel
mandato delictum commiſſu probatur; ubi gloſſ. ultima
alle-

Digitized by Google

35 allegat jura concordantia. Item procedit prædicta regula
Sexti etiam in ſtatutis pœnalibus, ut ex gloſ. magna *in cap.*
Sicut dignum eod. tit. deducunt ibi Jo. Andr. *n.* 18. *verſ. Et*
ſcias, Abb. & Marian. Socin. *num.* 11. dicentes, auctori-
tate illius gloſſæ quotidie uti aſſeſſores fori civilis inducen-
tes eam ad intellectum ſtatutorum punientium homicidas,
ut verificetur etiam in mandantibus fieri homicidium. Ad
quod etiam inducunt jura *in l. Si quis id §. fin. ff. de iuriſdict.*
omn. iud. & in l. 2. *§. Divus ff. de iure fiſci*, *& in l. Iudai*
36 *la ſeconda C. de Iudeis*. Ideòque ſtatutum puniens uten-
tem falſo inſtrumento locum ſibi vendicat etiam in eo, qui
utitur per alium, ut pluribus fundamentis reſpondit Ludov.
Roman. *conſ.* 105. *Viſo themate num.* 2. & quamvis oppo-
ſitum ſenſerit Vincentius de Paleatis inter conſilia Alexan-
dri *conſ.* 65. *Viſa quadam lib.* 4. ubi latè conſuluit Conſti-
tutionem pœnalem contra homicidas non habere locum in
eo, qui mandat fieri homicidium; tamen ejus opinio poſ-
ſet fortaſſe obtinere, ubi ſtatutum eſſet juri communi con-
trarium; tunc enim non reciperet interpretationem à jure
communi; at ſecus eſt, ſi diſponat quaſi idem, quod jus
commune, aut illud adjuvet, pœnam augendo, quia
tunc ſtatuti pœna locum habet etiam in eo, qui facit per
alium; ita Alex. *conſ.* 55. *n.* 15. *lib.* 4. Hoc autem caſu Bul-
la Cœnæ non obviat juri communi, quin potiùs cum eo
concordat, quia eandem pœnam excommunicationis im-
ponit falſariis litterarum Apoſtolicarum, quam jus com-
mune imponit in hoc cap. & quamvis Bulla non utatur il-
lis verbis, *per ſe*, *vel alios*, ſed ſimpliciter loquatur de
falſarii, tamen intelligi debet de falſariis tam per ſe, quam
per alios, ut ſic recipiat interpretationem paſſivam ab hac
Decretali, ad text. *in l.* 2. *C. de noxalibus*, *& in cap. Cum*
dilectus §. Cæterum, & ibi gloſ. recepta in verb. Juri com-
muni, ſupra de conſuetudine, nec Bulla loquitur per illa ver-
ba, *per ſe*, ſicut loquitur hoc cap. in ea parte, in qua im-
ponit pœnam degradationis, & traditionis Curiæ ſæcula-
ri, ut dicam infra *n.* 42. Sed ut prædixi, loquitur ſimpli-
citer de falſariis litterarum, vel fabricantibus falſas litte-
ras, vel falsò ſignantes ſupplicationes, quæ verba verifi-
cantur etiam in iis, qui non per ſe, ſed per interpoſitam
perſonam hujuſmodi falſitates committunt, ut ex dictis
conſtat. Quinimò etiamſi Bulla Cœnæ uteretur illis verbis,
per ſe, nihilominus eſſet ſupplenda, vel per alios, prout ſup-
plent text. noſtrum, Hoſt. Jo. Andr. & communiter Docto-
res, ut dicam infra *in* 8. *notab. d. n.* 42.
37 Tertia differentia, omiſſis aliis eſt, quia Bulla Cœnæ in
d. §. 6. loquitur expreſsè etiam de falſantibus ſupplicatio-
nes à Papa ſignatas, ſed text. noſter loquitur tantùm de
falſantibus litteras Apoſtolicas, quarum appellatione non
veniunt ſupplicationes; alioquin ſuperfluum fuiſſet, ot
bulla extenderet hoc cap. Puniens falſantes litteras Papæ ad
falſantes illius ſignaturas, ut obſervat Navarr. *in Manual.*
d. c. 27. *n.* 62. *verſ. Declaratio prima*: ſed adverte, quia op-
poſitum videtur tenere Collectarius *hic n.* 2. & ad rationem
Navarri reſponde, ut dixi *in c. Licet n.* 36. *ſupra eod.* & ibi
vide hunc articulum in utramque partem plenè diſcuſſum à
n. 3. *uſque ad n.* 37.

Septimò nota in verſ. *Statuentis* ſpecialem pœnam Cle-
ricorum falſantium litteras Papæ: nam officiis, & benefi-
38 ciis eccleſiaſticis ſunt ipſo jure privati, ut in text. & notant
Jo. Andr. Cardin. Anchar. Abb. & omnes *in ſumm.* & ita
eorum officia, & beneficia impetrari poſſunt tamquam
vacantia, ut tradunt Rebuff. *de pacificis poſſeſſor. num.* 204.
& in praxi beneficiar. tit. de mod. amittend. benefic. num. 43.
Petr. Gregor. Toloſan. *de benefic. c.* 26. *n.* 12. Nicol. Garz.
in eod. tract. p. 11. *c.* 10. *n.* 170. Gonzal. *ad regul. de menſib.*
39 *gloſ.* 15. *n.* 58. & cùm textus noſter hac in parte reſtringat
ſe ad clericos, hinc deducitur, ut laici falſantes litteras Pa-
pæ pœnam privationis officiorum, ac dignitatum minimè
incurrant, ut hic per Marian. Socin. *n.* 17. *&* 18.
40 Octavò nota in verſ. *ita quod*, aliam pœnam ſpecialem
clericorum falſantium litteras Papæ: nam de crimine con-
victi, prævia degradatione judicis eccleſiaſtici, traduntur
Curiæ ſæculari, ſecundum Conſtitutiones legitimas pu-
niendi, ut in littera, ſcilicet ultimo ſupplicio, ſeu pœna
mortis naturalis, ut hic innuitur, & tenet gloſ. in verb.
Legitimas, Hoſt. *n.* 8. dicens in falſario reſcripti Principis
magnitudinem criminis exigere ſupplicium capitale, Butr.
num. 16. *verſ. Et imponitur talis pœna*, Anchar. *n.* 2. *in* 3.
notab. ubi ſe remittit ad gloſ. & Jo. de Anan. *n.* 11. *verſ. In*
ead. gloſ. & eſt ſpeciale in hac ſpecie falſitatis, ſecundum
Abb. *num.* 9. quem ſequitur Afflict. *deciſ.* 404. *n.* 20. *in fin.*
& n. 21. idem tradunt Salycet. *in l. Maiorem n.* 1. *poſt med.*
verſ. Et ſi quæras C. ad leg. Cornel. de falſ. Boer. *deciſ* 82. *n.*
6. Duenna *in regula* 290. *in* 1. *limitatione ad fin.* Grammat.
deciſ. 27. *n.* 10. & ita paſſim ſervatur, teſte Farinac. *in pract.*
criminal. lib. 5. *de falſit. q.* 151. *n.* 4. licet Jo. de Anan. *in ru-*
brica circa fin. dicat non ſervari iſto caſu, ut clericus Cu-
riæ ſæculari tradatur, prout illum refert Jul. Clar. *in §. fin.*
in pract. q. 36. *n.* 34. *verſ. Videmus etiam*: & eodem modo
hæc verba, legitima pœna, id eſt mortis in clerico incorri-
gibili, exponit Abb. Antiq. *in cap. Cum non ab homine poſt*
princ. in verb. Legitima de iudic. & ita habes hic unum ex 41
tribus caſibus, in quibus de jure communi clericus degra-
datur, & traditur Curiæ ſæculari, etiam non expectata
incorrigibilitate. Alios duos habes hic in gloſ. in verb. *Tra-*
dantur, unum ſcilicet *in cap. Ad abolendam ſupra de hære-*
tic. & alium *ex cap. Si quis Sacerdotum* 11. *q.* 1. & hanc dicit
eſſe theoricam Doctorum Guil. de Benedictis *poſt tertiam*
partem repetitionis, *c. Raynucius de teſtam. in quæſt. de homi-*
cidio n. 3. *& ſeq.* & Jul. Clar. *d. q.* 36. *verſ. Scias etiam*, &
iſtos tres unà cum aliis pluribus per Conſtitutiones Apoſto-
licas inductis poſui *in cap. Cum non ab homine à num.* 68. *de*
iudic.

Sed hic inſurgit dubitatio numquid hac pœna degrada- 42
tionis, & traditionis Curiæ ſæculari puniendus ſit clericus,
qui falſat litteras Apoſtolicas per alium, an verò ille tantùm,
qui falſat illas per ſeipſum, Hoſt. *hic n.* 6. *in verb. Per ſe ſup-*
plet, *vel per alium*, *quia per ipſum facere videtur*, arg. hu-
jus textus ibi, *per ſe*, *vel alios*, *& cap. Paſtoralis §. Præter-*
ea in fin. ſupra de off. deleg. & cap. Mulieres infra de ſent. ex-
comm. & ſic ſenſit Hoſt. hanc pœnam degradationis, &
traditionis pariformiter imponendam eſſe clerico ſive fallet
litteras per ſe, ſive per alium; & hanc opinionem appro-
bat Joan. Andr. *in ſumm. text. & num.* 2. *in verb. Vel alios*,
dum allegat regulam, *Qui per alium de regul. iur. lib.* 6.
& num. 3. *in verb. per ſe*, obi ſimiliter ſupplet, *vel per*
alios, & ſequitur Anton. de Butr. *in fin.* Anchar. *in* 2. *no-*
tab. & eſt communis opinio Doctorum, ut inquit Mar. So-
cin. *n.* 19.

Sed certè huic opinioni valdè obſtat littera textus, dum
loquendo de clericis dicit: *qui per ſe falſitatis vitium exer-*
cuerint: nam in verſ. præcedenti generaliter præmiſit de
committentibus falſitatem per ſe, vel alios, infligendo pœ-
nam excommunicationis; deinde in verſ. *Statuentes*, dum
imponit aliam pœnam clericis, ſimpliciter loquitur de fal-
ſariis: & ita hæc quoque ſecunda pœna locum habet in fal-
ſantibus tam per ſe, quàm per alios: ſed tandem in verſ.
Ita quod, dum ſubjungit graviſſimam pœnam degradatio-
nis actualis, & traditionis Curiæ ſæculari, non repetit illa
verba, *per ſe*, *vel alios*, ut fecit in prima pœna, nec loqui-
tur ſimpliciter, ut fecit in ſecunda; ſed expreſsè dicit, *qui*
per ſe, *&c.* ergo in hoc tertio caſu videtur abſolutè exclu-
dere falſantes per alios; alioquin ad quid hæc diverſitas lo-
quendi? Unde pœna talium clericorum, qui per alios falſi-
ficant ultra excommunicationem, & privationem officio-
rum, & beneficiorum, videtur dependere à diſpoſitione
aliorum jurium, quia quod non mutatur, &c. *l. Sancimus*
C. de teſtament. l. Præcipimus in fin. C. de appellat. & in hoc
tandem, licet cogitandum relinquat, videtur reſidere Ma-
rian. Socin. *hic n.* 19. cum tribus ſequentibus; & quamvis
n. 22. dicat opinionem Hoſtien. fortè eſſe magis tenendam, 43
quia in jure etiam in delictis videtur æquiparari qui per ſe 43
facit, & qui per alium; ideòque diſpoſitio facta in uno vi-
detur extendi ad reliquam, ut notatur *in l. Si quis ſervo C.*
de furtis, *& in c.* 2. *ſupra de mutuis petitionib.* & in concor-
dantibus per eum allegatis: tamen hæc non poſſunt appli-
cari caſui noſtro, in quo textus conſtituit expreſſam diffe-
rentiam inter memoratas pœnas, & in tertia tantùm ſe re-
ſtringit ad falſantes per ſe; unde ſuppletio illa, *vel per alios*,
corrumpit litteram, & ſuppletiones ad Decretales non ſunt
permiſſæ, Clemen. *Ne Romani*, ibi, *vel addi*, *de elect.* &
qui ſupplet, corrigit, ut in Authen. *de non alienand. in princ.*
Brixien. *in repertorio in verb. Suppletio*, & hæc opinio mihi
magis placet, tum quia eſt magis amica litteræ, tum quia
pœnæ non ſunt extendendæ de caſu ad caſum, ſed potius
reſtringendæ, *cap. Odia*, *& cap. In pœnis*, *de reg. iuris lib.* 6.
Afflict. *deciſ.* 21. *num.* 7. & in ſpecie hæc pœna degrada-
tionis non imponitur niſi in caſibus in jure expreſſis, ut
dixi

Digitized by Google

dixi ſupra *n. 56. verſ. Tamen reſponderi poteſt*: & hin caſus Clerici falſantis per alium non reperitur expreſſus, quin potiùs excluſus per hanc litteram.

44 Nonò nota ibi, *per quam & laici*, ſpecialem caſum, in quo laicus ſubjicitur foro eccleſiaſtico, id eſt cùm delinquit in re eccleſiaſtica falſando litteras Apoſtolicas, ut hic per Butr. *n.* 4. Anchar. *in 5. notab.* Abb. *num.* 4. & Marian. Socin. *n.* 16. alios caſus habes *in c. fin. de except. lib. 6. & in ſumma* 11. *q.* 1. & per Abbatem *in cap. Cùm ſit generale*
45 *de foro compet.* Hoc autem in caſu laicus eſt puniendus per Curiam ſæcularem ſecundum Conſtitutiones legitimas, ut in textu, id eſt pœna legis Corneliæ, quæ in ſervo eſt ultimum ſupplicium, & in libero homine eſt deportatio, & omnium bonorum publicatio, *ut in l.* 1. §. *fin. ff. ad leg. Cornel. de falſ. & in l. Ubi falſi C. eod. & in §. Item lex Cornelia de falſis inſtitut. de publ. iudic.* & hic notant gloſ. *in verb. Legitimas*, & ſequuntur omnes Doctores, ut dicit Marian. Socin. *n.* 8. qui tamen declarat dictum gloſſæ de deportatione, ut procedat in libero homine nobili, aut in dignitate conſtituto; ſed in homine ignobili, & plebejo eſt pœna damnationis in metallum, *per l. Si quis aliquid*
46 §. *Qui vivi ff. de pœnis*, & notat Bart. *in d. l.* 1. §. *fin. n.* 1. *ff. eod.* Afflict. *deciſ.* 21. *num.* 8. Pœna tamen deportationis hodie non eſt in uſu, nec alicui imponitur de conſuetudine, ut poſt alios atteſtatur Jul. Clarus *in pract. crim.* §. *Falſum, verſ. Sed quæro quæ ſit pœna falſi*, ſed & damnatio ad metallum, ſive ad opus metalli hodie etiam in foro ſæculari receſſit ab aula, ut ait Follet. *in pract. crimin. canon. fol.* 131. *num.* 8. & Jul. Clarus *in §. fin. q. 67. verſ. Item damnatio*; unde ſecundum eum in præallegat. verſ. *Sed quæro*, ubi adſunt ſtatuta ſuperinde diſponentia, imponenda eſt pœna expreſſa in ipſis ſtatutis, alioquin imponenda eſt pœna conſueta, quaſi hoc arbitrio judicis relinquatur.

47 Decimò nota *in §. Qui verò*, pœnam eorum, qui falſis litteris Apoſtolicis utuntur: Nam ſi Clerici ſint, officiis, & beneficiis ſpoliantur, id eſt per ſententiam, ut exponit Innocentius *hic in fine in verb. Spolientur*, Hoſt. *num.* 10. Jo. Andr. *num.* 4. Card. *num.* 1. *in eod. verb.* & alii communiter, quod nota ad limitationem eorum, quæ de hoc verb.
48 *ſpolientur, dixi in cap. Ad abolendam num. 29. ſupra de hæreticis*: ſi verò ſint laici, ſunt ipſo facto excommunicati, ut oſtendunt verba illa, *tamdiu maneant excommunicationi ſubjecti, &c.* Et tenent hic Innoc. *in fin.* Abb. *n.* 6. Marian. Socin. *n.* 23. Jo. Andr. Butr. Cardinal. Anchar. & omnes *in ſumm. textus*, quod intelligit, ſi ab uſu non deſiſtunt
49 infra viginti dies, *per cap. Dura §. fin. ſupra eod.* ſed hoc non placet, quia textus *in d. cap. Dura*, non loquitur de his, qui falſis litteris utuntur, ſed de habentibus litteras falſas, & non lacerantibus, ſeu diſtribuentibus, vel reſtituentibus: & tales nullam excommunicationem incurrunt, niſi ſit lata à judice, prout ibi dicitur; cùm termino viginti dierum, ſed textus noſter *in §. Qui verò*, procedit in his, qui ſcienter utuntur falſis litteris, & tales, ſi ſint laici, ſunt ipſo facto excommunicati, ut in textu, & hic declarat Abb. *n.* 9.

50 Et ex hoc deducitur, ut ſi ſint clerici, qui falſis litteris ſcienter utuntur, non ſint excommunicati, quia textus iſte apertè diſtinguendo inter clericos, & laicos vult, ut falſis litteris utentes, ſi clerici ſint, officiis & beneficiis ſpolientur, & nihil dicit de excommunicatione: ſi verò ſunt laici, excommunicationi ſint ſubjecti, ergo clerici hanc pœnam excommunicationis non incurrunt, & hæc opinio magis placet Abbati *num.* 6. ne clerici duplici pœna conterantur, contra textum *in cap. At ſi clerici §. De Adulteriis ſupra de Judiciis*, & quia in pœnis benignior pars eſt eligenda, *cap. Pœnæ de pœnit. diſt.* 1. licet Hoſt. *hic num.* 10. *in verb. Excommunicationi*, teneat etiam clericos falſis litteris utentes eſſe ipſo jure excommunicatos, eique adſtipulentur Jo. Andr. *n.* 5. Card. *n.* 1. *in verb. Laici*, & Marian Socin. *n.* 23. ea ratione, quia clerici magis delinquunt, ſed primæ opinioni Abbatis magis favet iſta littera.

51 Ex prædictis collige tres differentias inter falſantes litteras, & falſis litteris utentes. Prima differentia eſt, quia falſantes litteras ſive ſint clerici, ſive laici, ſunt ipſo facto excommunicati, ut dixi ſupra *in 6. notab.* utentes verò falſis litteris, ſi ſint laici, excommunicati ſunt, & in hoc concordant omnes; ſi verò ſint clerici, ſecundum opinionem Abbatis non ſunt excommunicati, ut dixi ſupra *num.* 50. Secunda differentia quia falſantes litteras ſi Clerici ſint, officiis & beneficiis ſunt ipſo jure privati, ut dictum eſt ſupra *in 7. notab.* ſed utentes falſis litteris non ſunt privati ipſo jure, ſed privandi per ſententiam hujuſmodi, ut ſimiliter dictum eſt ſupra *n.* 47. Tertia differentia quia falſantes, ſi ſint Clerici, actualiter ſunt degradandi, & Curiæ ſæculari tradendi, ut patet ex dictis ſupra *in 8. notab.* Utentes verò hac pœna degradationis, & traditionis minimè puniuntur, ut hic per Anchar. *in 6. notab.* & in his concordant omnes Doctores.

Undecimò. Nota hic in verſ. *Ita tamen*. In criminibus 52
malitiam gravius puniri quàm negligentiam, ut in littera, Anchar. *in 7. notab.* quandoque tamen negligentia dolo
comparatur, ſcilicet, cùm diſſoluta eſt, craſſa, & ſupi- 53
na, *l. Si fidejuſſor ff. Mandati*, & hic notat gloſ. *ultim.* & communiter DD.

Ultimò nota ex fine textus, æquiparationem, quæ fit 54
inter eos, qui falſis litteris utuntur, & eos qui falſas litteras impetrant, ſed non exercent per ſe falſitatem; In utriſque enim in modo puniendi diſtinguitur, an id egerint per malitiam, vel per ſimplicitatem, ſeu ignorantiam, prout diſtinguitur *in c. Super litteris de reſcriptis*, &
hic intellectus magis placet Jo. Andreæ *n. 5. in verb. Sta-* 55
tuimus, Abb. *in fin.* & Marian. Soccin. *n.* 25. quam intellectus eorum, qui dicunt proviſionem ſuperiùs factam circa eos, qui falſis litteris utuntur, hic extendi ad illos, qui per ſuggeſtionem falſitatis impetrant litteras à Papa, Hic ſanè intellectus non eſt verus, quia tales non incidunt in pœnas hujus cap. Sed tamen puniuntur juxta terminos *d. cap. Super litteris*, quia carent omni commodo litterarum, & in expenſis condemnantur, ut hic in gloſ. ultim. & tradit Cardin. *in c. final. col. ultim. in princ. verſ. Per hoc dico infra eod.* ubi expreſsè dixit impetrantem reſcriptum per falſi ſubreptionem, aut taciturnitatem non incidere in pœnam falſi, ſed carere impetratis, & inſuper teneri ad omnia damna, & intereſſe, & ſequitur Præpoſit. *in c. In memoriam num. 3. & 7. 19. diſt.* Alioquin ſi omnes impetrantes per ſubreptionem litteras Papales inciderent in pœnas hujus cap. O quàm multi reperirentur illaqueati! Quare impetrantes litteras Papæ per ſubreptionem, vel obreptionem non eſſe excommunicatos cenſens S. Antonin. *in 3. part. tit. 25. cap.* 11. Sylveſt. *in ver. Excommunicatio 7. n. 9. verſ. Et ſecundo*, Cardin. Cajetan. *eod. ver. c. 26. & de materia* vide Joan. de Anan. *in c. Licet n. 2. in fin. verſ. In gloſſ. falſitatis, & n. 3. 4. & 5. ſupra eod.* & Marſil. *in leg. Si quis obrepſerit n. 11. & ſeq. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

Quærunt Doctores, an pœnæ hujus Decretalis locum 56
habeant in Epiſcopis, & reſolvunt negativè, tum quia in talibus Epiſcopi, & Superiores nunquam comprehenduntur, niſi de illis fiat mentio ſpecialis, *ut in c. Quia periculoſum de ſent. excomm. lib. 6.* tum quia non ſunt privandi ſine ſpeciali mandato Papæ, *ut cap. Dudum 3. q. 6. ut hic*
per Butr. *num* 77. Adverte tamen, quia hodie ex Bul- 57
la Cœnæ falſarii litterarum Apoſtolicarum ſunt excommunicati etiamſi Epiſcopali, vel alia majori dignitate ſint præditi.

In gloſſ. *in verb. Deprehenſi*. Nota benè hanc gloſſam, 58
quia ad hoc ut falſarii Bullarum Apoſtolicarum puniri poſſint pœnis hujus cap. requiritur, ut ſint criminaliter convicti. Debet enim acerrima fieri indagatio ubi pœna eſt graviſſima infligenda, *ut l. Ubi C. ad leg. Cornel. de falſ.* ſed ubi civiliter agitur, mitiùs eſt agendum, *l. penul. Cod.*
eod. verùm Hoſt. *hic n.* 6. dicit fortè ſpeciale eſſe in falſatio 59
litterarum Papæ, ut ſi notarius ſit per evidentiam facti, degradetur ex mente hujus verbi deprehenſi, & idem eſt
ſecundum eum, ſi per modum inquiſitionis convincitur, 60
& cum hoc ſimpliciter tranſit Jo. Andr. *n.* 7. Butr. *n.* 14. ſed Cardin. *n.* 3. intelligit, ut ſint deprehenſi, itaut judicialiter conſtet, & ſic utraque ſolutio in idem recidit ſecundum
eum: Archidiaconus verò *in c. In memoriam n. 11. ad finem* 61
verſ. Item videtur contradicere 19. diſt. tenet hanc pœnam habere locum quando proceditur per viam accuſationis, ſecus verò ſi per viam inquiſitionis; quia tunc falſario litterarum Papalium imponitur pœna perpetui carceris *per cap. Novimus §. fin. de verb. ſignific.* & ſequitur Collectar. *hic n.* 3. dicens hoc eſſe mitius, & verius. Placet di-
ſtinctio Abbatis *hic n.* 8. & Mar. Soccin. *n.* 53. videlicet quod 62
aut loquimur de pœnis, quæ ipſo jure infliguntur falſariis litterarum Papalium, ut pœna excommunicationis, &

priva-

privationis officiorum, ac beneficiorum: & tales intelli-
guntur inflictæ eo ipſo quod delictum eſt perpetratum, nec
eſt jus an civiliter, vel criminaliter actum fuerit, quam
Conſtitutio ligat crimen etiam omninò occultum, ut di-
cit gloſ. ſingularis in Clem. 1. *in verb. Eo ipſo, de hæretic.* li-
cèt poſſeſſione privari non poſſit niſi cauſa cognita, & vo-
catus, ut tradit Jo. Andr. *in regula Mora n. 15. verſ. Hinc
eſt quod qui à principio titulum habuit de reg. iur. lib. 6.* Aut
loquimur de pœnis per judicem infligendis, ut eſt pœna
degradationis, & traditionis Curiæ ſæculari: & in talibus
procedit opinio gloſſæ, ùt non infligantur ſi civiliter aga-
64 tur, ſed ſolum ſi criminaliter ſint convicti: Non tamen
facias differentiam, an actum ſit per viam accuſationis, vel
inquiſitionis: nam utroque caſu, ſi convincatur eſt degra-
dandus ſecundum opinionem Hoſt. de qua ſupra *n. 60.* cum
qua DD. videntur hic tranſire, *& ad d. c. Novimus §. fin.
de verb. ſignif.* reſponde ut ibi per Bernard. in gloſ. *in verb.
Includas*, & Hoſt. *n. 4. verſ. Et intelligas*, videlicet quod
pœnitentia carceris perpetui ibi de gratia imponitur, quia
ſic placuit Papæ: non enim recipitur intellectus, quem
poſuit ibi Innoc. *in fin.* nempe quod falſarius non ſemper
tradatur Curiæ ſæculari, ſed ſolum quando non eſt ſpes de
ipſius correctione: quoniam, ut advertit Hoſt. ubi ſupra in
fine: ſi hoc verum eſſet, modica ſpecialitas eſſet in falſa-
rio Bullarum Apoſtolicarum, quia non ſolùm falſarius, ſed
& quilibet alius graviter delinquens, ſi de illius correctio-
ne ſpes non habetur, poteſtati traditur ſæculari, *cap. Cum
non ab homine ſupra de iudic.* vel de alio falſario, quam litte-
rarum Papæ loquitur ille textus, ut ibi per Jo. Andr. in ex-
tremis verbis.

Extra gloſſam QUÆRO utrum alius quàm Pa- 65
pa poſſit cognoſcere de crimine falſantium litteras Apo-
ſtolicas: quidam negant per *cap. In memoriam 19. di-
ſtinct.* ſed contrarium tenet ibi Archidiac. *num. 11. per
cap. Novimus, de verbor. ſignificat.* Nec obſtat *cap. In
memoriam*, quia ut ibi notatur, non conſtabat de
crimine, nec reperitur reſervatum concordat Collect.
hic num. 1.

DE CRIMINE FALSI.

Idem Innocentius III.

CAPUT IX.

EX conſcientia: & infrà. Verùm litteras ipſas, quæ redargutæ fuerant falſitatis, diligentiùs intuentes, nullum in eis falſitatis ſignum, vel ſuſpicionis invenimus, niſi paucarum litterarum raſuras, quæ nequaquam ſapientis animum in dubitationem vertere debuerunt: Unde ſi vobis conſtiterit prædictum R. obligaſſe ſe ſub periculo cauſæ, quòd litteras illas falſas eſſe probaret (cùm quilibet ad renuntiandum juri ſuo liberam habeat facultatem) ipſi R. ſuper dicta Eccleſia ſilentium imponatis.

SVMMARIVM.

1 *REſcriptum non probatur falſum ex raſura paucarum litterarum in loco non ſuſpecto, & n. 13.*
2 *Raſura multarum litterarum puta lineæ, in reſcripto inducit ſuſpicionem falſitatis.*
3 *Secus ſi raſura ſit talis, quæ animum ſapientis in dubitationem non vertat.*
4 *Suſpicio modica non debet animum ſapientis immutare.*
5 *Beneficiatus quoad ſui præiudicium poteſt ſe obligare ad pœnam perdendi beneficium: ſecus quoad præiudicium ſuperioris.*
6 *Litteræ Apoſtolicæ non redduntur falſæ ex raſura facta ab Officiali Curiæ etiam in loco ſuſpecto.*
7 *Litteræ Bullatæ poſſunt abradi, & corrigi ab officialibus Cancellariæ quando non concordant cum ſupplicatione, vel quando minus benè fuerunt expeditæ.*
8 *Raſura quantumvis modica in litteris Apoſtolicis facta ab impetrante, ſeu utente reddit eas falſas, & radens eſt falſarius, & excommunicatus, & num. ſeq.*
Non tamen incurrit pœnam l. Corn. de falſis, *niſi hoc faciat cum dolo, n. 10.*
Et dolus præſumitur cum aliquid immutatur ex ſubſtantialibus, vel in loco ſuſpecto, n. 11.
Aut cum falſificans talibus litteris utitur, n. 10.
9 *In littera Papali nec punctus fieri, nec deleri poteſt ſine metu excommunicationis.*
12 *Dolus præſumitur in his, quæ ſunt de genere prohibitorum.*
14 *Raſura paucarum litterarum, cùm dubium eſt à quo facta fuerit, non reddit litteras falſas, ſi ſit in loco non ſuſpecto, aliàs ſecus.*
15 *Raſura quando reperitur in loco non ſuſpecto præſumitur facta per Officialem, ſed in loco ſuſpecto præſumitur facta per impetrantem.*
16 *Et quando dicatur locus ſuſpectus.*
17 *Reſcriptum non redditur falſum, nec ſuſpectum ex raſura in narrativa facti.*
18 *Reſcriptum redditur falſum ex raſura ſcripta manu diverſa etiam in loco non ſuſpecto.*
19 *Secus ſi eadem manu.*
20 *Et in dubio præſumitur manus diverſa ſi ſit in loco ſuſpecto.*
21 *Litteræ Apoſtolicæ ſi ſint redditæ clauſæ, non vitiantur ex raſura in quocumque loco ſit.*
22 *Niſi character in loco raſuræ ſit valde difformis.*

E*X Conſcientia*. Propter paucarum litterarum raſuram 1
in loco non ſuſpecto reſcriptum non probatur falſum.
Hoc dicit, ſecundum Joan. Andr. & omnes. Primò diffi-
nit objectum dubium. Secundò objectionem puniri man-
dat, ibi, *Verum*.

Nota primò ex textu regulam, quod raſura paucarum 2
litterarum in reſcripto Apoſtolico, non inducit probatio-
nem falſitatis de quo latius dicitur infra in examinatione
materiæ. Ergo à contrario ſecus ſi raſura ſit multarum lit-
terarum, *ut cap. Venerabilis §. 1. ſupra de Religioſ. domib.
& cap. Licet, verſ. Quinta ſupra eodem*, ubi de hoc & no-
tat hic Hoſtien. *in princ. in ver. Peccatum*, unde, ut dicebat
Joannes relatus à Jo. Andr. *n. 6.* & Marian. Socin. *n. 7. in
fin.* licèt raſura litteræ non inducat ſuſpicionem falſitatis, *c.
Cum olim, il ſecondo infra de privileg.* tamen raſura lineæ
utique eam inducit.

Secundò nota ibi, *ſapientis*, non quamlibet raſuram 3
inducere probationem, ſeu ſuſpicionem falſitatis littera-
rum Apoſtolicarum: ſed illam tantum, quæ debet ſapien-
tis animum in dubitationem vertere, ut hic per Abb. *in 2.
notab.* nam modica ſuſpicio non debet ſapientis animum 4
immutare, atg. hujus textus, *& cap. Iudices 1. q. 1. & cap.
Etſi quæſtiones §. fin. ſupra de ſimon.* cum ſuis concordant.
ſecundum gloſ. Joannis *hic in verb. Sapientis*, & Hoſt.
num. 2. qui in fine addit ſuſpicionem probabilem debe-
re ipſum aſſecurare, ut patet *in cap. 2.* ubi de hoc *ſupra
eodem*.

Ultimò nota ibi, *obligaſſe ſe ſub periculo cauſæ*. Benefi- 5
ciatum poſſe ſe obligare ad pœnam perdendi beneficium;
ſimile *in cap. Cum dilectus ſupra de elect.* quo verum eſt
quoad ſui præjudicium, ſecus quoad præjudicium ſu-
perioris, quia talem promiſſionem poteſt ſuperior reſ-
puere,

Digitized by Google

puere, ſeu non acceptare, *ut in cap. Admonet, & in c. Quod in dubiis, ſupra de renunciat. & hic*, notat Marian. Socin. *n. 7.*

6 Abſolutis breviter notabilibus venio ad materiam, & ad clariorem textus intelligentiam diſtinguo tres caſus ex mente Laurentii, & gloſſæ *in cap. Licet in verb. Tenuem, ſupra eodem*, & Marian. Socin. *hic n. 10. & ſeq.* Quandoque enim abraſio in litteris Apoſtolicis facta fuit à Cancellario, ſeu alio ex officialibus Curiæ in quantum unicuique ratione officii eſt commiſſum, & hoc eſt certum; quandoque facta fuit ab impetrante, ſeu utente, & hoc ſimiliter eſt certum; quandoque verò ignoratur à quo facta fuerit, & ſic verſamur in dubio.

Primò caſu cùm ſcilicet eſt certum abraſionem fuiſſe factam ab officiali Curiæ manifeſtum eſt eam non inducere falſitatem in litteris Apoſtolicis, ut firmant *in c. Ex litteris ſupra de fide inſt.* Innoc. *in fine in verb. Abradi*, Hoſt. *num. 5.* Joan. Andr. *num. 4. in eod. ver.* Bellam. *num. 2.* Butr. *num. 4. verſ. Quæro à quo poſſit abradi*, & Cardin. *num. 1. in fin.* Nec diſtinguitur hoc caſu an raſura ſit in loco ſuſpecto, quia nihilominus cùm apparet facta ab officiali, non reddit falſum reſcriptum, ut hic per Abbatem *num. 4.*

7 Quod ſi quæras in quibus caſibus officialis poſſit abradere, & corrigere litteras Bullatas; Reſpondeo id poſſe in illis caſibus, in quibus litteræ non concordant cum ſupplicatione, ſeu matrice: vel quando litteræ minus benè expeditæ reperiuntur, ut patet in Regula de non judicando juxta formam ſupplicationis, in illis verbus: *Et ſi littera ipſa per præoccupationem, vel aliàs minus bene expedita reperiantur, ad illorum, quorum intereſt, inſtantiam ad Apoſtolicam Cancellariam remitti poterunt per eius officiales, quibus huiuſmodi tenores, & formas reſtringere convenit, ad formas debitas reducenda.*

8 Secundò caſu, id eſt cùm certum eſt abraſionem fuiſſe factam ab impetrante, vel utente; hæc ſit concluſio, quod modica quælibet raſura in litteris Apoſtolicis etiamſi ſit unius ſyllabæ, unius litteræ, vel puncti, reddit eas falſas, & ſic radens eſt falſarius, & excommunicatus: ita Goffredus *in ſumma huius tituli num. 9.* Gloſſa *in cap. Licet § Si vero littera in verb. Tenuem ſupra eod.* Hoſt. *in c. Ad falſariorum num. 4. in fin. in ver. Falſitatis ſupra eod. & in c. Ex litteris n. 2. in ver. In alia littera quàm Papali de fide inſtr.* ubi ait: *In littera Papali nec punctum fieri, nec deleri poſſe ſine metu excommunicationis*: & idem repetit *num. 4. in ver. Abradi*, & concordant ibi Jo. Andr. *eod. num.* Bellam. *num. 3.* Butr. *num. 4. verſ. Vnde dicit Hoſtienſis*, Card. *n. 3. poſt medium*, Imola *n. 4.* & Abb. *poſt num. 3.* Archid. *in cap. In memoriam num. 9. 19. diſt.* & ibi Bellam. *n. 7.* & Præpoſit. *n. 15. verſ. Et conſiderandum*, Abbas *hic num. 4.* ibi: [Si iſte impetrans raſiſſet, falſarius induceretur quantumcumque raſura eſſet modica,] *ut in cap. Licet*, ibi: *Aliquid per raſuram tenuem immutatur, ſupra eod.* & eum ſequitur Marian. Socin. *hic num. 9. verſ. Idem ſi apparet facta ab impetrante*, Afflictus *deciſ. 404. poſt num. 8. & n. ſeq.* ubi pluribus oſtendit raſuram in litteris Principis, & præſertim Papæ falſitatem inducere, ſive reperiatur in loco ſuſpecto, ſive non ſuſpecto, & ſive fuerit nociva, ſive non, quando fuit non ab officiali publico, ſeu Cancellario, ſed ab impetrante. Nec diſtinguitur an modica ſit raſura, ut idem Afflictus tradit in Conſtitut. *Qui litteras n. 1. verſ Nec diſtinguitur an modica ſit raſura*: unde ſecundum Laurentium hic relatum à Mariano Socino *num. 9.* etiamſi raſura eſſet in facti narratione, & conſtaret, quod eſſet facta ab impetrante, obeſſet *ut c. Significante, & cap. Rodulphus de reſcriptis*, quibus adde Hoſtienſem *in ſumma huius*

9 *tituli §. 2. verſ. Quinto in fin.* ubi dicit: [hodie præceptum eſt, ut in litteris D. Papæ nec in magno numero, nec in modico audeat quis manum apponere, etiam litteram unicam, vel dimidiam, vel punctum unicum addendo, cancellando, diminuendo, componendo, aut mutando, exceptis officialibus, quibus hoc permiſſum eſt; alioquin manum apponens ex Canone lato in Curia ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrit, quæ non poteſt, per aliquem citra Sedem Apoſtolicam relaxari, & tales difficillimè abſolvuntur ſine pœna:] & quamvis Navarr. *in Manuali cap. 27. num. 62. verſ. Sexta*, poſt Jo. Gerſonem *in 2. par. Alphab. 32. cap. Quoniam fol. 118.* dixerit non ſufficere aliquam litteram vel punctum corrigere, quod non mutat ſubſtantiam aliquam, ut faciat incidere in excommunicationem latam in falſarios litterarum Apoſtolicarum, ſaltem quoad forum conſcientiæ, cùm id facere bona mente ſine dolo, & ullo alterius damno non videatur mortale: non tamen videtur recedendum à communi opinione, quam etiam tenet Cardin. Cajet. *in ſumma in verb. Excommunicatio c. 26.*

Cæterum adverte ſecondum Marian. Socin. *hic num.* 10 *12. circa finem*, quia ſi talis dolo mutaret, abraderet, ſeu cancellaret, puniri deberet pœna falſi, & aliis pœnis, quibus falſarii litterarum Apoſtolicarum puniuntur, de 11 quibus *in cap. Ad falſariorum ſupra eodem*, & præſumeretur dolo feciſſe, ſi aliquid corrigeret, abraderet, vel induceret, quod eſſet de ſubſtantialibus litterarum, vel in loco ſoſpecto, & importante aliquod præjudicium non leve; & ita intelligendus eſt textus *in cap. Licet ſupra eod.* & quod ibi notat gloſ. *in verb. Tenuem*, ſed ſi extra ſubſtantialia, vel circumſtantias neceſſarias abraderet, vel immutaret, ut in cognomine, vel agnomine, vel ſimilibus, tunc arbitrandum eſſet hoc feciſſe potius per ſimplicitatem, quam per malitiam. Unde fortè non tenetur pœna, *l. Cornel. de falſ.* Eſſet tamen excommunicatus, ut dictum eſt, & carere deberet omni commodo litterarum, *ut in cap. Cum olim ſupra de effic. Delegat.* & quamvis ille textus loquatur tantùm de aperiente, & deſtruente ſolum ſigillum: tamen ſatis placet ut non teneatur pœna *l. Cornel.* quia hujuſmodi pœna non tenetur niſi doloſus, *l. Nec exemplum C. ad leg. Cornel. de falſis, gloſ. 1. in c. Ad falſariorum ſupra eod.*

Neque obſtat, quod in genere prohibitorum præſuma- 12 tur dolus, ut notatur *in cap. 1. ſupra de præſumpt.* & conſequenter cùm etiam punctum, & litteram removere, aut apponere ſit prohibitum, ſi in contrarium operatus eſt, præſumatur dolo id feciſſe, quoniam, ut reſpondet Marian. Socin. *num. 15.* ex quo id commiſſum eſt in loco nullatenus ſuſpecto, & nihil importante, præſomptio eſt, quod potius per ſimplicitatem id egerit, argum. *cap. Accedens*, juncta gloſ. 1. *ſupra eodem*. Res tamen, ut ſubdit Marian. Socinus non eſſet ſine maximo dubio, & 13 fortè ſi talibus litteris uteretur, falſi pœnam non evaderet, per text. *in d. cap. Accedens*, & per notata *in l. Divus ff. ad leg. Cornel. de falſis.*

Tertiò caſu, cùm ſcilicet dubium eſt, à quo facta fue- 14 rit abraſio, in quibus terminis intelligitur hoc cap. Concluſio ſit, quod raſura paucarum litterarum facta in loco non ſuſpecto non reddit litteras falſas. Caſus eſt in hac decretali, quæ tametſi indefinitè determinet paucarum litterarum raſuram non inducere ſuſpicionem falſitatis tamen communiter à Doctoribus intelligitur ſi raſura hujuſmodi ſit in loco non ſuſpecto, aliàs ſecus, & in ſpecie ſic tradit Bernardus hic poſt caſum dicens: [Nota quod raſura paucarum litterarum non reddit falſum ſcriptum, niſi eſſet in loco ſuſpecto, [prout hic intelligitur, & tenent Joan. Andr. Butr. Cardin. & Anchar. Abb. & omnes *in ſumm. textus*. Ad idem eſt caſus expreſſus *in cap. Ex litteris ſupra de fin. inſtrum.* quem ſic ſummant Jo. Andr. & reliqui poſt eum, videlicet reſcriptum Apoſtolicum propter raſuram in loco non ſuſpecto non cenſetur vitioſum.

Ratio hujus concluſionis eſt, quia quando raſura repe- 15 ritur in loco non ſuſpecto, præſumitur facta per officialem; ſecus verò ſi reperiatur in loco ſuſpecto, quia præſumitur facta per impetrantem, vel utentem; & ideò talibus litteris fides non adhibetur, ut hic declarant Abbas *n. 4. verſ. Sed quando*, Jo. de Anan. *num. 3.* & Marc. Socin. *n. 9. verſ. Sed quando*, Bellam. *in c. In memoriam num. 4.* & ibi etiam Turrecrem. *num. 3. verſ. Alio modo*, & Præpoſitus *num. 8. & 10. diſtinct. 19.* Vitalinus *in Rubrica de crimine falſi*, in Clement. *n. 5. verſ. Sed raſura in loco ſuſpecto*: & ita intelligendi ſunt Doctores, qui ſimpliciter ajunt, in dubio abraſionem præſumi factam ab habente auctoritatem corrigendi, ut puta officialibus Cancellariæ, ſcilicet ſi appareat in loco non ſuſpecto, aliàs ſecus. Hi ſunt *in c. Ex litteris de fide inſtrum.* Jo. Andr. *n. 4. verſ. Sed in dubio*, Butr. *eod. num. verſ. In dubio præſumitur*, Card. *n. 3. in fin.* Anchar. *in 3. notab. verſ. Vbi autem apparet abraſio*, & Jo. de Anan. *n. 3.* & hæc præſumptio oritur propter Bullam in litteris Apoſtolicis appoſitam, quæ omnem ſuſpicionem excludit, ſecundum Cardin. *ubi ſupra*.

Dici-

Digitized by Google

16 Dicitur autem locus ſuſpectus ſi abraſio fiat in nomini-
bus judicum, vel in data, vel in remotione appellationis,
ut exemplificat gloſ. *in c. Inter dilectos in ver. Conſumptum
de fid. inſtrum.* cum qua concordant ibi Innoc. *n.* 3. *in verb.
Annotatione*, Hoſtien. *n.* 4. Jo. Andr. *n.* 29. Butr. *num.* 14.
& num. 20.
17 Ergo ſi raſura ſit in narrativa facti, propter hoc reſcri-
ptum Apoſtolicum non redditur falſum, nec ſuſpectum, ut
eſt caſus ad litteram *in d. c. Ex litteris de fid. inſtrum.* & ibi
notat *gloſ. penult.* & communiter omnes.

Item gloſ. 1. hic & Hoſtien. *poſt princ. in verb. Raſuras*, Goffredus *in ſumma hujus tituli num.* 9. Hoſt. *in ſumma eod. tit. num.* 3. *verſ. Quinto cum litteris Bullatis*, Jo. de Anan. *in cap. Licet n.* 7. *verſ. Adde etiam ſupra eod.* Turrecr. *in c. In memoriam n.* 2. *verſ. Alio modo* 19. *diſt.* Afflict. *deciſ.* 404. *n.* 5. Itaque tunc obeſt raſura in facti narratione, quando apparet facta ab impetrante, ut in ſecundo caſu: ſecus verò ſi dubitetur, ut in hoc tertio caſu, quia non obeſt, & ita intelligitur *d. c. Ex litteris de fid. inſtrum.* ut declarat Laurentius, quem hic ſequitur Mar. Socin. *n.* 9. *verſ. Unde voluit*.

18 Advette tamen, quia ſi abraſio ſcripta ſit manu diverſa,
tunc licet reperiatur in loco non ſuſpecto, indiſtinctè red-
dit litteras falſas. Quod pluribus modis poteſt deprehen-
di, nempè ex encauſto ſeu atramento, & ſpecie, & for-
ma litteræ, & aliis ſimilibus modis, ſecundum quod tra-
ditur *in l. Comparationes C. de fid. inſtrum. & in l. Si unus
C. de teſtamentis*, & è converſo non obeſt raſura in quo-
19 cumque loco reperiatur, ſi eadem manu fuerit ſcripta, ut
poſt Laurentium voluit gloſ. *in c. Licet in verb. Tenuem ſu-
pra eod.* Verum ſi dubium ſit, an eadem, vel diverſa ma- 20
nu ſit ſcripta, tunc recurritur ad conjecturam loci: nam
ſi reperiatur in loco ſuſpecto; tunc præſumitur ſcripta non
eadem manu, ſed diverſa; & ideò reddit reſcriptum falſum,
ut dicunt Abb. *hic n.* 4. & Jo. de Anan. *n.* 3. Hoſt. *in d. c. Ex
litteris eodem n. in princ. & verſ. Niſi conſtaret*, & ibi etiam
Jo. Andr. *n.* 7. *in fin. eod. verſ.* Et Anchar. *n.* 3. *itidem in fin.
de fid. inſtrum.*

Prædicta procedunt ſi litteræ Apoſtolicæ ſint redditæ 21
apertæ, ſecus verò ſi clauſæ, quia tunc, ut dicit gloſ. *in c.
Licet in ver. Tenuem ſupra eodem*, non nocet raſura in quo-
cumque loco ſit, & idem voluit Laurentius, qui ad hoc
allegat *l. Cancellaverat ff. de his quæ in teſtamento delentur*,
& quod notatur *in cap. Inter dilectos ſupra de fide inſtrum. &
in cap. Cum olim de offic. Delegat. & in d. l. Comparationes,
C. de fide inſtrum. & in d. l. Si unus C. de teſtam.* & eſt com-
munis concluſio, ut dicit Mar. Socin. *hic num.* 10. qui ta- 22
men eam limitat, & benè, dummodo character in loco
raſuræ non ſit ab alio multum difformis, aliàs ſecus; præ-
ſertim ſi eſſet magna, & notabilis raſura, & eſſet in loco
ſuſpecto, nec fieret aliqua mentio intus de correctio-
ne: nam eo caſu præſumi poſſet ſigillum eſſe adulte-
rinum, & eſſet notabilis ſuſpicio, & rationabilis,
quod eſſet falsò appoſitum, vel quod fortè aliquo in-
genio litteræ eſſent diſſigillatæ, & raſura commiſſa,
& poſtea ſigillatæ; ſed ſi intus eadem manu, & for-
ma, tinctura fieret mentio de abraſione, ſecus eſſet di-
cendum.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

Alexander III. Norvicen. Epiſcopo.

CAPUT III.

AUdivimus uſque adeò clericorum malitiam excreviſſe, ut interdum inter ſe colluſione facta ſuper beneficiis, quæ poſſident, ſe ſuſtineant ab aliis moleſtari: & poſteà, ut quæſtioni cedatur, & iidem clerici beneficia quietè poſſideant, quaſi nomine tranſactionis ſolvunt aliis de beneficiis annuam penſionem, ut poſt mortem eorum in beneficiis illis, ſuper quibus eſt colluſio facta, jus ſibi valeant vendicare. Unde tibi mandamus, quatenus ſi quos clericos tuæ juriſdictionis, per colluſionem hujuſmodi fraudem legitimè tibi conſtiterit commiſiſſe, eos beneficiis, ſuper quibus colluſum fuerit, non differas perpetuò ſpoliare: quia ſatis eſſet indignum, ſi fraus & dolus, quæ in præjudicium tui juris, & aliorum nituntur committere, in eorum non redundarent incommodum & jacturam.

S V M M A R I U M.

1 *BEneficio ſuo privatur qui per colluſionem illud conſtituit cenſuale.*
2 *Colludens in cauſa beneficiali privari debet beneficio.*
3 *Prælatus poteſt Eccleſiam conſtituere penſionariam. Declaratur n.* 6.
4 *Colluſio quid ſit.*
5 *Geſta per colluſionem non tenent.*
6 *Penſio bona fide impoſita ſuper beneficio ſine auctoritate Epiſcopi non excedit vitam ſolventis, ſecus ſi cum Epiſcopi auctoritate.*
7 *Contrarium.*
8 *Penſiones ex ſtylo ſolus Papa reſervat, & nulla declarantur reſervationes penſionum ad vitam factas à Vicario Leodienſi.*

1 A*Udivimus*. Beneficio ſuo privatur qui per colluſio-
nem illud conſtituit cenſuale. Hoc dicit ſecundum
Jo. Andr. & omnes, vel generalius ſecundum Abb. Sicu-
2 lum. Colludens in cauſa beneficiali privari debet beneficio,
& primò refert colluſionem, ſecundò facientes puniri man-
dat, ibi, *unde*.

Nota ex textu Prælatum poſſe ſuper fructibus beneficii
annuam penſionem imponere, prout hic notat Bernardus
3 poſt caſum, dicens Prælatum poſſe Eccleſiam conſtituere
penſionariam: & ſatis probat hæc littera: nam in tantum
penſionis impoſitio hic reprobatur, in quantum facta fuit
per colluſionem. iſti enim Clerici, qui fingebant ſe rectores,
habebant jus in beneficiis, & pro bono pacis concordabant
cum eis qui beneficia poſſidebant, ut tenerent ipſa quoad vi-
verent, & in ſignum juris petentium ſolverent eis annuam
penſionem, ut poſt mortem ipſorum poſſent actores poſſeſ-
ſionem beneficiorum intrare: & per hoc illudebatur colla-
tio, quæ debebat fieri per Epiſcopum: & in hac colluſione,
& fraude Papa hic fundat ſuam deciſionem, ut patet in lit-
tera ibi, *Si quos Clericos per colluſionem hujuſmodi fraudem
legitime ſibi conſtiterit commiſiſſe*. Eſt enim colluſio inter 4
actorem & reum latens & fraudolenta conventio, ſe-
cundum gloſ. 1. & Hoſt. *n.* 1. unde colludium non debet re-
manere impunitum *c. Si quem pœnituerit* 2. *q.* 3 & geſta per 5
colluſionem non tenent, *l.* 3. *ff. eod.* ſecundum Innoc. *hic in
fine*. Ergo à contrario ſenſu ceſſante colluſione penſio fuiſ- 6
ſet validè impoſita; non tamen excederet vitam ſolventis
etiam colluſione ceſſante, cùm eſſet impoſita ſine auctori-
tate Epiſcopi, ut dicit gloſ. *ſecunda*, cum qua concordat
Innoc. *in princ.* inquit enim: [Hæc penſio ſi bona fide pa-
cta ſit, non excedit vitam paciſcentis, niſi interveniat au-
ctoritas Epiſcopi,] allegat *c. De cætero, & c. Veniens ſupra
de tranſact.* & ſequitur Hoſtien. *n.* 2. dicens penſionem ſine
auctoritate Epiſcopi conſtitui non poſſe, & ſi conſtituta ſit
etiam licitè, vitam ejus, qui ſolvit non excedere. Sen-
tiunt igitur gloſ. Innoc. & Hoſt. penſionem poſſe aliquando
licitè conſtitui ſine Epiſcopi auctoritate, ſcilicet pro bono
pacis, & concordiæ omni fraude, & colluſione ceſſante;
ſed

Digitized by Google

ſed eo caſu penſionem eſſe perſonalem, nec excedere vi-
7 tam gravati. Ergo à contrario cenſent per auctoritatem
Epiſcopi poſſe bona fide conſtitui penſionem realem, &
duraturam in tempus ſucceſſionis in beneficio. Tu verò
de hoc articulo dicas ut ſcripſi *in cap. Niſi eſſent de prabend.*
ubi pleniſſimè examinavi an, & quando poſſit Epiſcopus
ſua ordinaria auctoritate penſiones ad vitam, vel perpe-
tuas imponere, *à num. 14. uſque ad n. 65.* & ad hunc tex-
tum reſponde ut per Abb. *in 1. notab.* videlicet hic vacare
argumentum à contrario ſenſu, quia habemus jus ex-
preſſum in contrarium, id eſt *in d. cap. Niſi eſſent*; quod
irrefragabiliter probat Epiſcopum nec pro bono pacis
poſſe annuas penſiones imponere, quæ tranſeant ad ſuc-
ceſſores in beneficio, inducendo illud fortiter, ut ibi di-
xi *n. 40.*
8 Quibus adde quod cùm Vicarius Leodienſis delatus fuiſ-
ſet ad ſan. mem. Paulum V. quod diſpenſationes in aliqui-
bus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis paſſim concederet, & penſiones tam vitales, quam perpetuas reſervaret, Papa per litteras in forma Brevis hujuſmodi gratias, & reſervationes nullas eſſe declaravit, eidemque inhibuit ſub pœnis, & cenſuris, ne de cætero ſimilia attentaret: & cùm poſtea Sereniſſimus Epiſcopus, & Princeps Elector conqueſtus eſſet, quod ſe inaudito hujuſmodi litteræ emanaſſent, Congregatio ad illius ſupplicationem ſuper his controverſiis deputata quoad facultatem reſervandi penſiones, tametſi DD. variè diſtinguant *in c. Audivimus, de Colluſ. detegen.* Cùm tamen uſus Sedis Apoſtolicæ ubique receptus habeat ut ſolus Papa eas reſervet, minimè poſſe Vicarium hanc ſibi facultatem vendicare, totius negotii ſeriem retuli *in cap. Cùm de tua num. 11. & 17. ſupra de corpor. vitiat.*

DE MALEDICIS.

Clemens III.

CAPUT I.

INnotuit nobis: & infrà. Quia nobis per litteras retuliſti, quòd J. clericus multis coram aſtantibus, verba quædam in depreſſionem officii & beneficii noſtri protulit, ipſum à temeritate ſua compeſcas: Ut poena illius, aliis terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam Eccleſiam in talia verba prorumpant.

1 I*Nnotuit*. Maledicens Papæ puniendus eſt, ut deinceps alii abſtineant, & terreantur. Hoc dicit Joan. Andr. Et primò ponit culpam; ſecundò puniri mandat, ibi, *ipſum*.

Pro intellectu hujus textus vide quod ſcripſi *in cap. Licet num. 18. de pœn.*

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

Ex Concilio Antiocheno.

CAPUT II.

SI quis presbyter, aut alius clericus fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus ſuſpenſus: & ipſe per contemptum & ſuperbiam aliquid de miniſterio ſibi interdicto agere præſumpſerit: & poſteà ab Epiſcopo ſuo correptus, in cœpta præſumptione perduraverit, modis omnibus excommunicetur: & quicumque cum eo communicaverit, ſimiliter ſe ſciat eſſe excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, vel fœminis excommunicatis obſervandum eſt. Quòd ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus minimè emendare potuerit, regis judicio ad requiſitionem Eccleſiæ, exilio damnetur.

SUMMARIUM.

1 *DEpoſitus, vel ſuſpenſus celebrans, & monitus non deſiſtens excommunicatur, & ſi nec ſic deſiſtat, per ſæcularem poteſtatem ad requiſitionem Eccleſiæ, exilio damnatur.*

2 *Irregularis an efficiatur Clericus minorum Ordinum ſuſpenſus, excommunicatus, vel interdictus miniſtrando in aliquo ex dictis ordinibus, & n. ſeqq. uſque in finem.*

3 *Pœna ubi non eſt ſtatuta, non eſt noſtrum eam imponere.*

4 *Irregularitas non incurritur niſi in caſibus in iure expreſſis, & dicens aliquem irregularem, debet dare caſum iuris.*

5 *Clericorum appellatione veniunt Clerici minorum Ordinum.*

6 *Ius generaliter, & indiſtinctè loquens, generaliter, & indiſtinctè intelligitur, niſi per aliud diſtinguatur.*

7 *Deponitur quis à minoribus Ordinibus, ſicut à maioribus, & n. 13.*

8 *Irregularis in dubio prohibetur miniſtrare in ſacris Ordinibus, in minoribus verò permittitur diſpenſativè.*

9 *Et an hoc caſu diſpenſet Epiſcopus.*

10 *Ordinum minorum miniſteria exerceri debent per Clericos cœlibes tantum, & in eorum defectum per Clericos coniugatos, non tamen bigamos.*

11 *Irregulares fiunt Clerici miniſtrantes in prima tonſura, & in minoribus ordinibus ſimoniacè ſuſceptis ex Conſtitutione Sixti V. hac in parte non revocata per Clementem VIII.*

12 *Ordines minores, in quantum ſunt Sacramentum, ordinantur omnes ad Sacramentum Euchariſtia.*

13 *Et ſecundum ſe ſunt ſacri.*

14 *Interdictum violat qui in officio ſuo miniſtrat ſicut prius licet ſit Clericus minorum ordinum, & irregularitatem incurrit, & n. ſeqq. uſque in finem.*

15 *Secus ſi exerceat aliquid non deputatum certo ordini, ut cantare reſponſoria, dicere Pſalmos, & huiuſmodi.*

16 *Item ſecus ſi ſit deputatum certo ordini, ſed ex conſuetudine exerceatur etiam per laicus, ut in Epiſtola, quæ ſine apparatu dicitur per quemcumque.*

Sed

Sed contra, n. 18. & 19.

17 *Clerici ſuſpenſi, excommunicati, vel interdicti, qui tamquam Clerici ex officio ſuo exercent actum alicui ex dictis ordinibus deputatum irregularitatem incurrunt ex voto ſacræ Pœnitentiariæ.*

18 *Conſuetudo qua minorum ordinum functiones exercentur promiſcuè à Clericis, ac laicis, eſt corruptela à Concilio Tridentino improbata.*

19 *Monialis, vel laicus non poſſunt canere Epiſtolam, & Lectiones in Miſſa ſolemni, & ſi neceſſitas urgeat, conſulendus Sanctiſſimus ex ſententia ſacræ Congregationis Concilii.*

20 *Regulares comprehenduntur in decreto Concil. Trid.* ſeſſ. 23. cap. 17. *de minorum ordinum functionibus non exercendis niſi per Conſtitutos in eiſdem ordinibus.*

1 SI *quis Presbyter*. Degradatus, vel ſuſpenſus celebrans, & monitus non deſiſtens excommunicatur; & ſi nec ſic deſiſtat, per ſæcularem poteſtatem ad requiſitionem Eccleſiæ exilio damnatur. Hoc dicit, ſecundum Jo. Andr. & omnes.

2 In textu ibi, *Aut alius Clericus*. QUÆRO, An clericus minorum ordinum ſuſpenſus, excommunicatus, vel interdictus miniſtrando in aliquo ex dictis ordinibus, irregularitatem incurrat.

3 Ad partem negativam arguitur, quia Canones, qui in
contrarium allegantur, ut hic, & in concordantibus, in-
fra citandis, quod pertinet ad irregularitatem, videntur
reſtringendi ad conſtitutos in ſacris, de quibus loquitur *c.
1. ſupra eod.* & cùm nullum jus expreſsè dicat Clericum in-
ferioris gradus citra ſacros excommunicatum, vel ſuſpen-
ſum, aut interdictum in ordine ſuo miniſtrantem in irre-
gularitatem incidere, nec nos ex capite noſtro hanc pœnam
inducere debemus. Primò, quia ubi pœna ſtatuta non eſt,
non eſt noſtrum ipſam imponere, *l. Et ſi quis §. Et genera-
liter ff. de Relig. & ſumpt. funer. l. 2. §. Non perpetuè ff. de*
4 *Sepulchro violat.* Secundò, quia irregularitas non incurri-
tur niſi in caſibus in jure expreſſis. Unde qui dicit aliquem
5 irregularem, debet dare caſum juris, *cap. Is qui de ſent.
excomm. lib. 6.* Speculator *in tit. de diſpenſat. §. Juxta num.*
22. & cùm odioſa ſit & pœnalis, reſtringenda eſt, non
laxanda, *cap. Pœna de pœnit. diſtinct. 1. cap. Odia de regul.*
6 *iur. lib. 6.* Tertiò, quia Acolythi, & inferiores quaſi laici
cenſentur, ut patet in eo, quod leg. & notat. *in cap. 1. & 2.
ſupra de Cleric. conjug.* nec in degradatione ipſorum adhi-
betur illa ſolemnitas, quæ adhibetur in degradatione con-
ſtitutorum in ſacris, *ut in cap. Felix, & in cap. Si autem*
15. q. 7. Ideòque ſi eccleſiaſticam cenſuram contemnat,
non poteſt adeò affici ordo ipſorum, ſicut ordo ſacer, nec
puniṫur niſi ſicut Monialis, quam certum eſt non poſſe ir-
regularitatem incurrere, *cap. Poſtulaſtis §. Quæſiviſtis infra
eodem*: & ſicut laici, & fœminæ, ut infra *in hoc cap. verſ.
Similiter de clericis, laicis, vel fœminis.* Igitur, aut tales
nullam contrahunt irregularitatem, aut ſi contrahunt ali-
quam, Epiſcopi poterunt ſuper ea diſpenſare, ſecundum
ea, quæ leguntur, & notantur *in c. 2. ſupra de bigam.* &
per Hoſtien. *in c. Ad audientiam n. 4. in ver. Concedere ſupra
de homicid.* Quartò, minorum ordinum miniſteria ex ge-
nerali conſuetudine promiſcuè exercentur tam à Clericis,
quàm à Laicis: & hoc potiſſimum fundamentum huic opi-
nioni adhærent complures Theologi, & in ſpecie Petr. de
Palud. *in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. verſ. Quintus effectus, & q. 7.
art. 3. concl. 2.* Richard. de media Villa *ead. diſt. 18. art. 7.
q. 5.* Gabriel. *ibid. q. 2. art. 3.* Sot. *in cap. 4. diſt. 22. q. 3. art.
1. concl. 5.* Aſten. *in ſumma p. 2. lib. 7. tit. 10. q. 1.* S. Anto-
nin. 3. *par. tit. 22. de Irregular. cap. 1. §. De Subdiaconatus*,
Tabiena *in ver. Suſpenſio n. 3.* & Clarus *n. 10.* & alii apud
Sylveſtr. *ver. Irregularitas n. 15.* & complures moderni, &
ex Canoniſtis Covar. *in cap. Alma mater p. 1. §. 6. n. 9. verſ.
Decimo, de ſent. excomm. lib. 6.* Pro hac ſententia S. An-
toninus, & Tabiena allegant etiam S. Thomam, qui ta-
men videtur potius oppoſitum ſentire, ut dicam infra *n. 16.
in fin.*

7 Verùm quidquid ſubtilizetur, ut inquit Hoſtienſis *hic n. 4.* certum eſt etiam Clericos minorum ordinum cenſura irretitos miniſtrando in aliquo ex dictis ordinibus, irregularitatem incurrere. Quod probatur primo in hoc textu, qui non tantùm loquitur de Presbytero, ſed etiam de aliis Clericis, qui aliquid de miniſterio ſibi interdicto agere præſumpſerint, *& in c. Clerici, in cap. Fraternitati*, ibi, *Presbyteros autem, & alios Clericos, & in cap. Poſtulaſtis §. Quæſiviſtis infra eod. in c. 1. §. Sciturus de ſent. & re judicat. lib. 6. c. Cum medicinalis §. Caveant, & cap. Is cui de ſent. excomm. eod. lib.* quæ Jura de Presbyteris, & Clericis indiſtinctè loquuntur: ſicut hæc rubrica, quæ non inſcribitur de Presbytero, vel Diacono, &c. ſed de Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante: Clericorum autem appellatione abſque dubio veniunt Clerici minorum ordinum *cap. Clericos 21. diſt. cap. De perſona in fin. 11. q. 1.* præſertim cùm ponuntur ad differentiam Presbyterorum, *ut hic, & in cap. ſeq.* unde, ut inquit Hoſt. *ubi ſupra*: Jus generaliter & indiſtinctè loquens, generaliter & indiſtinctè intelligitur, niſi per aliud diſtinguatur, *l. 3. ff. de offic. Præſid. cap. Quia circa infra de privileg.* Qui ergo dixerit conſtitutum in minoribus irregularitatem contrahere, ſicut & alios non creditur ei, niſi oſtendat jus, quod ipſos expreſsè eximat, quod, ut ipſe putat, nunquam eſt reperire.

Secundò hoc videtur expreſſum *in cap. Epiſcopus in fin. 11.* 8
q. 3. ubi non tantùm Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, ſed & reliqui gradus à Synodo depoſiti prohibentur miniſtrare, niſi in reparatione ſua recipiant ea, quæ in ordinatione perceperant, ubi gloſ. *in verb. Reliqui*, notat æquè aliquem deponi à minoribus ordinibus, ſicut à majoribus, & allegat jura concordantia. Ad idem allegatur textus *in cap. Siquis Epiſcopus in Concilio ead. cauſ. & quæſt.* ubi dejicitur à Clero Presbyter, vel Diaconus, qui oblationem, vel matutinum, aut veſpertinum ſacrificium quaſi in officio ſuo agit ſicut prius, & ſic etiam miniſteria, & functiones minorum ordinum inducunt irregularitatem, ponderando illa verba, *Sicut prius*, prout intelligunt hoc caſu gloſſa prima *in c. 1. ſupra eodem*, Innoc. & alii infra citandi *n. 14.* Hoſt. *n. 4.* Abb. *eod. n.* & communiter Doctores.

Tertiò, Ad hanc partem inducitur bonus textus *in cap.* 9
Ad audientiam ſupra de homicid. nam Presbyter ille, de quo dubium erat, an eſſet irregularis, abſolutè prohibetur miniſtrare in ſacris ordinibus, & poſt peractam pœnitentiam ex indulgentia conceditur ut poſſit miniſtrare in minoribus, ut demonſtrant illa verba, *Poteritis concedere, ut minoribus ordinibus ſit contentus*, ubi gloſſa ultima exponit, *poteritis concedere*, ſcilicet diſpenſativè, *ut in cap. Continebatur eod. tit.* & cum gloſſa tranſeunt ibidem Jo. Andr. *n. 7.* & alii communiter, licet in eo caſu, ſcilicet homicidii caſualis, & dubii poſſit Epiſcopus diſpenſare, ſecundum Hoſt. *ibi n. 4.* ubi exponit ver. *Concedere*, id eſt jure ſuo, & quod de minoribus agitur: nam in ſacris non diſpenſat niſi Papa, *ut d. cap. Continebatur*, & ſequitur Jo. Andr. in eodem *cap. Ad audientiam in fine verſ. Putat tamen Hoſt.* ſecùs in homicidio voluntario, *ut c. Miror 50. diſtin.* Quemadmodum ergo irregularis abſque diſpenſatione prohibetur miniſtrare in ordinibus, ita ſuſpenſus, excommunicatus, vel interdictus miniſtrando in illis irregularitatem incurrit, *ut in cap. Is cui de ſentent. excommunic. lib. 6.* cum concord. ſupracitatis.

Quartò, ad idem eſt decretum Concilii Tridentini *cap.* 10
17. ſeſſ. 23. quod præcipit Epiſcopis, ut ad minorum ordinum miniſteria aſſumant Clericos cœlibes, ſi præſtò ſint, & in eorum defectum ſufficiant Clericos conjugatos, dummodo non ſint bigami. Atque ita hujuſmodi miniſteria interdicta ſunt irregularibus, & ſic etiam cenſura irretitis: & hinc fit, ut Clerici, qui cum cenſura in prædictis ordinibus miniſtrant, irregularitatem incurrant, per hoc c. ubi irregulares declarantur qui aliquid de miniſterio ſibi interdicto agere non verentur.

Quintò, hoc videtur expreſſum in Conſtitutione 91. Six- 11
ti V. *Sanctum, & ſalutare*, contra Clericos malè, & ſimoniacè promotos in Bullar. *tom. 2. pag. 651.* quæ Clericos etiam primæ tonſuræ malè promotos perpetuò ſuſpenſos declarat ab executione, miniſterio, & exercitio Ordinum ſuſceptorum; ac ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, illos ſic irregulares effectos omnibus officiis, & beneficiis privat, ubi ponderanda ſunt illa verba, *ſic irregulares effectos*, quæ demonſtrant Papam non infligere de novo irregularitatem, ſed ſupponere Clericos ſic miniſtrantes jam eſſe irregulares effectos: & ita eſt ibi caſus expreſſus, quod Clericus minorum ordinum ſuſpenſus ſi illis miniſtret, irregularis

effici-

Digitized by Google

efficitur: & quamvis hæc Bulla, quoad alios malè promo-
tos fuerit revocata à Clemente VIII. in ſua Conſtitutione
4. *Romanum Pontificem*, *in Bullar. tom. 3. pag.* 54. tamen
ſalva remanet quoad ſimoniacè ordinatos, ut ibi in §. 2.
& ſic tales cum ſuſpenſione miniſtrantes in ordinibus
minoribus ſupponuntur jam irregulares effecti in Bul-
la Sixti hac in parte per Clementem minimè revoca-
ta.

12 Sextò, & ultimò, Ordines omnes tam ſacri, quàm
minores unum conſtituunt ſacramentum, ſcilicet Ordi-
nis. Concilium Tridentinum *de Sacramento Ordinis*,
ſeſſ. 23. cap. 1. *&* 2. & in quantum ſunt ſacramentum,
omnes ordinantur ad Sacramentum Euchariſtiæ, Sanctus
Thomas in 4. *ſentent. diſtinct. 24. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 2. in
corpor. & in 2. 2. quæſt. 40. art. 2. ibidem in corp.* ſinguli ha-
bent ſuam materiam, & formam à Chriſto Domino inſti-
tutam. Concilium Florentinum in Decreto Fidei Euge-
nii IV. §. *Sextum Sacramentum*, & ſcripſi in *cap. Cum ve-
niſſent*, *num.* 28. *ſupra de Sacra Unct.* Item ſinguli habent
ſuas peculiares functiones a temporibus Apoſtolorum in
Eccleſia receptas, quas recenſet Iſidorus in *cap. Perlectis*,
25. *diſtinct. & in cap. Clerus*, 21. *diſtin.* & innovari præ-
13 cipit Tridentina Synodus in dict. *cap.* 17. *ſeſſ.* 23. Et quam-
vis ratione materiæ ſacræ; circa quam habent actum ſuum,
tres tantùm ſint ſacri, nempe Presbyteratus, Diaconatus,
& Subdiaconatus: nihilominus omnes ordines Eccleſiæ
ſecundùm ſe ſunt ſacri, ut declarat Sanctus Thomas *in 4.
diſtin. 7. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 3. & diſtinct. 24. quæſt. 2. art.
1. quæſt.* 3. utrobique in corpore: ideòque etiam ordines
minores à Sacris Canonibus paſſim appellantur ſacri, ut §.
Quodlibet ad finem quæſtionis, *cap. De ordinationibus*, *&
cap. Quibuſdam*, *1. quæſt. 1. & quæſt. 3. cap. Non ſolum*, *in
princ. cap. Infames*, *in fin. 6. quæſt. 1. cap. Nullus*, *28. qu.
1. cap. 2. 34. diſtinct. & cap.* 1. & ibi Doct. *ſupra de fil.
Presbyter.* & non tantùm à ſacris, ſed etiam à minoribus
ordinibus fit degradatio, ut in *cap. Degradatio*, *de pœnis*,
lib. 6. & in Pontificali Romano *in titulis de Degradatione*,
&c. & ſcripſi pleniùs in *cap. Cum contingat*, *num.* 62. *&
ſeqq ſupra de ætate*, *& qualitate*. Unde jure optimo con-
ſtitutum eſt, ut illorum miniſteria à ſuſpenſis, excommu-
nicatis, vel interdictis minimè exerceantur; & ſic exer-
14 centes irregularitatem incurrant. Et hæc eſt vera, & com-
munis Canoniſtarum ſententia, quam tenet Innocent. in
cap. fin. nu. 1. in verb. violare, *infra de exceſſ. Prælat.* ubi
decernit interdictum violare, qui in officio ſuo miniſtrat
ſicut priùs, & irregularitatem incurrere, etiamſi ſit in
minoribus ordinibus conſtitutus, putà offerendo in Miſſa
calicem, vel urceolum, vel aliud, quod ad officium
ſuum ſpectet, vel dicendo matutinum, vel veſperas ſicut
priùs, per dict. *cap. Si quis Epiſcopus in Concilio*, *& in cap.
Epiſcopus Presbyter*, *in fin.* 11. *quæſt.* 3. & concordant ibi
totidem verbis Abbas Antiq. *numer.* 1. *in verb. Violavit*,
Hoſtien. *num.* 2. Joan. Andr. *num.* 3. Butr. *num.* 23. & re-
liqui omnes, Speculat. *in tit. de diſpenſat.* §. *Iuxta*, *num.*
27. *verſ. Hoc etiam*, idem concludunt, hic Hoſtien. *dict.
num.* 4. *verſ. Sed quicquid ſubtilizetur*, Joan. Andr. *num.*
2. *in fine*, Butr. *num.* 7. Anchar. *num.* 5. Abbas *num.* 4. &
Marian. Socin. *num.* 6. & idem Marian. Socin. in *cap. Ad
audientiam*, *num.* 105. *ſupra de homicid.* ubi dicit eos vio-
lare interdictum qui exercent aliquid deputatum alicui or-
dini eccleſiaſtico hoc facientes tamquam Clerici, ſive
illud faciant tamquam Sacerdotes, ſive tamquam Clerici
inferiores: unde ſi Diaconus dicit Euangelium tamquam
Diaconus, vel Subdiaconus dicit Epiſtolam tamquam
Subdiaconus, vel Acolythus, efficiuntur irregulares, ut
15 in hoc cap. Secus verò ubi exercent aliquid non deputa-
tum certo ordini eccleſiaſtico, ut cantare Reſponſoria,
dicere pſalmos, & ſimilia, non tamen principaliter offi-
ciando in Eccleſia, ſed tamquam quilibet alius laicus; quia
tunc efficerentur irregulares; & ſubdit idem eſſe ſecun-
dùm Dominum ſuum, ſcilicet Abbatem Siculum, ſi exer- 16
ceretur aliud, quod eſſet deputatum certo ordini, ſed ex
conſuetudine exerceretur indiſtinctè per quemcumque
etiam non ordinatum, ut eſt Epiſtola, quæ ex conſuetu-
dine communi dicitur ſine apparatu etiam per quemcum-
que: unde licèt ſuſpenſus, vel excommunicatus, vel in-
terdictus ſine apparatu, ut alius quilibet diceret Epiſto-
lam, non fieret irregularis, concordat Silveſt. *in verb. Ir-
regularitas*, *num.* 15. ubi ait: [Suſpenſum, excommu-
nicatum, vel interdictum ingerentem ſe Divinis faciendo
aliquid attributum certo ordini etiam minori, puta Aco-
lythatus, Exorciſtæ, & hujuſmodi, incurrere irregula-
ritatem, ſecundùm communem opinionem, dummodo
id faciat tamquam Clericus, ſive ſolemniter, ſecus ſi at-
tentet aliquid exercibile etiam per laicos, ut quia cantat
Requiem æternam, aut verſum Pſalmi, & hujuſmodi,
quia non efficitur irregularis; & dato etiam quod illud ſit
deputatum certo ordini, & tamen de conſuetudine exer-
cetur per alium quemcumque indiſtinctè, etiam à non
ordinatis, talis exercens non eſſet irregularis, dummodo
illud exerceat ſine ſolemnitate,] & ex Recentioribus Na-
varr. *in manuali*, *cap.* 27. *num.* 163. dicens Clericum in-
currere irregularitatem exercendo in loco interdicto ſo-
lemniter actum deputatum ordini minori, ac exercendo
deputatum majori, ſecundùm Innocent. & communem,
& dixit *ſolemniter*, quia aliter cantans Epiſtolam ferens ce-
reos, vel urceolos, & ſimilia tamquam alius laicus non
incurrit irregularitatem, ſecundùm omnes, nec diſſentit
Sanctus Thomas *in 4. ſentent. diſtinct. 24. quæſt. 2. artic.* 2.
ad 9. ait enim: *Oſtiarium in ſuſceptione ordinis accipere
poteſtatem*, *ut poſſit ex officio arcere alios ab introitu Tem-
pli*, *quamvis etiam hoc ab aliis fieri poſſit*, *ſed non ex offi-
cio*; & mox ſubdit: *idem eſſe in omnibus actibus minorum
ordinum*, *qui poſſunt per alios licitè fieri*, *quamvis illi non
habeant ad hoc officium*. Repete, *ſed non ex officio*, ut in- 17
nuunt verba, *idem eſſe*, *&c.* Et hanc ſententiam Cano-
niſtarum probavit noviſſimè Signatura S. Pœnitentiariæ
Apoſtolicæ habita die 20. Decembris 1650. Cenſuit enim
Clericos minorum ordinum excommunicatos, ſuſpenſos,
vel interdictos, qui tamquam Clerici ex officio ſuo exer-
cent actum, ſeu miniſterium alicui ex dictis ordinibus de-
putatum, irregularitatem incurrere.

Ad unicum fundamentum Theologorum reſpondetur 18
conſuetudinem, ſecundùm quam minorum ordinum
functiones promiſcuè exercentur à Clericis, & laicis, eſſe
abuſum, & corruptelam improbatam à Concilio Triden-
tino in dict. *cap.* 17. *ſeſſ.* 23. ubi ſtatuitur, ut functiones
hujuſmodi aliquamdiu in Eccleſia intermiſſæ, in uſum
revocentur, & nonniſi per conſtitutos in prædictis ordini-
bus exerceantur.

Unde cùm quidam Regulares conſuluiſſent Sacram 19
Congregationem Cardinalium ejuſdem Concilii Interpre-
tum, An Monialis in Miſſa ſolemni poſſit canere Epiſto-
lam, & Lectiones, vel ſaltem vir, qui caret eo ordine
ſuperpelliceo tantùm indutus: Sacra Congregatio cenſuit
non poſſe; quia Concilium *cap.* 17. *ſeſſ.* 23. vult expreſsè,
ut hujuſmodi miniſteria nonniſi per conſtitutos in hiſce or-
dinibus exerceantur; & ſi neceſſitas urgeat, conſulendum
Sanctiſſimum.

Rurſus Generalis Ordinis Sancti Hieronymi Hiſpania- 20
rum petiit à Sacra Congregatione Concilii declarationem
infraſcripti dubii, An diſpoſitio *cap.* 17. *ſeſſ.* 23. quo cave-
tur, ne in futurum minorum ordinum miniſteria per alios,
quàm conſtitutos in dictis ordinibus exerceantur, com-
prehendat etiam Regulares: Sacra Congregatio cenſuit
comprehendere.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO.

Innocentius III. Herbipoleñ. Capitulo.

CAPUT V.

ILlud Dominus in beato Petro: & infrà. Venerabilis frater noſter quondam Hildeſemeñ. Epiſcopus licentia non ſolùm non obtenta, ſed nec etiam poſtulata, Eccleſia Hildeſemeñ. relicta, Herbipoleñ. Eccleſiam occupavit: & infrà. Unde Magdeburgeñ. Epiſcopo dedimus in mandatis, ut (cùm factum ipſum non poſſet in partibus illis non eſſe notorium) niſi dictus Epiſcopus infra viginti dies ab Herbipoleñ. Eccleſiæ adminiſtratione ceſſaret, eum excommunicatum publicè nunciaret: quod idem Magdeburgeñ. ſtuduit adimplere: & infrà. Ipſe verò Epiſcopus in noſtra poſtmodum præſentia conſtitutus, & ſi ſuum recognoſceret, & confiteretur exceſſum; & non judicium, ſed miſericordiam poſtularet: hoc tamen inter alia in ſua excuſatione propoſuit, quòd cùm dictus Magdeburgeñ. non eſſet ordinarius judex ejus, non crediderat, quòd monitione non præmiſſa, auctoritate delegata poſſet procedere contra ipſum, aut ſententiam in eum aliquam promulgare: Unde cùm nec ante factum monitorias, nec poſt litteras ab eo aliquas accepiſſet, peccare non credidit, ſi divina officia quantumcumque ſolemniter celebravit: præſertim cùm ei non niſi per famam, de ſententia contra eum prolata conſtaret: & infrà. Licèt autem in hoc non videatur omninò culpabilis extitiſſe: quia tamen in dubiis via eſt tutior eligenda, etſi de lata in eum ſententia dubitaret, debuerat tamen potiùs ſe abſtinere, quàm ſacramenta Eccleſiaſtica pertractare. Illud autem quod ſub ſpe veniæ divina ſibi fecit (poſtquam ſe à nobis excommunicatum noverat) celebrari, & communioni fidelium ſe ingeſſit, potiùs contra eum facere credimus, quàm pro eo: cùm ſub fiducia pœnitentiæ non debuerit deliquiſſe: & excommunicato non vitare, multò magis, quàm non vitari periculoſum exiſtat; non vitare ſiquidem, cùm in eo ſit, excommunicatus ſine delicto non poteſt; ſed cùm ex aliis pendeat, ſine ſuo delicto poterit non vitari: & infrà. Cum eo miſericordiam facientes, pœnam, quam canon infligit his, qui poſt excommunicationem divina præſumpſerint officia celebrare, vel ſe celebrationi ingeſſerint divinorum, ei non duximus infligendam.

SVMMARIVM.

1 E*Xcommunicationis notitiam habens per famam, & celebrans deponitur de rigore.*

I*Llud*. Si habens notitiam excommunicationis per ſolam famam celebrat, debet de rigore deponi, licèt cum eo poſſit miſericorditer diſpenſari. Hoc dicit, & eſt caſus notabilis, Abb. Sicul.

In textu ibi, *Periculoſum exiſtat*. Probat hæc littera in concurſu opinionum probabilium, ubi adeſt periculum peccati, eligendam eſſe opinionem tutiorem ex neceſſitate præcepti, inducendo textum, ut ſcripſi in *cap. Ne innitaris, numer.* 193. *ſupra de Conſtitut.* quod locum habet non tantùm in materia irregularitatis, ſed etiam in omni alia, & ſive dubium ſit facti, ſive juris, vel perſonæ, ut ibi dixi *numer.* 152. *cum pluribus ſeqq.* & ibi plenè videas de electione opinionis probabilis, *à num.* 13. *uſque ad num.* 311.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO.

Idem Innocentius III. Decano, & Priori Colonieñ.

CAPUT VII.

POſtulaſtis per ſedem Apoſtolicam edoceri: & infrà. Conſultationi veſtræ reſpondemus, quòd cum excommunicatis communicari non debeat; clericis excommunicationis vinculo innodatis Eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt, nec illi valent ea licitè retinere; niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum; cùm ea non fuerint canonicè conſecuti. Illi verò qui ſcienter illa beneficia talibus contulerunt, tamdiu debent à beneficiorum collatione ſuſpendi, donec ſuper hoc veniam conſequi mereantur: ut puniantur in hoc, in quo delinquere præſumpſerunt.

Quæſiviſtis prætereà qualiter puniri debeant Clerici, Monachi, vel Moniales Eccleſiarum Conventualium, qui poſt latam interdicti ſententiam in locis ſuppoſitis interdicto, præſumpſerunt hactenus, & adhuc etiam non verentur divina officia celebrare, quamvis propter hoc ſint excommunicationis vinculo innodati. Ad hoc breviter reſpondemus, quòd Clerici, qui talia præſumpſerunt, ſunt Eccleſiaſticis beneficiis ſpoliandi: Monachi verò, vel Moniales in arctioribus Monaſteriis ad peragendam pœnitentiam detrudendi.

SVM-

SUMMARIUM.

1 *Collatio beneficii excommunicato facta non valet, & ſcienter conferens à beneficiorum collatione ſuſpenditur, & num. 3. & 8.*
Secus ſi ignoranter, num. 9.
2 *Celebrans in loco interdicto, ſi Clericus eſt, à beneficio deponitur; ſi Monachus, vel Monialis, in arctius monaſterium detruditur.*
3 *Excommunicatus tenetur cedere beneficio poſt excommunicationem obtento, nec poteſt illud ſalva conſcientia retinere.*
4 *Diſpenſare poteſt Epiſcopus cum excommunicato, ut retineat beneficium poſt excommunicationem ſibi collatum.*
5 *Dum tamen non ſit ille idem Epiſcopus, qui ſcienter contulit.*
6 *Et quid ſi collatio fuerit facta per Papam, & num. ſeq.*
7 *Clauſula abſolutionis à cenſuris in litteris Apoſtolicis reddit gratiam efficacem, & validam non obſtante exceptione excommunicationis.*
9 *Collatio beneficii facta excommunicato etiam occulte eſt nulla, & num. ſeq.*
10 *Occultum non diſtinguitur à manifeſto in his, quæ non geruntur ratione publici officii, ſed concernunt privatam utilitatem excommunicati.*
11 *Collatio beneficii facta excommunicato non tenet etiam ſi communi reputatione habeatur pro abſoluto.*
12 *Nec validatur per ſequentem abſolutionem.*
13 *Collatio beneficii facta excommunicato abſoluto in foro pœnitentiali in vim Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi an ſit valida, nec ne: & num. ſeqq. uſque in fin.*
14 *Abſolutus in foro pœnitentiali in vim Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, non cenſetur abſolutus in foro exteriori, & num. 32.*
15 *Beneficii aſſecutio eſt actus pertinens ad forum externum.*
16 *Excommunicatus licèt abſolutus in foro animæ, non poteſt ſe immiſcere Divinis officiis.*
17 *Et in publico debet ſe gerere tamquam excommunicatum.*
18 *Et puniri poteſt in foro iudiciali.*
19 *Forus conſcientiæ, & forus iudicialis tendunt ad diverſos fines.*
20 *Excommunicatus quibus pœnis afficiatur in foro animæ, & quibus in foro externo.*
Excommunicatus per abſolutionem in foro pœnitentiali, à quibus pœnis liberetur, ibidem, & numer. ſeq.
21 *Abſolutio ab excommunicatione in foro animæ non tollit pœnas fori externi.*
22 *Electio celebrata nudo conſenſu eligentium non ſervata forma* cap. Quia propter, *ſuffragatur electo in foro conſcientiæ quoad hoc tantum, ut cedere non teneatur, ſed non valet in foro externo.*
23 *Excommunicatus abſolutus in foro conſcientiæ tantùm, parte opponente, numquam debet admitti ad participationem Sacramentorum, ac Divinorum celebrationem.*
24 *Excommunicato occulto in foro externo non impedit beneficii aſſecutionem.*
25 *Expenduntur Auctores in deciſione Rotæ allegati, & num. ſeq.*
26 *Abſolvendi facultas in utroque foro ſatisfacta parte aliquando conſuevit concedi in Bulla Cruciata, vel Iubilæi, & num. 29.*
27 *Pœnitentiarii an habeant facultatem abſolvendi in foro externo.*
28 *Abſolutio in foro pœnitentiali probatur dicto Presbyteri atteſtantis ſe abſolviſſe.*
29 *Clauſula*, ſatisfacta parte, *ſolet apponi in Bullis, quando datur facultas abſolvendi in utroque foro.*
30 *Abſolutio in foro externo ad effectum validitatis gratiæ probatur dicto ſolius Pœnitentiarii.*
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.
31 *Abſolutus à ſimonia occulta, ac diſpenſatus ab Epiſcopo in vim Concilii Tridentini* cap. 6. ſeſſ. 24. *non cenſetur abſolutus, ac diſpenſatus ad beneficia obtinenda.*

Poſtulaſtis. Collatio beneficii excommunicato facta 1
non valet, & ſcienter conferens à beneficiorum col-
latione ſuſpenditur hoc primò. Celebrans in loco interdi- 2
cto, ſi Clericus eſt, à beneficio deponitur: ſi Monachus,
vel Monialis, in arctius monaſterium detruditur. Hoc ſe-
cundò Joan. Andr. Butr. Cardinal. Ancharan. Abb. & Ma-
rian. Socin. ſecunda pars ibi, *Quæſiviſtis:* & ſubdiviſio
patet.

Nota primò ibi, *Conferri non poſſunt*, collationem be- 3
neficii Eccleſiaſtici factam Clerico excommunicato eſſe
ipſo jure nullam, nam *verb. poſſunt*, præcedente nega-
tione, tollit potentiam, & inficit actum ipſo jure, ut no-
tat gloſſ. ordinaria in *cap. Beneficium, in verb. Non poteſt, de reg. iur. lib. 6.* quam Bart. & ſcribentes omnes ſequun-
tur in *l. Gallus, ff. de liber. & poſthum.* & ibi teſtatur Ja-
ſon. *num.* 19. 20. & 23. & ſcripſi pleniùs in *cap. Cùm dilectus, num. 57. cum duobus ſeqq. ſupra de conſuetud.* Unde
nec poteſt beneficium in excommunicatione obtentum
ſalva conſcientia retinere, cùm non fuerit canonicè inſti-
tutus, ſecundùm Abb. hic *num.* 2. & Marian. Socin. *num.*
6. nec intraverit per oſtium in ovile, ſed tamquam fur,
ut dixi Rota *deciſ.* 83. *num.* 16. & 17. *par.* 7. *recent.* Quod
videtur eſſe contra Compoſtellanum in *cap. Quod ſicut, numer.* 19. *verſ. Item dicimus, ſupra de elect.* ubi tenet ex-
communicatum electum non teneri cedere, licèt ejus ele-
ctio ſit nulla, *cap. Cùm dilectus, ſupra de conſuetud.* Sed
hoc non patitur hæc Decretalis, ut inquit Joan. Andr. hic
num. 6. ad fin. Butr. *num.* 10. *verſ. Compoſtell.* Abb. *dict. num.* 2. & Marian. Socin. *num.* 16. nam ſi non poteſt be-
neficium licitè retinere, ut dicitur in littera, ſequitur per-
neceſſe, ut teneatur illud dimittere, & de veritate opi-
nionis Compoſtellani, quæ etiam fuit Innocentii in eodem
cap. Quod ſicut, vide Archidiaconum in *cap. Si cui, ſub nu. 1. in verb. Firmatis, de elect. lib. 6.*

Secundò nota ibi, *miſericorditer diſpenſatum*. Cum 4
eo, qui in excommunicatione beneficium eſt aſſecutus, ſi
poſtea fuit abſolutus, poſſe diſpenſari, ut illud retineat,
ut in littera. Et ſic nota diſpenſationem fieri poſſe etiam
ubi collatio non tenet ſecundùm Abbatem hic *num.* 2. *verſ. Nota quod diſpenſatio*, & Marian. Socin. *num.* 6. Talis e-
nim diſpenſatio habet vim collationis, ſecundùm Cardin.
num. 5. *verſ. Solutio*, ita ut non ſit opus nova collatione,
ut per Abbatem *ſub num.* 8. *verſ. Intellige*. Marian. Socin.
num. 17. & Rebuff. *in gloſſ. num.* 70. & cùm text. non ape-
riat à quo debeat concedi diſpenſatio, videtur relicta pote-
ſtas diſpenſandi Epiſcopo, ut hic tenet gloſſ. 3. Goffred. &
Innocent. *in princip.* dicens: [Cùm Papa non retineat di-
ſpenſationem ſibi, Epiſcopus diſpenſare poteſt,] *cap. Nuper. infra de ſenten. excomm.* Abb. *num.* 8. Marian. Socin.
numer. 15. Rebuffus *num.* 64. Speculator. *in tit. de diſpenſat. §. Nunc de Epiſcoporum, verſ.* 16. Covarr. in *cap. Alma mater, par.* 1. §. 7. *num.* 8. *de ſent. excomm. lib.* 6. ſed 5
hoc notabiliter limitat Abb. hic *num.* 9. & Marian. Socin.
num. 16. *in fin.* Dummodo non ſit ille idem Epiſcopus, qui
ſcienter contulit, quia cùm ipſe peccaverit in conferendo,
non eſt dignus hac poteſtate diſpenſandi, ut patet in ſimi-
li de Epiſcopo ſimoniaco in *cap. Præſentium*, 1. *quæſt.* 5.
Item limitant, licèt ſub dubio, niſi collatio fuiſſet ex- 6
communicato facta per Papam, quia tunc inferior non
poſſet fortè diſpenſare ex quo manum appoſuit, ſicut dici-
mus in eo, quem ipſe ordinavit: nam alius inferior ſine ip-
ſius licentia non poteſt ipſum ad ſuperiores Ordines promo-
vere, ut in *cap. Cùm in diſtribuendis, ſupra de temp. Ordin.*
Sed tu adverte, quia hic caſus, ut Papa conferat benefi- 7
cium, excommunicato, non videtur poſſe contingere, cùm
in omnibus litteris proviſionis Papalis apponatur clauſula
abſolutionis à cenſuris per illa verba: *Teque à quibuſvis, &c.* per quam redditur gratia efficax, & valida, non ob-
ſtante exceptione excommunicationis, ut hic notat Re-
buff. *num. 67. cum ſeqq. & in praxi Benef. in forma, & declarat. novæ proviſionis, in verb. Teque abſolventes, num.* 1. *& ſeq.* Felin in *cap. Apoſtolica, num.* 1. *verſ. Et idem de abſolut.* & ibi etiam Decius *num.* 6. *de except.* Covar. in
d. *cap. Alma mater, par.* 1. §. 7. *nu.* 3. *ad fin.* Bocr. *dec.* 290.

per totam, Navarr. *in cap. Ita quorumdam, in 11. notab. à num. 14. de Iudais*,
8 Tertiò nota in *verſ. Illi vero*. Pœnam imponendam
Prælato, qui Clerico excommunicato beneficium contu-
lit: nam ſi ſcienter hoc fecerit, debet ſuſpendi à collatio-
ne beneficiorum, ut puniatur in eo, in quo peccavit, ut
in textu, & notat Bernardus poſt caſum, Joann. Andr.
Butr. Ancharan. & omnes ſupra in *ſumm.* Neque hoc ca-
ſu requiritur ulla monitio, quia ſumus extra caſum, *cap.
Grave, de praben.* ſecundùm Abb. hic *nu.* 3. Ergo à con-
9 trario ſi contulit ignoranter, nullam pœnam incurrit, ſed
tamen collatio facta non tenet, argum. *cap. fin. infra eod.
cap. Cùm dilectus, de conſuet.* ut per Hoſt. hic *numer. 2. in
verb. Scienter*, Jo. Andr. *eodem nu. & verb.* & Abb. *num.
3. in fin. verſ. Sed ſi ignoranter*, & ſatis probatur in litte-
ra; nam ubi agitur de pœna infligenda Prælato, qui ex-
communicato contulit beneficium, textus adjicit *verb.
Scienter*, & loquitur de doloſis, & temerariis collatori-
bus ut innuunt verba illa, *delinquere præſumpſerunt*. Sed in
1. par. ubi agit de viribus collationis beneficii factæ excom-
municato, non utitur verbo, *ſcienter*, ſed ſimpliciter, &
abſolutè decidit collationem non valere. Ergo voluit id
habere locum ſive collatio fuerit facta ſcienter, ſive igno-
ranter; alioquin ſi voluiſſet ſolùm habere locum quando
ſcienter, id expreſſiſſet, ſicut fecit in 2. par. argum. *cap.
Inter corporalia*, §. *Sed neque*, *verſ. Vnde ſi circa*, *ſupra
de translat. Epiſcop.* Facit quod notat Baldus in *cap. Inno-
tuit*, *nu. 8. de elect.* ubi per illum textum inquit, [Quam-
vis ignorantia excuſet à pœna, non tamen dat robur actui
aliàs invalido.] Et probatur in *c. A nobis*, inducendo illud,
10 ut ibi dixi *num. 49. ſupra de ſimon.* Item ad hoc facit ra-
tio, quia in his, quæ non geruntur ratione publici officii,
ſed concernunt privatam utilitatem ipſius excommunica-
ti, vel alterius, non eſt differentia inter occultum, &
manifeſtum, ut hic tradit Abbas *numer.* 4. & ſequuntur
Navarr. *in manuali cap. 27. num. 21. & 271. & 273. &
conſ. 13. num. 4.* ſub hoc titulo, Covar. in dict. *cap. Alma
mater*, §. 7. *num. 2. verſ. Hac principalis*, Mandol. *de ſi-
gnat. Grat. tit. de proviſ. verſ. Clauſula, & cum abſolutione
a Cenſuris*, Caſſad. dicens hanc eſſe communem theoricam
deciſ. 1. num. 4. de praben. Cæſar. de Graſſ. *deciſ. 2. nu. 12.
11 de ſentent. excommun.* Put. *deciſ. 67. lib. 1.* ſed etſi excom-
municatus communi opinione reputetur pro abſoluto, ni-
hilominus irrita eſt collatio eidem facta, quia in hac ma-
teria in qua agitur ut excommunicatus ſit incapax ad obti-
nendum beneficium, non habet locum lex *Barbarius*, *ff.
de off. Prat.* ſed veritas opinioni præfertur, ut notat gloſ-
ſa *final. in cap. Solet*, *de ſentent. excommun. lib. 6.* Abbas
in *cap. Paſtoralis*, §. *Verum*, *nu.* 15. & ibi etiam Franch.
num. 11. de appellatione, Rebuff. *hic num.* 61. Caſſad. dict.
diſtin. 1. num. 4. de prabendis.
12 Nec ſuffragatur excommunicato poſt collationem be-
neficii fuerit abſolutus, per hoc enim non tollitur incapa-
citas, quæ collationem præceſſit, quia in his ſpectatur ini-
tium, *cap. Dudum*, *el primo*, *ſupra de elect.* Rebuff. *hic
num.* 50. Covarr. *dicto* §. 7. *ſub numer. 2. verſ. Septimo*,
Rota *deciſ. 83. num. 11. & 18. par. 7. recent.* niſi aliud ap-
pareat ex amplitudine clauſularum mandati pro abſolutio-
ne impetrati, ut ibi dicitur *num.* 12.
13 Sed QUÆRITUR, An beneficii collatio facta excom-
municato abſoluto in foro pœnitentiali in vim Bullæ Cru-
ciatæ, vel Jubilæi, ſit valida, nec ne.
14 Receptiſſima eſt opinio, quam Sacra Congregatio Con-
cilii ſæpiùs ſequuta eſt, & admittit Rota in hac deciſione.
Abſolutum in foro pœnitentiali in vim Bullæ Cruciatæ,
aut Jubilæi, non cenſeri abſolutum in foro exteriori, ut
15 fuſiùs patebit infra *num.* 32. Hinc autem ſequitur, ut nul-
la ſit collatio beneficii facta excommunicato abſoluto in
foro conſcientiæ tantùm, quia actus aſſecutionis benefi-
cii propriè ſpectat ad forum externum, Covarruv. in dict.
cap. Alma mater, *in prima parte*, §. 7. *in princip.* ubi aſſe-
rit inter alios excommunicationis majoris effectus quoad
exteriora unum eſſe, quod collatio beneficii facta excom-
municato nulla eſt ipſo jure, ut in hac Decretali: quod
tres habet rationes. Prima eſt, quia beneficium datur pro-
pter officium, *cap. Cùm ſecundùm*, *de prabend. cap. ultim.
16 de reſcript. lib. 6.* Sed excommunicatus licèt abſolutus in
foro pœnitentiali, non habet officii executionem, ut plu-
ribus probat Covarruv. in dict. *cap. Alma mater*, *part.* 1.
§. 11. *num. 16. verſ. Tertiò circa idem*. Ergo beneficium
Eccleſiaſticum ei conferri non poteſt. Quo argumento u-
titur ad litteram idem Covarruv. in dict. §. 7. *in princip.* Se-
cunda ratio colligitur ex hoc cap. ubi Abb. poſt *nu.* 1. [No-
ta, inquit primo in principio litteræ, quod cui denegatur
aliquid, denegatur & omne id, per quod pervenitur ad
illud, *l. Oratio*, *ff. de ſponſal.* nam ex eo, quod excom-
municato denegatur communio, non poſſunt ei conferri
beneficia, quia ſine communione non poteſt beneficia
adipiſci, nec in eis adminiſtrare.] Et concordat totidem 17
verbis Marian. Socin. *in 1. notab.* Sed excommunicato
quamvis ſit abſolutus in foro conſcientiæ, & quoad Eccle-
ſiam denegatur communio, & debet ſe gerere in publico
tamquam excommunicatum, ut per Covarru. *in loco pro-
ximo citato*, & noviſſimè cenſuit Sacra Congregatio Im-
munitatis in cauſa Mediolanen. ut in litteris hac de re ſcri-
ptis ad Vicarium Capituli ſede vacante: ergo nec poteſt ei
beneficium conferri. Ultima ratio ſimiliter deſumitur ex 18
verbis Abbatis in *cap. De his*, *ante num. 4. ſupra de accuſat.*
ubi reddens rationem, quare abſolutus à Confeſſore poſ-
ſit iterùm puniri in foro judiciali, inquit: [Nam pro de- 19
lictis imponitur pœnitentia in foro animæ, ut ſatisfaciat
Deo, & animæ; ideòque punitur à Confeſſore ſuo tan-
tùm ubi deliquit, *cap. Placuit*, 21. *quaſt.* 5. Item punitur
in foro contentioſo, ſeu judiciali, quia læſit Rempubli-
cam, ut *l. Locatio*, §. *Quod illicitè*, *ff. de publican. & ve-
ctigal.* Cùm ergo iſta tendant ad diverſos effectus, impo-
ſitio unius non impeditur per impoſitionem alterius.] Ha-
ctenus verba Abbatis.
Excommunicatus autem dupliciter punitur, primò ſci- 20
licet in foro animæ, & quoad Deum, quia privatur ſuf-
fragio Eccleſiæ, ut ait Richard. *in 4. ſentent. diſtinct.* 18.
art. 7. quaſt. 2. & excluditur à regno cœlorum, *cap. Qui-
cumque*, 24. *quaſt.* 1. Ab his pœnis liberatur per abſolutio-
nem in foro pœnitentiali. Deinde punitur in foro exter- 21
no, & quoad Eccleſiam, quia efficitur infamis, *cap. In-
fames*, 6. *quaſt.* 1. Excluditur ab eccleſiaſtica ſepultura,
cap. Sacris, *de ſepultur.* A communione fidelium, *cap. Si-
cut*, 11. *quaſt.* 3. A divinis officiis, *cap. Quod in te*, *de pœ-
niten. & remiſſ.* & Sacramentis Eccleſiæ, *cap. Engeltru-
da*, 3. *quaſt.* 4. Et redditur inhabilis ad beneficia acquiren-
da, ut hic in textu. Et hujuſmodi pœnæ cùm reſpiciant
Eccleſiam militantem, nullatenus tolluntur per abſolutio-
nem in foro animæ: & Idem Abbas in dicto *cap. De his*,
num. 5. in 2. limitat. de accuſat. & ſequuntur Marant. *de
ordin. Iudic. in 6. part. num.* 87. Covarr. in dict. *cap. Alma
mater*, *in 1. part.* §. 11. *num. 16. & lib. 2. var. reſol. cap.
10. num.* 3. & Franc. Penia Rotæ Auditor *in Director. In-
quiſit. Schol.* 20.
Sed eſto beneficii collatio facta abſoluto in vim Crucia- 22
tæ ſuſtineri poſſit, ita ut proviſus non teneatur ſe benefi-
cio abdicare quoad Deum, & in foro animæ, tamen non
debet cenſeri, ac pronunciari valida in judicio exteriori,
& contentioſo, exemplo electionis celebratæ ex nudo con-
ſenſu eligentium non ſervata forma à jure canonico præ-
ſcripta, quæ licèt ſuffragetur electo in foro conſcientiæ,
adeò ut cedere non teneatur, non tamen valida eſt in foro
exteriori ſecundùm Innocent. in *cap. Quod ſicut*, *nu. 8. de
elect. & in cap. Si celebrat*, *num. 5. infra eod.* quem ſequi-
tur Abb. in *cap. 1. in fin. de reſtitut. ſpoliat.* Anchar. *in reg.
Beneficium*, *in 7. quaſt. de reg. iur. lib.* 6. & alii apud Felin.
qui plura exempla his ſimilia congerit in *cap. 1. num. 36. in
6. fall. de Conſtit.*
Hoc autem multò clariùs procedit parte opponente 23
in caſu deciſionis Rotæ, in quo pars objicit beneficii
aſſecutioni impedimentum excommunicationis; tunc
enim abſolutus in foro conſcientiæ numquam admit-
ti debet ad participationem Sacramentorum, ac Di-
vinorum celebrationem, & conſequenter nec ad aſ-
ſecutionem beneficii, quod datur propter officium,
ut dictum eſt. Et hanc opinionem parte opponente
ſequuntur etiam Auctores contrariæ ſententiæ, & in
ſpecie Navarr. *conſ. 47. an mendicantes*, *num. 4. de ſen-
tent. excommunic.*
Ac demum quemadmodum excommunicatio occulta 24
nihil operatur in exteriori judicio, nec impedit beneficii
aſſecutionem, Jo. Andr. poſt Hoſtienſ. in *cap. Si vere*, *in
gloſſ. in verb. Executionem*, quem Abb. & alii ſequuntur
de ſentent. excomm. Ita nec abſolutio occulta, id eſt in
foro

foro ſecreto, & pœnitentiali operari debet, ut beneficii aſſecutio valida ſit in foro externo. Eadem enim vis ligandi, atque ſolvendi, *cap. Verbum, de pænit. diſtin.* 1. *cap. Cum inferior, de maior. & obedient.*

25 Neque his obſtant auctoritates in deciſione Rotæ allegatæ; ſiquidem omnes ſupponunt Pœnitentiarium eo caſu habuiſſe facultatem abſolvendi in utroque foro:
26 quæ quidem facultas in aliquibus caſibus ſatisfacta parte conſuevit concedi in litteris Cruciatæ, vel Jubilæi, ut teſtantur Covarruv. in dict. *cap. Alma mater, part.* 1. §. 11. *numer.* 16. *verſ. Hæc deinde opinio*, & Navarr. dict. *conſ.*
27 47. *num.* 3. *de ſentent. excommun.* Etenim Calderin. quærit an abſolutio ad effectum validitatis impetrationis beneficii probetur dicto Pœnitentiarii, & reſpondet his verbis: [Sed ſalvo ſaniori conſilio, dico abſolutionem probatam, dummodo tamen Pœnitentiarius hanc facultatem habeat, quam videtur habere, quia Epiſcopi hoc caſu habent; & ipſos Pœnitentiarios puto habere in abſolvendo poteſtatem ipſorum Epiſcoporum, id eſt quam Epiſcopi habent de jure communi, quia ex generali poteſtate vicem Papæ gerunt. In hoc tamen Curia Romana declaret.] Itaque Calderin. non diſputat ibi an abſolutus à Pœnitentiario ſit capax beneficii, ſupponit enim ſimpliciter eſſe capacem, dummodo Pœnitentiarius habeat poteſtatem abſolvendi, quam habent Epiſcopi de jure communi, id eſt in utroque foro, & in hoc remittit ſe judicio Eccleſiæ Romanæ. Sed ſolum inſiſtit an ea abſolutio, quatenus vim habeat in utroque foro, probatur teſtimonio ſolius Pœnitentiarii; & pluribus oſtendit probari, & reſpondet objectis.

28 Rota ſimiliter *deciſ.* 573. *diverſor.* dum decidit abſolutionem in foro pœnitentiali ad effectum validitatis gratiæ probari teſtimonio Presbyteri dicentis ſe abſolviſſe vigore Cruciatæ, ſupponit potiùs eo caſu illum Presbyterum habuiſſe facultatem in utroque foro abſolvendi. Quod inde colligitur, quod Rota ibi aſſerit abſolutionem conceſſam fuiſſe parte priùs ſa-
29 tisfactam. In Bulla enim Cruciatæ clauſula, *ſatisfacta parte*, ſolet potiſſimum opponi, ubi datur Confeſſario facultas abſolvendi etiam in foro exteriori: quod ſatis colligitur in litteris Jubilæi fel. rec. Pii V. publicatis anno 1568.

30 Creſcentius verò *deciſ.* 14. *de probat. aliàs* 163. longè apertiùs ſupponit in ſuo caſu conceſſam fuiſſe à Pœnitentiario facultatem abſolvendi etiam in foro externo, & decidit illam probari ad effectum validitatis gratiæ per ſolum Pœnitentiarium. Ait enim; abſolutionem etiam in foro contentioſo ad effectum validitatis gratiæ ſufficit probare per ſolum Pœnitentiarium dicentem ſe abſolviſſe à cenſuris. Verba enim illa, *abſolutionem etiam in foro contentioſo ad effectum validitatis gratia*, duo videntur ſupponere, ideſt abſolutionem eo caſu fuiſſe conceſſam à Pœnitentiario habente poteſtatem abſolvendi etiam in foro exteriori eſſe neceſſariam ad effectum validitatis gratiæ. Itaque ſolus Navarr. dict. *conſ.* 47. *de ſentent. excommun.* nulla, vel ratione, vel auctoritate ſuffultus, ſed obiter aſſerit abſolutionem in foro conſcientiæ tantùm operari, ut abſolutus obtinere poſſit beneficia ſibi canonicè collata: & tamen ipſemet *num.* 4. declarat hoc non procedere parte opponente; & oppoſitum abſolutè ſentit in *conſ.* 49. incipien. *Quidam in loco, eodem tit.* ubi reſpondet excommunicatum abſolutum à Confeſſario virtute Cruciatæ non eſſe capacem beneficii, niſi non ſolùm parti ſatisfecerit, verùm etiam ab Ordinario excommunicatore abſolutionem impetraverit:

Et hanc ſententiam ſatis probavit Sac. Congreg. Concil. 31
in terminis *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. quo tribuitur Epiſcopis facultas abſolvendi in foro conſcientiæ tantùm, ac diſpenſandi in irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus; cenſuit enim abſolutum à ſimonia occulta, ac diſpenſatum in vim d. *cap.* 6. non cenſeri abſolutum, ac diſpenſatum ad beneficia obtinenda.

Subſequitur nunc declaratio ejuſdem S. Congregationis, 32
de qua mentio facta eſt ſupra *numer.* 14. An virtute Bullarum, ſeu privilegiorum Apoſtolicorum, quibus datur Confeſſario facultas abſolvendi pœnitentes à cenſuris, ſi in iiſdem Bullis, ac privilegiis expreſſum non ſit, ut pœnitentes abſolvi poſſint in utroque foro, liceat Regularibus ſaltem ſatisfacta parte, abſolvere quemquam à cenſuris quoad forum externum, & contentioſum.

Sac. Congreg. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit Regulares nequaquam poſſe in vim privilegiorum, ſeu litterarum Apoſtolicarum ejuſmodi, etiam ſatisfacta parte, abſolvere pœnitentes à cenſuris quoad externum, & judicialem forum, & abſolutum ab eis in foro conſcientiæ, & pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutum in judicio exteriori, & contentioſo: quinimò cenſuris eccleſiaſticis irretitos, denunciatos cogi poſſe à Locorum Ordinariis gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus ut ſupra abſolutionem obtinuerint.

DE CLERICO PER SALTUM promoto.

Innocentius III. Bononien. Epiſcopo.

CAPUT I.

TUæ litteræ continebant, quòd (ſicut ex relatione quorumdam receperas) P. Presbyter Diaconatus ordine prætermiſſo, ſe fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri: Ipſe tibi quoque ſecretò confeſſus eſt, ſe pro certo neſcire, ſi res taliter ſe haberet: ſed ex quo boni viri hoc aſſerebant, inter quos fuerat converſatus, & credebat aſſertioni eorum: eò quòd tempore, quo ordines inferiores ſuſceperat, infra annos diſcretionis fuerat conſtitutus: & infrà. Mandamus quatenus condignam pœnitentiam, pro hujuſmodi negligentia injungas eidem: qua peracta (quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur) ipſum in Diaconum ordinare procures: & ſic de miſericordia eumdem miniſtrare permittas in ordine Sacerdotis.

SUMMARIUM.

1 *SUbdiaconus, qui ignoranter per ſaltum fit Presbyter, poſt pænitentiam in Diaconum ordinatur, & demum poterit ſecum in Sacerdotio diſpenſari.*
2 *Ordo Presbyteratus non prærequirit ex neceſſitate Sacramenti ordinem Diaconatus.*
3 *Ordinatus ad ſacros Ordines prætermiſſis Minoribus characterem recipit, & num. ſeq. uſque ad numer. 6.*
4 *Præpoſteratio facti factum non vitiat.*
5 *Ordines minores fuerunt in primitiva Eccleſia ex inſtitutione Chriſti.*
6 *Epiſcopalis Ordo an prærequirat characterem Presbyteralem ex neceſſitate Sacramenti.*
7 *Presbyter eſt capax conſecrationis Epiſcopalis, licèt non ſit Diaconus, vel Subdiaconus.*

8 Epiſcopus ſi conferat ordinem Diaconatus, vel Subdiaconatus, quem non habet, characterem non imprimit.

Ordinato in Presbyterum conferendi ſunt ordines inferiores, de quibus ignoratur an fuerint collati.

Iteratum non intelligitur, quod factum eſſe neſcitur, ibid.

10 Ordo cum dubitatur an fuerit collatus ab Epiſcopo conferri debet ſub conditione, & nu. 15.

11 Sive dubium ſit facti, ſive iuris.

12 Ordinatus per ſaltum ſi nolit miniſtrare, non debet præciſe cogi ſuſcipere Ordinem prætermiſſum.

13 Ordines ſacri non requirunt uſum rationis ex neceſſitate Sacramenti, ſed ex neceſſitate præcepti tantum.

14 Ætas diſcretionis quandoque dicitur poſt ſeptennium, ſed regulariter poſt annum decimumquartum in maſculo, & duodecimum in fœmina.

15 Ordinatus ante ætatem legitimam, an recipiat characterem ſi Epiſcopus publico edicto proteſtatus fuerit ſe nolle Ordines conferre niſi in legitima ætate conſtitutis.

16 Diſpenſare poteſt Epiſcopus cum Presbytero ordinato per ſaltum, ut poſteaquam pœnitentiam egerit, & ordinem omiſſum receperit, in Presbyteratu miniſtret.

Et quid ſi ordinatus fuerit ſcienter, & doloſè, ibidem, verſ. Verum Hoſtienſis.

17 Et quid ſi miniſtraverit in Ordine, quo carebat, & numer. 20.

Et quid poſt Concilium Tridentinum, nu. 21.

18 Diſpenſare quis poſſit cum ordinato per ſaltum poſt annum ætatis decimumquartum.

Ignorantia craſſa, & ſupina non excuſat, ibidem, & num. ſeq.

19 Ignorantia non eſt tolerabilis in facto proprio, maximè recenti, & ſolemni.

20 Ordinatus per ſaltum ſi miniſtraverit habetur pro non ordinato in ſui præiudicium, nec poteſt eligi in Epiſcopum.

22 Ordinatus per ſaltum eſt ipſo iure ſuſpenſus ab executione Ordinum, ac ſi miniſtraverit irregularitatem incurrit, & num. ſeq.

23 Irregularis efficitur qui miniſtrat in Ordine, à quo eſt ſuſpenſus.

24 Diſpenſare an hodie poſſit Epiſcopus cum ſcienter ordinato per ſaltum.

25 Lex nova ſuperveniens in materia diſpoſita per leges antiquas quamvis generaliter loquatur; tamen diſtinguitur prout diſtinguebant leges antiquæ.

26 Interpretatio paſſiva admittitur in omni materia.

27 Ordinatus in ſacris ante annos diſcretionis ad ætatem legitimam perveniens an continere teneatur latiſſimè diſcutitur uſque in finem.

Quid ſi factus adultus ordinationem ſuam ratificavit expreſſè, num. 40.

Et quid ſi tacitè eo quod velit in ordine remanere, & uti privilegiis clericalibus, num. 48. & 69.

Et quid ſi ordinatus ante uſum rationis poſteà contradixit, & in contradictione perſeveraverit tam ante, quàm poſt finem decimiquarti anni, numero 50.

Et quid ſi poſt uſum rationis uſque ad finem decimiquarti anni tacuit, ſed poſteà infra triduum reclamavit, num. 52.

Et quid in caſu converſo, num. 53.

Et quid ſi ſemper tacuit, & habuit ſe merè negativè, num. 54.

Item quid ſi tempore ordinationis erat doli capax, & poſt ſuſceptum ordinem ſtatim contradixit, & perſeveravit in contradictione uſque ad finem decimiquarti anni, ſed poſteà tacuit, num. 70.

Et quid in caſu converſo, num. 73.

Et quid ſi conſenſit tantummodo ante ſuſceptum ordinem; poſtea verò nec conſenſit, nec diſſenſit, numer. 74.

28 Opiniones Doctorum referuntur de continentia ordinati ante annos diſcretionis, & num. ſeq. uſque ad numer. 40.

29 Doli capax & Voto, & Sacramento ſe obligare poteſt.

Declaratur num. 32. & num. 45.

30 Ordo facit quod votum facere non poſſet.

Contrarium num. 51. & 68.

31 Virginitas eſt voti, non præcepti, & num. 51.

32 Voto continentiæ nec tacitè, nec expreſſè poteſt quis ſe adſtringere ante quatuordecim annos, & num. 45. & 69.

33 Ordinatus ante annos diſcretionis, qui nec ante, nec poſt finem decimiquarti anni infra triduum contradixit, cenſetur ratificare, & num. 38. & 74.

34 Nec eſt opus interrogare ordinatum an velit continere, necne.

35 Secus in profeſſione, & cur, & numer. ſeqq. & 78. in fine.

36 Votum tam profeſſionis, quàm continentiæ expreſſè, & tacitè ratificari poteſt.

39 Taciturnitas ratihabitionem non inducit, & nu. 56.

Declaratur nu. 58. uſque ad num. 65.

40 Ratificans ordinem ſacrum ante annos diſcretionis ſuſceptum non poteſt validè matrimonium contrahere.

41 Anve ratificatio huiuſmodi hodie fieri poſſint ante annum decimumſextum expletum, & numer. ſeq. uſque ad num. 48.

Votum caſtitatis hodie tam expreſſè, quàm tacitè fieri poteſt a maiore annis quatuordecim, ſicut poterat ante Concilium Tridentinum, & num. ſeqq.

43 Profeſſio Regularis maiorem requirit deliberationem, quam votum continentiæ.

44 In regula obſervatione gravitas eſt, & labor.

45 Impubes poteſt ad alia vota ſe obligare, non autem ad votum continentiæ, & cur.

46 Votum continentiæ faciliùs introducitur in eo, qui characterem habet Ordinis ſacri, quam in ingreſſo in Monaſterium, qui Monachus non eſt.

47 Lex exorbitans a iure communi non extenditur ultra caſum expreſſum etiam ex identitate rationis.

48 Ratificatio tacita obligat ad votum continentiæ Ordini ſacro annexum, ſicut expreſſa.

49 Idem in profeſſione, ſponſalibus, & matrimonio.

50 Conſenſus liber voventis eſt de intrinſeca ratione voti.

51 Eccleſia non poteſt quemquam invitum obligare ad votum continentiæ.

52 Puero in ſacris ordinato non præiudicatur ſi adveniente ætate adulta contradicat, verſ. Idem apertiùs tenet Hugo, & num. ſeq.

55 Taciturnitas an, & quando habeatur pro conſenſu.

56 Et quid in præiudicialibus, & ubi agitur de obligatione inducenda.

57 Et quid ſi cum taciturnitate concurrat actus poſitivus, & nu. ſeq. uſque ad num. 65.

Et quid in favorabilibus, nu. 63.

58 Intellectus, cap. Diaconus, 27. diſtinct.

Ordinem ſacrum ſuſcipiens tenetur continere, licet ante ordinationem proteſtatus fuerit ſe nolle continenter vivere, ibid.

59 Connexorum alterum recipiens cenſetur ad alterum ſe obligare.

60 Intellectus, cap. Si fortè, 65. diſtin.

61 Litteras recipiens, & legens cenſetur eo ipſo illas approbare, & debitum confiteri.

62 Cautela mirabilis ad extorquendam confeſſionem à debitore.

64 Profeſſio ante annos diſcretionis emiſſa an, & quando poſt ætatem legitimam cenſeatur tacitè ratificata, & num. 76.

65 Ratihabitio actus nulli ex defectu conſenſus per ſolam remotionem impedimenti non inducitur, & numer. 84.

66 Sponſalia contracta ante uſum rationis per ſupervenientiam ætatis non convaleſcunt, niſi verbo vel facto ratificentur.

67 Ma-

Digitized by Google

67 *Matrimonium metu contractum in ætate immubili de iure communi convaleſcit per copulam ſubſequutam, non autem per ſolam remotionem impedimenti.*

68 *Ordini ſacro annexum eſt votum continentiæ ex Conſtitutione Eccleſiæ, & num. 77.*

69 *Niſi impediat defectus ætatis.*

71 *Ordinationi ſuæ contradicens ante decimumquartum annum cenſetur poſtea in priori diſſenſu perdurare, & num. ſeq.*

Idem in caſu converſo, num. 75.

72 *Voluntatem immutatam allegans probare debet, & numer. 75.*

75 *Votum à viro emiſſum uxore contradicente ſtatim ea mortua ex perſeverantia in Monaſterio ſolemnizatur.*

76 *Votum virginitatis firmatur ex quo ætas iam adulta eſſe cœpit.*

77 *Votum continentiæ ineſt profeſſioni de ſui natura, & eſt de ipſius ſubſtantia.*

78 *Ratificatio inducitur propter præcedentis actus continuationem.*

79 *Ratificatio Ordinis ante annos diſcretionis ſuſcepti inducitur eo ipſo quod ordinatus poſt pubertatem infra triduum non reclamavit.*

80 *Furioſus habens dilucida intervalla in Subdiaconum ordinatus an continere teneatur, & an ſit ei concedenda diſpenſatio, ut poſſit contrahere matrimonium.*

81 *Et quid ſi dum erat mentis compos intentionem habuit ſuſcipiendi Diaconatum.*

82 *Et quid ſi tempore ſuſceptionis non agitabatur furore.*

83 *Et quid in dubio.*

1 **T***Va littera*. Qui ignoranter per ſaltum de Subdiacono fit Presbyter, poſt pœnitentiam in Diaconum ordinatur, & demum ſecum poterit in Sacerdotio diſpenſari. Hoc dicit ſecundùm omnes. Communis diviſio. Secunda ibi, *Mandamus*.

2 Nota primò ex hac Decretali ordinem Sacerdotalem non prærequirere ex neceſſitate Sacramenti characterem ordinis Diaconatus, quod apertè probatur hic, quia ordinatus in Presbyterum prætermiſſo Diaconatu non jubetur iterùm ordinari ad ordinem Presbyteratus. Imò poſteaquam pœnitentiam pevegerit, & Diaconatum ſuſceperit, ex miſericordia permittitur miniſtrare in ordine Sacerdotali, ut hic *in fine*: & ſic character Presbyteralis fuit abſque dubio impreſſus, & præpoſteratio non obfuit: ad idem textus in *cap. Solicitudo*, 52. *diſtinct.*

3 Hoc autem procedit non tantùm ſi ſolus ordo Diaconatus fuerit omiſſus, ſed etiam ſi omiſſi fuerint reliqui inferiores ordines: nam etſi Hugo relatus hic in gloſſ. *final.* tennerit laicum ordinatum ad ſacros ordines nihil recipere, eo quod ſicut viri, & mulieris conjunctio unum perficit corpus: ita Clericatus, & Sacerdotium unum faciunt Presbyterum, ut legitur in *cap. Sicut*, 40. *diſtin.* tamen oppoſitum docuit Vincentius: nam ſecundum eum etiamſi quis nullum habeat ex minoribus ordinibus, tamen ſi promoveatur ad ſacros, utique ordinem recipit. Et hanc opinionem Vincentii ſequuntur hic gloſſa *final.* Hoſtienſis *num.* 2. Joan. Andr. *num.* 6. *in fine*, dicens idem tenere Petrum Hiſpaleñ. & Goffred. Item Ma-
4 tian. Socin. in 1. *notab.* idem firmat gloſſ. *unica in dict. cap.*
Solicitudo, 72. *diſtinct.* quæ hinc colligit præpoſteratio-
5 nem facti factum non vitiare. Et Innocentius in *cap.* 1. *de*
Presbyter. non baptiz. ubi hoc probat ea ratione, quia tempore Apoſtolorum in primitiva Eccleſia non erant minores Ordines; Eccleſia enim ipſos primò conſtituit, *cap.* 1. 22. *diſtinct.* & tamen ipſi Apoſtoli fuerunt Sacerdotes, *cap. In novo*, 21. *diſtinct.* Ad hanc tamen rationem Innocentii reſpondet hic Joan. Andr. *num.* 7. Ordines Minores fuiſſe inſtitutos ab Eccleſia antequam aliquis Apoſtolus ordinaretur: quod etiam videtur ſonare illa littera.

Sed tu adverte ad id, quod ait Innocentius, Ordines minores non fuiſſe in primitiva Eccleſia: nam oppoſitum docuit S. Tridentina Synodus *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. cap.* 2. ibi: *Et ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium ordinum nomina, atque uniuſcuiuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur.* Item quod ſubjicit Ordines minores fuiſſe ab Eccleſia inſtitutos, periculoſum eſt, ut probavi latiſſimè in *cap. Cum contingat*, *à num.* 72. *ſupra de ætat. & qualitat.* Nec obſtat textus in dict. *cap.* 1. 22. *diſtinct.* quia non loquitur de Ordinibus, ſed de Dignitatibus, quas omnes inſtituit Romana Eccleſia. Alioquin ſi de Ordinibus loqueretur, Ordo Epiſcopalis, de quo ibi fit mentio, eſſet ex Conſtitutione Eccleſiæ, non autem ex ordinatione divina, quod eſſet hæreticum affirmare, ut in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. can.* 6. & ſcripſi in *cap.* 1. *num.* 9. *ſupra de ordinat. ab Epiſc.* & pleniùs in *cap. Quantò, de Conſuetud.* Prætereà Dominus Sacramentum Ordinis inſtituit, & Apoſtolos ordinavit Sacerdotes in Cœna, cùm dixit eis, *Hoc facite in meam commemorationem*, ut per D. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 24 *quæſt.* 2. *art.* 3. *ad* 2. & Turrecr. in *cap. Presbyter*, *nu.* 2. 23. *diſtinct.* & diffinitum eſt a Tridentina Synodo *ſeſſ.* 22. *de Sacrif. Miſſæ*, *cap.* 1. & *can.* 2. Unde quod dicit Jo. Andr. Eccleſiam inſtituiſſe minores Ordines antequam Apoſtoli ordinarentur, hodie eſt error. Quidquid tamen ſit de dictis Innocentii, & Joan. Andr. prædicta concluſio quod ordo Sacerdotalis non prærequirat characterem aliorum ordinum ex neceſſitate Sacramenti, veriſſima eſt, quia poteſtates ſunt diſtinctæ, ut docet S. Thomas *in* 4. *diſtin.* 24. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 5. S. Bonav. *ead. diſtin. quæſt.* 3. Raymund. Petr. de Palud. Aſtenſis, & cæteri Theologi, ut hic teſtatur Henric. Boich. *col.* 3. *in princ. verſ. Aut eſt maſculus*, & Silveſt. *in verb. Ordo*, 2. *num.* 1. *verſ. Nec etiam*, & ex recentioribus Toletus *in ſumm. lib.* 1. *cap.* 50. *verſ. Alterum eſt*, quam etiam ſequuntur communiter DD. hic teſte Abbate *num.* 4.

Cæterùm quamvis hæc ita ſe habeant in Ordine Presby- 6
teratus, non tranſeunt tamen abſque difficultate in ordine Epiſcopali: nam Bartholom. Brixienſis in *cap. Solicitudo*, 52. *diſtinct.* ut ibi notatur in gloſſ. *unica*, *in fine*, opinatus eſt laicum recipere ordinem Epiſcopatus, & characterem imprimi, ſi ei conferatur in forma Eccleſiæ ab eo, qui poteſtatem habet, argum. hujus Decretalis; & hoc placet hic Jo. Andr. *in fine*; idipſum poſt Hugonem tenet Archidiac. in *cap. Subdiaconus*, 77. *diſtin.* ubi ſic ait: [Imò plus dico, quod in cunis poteſt puer eſſe Sacerdos, & Epiſcopus, & omnes Ordines recipere ſecundùm Hugonem,] & hanc partem pluribus hic tuetur Henr. Boich. *col.* 3. *verſ. Tu dicas*, ubi etiam reſpondet ad text. in *cap. Ex litteris*, *infra de exceſſ. Prælat.* pro qua etiam concludit Præpoſ. in dict. *cap. Subdiaconus*, *num.* 4. dicens: [Iſta argumenta Theologorum procedunt retento quod Epiſcopatus non ſit Ordo per ſe ſeparatus à Sacerdotali, ſed quædam uberior facultas. Sed retenta opinione Canoniſtarum, quam tenui in *cap.* 1. 21. *diſtinct.* ſcilicet quod Epiſcopatus ſit Ordo ſeparatus, & imprimat ſuum characterem; iſta opinio non procederet, quia imò imprimeretur character, & eſt eadem ratio, quæ in Ordine Sacerdotali.] Hæc Præpoſitus. Et ita communiter teneri affirmat Abb. hic *nu.* 5. *verſ. Quoad ſecundum*. Veritas tamen eſt prædictam opinionem nec communem, nec veram videri: quoniam Canoniſtæ ferè omnes, excepto Bartholomæo Brixienſi, & aliis præallegatis oppoſitum tenuerunt, nempe Vincentius, Petrus Hiſpalen. Goffredus, Joan. Bernardus, Innocentius, & Hoſtien. ſupracitati *num.* 3. & *in c. Indecorum*, *de ætate*, & *qualitat.* Petrus de Sampſone, & Abb. Antiq. *num.* 2. Joan. Andr. *num.* 10. Bellam. *num.* 15. *verſ. Probatur hoc*, Butr. *num.* 8. *verſ. Ordo ſacer*, & Anchar. *num.* 2. *verſ. Nam & Presbyter*. Item Turrecr. in dict. *cap. Solicitudo*, 52. *diſtinct.* & hujus opinionis eſſe omnes ferè DD. ſcripſit Raymund. in *cap. Gratia*, 1. *quæſt.* 1. ut refert Turrecrem. *ubi ſupra*, quam etiam veriorem eſſe dicit gloſſ. *fin. hic*, per text. in *cap. Ex litteris*, §. *Cum igitur*, ibi, *Num igitur Pontificale officium ſine Altaris miniſterio*, &c. *infra de exceſſ. Prælat.* & Sylveſt. *loc. cit.* De cujus veritate plura ſcripſi in dict. *cap.* 1 *de ordin. ab Epiſc.* ubi etiam *num.* 81. Poſui rationem diverſitatis cur Ordo ſacerdotalis non prærequirit characterem aliorum Ordinum ex neceſſitate Sacramenti, & tamen Epiſcopatus prærequirat characterem presbyteralem ex neceſſitate conſecrationis.

Adverte tamen, quia etſi non habens Ordinem ſacerdo- 7

talem non ſit capax conſecrationis Epiſcopalis; tamen
qui Sacerdos eſt, poteſt conſecrari Epiſcopus, licèt Ordi-
nem Diaconatus, vel Subdiaconatus, aut alios inferio-
8 res non habeat. Sed priuſquam exequatur, ſupplendum
eſt id, quod deeſt, ut hic, & in dict. *cap. Solicitudo*, 52.
diſtinct. Quod ſi Epiſcopus daret Ordinem Subdiacona-
tus, vel Diaconatus, quem non habet, nihil conferret,
argum. *cap. Gratia*, *& cap. Ventum eſt*, 1. *quaeſt.* 1. *cap.
Daibertum*, 1. *qu.* 7. *& cap. Quomodo*, *de conſecr. diſtin.* 4.
& not. hic gloſſ. *fin.* Hoſtien. *num.* 2. *verſ. Hunc autem re-
cipit*, & alii ſupracitati.
9 Secundò nota ibi, *in Diaconum ordinare procures*: or-
dinato in Presbyterum eſſe conferendos inferiores ordines,
de quibus ignoratur an fuerint collati, necne. Rationem
habes in littera, quia non intelligitur iteratum, quod
factum eſſe neſcitur; quaſi dicat quamvis Sacramentum
Ordinis non ſit iterabile, *cap.* 1. *& cap. fin. ſupra de Sacram.
non iteran.* Conc. Triden. *ſeſſ.* 7. *de Sacram. can.* 9. Tamen
non dicitur iterari ordo, qui neſcitur eſſe collatus: con-
cordat *cap. Eccleſia*, *& cap. Solemnitates*, *de conſecr. di-*
10 *ſtin.* 1. *& cap. Placuit*, *de conſecrat. diſt.* 4. Epiſcopus au-
tem ratione dubii præmittere poterit hæc verba, videlicet:
Si tu es ordinatus in Diaconum non te ordino, & nil dare,
vel recipere intendat. *Si vero non es ordinatus*, *ordino te*:
& in mente gerat, & ſuper eodem inſtruat ordinandum,
ſecundum Hoſtienſ. *num.* 2. *in verb. Iteratum*, Joan. Andr.
eodem num. in verb. Procures, & Marian. Socin. *in* 3. *no-
tab.* Adde tu, & ordinationem perficiat in forma Eccle-
ſiæ, id eſt proferat verba formæ, & adhibeat inſtrumenta
pro materia eidem ordini aſſignata, ut in Concilio Floren-
tino in decreto fidei Eugenii IV. pro inſtructione Armeno-
rum in §. *Sextum Sacramentum*: aliàs enim characterem
non imprimeret, ut ibi, & in *cap. Extra Catholicam*, *&
cap. Detrahe*, 1. *quaeſt.* 1. *cap.* 1. *& cap. penult. de Baptiſm.*
& notant in *cap.* 1. *infra de ſchiſmat.* gloſſ. *in verb. Irritas*,
Joan. Andr. *num.* 7. Butr. *num.* 3. Cardin. *num.* 4. *in* 3. *qu.*
& Abb. *num.* 4. Similis cautela cùm dubitatur de Sacra-
mento Baptiſmi, habetur in *cap.* 2. *de Baptiſ. & de Eccle-
ſia*, de qua dubitatur an ſit conſecrata, in dict. *cap. Solem-*
11 *nitates*, *de conſecrat. diſtin.* 1. Quod procedit non tan-
tùm in dubio facti, cùm ſcilicet vertitur quæſtio an Ordo
fuerit collatus nec ne, ut hic; ſed etiam in dubio juris,
cùm quæritur an ritè collatus fuerit, ut ſcripſi in *cap. unic.
num.* 81. *ſupra de ſacr. Unct.* & patebit infra *num.* 15. Ve-
12 rùm ſi promotus per ſaltum non vult miniſtrare in Ordine
ſic recepto, vel in ſuperioribus Ordinibus, non debet cogi
præcisè ſuſcipere Ordinem prætermiſſum, ſecundùm Hu-
gon. & Archidiac. qui hoc not. in *cap. Solicitudo*, 52. *diſt.*
& poſt eos Henric. hic *in princip.*
13. Tertiò nota ibi, *ante annos diſcretionis*, uſum rationis
ad ſacros Ordines recipiendos non eſſe ex neceſſitate Sa-
cramenti; alioquin ſic ordinatus characterem non recipe-
ret, ſed deberet iterùm ordinari, cujus contrarium hic
deciditur: nam ſuppletur tantummodo Subdiaconatus
Ordo prætermiſſus; reliqui autem ordines ante uſum
rationis collati non iterantur. Et ita hunc text. ad hoc
inducunt Cardin. Turrecrem. & Præpoſ. in *cap. Subdiaco-
nus*, *ambo num.* 2. 77. *diſtinct.* & tenet hic gloſſ. 2. dicens
infra annos diſcretionis benè quem recipere ſacros Ordi-
nes, licèt conferri non debeant. Unde eſt hic caſus pro o-
pinione Hugonis, & Archidiac. in dict. *cap. Subdiaconus*,
qui dixerunt puerum poſt ſuſceptum Baptiſmum in cunis
ordinatum etiam in Presbyterum characterem recipere.
Idem docuit D. Thom. in 4. *ſent. diſt.* 25. *quaeſt.* 2. *art.* 2. *qu.*
2. Hoſtien. in *cap. Vel non eſt compos*, *numer.* 6. *verſ. Adeo
quod etiam puer in cunis*, & ibi etiam Collectar. *num.* 2. *ſu-
pra de tempor. ordinat.* & Henric. *hic col.* 3. *verſ. Super eo.*
Ad declarationem. Quod benè nota, quia non habemus
alibi textum ita clarè hoc decidentem: nam *cap. Maiores*,
§. *fin. de Baptiſm.* concludit in Sacramento Baptiſmi; Licèt
eadem ſit ratio in omnibus Sacramentis non iterabilibus,
ut per Præpoſ. *loc. citat.* Prædicta autem Decretalis, *Vel
non eſt compos*, non loquitur de infante, ut perperam ibi
notant moderni Collectores, ſed de puero treſdecim anno-
14 rum. At de infante loquitur hæc littera, ſi intelligamus
verbum diſcretionis pro rationis uſu, ſicut intelligendum
videtur, quia ordinatus allegabat ſe inferiores Ordines ſu-
ſcepiſſe ante annos diſcretionis ad probandam ignorantiam
omiſſionis Diaconatus. Quæ allegatio non concluderet,
ſi ordinationis tempore uſum rationis habuiſſet. Nec eſt
novum, ut ætas diſcretionis intelligatur ſeptennio exple-
to, ut in *cap.* 1. 30. *q.* 2. *& in cap. Omnis utriuſque*, *infra de
pœnitent. & remiſſ.* Licèt propriè dicatur poſt decimum-
quartum annum in maſculo, & duodecimum in fœmina,
ut in *cap. Cùm virum*, *& cap. Cum ſimus*, *ſupra de Regular.
Clemen. Eos*, juncta gloſſ. 1. *eod. tit.* & notat hic Hoſtien-
ſis *ante num.* 1. *in verb. Diſcretionis.*
Cæterùm ſi Epiſcopus ante ordinationem proteſtatus 15
fuiſſet ſe non habere intentionem Ordines conferendi ni-
ſi habentibus ætatem legitimam; tunc non imprimere-
tur character, non quidem ex defectu ætatis, ſed ex de-
fectu intentionis miniſtri; quæ requiritur ex neceſſitate
Sacramenti, ut in Concilio Florentino *in Decreto fidei Eu-
genii IV. in* §. 5. & in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 7. *de Sacra-
men. can.* 11. Unde cùm olim in Sacra Congreg. Concilii
actum eſſet, quid reſpondendum de ordinatis ante ætatem
legitimam ab Epiſcopo, qui ante ordinationem in Eccle-
ſia publico edicto proteſtatus fuerat, quod non intende-
bat Ordines conferre niſi iis, qui in ætate legitima eſſent
conſtituti, præſuppoſita atteſtatione ejuſdem Eccleſiæ
Decani aſſerentis ſe audiviſſe ab Epiſcopo cùm diceret hu-
juſmodi proteſtationem fieri ad terrorem, cæterùm ſe
habere intentionem Ordines conferendi: Die 23. Ja-
nuarii 1586. Sacra Congregatio communi ſententia
quoad primam, negativè quoad ſecundam partem,
reordinandi cum proteſtatione, ſi non eſt ordinatus.
Die 24. Januarii 1586. In Conſiſtorio Sanctiſſimus re-
ſpondit ſe eſſe in eadem ſententia ſupra dictis præſuppo-
ſitis, ſi ex edicto Epiſcopi colligitur eum habuiſſe inten-
tionem negativam, ſive oppoſitam: tamen ut cautiùs re-
ſpondeatur, dixit ſignificandum parti ut exemplum dicti e-
dicti proferat. De hoc articulo, an ſcilicet uſus rationis ad
ſacros Ordines ſit ex neceſſitate Sacramenti, an verò ex
neceſſitate præcepti tantùm; & quid in Ordine Epiſcopa-
li, ſcripſi plenè in *cap. Super inordinata à num.* 35. *ſupra de
præbend.*
Ultimò nota ibi, *de miſericordia miniſtrare permittas*. 16
Epiſcopum poſſe ſuo jure diſpenſare cum Presbytero per
ſaltum promoto, ut poſteaquam pœnitentiam peregerit,
ac deinde ſuſceperit Ordinem prætermiſſum, miniſtret in
Ordine ſacerdotali. Concordat textus in *cap. Solicitudo*,
in fin. ponderando verbum *Concedas*, 52. *diſtin.* & tenet
hic gloſſ. *ultim.* & Archidiac. in dict. *cap. Solicitudo*, *ſuper
dict. verb. Concedas*, verùm Hoſtienſ. *nu.* 2. *in fine*, *verſ.
Tu dicas*, exiſtimat hoc habere locum ſi talis fuerit ſic or-
dinatus ignoranter; ſecus ſi doloſè, & ſcienter: quia
tunc non diſpenſaret niſi Papa; offendit enim mentem,
& litteram, *cap. prox. ſupra*, *& infra eodem*: cùm paria
ſint non eſſe ordinatum, & eſſe non debito modo. Ad hoc
cap. 2. *ſup. de transl. Epiſc.* Exſequuntur hic Jo. Andr. *nu.*
6. *in gloſ. ult.* & Ant. de Butr. *nu.* 5. Idem tenet Lap. *alleg.* 17
28. incip. *An diſpenſet Epiſcopus*, *num.* 1. ubi firmat Epi-
ſcopum poſſe diſpenſare cum eo, qui omiſſo Diaconatu
fecit ſe ordinari ad Presbyteratum, & celebravit, dummo-
do tamen ſcienter, & tanquam talis non miniſtraverit in
Ordine, quo carebat: quia tunc etiamſi ignoranter fuiſ-
ſet per ſaltum promotus, contra talem irregularitatem
non diſpenſaret niſi Papa. Exemplo Clerici, qui non eſt
ordinatus, & miniſtrat in aliquo ordine in apparatu: al-
leg. Calder. in Decretali *Si celebrat*, *ſupra de Cler. excom-
mun. miniſt.* Idipſum firmat Hoſtien. hic *in princip. in verb.* 18
Negligentia, in eo, qui fuit ordinatus per ſaltum poſt an-
num decimumquartum, vel ſaltem poſt annum decimum-
octavum, qui tunc temporis requirebatur ad Ordinem
Subdiaconatus, ut in *Clemen. fin. de ætate*, *& qualitate*.
Tunc enim cùm ignorantia ſit craſſa, & ſupina, quæ
non excuſat, *cap.* 1. *ſupra de ordin. ab Epiſc.* *& cap. Apo-
ſtolicæ*, *de Cler. excommun. miniſtr.* ſolus Papa diſpenſa-
ret. Secus in ordinato per ſaltum ante decimumquartum
annum, cum quo diſpenſat Epiſcopus, ſecundùm Ho-
ſtienſem, cujus opinionem dicit eſſe tutiorem Henric.
Boich. in hoc *cap. col.* 2. *verſ. Sed opinio Hoſtienſis*, quia
talis ignorantia, ſeu negligentia in adulto non eſt tolerabi- 19
lis in facto proprio, ut *l. Plurimum*, *ff. de iur. & fact. ignor.
& l. Cum falſum*, *ff. de acquiren. hæred.* & notat gloſſ. *ult.
in l. fin. ff. Pro ſuo*, & maximè recenti, ut *l. Si res obligata*,
ff. de legat. 1. *& l. Si diuturno*, *ff. de pœn.* & notat Zen-
zel. in *Clemen. unic. in verb. Innovarat*, *de iureiur.* Et tam
ſolem-

ſelemni, ſicut collatio Ordinis ſacri, *cap. Diaconus, & cap. Subdiaconus, & per totam*, 23. *diſtinct. Et de Sacram. non iteran. per tot.* Et diſſiluta negligentia prope dolum eſt, *l. Si fidejuſſor, ff. Mandati*. Et craſſa, & ſupina ignorantia dolo æquiparatur, *l. Quod Nerva, ff. de depoſ. d. cap. Apoſtolica, 2. reſp. ſupra de Cler. non ordin. miniſtr. & cap. Ut*
20 *animarum, de Conſtit. lib.6.* Quod ſecundum Henric. maximè teneri poteſt ubi miniſtravit; quia talis quoad ordinem per ſaltum ſuſceptum habetur pro non ordinato in ſui præjudicium, ut non poſſit eligi in Epiſcopum, juxta *cap. A multis, ſupra de ætat. & qualit.* & notat Archid. *in dicto cap. Solicitudo, ſuper verb. Officia*, & Hoſtien. *hic in fine*, argumen. *cap. 2. Sed neque, verſ. Sicut juxta, ſupra de transl. Epiſcop.* Cum non ordinato autem miniſtrante ſolus Papa diſpenſat, ſecundum Hoſtien. & Henr. Boich. *in cap. 2. ſupra de Cleric. non ordin. miniſtr.* & Lap. *d. alleg.* 28.
21 Hodie cùm promotis per ſaltum ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poteſt diſpenſare, ut ſtatuitur
22 jure noviſſimo Conc. Trident. *cap. 14 in fin. ſeſſ. 23.* Ex quo decreto collige ſublatam eſſe veterem DD. altercationem, an promotus per ſaltum ſit ipſo jure ſuſpenſus, ita ut miniſtrando irregularitatem incurrat. Nam Archid. & alii poſt eum in *cap. Solicitudo, 52. diſt.* Tenuerunt non eſſe ſuſpenſum, niſi ſicut ille, qui eſt in mortali; ideòque ſi celebret, mortaliter peccare, ſed non effici irregularem. Et conſentiunt Summa Angelica, & Roſella.

Et eſt ſimile quod dicunt Doctores de ordinato in Sacris ante ætatem legitimam, qui eſt ſuſpenſus quoad ſe, non quoad alios, ac proinde de jure communi celebrando non incurrit irregularitatem; quod tenent complures, quos retuli in *cap. Vel non eſt compos, num. 22. ſupra de tempor. ordin.* In oppoſitum eſt textus in *dict. cap. Solicitudo, 52. diſt.* ubi patet ordinatum in Presbyterum, Subdiaconatus Ordine poſtpoſito, eſſe ſuſpenſum ab executione Sacerdotalis officii. Et ita promotum per ſaltum eſſe ipſo jure ſuſpenſum ab executione Ordinum, tenent hic Henr. Boich. *col. 3. poſt med. verſ. Si quaris utrum recipiat*, Gemin. *conſ. 91. Præmitto, n. 2. verſ. Nec etiam teſtes*, & Lap. *d. alleg.* 28.
23 Et ſatis probatur in hac Decretali, ubi ſic promotus prohibetur miniſtrare in Ordine ſacerdotali, niſi hoc ei ex miſericordia Epiſcopus permittat. Miniſtrando autem in Ordine, à quo quis eſt ſuſpenſus, in irregularitatem incidit, *cap. Cum æterni, de re judic. lib. 6.* ibi, *Quod ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ingeſſerit ſe divinis, irregularitatis laqueo ſe involvet, & cap. Cum medicinalis, in fine, de ſentent. excommun. eodem lib.* Et hanc partem tenent Hoſtienſis & Doctores *hic*, & Silveſter *in verb. Irregularitas, num.* 13. Poſteriorem hanc ſententiam non obſcurè probavit Concilium Tridentinum *in dict. cap. 14. in fin. ſeſſ. 23.* Nam dum decrevit Epiſcopum ita demum poſſe diſpenſare cum promoto per ſaltum, ſi non miniſtraverit; utique ſupponit ſic promotum eſſe ipſo jure ſuſpenſum ab executione Ordinum, & celebrando novum impedimentum, & ſic notam irregularitatis incurrere; alioquin ſi ſuſpenſus non eſſet, ſed tantummodo ſuſpendendus, miniſtrando in Ordine, utique novum impedimentum non contraheret, ut per Doctores in *d. cap. Solicitudo*. Et ita ex eo decreto firmat Cardin. Tolet. *in Summa lib. 1. cap. 50. in verb. Duo ſunt*, & Navar. *loc. cit.*
24 Sed remanet dubium, an hodie Epiſcopus poſſit diſpenſare cum his, qui non miniſtraverint, ſi ſcienter fuerunt per ſaltum promoti: Marius Alterius *tom. 2. de cenſur. diſput. 111. cap. 5. verſ. Hic in loco*, & Moderni Collectores *hic* opinantur poſſe diſpenſare, quia Concilium non diſtinguit de ordinato ſcienter, vel ignoranter, ſed ſimpliciter loquitur. Quod non credo verum, quia cum jus commune ſic diſtinguat, ut patet tum in hac Decretali, quæ loquitur in ordinato ignoranter per ſaltum ante annos diſcretionis, ſecundum Hoſtien. *ante num. 1. in ver. Negligentia*, tum in *d. cap. Solicitudo, 52. diſt.* ubi diſtinguitur an talis ſe fecerit ſic promoveri ex negligentia, ſeu igno-
25 rantia; an verò ex ſuperbia: eodem prorſus modo diſtingui debet decretum Concilii, quia lex nova diſponens in materia antiqua recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat, *l. In contractibus, §. Præterea, C. de non numer. pecun.* Petrus Brixien. *in repert. in verb. Interpretatio, verſ. Lex noviter*; quod procedit etiamſi lex nova ſuperveniens in materia diſpoſita per leges veteres generaliter loquatur, quia nihilominus diſtinguitur prout diſtinguunt leges antiquæ, ut poſt alios notat Jaſon. *in l. Sciendum, in princ. ff. Qui ſatiſd. cogant.* idque ne videatur leges veteres corrigere, ut per Caſtillion. *conſ. 10. In facto, num. 5. verſ. Ad teſtamentum*, ubi affirmat DD. omnes ita tenere, & jura allegat.

Hæc enim eſt interpretatio paſſiva, quæ in omni mate- 26
ria admittitur, *l. 2.* & ibi Barthol. *C. de Noxal. l. Juriſgentium, §. Si paciſcar, ff. de pactis, l. 1. §. Lex falcidia, ff. ad l. falcidiam*, Alexan. *in l. Marcellus, in princ. num. 4. ff. ad Trebell.* gloſ. Barth. & DD. *in d. l. Sciendum*.

QUÆRO, An promotus ad ordinem ſacrum ante an- 27
nos diſcretionis, ad ætatem legitimam perveniens continere teneatur, necne.

In hoc articulo tam variè loquuti ſunt Doctores, ut ferè dixeris cum Auguſtino tot diverſitates opinionum, quot hominum numerantur, ut refertur in *cap. In Sacramentis, de conſecrat. diſt. 5.*

Quidam enim arbitrati ſunt promotum ad ſacros ordi- 28
nes etiam ante uſum rationis adſtringi ad continentiam, eo quod receperit characterem ordinis ſacri, ut hic, cui lege poſitiva Eccleſiæ annexum eſt votum continentiæ, *cap. Nullum, 28. diſt. cum concordan.* atque hujus ſententiæ ſunt Petr. de Palud. *in 4. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. nu. 14.* S. Antonin. *in 3. part. tit. 1. cap. 8. concluſ. 3. in fine*, & Stephan. de Gaeta *in repet. cap. ad limina, 30. quæſt. 1. §. 4. quæſt. 194. num. 465.*

Alii contra ſimpliciter dixerunt ſic ordinatum non teneri continere, ut Guliel. de Monte Laud. in Clem. *un. §. 2. de homic.* & Aſten. *lib. 6. in tit. de ætate ordinandorum, art. 1. q. 3.* quia continentia eſt voti, non præcepti, *cap. Integritas, 32. quæſt. 1.*

Sed Gloſſa Joannis *in cap. Eſtote*, aliàs in *cap. Pueri, in* 29
verb. Ad ſacros, verſ. Sed numquid, 1. quæſt. 1. reſolvit hunc teneri ſi ſit doli capax, quia & voto, & ſacramento ſe obligare poteſt, *cap. 1. de delict. puerorum*, licèt non Religioni, *§. Cum ergo, 27. quæſt. 2.* & cum hac gloſ. tranſeunt *hic* Anton. de Butr. *num. 4. in fin.* Cardin. *n. 2. quæſt. 1.* Vitalin. in Clement. *Generalem, num. 26. & ſeq. de ætate, & qualitat.* & ex Theologis Sotus *de juſtit. & jur. quæſt. 2. art. 5. ad ult.*

Similiter gloſ. noſtra hic in verb. *Diſcretionis*, tenet, 30
licèt vacillando, ordinatum ad ſacros ante annos diſcretionis poſt pubertatem non poſſe matrimonium contrahere, quia ſtatim antequam ordinaretur debuit contradicere, & nullo modo conſentire, & ita facit Ordo quod votum facere non poſſet, quia in tali ætate non tenet votum, *cap. Ad noſtram, & cap. Significatum, ſupra de regular.* Et quamvis gloſ. ſubdat æquius videri ut contrahere poſſit; tandem nihilominus conclu lit verum eſſe quod prius dixit, quia antequam ordinaretur debuit contradicere: & ſequitur Zenzelin in Clement. *Generalem, de ætat. & qua-*
litat. Verùm Innocent. *in cap. Vel non eſt compos, num. 1. in* 31
verb. Ad ætatem, ſupra de tempor. ordinat. determinat ſic ordinatum non teneri ad continentiam, ſed poſſe matrimonium contrahere, ſi contradixit ſtatim poſt ſuſceptionem Ordinis, & in contradictione uſque ad finem decimiquarti anni perſeveravit; vel ſi contradixit ſtatim poſt finem decimiquarti anni, argumen. *cap. Illud, 20. quæſt. 1.* id eſt infra triduum, juxta textum *in cap. Ad noſtram, de regular.* ſecundum Hoſtienſ. virginitas enim eſt voti, & non præcepti, *dict. cap. Integritas, 32. quæſt. 1.* Quod etiam probat alia efficaci ratione, quia ante quatuordecim annos non poteſt quis, etiamſi velit, ſe expreſsè adſtringere ad
votum continentiæ, *cap. 1. 20. quæſt. 1.* Ergo multò minus 32
poteſt tacitè per ſuſceptionem ſacri Ordinis; ita Innocen. cui conſentiunt *ibidem* Hoſtien. *num. 6.* & in hac Decretali Joan. Andr. *num. 5.* Henric. Boich. *num. 12.* Anchar. *num. 8.* & Abb. *num 3.* & idem Anchar. in dict. Clement. *Generalem, in fine, de ætat. & qualitat.* & communiter Doctores, ut teſtatur Præpoſ. *in cap. Subdiaconus, num. 4. in fine, verſ.*
Monſtrum tamen reſultabit, 77. diſt. Secus autem eſt ſi nec 33
ſtatim poſt ſuſceptum ordinem ante decimumquartum annum, nec poſtea infra triduum contradicat, quia cenſetur ſe tacitè voto adſtrinxiſſe, argum. *cap. De illis, 1. & 2. de ſponſal. impub. cap. Inſuper, qui matrimon. accuſ. poſſ. cap. Cum virum, & cap. Cum ſimus, de regular. cap. 1. §. Quod ſi eod. tit. lib. 6.*

Quod adeo verum eſt, ut nec adveniente ætate ſit neceſ- 34
ſe

Digitized by Google

ſe ordinatum interrogare an continere velit, necne; quia
nihilominus inducitur ratihabitio ſecundum Innocen. *in
dict. cap. Vel non eſt compos, num. 1. verſ. Nec tamen vide-
tur, de tempor. ordin.* & Hoſtien. poſt eum *num. 7. verſ. Sed*
35 *numquid*. Nec obſtat, quod hujuſmodi interrogatio ſit ne-
ceſſaria ad ratificationem ingreſſus in monaſterium, ut
notatur *in cap. 2. de regular.* nam ut reſpondet Innocen. in-
ter hos caſus eſt ratio diverſitatis: nam ordinatus quamvis
minor characterem recipit, & ordinem habet; & ideò de
facili continentiæ votum ex conſtitutione Eccleſiæ ordini
annexum non ſolum expreſsè, ſed etiam tacitè introduci-
tur. At ingreſſus monaſterium non eſt Monachus quouſ-
que annum decimumquartum compleverit; & ideo re-
quiritur expreſſus conſenſus, vel ratificatio æquipollens:
& idem in Matrimonio, ut in *cap. Atteſtationes, ſupra de
deſponſ. impuber.*
36 Hæc tamen ratio diverſitatis non placet Hoſtien. Joanni
Andreæ, & Anchar. quia utrumque votum non tantùm
expreſsè, verum etiam tacitè ratificatur, ut legitur & no-
tatur in *cap. 1. de Regular. lib. 6.* unde Hoſtien aſſignat aliam
rationem differentiæ, videlicet quia ingreſſus minus habet
37 de tempore, & ideò magis fuit ei providendum. Prætetea
ſecundum Hoſtienſem inter utrumque caſum nulla eſt di-
verſitas, quia etiam ingreſſus ſine interrogatione per ſo-
lum lapſum anni efficaciter obligatur, ut in *cap. Statuimus,
de regul.*
38 Præter hos Henrich. Boich. in hac Decretali *col. 4. verſ.
Sed tu diſtinguo*, conjungendo opiniones ſic diſtinguit, Aut
ſic ordinatus eſt doli capax, & tenetur continere, quia
debuit contradicere ante ſuſceptionem ſacri Ordinis: &
in hoc caſu procedat opinio gloſſ. Bernardi in hoc *cap. Aut
non eſt doli capax*, & procedat diſtinctio Innocen. & Ho-
ſtienſis, ut non teneatur ad continentiam, ſi ſtatim, vel
poſt finem decimiquarti anni contradixerit; aliàs verò te-
39 neatur, quia tacendo cenſetur ratificare. Verùm hoc ul-
timum impugnat Ægid. Bellam. *ibidem num. 4. in 5. quæſt.
verſ. Et quidquid ſit:* ſentit enim ex ſola taciturnitate non
induci ratificationem ordinationis, niſi ex aliquibus indi-
ciis hoc deprehendatur, per *cap. Si infantes, de deſponſ.
impub. lib. 6.* ab initio enim Ordinis ſuſceptio illum ad con-
tinentiam non obligavit; nec ſola taciturnitas obligatio-
nem inducit, *l. Qui vas, §. Vetare, ff. de furt.*
Demum nonnulli ex modernis Theologis putant indi-
ſtinctè hunc non ligari voto continentiæ, niſi factus adul-
tus ordinationem ſuam ratificaverit, ut Thom. Sanch. &
alii per eum citati *in tract. de matrim. tom. 2. lib. 7. de impe-
dim. quæſt. 30. num. 8.*
Quid dicendum? In tanta opinionum diſſonantia ut
clara ſeparentur à dubiis, & appareat in quo Doctores di-
ſcrepent, aut conveniant, & quid verius videatur, infra-
ſcriptos caſus arbitror eſſe diſtinguendos.
40 Primus caſus eſt, cùm ordinatus ante annum decimum-
quartum poſt finem decimiquarti anni ordinationem ſuam
expreſsè approbat, & ratam habet: & extra dubium eſt
hunc ad continentiam teneri, nec poſſe validè matrimo-
nium contrahere, argum. *l. 1. & fin. C. Si maior factus ra-
tum habeat, & cap. 1. in princip. de regular. lib. 6.* ibi, *ſeu
profeſſionem à ſe prius factam ratam expreſsè habeat:* quod
tenent Hugo *in dict. cap. Subdiaconus, 77. diſt.* & poſt eum
Archid. *in cap. Pueri, num. 1. verſ. Vel ſi conſenſerit factus
adultus, 1. quæſt. 1.* Bellam. *in dict. cap. Vel non eſt compos,
num. 4. verſ. Primo ſi talis,* Hoſtien. & Joan. Andr. *hic*,
quos refert, & ſequitur Henric. Boich. *col. 4. verſ. Ego vero
Henricus*. Et hic primus caſus eſt indubitabilis jure com-
muni inſpecto.
41 Sed non levis eſt difficultas an hodie hoc corrigatur jure
noviſſimo Concilii Tridentini, Thomas Sanchez *in tract.
de matrim. tom. 2. lib. 7. de impedimentis, diſput. 30. num. 8.
in fine*, putat ad validitatem ratificationis hodie requiri ut
fiat poſt annum decimumſextum completum, quia ante
illud tempus ſicut non poteſt quis ſe voto ſolemni profeſ-
ſionis adſtringere, ut in decreto *cap. 15. ſeſſ. 25. de regular.*
ita nec ad continentiam ſe obligare per ratificationem ſa-
cri Ordinis. Et infra num 10. affirmat tempus contradi-
cendi hodie durare uſque ad decimumſextum annum, qui
ſucceſſit pubertati olim requiſitæ ad validitatem profeſ-
ſionis.
42 Contrarium credo, quia decretum *dict. cap. 15.* nihil di-
ſpoſuit de voto, ut declaravit Sacr. Congregatio ejuſdem
Concilii interpres. Et multum intereſt inter profeſſionem 43
regularem, & votum caſtitatis, licèt ſolemne: nam per
hujuſmodi votum ordinatus obligatur ad ſolam continen-
tiam, *cap. 1. cap. Diaconi, & cap. De iis, 28. diſtinct. cap. 1.
31. diſtin.* At per profeſſionem regularem præter caſtita-
tem obligatur etiam ad obedientiam, & paupertatem, ut
in *cap. Cum ad Monaſterium, ſupra de ſtatu Monach.* unde
tempus quatuordecim annorum, quod Concilium proro-
gavit ad validitatem profeſſionis uſque ad annum deci-
mumſextum completum, non cenſetur protogaſſe ad va-
liditatem voti ſolius caſtitatis, quod non tantam requirit
deliberationem, quantam requirit ſolemnis profeſſio, qua
quis jugo religionis perpetuo mancipatur. In regulæ enim 44
obſervatione gravitas eſt, & labor, ut inquit gloſſ. in
cap. Ad noſtram, in verb. Ante conſummationem, de regul.
Præterea quamvis doli capax poſſit ſe obligare aliis votis, 45
ut notat Innocen. *in cap. Scriptura, ſupra de voto*; tamen
ſecus eſt in voto continentiæ, quia cùm ante pubertatem
non habeat potentiam coeundi, nec poſſit matrimonium
contrahere, quantumcumque ſit doli capax non poteſt re-
nunciare ei, quod ignorat, ut firmat *hic* Abb. *n. 3.* & poſt
eum Mar. Socin. *num. 10.*
Hæc autem ratio impotentiæ coeundi non conſideratur
in profeſſione: neque enim Concilium dum præfixit an-
num decimumſextum completum ad profeſſionem emit-
tendam, habuit rationem pubertatis, alioquin non deci-
mumſextum præfixiſſet, ſed decimumquartum, in quo
plerumque contingit pubertas in maſculo, & duodeci-
mum in fœmina, *cap. Puberes, cap. Continebatur, & cap.
Atteſtationes, ſupra de deſponſ. impub. inſtitut. de nupt. in
princ.* Ergo cùm Concilium quoad votum continentiæ ni-
hil diſpoſuerit, conſequens eſt, ut major annis quatuorde-
cim, licèt minor ſexdecim, poſſit hodie ſe ad continen-
tiam obligare, ſicut prius poterat, ut in *cap. 1. 20. quæſt. 1.*
& notat Innocen. *in d. cap. Vel non eſt compos, num. 1. in
verb. Ad ætatem, ſupra de tempor. ordinat.*
Præterquamquod faciliùs introducitur votum conti- 46
nentiæ Ordini ſacro annexum in eo, qui jam ordinatus eſt,
& characterem habet quàm in ingreſſo in monaſterium,
qui Monachus non eſt, ſecundum Innocen. proximè cita-
tum in *d. cap. Vel non eſt compos, num. 1. verſ. Nec tamen
videtur:* unde qui poſt annum decimumquartum expreſ-
sè ratificat ordinem antea ſuſceptum, hodie ſicut prius te-
netur continentiam ſervare, etiamſi annum decimumſex-
tum non expleverit, quia hic caſus eſt omiſſus à Concilio;
& ideò remanet in diſpoſitione juris communis, *l. Commo-
diſſimè, ff. de liber. & poſthum.* Quod enim non mutatur,
&c. *l. Sancimus, C. de teſtam. & l. Præcipimus, in fin. C. de
appell. cum ſimil.*
Sed etſi eadem ratio vigeret in utroque caſu, tamen cùm 47
decretum Concilii corrigat jus commune in caſu profeſſio-
nis, ad cujus validitatem ſatis erat decimumquartum an-
num expleviſſe *d. cap. Ad noſtram, cap. Significatum, &
cap. Cum ſimus, eod. tit. cum ſuis concordant.* extendi non
debet ad votum continentiæ ſacro ordini annexum: nam
lex exorbitans à jure communi extenſionem non admittit,
etiam ex identitate rationis, *cap. Quæ à iure*, & ibi gloſſ.
de regul. iur. lib. 6. gloſſ. notab. *in cap. Conſtitutionem, in
verb. Prorogamus, de regul. eod. lib.* notat Bart. in Extra-
vag. *Qui ſint rebelles, §. Tranſit, num. 3.* Feder. de Sen. *con-
ſil. 88.* cui ſe ſubſcripſit Jo. Andr.
Secundus caſus eſt cùm ordinatus ante annos diſcretio- 48
nis poſt annum decimumquartum ratificat non quidem
expreſsè, ſed tacitè. Et idem dicendum quod in primo
caſu ſecundum Hugonem in *d. cap. Subdiaconus, 77. di-
ſtinct.* ubi ait talem teneri continenter vivere, ſi velit in
ordine remanere, & miniſtrare, & uti privilegio Clerica-
li: & ſequitur Archid. *in d. cap. Pueri, num. 1. verſ. Sed
tu dic cum Hugone, 1. quæſt. 1.* & Bellam. *in d. cap. Vel non
eſt compos, num. 4. verſ. Et idem ſi tacitè:* & hic tenent
Henric. Boich. *col. 4. verſ. Aut non conſenſit*, Butr. *num. 4.*
Abb. *num. 3.* & Mar. Socin. *num. 9. verſ. Sed redeundo ad
primum*, facit quod legitur & notatur in *cap. Cum olim, &* 49
cap. Cum decorem, de Cler. coniug. & hic caſus ſimiliter eſt
clarus. Et probatur apertè tum exemplo profeſſionis in
cap. Significatum, juncta gloſſ. *in verb. Conſenſus, ſupra
de Regul. & in cap. 1. eod. tit. lib. 6.* tum exemplo ſponſa-
lium, ut in *cap. unic. in princip.* ibi, *vel alias verbo, vel fa-
cto, & §. fin.* ibi, *Ratificaverunt tacitè, vel expreſsè, de*
de-

Digitized by Google

deſponſat. impub. lib.6. tum exemplo matrimonii, ut in *cap. Inſuper, qui matrim. accuſ. poſſ. & in cap. De illis, il ſecondo*, juncta gloſ. *ult. de deſponſ. impub.* & notat Calder. poſt Jo. Andr. *conſ. 462. Quidam Presbyter, ad finem, alias conſ. unic. Qui Cler. vel voven.*

50 Tertius caſus eſt cùm tempore ordinationis ſuæ non erat doli capax, ſed poſt uſum rationis ſtatim contradixit, & in contradictione jugiter perſeveravit tam ante, quàm poſt finem decimiquarti anni. Et quidquid dixerit Palud. S. Antonin. & Steph. de Gaeta ſupracit. *num* 28. manifeſtum videtur hunc ad continentiam non teneri; quia cùm ordinationi ſuæ ab initio non conſenſerit uſu rationis deficiente, & poſtea ſemper contradixerit; induci non potuit obligatio voti, de cujus ratione intrinſeca eſt liber conſenſus voventis, *cap. Illud*, 20. *quæſt.* 1. *cap. Præſens, quæſt.*3. *cap.*1. 27. *quæſt.*1. *cap. Cum virum, ſupra de regul. & cap.* 1. *Quod met. cau.* & docet S. Thom. *in* 2.2. *quæſt.*88.
51 *art.*9. Nec quidquam operatur hoc caſu impreſſio characteris: quia votum eſt Ordini ſacro annexum ex Conſtitutione Eccleſiæ, *cap. Cum olim, cum ibi notatis ſupra de Cler. conjug.* Eccleſia autem non poteſt quemquam invitum obligare ad votum continentiæ, *cap. Integritas*, 32. *quæſt.* 1. *cap. De his*, ibi: *Quibus autem voluntas propria interrogationis tempore deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab Apoſtolo licentiam auferre non poſſumus*, 28. *diſt.* & ibi Turrecr. *num.* 7. Silveſt. *in ver. Matrimonium*, 8. *quæſt.*12. *ad fin.* & in hoc conſentiunt gloſſ. Innoc. Hoſtien. & omnes ſupracit. *num.*29. 30. *&* 31.

52 Quartus caſus eſt cùm ordinatus ante uſum rationis poſtea factus doli capax tacuit uſque ad finem decimiquarti anni, ſed poſtea ſtatim contradixit: & idem dicendum eſt quod in caſu præcedenti, ut ſcilicet continere non teneatur; quod evidenter patebit, ſi diſtinctè tria tempora conſiderentur. Primum tempus eſt quando fuit ordinatus; & tunc explorati juris eſt eum non fuiſſe adſtrictum voto continentiæ; nam nec peccavit ſuſcipiendo, nec potuit contradicere, cùm uſum rationis non haberet, *cap.*1. *ſupra de delict. puerorum*. Secundum tempus eſt poſt ſeptennium, quo ſic ordinatus cœpit uſum rationis habere uſque ad finem decimiquarti anni, & hoc tempore illi non obſtat taciturnitas, quia etiamſi expreſsè voviſſet, tamen non potuiſſet ſe adſtringere ad votum caſtitatis, *cap.* 1. *& cap. Illud*, 20. *quæſt.*1. ſecundum Innoc. & alios ſupracitatos *num.*32. *&* 45. & in hac ſpecie notat Calder. *d. conſ.*462. *ad finem*, alias *conſ. un. Qui Cler. vel voven.* Tertium tempus eſt poſt finem decimiquarti anni, & tunc cùm ſtatim, ideſt infra triduum, contradixerit; utique ſe ad continentiam non obligavit; & ſic nullum tempus datur, in quo ligatus remanſerit: & in hoc conveniunt gloſſa Joannis in *d. cap. Pueri*, & gloſ. *ultima hic*, dum firmant ita demum talem teneri continenter vivere, ſi ſit doli capax: idem apertius tenet Hugo *in cap. Subdiaconus*, 77. *diſtin.* & poſt eum Hoſtien. *in dict. cap. Vel non eſt compos*, *num.* 6. aſſerentes non præjudicari puero in cunis ordinato, ſi adveniente ætate adulta ſtatim contradicat; & eſt argumentum expreſſum in *cap. Maiores*, §. *pen. & fin. ſupra de Bapt. in cap. Cum ſimus, & cap. Significatum, de regul.* idem tenet Archidiac. *in d. cap. Pueri*, *num.*1. Henr c. & alii hic: & huic ſententiæ à fortiori adſcribendi ſunt Innocen. Hoſtien. & alii ſupracitati *num.*31. qui tenent ordinatum non obligari ad continentiam, ſi ſtatim poſt ſuſceptum Ordinem, vel poſt finem decimiquarti anni ſtatim contradixe-
53 rit, ut in caſu proximè ſequenti. Et idem dicendum in caſu converſo, ideſt in eo, qui factus doli capax ſtatim contradixit; & in contradictione perſeveravit uſque ad finem decimiquarti anni, ſed poſtea tacuit, ſuamque ordinationem nec expreſsè approbavit, aut reprobavit: hic enim præſumitur in priori contradictione perſeverare, & ideo ad continentiam non tenetur, ut clarè patebit infra in *6. caſu*.

54 Quintus caſus eſt cùm ordinatus ſimiliter ante uſum rationis, poſtea factus doli capax, nec ante, nec poſt finem decimiquarti anni infra triduum expreſsè, aut tacitè contradixit, aut conſenſit ordinationi ſuæ, ſed ſemper tacuit, & habuit ſe merè negativè: hic caſus eſt valdè dubius. Hugo & Hoſtien. ſupracitati *num.* 52. dicunt puerum in cunis ordinatum, & ſic ante uſum rationis characterem recipere, ſed ei non præjudicari quoad continentiam, ſi adveniente ætate adulta contradicat. Atque ita à contrario ſupponunt ei præjudicari ſi taceat, & non contradicat. Quibus ſuffragantur jura, quæ probant taciturnitatem haberi pro conſenſu, ut *cap. Diaconus*, & ibi gloſs. *in verb. Tacuerit*, 27. *diſt. cap. Plerumque*, 2. *q.* 7. ubi gloſ. *in verb. Et tacent*, dicit taciturnitatem ſemper obeſſe niſi in tribus caſibus ibi expreſſis, *cap. Si ſervus*, 54. *diſtinct. cap. Si forte*, 65. *diſtinct. cap. Puella*, 20. *quæſt.* 2. *l.*3 *ff. ſolut. matrim. & l.*1. *C. de nupt. cum concord.* de quibus ibi in gloſs. 1. Et pro hac parte ſunt Authores ſupracitati *num.* 28. qui tenent indiſtinctè ordinatum ante uſum rationis ob impreſſum characterem teneri continenter vivere.

Sed nihilominus verius videtur hunc ad continentiam 55
non teneri: nam ſi inſpiciamus tempus ordinationis; votum induci non potuit; quia deerat rationis uſus, qui eſt de intrinſeca ratione voti, ut oſtenſum eſt ſupra in tertio caſu, nec potuit induci inſpecto tempore poſt ſeptennium uſque ad finem decimiquarti anni, quia ob defectum ætatis etiamſi voluiſſet, tamen non potuiſſet ſe voto continentiæ adſtringere, ut ſimiliter probatum eſt ſupra *in* 4. *caſu*.
Demum inſpecto tempore poſt finem quatuordecim anno- 56
rum idem votum non cenſetur inductum, quoniam ex ſola taciturnitate in materia tam gravi, & præjudiciali non inducitur obligatio, *l. Qui Vas*, §. *Vetare*, *ff. de furt.* ſecundum Bellam. ſupracit. *num.* 39. ubi enim agitur de obligatione perſonali inducenda, taciturnitas non habetur pro conſenſu, *l. Non ſolum*, *in princ. & l. Filiusfamilias*, §. *Invitus*, *ff. de procurator.* & notat Socin. *reg.* 4. incip. *In obligatione perſonarum inducenda*, *& reg.* 3. *præced. Taciturnitas ad aliquem obligandum*.

Nec obſtant jura contraria; quoniam procedunt quan- 57
do cum taciturnitate concurrit actus poſitivus, ut declarat Socin. *in prealleg. reg.* 3. *in* 5. *fallen.* Et in his terminis 58
loquitur textus in *d. cap. Diaconus*, 27. *diſtinct.* Nam ibi Diaconus ille, qui ante ordinationem proteſtatus fuerat ſe velle matrimonium contrahere, nec poſſe in caſtitate permanere; poſtea Ordinem Diaconatus ſuſcepit. Et 59
quamvis in ordinatione tacuerit; tamen matrimonium poſtea contrahere non potuit, quia facto ipſo a proteſtatione receſſit. Atque ita præter taciturnitatem, ibi interceſſit actus poſitivus Ordinis ſacri, cui votum continentiæ eſt annexum, *cap. A multis*, *ſupra de ætat. & qualit.* Qui autem recipit alterum connexorum cenſetur ad alterum ſe obligaſſe, ut notat gloſſ. in Clem. *Ut ii*, *in verb. Removeantur*, *eodem tit.* & Abb. *in cap. Cum in cunctis*,
§. *Inferiora*, *n.* 10. *de elect.* Et in his terminis etiam procedit 60
textus in *dict. cap. Si forte*, 65. *diſtinct.* Nam ibi quoque interceſſit actus poſitivus receptionis litterarum, quibus populus compellabat Epiſcopum, ut Comprovinciales
Epiſcopos ordinaret. Unde non mirum ſi Epiſcopo tacen- 61
te, & diſſimulante, jus ordinandi ad Epiſcopos vicinæ provinciæ fuit devolutum: nam litteras recipiens, & legens cenſetur eo ipſo illas approbare, ut notat Bald. in *l. Si Procuratorem abſentem*, *in princ. ff. de Procur. & in l. Si filiusfamilias*, *la ſeconda*: ubi etiam Angel. *in fin. ff. ad*
Macedon. Ideòque ſi quis recipiat, & legat Epiſtolam, in 62
qua contineatur eum debere centum, & non contradicat, cenſetur debitum confiteri. Et hanc eſſe mirabilem cautelam extorquendi confeſſionem à debitore, affirmat Matheſil. *ſingul.* 22. incip. *Nota mirabilem modum*, Marſil. *ſingul.*344. & Abb. *conſ.*18. *num.* 5. *lib.* 2. Et quamvis non deſint oppoſitum ſentientes; tamen hæc eſt communis opinio, ut quamplurimis cumulatis teſtatur Menoch. *de arbitrar. iudic. caſu* 21. incip. *Cantelam ſalis egregiam*, & Covar. *in cap. Ioannes*, *num.*4. *de teſtam.* Et eam ſequuntur Canoniſtæ in Clem. 1. ubi Anchar. *num.* 4. *de Procur.*
At verò ſi actus poſitivus non intercedat, taciturnitas 63
quamvis in favorabilibus habeatur pro conſenſu, ut in regula Sexti, *Qui tacet*: tamen ſecus eſt in præjudicialibus; ut Bald. notat *conſ.*299. *Dicunt Petrus, & Cynus*, *num.* 5. *verſ. Item contractus*, *lib.*1. Et eſt ratio ſecundum eum, quia ſicut ubi agitur de lucro facilè quis conſentit; ita ubi agitur de damno quis diſſentit. Quamobrem cùm in caſu præſenti poſt uſum rationis, & poſt ætatem habilem ad vovendum idoneam, nullus actus poſitivus Ordinati interceſſerit; ſola taciturnitas haberi non poteſt pro conſenſu. Neque hic inducta fuit ulla obligatio ad continentiam.

Item non obſtant jura, quæ inducunt tacitam profeſſio- 64
nem

Digitized by Google

nem ætatem legitimam; quoniam vel loquuntur in eo, qui poſt decimumquartum annum immiſcuit ſe actibus profeſſorum, ut in *cap. Vidua, de Regular.* vel in eo, qui habitum ſuſcepit, qui ſolis profitentibus dari conſuevit, ut in Clem. 2. *eod. tit.* vel in eo, qui poſt ætatem legitimam per annum cum delatione habitus indiſtincti in Religione perſeveravit, ut in *cap. 1. de Regul. lib. 6.* Atque ita in prædictis caſibus ſemper interceſſit actus poſitivus ejus, qui verbo, vel facto ingreſſum, vel profeſſionem ſuam ratificavit. Nos verò loquimur in illo, qui nec facto, nec
65 verbo ordinationem ſuam ratam habuit. Præterea jura prædicta loquuntur in caſu, in quo quis ante annos diſcretionis ſponte ingreſſus eſt monaſterium; Nos verò in ca-
66 ſu, in quo quis nec tempore ſuſceptionis Ordinis, nec unquam poſtea conſenſit ordinationi ſuæ. Ubi autem ab initio eſt nullitas ex defectu conſenſus, per remotionem impedimenti non inducitur ratihabitio, ut probat text. *in cap. un. in princ. & §. fin. ſupra de deſponſ. impub.* ubi ſponſalia contracta ante uſum rationis, quæ nulla ſunt ex defectu conſenſus, per ſupervenientiam ætatis non conva-
67 leſcunt, niſi verbo, vel facto ratificentur. Ad idem textus in *cap. Inſuper qui matrim. accuſ. poſſ.* ubi matrimonium metu contractum in ætate innubili, ſublato impedimento, ex carnali copula validatur, non autem ex ſola taciturnitate: & notat Feder. de Sen. *conſ. 194. In dubiis matrimonialibus in princ.*

68 Demum non obſtat, quod faciat Ordo, quod votum facere non poſſet, ut dicunt gloſſ. præall. *num. 29. & 30.* Etenim cùm Ordo ſacer ex ſola Conſtitutione Eccleſiæ habeat votum continentiæ annexum, *cap. Cum olim,* & ibi gloſ. *in ver. Voto continentia, ſupra de Cler. coniug. cap. A multis, de ætat. & qualit.* Eccleſia verò non poſſit quemquam non conſentientem ad continentiam obligare, ut probatum eſt ſupra *num. 51.* hinc neceſſariò ſequitur ut ſola Ordinis collatio, ſi deſit conſenſus, voti obligationem in-
69 ducere non poſſint. Rurſus ut inquit Marian. Socin. *hic num. 12.* quod dicitur Ordo habet votum continentiæ annexum, verum eſt, niſi impediat defectus ætatis, ut hoc caſu, in quo Ordo fuit collatus non habenti uſum rationis.

Et hanc ſententiam, ſi diligenter expendatur, tenet Archid. poſt Hugonem in *cap. Pueri, num. 1. quæſt. 1.* ait: [Sed tu dic cum Hugone quod talis tenetur continenter vivere ſi velit in Ordine remanere, & miniſtrare, & uti privilegio Clericali, vel ſi conſenſerit factus adultus; alioquin non credo ei factum eſſe præjudicium in aliquo ſentiunt:] ergo Hugo & Archid. in duobus tantùm caſibus ſic ordinatum adſtringi voto continentiæ, id eſt ſi tacitè ratam habuit ordinationem ſuam per miniſterium Ordinis, & uſum privilegii Clericalis; aut cùm factus adultus expreſſè conſenſit; alioquin extra hos duos caſus tenent non eſſe illi factum præjudicium. Et conſequenter ſecundum eos ex ſola taciturnitate non oritur obligatio. Et conſentiunt Bellam. Butr. & alii ſupracit. *num. 48.* Hoc ipſum ſentit gloſſ. Joann. *in dict. cap. Pueri, in ver. Ad ſacros, 1. quæſt. 1.* & gloſſ. *fin. hic,* dum dicunt hunc teneri continere ſi ſit doli capax; quia ſtatim ante ordinationem debuit contradicere: Sentiunt enim a contrario non teneri ſi doli capax non ſit, quia contradicere non potuit. Idque expreſſius hic tenet Henric. Boich. *col. 4. verſ. Sed tu diſtingue:* nec diſſentit Innoc. *in d. cap. Vel non eſt compos, num. 1. de tempor. ordin.* quia loquitur in eo, qui poſt ſuſceptum Ordinem ſtatim contradixit, & ſic in eo, qui tempore ordinationis erat doli capax.

70 Sextus caſus eſt in eo, qui erat quidem doli capax tempore ordinationis: ſed tamen poſt ſuſceptum Ordinem ſtatim contradixit, & in contradictione uſque ad finem decimiquarti anni perſeveravit. Poſt finem verò decimiquarti anni tacuit, ſuſceptum Ordinem nec expreſsè, nec tacitè approbando, vel reprobando. Et hunc puto non teneri continentiam ſervare, ſed poſſe ad nuptias tranſire, quia etſi nullatenus debuerit ab initio ordinationi ſuæ conſentire, ut ait gloſ. *fin. hic:* tamen ex ſuſceptione Ordinis Sacri non remanſit obligatus: nam etſi expreſsè voluiſſet: tamen non potuiſſet ſe voto continentiæ adſtringere, ut ſæpius repetitum eſt: & virginitas ſuaderi poteſt, non imperari, cùm res ſit magis voti, quàm præcepti, *cap. Integritas, 32. quæſt. 1.* Et in hoc caſu propriè loquitur Innocen. *in d. cap. Vel non eſt compos,* cujus opinio communiter tenetur, ut patet ex dictis ſupra *num. 31.* Neque verò 71
ſic ordinato obfuit taciturnitas poſt finem decimiquarti anni, quia cùm prius expreſsè contradixerit, cenſetur in contradictione illa, & priori diſſenſu perdurasse. Ad quod 72
allego textum expreſſum in *cap. Majores, §. fin. ſupra de Baptiſ.* ibi, *Dormientes autem, & amentes, ſi priuſquam amentes fuerint, aut dormirent in contradictione perſiſterent, in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare.* Ad idem eſt gloſ. ſingularis in *cap. 1. in ver. Non timore, ſup. Quod met. cau.* quæ in terminis voti ſolemnis Religionis ſic ait: *quia conſtabat de proteſtatione voluntatis ab initio facta, adhuc præſumitur nolle, cap. Lotharius, 31. quæſt. 2. l. Si quis, in princip. ff. de leg. 3.* & qui voluntatem immutatam allegat, hoc probare debet, *l. Sancimus, C. de teſtam.* cum aliis allegatis in gloſſa: qua de re latè Menoch. *præſumpt. 37. num. 28.*

Septimus caſus præcedenti oppoſitus eſt in eo, qui ſimi- 73
liter tempore ordinationis erat doli capax, & poſt ſuſceptum Ordinem tacuit uſque ad finem decimiquarti anni; ſed poſtea infra triduum reclamavit. Et idem puto, quod in præcedenti caſu, ut ſcilicet continere non teneatur. Nam nec Ordinis ſuſceptio, nec taciturnitas illi obfuit ante decimumquartum annum expletum, ut conſtat ex dictis ſupra *num. 31. 45. & 51.* Quando autem potuiſſet ſe voto adſtringere, id eſt poſt finem decimiquarti anni, ſtatim reſilivit; & ſic numquam remanſit obligatus. Et hujus ſententiæ eſt apertè Innocentius communiter receptus loco citato: ait enim talem non teneri continere, ſi ſtatim contradixit, & in contradictione uſque ad finem decimiquarti anni perſeveravit, aut ſi contradixit poſt finem decimiquarti anni. Et ſic Innocentius cùm loquatur alternativè, clarè ſentit ſatis eſſe ut poſt finem decimiquarti anni contradicat, licèt prius tacuerit, & non contradixerit.

Octavus, & ultimus caſus eſt in eo, qui tempore ordi- 74
nationis itidem erat doli capax, & poſt ſuſceptum Ordinem tam uſque ad finem decimiquarti anni, quam poſtea infra triduum tacuit, ſuamque ordinationem nec verbo, nec facto ipſo ratificavit, aut reprobavit. Et hoc caſu quidquid contra ſcripſerit Bellam. *in dict. cap. Vel non eſt compos, num. 4. verſ. Et quidquid ſit, de tempor. ordin.* & ex recentioribus Sanch. *de matrim. lib. 7. de impedimentis diſput. 30. num. 8.* Exiſtimo hunc adſtringi voto continentiæ, nec poſſe validè matrimonium contrahere. Moveor quia cùm ab initio conſenſerit Ordinis ſuſceptioni, quamvis tunc temporis non potuerit ſe voto obligare ob defectum ætatis: tamen ſublato hoc impedimento per ſupervenientiam ætatis legitimæ cenſetur perdurare in primo conſenſu, qui non præſumitur mutatus, niſi probetur. Et ita obligatio non inducitur ex ipſa taciturnitate, ut putavit Bellamera, ſed inducitur ex perſeverantia conſenſus, qui ſublato impedimento, utique potuit obligationem inducere. Ad 75
quod adduco notabilem doctrinam Innocentii *in cap. Conſuluit, ſupra de converſ. coniug.* ubi tenet votum, quod vir uxore ſua vivente, & contradicente ingrediendo monaſterium emiſit, & non valuit, poſteà fuiſſe ſolemnizatum ex perſeverantia in monaſterio poſt mortem uxoris. Et reddit rationem, quia ſeparando ſe ab uxore ſive invita, ſive voluntaria, ſemper præſumitur velle mutare ſæculum. Et ex quo tale propoſitum habet, per habitus ſuſceptionem eſſe ſolemnizatum votum, niſi uxor impediret, ut in *cap. Conſulti de Regul.* Ergo ſublato impedimento uxoris, ſtatim primo momento poſt mortem ejus votum ſolemnizatur. Ita Innocent. qui idem tenet in *cap. Quidam de converſ. conjugat.* quem ibi ſequitur Joan. de Anan. *in fin.* & Abb. *in d. cap. Conſuluit, num. 3.* Eodem igitur modo qui ante pubertatem ſuſcepit Ordinem ſacrum, uſque ab initio propoſitum habuit ſe obligandi ad votum continentiæ annexum Ordini; & niſi defectus ætatis fuiſſet impedimento, ex eo tempore votum fuiſſet ſolemnizatum, ut *in cap. unico, de voto lib. 6.* Ergo remoto obſtaculo ætatis per lapſum 76
anni decimiquarti, illicò votum remanſit ſolemnizatum. Idem ſuadetur exemplo ejus, qui ante pubertatem profeſſionem emiſit. Nam quamvis poſſit reſilire ante finem decimiquarti anni, *cap. Cum ſimus, de Regular.* Tamen poſtea non poteſt, quia ex quo ætas jam adulta eſſe cœpit, firmatur votum virginitatis, *cap. 1. 20. quæſt. 1.* & notat gloſ. *in cap. Significatum, in ver. Ratam habuerit, de Regular.* quæ dicit profeſſionem ante decimumquartum annum emiſſam validari, ſi poſt illud tempus remaneat, argum.

cap.

Digitized by Google

cap. Litteras, *& cap. Acceſſit, de deſponſ. impub.* & eſſe ibi argumentum, quod ea, quæ ab initio nón valent, tractu temporis convaleſcunt. ut in *cap. De illis, il ſecondo, eod. tit.* Idem notat gloſ. *in cap. 2. in verb. Permaneat, de Regul.* dicens puerum ante finem decimiquarti anni poſſe reſilire, poſtea verò exire non poſſe: allegat *cap. Illud*, 20. *quæſt.* 1. Licèt per jura Sexti ad hoc requiratur perſeverantia annalis poſt annum decimumquartum cum delatione habitus indiſtincti, ut in *cap. 1. de Regular. lib.6.*

Et confirmatur, quia difficilius introducitur votum ſolemne Religionis in eo, qui non eſt profeſſus, & de non Monacho efficitur Monachus, quàm votum ſolemne continentiæ Ordini ſacro annexum in eo qui jam ordinatus eſt, & characterem habet, ſecundum Innoc. Hoſtien. &
77 alios præallegatos, *n.* 34. *verſ. Quod adeo verum eſt*. Item ſecundum Calder. in præalleg. *conſ. unico, circa finem, Qui Cleric. vel voven.* profeſſioni ineſt votum continentiæ de ſui natura, & eſt de ipſius ſubſtantia, *cap. Cum ad Monaſterium, de ſtat. Monach.* Sed Ordini ſacro ineſt ex Conſtitutione Eccleſiæ, *cap. Nicæna*, 31. *diſtin. & cap. Cum olim, de Cler. conjugat.* & dictum eſt ſupra *num.* 68 Quamobrem ſi in prædictis duobus caſibus remoto impedimento ſolemnizatur votum Religionis ex perſeverantia in primo conſenſu; multò magis ex eadem perſeverantia remoto obice ſolemnizatur votum caſtitatis Ordini ſacro anne-
78 xum. Præterea generale eſt, ut ratificatio inducatur propter præcedentis actus continuationem, ut notat Marian. Socin. *in reg. 3. Taciturnitas ad aliquem obligandum, in 4. fallen.* Poſtremò pro hac ſententia eſt clarè Innoc. & alii ſupracitati, *num.* 31. Non enim dicunt ſic ordinatum non teneri continere, niſi poſt pubertatem ratificet, ut malè eos inducit Sanchez *lib. 7. de impedim. d. diſput.* 30. *num.* 9. Sed dicunt teneri continere ſi contradicat ſtatim poſt ſuſceptum Ordinem, & in contradictione perſeveret uſque ad finem decimiquarti anni. Aut ſi ſtatim poſt finem decimiquarti anni contradicat. Et ſic apertè ſentiunt à contrario ordinatum teneri ſi taceat, & non contradicat. Et ita ad hoc non requirunt ratificationem; imò nec requirunt ut ordinatus poſt ætatem adultam interrogetur an velit in Ordine remanere, necne, ut dictum eſt ſupra *num.* 34.
79 Præterquamquod etſi requirerent ratificationem, illa tamen inducitur eo ipſo quod ordinatus poſt ætatem legitimam infra triduum non reclamavit, quia cenſetur ratificare, ut ex dictis patet, & idemmet Sanchez fatetur ſub *num.* 10. *in fine*, *& num. ſeq.* ubi itidem admittit non requiri interrogationem. Eidem ſententiæ adnumeranda eſt gloſ. *fin. hic*, & DD. qui ſimpliciter aſſerunt ſic ordinatum teneri continenter vivere, & impediri matrimonium contrahere, ſi tempore ordinationis erat doli capax, aliàs ſecus; quæ diſtinctio communiter tenetur teſte Imola *in cap. Ioannes, num.* 22. *ſupra de Cler. conjug.*

Porrò huic concluſioni valdè affine eſt, quod de furioſo 80
cenſuit Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Quæſitum eſt enim, An furioſus habens dilucida intervalla ad Subdiaconatus Ordinem promotus continere teneatur; & dato quod teneatur, an ſit ei concedenda diſpenſatio ut poſſit contrahere matrimonium. Die 23. Decembris 1587. Sacra Congregatio cenſuit teneri, ſi tempore dilucidi intervalli fuit promotus; vel ſi id etiam
dubium eſt. An verò teneatur ſi dum mentis erat com- 81
pos intentionem habebat ſuſcipiendi Subdiaconatum, ſubſtitit major pars Congregationis: tametſi propterea quod non videtur veriſimile furioſum quo tempore furore percitus erat, Ordinem ſuſcepiſſe, reſpondit illum ad continen-
tiam teneri. Ita reſponſio hoc modo eſt concepta. Aut tem- 82
pore ſuſceptionis non agitabatur furore, durantibus nempè dilucidis intervallis: & teneri. Aut agitabatur: & non teneri, niſi ante furorem habuiſſet intentionem ſuſcipien-
di. Aut non conſtat ſanæ, an inſanæ mentis tunc eſſet, & 83
item teneri. Pondera deciſionem in ea parte, in qua dicit ordinatum in furore ad continentiam teneri, ſi ante furorem habuit intentionem ſuſcipiendi Subdiaconatum: nam ſicut ordinatus in furore, durante adhuc furoris impedimento ad continentiam non tenebatur, ſed impedimento ſublato illicò remanſit obligatus ex vi Ordinis, & conſenſus præexiſtentis: eodem modo ordinatus in eadem ætate inhabili, durante ætatis impedimento ad continentiam non tenebatur, ſed ſtatim ligatus remanſit eo ſublato ex vi præcedentis conſenſus, & Ordinis jam ſuſcepti, argum. *cap. Inter corporalia, ſupra de transl. Epiſc.*

Non obſtat textus, quem Bellam. allegat in *cap. un. de* 84
deſponſ. impub. lib. 6. quoniam ſponſalia idcircò ibi non cenſentur ratificata per remotionem impedimenti, quia fuerunt nulla ex defectu conſenſus. Quo caſu ratificatio non inducitur, quia non eſt dare perſeverantiam in priori conſenſu, quia nullus fuit, ut oſtenſum eſt ſupra *num.* 65. At ſecus eſt ubi actus ab initio non fuit nullus ex defectu conſenſus, ut hoc caſu; tunc enim ex continuatione actus ſublato obice benè inducitur ratificatio, ut per Marian. Socin *d. reg. 3. in quarta fallentia*, & conſtat ex dictis.

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM & Subditorum.

Cæleſtinus III. Fauſtino Epiſcopo.

CAPUT VIII.

SIcut unire Epiſcopatus, atque poteſtati ſubjicere alienæ, ad ſummum Pontificem pertinere dignoſcitur: ita Epiſcopi eſt Eccleſiarum ſuæ diœceſis unio & ſubjectio earumdem. Cùm itaque Prior Grandeñ. monaſterium ſuum, quod eſt in tua diœceſi, & de tuo debet ordinari conſenſu, monaſterio de Accato (tuo aſſenſu minimè requiſito) ſubjecerit ſive unierit: quod fecit te inconſulto, tibi liceat auctoritate noſtra (ſicut juſtum fuerit) infirmare: Non obſtante aſſenſu vel confirmatione, quam Metropolitanus interpoſuiſſe proponitur: cùm in diœceſi ſui ſuffraganei abſque ipſius aſſenſu non debeat aliquid contra conſtitutiones canonicas attentare. Nos quoque id decernimus irritandum.

S V M M A R I V M.

1 *ABbas monaſterium ſuum alteri monaſterio ſubiicere, vel unire non poteſt ſine auctoritate diœceſani etiam de Metropolitani conſenſu.*

2 *Inter poteſtatem Papæ, & poteſtatem Epiſcoporum quæ ſit proportio.*

3 *Papa poteſt Epiſcopatus unire etiam ſine cauſa, & ſine alicuius conſilio, vel conſenſu.*

4 *Papa non conſuevit, nec poteſt ardua expedire ſine conſilio Cardinalium de poteſtate ordinaria, ſecus de poteſtate abſoluta.*

5 *Vnio, & ſubiectio Epiſcopatuum eſt ſoli Papæ reſervata.*

6 *Concilium provinciale debet examinare quas Cathedrales invicem unire, vel novis proventibus augere expediat.*

7 *Caſus Papæ reſervati qui ſint, remiſſivè.*

8 *Archiepiſcopus licet ſit iudex ordinarius ſuorum Suffraganeorum, nullam tamen iuriſdictionem exercere poteſt in eorum diœceſibus niſi in caſibus in iure expreſſis.*

Me-

Digitized by Google

Metropolitanus Epiſcopo nolente, aut negligente non poteſt unire beneficia ſimplicia Præbendis Canonicalibus, ibidem.

9 *Epiſcopus auctoritate propria poteſt duo monaſteria ſuæ diœceſis non exempta invicem unire, aut unum alteri ſubiicere.*

10 *Beneficia unius diœceſis ex quacumque cauſa ab Epiſcopo uniri non poſſunt beneficiis alterius diœceſis.*

11 *Unio Eccleſiarum exemptarum cuius auctoritate ſit facienda.*

12 *Unire an poſſit Prælatus inferior Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas, & num. ſeqq. uſque ad num. 19.*

13 *Quid ſi Prælatus ſit exemptus.*

14 *Et quid ſi in certa parte diœceſis iuriſdictionem habeat Epiſcopalem, & num. 16. & ſeqq.*

15 *Et quid ſi facultatem uniendi acquiſierit præſcriptione, vel privilegio.*

16 *Unire eſt iuriſdictionis Epiſcopalis.*

Prælatus inferior habens in loco iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem poteſt explicare omnia, quæ ad Epiſcopalem iuriſdictionem pertinent, ibid.

17 *Prælatus inferior dicitur habere iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem ſi habeat Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas.*

18 *Abbates exempti, & iuriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem habentes non poſſunt unire beneficia ſimplicia præbendis Canonicalibus in vim* cap. 15. ſeſſ. 24. *Conc. Trid.*

19 *Unire an poſſit Epiſcopus beneficia propter ſuam negligentiam ad Sedem Apoſtolicam devoluta, & num. ſeqq.*

20 *Unio concernit proprietatem beneficii, collatio verò titulum.*

21 *Unio non eſt actus omnino voluntarius, ſed requirit cauſam utilitatis, vel neceſſitatis.*

22 *Unire an poſſit Epiſcopus beneficia Sedi Apoſtolicæ reſervata, vel affecta, & num. ſeqq. uſque ad num. 38.*

23 *Unio facta ab Epiſcopo de beneficio reſervato ſuſpenditur donec Papa contulerit, & proviſus Apoſtolicus beneficium dimiſerit.*

Declaratur num. 25. & 33.

24 *Unio non ſortitur effectum in præiudicium expectantis, ſed manet in ſuſpenſo uſque ad illius obitum vel reſignationem.*

25 *Quod procedit ſi gratia expectativa præcedat unionem; ſed ſi unio præcedat gratiam, vel reſervationem, collatio Apoſtolica eſt nulla non facta mentione unionis.*

26 *Et quid ſi collatio facta fuerit motu proprio.*

27 *Unionibus Papa non conſuevit derogare vacationibus per obitum, ſed ex cauſa reſignationis dumtaxat.*

28 *Clauſula ſuſpenſiva quarumcumque unionum in litteris reſignationis ſuſpendis etiam uniones factas Seminario.*

Unio de beneficio viventis valet, ſed ſuſpenditur ſi contingat illud reſignari, & reſignationem admitti per Sedem Apoſtolicam, ibidem.

29 *Unire non poteſt Epiſcopus beneficium reſervatum diſpoſitioni, ſeu ordinationi Apoſtolicæ.*

30 *Idem in reſervato collationi, vel proviſioni Papæ, ſi reſervatio ſit perpetua.*

31 *Unire poteſt Epiſcopus ex Concilio Tridentino beneficia curata, vel non curata cum curatis qualitercumque ſint reſervata, vel affecta.*

32 *Et quid in reſervatis diſpoſitioni, vel ordinationi Apoſtolicæ.*

33 *Unire poteſt Epiſcopus dignitati curatæ aliam dignitatem.*

34 *Non tamen unire poteſt Hoſpitalia etiamſi dentur in titulum, & in eo nulla exerceatur hoſpitalitas.*

35 *Unire poteſt Epiſcopus beneficia ſimplicia etiam reſervata, vel affecta præbendis Cathedralium, vel Collegiatarum Eccleſiarum.*

36 *Item Seminario Clericorum.*

37 *Et quid poſt decretum Clementis VIII.*

38 *Cardinalis Epiſcopus an unire poſſit Seminario ante vacationem ea beneficia, quæ ſi ipſo vivente vacarent, non obſtantibus reſervationibus ad ſuam collationem pertinerent, & num. ſeqq. uſque ad num. 47.*

39 *Unire poteſt Epiſcopus in vim Concilii Seminario Clericorum beneficia etiam tempore unionis reſervata, vel affecta, & num. 43.*

40 *Clementis VIII. decretum de beneficiis affectis Seminario non uniendis expenditur, & num. ſeq.*

41 *Indultum Cardinalium non ampliat poteſtatem ordinariam conferendi, ſed præſervat tollendo obſtacula, & num. 46.*

42 *Caſus eventitii attendi, & conſiderari non debent.*

43 *Verba*, vacare contigerit, *ſunt futuri temporis, & excludunt vacantia.*

45 *Ratione legis ceſſante, an ceſſet illius diſpoſitio.*

47 *Cardinalis Epiſcopus habens indultum an unire poſſit Seminario beneficia duplici reſervatione perſonali reſervata, vel affecta non obſtante Decreto Clementis VIII. & num. ſeqq. uſque ad num. 51.*

48 *Indultum Cardinalium non comprehendit beneficia reſervata duplici affectione perſonali, ſeu coæquali, & num. 50.*

Et quid ſi reſervationes ſint diſpares, ibidem, verſ. Sin autem.

49 *Littera D. N. Urbani VIII. declaratoria Decreti Clementis VIII. de beneficiis affectis Seminario non uniendis referuntur.*

51 *Unio beneficii litigioſi facta Seminario ad præſcriptum Concilii Tridentini an ſit valida, necne, & num. ſeq. uſque in fin.*

52 *Beneficium an ratione litis cenſeatur affectum.*

53 *Beneficium eſſe litigioſum minus eſt, quam eſſe reſervatum.*

54 *Lis ſuper beneficio eſt qualitas ſuſpenſiva, & velut inhibitio temporalis, qua manus Ordinarii ligantur, ut interim non conferat.*

55 *Collatio beneficii litigioſi pendet à futuro litis eventu.*

56 *Dictio*, etiamſi, *ampliat diſpoſitionem, & implicat caſum magis dubitabilem.*

57 *Reſervatio ob vacationem in Curia eſt clauſa in corpore iuris, & nulla maior, aut potentior invenitur.*

58 *Rotæ deciſio in cauſa Cordubenſi ſuper unione beneficii litigioſi refellitur.*

59 *In differentibus ſpecie in eo, quod plus eſt, non continetur id, quod minus eſt.*

60 *Litigium, & reſervatio in quibus differant.*

61 *Quæ differunt in quantitate temporis, non differunt in ſpecie.*

62 *Unio in quibus differat à collatione.*

63 *Concurſus requiritur in Parochialibus etiam litigioſis.*

64 *Unire an poſſit Epiſcopus Seminario beneficia litigioſa non obſtante Decreto Clementis VIII. prohibente fieri uniones de reſervatis, vel affectis.*

S*Icut unire.* Abbas monaſterium ſuum alteri monaſterio ſubiicere, vel unire non poteſt ſine auctoritate Diœceſani etiam de Metropolitani conſenſu. Hoc dicit. Dividitur in tres partes. In prima ponit quamdam ſimilitudinem. In ſecunda narrat factum, quod infirmari mandat ibi, *cum itaque.* In tertia ſolvit obſtaculum ibi, *non obſtante.* 1

Nota primò ex principio textus ſimilitudinem, & proportionem inter poteſtatem Papæ, & poteſtatem Epiſcoporum; nam quemadmodum ſpectat ad Papam unio, & ſubjectio Epiſcopatuum in Eccleſia univerſali, ita ad Epiſcopum pertinet unio; & ſubjectio inferiorum Eccleſiarum in ſua diœceſi, ut hic eſt caſus. Unde videtur deſumi poſſe argumentum, ut poſſit Epiſcopus in diœceſi ſua quicquid poteſt Romanus Pontifex in tota Eccleſia; quod non eſt verum ſecundum Vincentium, & Petrum de Anchar. *hic in primo not.* & ſcripſi latiſſimè *in cap. 1. num. 28. ſupra de offic. ordin.* ſimilitudo enim hic poſita, ut advertit Cardinalis *num. 3. in prima oppoſit.* in hoc conſiſtit: quod ſicut Papa ſolus poteſt Cathedrales Eccleſias unire privativè ad Epiſcopos, ita Epiſcopi ſoli unire poſſunt Eccleſias ſuæ diœceſis privativè ad inferiores Prælatos. Atque 2

ita

ita ſimilitudo inducitur non ad comparandum potentiam
Papæ potentiæ Epiſcoporum quoad magnitudinem, ſed
quoad excludendos inferiores; in reliquis autem ſimilitu-
3 do non eſt omnimoda: nam in unione Epiſcopi requiri-
tur cauſa, ut cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. & cap. 1. de
reb. Eccleſ. non alienand. ſed Papa etiam ſine cauſa poteſt,
ſecundum Cardinal. ubi ſupra, & Abb. in 2. notab. Præte-
rea Papa poteſt Epiſcopatus unire ſine alicujus conſilio, vel
conſenſu, cap. Cuncta per mundum, & cap. Per principa-
lem, 9. quæſt. 3. & argum. cap. fin. infra eodem. Epiſcopus
autem hoc non poteſt abſque conſenſu Capituli, ut eſt tex-
tus in cap. Paſtoralis, in fine, de donat. & hodie eſt expe-
ditum in Clemen. Si una, de reb. Eccleſ. non alienan. Ro-
ta deciſ. 133. num. 2. 9. & 10. part. 2. diverſ. ubi plenè videas
de hujuſmodi conſenſu, quam differentiam conſtituit hic
Vincentius; & poſt eum Hoſtien. & Joan. Andr. ambo
num. 1. in ver. ta Henric. Boich. in princip. Cardin. num. 3.
4 in prima oppoſit. Anchar. num. 1. & Abb. num. 2. Subdit ta-
men Vincentius nec Papam conſueviſſe hæc, & alia ardua
ſibi reſervata expedire ſine conſilio fratrum ſuorum, ideſt
Cardinalium, neque hoc facere poſſe de poteſtate ordina-
ria, cap. Novit, ſupra de his quæ fiun. à Prælat. licèt ſecus
ſit de poteſtate abſoluta, ut cap. Propoſuit, ſupra de con-
ceſſ. præbend. quod ſingulare dictum ſequuntur hic totidem
verbis Hoſtien. Joan. Andr. & alii proximè citati. Quibus
ſuffragantur Canones, & Doctores, qui aſſerunt decere
Papam, & honeſtum eſſe Cardinalium conſilia adhibere,
non autem illum omnino ad id compelli, cap. Fundamenta,
§. Decet, & ibi gloſs. in verb. Contigeret, de elect. lib. 6.
gloſs. 1. in cap. Ad Apoſtolicæ, de re iudic. eod. lib. Joan.
Monach. in cap. Super eo de hæret. in 6. qui tamen adjicit in
his arduis Collegium Cardinalium eſſe in poſſeſſione, ut
ipſorum conſilia exquirantur, Felin. Dec. & Bero in rubr.
ſupra de conſtit. Tu verò de his vide Cardinal. Paleot. in
tract. de Sacr. Conſiſtor. conſultation. part. 1. quæſt. 3. uberri-
mè diſſerentem. In primo articulo quo ſenſu accipiatur
plenitudo poteſtatis Papæ, & in quo differat ab ordinaria.
In ſecundo an Papa de poteſtate ordinaria teneatur in ar-
duis conſenſum, aut conſilium Cardinalium adhibere. In
tertio, & quarto quid ſi utatur plenitudine poteſtatis. In
quinto, & ſexto an jure divino, vel naturali, aut gentium
teneatur in arduis eorumdem conſilium exquirere. In ſe-
ptimo an ſi non requirat, actus ab eo geſtus reddatur nul-
lus. Et in octavo an ubi conſilium requirit, teneatur illud
ſequi.
5 Secundò nota duos caſus Papæ reſervatos, videlicet
unionem, & ſubjectionem Epiſcopatuum, ut hic per Joan.
Andr. in princip. qui ſupplet verbum tantum, Butr. Cardin.
& Anchar. omnes num. 2. Abb. & Marian. Socin. ambos
in 1. not. concordat Concilium Tridentinum in cap. 13.
6 ſeſſ. 24. ubi ſtatuitur, ut Concilium provinciale tantum-
modo examinet vocatis iis, quorum intereſt, & diligenter
expendat quas Cathedrales Eccleſias propter anguſtias, te-
nuitatemque invicem unire, vel novis proventibus au-
gere expediat, confectaque de præmiſſis inſtrumenta ad
Summum Romanum Pontificem mittat, quibus inſtru-
ctus Summus Pontifex ex prudentia ſua, prout expedire
judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua aceſſio-
7 ne ex fructibus augeat. Hos, & alios caſus Papæ reſerva-
tos undecim numero recenſet, & quatuor verſibus com-
prehendit gloſs. 1. hic item gloſs. 1. in cap. quod transla-
tionem, de effic. Leg. & plenius Hoſtien. hic num. 1. ubi illos
viginti ſeptem carminibus complectitur, per quos com-
prehendit caſus nonaginta & unum; quos tamen non ex-
ponit hic, ſed ponit, & pleniſſimè exponit in ſumm. de effic.
Legat. §. Quod pertinet verſ. Illud quidem, Specular. autem
in tit. 2. de Legat. §. Nunc oſtendendum, terminavit caſus
octuaginta & novem.
8 Tertiò nota in verſ. Non obſtante, Archiepiſcopum
non eſſe judicem ordinarium totius provinciæ; quia licet
omnium Suffraganeorum provinciæ ſuæ ſit Ordinarius, ut
cap. Paſtoralis, ſupra de offic. Ordinar. non tamen eſt Or-
dinarius ſubditorum eorumdem Suffraganeorum, nec in
eorum diœceſi poteſt ullam juriſdictionem exercere, niſi in
caſibus in jure expreſſis, ut hic eſt caſus, concordat cap. 1.
& 2. cap. Archiepiſcopus, & cap. ſeq. 9. quæſt. 3. cap. Duo ſi-
mul, ſupra de offic. Ordinarii, & hoc pro regula conſtituunt
hic gloſs. ult. Butr. num. 5. Cardinal. num. 2. in 3. not. & fu-
ſius num. 3. in 4. oppoſit. Abb. num. 4. & Marian. Socin. nu. 3.
not. Caſus autem in jure exceptos enumerat gloſs. in d. cap.
Paſtoralis, in ver. Exceptis quibuſdam articulis, & latius
proſequuntur Moderni in ſumm. Bullarii, in ver. Archiepi-
ſcopi authoritas. Item nota inter caſus in jure exceptos
non reperiri facultatem uniendi, ut hic patet: unde cùm
fructus præbendarum Collegiatæ Eccleſiæ oppidi de Exea
eſſent adeo tenues, ut vix ſuſtentationi Canonicorum ſuf-
ficerent, & fuiſſet petitum declarari à Sacra Congregatio-
ne Concilii an Epiſcopus eis unire poſſet aliqua ſimplicia
beneficia, & eo nolente, vel negligente Metropolitanus:
reſponſum eſt Epiſcopum poſſe, non tamen teneri; Metro-
politanum verò in hoc non poſſe ſupplere.
Quartò nota regulam cum duabus limitationibus Re- 9
gula eſt, Epiſcopus poſſe authoritate propria duo monaſte-
ria invicem unire, aut unum alteri ſubjicere, ut à contra-
rio probat littera ibi, aſſenſu tuo minime requiſito, necnon
ibi, te inconſulto. Prima limitatio eſt dummodo utrumque
monaſterium ſit in ſua diœceſi, aliàs ſecus, ut probatur ex
illis verbis, Monaſterium ſuum, quod eſt in ſua diœceſi, & 10
hodie eſt expeditum in Decreto Concilii Tridentini cap. 9.
ſeſſ. 14. ubi generaliter ſtatuitur, ut beneficia unius diœce-
ſis etiamſi parochiales Eccleſiæ, vicariæ perpetuæ, aut ſim-
plicia beneficia, ſeu præſtimonia, aut præſtimoniales por-
tiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum,
aut alia quacumque de cauſa alterius diœceſis beneficio,
aut monaſterio, ſeu Collegio, vel loco etiam pio perpe-
tuò non uniantur. Secunda limitatio eſt dummodo neu- 11
trum monaſterium ſit exemptionis privilegio munitum, ut
innuit littera ibi, de tuo debet ordinari conſenſu; & utram-
que limitationem poſuit gloſ. hic in ver. In ſua diœceſi, &
Hoſtien. num. 1. in ver. Suæ diœceſis, & num. 2. in ver. Au-
ctoritate noſtra. An autem Eccleſiã non exemptam Epiſco-
pus unire poſſit Eccleſiæ exemptæ, vel è converſo, vide hic
Marian. Socin. in 3. articulo principali, in 4. & 5. quæſt. n. 61.
& 62. Item cujus auctoritate unio Eccleſiarum exempta-
rum facienda ſit, declarat Lapus in Clement. 1. §. Ad hæc,
de ſtat. Monachor. ubi dicit Joan. Andr. ſibi conſulenti
reſcripſiſſe ſuper hac unione recurrendum fore ad Papam
per notata in cap. Authoritate, de privileg. lib. 6. in cap. Ve-
niens, de verbor. ſignific. eod. lib. & in cap. Cum nullus, in
fin. de tempor. ordinat. lib. 6. Ipſe autem Lapus dicit hoc pro-
cedere in unione locorum exemptorum ad invicem facien-
da, & quæ ſubſunt immediatè Papæ, ſecus ſi alii, quia
tunc ſufficit conſenſus illius, cui ſubſunt, nec requiritur li-
centia Papæ. Quod intelligit verum Cardinalis quando
ſubſunt ipſi pleno jure; tunc enim intelligitur habere qua-
ſi juriſdictionem Epiſcopalem ſecundum ea, quæ dicentur
infra in ultimo notab. & ſequitur Marian. Socin. in 3. quæſt.
ejuſdem art. 4. num. 60.
Ultimò nota Abbates non poſſe Eccleſias unire, vel 12
unam alteri ſubjicere quantumcumque Eccleſiæ ipſæ ad il-
los ſpectent pleno jure; cùm hoc ſit Epiſcopale, ut formaliter
hic dicit Innoc. quem totidem verbis ſequuntur Abb. An-
tiq. in princip. verſ. & nota, Jo. Andr. num. 2. in ver. Unio,
Collectar. num. 7. Henricb. Boich. poſt princ. ver. Et nota.
Butrius num. 4. Cardinal. num. 3. in 2. oppoſ. Anchar. eodem
num. & Marian. Socin. in 2. notab. idem firmat Hoſtien. in
cap. Quia nonnulli, in ver. Parochiales, ſupra de Cler. non
reſident. Archid. in cap. Cum ſingula in verb. Annexa de
præben. lib. 6. gloſs. Jo. Andr. in Clem. Si una, in ver. Epi-
ſcopum, de reb. Eccleſ. non alienan. de quo eſt hodie caſus
in Clem. Ne in agro, §. Ad hæc, de ſtat. Monach. ſecun-
dum gloſs. ibi in ver. Ordinarios, & ita communiter tene-
re Doctores antiquos teſtatur hic Marian. Socin. in 3. arti-
culo principali, quæſt. 7. num. 41. Quod procedit etiamſi Ab- 13
bates, ſeu alii Epiſcopi inferiores ſint exempti ſecundum
Zenzelin. Guliel. de Monte Laud. in Clem. unica ſuper ver.
Applicent, de ſupplen. neglig. Prælat. & Henrich. Boich. ubi
ſupra. Rurſus hoc vendicat ſibi locum etiamſi inferior in 14
certa parte diœceſis habeat quaſi Epiſcopalem juriſdictio-
nem juxta terminos cap. Auditis, de præſcript. quia nihilo-
minus non poteſt unire, ut tenet Cardin. loc. cit. allegans
gloſ. in d. Clem. Si unica, & Innoc. in cap. Cum dilectus, in
gloſ. in ver. Ioannes dixit, de Conſuetud.
Verùm Abbas hic num. 3. ſic diſtinguit; Aut inferior 15
vult ex ſua poteſtate ordinaria hanc unionem facere; &
non poteſt, quia hæc tanquam graviora ſolis Epiſcopis ſunt
reſervata, ut hic. Fallit ubi Prælatus inferior præſcripſiſſet
hanc poteſtatem uniendi: eſt enim præſcriptibilis, cùm ſit
juriſ-

juriſdictionis, ut in *cap. Accedentibus, infra de privileg.* & voluit gloſ. not. in Clem. *Ne in agro, §. ad hæc, in ver. Ordinarios, de ſtat. Monachor.* quam ibi ſequuntur Zenzelin. Guil. & Cardin. & Domini de Rota *deciſ.1. num.1. de offic. Legat. in novis, & deciſ.2. num.2. eod. tit. in antiq.* & poſt alios Marian., Socin. *hic in 3. articulo principali, quæſt. 9.*
16 *num.46. & ſeqq.* Aut inferior Prælatus vult unionem facere auctoritate ſpeciali, ut quia in illis Eccleſiis competit ſibi juriſdictio quaſi Epiſcopalis ex præſcriptione, vel privilegio, & poteſt: nam cùm habeat quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, & unire ſit juriſdictionis Epiſcopalis, utique unire poterit: & circa hoc dat regulam, quod omnia pertinentia ad Epiſcopalem juriſdictionem explicari poſſunt per inferiorem Prælatum habentem in loco juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; ad hoc gloſ. notab. in Clemen. 1. *in ver. Proprii, de reb. Eccleſ. non alienand.* notat Innocen. *in cap.2. ſupra de tranſact.* & Feder. de Senis *conſ. 14. incipien.*
17 *Monachus Peruſinus, num.4.* Atque ita communis opinio Antiquorum in hac quæſtione ſecundum eum non videtur vera: nam ſi Eccleſiæ ſunt inferiori pleno jure ſubjectæ, videtur ibi inferior habere juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, facit tex. *in cap. Quoniam, & cap. ſeq. cum utrobique notat. infra de privileg. & in cap. unic. de capell. Monachor. & in cap. Cum ex injuncto, in fin. de hæret.* & in hoc reſidet Abbas, quem totidem verbis ſequitur hic Marian. Socin. *in 3. articulo principali, quæſt.7. num.41. & ſeq.* ſubdens pro hac opinione conſuluiſſe Dionyſium de Peruſio *conſil. 51.* quod incipit, *Viſo quodam exemplo*, ubi ait: [Sicut Epiſcopo cum Capitulo eſt permiſſum præbendas minuere, ac etiam dignitates dividere, unire, & mutare] ut *in cap. Cum acceſſiſſent, ſupra de Conſtit.* & hic eod. modo Abbati, aut alteri inferiori, qui ſit exemptus, & habeat Eccleſias ſibi pleno jure ſubjectas, vel dignoſcatur jura Epiſcopalia obtinere, ſecundum Innocen. *in cap. Cum inter, ſupra de re judicat. & in cap. Volentes, de privileg. lib.6.* Et hanc poſteriorem ſententiam aliàs probavit Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum: cenſuit enim inferiores Epiſcopo non poſſe unire, niſi hanc facultatem legitimè præſcripſerint, aut ex privilegio in Eccleſia ſibi pleno jure ſubjecta juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant in omnibus, & per omnia; alioquin unionem ab Epiſcopo faciendam eſſe cum conſenſu ipſius inferioris, & Capitu-
18 li. Aliàs tamen conſulta an Abbates exempti, qui juriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem habent, poſſint, ſi ſæculares, & collegiatas Eccleſias obtineant, facere uniones ſicut poſſunt Epiſcopi *ex cap.15. ſeſs.24.* Reſpondit non poſſe Abbatem hujuſmodi, ſed Epiſcopum tantum ſi Collegiata eſt inſignis, & obſerventur alia præſcripta in *d. cap.15.*

19 QUÆRO, An Epiſcopus poſſit unire beneficia propter ſuam negligentiam ad Sedem Apoſtolicam devoluta.

Pro parte negativa adducitur primò textus juncta gloſ. *in cap. Si tibi abſenti, de præben. lib.6.* Textus decidit Epiſcopum non poſſe conferre beneficium abſenti collatum ante illius diſſenſum, gloſſ. *in ver. Perſonam quærit*, an Epiſcopus poſſit de hujuſmodi beneficio ordinare per viam unionis; & ſolvit non poſſe, cùm eadem ſit ratio. Ergo ſecundum gloſs. cui ſubtrahitur ad tempus poteſtas conferendi, ſubtrahitur etiam poteſtas uniendi ob identitatem rationis, & Geminian. *ibi col.6. in princip. in ver. Perſonam*; [Nota, inquit, iſtam gloſſam, quæ vult quod beneficium, quod Epiſcopus ad certum tempus conferre non poteſt, non poſſit illud unire.] Quod nota, quia facit quod Epiſcopus non poſſit unire beneficium devolutum ad Papam propter ejus negligentiam; quia cùm ipſe non poſſit conferre donec ſemel Papa contulerit, ut *in cap. penult. de ſupplend. neglig. Prælat.* Ergo interim non videtur quod poſſit unire, ut ſentit iſta gloſſa. Deinde pro hac parte adducitur ratio, quia quod non licet directè, non debet licere indirectè, ſeu per obliquum, ut in regula, *Cum quid una via prohibetur, &c. lib.6.* ſed Epiſcopus non poteſt directè impedire Papam in collatione facienda, ut in dicto cap. penult. ergo nec indirectè uniendo: nam unio infert in collationem; unde prohibita collatione, & unio cenſetur prohibita, per quam ad collationem pervenitur, ut *l. Oratio ff. de ſponſal.*

In contrarium facit, quia Epiſcopus poteſt quod eſt plus, ſcilicet unire Eccleſiam non vacantem invito Rectore, ut in Clem. *final. de reb. Eccleſ. non alienan.* ergo multò fortiùs vacantem. Item Epiſcopus poteſt Eccleſiam ſic devolutam commendare donec per Papam fuerit ordinata, ut notant Archid. & Joan. Andr. *in cap. Nemo, de elect. lib.6.* ergo ſi Epiſcopus videt per commendam temporalem conſuli non poſſe ſtatui Eccleſiæ, poterit facere perpetuam. 20
Præterea unio concernit proprietatem beneficii, collatio verò titulum, ut hic notant Doctores: quamvis ergo Epiſcopus per devolutionem ad Papam perdiderit jus conferendi, non tamen perdiderit jus uniendi, quia ex diverſis, & ſeparatis non fit illatio, ut *l. Si domus, ff. de ſervit. urbanor. prædior.* Ac demum unio non eſt actus omnino 21
voluntarius, ſed requirit cauſam utilitatis, vel neceſſitatis, alias non valet, Clem. 1. cum ibi notat. *de reb. Eccleſ. non alien.* Rota *deciſ.12.* incipien. *Nota quod unio, in antiq.* ergo nemo debet Epiſcopum accuſare ſi templum Dei ædificat; quin potius eſſet meritò redarguendus de negligentia ſi unionem non faceret ſubſiſtente cauſa. Ex quibus concludendum eſt Epiſcopum poſſe unire etiam beneficia devoluta, dummodo tamen hoc faciat cauſa ſubſiſtente, & non in fraudem: & ita conſuluit Feder. de Senis *conſ.12.* incipien. *Amice chariſſime, circa fin. verſ. Item quæritur*, ubi reſpondet ad gloſſam in *d. cap. Si tibi abſenti, de præbend. lib.6.* & cum referunt, & ſequuntur Petr. de Anchar. *in cap. Nulla, num.5. Ne ſed. vacan.* Jo. de Imol. *in cap. 1. circa fin. eod. tit.* Gemin. & Franc. *in d. cap. Si tibi abſenti, in gloſ. in ver. Perſonam*, Butr. *hic num.10.* Anchar. *num. 5.* Abb. *num.6.* & Marian. Socin. *in 4. articulo principali, q.9. num.67.* ubi tranſcribit verba Ancharani *in d. cap. Nulla*, non facta illius mentione.

Cæterum adverte, quia etſi communis opinio ſit unionem eſſe validam, tamen ſuſpenditur illius effectus donec vixerit is, cui Papa contulit beneficium ad ſe devolutum; & ita eſt ex mente Feder. & apertè declarant Philipp. Franc. *in d. cap. Si tibi abſenti, num.11.* ubi allegat Cardinalem in Clem. 2. *in 9. quæſt. de reb. Eccleſ. non alienan.* licèt Cardinalis non loquatur in devolutis, ſed in reſervatis, ut dicam infra *num.23.*

Secundò QUÆRO, An Epiſcopus unire poſſit benefi- 22
cia Sedi Apoſtolicæ reſervata, vel affecta.

In hoc articulo diverſa jura prodierunt: unde factum eſt, ut pro veritate temporum variæ quoque emerſerint opiniones. Ego verò ut omnia complectar, exiſtimo tria tempora eſſe diſtinguenda.

Primum tempus eſt juris communis, & ſecundum hoc communiter tenetur Epiſcopum poſſe unire, quia etſi per reſervationem ei ablata fuerit poteſtas ordinandi beneficium quoad collationem, quæ reſpicit titulum, non tamen ablata fuit quoad unionem, quæ reſpicit proprietatem ut dictum eſt in quæſtione præcedenti. Atque hujus ſententiæ in primis eſt Collectar. *hic num.6.* & poſt eum Card. *eod. num.* ubi reddit ſupradictam rationem quia Papa reſervavit reſpectu tituli: ſed uniens non diſponit reſpectu tituli, ſed reſpectu proprietatis; unde Papa reſervando videtur prohibuiſſe ſolam collationem, uniens autem non confert: & ſequuntur Petrus de Anchar. *num.5.* Abb. *num. 7.* & Mar. Socin. *in 4. artic. principali, quæſt.9. num.64.*

Recipit tamen hæc concluſio tres declarationes.

Primò enim declaratur ut quamvis unio ſubſiſtat, tamen 23
non ſortiatur effectum, ſed ſuſpendatur donec pro illa vice conſumpta fuerit reſervatio Apoſtolica per proviſionem Papæ; ita eſt ex mente Collectarii *d. num.6.* Dum ait ſe audiviſſe multos magnos dicentes id poſſe Epiſcopum, ut ſaltem valeat in quantum valere poteſt, non autem in præjudicium Papæ quominus conferre poſſit: allegat *cap. Cum tempore, de arbitr. cap. Inter dilectos, de fid. inſtrum.* & arg. *cap. Si Abbate, de ver. ſignif.* & tenent apertè Domini de Rota *deciſ.658. alias 6. de reb. Eccleſ. non alienan. in antiq.* cujus hæc ſunt verba: [Dic quod unio poteſt fieri de beneficio reſervato, quæ tamen non habet ſuum effectum quin Papa conferat ratione ſuæ reſervationis factæ, ſed poſteadum non vacabit in Curia, dicta unio habebit ſuum effectum: & ita tenet Rota.] Hæc ibi. Et idem firmat Æneas de Falcone *in tract. reſervat. in 4. quæſt. principali, in 23. effect. in princ.* Staphil. *de litter. grat. in 2. forma mandat. num.7.* Mandoſ. *reg.12. quæſt.5. num.3.* Et quamvis Cardin. in Clem. *fin. in 9. quæſt. de reb. Eccleſ. non alienan.* dicat hanc quæſtionem contigiſſe olim de facto, & Joannem Vigeſimumſecundum determinaſſe unionem non tenere etiamſi facta eſſet per Legatum de Latere, quia eo ipſo
quod

Digitized by Google

quod Papa reſervat, videtur prohibere cuilibet inferiori ne
diſponat de illo, & ideò non poſſe unire: Subdit tamen
unionum caret effectu donec Papa contulerit, & proviſus
Apoſtolicus beneficium dimiſerit: unde poteſt dici unio-
nem ſimpliciter tenere niſi Papa utatur reſervatione con-
ferendo beneficium, quia ſi utitur, tenet collatio, & unio
ſuſpenditur, ut hic per Marianum Socin. *d. n. 64.* qui etiam
refert ita conſuluiſſe Calderinum *conſ. 3. ſub titul. de con-
ſuetud.*
24 Quæ declaratio multò magis haberet locum ſi Papa de-
diſſet litteras ad certam præbendam primò vacaturam:
quandoquidem unio non ſortiretur effectum in præjudi-
cium expectantis, ſed maneret in ſuſpenſo uſque ad illius
obitum, vel reſignationem: nam ſi Epiſcopus poteſt uni-
re beneficium viventis non ut ſtatim unio effectum ſortia-
tur, ſed poſteaquam ille beneficium dimiſerit Clemen. 2.
de reb. Eccleſ. non alien. multò magis unire poterit benefi-
cium expectantis ſine illius præjudicio: ſic Gambar. *in tract.
de offic. & poteſtate Legat. lib. 5. in tit. de poteſtate Legat. in
uniendo n. 63.* & Rebuff. *in praxi benefic. in titul. de union.
beneficior. num. 31.* & hoc in effectu intendit Abb. *hic num.
7.* dum dicit per unionem Epiſcopi non fieri præjudicium
ei, pro quo Papa reſervavit, arg. *cap. Ut noſtrum de appel-
lat. c. Si eo tempore de elect. lib. 6.* Unde valebit unio, &
habebit effectum ſuum illo dimittente beneficium, pro quo
Papa fecit reſervationem, licet aliud videatur ſentire Car-
dinal. hic *n. 7.*
25 Cæterùm adverte, quia prædicta declaratio vendicat ſi-
bi locum quando reſervatio, vel gratia expectativa præceſ-
ſit unionem: tunc enim quamvis unio ſubſiſtat, ſuſpendi-
tur tamen illius effectus quouſque proviſus Apoſtolicus be-
neficium dimiſerit, ut ſuperiùs concluſum eſt: ſecus verò
ſi unio præceſſerit reſervationem, vel gratiam expectati-
vam, quia tunc ſi poſt unionem factam ab Epiſcopo ex le-
gitima cauſa antequam ſortiatur effectum Papa idem be-
neficium reſervet, vel afficiat, & mortuo Rectore illud
conferat non facta mentione unionis, non valet collatio, ut
tenent Domini de Rota *deciſ. 3. de rer. permutat. in antiq.*
reddentes rationem, quia aliàs poſſet contingere, ut unio
remaneret inefficax propter frequentes impetrationes: quod
eſſet abſurdum, cùm hujuſmodi unio innitatur cauſæ ne-
ceſſariæ, quam non eſt veriſimile ut Papa voluerit tollere,
niſi hoc in litteris expreſſerit. Et quamvis Rota videatur
26 hoc intelligere quando Papa dedit litteras ad ſupplicatio-
nem partis, tamen Gemin. *in rep. cap. Poſtulaſti in 26. col.
verſ. Crederem de reſcript.* tenet expreſsè collationem Pa-
pæ etiam factam motu proprio non valere niſi fiat mentio
de unione, quia Papa non intendit per ſuas litteras præju-
dicare juri alteri quæſito, niſi exprimat hoc in litteris, ſive
ſit præjudicium extinctivum, ſive dilativum, ut patet *in c.
Quamvis, & cap. Si propter de reſcript. lib. 6.* & Geminia-
num ſequuntur Marianus Socin. *in repet. eiuſd. cap. Poſtu-
laſti col. 46.* & Felin. *in cap. In noſtra num. 23. in 26. corol-
27 laria de reſcript.* & Boet. *deciſ. 346. ad fin.* Porrò in pro-
viſionibus beneficiorum vacantium per obitum Papæ: non
conſuevit derogare unionibus; ſed in vacantibus ex cauſa
reſignationis ponit in litteris clauſulam ſuſpenſivam qua-
rumcumque unionum, per quam quidem clauſulam ſuſ-
28 pendi etiam uniones factas Seminario in vim Concilii Tri-
dentini, ideòque non eſſe impediendum quominus reſigna-
tarius in poſſeſſione beneficii perſeveret, cenſuit S. Congre-
gatio ejuſdem Concilii Interpres. Item cùm in una Hoſtu-
nen. dubitatum fuerit an vigore *c. 15. ſeſſ. 24.* poſſit fieri
unio de beneficiis viventium, nempe ante vacationem, ſine
tamen obtinentium præjudicio. Reſponſum eſt poſſe fieri ta-
men ſi beneficium viventis unitum contingat reſignari, &
reſignationem per Sedem Apoſtolicam admitti, unionem
pro illa vice ſuſpendi.
29 Secundò declaratur eadem concluſio, ut procedat ſi Pa-
pa reſervaverit beneficium ſuæ collationi, ſeu proviſionis;
ſecus ſi ſuæ diſpoſitioni, quia cùm diſpoſitionis verbum ſit
aptum comprehendere etiam unionem, Epiſcopus unire
non poterit beneficium ſic reſervatum diſpoſitioni, ſeu or-
dinationi Apoſtolicæ: ita Collectar. *hic num. 6.* Abb. *n. 7.
verſ. Et hoc intellige*, & Marianus Socinus *num. 64. in fin.
verſ. Quod tamen intelligit*, Petr. de Peruſ. *de union. benefic.
c. 4. n. 6. & 24.* & Caccialup. *in eod. tract. art. 4. q. 6.* Licet
Nicolaus Garzia nulla ratione, vel authoritate fulſultus op-
poſitum ſentiat *in tract. de benef. par. 12. c. 2. n. 93.*

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Tertiò declaratur, ſeu limitatur prædicta concluſio ut 30
locum non habeat ſi reſervatio ſit perpetua reſpectu colla-
tionis à Romano Pontifice ſemper faciendæ de dignitate,
officio, vel beneficio ut contingit in prima dignitate poſt
Pontificalem cujuſque Eccleſiæ Cathedralis, quæ ſemper
eſt Papæ reſervata per regulam tertiam Cancellariæ; tunc
enim Epiſcopus unire non poterit, quia per reſervationem
hujuſmodi adempta eſt prorſus Epiſcopo poteſtas de hujuſ-
modi beneficio diſponendi: ſic Alphonſus Hojeda *in tract.
de incompatibilit. beneficior. par. 2. c. 3. n. 7. arg. c. fin. de con-
firmat. util. vel inutil.* Garzia *de benefic. par. 12. c. 2. n. 92.* &
alii Recentiores.
Secundum tempus eſt Concilii Tridentini; quod partim 31
probavit, partim correxit antiquorum opiniones: nam *in
cap. 5. ſeſſ. 21.* ſtatuit primò, ut poſſint Epiſcopi etiam tan-
quam Sedis Apoſtolicæ delegati juxta formam juris, ſine
tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas
quarumcumque Eccleſiarum Parochialium, & Baptiſma-
lium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non cura-
torum curatis propter eorum paupertatem, & in cæteris
caſibus à jure expreſſis, etiamſi dictæ Eccleſiæ, vel dicta
beneficia eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſervata, aut
qualitercumque affecta. Et in hac prima parte probavit il-
lorum ſententiam qui dixerunt reſervationem pertinere ad
titulum, non autem ad proprietatem beneficii, ideòque
adimere Epiſcopo poteſtatem conferendi, ſed non poteſta-
tem uniendi, ut dixi ſupra *n. 20.* Sed videtur ſuſtuliſſe ſe-
cundam declarationem ſuperiùs poſitam *n. 29.* nam Epiſco-
pus videtur poſſe unire ex Concilio, etiamſi Papa reſerva- 32
verit ſuæ diſpoſitioni, ſeu ordinationi, cùm verba illa ge-
neraliter, vel ſpecialiter reſervata, aut qualitercumque af-
fecta, tamquam univerſalia, & geminata comprehendant
quamcumque ſpeciem reſervationis, vel affectionis, arg.
cap. Solitæ de maior. & obed. & patet ex his, quæ tradunt
Geminan. *conſ. 22. Præmitto n. 4. verſ. in contrarium*, Soc.
ſen. *conſ. 32. Ex his quæ ſuperius num. 11. verſ. Nec obſtat
lib. 1.* pleniſſimè Ruin. *conſ. 77. In facto n. 7. in fin. & num.
ſeq. lib. 2.* Deinde ſubdit Concilium, *quæ uniones etiam
non poſſint revocari, nec quoquomodo infringi vigore cu-
juſcumque proviſionis etiam ex cauſa reſignationis, aut
derogationis, aut ſuſpenſionis*: & in hac ſecunda parte cor-
rexit opinionem illorum, qui exiſtimarunt unionem Epiſ-
copi non ſortiri effectum, ſed manere in ſuſpenſo, donec
proviſus Apoſtolicus beneficium dimiſerit, ut dictum eſt
ſupra *in 1. declarat. num. 23.* nam ex Concilio non ſuſpen-
ditur unio ex quacumque proviſione, ut ibi dicitur. Ob-
ſervandum tamen facultatem Epiſcopis attributam *in d. c.
5.* non eſſe univerſalem ad unionem quarumcumque bene-
ficiorum, ſed reſtrictam ad caſus ibi expreſſos; unde Epiſ-
copus in vim Concilii unire poterit non curata curatis Ec-
cleſiis, ſed non è contra, *ut in c. 13. verſ. In iunioribus ſeſſ.
24.* Item dignitati curatæ unire poterit aliam dignitatem ex
cauſa paupertatis, & juxta terminos *d. cap. 5. & cap. 13.* 33
Non tamen unire poterit hoſpitalia etiamſi darentur in ti-
tulum, & in eis nulla exerceretur hoſpitalitas, *ut in c. 8.
ſeſſ. 25. verſ. Quod ſi hoſpitalia*, & ita cenſuit S. Congrega-
tio. In unionibus ergo de beneficiis reſervatis, quæ non in- 34
cluduntur in d. c. 5. ſervanda erit juris communis diſpoſi-
tio ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra *n. 22. & ſeqq.* Nam
quod mutatur, &c. *l. Sancimus C. de teſtam. & l. Præcipi-
mus in fin. C. de appell.* Ad hæc in duobus aliis caſibus Con- 35
cilium Tridentinum tribuit Epiſcopis facultatem uniendi
beneficia reſervata. Unus eſt *in cap. 15. ſeſſ. 24.* videlicet
cùm præbendæ unà cum diſtributionibus quotidianis in
Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus ſunt ita tenues,
ut ſuſtinendo decenti Canonicorum gradui non ſufficiunt:
ſtatuit enim S. Synodus, ut liceat Epiſcopis cum conſenſu
Capituli aliquot ſimplicia beneficia non tamen regularia
iis unire, non obſtante quacumque reſervatione genera-
li, vel ſpeciali, aut affectione. Neque prædictæ uniones
tolli, ſeu impediri poſſint ex quibuſcumque proviſionibus
etiam vigore reſignationis, aut quibuſvis aliis derogationi-
bus, vel ſuſpenſionibus: & de hoc decreto egi latiſſimè in
cap. Expoſuiſti ſupra de præben. Alius caſus eſt *in c. 18. ſeſſ.* 36
23. ubi tribuitur Epiſcopis facultas ampliſſima uniendi be-
neficia ſimplicia Seminario Clericorum, & disertis ver-
bis ſtatuitur, *ut hoc locum habeat etiamſi beneficia ſint re-
ſervata, vel affecta. Nec per reſignationem ipſorum bene-
ficiorum uniones ſuſpendi, vel ullo modo impediri*

O poſſint:

Digitized by Google

poſſint : ſed omninò quacumque reſervatione , etiamſi in Curia effectum ſuum ſortiantur, & quacumque Conſtitutione non obſtante, Hæc ibi : & hoc quoque tempore inſpecto in hoc ſpeciali caſu approbatur facultas uniendi beneficia reſervata quam Epiſcopi habent à jure communi, abſque limitationibus, ſeu declarationibus, de quibus ſupra *num.* 23. *&* 29. Neque verò uniones in caſibus ſuprafcriptis cadunt ſub regulam revocatoriam unionum Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. quæ habetur in Bullar. *tom.* 4. *pag.* 210. quoniam ibi excipiuntur uniones factæ Concilii Tridentini authoritate.

37 Tertium denique tempus eſt poſt Decretum Clementis VIII. hac de re editum : nam cùm in S. Congregatione Concilii quæſitum fuerit an unio beneficiorum affectorum facta etiam ante vacationem debeat cenſeri invalida ad obviandum fraudi, quæ in ſimili unione ab Ordinario committi videtur : & an proviſus Apoſtolicus illorum ſit mittendus in poſſeſſionem. Die 22. Februarii 1622. Sacra Congregatio cenſuit de cætero ad obviandum fraudibus oportere decerni, ut non poſſint etiam ante vacationem uniri Seminario beneficia, quæ obtineant perſonæ, quæ ob familiaritatem Cardinalium, vel aliam rationem tales ſint, ut quocumque menſe decedant, certum ſit ea fore affecta, Sedi Apoſtolicæ. Cæterum in præteritum nihil ſtatuendum. Die 26. Februarii 1602. Sanctiſſimus D. N. ex ſententia Congregationis decrevit ut ſuperiùs eſt adnotatum. Itaque inſpecto hoc tempore quoad uniones, quæ fiunt Seminario funditus ſublata eſt facultas, quam Epiſcopi habebant à jure communi, & a Concilio Tridentino uniendi beneficia reſervata, vel affecta ; ſed in aliis unionibus, quæ fiunt in vim *cap.* 5. *ſeſſ.* 21. *& cap.* 15. *ſeſſ.* 24. ſalva manet Epiſcoporum facultas, cùm ex Decreto Clementis non reperiatur ſublata.

38 QUÆRO, An Cardinalis Epiſcopus habens indultum non obſtante Decreto Clementis VIII. unire poſſit Seminario ante vacationem ea beneficia, quæ ſi eodem Cardinali vivente vacarent non obſtantibus reſervationibus, vel affectionibus Apoſtolicis ad ſuam collationem pertinerent.

Videtur reſpondendum poſſe : nam circumſcripto ejuſmodi Decreto Clementis VIII. certum eſt beneficia reſervata, vel affecta poſſe in vim Concilii uniri Seminario ante vacationem à quolibet Epiſcopo etiam non Cardinali. Ita enim disertis verbis ſtatuitur Decreto *cap.* 18, *ſeſſ.* 23. ibi : *Necnon beneficia aliquot ſimplicia etiam ante vacationem huic Collegio applicabunt, & incorporabunt ; quod locum habeat etiamſi beneficia ſint reſervata , vel affecta : nec uniones beneficiorum ullo modo impediri poſſint, ſed omninò quacumque vacatione etiam in Curia effectum ſuum ſortian-*
39 *tur*. Quo loco cùm Concilium apertè diſponat de beneficiis affectis, vel reſervatis Seminario uniendis etiam ante vacationem, negari non poteſt quin Epiſcopis omnibus attributa ſit poteſtas uniendi Seminario ea quoque beneficia, quæ tempore unionis ſint reſervata, vel affecta. Atque ita ante Decretum Clementis ſæpiùs reſpondit Sacra Congregatio Concilii, cujus ſententiam approbarunt Pius V. & Gregorius XIII.

Itaque cùm Cardinalis Epiſcopus habeat hanc facultatem à Concilio, videndum eſt an illi obſtet Decretum Clementis. Et videtur reſpondendum non obſtare ; nam ut prædixit Clemens VIII. ex ſententia Congregationis Concilii die 16. Februarii 1602. decrevit. de cætero ad obviandum fraudibus non poſſe etiam ante vacationem uniri Seminario beneficia, quæ obtineant perſonæ, quæ vel ob familiaritatem Cardinalium, vel aliam rationem tales ſint, ut quocumque menſe decedant certum ſit ea fore affecta Sedi Apoſtolicæ.

40 Hoc autem Decretum neque in verbis, neque in ratione comprehendit Cardinalem habentem indultum, non in verbis, quia loquitur de beneficiis, quæ obtinent perſonæ, quæ tales ſint, ut quocumque menſe decedant, certum ſit ea fore affecta Sedi Apoſtolicæ : unde nullo modo comprehendit beneficia, quæ ſi eodem Cardinali vivente vacarent, ad ejus collationem pertinerent, non obſtantibus reſervationibus, vel affectionibus Apoſtolicis, ut ſup-
41 ponitur in dubio, de quo agitur. Certum eſt enim ea non fore affecta Sedi Apoſtolicæ, ſed abſolutè pertinere ad collationem Cardinalis Epiſcopi, cujus ordinaria poteſtas in conferendo per indultum non ampliatur, ſed præſervatur remotis obſtaculis reſervationum, juxta noviſſimas deciſiones Caſſad. 3. & Creſcent. itidem 3. *de privileg.*

Sed neque mens, & ratio evitandi fraudes, quæ exprimitur in eodem Decreto, congruit Cardinali habenti indultum, & volenti unire Seminario beneficia ad ſuam collationem pertinentia ; quia hoc modo non poteſt ullo pacto unire in fraudem ut præripiat Papæ collationem beneficii : nam cùm collatio ſtante indulto non ad Papam, ſed ad ipſum Cardinalem pertineat : utique uniendo, non Papæ, ſed ſibi tantùm infert præjudicium, cùm ſe ipſum privet ea facultate, quam habet à jure communi beneficium conferendi, *ut cap. Conquerente de officio Ordinar. cap.* 2. *de conceſſ. preben. & cap. Ex frequentibus de inſt. cum mult. ſimil.*

Nec refragatur, quod ſi Cardinalis prædeceret ante obitum obtinentis beneficium, ejuſmodi unio cederet in præjudicium Papæ, ad quem ratione familiaritatis ſpectaret beneficium conferre. Siquidem reſpondetur Decretum Clementis non conſiderare hunc incertum, & futurum eventum, cùm potius requirat ut reſervatio Sedi Apoſtolicæ ſit certa in ipſo unionis initio, dum prohibet uniri beneficia perſonarum, quæ tales ſint, ut quocumque menſe decedant, certum ſit ea fore affecta Sedi Apoſtolicæ. Atque ita tunc demum prohibet unionem, ſi adſit certitudo Apoſtolicæ affectionis. Quæ quidem certitudo non adeſt, cùm Cardinalis unit beneficium, quod ſi ſe vivente vacaret, ad ſuam collationem pertineret ; quia fieri poteſt ut vacatio contingat ſe adhuc vivente : & revera ſi Clemens hos incertos eventus conſideraſſet, utique cenſeretur prohibuiſſe uniones beneficiorum etiam non affectorum : nam quis prohibet beneficium non reſervatum fieri reſervatum per futuram familiaritatem poſſidentis, per obitum in Curia ; ſeu in menſe reſervato, vel ob aliam quamcum-
que cauſam ? Et tamen uniones beneficiorum per hu- 42
juſmodi affectiones, aut reſervationes ſupervenientes non impediuntur, nec ſuſpenduntur, quia Clemens reſpexit ad reſervationem certam in ipſo unionis initio, non autem ad futuras contingentes, ut jam ſæpius declaravit S. Congregatio Concilii, cùm hujuſmodi caſus eventus attendi, & conſiderari non debeant, *ut l.* 2. §. *Si eo tempore ff. de re adminiſtr. rer. ad civit. pertinent. l. Julianus ff. qui, & à quib.* & notat Archid. *in cap. penult.* 5. *diſt.* præſertim verò, quia in hoc futuro contingenti mortis Cardinalis nulla fraus conſiderari poteſt adverſus collationem Apoſtolicam. Quis enim credat Cardinalem unire Seminario beneficium ad hoc ut poſt mortem ſuam præripiat Papæ ejuſdem beneficii collationem ? Itaque Clemens illi tantùm fraudi obviare voluit ; quam committebant Ordinarii uniendo ea beneficia, quæ ſciebant certò ad ſuam collationem ſpectare non poſſe, ſed ea fore affecta Sedi Apoſtolicæ ratione familiaritatis, aut aliam ob cauſam ; quæ quidem ratio fraudis non viget, neque vigere poteſt in caſu, de quo agitur.

Supereſt nunc reſpondere ad ea, quæ in voto Rotæ in contrarium afferuntur.

Et primò non obſtat, quod ex Concilio non liceat Epi- 43
ſcopis unire Seminario beneficia affecta tempore unionis: nam reſpondetur contrarium declaraſſe S. Congregationem, at Summos Pontifices Pium V. & Gregorium XIII. & declarationes quæ afferuntur in contrarium, emanarunt poſt Decretum Clementis, & non ante. Hoc autem Decretum non obſtat Cardinali, cùm habeat indultum, quod removet obſtacula reſervationum, ut dictum eſt.

Non obſtat ſecundò, quod indultum non diſponat de beneficiis vacaturis, ſed tantùm de vacantibus ibi, *cum
vacare contigerit :* nam reſpondetur, imò indultum 44
non diſponere de vacantibus, ſed de vacaturis : hoc enim propriè important illa verba, *quæ vacare contigerit*, quæ ſunt futuri temporis, & excludunt vacantia, ut tradit in ſpecie Oldrad. *conſ.* 310. *incip. Thema tale eſt vacante Præpoſitura*, ubi reſpondit indultum de percipiendis fructibus primi anni beneficiorum, quæ vacare contigerit, non comprehendere beneficia vacantia, ſed vacatura.

Non obſtat tertiò, quòd etiamſi in Cardinali ceſſet ratio 45
fraudis conſiderata in decreto Clementis : attamen decretum ipſum in ſui generalitate ceſſare non debeat ſecundum Bald. *in conſ.* 150. *n.* 16. *lib.* 1. Reſpondetur enim hoc ſolum poſſe procedere quando caſus eſt comprehenſus in

ver-

Digitized by Google

verbis legis; tunc enim ſi ceſſet aliquando ratio legis impulſiva, tamen lex ceſſare non debet, ut in exemplo Calphurniæ, de quo *in l. 1. §. 1. ff. de poſtulan.* Ideòque ſi aliquis Epiſcopus non Cardinalis uniret beneficium reſervatum, tametſi id faceret ſine ulla fraude; non tamen propterea unio eſſet valida: ſecus autem eſt cùm caſus in verbis legis non comprehenditur; nam tunc ſi nec in ratione comprehendatur, certum erit legem ad illum caſum non pertinere, *ad l. 4. §. Toties ff. de damn. infect.* Caſus autem Cardinalis volentis unire beneficium, quod ſi vacaret, certum non eſſet fore affectum Sedi Apoſtolicæ, ſed potius ad ſuam collationem pertinere, non ſolum non comprehenditur in ratione, ſed nec in verbis decreti Clementis, ut jam diximus. Ergo non procedit hoc caſu argumentum à ratione legis ceſſante. Præterquamquod Baldum reprobat Felinus *in c. Si quando §. Circa reddendam ſub num. 11. de reſcript.* & tamen Baldus non loquitur ubi ratio eſt expreſſa in lege: tunc enim ea ceſſante, ceſſat legis diſpoſitio, ut idemmet Bald. tradit *in d. l. Non dubium n. 5.* poſt Bart. *ibi n. 9. C. de leg.* Dyn. *in c. fin. n. 12. & ſeq. de reg. iur. in 6.*

46 Ac denique non obſtat, quod indultum non det Cardinali poteſtatem uniendi, ſed ſolum conferendi, quod fusè probatur in eodem voto: nam reſpondetur Cardinalem Epiſcopum habentem indultum non unire virtutem indulti, ſed ſua ordinaria facultate, quam habet à jure communi, & à Concilio: indultum enim hoc tantùm facit, idest removet obſtacula, & impedimenta reſervationum, ita ut Cardinalis Epiſcopus liberè poſſit, & abſque impedimento uti ſua facultate Ordinaria, ut notant Jo. Monach. & Gemin. *in cap. Cum aliquibus de reſcr. in 6.* ubi dant exemplum de vincto, cujus manus, pedeſque ab aliquo exſolvuntur: graditur enim, & reliqua agit ſua vi, non autem ſolventis; & extant vulgatæ deciſiones Caſſad. & Creſcent. ſuperius relatæ *n. 41.*

47 Juxta prædicta QUÆRO, An Cardinalis Epiſcopus, qui, ut præfertur habet indultum, non obſtante decreto Clementis VIII. unire poſſit Seminario beneficia duplici reſervatione perſonali reſervata, vel affecta.

Solutio pendet ex duplici inſpectione: Altera eſt, an hujuſmodi decretum comprehendat S. R. E. Cardinales, cùm de illis expreſſam mentionem non faciat. Altera, quatenus
48 nus illos comprehendat, an obſtet Cardinali Epiſcopo habenti indultum quominus unire poſſit reſervata duplici affectione perſonali, quippe quæ ex ſententia Rotæ in indulto non comprehenduntur, ut apud Caputaq. *ex deciſ. 85. part. 2.* Ægidius *deciſ. 425.* & tradit Mandoſ. *praxi Signat. grat. in ver. Indultum conferendi verſ. An autem*, & fuit plenè reſolutum in voto DD. Ubaldi, & Veroſpii Rotæ Auditorum in cauſa Cæſenaten. anno 1615. ubi dixerunt hoc habere locum non obſtantibus clauſulis generalibus, & prægnantibus, quia non includunt ea, quæ Papa non eſſet de facili conceſſurus. Sed in fine ejuſdem voti diſtinxerunt inter geminas reſervationes perſonales, ſeu coæquales, veluti ſi beneficium obtinens ſit familiaris Papæ, & Protonotarius, & tunc dixerunt indultum non extendi ad beneficia reſervata hac duplici reſervatione; unde cum myſterio propoſita quæſtio reſtricta eſt ad reſervationem perſonalem. Sin autem reſervationes ſint diſpares, videlicet realis, & perſonalis, vel utraque perſonalis, una tamen altera inferior, ut ſi beneficiatus ſit familiaris Papæ, & Cardinalis: hoc caſu admiſerunt poſſe obtinere contrariam opinionem. Pro qua diſtinctione optimè facit quod ſcripſit Sarnen. *in regula de impetrand. benefic. vacant. per obit. q. 15. n. 7. & 8.*

His ita conſtitutis quoad inſpectiones propoſitas non eſt opus prolixiori diſputatione; quandoquidem utriuſque ſolutio patet ex litteris in forma Brevis, quæ inſcribuntur, Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. Divina providentia Papæ VIII. confirmatio Decreti Clementis Papæ VIII. prohibentis fieri uniones beneficiorum diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervatorum, vel affectorum, cum declaratione, quod Decretum hujuſmodi comprehendit etiam S.R.E. Cardinales, & alios indulta conferendi reſervata habentes; quodque illi non potuerunt, nec poſſunt conferre beneficia duplici reſervatione perſonali reſervata, vel affecta: tenoris infraſcripti, videlicet

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUamvis fel. record. Clemens Papa VIII. prædeceſſor 49
noſter accepto, quod aliqui Ordinarii beneficia eccleſiaſtica in ſuis menſibus vacantia, & aliàs diſpoſitioni Apoſtolicæ non reſervata perſonis ſibi beneviſis conferebant; illa verò, quæ reſervata erant, Seminariis puerorum ſæpè uniebant, ad evitandum hoc Sedis Apoſtolicæ præjudicium per ejus decretum prohibuerit, ne uniones beneficiorum eccleſiaſticorum diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ tempore, quo uniuntur, reſervatorum, vel affectorum fieri poſſent etiam vigore Decretorum S. Concilii Tridentini in favorem Seminariorum puerorum ad præſcriptum ejuſdem Concilii erectorum, ſive erigendorum; nihilominus poſtea prætextu Indultorum Apoſtolicorum conferendi beneficia reſervata, vel affecta per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam per Nos aliquibus perſonis, præſertim S.R.E. Cardinalibus conceſſorum, executio prædicti Decreti Clementis prædeceſſoris de facto impedita fuit, & impeditur, quoniam Cardinales indulta conferendi, & diſponendi de reſervatis, vel affectis habentes aſſerunt ſe non eſſe in prædicto Decreto comprehenſos, tamquam in eo expreſsè non nominatos, & ulterius tam ipſi Cardinales, quàm alii, qui ex prædictis indultis apoſtolicis habent facultatem conferendi reſervata, ſeu affecta, ac de eis diſponendi, nedum prætendunt indulta hujuſmodi continere facultatem diſponendi de eiſdem beneficiis etiam per modum unionis, & extinctionis in præjudicium perpetuum Sedis Apoſtolicæ, quæ illorum proviſione perpetuò privata remaneret, ſed etiam ex ipſis indultis eſſe ſublatam, & extinctam reſervationem quamcumque; ideò etiam auctoritate ordinaria potuiſſe, & poſſe per eos fieri eorumdem beneficiorum uti non reſervatorum, nec affectorum unionem, Decretaque Concilii eis concedere facultatem uniendi etiam reſervata eiſdem Seminariis: Quinimò etiamſi in Pontificatu rec. mem. Pauli V. etiam prædeceſſoris noſtri hactenus ex voto duorum Rotæ Auditorum fuerit in Dataria obſervatum, & obſervetur beneficia duplici reſervatione perſonali reſervata, vel affecta non comprehendi in prædictis Indultis, tamen etiam prætendunt hanc reſervationis duplicitatem non impedire eorum proviſionem vigore prædictorum Indultorum faciendam, eiſdemque beneficiorum unionibus non obſtare, & propterea diverſimodè etiam executio litterarum Apoſtolicarum proviſionis eorumdem beneficiorum indebitis prætenſionibus hujuſmodi impedita fuit, & impeditur de facto in diverſis Tribunalibus, & Congregationibus præſertim Rotæ, & Congregationis Concilii Tridentini, in quibus reperiuntur factæ reſolutiones etiam inter ſe diſcordantes: volentes igitur prædicta impedimenta tollere, & noſtro Oraculo prætenſas dubitationes dilucidare: motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetua Conſtitutione prædictum Decretum Clementis prædeceſſoris prædicti ſuper executione, ſeu interpretatione ejuſdem Concilii emanatum confirmamus, inviolabiliterque de cætero obſervare mandamus per quoſcumque Patriarchas Metropolitanos, Archiepiſcopos, Epiſcopos, etiam S.R.E. Cardinales, declaramuſque prædictum Decretum etiam eoſdem Cardinales comprehendiſſe, & comprehendere, prædictoſque Cardinales, & quoſcumque alios prædicta Indulta Apoſtolica conferendi prædicta beneficia reſervata, ſeu affecta, & de eiſdem diſponendi habentes, non potuiſſe hactenus poſt prædictum Decretum Clementis prædeceſſoris, nec in poſterum poſſe in vim illorum, nec vigore ejuſdem Concilii, aut aliàs etiam auctoritate eorum ordinaria, prætextu quod ex prædictis indultis extinctæ, & ſublatæ ſint reſervationes, & affectiones eadem beneficia quomodolibet tempore unionis reſervata, vel affecta unire etiã Seminariis prædictis puerorum, nec de iis per viam cujuſcumque unionis, ſuppreſſionis, vel applicationis diſponere, nec etiam in vim prædictorum Indultorum reſervata, & af- 50
fecta conferendi, ac de eis diſponendi, potuiſſe, nec poſſe conferre beneficia duplici reſervatione perſonali reſervata, vel affecta. Præſentes quoque litteras de ſubreptionis, ac obreptionis, ſeu nullitatis vitio, noſtræque intentionis defectu, etiam ex eo quod Seminaria, & quæcumque, & cujuſcum-

que ſtatus, conditionis, gradus, qualitatis, ac dignitatis, etiam Eccleſiaſticæ deſuper intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hæc vocati non fuerint, vel præmiſſis non conſenſerint, notari, impugnari, redargui, aut in jus, vel in controverſiam revocari non poſſe: ſicque & non aliter per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos etiam Sacri Palatii Apoſtolici, Cauſarum Auditores, ac S. R. E. Cardinales, eorumque Congregationes, & quoſcumque alios ſpeciali expreſſione indigentes judicari, diffiniri, & interpretari debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ſeu interpretandi facultate, & auctoritate; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obſtantibus præmiſſi omnibus, & ſingulis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis etiam in Conciliis generalibus editis, regulis Cancellariæ, & quatenus opus foret etiam illa de non tollendo jure quæſito, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Quorum omnium, & ſingulorum tenores, earumdem litium, & cauſarum etiam hactenus pendentium ſtatum, & merita, ipſorumque beneficiorum nuncupationes, ſituationes, & qualitates, partiumque collitigantium, necnon judicum nomina, & cognomina, Tribunaliumque, & Congregationum præeminentias, & facultates, cæteraque hic forſan exprimenda, & inſerenda pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Julii 1642. Pontificatus Noſtri Anno decimonono.

51 Ulterius QUÆRO, An unio beneficii litigioſi facta Seminario ad præſcriptum Concilii Tridentini *cap. 18. ſeſſ. 23.* ſit valida, necne?

Videtur reſpondendum eſſe, validam: nam decretum *dicti cap.* 18. primo tribuit Epiſcopo facultatem uniendi Seminario Clericorum beneficia aliquot ſimplicia ſine cultus divini, & illa obtinentium præjudicio, ac deinde adjicit: quod locum habeat etiamſi beneficia ſint reſervata, vel affecta, nec per reſignationem ipſorum beneficiorum uniones impediri ullo modo poſſint, ſed omninò quacumque vacatione etiamſi in Curia effectum ſuum ſortiantur, & quacumque conſtitutione non obſtante. Quibus verbis videtur attributa facultas uniendi etiam beneficia litigioſa.

52 Primò, quia multorum ſententia eſt, beneficium ratione litis cenſeri affectum: quod cenſent Probus ad Monach. *in cap. 1. num. 8. verſ. idem dic de reſervatis Sedi Apoſtolicæ, & affectis ratione litigii, de offic. Legat. in 6.* Mandoſ. *in proœm. regul. Cancellar. q. 5. num. 9. verſ. Affectio etiam cauſatur ratione litis*, Sarnen. *in regul. de impetran. benefic. vacan. per obitum Cardinalis q. 8. ante num. 5. verſ. Teſtis tamen, & num. 7. verſ. Poſtremo facit*, & Rebuffus *ſuper concord. rubr. de collat. §. Volumus in ver. Affecta fol.* 451. Quorum opinio ſi vera eſt, hic caſus deciditur expreſſis verbis Concilii, quibus datur facultas uniendi beneficia etiam reſervata, vel affecta.

53 Deinde etſi multi ſentiant in ſtrictiori ſignificatione aliud eſſe beneficium litigioſum, aliud affectum, vel reſervatum, ut idem Mandoſ. *in d. regul. de impetr. benefic. q. 9. n. 5.* & Simonet. *de reſervat. q. 10. num. 9. & ſeq.* Veritas tamen eſt longè minus eſſe beneficium litigioſum, quàm reſervatum: nam per litem non abdicatur prorſus ab Ordinario conferendi facultas, ſed ſuſpenditur tantum uſque ad litis exitum, *cap. 2. ut lite pendente lib. 6.* & Clem. *1. eod. tit.*

54 Lis enim eſt qualitas ſuſpenſiva, & veluti ſimplex inhibitio temporalis, per quam manus Ordinarii ligantur, ut interim non conferant, Gomez *in regul. de trienn. q. 31. verſ. Tamen pace eorum*, Covarr. *practicar. quæſt. cap. 36. num. 7. verſ. Quinto.* At per reſervationem omninò tollitur Ordinario facultas conferendi, & beneficium remanet perpetuò affectum, Extravag. *Ad Romani de præben.* & tradit Gomez *loco cit.* Itaque ſi Concilium tribuit Epiſcopo poteſtatem uniendi beneficia etiam reſervata, vel affecta, quorum collatio certum eſt nunquam ad Epiſcopum, ſed ſemper ad Sedem Apoſtolicam pertinere; longè magis cenſetur attribuiſſe poteſtatem uniendi litigioſa, quorum proviſio dubium eſt an ſpectare debeat ad Papam, vel ad Ordinarium

55 ratione litis: nam ut ait Simonet. *d. q. 10. num. 6.* Collatio beneficii litigioſi pendet à dubio litis eventu; & plus juris habet Ordinarius in beneficio litigioſo, quod finita lite ſpectare poteſt ad ſuam collationem, quàm in reſervato, cujus proviſio ſemper, atque indiſtinctè pertinet ad Papam; & majus præjudicium infertur Papæ in unione reſervati, quod certum eſt ad ejus collationem pertinere, quàm in unione litigioſi, cujus proviſio poſt litis exitum ſpectare poteſt ad Ordinarium. Unde in facultate uniendi reſervata, quod magis eſt, videtur abſque dubio comprehendi facultas uniendi litigioſa, quod minus eſt, *cap. Ex parte, il terzo, de decim. l. In eo quod plus, & l. in toto ff. de reg. jur. cum concord.* de quibus utrobique per Decium. Præſertim verò, quia Concilium utitur dictione illa, *etiamſi*, quod 56 inquit, habeat locum etiamſi beneficia ſint reſervata, vel affecta: de cujus quidem dictionis natura eſt ampliare diſpoſitionem, & implicare caſum magis dubitabilem, *c. Cùm illis*, ubi Archidiac. *num. 1. verſ. illis etiam de præbend. in 6.*

Et confirmatur, quia Concilium concedit Epiſcopo authoritatem uniendi beneficia, cujuſcumque qualitatis fuerint: quæ quidem verba apta ſunt comprehendere etiam beneficia litigioſa, *c. Solitæ de maiorit. & obedient.* cum allegat. per Salic. *l. 2. n. 9. C. de noxal.* & per Roman. *conſ. 31. Viſis his n. 2. verſ. Ex quo enim.* Deinde addit quod habeat 57 locum etiamſi beneficia ſint reſervata, vel affecta: qui quidem gradus utique excedit, & longè ſuperat impedimentum litigii. Tertiò jubet unionem ſortiri effectum non obſtante vacatione in Curia, per quam inducitur reſervatio clauſa in corpore juris, id eſt *in c. 2. de præben. in 6.* & qua nulla in jure major, vel potentior invenitur, ut ait Guil. *deciſ. 33. de præben.* relatus à Gomez *de regul. de trienn. q. 31. in princ.* Neque his contentum Concilium, adjicit poſtremò unionem hanc debere effectum ſortiri quacumque conſtitutione non obſtante, quæ verba propriè referri poſſunt etiam ad Conſtitutionem Bonifacii VIII. *in d. c. 2. ut lit. pendent. in 6.* per quam ſuſpenditur collatio beneficii litigioſi durante lite. Itaut propterea ſive mentem, ſive verba Concilii ſpectemus, non videatur dubitandum, quominus liceat Epiſcopo unire Seminario beneficia etiam litigioſa. Atque ita tollitur objectum quod aliud ſit beneficium affectú, 58 aliud litigioſum: quo uno fundamento Rota in hac cauſa Cordubenſi iterùm, ac tertiò cenſuit Concilium non comprehendere litigioſa; re vera enim facultas conferendi affecta, quod magis eſt, utique complectitur facultatem conferendi litigioſa, quod minus eſt.

Neque obſtat, quod in his, quæ differunt ſpecie, in eo, 59 quod eſt plus, non contineatur id, quod eſt minus, *c. Cui de non ſacerdotali de præbend. l. Solemus §. Latrunculator ff. de iudic.* & Declarat Dyn. *in reg. Sexti. Plus ſemper, verſ.* 60 *Sed dicendum eſt.* Nam pro ſolutione conſiderandum eſt quod ſpectat ad præſentem quæſtionem, inter beneficium litigioſum, & reſervatum duas tantum eſſe differentias. Prima eſt, quia prohibitio conferendi litigioſa eſt temporalis durante lite; prohibitio verò conferendi reſervata eſt perpetua, uſque ad Papæ proviſionem. Et hanc primam differen- 61 tiam certum eſt non eſſe in ſpecie, ſed tantùm in quantitate temporis, vel durationis; itaut propterea in facultate uniendi non obſtante prohibitione perpetua abſque dubio comprehendatur facultas uniendi, non obſtante prohibitione temporali: ſicut qui poteſt relegare, vel interdicere in perpetuum, multò magis poteſt relegare, vel interdicere ad tempus, & qui poteſt abſolvere à ſuſpenſione perpetua, longè magis abſolvere poteſt à ſuſpenſione temporali, cùm hæc non differant niſi tamquam magis, & minus, *ut l. Relegatorum §. Solet ff. de interdict. & relegat. & l. Moris ff. de pœnit.* Secunda difficultas eſt, quod in reſervatione Papa duo facit, ideſt prohibet Ordinarium conferre, & reſervat ſibi jus conferendi, in litigio autem non facit niſi unum ex his duobus, ideſt prohibet Ordinarium conferre: nemini autem reſervat jus conferendi, ſed illud relinquit in ſuſpenſo, & vult pendere à futuro eventu. Et in hoc quoque reſervatio non differt à litigio niſi tamquam magis, & minus: certum eſt enim in reſervatione includi illam ſimplicem prohibitionem conferendi, quæ ineſt litigio, ſicut in mixto continentur ſimplicia. Beneficium enim litigioſum Papa ſolum prohibet conferre: reſervatum verò non ſolum prohibet, ſed ulterius procedendo ſuæ diſpoſitioni reſervat; atque ita reſervatio includit caſum litigii, ſed illum excedit gradu; unde facultas uniendi reſervata omninò comprehendit facultatem uniendi litigioſa; cùm hæc, ut diximus non differant niſi ut magis, & minus,

ut

ut in c. Plus ſuper de reg. iur. in 6. & ibi notat gloſ. Jo. Andr. & Doctores.

Sed objicies. Major ratio prohibitionis eſt in litigioſis, quàm in reſervatis, ne ſcilicet propter novos adverſarios, qui malitioſè interdum petitoribus ſubrogantur, litigia in Eccleſiarum diſpendium prorogari contingat, ut legitur *in d. c. 2. Vt lite pendente in 6.* Ergo facultas uniendi reſervata non includit litigioſa.

62 At reſpondetur hanc rationem poſſe quidem conſiderari in collatione, ſed non in unione. Primò quia unio fieri poteſt etiam in vita collitigantium, ut Clem. 2. *de reb. Eccleſ. non alienan.* quo caſu per unionem Seminarii non adjicitur novus adverſarius, neque prorogatur litigium; ſed iidemmet collitigantes litem proſequuntur, & poſt obitum illorum unio effectum ſortitur. Deinde quia etſi unio fiat poſt obitum unius ex collitigantibus, tamen Seminarium poterit litem non proſequi, & expectare obitum alterius collitigantis ſuperſtitis, cùm certum ſit unionem tunc eſſe habituram effectum abſque ullo ipſius Seminarii diſpendio. Præterea verba illa textus, *qui malitioſè petitoribus ſubrogantur*, non congruunt loco pio cujuſmodi eſt Seminarium. Ac denique quia prohibitus conferre litigioſa non debet cenſeri prohibitus illa unire etiam circumſcripta Concilii diſpoſitione, dummodo unio fiat abſque obtinentium præjudicio: Sic enim videmus beneficia etiam reſervata poſſe ab Ordinario uniri, quamvis conferri non poſſint, cùm unio reſpiciat proprietatem beneficii, collatio verò titulum, Rota *deciſ. 4. 5. & 6. de reb. Eccleſ. non alienand. in antiquis*, & fuſiùs dictum eſt ſupra *n. 20. & 22.* Experientia etiam docuit hanc rationem præjudicii Eccleſiarum propter litigii prorogationem eſſe parum conſiderabilem, cùm ſtante lite Papa conſueverit paſſim concedere ſubrogationes in juribus defuncti, ut in regula Cancellariæ *19. de ſubrog. collitigant.* & ibi Gloſſatores.

63 Ultimò omittendum non eſt hanc quæſtionem in caſu huic valdè affine fuiſſe jam deciſam in Congregatione Concilii, nam cùm decretum *c. 18. ſeſſ. 24.* jubeat conferri Parochiales prævia forma examinis per concurſum, etiamſi, inquit, Parochialis Eccleſia reſervata, vel affecta fuerit; dubitatum fuit an ſub ea diſpoſitione comprehenderentur beneficia litigioſa: & quamvis adductum fuiſſet litigioſa beneficia non eſſe reſervata, vel affecta, ſed tantùm illorum collationem ſuſpenſam eſſe; ac proinde in ipſis non verificari verba Concilii, quæ de reſervatis, vel affectis loquuntur: tamen S. Congregatio cenſuit decretum d. c. 18. habere locum etiamſi ipſæ Parochiales litigioſæ ſint.

Hæc omnia videntur abſque dubio procedere in unionibus factis ante annum 1602. At verò in unionibus poſtea factis, & in futurum faciendis longè major eſt difficultas, 64 nam ut dictum eſt in præcedenti quæſtione Clemens VIII. die 22. Februarii 1602. ad vitandas fraudes ex ſententia Congregationis decrevit ut de cætero non poſſent uniri Seminario beneficia, quæ obtineant perſonæ, quæ vel ob familiaritatem Cardinalium, vel aliam ob cauſam tales ſint, ut quocumque menſe decedant, certum ſit ea fore affecta Sedi Apoſtolicæ. Dubitari enim poteſt an hoc decretum quemadmodum abſtulit Epiſcopo facultatem uniendi reſervata, ita etiam abſtulerit facultatem uniendi litigioſa.

Verius videtur hoc decretum non habere locum in litigioſis; quia in illis non viget tanta ratio prohibitionis, quanta viget in reſervatis: neque enim unio cenſeri poteſt fieri abſolutè in fraudem collationis Apoſtolicæ; quia incertum eſt an finita lite beneficium conferri debeat à Papa, vel ab Ordinario; & poteſt contingere ut Ordinarius uniendo præjudicet ſuæ collationi, puta ſi beneficium vacaverit extra Curiam, quo caſu collatio litigioſi finita lite ad Ordinarium ſpectat, juxta text. in d. Clem. 1. *ut lit. pendent.* Et cùm magis ſit beneficium eſſe reſervatum, quàm litigioſum, ut ſuperiùs diximus *n. 53.* non ſequitur, Epiſcopus ob decretum Clementis non poteſt unire reſervata: ergo nec litigioſa quia regula, In eo quod plus procedit in oratione affirmativa, non in negativa, ut declarant Bart. & Doctores *in l. 1. §. Stipulanti ff. de verbor. obligat.* & Decius *d. l. In eo quod plus n. 8. verſ. Tertiò regula procedit.* Sicut nec valet argumentum de parte ad totum, ut per Calder. *conſ. 111. aliàs 2. de arbitris.* Præterquamquod nec verba ejuſdem decreti conveniunt ullo modo beneficiis litigioſis: loquuntur enim de illis tantùm, quæ quocumque menſe vacaverint, certum tamen ſit fore affecta Sedi Apoſtolicæ: at verò litigioſa ſi vacaverint extra Curiam in menſe Ordinarii finita lite nullo modo ſint affecta Sedi Apoſtolicæ, ſed ad Ordinarii collationem pertinent, ut ſtatutum eſt in d. Clem. 1. atque ita in litigioſis non adeſt certitudo illa, quam decretum requirit.

Itaque videtur reſpondendum unionem beneficii, ſive ante, ſive poſt Decretum Clementis facta fuerit, tamen non eſſe nullam ex eo quod beneficium ſit litigioſum: & in hanc ſententiam S. Congregatio reſpondit.

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM.

Innocentius III. Epiſcopo Hiponeñ. & Abbati de Tilero Viſitatoribus Lombardiæ.

CAPUT X.

EX litteris veſtris accepimus, quòd cùm ad Albiganenſem Eccleſiam, unà cum Piſano Archiepiſcopo, tunc Epiſcopo Vercelleñ. acceſſiſſetis, viſitationis officium impleturi: Albiganeñ. Epiſcopus inter cætera, quæ propoſita fuerant contra ipſum, ore proprio eſt confeſſus, quòd cùm quidam in villa quadam ad ejus juriſdictionem ſpectante infamaretur de furto, & idem illud inficiaretur omninò; offerens, quòd candentis ferri judicio ſe purgaret, & ut ſuſpendio puniretur, ſi deficeret in eodem: dictus Epiſcopus requiſivit à judice, quid ſuper hoc videretur eidem: & cùm judex reſpondiſſet, ut fieret ſicut fur ipſe dixerat: ferrum candens in ipſius præſentia Epiſcopi eſt allatum, quod cùm accepiſſet fur ille, combuſtus eſt: unde judex pavefactus, quid ſibi ſuper hoc videretur, conſuluit Epiſcopum memoratum: Qui reſpondit, quòd ſi fur ſic evaderet, malum eſſet: quamquam affirmet ſe verbis talibus uſum fuiſſe: Auditis quantus eſt clamor populi? omnes dicunt, malum eſt, ſi ſic evaſerit impunitus: & ſic Epiſcopus & judex villam ipſam cum multitudine ſunt egreſſi: in quorum præſentia prædictus fur eſt ſuſpenſus, propter quod ipſum cum litteris veſtris ad ſedem Apoſtolicam deſtinaſtis: ſed idem nihil ſuper his propoſuit coram nobis, nec litteras veſtras vidimus, licèt idem ſe nobis illas aſſerat præſentaſſe: quinimò cùm dictus Archiepiſcopus ad ſedem Apoſtolicam acceſſit, qui nobis hujuſmodi rei ſeriem plenariè indicavit, idem Epiſcopus à noſtra diſceſſit præſentia, & perquiſitus, non potuit inveniri. Nos autem quia idem Epiſcopus non ſolùm in judicio candentis ferri, verùm etiam in furis ſuſpendio graviter noſcitur deliquiſſe: cùm his non tantùm auctoritatem præſtiterit, verùm etiam præſentiam exhibuerit corporalem, ipſum indignum altaris miniſterio reputamus. Cùm igitur Pontificale officium ſine altaris miniſterio non valeat adimpleri: Mandamus, quatenus ut Epiſcopatui cedat, moneatis eumdem: alioquin ipſum ab Albiganeñ. Eccleſia amoventes, faciatis eidem per electionem Canonicam de perſona idonea provideri.

Digitized by Google

1 EX *litteris*. Epiſcopus, cujus authoritate homicidium eſt commiſſum, à miniſterio Altaris, & officio Pontificali, & Epiſcopatus adminiſtratione deponitur. Vel ſic. Epiſcopus præſtans cauſam directè, vel indirectè homicidio committendo, eo commiſſo, privari debet officio Pontificali, & Sacerdotali, & ab adminiſtratione Epiſcopatus removeri. Vel tertiò, & brevius. Clericus authoritatem, vel conſilium directè, vel indirectè homicidio præſtans, irregularis efficitur. Hoc dicit Abb. Siculus. Prima pars narrat factum. Secunda diffiniendo committit, ibi, *Nos autem*.

Pro intellectu hujus Decretalis vide quod dixi *in c. Requiſivit n. 80. de Ordin. ab Epiſc.*

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XII.

ACcedentibus ad nos de diverſis mundi partibus Epiſcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorumdam Abbatum exceſſus, qui ſuis finibus non contenti, manus ad ea, quæ ſunt Epiſcopalis dignitatis, extendunt; de cauſis matrimonialibus cognoſcendo; injungendo publicas pœnitentias; concedendo etiam indulgentiarum litteras, & ſimilia præſumendo: unde contingit interdum, quòd vileſcit Epiſcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in his, & Epiſcoporum dignitati, & Abbatum providere ſaluti: Præſenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia ſe præſumat extendere, ſi proprium voluerit periculum evitare: niſi forſan quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa, ſuper hujuſmodi valeat ſe tueri.

SVMMARIVM.

1 *PRelati inferiores de matrimoniis cognoſcere, publicas pœnitentias iniungere, & Indulgentias dare non poſſunt, niſi hoc eis competebat de iure ſpeciali.*
2 *Cauſas matrimoniales cognoſcere eſt dignitatis Epiſcopalis.*
3 *Cauſarum matrimonialium cognitio acquiri poteſt nedum privilegio, ſed etiam conſuetudine legitimè præſcripta.*
Et quid poſt Concilium Tridentinum num. 6. verſ. Hodie verò.
4 *Prelati inferiores acquirere poſſunt ea, quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis non ſolum privilegio, ſed etiam præſcriptione.*
5 *Non autem ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis.*
6 *Etiamſi præſcriptio ſit immemorabilis.*
7 *Abbates, & alii inferiores Prælati Indulgentias concedere non poſſunt, & n. ſeq. uſque ad n. 20.*
8 *Indulgentiæ partim accedunt ad dignitatem Epiſcopalem partim ad Ordinem.*
9 *Epiſcopus electus, & confirmatus ante conſecrationem an poſſit indulgentiarum litteras dare, & num. ſeq.*
Et quid ſi non ſit Presbyter, ibid. & n. 11.
10 *Clavis iuriſdictionis non eſt quid ſacramentale. Indulgentiæ non pertinent ad diſpenſationem bonorum communium Eccleſiæ, ibid.*
11 *Legati etiam non Sacerdotes poſſunt indulgentias concedere.*
Indulgentia pertinent ad clavem iuriſdictionis, ibidem.
12 *Indulgentiæ dari non poſſunt ab inferioribus Prælatis etiam iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus.*
13 *Sed ab Epiſcopo tantùm.*
14 *Eccleſia aſſimilatur Congregationi politicæ, Conventus vel Parochia Congregationi Œconomicæ.*
15 *Epiſcopus ſolus propriè Prælatus Eccleſiæ dicitur.*
16 *Plebani non ſunt propriè Prælati, ſed quaſi Coadiutores Epiſcopi.*
17 *Indulgentias dare non poteſt Vicarius generalis Epiſcopi, nec Capitulum ſede vacante.*
18 *Et an valeat contraria conſuetudo.*
19 *Generales, & Provinciales indulgentias concedere non poſſunt.*
20 *Abbates nullius diœceſis habentes omnimodam iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in clerum, & populum excluſis Epiſcopis, an poſſint cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere: latiſſimè diſcutitur uſque in finem.*
Regulares veniunt appellatione inferiorum, qui à Concilio Tridentino cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere prohibentur, ibid.
Declaratur n. 40. & 50.
21 *Cauſæ matrimoniales cùm ſint graves itidem, & criminales, non ſunt per quoslibet tractandæ.*
22 *Curia Romana committit cauſas matrimoniales Epiſcopis; & ſi alios adiungit, ponit clauſulam,* Quod ſi non omnes, tu frater Epiſcope.
23 *Inferiorū appellatione veniunt omnes Epiſcopo inferiores. Declaratur n. 38. & 50.*
24 *Dictionis taxativæ natura eſt ponere quod affirmat, & præter id quod ponit omne aliud excludere.*
Declaratur n. 41. & ſeq. uſque ad n. 46.
25 *Monitoria ad finem revelationis decerni non poſſunt ab Abbatibus nullius diœceſis habentibus Epiſcopalem iuriſdictionem, ſed petenda ſunt à Sede Apoſtolica, & n. 47.*
26 *Renunciationes matrimoniales remitti non poſſunt ab Ordinariis inferioribus, ſed ab Epiſcopo tantum.*
27 *Abbates ex Concilio Tridentino prohibentur cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere.*
Declaratur n. 48. & 50.
28 *Abbates habent dignitatem excellentem, & primam poſt Epiſcopalem.*
29 *Ac ſi proprium territorium habeant cum iuriſdictione quaſi Epiſcopali, excluſis Epiſcopis veniunt appellatione diœceſani.*
30 *Cauſæ matrimoniales olim committebantur inferioribus Prælatis habentibus iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam.*
31 *Correctio legum induci non debet per ſubauditos, & tacitos intellectus.*
32 *Archidiaconi, Decani, & aliorum inferiorum appellatione non veniunt Abbates nullius diœceſis habentes iuriſdictionem ordinariam excluſis Epiſcopis.*
33 *Epiſcopus in locis ipſis nullius diœceſis excepta viſitatione iure delegato nullam prorſus authoritatem exercere poteſt.*
34 *Etiam quoad ordinationem Clericorum.*
35 *Vel concernentia curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem.*
36 *Cauſæ matrimoniales, & criminales, an olim ex ſtylo Curiæ committerentur Abbatibus, & an hic ſtylus ſervari debeat.*
37 *Abbatibus, & aliis inferioribus ſunt committenda diſpenſationes matrimoniales, littera in forma ſigni-*

Digitized by Google

ſignificavit, & alia huiuſmodi quoad eorum ſubditos, ſi modo ipſi iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & proprium territorium habeant, vel iuriſdictionem pleno iure Epiſcopalem, & temporalem.

38 *Dictio*, aliorum, *infert omnimodam ſimilitudinem ad expreſſa; & quamvis iuncta ſit cum dictione* omnium, *tamen non comprehendit maiora, quàm expreſſa fuerint.*

39 *Clauſula generalis ſubſequens quando in lege, vel Canone ſunt enumerata minores, aut inferiores perſona, numquam comprehendit maiores, vel ſuperiores.*

40 *Prelatis Regularibus nullius diœceſis, ac iuriſdictionem habentibus quaſi Epiſcopalem competunt ea omnia in Regulares exemptos intra ſuum territorium exiſtentes, qua ex Concilio Tridentino competunt locorum Ordinariis contra alios exemptos.*

41 *Verba ſequentia reſtringuntur ad præcedentia, quando ad illa veniunt continuativè.*

42 *Iuriſdictio per Conſtitutionem in certum genus perſonarum taxativè collata, non cenſetur derogatum iuriſdictioni alterius in eaſdem perſonas.*

43 *Dictio taxativa in diſpoſitione legis non excludit caſus ſimiles, vel eandem rationem habentes. Et ſufficit ut ſint ſimiles quoad id de quo diſputatur, num. 45.*

44 *Abbates in locis ſibi pleno iure ſubiectis quoad iuriſdictionem ſunt ſimiles Epiſcopis.*

45 *Et valet argumentum de Abbatibus habentibus Epiſcopalem iuriſdictionem ad Epiſcopos.*

46 *Prælatorum Eccleſiarum appellatione veniunt etiam Abbates nullius diœceſis.*

1 A*Ccedentibus*. Abbates de matrimoniis cognoſcere,
publicas pœnitentias injungere, & indulgentias con-
cedere non poſſunt, niſi hoc de ſpeciali jure illis competat:
ſic ſummatur ſecundum Jo. Andr. & DD. communiter;
vel ſic & generalius ſecundum Abbatem, & Marianum
Socinum. Cognoſcere de cauſa matrimoniali, item pœ-
nitentias publicas injungere, & indulgentias concedere
ſpectat ad dignitatem Epiſcopalem: unde inferior Prælatus
de his ſe intromittere non debet, niſi ei competat de jure
ſpeciali. Primò ponit Epiſcoporum querelam, cui ſecundò
providet ibi, *Volentes*.
2 Nota primò cognitionem cauſarum matrimonialium
eſſe dignitatis Epiſcopalis; ac proinde Epiſcopum de jure
communi in his fundare intentionem excluſis inferioribus
Prælatis, ut hic, *& in c. Multorum in fin.* 35. q. 6. & melius
in c. Auditis de præſcript. & notat hic gloſ. *in verb. Epiſcopa-
lis dignitatis*, Hoſt. *num.* 3. *in ver. Matrimonialibus*, Butr.
Abb. & Marian. Socin. omnes *in* 1. *notab.* & hodie eſt ex-
preſſum in Decreto Concilii Tridentini *c.* 20. §. *At hæc ſeſſ.*
24. ut fuſiùs patebit infra *n.* 20.
3 Secundò nota ibi, *ſpeciali conceſſione, vel alia legitima
cauſa*: jus cognoſcendi de cauſis matrimonialibus poſſe
acquiri nedum ex privilegio, ſed etiam ex conſuetudine
legitimè præſcripta, quæ juriſdictionem tribuit, *cap. ult.
ſupra de off. Archid. & d. cap. Auditis de præſcript.* hoc enim
important illa verba, *vel alia legitima cauſa*, idest conſue-
tudine, vel præſcriptione, ut exponit gloſ. fin. & Innocen.
4 Generaliter enim ea, quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis, ſunt
etiam inferioribus Prælatis non tantùm conceſſibilia pri-
vilegio, ſed etiam quæſibilia præſcriptione, vel conſuetu-
dine, ut formaliter inquit Butr. hìc *n.* 2. & conſentit Abb.
5 *eod. num. in* 2. *notab. & num.* 3. *verſ. Nota ex hac gloſſa*, &
Marian. Socin. *n.* 3. licet ſecus ſit in his, quæ ſunt ordinis
Epiſcopalis quia nulla conſuetudine, vel præſcriptione ac-
quiri poſſunt ab inferioribus Prælatis, *c. Quanto de conſuet.
& c. Aqua de conſecr. Eccleſ.* & notant hic Hoſt. Jo. Andr.
6 Cardin. Anchar. & omnes etiamſi ſit immemorabilis, ut
dixi plenè *in d. c. Quanto*.
Hodie verò conſuetudo inferiorum cognoſcendi de
cauſis matrimonialibus ſublata eſt à Concilio Tridenti-
no *in dicto cap.* 20. *in fine ſeſſ.* 24. niſi ſit immemora-
bili, ut declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii In-
terpres.
7 Ultimò nota, Abbates, vel alios inferiores Prælatos

de jure communi non poſſe litteras indulgentiarum conce-
dere, hoc enim Epiſcopalis eſt dignitatis, ut eſt textus
clarus hic, *& in cap. Cum ex eo inf. de pœnit. & remiſſ.* &
notat Archid. *in cap. Romana circa fin. in ver. Indulgentiis
eod. tit. lib.* 6. Quinimò ſentit hic Hoſt. *num.* 6. *verſ. Patet
ergo*, indulgentiam eſſe mixtæ poteſtatis, quia partim 8
accedit ad dignitatem, ſive juriſdictionem Epiſcopalem,
partim ad Ordinem: unde *num.* 5. *verſ. Sed numquid ele-
ctus confirmatus*, videtur inferre ut Epiſcopus electus, & 9
confirmatus ante conſecrationem non poſſit indulgentias
elargiri, præſertim ſi non ſit Sacerdos: & eum ſequitur
Archid. *loco cit.* licet Hoſtienſis ſubdat aliter fuiſſe inter-
pretatam conſuetudinem; quia Epiſcopi etiam non Preſ-
byteri, nec conſecrati indulgentias faciunt; quam tamen
dicit eſſe irrationabilem ſaltem in Epiſcopo non Presby-
tero. Amplius putat Franc. Vercellen. relatus hic à Joan.
Andr. & DD. electum ante conſecrationem indulgentias
elargiri non poſſe, etiamſi Sacerdos ſit: & hanc partem
mordicus tuetur, Butr. verò *n.* 3. ſimpliciter recitat opi-
niones, & nihil concludit, ſed dicit [teneatis quod pla-
cet, ſed tu in hoc ſequere S. Thomam] nam, ut ipſe ait *in
4. diſtin.* 20. *art.* 3. *q.* 2. *ad primum*: *Clavis iuriſdictionis* 10
*non eſt quid ſacramentale, & effectus eius arbitrio hominis
ſubiacet, & huius clavis effectus eſt remiſſio, quæ eſt per in-
dulgentias, cùm non pertineat ad diſpenſationem Sacra-
mentorum talis remiſſio, ſed ad diſpenſationem bonorum
communium Eccleſiæ*. Et ideo etiam Legati non ſacerdotes 11
indulgentias concedere poſſunt. Et ut idem docet *art.* 4.
q. 2. *in corpore*. *Poteſtas concedendi indulgentias ſequitur iu-
riſdictionem: & quia Diaconi, & alii non ſacerdotes poſ-
ſunt habere iuriſdictionem vel commiſſam, ſicut Legati, vel
ordinariam, ſicut electi; ideò poſſunt indulgentias concedere,
etiam non ſacerdotes, quamvis non poſſint abſolvere in foro
pœnitentiali, quod eſt Ordinis*. Hæc ille, cujus doctrina
communiter recipitur, teſte Navarr. *in tract. de indulgen.
in* 31. *notab. num.* 3. *verſ. Poſſunt autem hi conferre etiamſi
non ſint in Epiſcopos conſecrati*. Sed quamvis hæc ita ſe
habeant in Legato, qui jus dandi indulgentias habet ex 12
commiſſione Papæ, & in electo, qui illud habet ex pote-
ſtate ordinaria, cùm in confirmatione conſequatur pote-
ſtatem juriſdictionis, etiam ante conſecrationem, *ut in c.
Traſmiſſam de elect.* non tamen hinc licet inferre ut infe-
riores Prælati poſſint indulgentias dare, licet quandoque
habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, *ut in cap. Ab-
bates de privileg. lib.* 6. Rationem reddit egregiè idem D. 13
Thomas *d. art.* 4. *q.* 1. *quia ſolus ille, qui præficitur Eccle-
ſiæ poteſt indulgentiam elargiri. Sed cùm Eccleſia ſit Congre-* 14
*gatio fidelium; Congregatio autem hominum ſit duplex, ſci-
licet œconomica, ut illi qui ſunt de una familia, & politica,
ſicut illi qui ſunt de uno populo; Eccleſia ſimilatur Congrega-
tioni politicæ, quia ipſe populus Eccleſia dicitur, ſed Conven-
tus diverſi, vel Parochia in una diœceſi ſimilantur Congre-
gationi in diverſis familiis, vel in diverſis officiis, & ideò
ſolus Epiſcopus propriè Prælatus Eccleſiæ dicitur; & ideo ipſe* 15
*ſolus quaſi ſponſus annulum Eccleſiæ recipit; & ideo ſolus ipſe
habet plenam poteſtatem in diſpenſatione Sacramentorum, &
iuriſdictionem in foro cauſarum quaſi perſona publica; alii au-* 16
*tem ſecundum quod ab eo eis committitur. Sed Sacerdotibus,
qui plebibus præficiuntur non ſunt ſimpliciter Prælati, ſed qua-
ſi coadiutores; unde in conſecratione Sacerdotum Epiſcopus
dicit, Quantò fragiliores ſumus, tantò magis his auxiliis in-
digemus. Et propter hoc etiam non omnia Sacramenta diſpen-
ſant. Vnde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii
huiuſmodi Prælati non poſſunt huiuſmodi indulgentias dare.*
Hæc S. Thom. quem ſimiliter dicit communiter receptum 17
Navarr. *de indulgen. in* 31. *notab. num.* 9. Et propterea in-
dulgentias non concedit Vicarius generalis Epiſcopi, nec
Vicarius Capituli ſede vacante, quamvis habeant ea,
quæ juriſdictionis ſunt, ut latè probat Calder. *inc. No-
ſtro colum. penult. & fin. de pœnitent. & remiſſ.* quem
ſequitur Navarr. *in d. not.* 31. *num.* 6. & tenent Archid.
*in cap. Romana circa finem verſ. Multo igitur fortius de
pœnitent. & remiſſ. lib.* 6. licet ſubdat moltos contrarium
facere abuſivè, quem ſequuntur hic Jo. Andr. *num.* 2. *in
fine*, Butr. *n.* 4. *verſ. Ex his patet quid iuris ſit ab Ca-* 18
pitulo ſede vacante. Anchar. *eodem num. verſ. Et
ex prædictis*. Nec valet contraria conſuetudo, ut plu-
ribus probat Cardin. S. Sixti *in tract. de indulgen. art.* 5.
licet in hoc aliud videatur ſentire Navarrus *ubi ſupra n.* 6.

Digitized by Google

verſ. Etiamſi conſuetudo haberet contrarium quaſt.

19 Quod facit contra Generales Ordinum Regularium, & Provinciales, qui nullis privilegiis ſuffulti præſumunt indulgentias ſuis ſubditis elargiri; nam quidquid contra ſcripſerit Eman. Rodrig. *quaſt. Regular. tom.2. q.86. art. 1. verſ. Secundo dico*, agunt contra determinationem Concilii generalis, de qua hic, & contra doctrinam D. Thomæ, & graviter peccant, ut innuit littera hujus textus ibi, *Et Abbatum provideri ſaluti*, nec non ibi, *ſi proprium voluerit periculum evitare*, ſecundum Hoſtien. *n. 7. in ver. Saluti*, & Jo. Andr. *n. 4. in eod. ver.*

20 QUÆRO, Utrum Abbates nullius diœceſis habentes omnimodam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Clerum & populum excluſis Epiſcopis, poſſint cauſas matrimoniales, & criminales cognoſcere.

Ratio dubitandi oritur ex decreto Tridentini Concilii *in c.20. §. Ad hac ſeſſ. 24.* ubi diſertis verbis ſtatuitur ut cauſæ matrimoniales, & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantùm examini, & juriſdictioni relinquantur: & in fine derogatur privilegiis, indultis, & conſuetudinibus quibuſcumque: quo quidem decreto etiam Regulares comprehendi, cenſuit S. Congregatio.

21 Et augetur difficultas, quia cauſæ matrimoniales non ſunt tractandæ per quoslibet, ſed per judices diſcretos, qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta Canonum non ignorent, *cap. 1. de conſang. & affinit.* & ibi DD. cùm ſint graves, *cap. Cauſam matrimonii*, & ibi Abb. *de offic. deleg. & cap. Si pro debilitate*, ubi Dec. *num. 35. eod. tit.* Ferret.
22 *conſ. 196. & ſeq.* Et ob hanc rationem Curia habet ex uſu delegare cauſas matrimoniales Epiſcopis, etſi alios adjungit, ponit clauſulam, *Quod ſi non omnes tu frater Epiſcope*, ut hic teſtatur Jo. Andr. *num. 1. in fine in ver. Matrimonialibus*, Butr. & Anchar. *uterque in 1. notab.* Itidem & criminales cum matrimonialibus propter earum arduitatem à pari procedunt, DD. *in cap. 1. de reſtit. in integr. & in c. Ad noſtram de probat. gloſ. in l. 3. §. Quacumque*, & ibi Bart. Paul. de Caſtr. Alex. & alii *ff. de iureiurand.* Bald. *in d. cap. Ad noſtram col. 1.* Unde non mirum ſi concilium in
23 illarum cognitione, ac definitione non confidit de inferioribus Prælatis: hac enim ratione uſum eſt illis verbis, *& aliorum inferiorum*, quorum virtute veniunt omnes illi qui ſunt Epiſcopis inferiores, & in ſpecie Abbates, ut colligitur ex gloſ. *in cap. Cùm ab Eccleſiarum in verb. Eccleſia de offic. Ordin.* & notatur per DD. *in cap. Auditis de præſcript.* Quinimò ad majorem inferiorum omnium excluſionem Concilium loquutum eſt per dictionem taxativam, *tan-*
24 *tùm*, ibi, *Sed Epiſcopi tantum examini, & iuriſdictioni relinquantur*, de cujus quidem dictionis natura eſt ponere quod affirmat, & præter id quod ponit, omne aliud excludere, *l. 2. C. de patr. qui filios diſtrax. l. Contractus, de regul. iur. cap. Cùm Eccleſia Sutrina, de cauſ. poſſeſſ. & propriet. cap. Contingit*, & ibi Felin. *de fid. inſtrum.* Bartol. *in l. Unica ff. Si quis ius dicenti non obtemper.* habet enim negativam implicitam, & ideò negat omnia non expreſſa, Gemin. *conſ. 76. n. 3. verſ. Contrarietas*, Anchatan. *conſ. 77. Viſis, & n. 4. & 5.*

25 Et confirmatur ponderando aliud decretum Concilii, nempe *cap. 2. ſeſſ. 25.* ubi cùm per ſimilia verba taxativa ſtatutum fuerit, ut excommunicationes pro rebus deperditis, ſeu monitoria ad finem revelationis à nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo decernantur, S. Congregatio declaravit Abbates nullius diœceſis habentes Epiſcopalem juriſdictionem non poſſe ejuſmodi monitoria decernere; ſed illa petenda eſſe à Sede Apoſtolica. Et in individuo cùm Cardinalis Farneſius obtinens in Commendam Abbatias S. Zeni, & Farfæ, in quibus habet jura Epiſcopalia, dubitaſſet an poſſet concedere excommunicationes ad finem revelationis, Sacra Congregatio reſpondit non poſſe.

26 Et quod ſpectat ad cauſas matrimoniales, cùm eſſet quæſitum an facultas remittendi denuntiationes competeret Commendatario, cujus Abbatia jura Epiſcopalia habet, & appellatione Ordinarii venit, juxta *cap. fin. de offic. Ordin. in 6.* Sanctiſſimus reſpondit decreto *cap. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* appellatione Ordinarii non venire alium, quàm Epiſcopum: & tamen decretum dicti c. 1. nec loquitur expreſsè de Epiſcopo, nec per dictionem taxativam, ſed ſimpliciter de Ordinario ibi, *Niſi Ordinarius ipſe expedire indicaverit, ut prædicta denunciationes remittantur.*

Demum in terminis *d. §. Ad hac*, cùm dubitatum fuerit an verba illa, *aliorum inferiorum*, intelligantur de Abbatibus, cùm decretum faciat mentionem Archidiaconi, poſt quem non videtur de Abbatibus intellexiſſe, & nullus Canon eos nominet poſt Archidiaconos, ſed ſemper præmittat Abbates, *ut in cap. 1. de ætat. & qualit. cum concordan.* S. Congregatio cenſuit intelligi, & hic ordinem non ſervari. 27

Verùm his non obſtantibus, contraria opinio eſt verior; nam omiſſa diſputatione an Abbates poſſint acquirere facultatem cognoſcendi cauſas matrimoniales, & criminales cum omnimoda juriſdictione, & territorio ſeparato in vim præſcriptionis, ſeu conſuetudinis, in quo Canoniſtæ non conveniunt, ut conſtat ex Abb. *in cap. Cùm contingat num. 18. de foro competen.* tamen indubitati juris eſt hujuſmodi territorium cum juriſdictione quaſi Epiſcopali privativè ad Epiſcopum poſſe acquiri ex privilegio Papæ, ut per Hoſt. Ant. de Butr. & alios communiter *in d. cap. Cùm contingat.*

Huic autem privilegio nulla ex parte derogavit Tridentina Synodus *in d. cap. 20. §. Ad hac ſeſſ. 24.* quia non eadem ratione Abbates ſunt inferiores Epiſcopis, ſicut Decani, & Archidiaconi, quorum meminit Concilium; cùm Abbates, de quibus agitur habeant dignitatem excellentem, & primam poſt Epiſcopalem, Bald. *in cap. Paſtoralis in gloſſ. in verb. Superiores de offic. deleg.* ubi etiam Felin. *col. 4.* Lap. *allegat. 84. Dominus Papa num. 11. verſ. Item Abbatia*, ubi determinat Abbatiam non venire ſub nomine dignitatum, cùm ſit ſpeciali nota digna, & dicatur in primo dignitatis gradu, ſicut Epiſcopatus, & cæteras appellari inferiores dignitates: allegat textum *in cap. Si quis deinceps 16. q. 7.* Et cùm habent in proprio territorio ju- 28
riſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem privativè ad Epiſcopum, veniunt appellatione Diœceſani, etiam in materia nova, & præjudiciali, ſecundum Abb. in Clem. *Diœceſanis de vit. & honeſt. Cler.* & tenet gloſ. in Clem. 1. §. *Volumus in ver. Diœceſanis*, quam ibi ſequuntur Cardin. *in 4. quaſt. n. 2.* Imol. *n. 28.* Vital. *n. 4.* & Abb. *n. 15. de for. compet. gl. Pragmatica ſanctionis tit. de annatis, verſ. In diœceſi pag. 117.* 29

Præterea olim in cauſis matrimonialibus reſcribebatur aliis inferioribus, ut de Archidiacono habetur *in cap. Litteras*, & ibi notatur *de reſt. ſpoliat.* de Archipresbytero *in cap. 1.* & ibi gloſ. *in ver. Coram Archipresbytero de conſang. & affinit.* de Præpoſito *in cap. Propoſuiſti, de probat.* de Abbatibus patet *hic, & in cap. 1. & 2. de eo qui duxit in matrimonium, in cap. Ex parte, de ſponſal. & in cap. 1. de conſang. & affin.* ex quibus juribus colligitur ſatis eſſe ut hujuſmodi inferiores Prælati noverint ſtatuta Canonum, & habeant juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, ut poſſint eis prædictæ cauſæ committi. Et idem dicendum de cauſis criminalibus, cùm propter illatum arduitatem matrimonialibus æquiparentur, ut dictum eſt ſupra *num. 22.* 30

Hanc autem ſacrorum Canonum diſpoſitionem Concilium Tridentinum cenſeri non debet ſuſtuliſſe; quia legum correctio, quantum fieri poteſt vitanda eſt, *l. Sancimus C. de teſtam.* itaut niſi expreſsè facta reperiatur, induci non debeat, *l. Præcipimus in fin. Cod. de appell.* neque enim per ſubauditos, aut tacitos intellectus inducenda eſt legum correctio, ut dicit gloſ. *in cap. Cupientes §. Quod ſi per viginti de elect. in 6.* notat Bart. *in l. Cum oportet C. de bon. quæ liber. & in l. 2. C. de ſuis, & legit. hæred.* Quin potius jura juribus ſunt concordanda, *cap. Cum expediat de elect. in 6.* Alex. *conſ. 25. n. 14. vol. 5.* Unde Concilium extendi non debet ultra Decanos, & Archidiaconos, & alios inferiores juriſdictionem ordinariam non habentes, de quibus loquitur ad correctionem juris communis. 31

Accedit quod ex ſtylo Concilii, ubi fit mentio de Archidiaconis, Decanis, & aliis inferioribus, non comprehenduntur Abbates habentes juriſdictionem ordinariam excluſis Epiſcopis, ut patet *in cap. 3. ſeſſ. 24.* quod loquitur per eademmet verba, quibus loquitur *d. §. Ad hæc*, ut ibi, *Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores in iis Eccleſiis, ubi hactenus viſitationem exercere legitime conſueverunt, debeant quidem aſſumpto Notario de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſeipſos tantùm ibidem viſitare,* 32

& in

Digitized by Google

& in c.14. in fin. ſeſſ.25. de reform. ibi: *Supradictorumque omnium cognitio, id eſt contra Clericos concubinarios, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed Epiſcopos ipſos pertineat: neutrum enim in prædictis decretis comprehendit Prælatos nullius diœceſis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes in Clerum, & populum privative ad Epiſcopum*, ut Sacra Congregatio declaravit. Ergo idem dicendum de d. §. *Ad hæc*, qui iiſdem verbis utitur, arguendo à ſolitis, & à ſtylo loquendi, ad c. *Cum illi Farrarienſis*, ubi Ant. de Butr. Imol. Abb. & Felin. de *Conſtit.*

33 Et confirmatur, quia Concilium quando voluit comprehendere loca nullius diœceſis, illa diſertis verbis expreſſit; & tunc meminit aut de Epiſcopo proximiori, aut de Epiſcopo, intra cujus diœceſis fines ea loca ſita ſunt, ut patet in *cap.9. ſeſſ.24. & cap.10. ſeſſ.23.* Ergo cùm id non fecerit in *cap.20. §. Ad hæc, ſeſſ.24.* cenſetur noluiſſe, ad *l. Vnicam, §. Sin autem ad deficientis, C. de caduc. toll. & cap. Ad audientiam, de Decim.*

Ad hæc in locis nullius diœceſis Epiſcopo nulla per Concilium tribuitur juriſdictio, niſi quoad viſitationem jure delegato, ut patet in d. *cap.9. ſeſſ.24.* nam etſi ex *cap.10. ſeſſ.23.* poſſit Epiſcopus ordinare perſonas nullius diœceſis, eiſque dimiſſorias concedere, & ex *cap.18. ſeſſ.23.* ex beneficiis nullius diœceſis contribuendum ſit Seminario viciniori Epiſcopi; tamen in locis ipſis nullius diœceſis nullam prorſus auctoritatem Epiſcopus exercere poteſt, excepta viſitatione jure delegato; ideòque in loco nullius
34 diœceſis proximior Epiſcopus non poteſt facere ordinationes, aut Pontificalia exercere, ut aliàs cenſuit Sac. Congregatio ad *cap.5. ſeſſ.26.* At verò cauſas matrimoniales, & criminales in vim d. *cap.20. §. Ad hæc, ſeſſ.24.* Epiſcopus cognoſcit jure ordinario; & totum illud decretum loquitur de Epiſcopo tamquam Ordinario, nec uſpiam fit mentio de poteſtate delegata. Abſurdum autem eſſet ut cauſas hujuſmodi Epiſcopus cognoſcere poſſet, ac diffinire tamquam Ordinarius in locis nullius diœceſis; & tamen jus viſitandi, quod favorabilius eſt exercere non poſſet, niſi tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus: ergo ad vitandum hoc inconveniens, dicendum eſt d. §. *Ad hæc* ad Prælatos, aut loca nullius diœceſis non pertinere.

35 Præterea quamvis perſonæ ſive ſæculares, ſive regulares curam animarum perſonarum ſæcularium exercentes in his quæ d. curam, & Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, ſubſint immediatè juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi ex decreto *cap.11. ſeſſ.25. de reg.* tamen hæc facultas non competit Epiſcopo in locis nullius diœceſis, ut Sac. Congregatio declaravit: quia decretum illud loquitur de locis, ac perſonis in diœceſi Epiſcopi exiſtentibus, ut conſtat ex illis verbis, *in cujus diœceſi ſunt ſita:* locus autem nullius diœceſis nec eſt in diœceſi, nec de diœceſi, ut verba ipſa ſonant, & dixit Rota *deciſ.207. num.2. part.2. diverſ.* Item prædicta facultas non competit Epiſcopis in locis, ubi Abbates Epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem exercent in Parochos, & Parochianos, ut ibi patet in verſ. *Exceptis*. Ergo ſi in prædictis locis Epiſcopus nullam habet auctoritatem in concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum; longè minus dicendum eſt illam habere in cognitione, ac diffinitione cauſarum, ad hoc *cap. Cum Capella, de privil.*

36 Ac demum quamvis de ſtylo Curiæ cauſæ matrimoniales, & criminales olim non committerentur Abbatibus, ſed Epiſcopis tantùm, ut teſtatur Specul. *de reſcript. præſent. §. Ratione formæ, verſ. Nunc ad deſtructionem*, Abb. & alii in *cap. Si pro debilitate, de off. deleg.* ubi in ſpecie Dec. *numer.10. & 11.* & validum ſit argumentum à ſtylo Curiæ, *cap. Venerabiles, de confirm. util. vel inutil. cap. Ex litteris*, & ibi Abb. *de Conſtit.* gloſ. in Clem.1. §. *Secus, de conceſſ. preb.* & Joan. Andr. in *cap. unico, de rerum permut. in 6.* tamen ſtylum hunc non fuiſſe ſemper ſervatum vel ex eo conjici poteſt, quod per multas Decretales ſuper relatas *num.30.* cauſæ hujuſmodi reperiuntur commiſſæ Abbatibus. Præterquamquod talis ſtylus eſſet contra jus commune; ac proinde non obſervandus per ea, quæ tradit Ant. de Butr. in *cap. Cum tanto, num.46. de conſuet.*
37 Abb. *in cap. unic. num.5. de ſcrutin. in ord. facien.* Sed quidquid ſit in aliis inferioribus, certè in Prælatis, de quibus loquimur ceſſat omnis difficultas, quia Sac. Congregatio jam declaravit Abbatibus eſſe committendas diſpenſationes matrimoniales, litteras in forma ſignificavit, aliaque hujuſmodi quoad eorum ſubditos, ſi modò ipſi juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & proprium territorium habeant; & in ſpecie ſic reſpondit in caſu Abbatis Nonantulani, & Abbatis Caſtri Durantis, idemque probavit Sanctiſſimus in Congregatione habita coram Sanctitate ſua in favorem Abbatis S. Joannis in Venere, ſi ſit nullius diœceſis, idemq; mandavit obſervari in poſterum in his, qui juriſdictionem pleno jure habent Epiſcopalem, & temporalem.

Neque obſtant conſiderationes in contrarium adductæ; 38
nam quod ſpectat ad verba Concilii in d. *cap.20. §. Ad hæc ſeſſ.24.* tametſi inferiorum appellatione quando id verbum abſolutè profertur, aut ad differentiam Epiſcoporum veniant omnes Epiſcopo inferiores, *cap. Cum inferior, de maior. & obed.* & notatur in *cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* tamen ſecus dicendum eſt hoc caſu, quia hoc verbum à Concilio non fuit appoſitum ſimpliciter, & abſolutè, aut reſpectivè ad Epiſcopos, ſed adjecta dictione illa, *aliorum*, quæ infert omnimodam ſimilitudinem ad expreſſa, Bald. in *l. Si fugitivi, col. ult. C. de ſerv. fugit. & in l. Conventicula, col.4. C. de Epiſc. & Cler.* Bart. *in l. Sed & reprobari, num.6. ff. de excuſ. tut.* Bero. *conſ.41. num.10. vol.1.* ſed ſupra immediatè Concilium expreſſit Decanos, & Archidiaconos, qui ſunt inferiores Epiſcopis, & quoad legem juriſdictionis, & quoad legem diœceſanam, & quoad obedientiam, quam illis præſtare tenentur, ut eſt text. in d. *cap. Cum inferior*; ejuſmodi enim inferiores utcumque exempti, quamvis non ſint de diœceſi, ſunt tamen in diœceſi, Cardin. in Clem.2. §. *Simili, num.4. de privil.* Rota *deciſ.207. numer.2 part.2. diverſ.* Ergo dum poſtea Concilium ſubjungit, *& aliorum inferiorum*, intelligi debet de inferioribus, qui Decanis, & Archidiaconis ſunt ſimiles, quales non ſunt Abbates proprium territorium, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, qui nec ſunt de diœceſi, nec in diœceſi, & in omni materia juriſdictionali veniunt appellatione diœceſani, ut oſtenſum eſt ſupra *num.29.*

Quinimò id procederet etiamſi Concilium dixiſſet, *& aliorum omnium inferiorum*, quia nihilominus per hæc verba generalia non veniunt majora, vel graviora, quam expreſſa fuerint, caſus eſt in Clem. *Non poteſt, de procur. & in l. fin. §. Cui dulcia, de tritic. vin. & oleo leg.*

Deinde ita reſpondetur: quando in lege, aut canone 39
ſunt enumeratæ minores, aut inferiores perſonæ, non poſſunt poſtea ſub generali clauſula, quæ ſubſequitur, majores, & ſuperiores comprehendi, *cap. Sedes*, & ibi Ant. de Butr. *num.10. de reſcript.* Bero. in *cap.1. num.205. de iud.* ſed Abbates, ſaltem proprium territorium, & juriſdictionem ordinariam habentes ſunt majores, & ſuperiores Archidiaconis, & Decanis, ut probatum eſt ſupra *num.32.* ergo non comprehenduntur ſub generali illa clauſula, *& aliorum inferiorum*, quæ poſt Archidiaconos, & Decanos immediatè ſubſequitur. Idque efficaciter comprobatur ex duobus decretis Concilii ſupra allegatis nempè ex *cap.3. ſeſſ.24. & cap.14. ſeſſ.25.* in quibus eademmet verba ad prædictos Abbates non extenduntur.

Atque ita non obſtat, quod d. c.20. §. *Ad hæc, ſeſſ.24.* 40
ex ſententia Sac. Congregationis comprehendat etiam Regulares; ſiquidem hæc reſolutio ſimiliter procedit in illis Regularibus, qui ſunt ſimiles Archidiaconis, & Decanis, non autem in Abbatibus nullius diœceſis omnimodam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus privativè ad Epiſcopos: hi enim etiam ex ſtylo Concilii regulariter veniunt Epiſcopi, & Ordinarii appellatione, niſi ſubjecta materia, aut verba ipſa Concilii aliud ſuadeant. Et proptereà cùm aliàs dubitatum fuerit, an Prælato inferiori regulari nullius diœceſis, ac juriſdictionem habenti quaſi Epiſcopalem exceptis his, quæ ſunt ordinis, competant ea omnia in Regulares exemptos intra ſuum territorium exiſtentes, quæ ex Concilio competunt locorum Ordinariis contra alios exemptos; Sac. Congregatio Concilii cenſuit competere.

Nec refert, quod Concilium in d. §. *Ad hæc*, poſt illa verba, 41
& aliorum inferiorum, addiderit aliam clauſulam cum dictione taxativa, videlicet *ſed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquantur.* Quandoquidem verba ſequentia reſtringuntur ad præcedentia quando ad illa veniunt continuativè, *l. Talis ſcriptura*, & ibi Bart. *de leg.1.* Abb. *in cap. Secundo requiris, de appell.* Bero. *conſ.176. n.53. vol.1.*

Item

Digitized by Google

Item quando verba prius poſita habent certam ſignifi-
cationem, non debent per ſequentia recipere declaratio-
nem, Bart. *in l. fin. de reb. dub.* Bald. *in l. 1. C. de legit. hæred.*
convenientius eſt enim ut præcedentia influant in ſequen-
tia quàm è converſo, Bart. *in l. Quiſquis de leg.* 3. Iaſ. *in l.*
Pacta, de pactis, Roman. *conſ.* 104. Bero. *conſ. 77. num.* 18.
vol. 2. Præſertim verò, quia nullum per hoc fit Epiſcopis
præjudicium, cùm hæc loca ſint extra illorum diœceſim,
ſed Abbatibus tantùm, quibus jam erat jus quæſitum,
arg. *cap. In his, de privil. cap. Suggeſtum, & c. Dudum*, ubi
gloſ. *in ver. Nullatenus, de decim.* & in terminis hujus ta-
42 xativæ Bero. *conſ.* 110. *num.* 9. *&* 10. *vol.* 1. Et in ſpecie ſi per
Conſtitutionem collata ſit alicui taxativè juriſdictio in cer-
tum genus perſonarum, non cenſeri per hoc derogatum
juriſdictioni alterius in eaſdem perſonas, Rom. *conſ.* 456. *in*
fin. n. 5. poſt Bart. *in l. Viros C. de diverſ. off. & apport. lib.* 12.
qui tamen dicit hoc procedere ſi alius habet juriſdictionem
ex conſuetudine; ſecus ſi à lege.
43 Deinde reſpondetur in diſpoſitione legis, ut hoc caſu
dictionem taxativam non excludere caſus ſimiles, vel eam-
dem rationem habentes, gloſ. in *l. Ob æs, C. de præd. min.*
Joan. de Imol. *conſ.* 86. *In cauſa quæ vertitur numer.* 7. Abb.
conſ. 62. *Ut veritas, col. pen. in fin. verſ. Nec obſtat, lib.* 2.
plenè Jaſ. *in l.* 1. *num.* 1. *verſ. Secundò limita, ff. Si quis ius*
44 *dicendi non obtemp.* Sed Abbates in locis ſibi pleno jure
ſubjectis quoad juriſdictionem ſunt ſimiles Epiſcopis,
Abb. & DD. *in cap. Conſtitutis, de appell. & in c. Translato,*
45 *de Conſtit.* Et valet argumentum de Abbate habente Epi-
ſcopalem juriſdictionem ad Epiſcopos, gloſ. in Clem. 1. *in*
ver. Proprii, de reb. Eccleſ. non alien. Feder. de Sen. *conſ.*
14. *num.* 4. Abb. poſt Joan. Andr. *in cap. Ioann. de teſt.* & in
Clem. 1. *de for. compet.* & tenet Innoc. relatus à Card. in
cap. Ex ore, in fin. de privil. & in cap. At ſi Clerici, §. de
adult. num. 13. *de iud.* Et quamvis in aliquibus differant ab
Epiſcopis, tamen ad hoc ut non excludantur per dictionem
taxativam, ſatis eſt ut ſint illis ſimiles quoad juriſdictionem,
de qua diſputatur argumento eorum, quæ habentur *in l.*
Quod Nerva, ff. Depoſiti, & per gloſ. in Auth. *Itaque, C.*
Communia, de ſucceſſ. & propterea ut ſupra obſervatum eſt
in *cap.* 14. *ſeſſ.* 25. Abbates, de quibus agitur, non exclu-
duntur à cognitione cauſarum contra Clericos concubina-
rios, quamvis Concilium decernat ut illarum cognitio non
ad Archidiaconos, Decanos, & alios inferiores, ſed ad
Epiſcopos ipſos pertineat; ponderando dictionem, *ipſos*,
quæ cùm ſit perſonaliſſima, habet vim taxativæ, Bald.
conſ. 304. *Nobilis vir, n.* 1. *lib.* 5.
Unde etiam patet nihil obſtare, quod cauſæ matrimo-
niales, & criminales ſint graves: nam nihilominus com-
mittuntur Abbatibus proprium territorium, & juriſdi-
ctionem quaſi Epiſcopalem habentibus tam de jure com-
muni, quàm ex ſententia Sac. Congregationis ex decreto
Sanctiſſimi, & ex ſtylo Cancellariæ, ut oſtenſum eſt ſupra
n. 30. 36. *&* 37. ſed & ex ſtylo Concilii cauſæ criminales co- 46
gnoſcuntur ab Eccleſiarum Prælatis, ut patet in *cap.* 3. *ſeſſ.*
6. *cap.* 4. *ſeſſ.* 14. in quo concordat etiam juris communis
diſpoſitio in *c. Irrefragibili, de off. Ordin.* quorum quidem
Prælatorum appellatione etiam prædicti Abbates continen-
tur, *cap. Decernimus* & ibi Dec. *num.* 4. *de iud.* ergo idem di-
cendum de matrimonialibus, quæ à pari procedunt, *cap.* 1. &
ibi DD. *de in integr. reſtit.* cum aliis ſupra alleg. *num.* 22. alio-
quin eſſet juriſdictiones confundere, contra *cap. Pervenit*
11. *quæſt.* 1. & not. in *cap. Paſtoralis, de off. ordin. in princ.*
Turrecrem. *in c. de perſona*, 11. *qu.* 1. item eſſet alienos ter-
minos uſurpare, & aliorum ſubditos judicare contra *cap.*
Nullus, & cap. Placuit, 9. *quæſt.* 2.
Similiter non obſtat, quod ex *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. à facultate 47
decernendi excommunicationes ad finem revelationis ex-
cludantur etiam Abbates, de quibus agitur, ex ſententia
S. Congregationis: id enim provenit, quia Concilium 48
utitur dictione univerſali negativa ibi, *à nemine, præter-*
quam ab Epiſcopo: quæ quidem dictio negat omnia poſſibi-
lia, ut dixit Roman. *conſ.* 199. *Præſens num.* 2. *verſ. Secundo*
quia; & magis negat, quàm affirmativa affirmet, gloſ. in
cap. Cum dilectus, in ver. à ſuſpenſis, de conſuet. Nec ſolum
utitur illis verbis, *nemine*, *&c.* ſed adjicit quoque dictio-
nem, *prorſus*, quæ eſt præciſa; & oſtendit abſolutam volun-
tatem excludendi omnes Epiſcopos inferiores, ut latè per
Felin. in *c. Ex parte, il primo, de off. Deleg.* Rot. *diverſ. deciſ.*
526. *n.* 4. *par.* 1. unde ex eo decreto non licet inferre ad d. §. *Ad*
hæc, qui in diverſa materia utitur diſſimilibus verbis. Quini- 49
mò decretum d. *c.* 3. in contrarium retorqueri poteſt: nam ſi
intelligeretur de Epiſcopis tantùm etiam reſpectu locorum
nullius diœceſis; utique facultas decernendi excommuni-
cationes etiam in prædictis locis ad Epiſcopum pertineret,
& tamen non eſt ita; quia ex ſententia ejuſdem Congre-
gationis monitoria hujuſmodi pro iiſdem locis petenda
ſunt tantum à Sede Apoſtolica.
Ultimò non obſtat, quod ex ſententia S. Congregatio- 50
nis in d. §. *Ad hæc*, verba illa, *& aliorum inferiorum*, intel-
ligantur etiam de Abbatibus, ſiquidem hæc reſolutio coin-
cidit cum alia, qua declaratum fuit appellatione inferiorum
in eo decreto etiam Regulares comprehendi: utraque au-
tem deciſio ſimiliter edita fuit pro illis tantum Abbatibus,
& Regularibus, qui in diœceſi Epiſcopi exiſtunt, & habe-
bant ſpeciale privilegium ante Concilium cognoſcendi cau-
ſas matrimoniales, & criminales, nec habet locum in in-
ferioribus nullius diœceſis, qui jure ordinario hujuſmodi
cauſas cognoſcunt, ut ex prædictis conſtat.

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM.

Gregorius IX. Univerſis Eccleſiarum Prælatis.

CAPUT XVI.

NImis iniqua: & infrà, Cùm religioſi viri abnegantes ſalubriter ſemetipſos, elegerint in pauper-
tate, Chriſto pauperi ad placitum famulari, tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes:
non deſunt plerique tam Eccleſiarum Prælati, quàm alii, qui cæca cupiditate ſeducti propriæ avi-
ditati ſubtrahi reputantes quidquid prædictis fidelium pietas elargitur, quietem ipſorum multiplici-
ter inquietant. Volunt namque contra regulam à ſede Apoſtolica approbatam, & ſui ordinis in-
ſtituta, ipſis invitis eorum confeſſiones audire, ac eis injungere pœnitentias, & Euchariſtiam exhi-
bere; nec volunt, ut corpus Chriſti in eorum oratoriis reſervetur: & fratres ipſorum defunctos,
apud Eccleſias ſuas compellunt ſepeliri, & eorum exequias celebrari: & ſi quis decedentium fra-
trum alibi, quàm in ſuis Eccleſiis eligat ſepulturam, funus primò ad Eccleſias ſuas deferri cogunt,
ut oblatio ſuis uſibus cedat. Nec ſuſtinentes eos habere campanam vel cœmeterium benedictum,
certis tantùm temporibus permittunt ipſos celebrare divina. Volunt quoque in domibus eorum
certum numerum fratrum, ſacerdotum, clericorum, & laicorum, necnon cereorum, lampada-
rum, & ornamentorum, pro voluntate ſua taxare: ac reſiduum cereorum quando noviter appo-
nuntur, exigunt ab eiſdem. Nec permittunt, quòd novi ſacerdotes eorum alibi, quàm in Eccleſiis
ſuis celebrent primas Miſſas: eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Miſſis, quas in ſuis
locis

locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant & reſervent: quidquid etiam eis, dum celebrant Miſſarum ſolemnia, intra domorum ſuarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipſis extorquere oblationis nomine contendentes, quod eiſdem tam in ornamentis altaris, quàm in libris Eccleſiaſticis abſolutè confertur, vendicant perperam juri ſuo. Quocirca mandamus, quatenus univerſi & ſinguli à prænotatis gravaminibus deſiſtatis, ſubditos veſtros ab hujuſmodi arctiùs compeſcendo.

NImis iniqua. Ponit quindecim gravamina Religioſis illata, à quibus præcipit Prælatos abſtinere, Abbas Siculus.

In Textu ibi, *nec ſuſtinentes eos habere campanam*. De triplici intellectu hujus litteræ, & an liceat Religioſis in ſuis Eccleſiis, & Oratoriis unam, vel plures habere campanas, dic ut ſcripſi in *cap. Patentibus, à num. 6. uſque ad num. 28. infra de privileg.* & de ſex generibus tintinabulorum, ſeu campanarum, & de illarum origine, & multiplici uſu, & ſignificatione vide quæ adnotavi in *cap. Cuſtos Eccleſiæ, à num. 3. uſque ad n. 7. ſupra de off. cuſtod.*

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM.

Idem Gregorius IX. univerſis Eccleſiarum Prælatis.

CAPUT XVII.

NImis prava: & infrà. Cùm quidam viri religioſi, ut puta, fratres Prædicatores & Minores (quorum ordinem & regulam ſedes Apoſtolica noſcitur approbaſſe) in arctiſſima paupertate Chriſto pauperi famulentur: plerique Prælati, & alii eos ad ſynodos ſuas cogunt accedere, ac ſuis conſtitutionibus ſubjacere: nec his contenti, capitula & ſcrutinia in locis fratrum pro his corrigendis facturos ſe comminantur, fidelitatem juramento firmatam, ab eorum miniſtris & cuſtodibus exigentes: eis quoque, ut tam extra civitates, quàm intra cum eis proceſſionaliter veniant, ex levi cauſa mandantes: excommunicationis ſententiam fulminant in benefactores ipſorum, & idipſum fratribus comminantes, eos de locis, in quibus Domino famulantur, ſatagunt amovere, niſi eis obediant in omnibus ſupradictis. Ad hoc ne fratres ad honorabiliores civitates & villas, ubi religioſè ac honeſtè valeant commorari, à populis devotè vocati accedere audeant inhibentes, tam in accedentes fratres, quàm in receptatores eorum præſumunt excommunicationis ſententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis fratrum (ſicut de Judæorum domibus) contendunt redditus extorquere: aſſerendo, quòd niſi fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui ſolverentur: & ut ipſos ſuæ ſubdant totaliter ditioni, eiſdem miniſtros & cuſtodes volunt præficere pro ſuæ arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus univerſi & ſinguli à prænotatis gravaminibus deſiſtatis, ſubditos veſtros ab hujuſmodi arctiùs compeſcendo.

SUMMARIUM.

1 *FRatres Prædicatores præferuntur fratribus Minoribus, & n. ſeq.*
2 *Ordines Prædicatorum, & Minorum quo tempore fuerint per Sedem Apoſtolicam approbati.*
3 *Regulares omnes etiam Prædicatores, & Minores de iure communi ſunt Epiſcopis ſubiecti.*
4 *Sed ex privilegiis ſunt exempti etiam ratione delicti commiſſi, contractus initi, & rei ſitæ extra locum exemptum.*
5 *Regulares de iure communi tenentur ex magna cauſa comitari Epiſcopum proceſſionaliter tam intra, quàm extra civitatem.*
Et quæ ſit magna cauſa, ibidem.
6 *Exempla generalem diſpoſitionem non reſtringunt.*
7 *Regulares an per exemptiones releventur ab onere accedendi ad proceſſiones ex magna cauſa indictas, & n. ſeq.*
Et quid poſt Concilium Tridentinum, n. 10.
8 *Religioſi Societatis Ieſu cogi non poſſunt accedere ad publicas proceſſiones ex privilegio Gregorii XIII.*
9 *Fratres Prædicatores itidem exempti ſunt à proceſſionibus ex privilegio Ioannis XXII.*
10 *Regulares exempti etiam Monachi hodie cogi poſſunt ab Epiſcopo ad publicas proceſſiones accedere, non obſtantibus conſuetudinibus etiam immemorabilibus.*
11 *Niſi diſtent à civitate ultra medium milliare.*
12 *Fratres Prædicatores non ſecus ac Fratres Minores ſunt in ſtatu arctiſſimæ paupertatis.*
13 *Et nihil proprii habere poſſunt etiam in communi.*
14 *Item ſunt incapaces annui redditus perpetui.*
15 *Fratres Prædicatores ſunt Mendicantes ex Conſtitutionibus, Fratres Minores ex regula.*
16 *Teſtamentum B. Dominici.*
17 *Fratres Prædicatores ex privilegiis ſunt capaces redditus perpetui, & hæreditatum.*
18 *Religiones omnes, exceptis Capuccinis & Minoribus de Obſervantia hodie poſſidere poſſunt bona immobilia in communi.*
19 *Moniales S. Claræ in prædicta exceptione non includuntur.*
Sorores non veniunt Fratrum appellatione, ibid.
20 *Fratres Minores an ſint capaces inſtitutionis ea lege facta, ut bona hæreditaria vendantur, & pretium erogetur in reparationem Eccleſiæ, &c. Et quatenus inſtitutio non valeat, iure legati legat, & n. ſeq. uſque ad num. 46.*
21 *Fratres Minores an, & quomodo ſint capaces bonorum ex diſpoſitione* cap. Exiit de verb. ſignific. in 6. & num. 25.
22 *Modo licitè relictum quando dicatur.*
23 *Fratres Minores ſunt incapaces ſucceſſionis.*
24 *Fratrum Minorum inſtitutio in perſonam Eccleſiæ Romanæ non ſuſtinetur, &* cap. Exiit, *in hoc revocatur per Extravag.* Ad conditorem *Ioannis XXII.*
25 *Fratribus Minoribus in bonis eis ſive Ordini relictis, vel oblatis nullum ius, ſeu dominium acquiritur.*
Relicta pro Fratrum Minorum eccleſiis, oratoriis, officinis & habitationibus, ac vaſis, & libris, & veſtimentis divinis officiis dedicatis, vel dedicandis ſuſtinentur, ibidem.
26 *Inſtitutio de Fratribus Minoribus facta ad effectum vendendi bona hæreditaria, & pretium convertendi*

in

in uſum Fabricæ, vel Sacriſtiæ an teneat, & n.34. & ſeq.

27 *Clauſula,* omni meliori modo, *an & quando faciat ut quatenus non valeat inſtitutio directa, valeat per indirectum, & n.38.*

28 *Exequutores ſi hæredis inſtitutio non valeat an cenſeantur inſtituti hæredes, & rogati bona erogare in uſus à teſtatore præſcriptos, & n.41.*

29 *Teſtamentum favore piæ cauſæ valet ſine hæredis inſtitutione.*

30 *Fratribus Minoribus an ſubveniatur officio iudicis, ut impleatur teſtatoris voluntas, & n.41.*

31 *Fratres Minores ſunt incapaces annui redditus cùm inter immobilia reputetur.*

32 *Legatum annui redditus factum Fratribus Minoribus ſub modo licito tenet.*

Item ſi ſimpliciter, quia ſub modo licito factum cenſetur, ibidem.

33 *Legatum factum ſub conditione ſi inſtitutio ſit nulla an valeat in caſum nullitatis inſtitutionis, & n.ſeq.*

34 *Hæres ſemel numquam deſinit eſſe hæres.*

35 *Inſtitutio cùm eſt pro non ſcripta, modus etiam illi adiectus eſt pro non ſcripto.*

36 *Diſtinctio an modus licitus adiectus fuerit, ſit in legatis particularibus tantum, non autem in ſucceſſione univerſali.*

37 *Dictio,* nullatenus, *quid importet.*

38 *Hæredes ad quæ teneantur.*

39 *Clauſula codicillaris,* vel omni meliori modo, *quid operetur.*

40 *Fratres minores ſunt incapaces fideicommiſſi, & legati univerſalis, & n.44.*

41 *Teſtamentum in quo Fratres Minores ſunt inſtituti hæredes, eſt nullum, & ſuccedunt venientes ab inteſtato, niſi adſit cohæres, vel ſubſtitutus.*

42 *Pauli IV. & Pii V. diſpenſationes ſuper ſucceſſione Fratrum Minorum an ſint redacta ad terminos Concilii Tridentini.*

43 *Inſtitutio de monaſterio, ſeu eccleſia Fratrum Minorum an valeat, & an ſuſtineatur in perſona Eccleſiæ Romanæ.*

44 *Legatum univerſale factum Fratribus Minoribus ſub modo licito an teneat.*

45 *Fideicommiſſarius univerſalis eſt hæres in effectu.*

46 *Fratres Minores tam de familia, quàm ex reformatione quorum legatorum ſint capaces, & n.ſeq. uſque in finem.*

47 *Quid de legatis bonorum mobilium, quæ unica præſtatione adimplentur, & n.51.*

48 *Et quid de legatis annuis factis fabricæ Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ, & n.52.*

49 *Et quid de legatis annuis, quæ fiunt ipſis Fratribus cum onere celebrationis Miſſarum, & n.53.*

50 *Et quid de legatis annuis ſine onere, & n.54.*

55 *Fratres Minores Ciſmontanæ familiæ, quibus conditionibus permiſſi fuerint Novitios ad habitum, & profeſſionem recipere.*

56 *Fratres Minores non prohibentur annuos redditus accipere à ſponte dantibus per modum eleemoſynæ.*

57 *Fratres Minores legata annua cum onere, vel ſine onere accipientes quam proteſtationem facere teneantur, & n.ſeq.*

58 *Fratrum Minorum incapacitas ex doctrina Divi Bonaventuræ.*

59 *Aromatariarum uſus Fratribus Minoribus qualiter permittatur.*

60 *Cippos vel truncos, ſeu capſulas pro eleemoſynis Miſſarum Fratribus Minoribus habere non licet.*

61 *Congregationis fabricæ S. Petri Decretum circa legata annua Fratribus Minoribus relicta, refertur.*

1 NImis prava. Ponit duodecim gravamina Prædicatorum, & Minorum, à quibus præcipit Prælatos abſtinere. Secunda pars ibi. *Quocirca.*

2 Nota primò ex ordine litteræ Fratres Prædicatores præferri Fratribus Minoribus, ut *hic,* & in *cap. In his, infra de privileg. in cap. Quorumdam, de elect. lib.6. in cap.3. infra de pœnis, & in cap. Conſtitutionem, de Regular. eod. lib.* & ſæpè alibi. Ratio eſt, quia Prædicatorum inſtitutio fuit priùs approbata per Eccleſiam Romanam, ut hic notant Hoſtienſis, Jo. Andr. & Cardinalis, omnes in principio.

Et refert Joan. Calder. Ordinem Prædicatorum fuiſſe approbatum anno 1216. ab Honorio III. qui ſucceſſit Innocentio III. qui id ſe facturum promiſerat. Et eodem anno fuiſſe approbatam inſtitutionem Minorum. Et idem dixit Joan. Andr. in d. *cap. Quorumdam,* licèt de Minoribus non meminerit, Abb. *hic num.1.* & Marian. Soccin. *num.2.* qui tamen aſſerit approbationem Ordinis Prædicatorum contigiſſe anno 1215. Sed verum eſt, quod dixit Joann. Calder. ut patet in Conſtitutione Honorii III. quæ incipit, *Religioſam vitam,* edita 11. Kal. Januarii anno ab Incarnatione 1216. Pontificatus anno primo, in Bullar. *tom.1. pag.44.* Confirmatio autem Regulæ Fratrum Minorum habetur in alia Conſtitutione ejuſdem Honorii incip. *par. Solet annuere,* edita 3. Kalen. Decembris, Pontificatus ipſius anno octavo. Et ſic ſeptem annis poſt approbationem Ordinis Prædicatorum in Bullar. *eodem tom. 1. pag.47.* De præcedentia autem Ordinis Prædicatorum inter alios Ordines Mendicantium: eò quod ante omnes fuerit per Sedem Apoſtolicam approbatus. Vide Conſtitutionem Pii V. *Divina* in Bullar. *tom.2. pag.267.* Et quod ſcripſi in *cap. Certum, n.1. & ſeq.* & maximè *n.22. ſupra de maior. & obed.*

Secundò nota de jure communi Epiſcopum fundare intentionem ſuper juriſdictione ordinaria non tantùm contra Clericos ſæculares, ſed etiam contra omnes Religioſos ſuæ diœceſis etiam Prædicatores, & Minores: nam ſi ſpecialiter eximuntur in caſibus hic expreſſis, & in cap. præcedenti; Ergo in aliis remanet regula in contrarium: quod etiam probatur in *cap. Cum venerabilis de relig. domib. & in 18. qu.2. per totam.* Et tenent hic Innoc. *in princ. in ver. Conſtitutionibus,* Hoſtien *n.4. in eod. verſ.* Abb. *num.4. in 4. not.* Marian. Soccin. *num.11.* & alii communiter. 3

Sed hodie tam Prædicatores, & Minores, quàm alii religioſi quorumcumque ferè ordinum ex privilegiis Apoſtolicis ſunt exempti ab Ordinariorum juriſdictione etiam ratione delicti commiſſi, vel contractus initi, aut rei exiſtentis extra locum exemptum, ut latiſſimè probavi in *cap. Tuarum, à num.10. infra de privileg.* In quibus autem caſibus, & præcipuè ex decretis Concilii Tridentini ſubſint viſitationi, correctioni, & juriſdictioni Epiſcopi diœceſani, ſcripſi plenè in *cap. Grave, à num.9. uſque in fin. ſupra de offic. Ordin.* 4 5

Tertiò nota in verſ. *Eis quoque,* textum efficaciter probantem Fratres Prædicatores, & Minores teneri ex gravi cauſa proceſſionaliter comitari Epiſcopum tam intra civitatem, quàm extra: nam cùm textus dicat ex levi cauſa hoc eis mandari non poſſe: ergo à contrario ſecus eſt ex magna cauſa, puta in novo ingreſſu Epiſcopi, vel Legati, vel imminenti peſte, vel flagello, vel ad generales Litanias, quæ fiunt poſt Paſcha ante feſtum Aſcenſionis. Facit *cap. Revertimini, 16. qu.1. & cap. Rogationes, de conſecrat. diſt.3.* nam quod omnibus imminet, ab omnibus debet explicari, *cap. Ad hæc, ſupra de offic. Archid. cap.2. de elect.* & notant *hic* Hoſtien. *num.4. in ver. Ex levi cauſa,* Joan. Andr. *eod. num. & ver.* Petr. de Anchar. *num.4. in 3. notab.* Abb. *num.3.* Marian. Soccin. *num.7.* & cæteri. Imò 6
hoc vendicat ſibi locum in aliis quoque Religioſis, quia hic textus loquitur de Prædicatoribus, & Minoribus per modum exempli, ut patet ibi, *Vt puta fratres.* Ea verò 7
quæ exempli cauſa dicuntur, generalem diſpoſitionem non reſtringunt, *cap.1. Ne Cler. vel Monach. l. Damni, la ſeconda, in princ. ff. de damn. infect.* Quin etiam putat Abb. *num.5. verſ. Et adverte,* etiam per exemptionem conceſſam poſt hoc Capitulum Prædicatores, & Minores non relevari ab onere accedendi ad proceſſiones ex magna cauſa indicendas. Sicut non relevantur in cauſa hæreſis, & in quibuſdam aliis, de quibus in *cap. Ad abolendam, de hæret.* nam rogare Deum pro ſalute populi incumbit tam exemptis, quàm non exemptis, argum. d. *cap. Revertimini.* Veriùs tamen puto in hoc ſpectandas eſſe exemptio- 8
num formas, & tenorem privilegiorum, ut in *cap. Porro, infra de privileg.* Quid enim ſi ex forma privilegii ſint nominatim exempti à proceſſionibus ex quacumque cauſa indicendis, ut ſunt Religioſi Societatis Jeſu ex Conſtitutione Gregorii XIII. quæ incipit, *Quæcumque,* edita 16. Julii 1576. in Bullar. *tom.2. pag.404.* Quinimò & Prædi- 9
catores habent ſuper hoc ſpeciale privilegium à Joanne XXII.

XXII. teſte Calder. *conſ.393. aliàs 8. de Regular.* Unde di-
ctum Abbatis poteſt procedere tantummodo in exemptio-
ne generali, prout videtur intelligere Marian. Soccin.
*hic num.12. verſ. Et quamquam privilegia generaliter exi-
merent.* Verùm etiam circumſcriptis exemptionibus, Re-
gulares ubi ſupplicationes indicerentur ex levi cauſa, non
eſſent cogendi accedere, ut hic patet.

10 Hodie ex decreto Concilii Tridentini in *cap.13. ſeſſ.25.
de Regular.* exempti omnes tam Clerici ſæculares, quàm
regulares quicumque etiam Monachi ad publicas proceſ-
ſiones vocati, accedere compelluntur, iis tantùm exce-
ptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò vivunt. Non ob-
ſtantibus privilegiis ante Concilium, & conſuetudinibus
etiam immemorabilibus non accedendi, utpotè ſublatis
11 decreto *cap.22. eiſdem ſeſſionis.* Adverte tamen quia etſi
per hanc Decretalem Religioſi teneantur ire proceſſionali-
ter cum Epiſcopo ex magna cauſa etiam extra civitatem,
ut in littera, & Concilium Tridentinum quoad hoc eorum
exemptiones ſuſtulerit; tamen Gregorius XIII. excepit Re-
gulares, quorum monaſteria diſtant à civitate ultra me-
dium milliare, ut eſt adnotatum in libris publicis S. Con-
gregationis Concilii ad dictum c.13.

12 Ultimò nota ibi, *In arctiſſima paupertate*, Fratres Præ-
dicatores non ſecus ac fratres Minores eſſe in ſtatu arctiſſi-
mæ paupertatis, prout hic notat Joan. Andr. *num.1. in ver.
Arctiſſima*, Cardin. *in princip.* Anchar. *nu.2. in 1.notab.* Abb.
n.2. in 2.notab. Bald. *conſ.438. Factum ſic ſe habet, in princ.
lib.2.* Alex. *conſ.87. Eximie, n.5. verſ. Nam Prædicatores,
13 lib.2.* Sunt enim Mendicantes, ut *hic & in c. Quorumdam,
de elect. lib.6. & in cap. Conſtitutionem, de Regular. eod. lib.*
cum concord. Et propterea nihil proprii habere poſſunt
etiam in communi, cùm victum eis præbere debeat in-
certa mendicitas, ut dicit text. in *cap. un. de relig. domibus
lib.6. & hic* not. Ant. de Butr. *num.2. in primo not.* Petr. de
14 Anchar. & Abb. *ubi ſupra*, qui addit ſe pluries dixiſſe, ſicut
fratres Minores non poſſunt habere annuos redditus perpe-
tuos, ut in Clem. *Exivi de Paradiſo, §. Cumque annui
redditus, de verbor. ſignific.* ita nec fratres Prædicatores:
quia debent ſervire Deo in arctiſſima paupertate, ut hic
15 dicitur. Adverte tamen hos duos Ordines in hoc differre,
quod fratres Minores ſunt incapaces bonorum etiam in
communi ex regula, & primævo inſtituto, ut in *cap.
Exiit qui ſeminat, de verbor. ſignific. lib.6.* & in d. Cle-
ment. *Exivi.* Prædicatores verò ex Conſtitutionibus Or-
dinis tantùm; profitentur enim regulam S. Auguſtini, ut
per Federic. de Sen. *conſil.12.* incipien. *Fratres Prædica-
tores*, quem ſequitur *hic* Butr. *num.2.* & Marian. Soccin.
numer.6. verſ. Adverte, Anchar. *conſ.321. Præmittenda
ſunt numer.3.* Abb. *conſ.27. col.2. verſ. Eſt & tertia lib.2.*
ubi dicit fratres Prædicatores ex regula, quæ eſt S. Augu-
ſtini, poſſe habere bona in communi; ſed per Conſtitu-
tionem à Sede Apoſtolica approbatam eſſe Mendicantes,
& vivere in arctiſſima paupertate; & ita eſſe intelligen-
dam hanc Decretalem, quamvis oppoſitum ſentiat Franc.
in *cap. un. §. Confirmatos, num.2. de religioſ. domibus lib.6.*
tamen prima opinio eſt communis, ut teſtatur Bertrand.
conſ.206. num.3. lib.3. & conſ.152. num.2. lib.1. & Clar. *in
16 §. Teſtamentum, quæſt.29. per totam.* Nam B. Dominicus
in ultimo vitæ ſpiritu: *Fratres*, inquit, *chariſſimi quæ vobis
tamquam filiis poſſidenda relinquo, charitatem habete, hu-
militatem ſervate, paupertatem voluntariam poſſidete,
Quanta verò poſſum diſtrictione prohibeo ne quis in hunc Or-
dinem poſſeſſionem inducat*, maledictionem Dei imprecans
17 contrarium facienti. Quæ verba explicat Bald. in præalleg.
conſil.438. lib.2. Ex privilegio tamen ſunt capaces annui
redditus perpetui, & hæreditatum, ut per Feder. dict.
conſ.12. num.6. Et vide Extravag. Joannis XXII. *Quia quo-
rumdam, circa med. verſ. Nec hoc, de verb. ſignific.* ubi
primùm recitantur verba Gregorii IX. in hac Decretali, vi-
delicet, *fratres Prædicatores, & Minores in arctiſſima pau-
pertate Chriſto pauperi famulantur.* Et mox ſubjungitur:
*Et tamen conſtat ipſos Prædicatores habere in communi etiam
quoad proprietatem aliqua; idque eorum ſtatui, & regula non
repugnat.*

18 Hodie ceſſant hujuſmodi ambages, quia Concilium
Tridentinum in *cap.3. ſeſſ.25. de Regular.* conceſſit omni-
bus Monaſteriis, & Domibus tam virorum, quàm mu-
lierum etiam mendicantium, exceptis domibus fratrum
S. Franciſci Capuccinorum, & eorum, qui Minores de
Obſervantia vocantur, etiam quibus aut ex Conſtitutio-
nibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico
non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſi-
dere liceat. Et ſub illa exceptione non comprehendi Mo- 19
niales S. Claræ cenſuit S. Congregatio; tum quia ante
Concilium capaces erant in communi, gloſ.3. in Clement.
fin. de ſent. excomm. Bald. *conſ.183. in princ. lib.1.* Cardin.
in Clem.1. *quæſt.7. de regul.* Item ex privilegiis Sedis Apo-
ſtolicæ, & præſertim Eugenii IV. & Leonis X. de quibus
teſtatur Ubald. *de ſucceſſ. clericor.* Itemque ex verbis Con-
cilii de fratribus non comprehendi ſorores ex Bald. *in l. Qui-
cumque, C. de ſerv. fugit.* & quia *d. cap.3.* in regula loqui-
tur ſeparatim de viris, & mulieribus. Itaque poſt Conci-
lium ſoli fratres Minores, quales ſunt verè etiam Capuc-
cini, ut in Conſtitutione Pauli V. *Eccleſiæ militantis re-
giminis*, in Bullar. *tom.3. pag.244.* ſunt in ſtatu arctiſſimæ
paupertatis, & incapaces hæreditatum, bonorum ſtabi-
lium, & annuorum redditunm etiam in communi.

QUÆRO. Teſtator inſtituit hæredes fratres Minores 20
de Obſervantia S. Franciſci cum hoc ut bona hæreditaria
per executores ab eo nominatos vendantur, & pretium
erogetur in reparationem Eccleſiæ, conſtructionem Ca-
pellæ, & ſacram ſupellectilem. Et quatenus hæredis in-
ſtitutio non valeat ex aliqua cauſa in corpore juris clauſa,
tunc jure legati legat.

An hujuſmodi diſpoſitio ſit valida necne?

Diſpoſuit *cap. Exiit qui ſeminat, §. Ad hæc, de verbor.* 21
ſignificat. in 6. omnium utenſilium, & librorum, ac eo-
rum mobilium præſentium, & futurorum, quæ & quo-
rum uſumfructum fratribus Minoribus S. Franciſci, vel
eorum Ordini licet habere, proprietas, & dominium ad
Romanam Eccleſiam liberè pertinere, uſu facti tantùm eis
reſervato, & in *§. Præterea*, idem ordinavit quoad loca
empta de eleemoſynis, & oblata, ſeu conceſſa fratribus
ſub quacumque forma verborum: necnon quoad Eccle-
ſias, & Oratoria ad Eccleſias deſtinata, & Cœmeterium.
Quo verò ad legata declaravit ut infrà, videlicet, *Si verò* 22
*modum licitum in legando teſtator expreſſerit, ut ſi diceret,
lego pecuniam pro fratrum neceſſitatibus expendendam, vel
domum, agrum, vineam, & ſimilia, ad hoc quod per certam
perſonam, vel perſonas idoneas diſtrahatur, & pecunia de
rebus ipſis accepta in ædificia, vel alia fratrum neceſſariò con-
vertatur; aut in legando ſimilibus modis, vel verbis utatur.
In hoc caſu illud in omnibus, & per omnia, conſideratis eorum
neceſſitatibus, & moderaminibus prædictis, quantum ad fra-
tres decernimus ſervari, quod per nos eſt ſuperiùs in conceſſis
pecuniariis eleemoſynis declaratum; ad quæ legata ſolvenda
tam hæredes teſtatorum, quàm exequutores ſe liberales exhi-
beant.*

Supervenit deinde diſpoſitio Clem. *Exivi de Paradiſo,* 23
de verb. ſignific. qua cautum eſt in *§. Porrecta*, ut pecu-
nia, & alia oblata & legata non recipiantur pro aliis cau-
ſis, & ſub modis aliis (ut utar verbis text.) quam ponat
dicti Prædeceſſoris noſtri declaratio, quæ eſt in d. *c. Exiit*,
Deinde in *§. Cupientes*, diſponitur his verbis: *Quia igi-
tur in ſucceſſionibus tranſit non ſolum uſus rei, ſed & domi-
nium ſuo tempore in hæredes, fratres autem præfati nihil ſibi
in ſpeciali acquirere, vel eorum Ordini poſſunt etiam in com-
muni: declarando dicimus, quod ſucceſſionum hujuſmodi quæ
etiam ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad
alia mobilia, & immobilia ſe extendunt conſiderata ſui puri-
tate voti nullatenus ſunt capaces.*

Tertiò ſupervenit diſpoſitio *cap. Ad Conditorem*, Extra- 24
vag. Papæ Joan. XXII. *ſub tit. de verb. ſignif.* quæ proviſio-
nem *c. Exiit*, quod oblata ſeu conceſſa fratribus pertine-
rent ad dominum, & proprietatem Eccleſiæ Romanæ,
uſu facti dumtaxat eis reſervato declarat eſſe contra regu-
lam; & ideò eam tollit, & providet ut infra videlicet: *De* 25
*fratrum noſtrorum conſilio hoc edicto perpetuum valituro ſan-
cimus, quod in bonis quæ in poſterum conferentur; vel offe-
rentur, aut aliàs quomodolibet obvenire continget fratribus,
vel Ordini ſupradictis (exceptis eccleſiis, oratoriis, offici-
nis, & habitationibus, ac vaſis, libris, & veſtimentis divi-
nis officiis dedicatis vel dedicandis, quæ ad ipſos obvenient
in futurum, ad quæ ſe non extendunt inconvenientia ſupradi-
cta; propter quod Conſtitutionem iſtam ad illa extendi nolu-
mus) nullum ius ſeu dominium aliquod occaſione ordinationis
prædictæ, ſeu cujuſvis alterius à quocumque Prædeceſſorum
noſtrorum ſpecialiter edita Romana Eccleſia acquiratur,*

ſed

ſed quoad hoc habeantur prorſus ordinationes prædicta pro
non factis.
26 Quibus ita ſe habentibus pro validitate inſtitutionis af-
fertur; quod diſpoſitio §. *Cupientes* conſiderat inſtitutio-
nem ideò non valere, quia per eam retinetur uſus, & do-
minium contra regulam, quæ ratio ceſſat hoc caſu, quia
teſtator expreſsè diſponit, ut dominium bonorum non re-
maneat penes hæredem, nec uſus, ſed ut vendatur, &
convertatur pretium in reparationem Eccleſiæ, fabricam
Capellæ teſtatoris, & aliàs neceſſitates ipſius, quod ſatis
ſecundùm DD. eſt in conſideratione, ut per Abb. *conſ.*63.
*num.*3. *lib.*2. Cuman. *conſ.*169. & Fulgoſ. *conſ.*103. *num.*3.
verſ. Nec obſtat, quod ſi poſſint, & ſecundùm hæc invitan-
tur Chriſtiani ad benefaciendum, & ex contrario retrahe-
rentur, & nullum videtur fieri præjudicium puritati regu-
læ fratrum Minorum, quæ tota fundatur, ut vivant in
paupertate, & proprium non habeant, nec poſſideant;
non tamen vult, nec diſponit, ut Eccleſiæ non reparentur,
ut Capellæ non fiant, ut non habeant paramenta pro alta-
ribus, & calices, & thuribula: & ita ſervatur, ut refert
Vaſquez *lib.*3. *cap.*102. *illuſtr. controv. num.*6. allegat Bart.
*in l. Civitatibus, ff. de legat.*1. *& in l. Servus, ff. de alim. le-
gat.* Regula enim circa victum verſatur, ut illum dietim
eleemoſynaliter quærant, & totam fidem in Deo deponant
illum habendi, juxta illud Luc.22. *Quando miſi vos ſine
ſacculo, & pera, & calceamentis numquid aliquid defuit vo-
bis?* Voluit enim Beatus Franciſcus totaliter abſtrahere
ſuos ab affectu, & deſiderio terrenorum, & ſpecialiter à
pecunia, & uſu ipſius. Inſtitutio autem ſecundum mo-
dum prædictum non videtur à regula deviare; & ſic in for-
tioribus terminis concludit Bart. *in tract. Minor. lib.*1. *diſt.*
5. *cap.*2. *num.*3. dum ſimpliciter ait valere inſtitutionem ad
effectum ut bona vendantur, & pretium expendatur in
reparationem Eccleſiæ, & ſubminiſtrationem locorum,
& Eccleſiarum humilium: idemq; ſentit Calder. *conſ.*345.
aliàs 46. *de teſtam.* & Guido Papa *deciſ.*327. ubi ait ita ob-
ſervari, & ex ſtylo Fratribus prædictis præfigi terminum
unius anni ad vendendam hæreditatem, & pretium de-
ponendum. In caſu autem noſtro expreſsè facta eſt, ut to-
tum in id expendatur, unde ſi diceremus non valere, for-
tè eſſet expreſsè dicere non poſſe fieri eleemoſynam pro re-
paratione, & fabrica Eccleſiæ, & paramentis altarium,
quod maximè abſurdum eſſet: quamobrem inſtitutionem
hoc caſu validam eſſe concludit Bart. *in eod. tract. lib.*1. *diſt.*
5. *c.*1. *&* 2. *n.*28. *& ſeqq.*
27 His accedit, quod ſcripſit idem Bart. *eod. lib.*1. *diſt.*2. *c.*3.
*num.*15. de clauſula, *omni meliori modo appoſita*, ut qua-
tenus eſſet aliquod dubium in inſtitutione directa faciat
valere per indirectam per fideicommiſſum: & quamvis
Bald. & Anchar. aliter dixerint, tamen hoc poſſet proce-
dere in ſimplici inſtitutione, ſecundùm quam videtur in-
duci modus contrarius regulæ. At in caſu noſtro cùm ſi-
mus in inſtitutione ſub modo, & ille non ſit contrarius re-
gulæ, fortè aliud videtur dicendum.
Quæ multò magis videntur procedere poſt diſpenſatio-
nes Pauli IV. & Pii V. necnon Bullam, quæ dicitur *Mare
magnum*, de quibus apud Gulielm. de Benedictis *in repet.
cap. Raynutius, in ver. Eodem teſtamento relinquens, n.*126.
de teſtam.
28 Et quia in hoc teſtamento ſunt ordinati exequutores
cum ampliſſima poteſtate vendendi, alienandi, & con-
vertendi ad uſum deſtinatum per teſtatorem, quo caſu li-
cet inſtitutio hæredis non procederet, ipſi exequutores cen-
ſentur inſtituti hæredes, & rogati, ut converterent bo-
na prout teſtator diſpoſuit, ſicut formaliter dixit Bald. in
*l. Precibus, C. de impub. & aliis ſubſtitut. num.*46. per text.
notab. in *cap. Cum tibi, de teſtam.* permittendum videtur
ut exequantur dicti exequutores voluntatem teſtatoris, ne
pia ejus voluntas defraudetur. Quod ſi objiciatur fore ut
tunc deficiat hæredis inſtitutio, ſine qua teſtamentum non
29 valet. Reſponderi poterit executores cenſeri hæredes in-
ſtitutos per prædicta. Præterea favore piæ cauſæ valet te-
ſtamentum ſine hæredis inſtitutione: ita Tiraquel. *in tract.
de privil. piæ cauſæ, in* 15. *privil.* per doctrinam Bart. in
*l.*1. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* ſequitur Barbat. *conſ.*8. & alii plu-
res quos citat.
30 Nec deſunt qui ſentiant etiamſi dati non eſſent executo-
res, nihilominus monaſterio ſubveniri officio judicis, ut
pia voluntas defuncti adimpleatur; quin etiam cuilibet de
populo actionem competere: inter quos Specul. *de inſtr.
edit.* §. *Nunc vero, num.*66. Joan. Andr. *in cap. Si hæredes,
de teſtam.* Bart. *in l. Ne quicquam*, §. *Cum igitur, de verb. ſi-
gnif.* Bald. *in l. Nulli, C. de Epiſc. & Cleric.* Redoan. *in
tract. de ſpol. Eccleſ. q.*8. *n.*31.
Denique quatenus prædicta diſpoſitio ſuſtineri non poſ-
ſet jure inſtitutionis, fortè tamen ſuſtineri poterit jure le-
gati, cùm teſtator expreſsè declaraverit ſe jure legati relin-
quere caſu quo inſtitutio ex aliqua cauſa in corpore juris
clauſa non valeret. Certum eſt enim quamvis fratres Mi-
nores ſint incapaces hæreditatis, valere tamen legatum re-
rum ſtabilium eis factum ſub modo licito, aut etiam ſim-
pliciter, cùm ſub modo licito factum intelligatur.
Qua in re ſatis erit afferre declarationem Sacræ Congre- 31
gationis Concilii: nam cùm relicti eſſent dictis Fratribus
annui redditus, quorum ſunt incapaces, petitum fuit à
Sacra Congregatione, ut declararetur, an Fratres poſſent
ſibi vendicare hos annuos redditus, non quidem ut eo
modo prout relicti erant ſingulis annis perciperent, ſed
venderent: & pretium in neceſſitates monaſterii converte-
rent: Sacra Congregatio cenſuit Fratres Mendicantes Or-
dinis Minorum de Obſervantia eſſe incapaces annui reddi-
tus legati, cùm inter immobilia reputetur, Clem. *Exivi*,
§. *Cumque annui redditus, de verb. ſignif.* Cæterùm valere 32
immobilium legatum eis factum ſub modo licito, nempè
ut vendant, & pretium convertant in Eccleſiæ neceſſita-
tes, Franc. in *cap.*1. § *Confirmatos, de relig. domib. in* 6. &
idem ſi modus non ſit adjectus; nam ſub modo licito reli-
ctum intelligitur, Cardin. poſt Bart. & Bald. in d. Clem.
§. *Proinde, n.*11. Concilium autem *cap.*2. *ſeſſ.*25. *de Regul.*
prohibere ſolam poſſeſſionem, & detentionem, ſeu do-
minii acquiſitionem.
Et eò magis, quia teſtator hoc caſu uſus eſt dictione
copulativa, *&*, videlicet, & quatenus inſtitutio ex aliqua
cauſa non valeat, lego, &c. Unde quatenus non valeat in-
ſtitutio, cenſetur æquè principaliter legaſſe: non copula
facit tranſire diſpoſitionem in ſpeciem diverſam, Achil. de
Graſſ. *deciſ.*1. *de clauſulis*, Caputaquen. *deciſ.*124. inci-
pien. clauſula *omni meliori modo*. Et de illius natura eſt
utrumque æquè principaliter copulare, *c. Cum Marthæ,
de celebr.* gloſ. & Abb. in *cap. Querelam, de ſimon.* quamo-
brem perinde eſt ac ſi teſtator ſimpliciter, & abſolutè le-
gaſſet nulla facta hæredis inſtitutione: neque enim lega-
tum ex ſe validum per inutilem inſtitutionem vitiari debet,
cap. Dilectus, il primo, de præb. & reg. *Utile per inutile non
vitiatur*, & eſt text. in materia in auth. *Ex cauſa, C. de li-
ber. præter.* Hæc ferè ſunt, quæ pro validitate hujus diſpo-
ſitionis afferri poſſunt.
Cæterùm his non obſtantibus verius videtur diſpoſitio- 33
nem teſtatoris hoc caſu nec ſuſtineri poſſe jure inſtitutionis,
nec jure legati: non quidem jure inſtitutionis: nam
quamvis ſingularia relicta valeant ſi fiant ſub modo licito,
aut etiam ſimpliciter, ut in d. decret. *Exiit*, §. *Ad hæc,
quia fratribus*: tamen ſecus eſt in inſtitutione, ac jure
univerſali, ut reprobata Bartoli opinione concludit Bald. in
auth. *Ingreſſi, num.*50. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* & poſt eum
Aretin. in *l. Apud Iulianum*, §. *Conſtat, col.*3. *ff. de leg.*1.
Cardin. in Clem. *Exivi*, §. *Proinde, col. fin. de verb. ſigni-
ficat.* Anchar. *in ead. Clem. col.*2. *verſ. Secundo caſu*, &
quidem Baldi rationes validiſſimæ ſunt, & præcipuè illa,
quod jus univerſale conſiſtit in quodam intellectuali, quod
poſtquam eſt radicatum, non poteſt avelli, ideſt ſeparari,
l. Si ſine, §. *Sed quod Papin. ff. de minor.* Unde non poteſt 34
hoc jus intellectuale converti in aliquem materialem uſum:
Nam ſive hæres totam hæreditatem teneat, ſive vendat,
ſive diſſipet, ſemper tamen permanet hæres, *l. Sed etſi
lege*, §. *Quod autem, de pet. hæred. & l. Imperator ad Tre-
bell.* cum aliis per eum allegatis. Unde cùm fratres Mino-
res non poſſint hoc jus retinere, nec etiam intellectuale in
aliquod materiale converti valeat, meritò non ſunt capa-
ces: at ſecus eſt in ſingularibus relictis, quia poſſunt præ-
ciſè converti, & in eorum uſum conſumi, & ſequitur
Card. Zabar. *conſ.*102. *Super facto, verſ. Ad ſecundum*, ubi
contra opinionem Bart. ait fratres Minores cùm ſint ſpecia-
liter prohibiti, & facti incapaces ſucceſſionum per d. Clem.
Exivi, §. *Cupientes, de verb. ſignif.* non poſſe univerſaliter
ſuccedere etiam quoad hoc, ut debeatur illis æſtimatio: &
idem Card. in d. Clem. *Exivi*, §. *Proinde in fin.* Concluſio
enim illa quod Mendicantes ſint capaces ſucceſſionis ad ef-
fectum

Digitized by Google

fectum, ut vendant, & pretium convertant io eorum neceſſitates; non procedit in fratribus Minoribus, qui abſolutè ſunt incapaces; ſed in aliis Mendicantibus dumtaxat. Et ita communiter obſervari teſtatur Bald. *conſ.8. Super infraſcriptis, lib.1.* quem refert, & ſequitur Dec. in *cap. In præſentia, num.269. de probat.* ubi etiam ait hanc eſſe communem opinionem.

35 Nec obſtat, ut inquit Bart. Quod inſtitutio de fratribus Minoribus ſub modo licito contineat duo capita. Unnm ſcilicet ut ſint hæredes; aliud ut vendant, & pretium convertant in neceſſitates fabricæ, & quod licèt primum non valeat, debet tamen valere ſecundum, quemadmodum valeret ſi teſtator omiſſo capite primo, diſpoſuiſſet de ſecundo. Reſpondit enim Bald. ſecundum caput venire conſecutivè, & acceſſoriè ad primum. Unde destructo antecedenti, deſtruitur conſequens, arg. *l. Alimenta, §. Seia, ff. de adim. legat.* & ex quo inſtitutio eſt pro non ſcripta, modus eſt etiam pro non ſcripto, ut *l.1. §. In primo, C. de caduc. tollen.*

36 Præterea multum habet ponderis conſideratio, quod Nicolaus IV. in d. *cap. Exiit, §. Ad hæc,* quia fratribus: dum agit de legatis particularibus ſtatuit, ut ſi teſtator modum, ſecundum quem fratribus eorum conditione inſpecta recipere non liceret, exprimat in legando; à tali legato per omnem modum fratres abſtineant. Sed ſi modum licitum fratribus io legando teſtator expreſſerit, declarat illud recipi poſſe ſervatis moderaminibus ibi præſcriptis; & ſimiliter Clemens V. d. Clem. *in Exivi, in §. Porrecta,* agens de legatis particularibus declarat illa recipi poſſe ſecundum ea, quæ ejus prædeceſſor expreſſit in d. *cap. Exiit*, ideſt cùm modus licitus eſt adjectus. At verò in *§. Cupientes*, ubi agit de ſucceſſione, & jure univerſali, eam diſtinctionem non adhibet, ſed declarando dicit, ſucceſſionem hujuſmodi fratres dicti Ordinis conſiderata ſuî puritate voti oullatenus eſſe capaces; adjiciens nec licere eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quod præſumi poſſet hoc in fraudem fieri quaſi ſub modo, & forma legati ſibi dimitti facere, vel ſic dimiſſa recipere: quin potius iſta ſit fieri ab ipſis ſimpliciter prohibuit. Hæc autem diverſitas, quæ ponitur inter legata particularia, & ſic ſucceſſionem univerſalem, planè coovincit non æquè fratres Minores eſſe capaces ſucceſſionis, ac legatorum; ſed legatorum quidem ſi ſub modo licito relinquantur. Succeſſionem verò ſimpliciter, & abſolutè eſſe incapaces.

37 Præſertim ponderando dictionem, *nullatenus*, de qua in d. *§. cupientes*, quæ cùm ſit univerſalis negativa, & idem importet, quod nullo modo, *cap.1. §. Ad hæc*, ubi Archid. *de reſtit. ſpoliat. in 6.* excludit capacitatem ſucceſſionis etiam per modum alias licitum, efficitque ut fratres ſint incapaces ſucceſſionis in quacumque parte etiam minima, ut de hac dictione *nullatenus*, dicit Gemin. *conſ.35. Pro clariori, num.2.* & omnem diſpenſationem excludit, ſecundum gloſſ. in Clem. *Vt iis, in verb. Nullo modo, de ætat. & qualit.* Quid enim opus fuiſſet eam diſtinctionem adhibere in legatis, & ſucceſſionem ſimpliciter prohibere, ſi tam legatorum, quàm ſucceſſionis eſſent capaces, ubi modus licitus eſſet adjectus.

Et confirmatur, quia ſi diſtinguendum non eſſet inter ſucceſſionem, & legatum, ſequeretur ut fratres Minores eſſent capaces inſtitutionis ſimpliciter factæ ſicut ſunt legatorum, quæ, cùm modus non eſt adjectus, cenſentur facta ſub modo licito, ut in d. decret. *Exiit, §. Ad hæc quia fratribus, verſ. Si verò fratribus ipſis generaliter aliquid abſque modi expreſſione legetur*, & declaravit S. Congregatio Concilii. Sed conſequens eſt abſurdnm, qnia inſtitutionis ſimpliciter factæ prædicti fratres ſunt abſolutè incapaces, ut in d. *§. Cupientes*. Ergo & antecedens.

38 Ac demique quatenus etiam inſtitutio ad effectum vendendi non repugnaret regulæ in his quæ pertinent ad dominium, poſſeſſionem, vel uſum rerum, conſiderandum eſt tamen in fratres, ut præfertur inſtitutos, cùm ſecundum Bald. numquam deſinant eſſe hæredes, tranſire jura, & actiones activè, & paſſivè. Hæres enim tenetur de facto, de contractu, & delicto defuncti, Bald. in *l. Iubemus, §. Sanè, in fin. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Et poteſt conveniri actione perſonali quatenus non poſſideat, *l.1.* & ibi Bart. *C. de hæred. action. & l.2. eod. tit.* Imò tenetur etiam ultra vires hæreditarias ſi inventarium non confecerit, ut in Auth. *de hæred. & Falcid. §. Hinc nobis, l. Sancimus, C. de Iur. delib.* Feder. de Sen. *conſ.21.* Item tenetur exonerare conſcientiam defuncti, *cap. In litteris, de raptor.* Item ſortitur forum, & conveniri poteſt in loco defuncti, vel ejus foro, *l. Heres abſens, in princ.* & ibi DD. *ff. de Iudic.* etiamſi alias ſit exemptus, ſecundùm Bart. ibi. Item tenetur de evictione pro re vendita per executorem teſtamenti, Bart. in *l. Alio, in fin. de alim. & cibar. legat.* & ad alia plurima his ſimilia.

Fingamus ergo fratres Minores inſtitutos ſub conditione, ut vendant bona hæreditaria, adiiſſe hæreditatem, & bona diſtraxiſſe, & pretium erogaſſe in uſum fabricæ, vel ſacriſtiæ, aut in eorum neceſſitates; quis tenebitur ad debita hæreditaria? & quomodo conſultum erit creditoribus; eruntne actione perſonali conveniendi fratres, quorum inopia omnem actionem excludit, ac reddit inanem? quis exonerabit conſcientiam defuncti? quis tenebitur de evictione, ſi bona hæreditatis distracta evincantur, aut alia adimplebit, quæ ab hæredibus præſtari oportet? Præterquam quod hujuſmodi lites valdè repugnant intentioni S. Inſtitutoris qui voluit ſuos fratres ab his curis, & ſollicitudinibus omninò avocare, ut patet ex dicta Clem. *Exivi, §. Amplius*, ibi: *nullo modo debent huiuſmodi voti, & regulæ profeſſores ſe talibus curis, & litigioſis actionibus immiſcere, ut & teſtimonium habeant ab his, qui foris ſunt, & puritati ſatisfaciant voti ſui, ac evitetur per hoc ſcandalum proximorum.* Quæ ratio inter alias movit etiam Joan. XXII. in d. Extravag. *Ad conditorem*, ad renunciandum juri Eccleſiæ Romanæ ſuper bonis relictis, aut oblatis prædictis fratribus, ut in *§. Rurſus*, ibi, *Numquid non præfata Eccleſia derogatur honori, ſi ipſum oporteat nunc in foro eccleſiaſtico, nunc in ſæculari, interdum quoque coram pedaneis iudicibus, & plerumque pro rebus parvis, & in vilibus continue litigare.* Non igitur mirum ſi ſucceſſioois, ac juris univerſalis fratres prædicti abſolutè, ac nulla diſtinctione adhibita declarentur eſſe incapaces.

Nec urgent inconvenientia ſuperiùs relata, qnod ex contrario Chriſti fideles retraherentur ab operibus charitatis, eccleſiæ oon ædificarentur, &c. Siquidem hujuſmodi eleemoſynæ fieri poſſunt per viam oblationum, & legatorum particularium, quorum fratres ſuot capaces, ſi modus licitus adjiciatur: ut dictum eſt ſupra, non autem per viam inſtitutionis, ac juris univerſalis, quia opera charitatis exerceri non debent modo illicito, per quem fratres inducantur ad regulæ tranſgreſſionem, ut patet in d. *cap. Exiit, §. Quia verò puritatem verſ. Non enim veriſimile eſt.*

Quemadmodum nec obſtat, quòd ſcripſit Bart. de clau- 39
ſula, *omni meliori modo*, vel codicillari, & quod venientes ab inteſtato cenſeantur inſtituti hæredes: nam in hoc quoque articulo eum reprobat Bald. in d. Auth. *Ingreſſi, numer.54.* & ſequitur Petr. de Ancbar. in d. Clem. *Exivi, col.4. in fin. verſ. Et per iſta,* & Duen. *reg.38. in 8. ampliat.* ubi alios citat: quia virtus prædictæ clauſulæ eſt, ut inſtitutio convertatur in fideicommiſſum univerſale, cum quo habet ſymbolum, & ita procedit text. in *l. Eam quam, C. de fideicomm.* in qua Bart. ſe fundat: non autem in fideicommiſſum particulare, ſed fideicommiſſi univerſalis fratres Minores ſunt incapaces. Ergo quoad eos prædicta 40
clauſula, aut tacita executorum inſtitutio nihil operatur, nec deducit univerſale in particulare, ut per Bald. *ibid.*

Amplius non obſtat, quòd deficientibus executoribus 41
ſubveniendum ſit fratribus per officium judicis: nam reſpondetur id habere locum in legatis particularibus tantùm, ad quæ ſolvenda prædicta Decretalis, *Exiit, in §. Ad hæc quia fratribus*, non ſolum præcipit, ut tam hæredes teſtatorum, quàm executores ſe præbeant liberales, ſed etiam ut judices ſe ex officio ſuo promptos exhibeant ad pias voluntates deficientium adimplendas. At ſecus eſt ubi fratres ſunt inſtituti hæredes; quia tunc teſtamentum eſt oullum, & hæreditas defertur venientibus ab inteſtato, niſi adſit cohæres, vel ſubſtitutus, Bart. *in tract. Minor, lib.1. diſt. 1. cap.2.* Feder. de Sen. *conſ.26. in princ.* & eſt communis opioio ſecundum Rom. *conſ.296. circa declarationem, in princ.* adeò ut venientes ab inteſtato nec teneantur in foro conſcientiæ hæreditatem fratribus reſtituere, ut articulo utrimque diſcuſſo concludit Bart. *d. lib.1. diſt.1. cap.2.* Bald. verò in *l. Nulli, C. de Epiſc. & Cler.* Specul. & alii in contrarium allegati non loquuntur de fratribus Minoribus qui ſuot incapaces, ſed de pauperibus, vel alia pia cauſa, cui ſubvenitur per officium judicis, aut certè intelligendi

Digitized by Google

gendi ſunt de legatis particularibus tantùm, per ſupradicta.

42 Denique non obſtant diſpenſationes Sixti IV. Pauli IV. & Pii V. nam illa Pii V. habet clauſulam, *quatenus decretis Tridentini Concilii non adverſentur*, & omnes redactæ ſunt ad terminos Concilii tam ejuſdem Pii V. quàm Gregorii XIII. neque enim videtur dubitandum quin diſpenſationes hujuſmodi adverſentur Concilio, cùm in *cap.1. ſeſſ. 25. de regul.* præcipiatur Regularibus omnibus, ut ad regulæ quam profeſſi ſunt præſcriptum, vitam inſtituant, & componant, & in *cap.3. ejuſdem ſeſſ.* A conceſſione poſſidendi bona immobilia in communi excipiantur in ſpecie fratres Capuccini, & Minores de Obſervantia. Quæcumque igitur diſpenſatio, quæ regulæ adverſatur, cujuſmodi eſt jus ſuccedendi quoad fratres Minores, adverſatur etiam Concilio, quod præcipit ut regula obſervetur.

43 Hæc autem adeò vera ſunt, ut inſtitutio nec validè fieri poſſit de Eccleſia ipſa fratrum Minorum ut ſimiliter contra Bart. qui cenſuit hæreditatem hoc caſu acquiri Eccleſiæ Romanæ, de cujus proprietate ſunt Eccleſiæ fratrum Minorum, determinat Bald. in d.auth. *Ingreſſi num.55.* Movetur inter cætera, quia aut ſumitur Eccleſia materialiter pro ædificio; & hoc modo cùm Eccleſia ſit quid inſenſatum, non eſt ſufficiens medium ad acquirendum Eccleſiæ Romanæ civili acquiſitione, *l. Pecoris, ff. de ſervit. ruſtic. præd. & l. Vt pomum, C. de ſervit.* Aut ſumitur Eccleſia perſonaliter, & ſignificativè, ut *l. Mortuo, ff. de fideiuſſ.* & tunc cùm ſignificet & repræſentet Collegium fratrum, ſequitur, ut Eccleſiæ Romanæ acquiri non poſſit, quia cùm debeat acquiri mediante organo, & organum ſit inhabile, acquiſitio impeditur, *l.1. §. Cæterum, de acquir. poſſeſſ. & l. Quæcumque gerimus, de action. & obligat.* Allegat etiam notata in Clem. *Religioſus, de Procur.* ſubdens impedimentum regulæ videri de jure naturali, & divino, & in his quæ requirunt medium, ceſſante medio ceſſare acquiſitionem.

Ad hæc Bartoli interpretatio, quod acquiratur Eccleſiæ Romanæ, non ſolum eſt contra mentem teſtatoris, qui voluit legare pauperibus, non Eccleſiæ Romanæ, *l. Non dubium, C. de teſtam.* ſed etiam contra declarationem Jo. XXII. in d. Extravag. *Ad conditorem*, qui renunciavit omni acquiſitioni dominii per dictos fratres faciendæ Eccleſiæ Romanæ. Ac demum in perſona vera ipſorum fratrum non valet inſtitutio. Ergo multò minus valet in perſona ficta: ut in Auth. *de nupt. §. Optimi*. Ex quibus, atque aliis rationibus Bald. dicit ſe de facto contra opinionem Bart. conſuluiſſe; habetur ejus conſ. *lib.4. conſ. 416. Viſa ſubſtitutione*, & idem tenet Jo. de Lignan. in d. Clem. *Exivi*, & ibi etiam Anchar. *n 6.* In quo tamen articulo, quia non deſunt qui ſentiant oppoſitum, non videtur inſiſtendi, cùm non ſit caſus noſter, in quo teſtator non inſtituit Eccleſiam, ſed ipſos fratres, licèt modum ut ſupra adjecerit.

44 Sed nec jure legati diſpoſitio teſtatoris hoc caſu ſuſtineri poteſt: quia fratres Minores eodem modo ſunt incapaces legati univerſalis, atque inſtitutionis, text. eſt in d. Clem. *Exivi, §. Cupientes*, qui de ſucceſſione loquitur, *de verb. ſignific.* & tradit Bart. *in d. tract. Minor. lib.1. diſt.2. cap.1.* Bald. in d. Auth. *Ingreſſi, num.15. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Anchar. in d. Clem. *Exivi, col.3. verſ. Secundum membrum*, Capr. *conſ.31. col.2.* Pariſ. *conſ.65. col.4. vol.2.* Iaſ. *in l.1. num.99. ff. de leg.1.* & de legato hæreditatis idem Bart. *eod. tract. & lib. diſt.3. cap.1. de hæreditate*. Prædicta autem diſtinctio an fuerit relicto ſub modo licito, necne fieri debet in legatis particularibus tantùm, juxta text. in d. *c. Exiit, §. Ad hæc quia fratribus*, & reſolutionem S.Congregationis Concilii ſuperiùs relatam *n.11.* non autem in ſucceſſione univerſali, ut dictum eſt ſupra, & declarat
45 Cardin. *d. conſ.102. verſ. Ad ſecundum* fideicommiſſarius enim univerſalis eſt hæres in effectu, *l. Qui quadraginta, ff. ad Trebell. & l. Cum filius, ff. Quod cum eo*; & rationes adductæ per Bald. in d. auth. *Ingreſſi*, æquè militant in relicto univerſali, atque in hæredis inſtitutione. Hoc autem caſu teſtator quatenus nõ valeret inſtitutio jure legati legavit: unde in effectu hoc eſt legatum totius hæreditatis juris univerſalis, cujus fratres ſunt incapaces, etiamſi modus licitus adjiciatur, ut ſuperiùs probatum eſt. Virtus autem hujus clauſulæ eſt ut inſtitutio tranſeat in fideicommiſſum univerſale dumtaxat, non autem in legatum particulare, ut inquit Bald. in d. auth. *Ingreſſi n.54.*

Poſtremò cùm ſimilis caſus olim contigiſſet, in quo teſtator inſtituerat hæredes Fratres Minores S. Franciſci adjecta clauſula; quod ſi forſan aliquo modo eſſent incapaces dictæ hæreditatis, tunc bona cederent monaſterio pro augmento fabricæ, & alimentis fratrum: Sacra Congregatio ſuper hoc conſulta cenſuit ſimpliciter reſpondendum fratres eſſe incapaces. Quid autem faciendum eſſet de hæreditate, non eſſe Congregationis definire, ſed adeundos judices ordinarios.

Succeſſivè QUÆRO. An, & quibus caſibus valida 46
ſint legata bonorum mobilium, vel annui redditus facta Fratribus Minoribus S.Franciſci tam de Obſervantia, quàm ex Reformatione, aut eorum Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ.

Solutio quæſtionis patebit ex infraſcriptis declarationibus me Secretario editis in Congregatione à S.D. N. Urbano VIII. eorumdem fratrum negociis prepoſita.

Diſtinctio I. De legatis bonorum mobilium. 47

Articulus I. An fratres Minores tam de familia, quàm Reformati ſint capaces legatorum bonorum mobilium, quæ unica ſolutione, ſeu præſtatione adimplentur tam in pecunia numerata, quàm in aliis ſpeciebus.

Articulus II. An poſſint eadem legata in judicio, aut extra exigere per ſeipſos, vel Syndicum apoſtolicum.

Articulus III. An fabricæ Sancti Petri liceat in hujuſmodi legatis ſe ingerere infra annum, ex quo dies legati ceſſit.

Articulus IV. Et quid elapſo anno.

Diſtinctio II. De legatis factis fabricæ. 48

Articulus I. An valeat legatum annui redditus factum fabricæ, ſacriſtiæ, vel eccleſiæ Fratrum Minorum tam de familia, quàm ex Reformatione.

Articulus II. An liceat fratribus hujuſmodi legata in judicio exigere per eorum Procuratores, vel Syndicos apoſtolicos.

Articulus III. An liceat ejſdem erogare prædicta legata in uſus fratrum; an verò illa omninò converti debeant in uſus à teſtatoribus præſcriptos.

Articulus IV. An fabricæ S. Petri liceat infra annum ſe ingerere in proprietate horum legatorum pro fabrica, vel ſacriſtia, tranſigendo cum hæredibus, aut aliàs de eadem proprietate diſponendo.

Articulus V. Et quid tranſacto anno.

Articulus VI. An liceat eidem fabricæ S. Petri ſe immiſcere præſtationibus, ſeu fructibus eorumdem legatorum ab anno decurſis, & non ſolutis.

Articulus VII. Et quid infra annum, ex quo ceſſit dies præſtationis.

Diſtinctio III. De legatis annuis cum onere. 49

Articulus I. An fratres Minores tam de familia, quàm Reformati ſint capaces legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis miſſarum.

Articulus II. An iidem poſſint pro his legatis in judicio experiri agendo, aut judicis officium implorando.

Articulus III. An poſſint Fratres illa accipere à ſponte offerentibus celebrando miſſas ad rationem rei acceptæ.

Articulus IV. An poſſint illa ſponte oblata accipere per ſe ipſos; an verò per Syndicum Apoſtolicum.

Articulus V. An Fratres poſſint hujuſmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in uſum fabricæ, vel Sacriſtiæ.

Articulus VI. An liceat fabricæ S. Petri proprietatem eorumdem legatorum cum onere miſſarum ſibi vendicare tam elapſo anno, quàm antea.

Articulus VII. An eidem fabricæ liceat ſibi vendicare annuas præſtationes decurſas, & non ſolutas tam antea annum, quàm poſt.

Diſtinctio IV. De legatis annuis ſine onere. 50

Articulus I. An Fratres Minores tam Obſervantes, quàm Reformati ſint capaces legatorum annuorum ſine aliquo onere, aut modo adjecto ſaltem ad effectum illa extinguendi, & pretium erogandi in uſus fabricæ, vel ſacriſtiæ.

Arti-

Digitized by Google

Articulus II. An ad hunc effectum poſſint eandem proprietatem in judicio petere per Syndicum Apoſtolicum.

Articulus III. An poſſint illam convertere in uſus Fratrum.

Articulus IV. Et quid ſi cœperint illorum annuas præſtationes accipere.

Articulus V. An poſſint Fratres exigere judicialiter annuas præſtationes eorumdem legatorum in vim Martinianæ.

Articulus VI. Et quid poſt ultimum decretum S. Congregationis hac de re editum.

Articulus VII. An Fratres teneantur proteſtari ſe eſſe incapaces eorumdem legatorum.

Articulus VIII. An poſſint illas à ſpontè dantibus accipere per ſeipſos, vel per Syndicos Apoſtolicos.

Articulus IX. An hæredes teneantur illorum præſtationes Fratribus ſolvere in foro conſcientiæ.

Articulus X. An fabrica S. Petri jus habeat ſibi vendicandi horum legatorum proprietatem tam elapſo anno, quàm antea.

Articulus XI. Et quid de annuis præſtationibus decurſis, & non ſolutis.

Articulus Ult. An hæc omnia procedant etiam in legatis annuis ad modicum tempus.

51 Die 9. Septembris 1628. Sacra Congregatio negociis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia à S. D. N. præfecta ad ſingulos articulos ſuperius propoſitos ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Diſtinctione I.

Ad I. Articulum, Fratres Minores tam de familia, quàm Reformatos eſſe capaces legatorum bonorum mobilium, quæ unica ſolutione, ſeu præſtatione adimplentur tam in pecunia numerata, quàm in aliis ſpeciebus, dummodo tamen hujuſmodi legata ſint in quantitate moderata, & non in fraudem paupertatis.

Ad II. Fratres quidem nec per ſeipſos, nec per interpoſitam perſonam poſſe eadem legata in judicio exigere, ſed Syndicum Sedis Apoſtolicæ tantùm judicis officium implorare, dummodo ſimiliter illa in moderata ſint quantitate, & ſine ulla fraude paupertatis, & re ipſa erogentur in Fratrum neceſſitates. Extra judicium verò ita demum legata hujuſmodi accipi poſſe à Fratribus per ſe ipſos, ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant, & accipiantur in ea tantùm quantitate; quam vera, & imminens eorum neceſſitas poſtulet; ſed ſuperfluam, aut pecunias à Syndico tantùm poſſe accipi, dum tamen id omne in Fratrum neceſſitates convertatur.

Ad III. Non licere fabricæ S. Petri in hujuſmodi legatis bonorum mobilium ſe ingerere infra annum, ex quod dies legati ceſſit.

Ad IV. Elapſo anno licere ad præſcriptum ſuarum facultatum.

Diſtinctione II.

52 Ad I. Articulum. Valere legatum annui redditus factum Sacriſtiæ, vel fabricæ Eccleſiæ, vel Conventus Fratrum Minorum tam de familia, quàm de Reformatione, niſi adſit exceſſus in quantitate.

Ad II. Nec per ſeipſos, nec per alios licere fratribus in judicio exigere hujuſmodi legata, ſed Syndico Apoſtolico dumtaxat.

Ad III. Non licere eadem annui redditus legata erogare in uſus fratrum, ſed illa omnino converti debere in uſus à teſtatoribus præſcriptos.

Ad IV. Fabricæ S. Petri non licere infra annum ſe ingerere in proprietate horum legatorum cum hæredibus tranſigendo, aut aliàs diſponendo de eadem proprietate.

Ad V. Itidem non licere.

Ad VI. & VII. Poſſe fabricam S. Petri ſe immiſcere in præſtationibus, ſeu fructibus eorumdem legatorum ab anno decurſis, & non ſolutis; non autem infra annum, ex quo dies præſtationis ceſſit.

Diſtinctione III.

Ad I. Articulum. Fratres Minores tam de familia, quàm ex Reformatione nullatenus eſſe capaces legatorum annuorum, quæ fiunt adjecto onere celebrationis Miſſarum. 53

Ad II. Non poſſe pro his legatis in judicio experiri, aut judicis officium implorare.

Ad III. Poſſe fratres illa accipere per modum eleemoſynæ à ſpontè offerentibus celebrando Miſſas ad rationem rei acceptæ, citra tamen ullam obligationem ad onus perpetuum, & dummodo prius proteſtentur ſe illorum capaces non eſſe.

Ad IV. Syndicum Apoſtolicum, & pro fratrum neceſſitatibus, non autem fratres ipſos etiam per alios poſſe hujuſmodi legata utcumque ſpontè oblata accipere, ſi in pecunia conſiſtant.

Ad V. Non poſſe fratres hujuſmodi legata extinguere; aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in uſus fabricæ, vel Sacriſtiæ.

Ad VI. Licere fabricæ S. Petri ad ſuarum facultatum præſcriptum ſibi vendicare eorumdem legatorum proprietatem cum onere Miſſarum celebrandarum tam elapſo anno, quàm antea.

Ad VII. Similiter licere.

Diſtinctione IV.

Ad primum Articulum Fratres Minores tam Obſervantes, quàm Reformatos non eſſe capaces legatorum annuorum, quæ fiunt ſine aliquo onere, aut modo adjecto, niſi ad effectum illa extinguendi, ſeu illorum proprietatem, & pretium convertendi in uſus fabricæ, vel ſacriſtiæ. 54

Ad II. Non fratres ipſos, ſed Syndicum Apoſtolicum tantùm poſſe eamdem proprietatem in judicio petere.

Ad III. Poſſe convertere.

Ad IV. Si fratres cœperint illorum annuas præſtationes accipere, ne hinc fiat fraus paupertati, expedire ut de cætero decernatur eo caſu non licere amplius fratribus eamdem proprietatem vendere, ac pretium in uſus fabricæ, vel ſacriſtiæ erogare. Ideòque agendum cum S. D. N.

Ad V. & VI. Fratres nullo modo poſſe in judicio exigere annuas eorumdem legatorum præſtationes.

Ad VII. Teneri.

Ad VIII. Poſſe illa per modum eleemoſynæ, & à spontè dantibus accipere etiam per ſeipſos, ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant: quod ſi in pecunia, nonniſi per Syndicum Apoſtolicum.

Ad IX. Non teneri.

Ad X. Fabricam S. Petri nullum jus habere vendicandi horum legatorum proprietatem, niſi elapſo anno juxta ſuas facultates.

Ad XI. Similiter non habere jus vendicandi hujuſmodi annuas præſtationes, niſi ab anno decurſas.

Ad Ult. Hæc omnia locum non habere in legatis infra decennium, ſed in his tantùm, quæ fiunt ad decem annos, & ultra.

Cum his declarationibus conſentiunt alia decreta ab eadem Congregatione edita 14. Junii 1628. & die ſeq. publicata in Congregatione generali Fratrum Minorum de Obſervantia in præſentia D. Cardinalis Gypſii, quorum tenor talis eſt videlicet. 55

Sacra Congregatio à S. D. N. Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci Ciſmontanæ familiæ conſultationibus præpoſita volens quantum poteſt in Domino ipſorum poſtulato ſatisfacere circa Novitios ad habitum, & profeſſionem admittendos; Sanctitate ſua approbante, cenſuit tunc demum eſſe illis permittendum, ut Novitios ut ſupra recipiant, cùm conſtiterit ex ipſorum Conventibus eo, ſuſtuliſſe abuſus omnes, qui Regulæ S. Franciſci Obſervantiæ adverſantur. Quod ubi præſtiterint, deſignanda erunt loca pro iiſdem Novitiis recipiendis, & præſcribendus recipiendorum numerus & qualitas, & alia ad eorum inſtitutionem pertinentia: & prout unaquæque Provincia id exequetur, eidem receptionem hujuſmodi fore permittendam.

Abuſus verò quibus eos propterea mederi oportebit, ſunt potiſſimum infraſcripti.

Ac primum abdicenti à ſe, & eorum Conventibus non ſolum piſtrina, ac bona omnia immobilia, quæ alicubi contra Regulæ puritatem, & declarationes fel. recor. Nicolai III. & Clem. V. extra, vel intra ſepta monaſteriorum detinent: ſed etiam cenſus perpetuos, & legata annua, ſu-
56 per quibus Sacra Congregatio præcipit obſervari decretum Congregationis generalis Romæ habitæ die 17. Maii 1603. Cujus tenor talis eſt.

Cùm annuos redditus; ſicut cætera bona immobilia nobis habere non liceat, ideò renovantes alia generalia ſtatuta, decernimus quod Frater inducat perſonam aliquam ad eleemoſynam perpetuam Ordini noſtro exhibendam, nec exhibitam à quopiam vivente ſuſcipiat; & ſi aliqua talis nobis fuerit relicta, nullo modo in judicio exigatur: declarantes quod ad perpetua legata petenda non poſſunt fratres recurrere, niſi humiliter, & per modum eleemoſynæ abſque allegatione ali-
57 cujus debiti. Decernitur præterea, ac præcipitur per S. Obedientiam, quod quoties relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus perſonis, & Hoſpitalibus, vel alicui Reipublicæ, & aliis domibus ea lege quod teneantur fratribus præſtare ſingulis annis certam eleemoſynam, ſive omninò gratis, ſive ut ipſi fratres dicant certa officia, & miſſas, quod Guardianus faciat proteſtationem ei, qui teſtatoris voluntatem adimplere tenetur, quod cùm ad illas eleemoſynas nullum jus habeant ex vi legati, non poſſunt obligari ad illa officia, & miſſas. Si tamen facta iſta proteſtatione hæres ex ſua libera voluntate voluerit dare eleemoſynas illas, & committere fratribus dicta officia, & miſſas; tunc fratres tuta conſcientia poſſunt eleemoſynas hujuſmodi recipere. Quod totum, & multò fortiùs in relictis legatis ſingularibus fratribus ſimili modo faciendum eſſe decernimus. Inhibemus autem, ne Syndicus in ſua perſona hujuſmodi annuos redditus recipiat diſtribuendos ipſis fratribus. Proteſtatio autem ſic fiat ſub ſigillo Conventus, videlicet: Nos Frater N. Guardianus, & Fratres Diſcreti hujus Conventus N. dicimus ad noſtram notitiam perveniſſe quondam N. certam eleemoſynæ quantitatem Conventui huic diſtribuendam perpetuo gratis, vel forſan pro aliquibus officiis, aut miſſis dicendis legaſſe. Cùmque legata hujuſmodi, niſi per viam ſimplicis eleemoſynæ acceptare ex inſtituto ſancto noſtro, & jure nobis non liceat; ideò per præſentes liberè proteſtamur in Domino, quod legatum prædictum tamquam illius incapaces ex vi legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen hæres commiſſarius, aut legatarius ipſius teſtatoris dictam quantitatem per viam ſimplicis eleemoſynæ omni obligatione, dominio, & proprietate penitus ceſſantibus, nobis liberè conferre voluerit, illam ſimpliciter accipiemus, & piæ teſtatoris voluntatis quantum in nobis fuerit plenè, ac fideliter ſatisfaciemus. Hæc autem proteſtatio ſubſcripta per Guardianum, & Diſcretos Conventus dabitur illi, qui tenetur teſtatoris voluntatem implere: & eadem proteſtatio ſcribetur in libro Conventus, ut conſtare poſſit ſuccedentibus Guardianis hanc Conſtitutionem fuiſſe ad plenum adimpletam.

58 Eſt autem hæc proteſtatio neceſſaria, ut optimè decernit D. Bonaventura hanc diſputans quæſtionem; & ex Apoſtolicis declarationibus Regulæ noſtræ colligitur. Et ut omnibus ſit compertum id quod tantoperè eſt nobis neceſſarium; ipſam D. Bonaventuræ quæſtiunculam ex ſuo Apologetico deſumptam hic apponere de induſtria non gravabimur, quæ talis eſt ut ſequitur.

Cùm aſſeratis vos ſecundum Regulam, & profeſſionem veſtram nullos debere recipere proventus redituum, ſeu poſſeſſiones, exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini tranſgreſſores Regulæ veſtræ in eo, quod recipis domos, vel areas non contiguas veſtris areis, in quibus habitatis eodem enim modo ſi hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, & agros, & manſos, & ſimilia quæque recipere; imò grancias, & villas, & caſtra, & terras, & oppida, & quæcumque fuerint vobis data; & ſic priſtina paupertas, & mendicitas, quam profeſſi eſtis, paulatim evaneſcere, & non eritis diſcipuli S. Franciſci, cùm non ſequamini veſtigia ejus, nec ejus Regulam teneatis: de domibus enim vobis contiguis poteſt eſſe excuſabile, quod pro dilatanda area veſtra illas quandoque recipiatis, ſed de aliis non, in quibus homines alios pro cenſu locatis, quem procurator veſter loco veſtri exigit, & in uſus veſtros convertit de voluntate veſtra. Si qui in talibus incautè agunt, dolemus, & contradicimus, & prohibemus. Qualiter autem in hoc licitè agere poſſimus, adverte; & tunc non judicabis nos, ſi ſanè intelligis, tranſgreſſores. Proteſtamur nos ſecundum Regulam noſtram nil debere, ſeu velle poſſeſſionis, vel certorum redituum recipere, vel habere; quia verò mendici ſumus, & pauperes, & quibus pro præſenti neceſſitate indigemus, ideò recipimus prout licet, ſive pro ſolvendis debitis, vel aliis neceſſariis procurandis. Cùm ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum ſuam, vel aream non contiguam noſtræ manſioni, non recipimus eam per nos, nec per interpoſitam perſonam ut noſtram, ſed ſi ille eam diſponit per alium quemcumque, ut ea vendita de pretio ejus provideatur; nobis ex parte ſui in his, quibus tunc indigemus procurandis, vel ſolvendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens ne fortè ejus talis diſpoſitio per hæredes ſuos, vel alios in poſterum impediatur, & propter hoc præoccupat reprobare illam ſigillo alicujus judicis, vel civium, vel alterius, &c. & ſic committit eam alicui amico ſuo, vel fratrum qui conſervat quod ipſe diſponit de domo tali, vel area, nil ad nos, cùm de rebus ſuis poſſit ordinare quod vult, nec locum talem, vel domum dicimus eſſe noſtram, cùm nihil juris nos in ea proteſtemur habere. Similiter ſi aliquis diſponeret per amicum, vel alium, quod de pretio, vel de proventibus illis, vel illis darentur fratribus tot panes quotidie vel tantum eleemoſynæ ſingulis ſeptimanis, aut annis, non eſſemus propter hoc prædii, vel redituum poſſeſſores; nam ſi me petente eleemoſynam aliquis dives permittat quod ſingulis annis velit dare fratribus duas tunicas, vel tantùm unam, vel ſingulis hebdomadis tot panes & hoc committat officialibus ſuis, ut vice ſui iſta dent etiam eo abſente, & hoc pro fratribus recipiam, vel etiamſi illi negligant dare, admonendo exigam, numquid propterea certos reditus habere dicendi ſumus; Cùm non ex jure, ſed ex gratia ſolum talem eleemoſynam recipiamus, vel exigamus.

Et ſi poſt obitum illius, uxor ejus, vel alii amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemoſynam per ſe vel ex diſpoſitione illius largiri, poſſumus ſimiliter accipere ex tali gratia: ita quod quandocumque nollent amplius iſta dare, nihil peteremus ab eis quaſi ex debito, ſed more mendicorum recurremus ad domum clementis domini pro quotidiana eleemoſyna quamdiu illi placeret; ſed quando plus nollet, diſcedimus ut cui gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato. Hæc eſt vera, & pura vita mendicorum, quod datur ex gratia recipere, non ex jure. De cenſibus verò domorum fratribus legatorum nihil quærimus, ſicut nec de aliis redditibus. Si autem antequam vendantur aliquem inde cenſumdare volunt hi, in quorum tunc poteſtate ſunt illæ domus, nihil juris habere in eo proteſtamur, ſed eleemoſynam nobis ſponte oblatam ſimpliciter recipimus, ſicut aliundè donatam. Quia verò Dominus docet nos cavere ab hominibus *Matth.* 10. & Apoſtolus ab omni ſpecie mala abſtinere *primo Theſſal.* 5. Ne putemur ab ignorantibus tranſgreſſores regulæ noſtræ, debemus apertè proteſtari nihil nobis juris in talibus donationibus velle habere, ſicut tenetur ſuſpectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus poſſet iſta ſuſpicio probabilis judicari. Hæc omnia D. Bonaventura.

Sed quia in his caſus ſolet aliquando evenire, quòd annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem patronum, cui fieri habeat talis, ut ſupra, proteſtatio, decernimus quòd in tali caſu ſervetur ſtatutum Ordinis Minorum ſub Paulo II. contentum in conſtitutionibus ſuper *cap. 6. Reg. & §. Inhibemus*. Quod nimirum hujuſmodi redditus aſſignetur Rectoribus ſpiritualibus, aut temporalibus Collegiorum, aut Communitatum, Terrarum, aut Civitatum, qui tales eleemoſynas, ſive fructus, vel redditus annuos nomine Eccleſiæ Romanæ, vel donantium ſine fratribus exigant, & recipiant, & fratribus ſive aliis Sacerdotibus, quando fratres noluerint tales Miſſas, vel ſuffragia juxta piam intentionem benefactorum in toto, vel in parte ſecundum quantitatem talium obventionum interdicere faciant.

Item ſtatuitur, ut deinceps nulla inſtrumenta publica fiant à fratribus capitulariter congregatis nec quocumque

alio

illo modo ſe habentibus, in quibus transferatur dominium, & proprietas alicujus capellæ, ſive ſepulturæ, cùm hoc omnino ſit contra Regulam, & noſtro repugnet inſtituto; nam quomodo aliquis dat quod non habet? Si tamen occaſio ſe obtulerit in qua oporteat ſatisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos noſtræ regulæ, & inſtituto congruentes. Eſt autem proteſtatio prædicta neceſſaria, ne ut ait D. Bonaventura, ab ignorantibus noſtrum inſtitutum regulæ noſtræ tranſgreſſores judicemur; Cujus Seraphici Doctoris ſententiam hic inſerendam judicavimus quatenus è medio tollatur abuſus ignorantiſſimorum aliquorum, qui exiſtimantes Charibdim fugere, in Scillam inciderunt in favorem Ordinariorum, vel alicujus tertii, vel hæredis, renunciantes prædicta legata, quaſi non eſſet opus proprietatis, & dominii donare, ſicuti accipere, & ſumma dementia alienum renunciare.

De hujuſmodi autem bonis, ſeu illorum pretio Generalis, vel Commiſſarius Generalis unà cum conſilio Guardiani, & Diſcretorum Conventus in uſum Sacriſtiæ, fabricæ Eccleſiæ, & Conventuum provideat, prout illorum neceſſitate perſpecta ſalubriter in Domino expedire arbitrabitur. Et de hac proviſione quamprimum ſacram hanc Congregationem fideliter certiorem faciat. Hanc verò bonorum abdicationem, & legatorum renunciationem fuiſſe executioni demandatam conſtare debebit huic Sacræ Congregationi ex Generalis, vel Commiſſarii generalis, & Ordinariorum atteſtationibus gratis, & abſque ullo fratrum diſpendio concedendis.

Deinde à fratribus particularibus auferatur cujuſcumque rei proprietas, ſi quæ ſit, & omnia in communi redigantur ad regul. Sac. Can. Apoſtol. Conſtit. & S. Concil. Trid. diſpoſitionem. Potiſſimum verò tollantur pecuniæ, & quamprimum inſumantur in veras, & communes ipſorum Conventuum neceſſitates; idque fiat à Syndicis Apoſtolicis tantùm, ita ut nihil pecuniæ mediatè, vel immediatè ſuperſit in manibus, vel poteſtate fratrum etiam Superiorum.

59 Ad hæc tollatur abuſus Aromatariarum, ita ut de cætero illæ non retineantur, niſi ad uſum monaſteriorum duntaxat, nec liceat res illarum cuique vendere.

60 Prætetea nullo modo habeant in eorum Eccleſiis, vel Sacriſtiis, aut alibi cippos, & truncos ordinatos ad offerentium, ſeu donantium pecunias, nec capſulas pro eleemoſynis Miſſarum.

Ac demum Superiores Regulares invigilent ut fratres communi menſa utantur, divina officia temporibus debitis recitent, vacent orationi mentali, & divinum cultum diligenter exerceant, ac cætera impleant ad quæ pro Regulæ obſervatione tenentur.

Hæc autem ſuperiùs expreſſa fuiſſe ad effectum perducta conſtare debebit eidem S. Congregationi, ex atteſtationibus medio juramento Generalis, aut Commiſſarii generalis, aut viſitatorum prævia diligenti informatione capta in viſitatione ſingulorum Conventuum cujuſque Provinciæ. Romæ 14. Junii 1628.

61 Porrò ſupraſcriptis declarationibus, & decretis non adverſantur, quin potiùs favent alia decreta in Congregatione fabricæ Sancti Petri edita juſſu Sanctiſſimi D. N. in hæc verba.

Decretum Sac. Congregationis Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe ſuper Legatis relictis PP. Minoribus de Obſervantia S. Franciſci.

CUm ſæpius fuerit habitus recurſus ad Sacram Congregationem Ven. Fabricæ S. Petri ſuper annuis Legatis factis, ſeu facien. ad favorem fratrum S. Franciſci Minorum de Obſervantia, cum onere Miſſarum, ſeu Officiorum ſive gratis, ſive alio modo.

Prætendente Ven. Fabrica S. Petri ad illam ſpectare propter dd. Fratrum incapacitatem hujuſmodi Legatorum.

Dictis autem Fratribus allegantibus poſſe annua legata hujuſmodi recipere tuta conſcientia, quatenùs hæres ex ſua libera voluntate voluerit illa dare in eleemoſynam, & committere fratribus dd. Miſſas, & Officia juxta ſententiam S. Bonaventuræ, & Decreta S. Congregationis à S. D. N. Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci Ciſmontanæ familiæ Conſultationibus præpoſitæ ſub die 4. Junii 1628. publicata.

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Eadem Sacra Congregatio pro opportuna præmiſſorum proviſione facta prius relatione S. D. N. Urbano Papa VIII. ac de illius expreſſo ordine, & mandato, decrevit in futurum ſuper hujuſmodi Legatis obſervari, ut infrà.

Quod hujuſmodi Legata per Debitores, vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compoſitionem cum Miniſtris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo, ſed illorum Capitale, ſive ſors principalis, vel Proprietas abſque aliqua diminutione conſervetur ſemper, & perpetuò ad effectum, ut in uſus Romano Pontifici pro tempore exiſtenti benè viſos poſſint applicari; Ita tamen, ut quamdiu applicationem ſpecialem auctoritate Apoſtolica fieri non contigerit, hæredes, vel Debitores poſſint liberè, ſi velint, dictis fratribus dare dicta annua Legata per eoſdem fratres recipienda in eleemoſynam, non autem per eos exigenda. Et quod quævis extinctio, reductio, ſeu diminutio capitalis, ſeu proprietatis aliter abſque ſpeciali Romani Pontificis permiſſione facta, eo ipſo nulla ſit, nec Debitoribus, aut aliis quibuſcumque ſuffragetur.

Quodque Commiſſarii, aliique Miniſtri Ven. Fabricæ ſuper hujuſmodi capitale, ſeu proprietate ſupradicta, ſe de cætero non intromittant, nec dictos hæredes, ſeu Debitores aliquo modo moleſtent, niſi ad effectum reinveſtiendi in caſu reinveſtimenti, ſeu providendi, ut conſervetur, ut ſuprà, aut aliàs in executionem applicationis auctoritate Apoſtolica fact. vel facien.

Et quod nolentibus dd. hæredibus, vel Debitoribus dare ſupradictis fratribus dd. eleemoſynas, ſeu annuas præſtationes, ſive Legata, ut ſupra ſolvere, vel illas, ſeu illa non ſolventibus, tunc & eo caſu lapſis duobus annis à die obitus Teſtatorum, ſi fuerit maturatum Legatum, vel à die maturatæ: illius ſolutionis eadem fabrica, & illius Commiſſarii, & Miniſtri id totum, quod ſolutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit, ut ſupra elapſum biennium, vel ultra, poſſit & valeat, annuas præſtationes hujuſmodi exigere: exigique facere ad ſui beneficium, juxtà ſuas facultates, & Privilegia: ſalvo ſemper capitali, ſeu proprietate, ut ſupra, ad effectum, quod hæredes, vel debitores (dummodò de eis per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem aliter non fuerit diſpoſitum, nec prædicta Legata in alios uſus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) poſſint, ſi velint, quandocunque futuris temporibus, & ſic deinceps in perpetuum dare dictis fratribus dicta annua Legata in eleemoſynam, ut ſupra, nec Fabrica eoſdem hæredes, vel debitores moleſtare poſſit, & valeat toties, & quoties caſus contigerit, niſi pro præterito, & tunc in illis terminis tantùm, poſt quorum maturationem fuerit elapſum biennium, vel ultra, ut ſupra; ſalva ſemper erectione Beneficiorum, & applicatione Legatorum, ſeu quorumcunque bonorum, & redditum, ac Jurium ejuſdem Beneficiis, ſeu aliis uſibus piis auctoritate Apoſtolica facta, vel in poſterum quandocunque, & quomodocunque facienda, & executione litterarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum, ſeu expediendarum; Itaut præfata decreta ad illas nequaquam ſe extendant, ſed illæ ſemper firmæ, & illæſæ remaneant, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri debeant, ita quod neque Fabrica, neque hæredes, vel Debitores præfati, ullo modo illas impedire, retractare, vel controvertere valeant, & ſalvis ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ac facultatibus competen. dictæ Sacræ Congregationi Ven. Fabricæ.

Prohibuit tamen eadem Sacra Congregatio Fratribus ſupradictis ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne audeant, ſeu præſumant, nec quilibet eorum audeat, ſeu præſumat per ſe nec per alios Syndicos, Miniſtros, ſeu Procuratores tam ſæculares, quàm Regulares dictas annuas præſtationes, ſeu Legata, nec judicialiter tam coram quocumque Judice Eccleſiaſtico, quàm ſæculari Ordinario, vel delegato, nec aliàs niſi juxta formam dicti Decreti Congregationis Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci Ciſmontanæ familiæ à Sanctiſſimo D. N. deputatæ ab hæredibus ſeu quibusvis aliis eorum Debitoribus petere, minusve dd. hæredibus, ſeu Debitoribus facere aliquas receptas pro dd. annuis præſtationibus, niſi pro rata, & pecunia, ſeu eleemoſynis ſupra dictis cum effectu, ac verè, & realiter eiſdem fratribus data, vel ſoluta, ſeu datis, vel ſolutis, nec ſub alia data, niſi ſub ea, qua verè fuerit iiſdem Patribus, aut aliis

pro eis facta realis ſatisfactio, & inſuper, ne Proviſos Apoſtolicos pro tempore de Beneficiis, quibus Legata ſupradicta fuerint applicata, vel eorum Procuratores, & miniſtros ſuper erectione dd. Legatorum directè, vel indirectè impedire, vel moleſtare quovis quæſito colore, vel prætextu audeant, vel præſumant. In quorum fidem, &c.

Dat. Romæ ex Collegio ejuſdem Sacræ Congregationis die 14. Februarii 1633.

Dominicus Card.

Loco † Sigilli.

DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE.

Innocentius III. Cantuarieñ. Archiepiſcopo.

C A P U T II.

CUm ex injuncto: & infrà. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus quidquid ædificatum eſt in Eccleſia de Lamech, poſt novi operis nuntiationem, expenſis tuis facias penitùs demoliri, eo non obſtante, ſi etiam abſens extiteris: cùm cautum ſit legitima ſanctione, ut ſi is, cui opus novum fuerat nuntiatum, ante remiſſionem ædificaverit, deinde agere cœperit jus ſibi eſſe, ita ædificatum habere, ſibi debeat actio denegari: reducens prorſus in irritum, quidquid de inſtituendis ibi Canonicis, & aliis ad ipſam Eccleſiam pertinentibus, à te vel prædeceſſore tuo cognoſcitur ordinatum, eorum redditibus ad ſtatum priſtinum revocatis: quos ab obligatione præſtiti juramenti, pro eo quòd ibidem inſtituti fuerunt, auctoritate noſtra, per te denuntiari præcipimus abſolutos: cùm enim amodo non teneat principale, quidquid ex eo, vel ob id ſecutum eſt, ſub præmiſſa diſtrictione decernimus irritandum: & infrà. Super eo quoque non ſufficimus admirari, quòd cùm viri religioſi Monachi Cantuarieñ. qui omnia dimiſerunt pro Chriſto, tot laboribus, & periculis perſonas & res non dubitaverunt frequenter exponere, (quod non feciſſent, niſi cognoſcerent præmiſſa reſpicere in grave Cantuarieñ. Eccleſiæ detrimentum) tu ſaltem pro vitando tam gravi ſcandalo proximorum, ab hujuſmodi etiam tibi prohibitis non ceſſaſti: cùm ſacræ Scripturæ teſtimonio debueras didiciſſe, quòd licèt opera illa, quæ ſine mortali peccato omitti non poſſunt, non ſunt pro vitando ſcandalo dimittenda; nec ea debeant pro ſcandalo vitando committi, quæ ſine mortali peccato committi non poſſunt; ab his tamen, quæ ſine mortali peccato committi poſſunt pariter & dimitti, ſit pro ſcandalo tollendo ceſſandum, & eis etiam pro vitando ſcandalo inſiſtendum; unde Apoſtolus: Si ſcandalizatur frater, non comedam carnes in æternum. Et Dominus in Euangelio contra eos, qui ſcandali præſtant materiam: Væ (inquit) homini illi, per quem ſcandalum venit, &c. Et licèt majorum ſcandalum ſit vitandum, vitandum eſt etiam ſcandalum puſillorum, juxta teſtimonium veritatis: Qui ſcandalizaverit (inquit) unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, &c. Finis ergo his taliter à te imponatur, quòd præteritæ contradictionis rebellio, per virtutem ſequentis obedientiæ valeat expiari.

S V M M A R I V M.

1 *ECcleſia ædificata poſt nuntiationem novi operis deſtruenda eſt expenſis conſtruentis.*
2 *Ædificans poſt nuntiationem novi operis non ſufficit, ut patientiam præſtet operis demoliendi, ſed ædificium eius ſumptibus eſt demoliendum.*
3 *Et quid ſi nuntiatio facta fuerit prædeceſſori ædificantis, & num. ſeqq.*
4 *Interdictum demolitorium novi operis datur heredi, & in heredem etiam poſt annum.*
5 *Et tranſit in ſingularem ſucceſſorem etiam dignitatis, num. 8.*
6 *Datur tamen ad patientiam, ſed non ad impenſam.*
7 *Niſi ſucceſſor ratū habeat ædificium cœptum, vel ædificet.*
9 *Scandali in materia quæ regulæ ſint obſervandæ.*
10 *Deſtructa Eccleſia, vel loco propter aliquorum delictum, nullus debet vocari clericus illius Eccleſiæ, vel municipes illius loci.*
Secus ſi deſtruantur ab hoſtibus, quia omnia privilegia retinent, num. 12.
Idem ſi deſtruantur terræ motu, num. 13.
Et idem ſi in alium locum transferantur, vel uniantur, num. 14.
Quod locum habet etiam in civitatibus, & aliis locis prophanis, num. 15.
11 *Reædificatum auctoritate Superioris recuperat omnia privilegia.*
16 *Capitulum Cathedralis Eccleſiæ an, & quando ab Epiſcopo, vel aliis Canonicis ad alium locum intra, vel extra diœceſim transferri poſſit, latè diſcutitur, ut num. ſeqq. uſque in fin.*
Quid de iure communi, num. 17.
Et quid ex Bulla Clem. VI. num. 39.
17 *Capitulum celebrari debet in Eccleſia, & loco ad hoc determinato.*
18 *Nec Epiſcopus poteſt domi ſuæ illud convocare, ſed ad aulam Capitularem, ubi antea ſolitum fuit convenire.*
19 *Electio quamvis fieri debeat in Eccleſia, tamen ſi fiat alibi, non propter hoc eſt nulla, nec annullanda, & nu. ſeqq.*
20 *Locus non eſt de ſubſtantia electionis.*
21 *Capitulum cùm non poteſt tuto convenire in Eccleſia, vel loco Capitulari, ad alium locum transferri poteſt.*
Et iuſta cauſa transferendi eſt repulſio Epiſcopi ab ingreſſu in civitatem, num. 23.
22 *Vniverſitas congregari debet in loco publico, & ſolito, niſi ibi non poſſit congregari propter bellum, vel aliud impedimentum.*
24 *Epiſcopus, & Canonici ſunt unum corpus.*
25 *Nec decet Epiſcopum in negotiis Eccleſiæ omiſſis membris aliorum conſilio uti.*
26 *Epiſcopus poteſt Capitulum convocare ſi aliquid Canonicis ad deliberandum proponat, nec de re ad ſuum, vel ſuorum commodum ſpectante agatur.*
27 *Nec ad id admittitur Vicarius Epiſcopi ſi Capitulum ſit exemptum.*
28 *Executor, cui aliquid certo loco expediendum committitur, ſed id ei loco ſervire non poſſit, extra locum poterit expedire.*
29 *Epiſcopi expulſi poſſunt omnimodam iuriſdictionem exercere in aliena diœceſi petita, licèt non obtenta licentia à diœceſanis locorum.*
30 *Et dicuntur expulſi etiam non admiſſi.*
31 *Iuriſdictione conceſſa cenſetur conceſſa omnia, ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt, & num. 33.*

32 *Epi-*

Digitized by Google

32 *Epiſcopus quæ negocia expedire non poſſit ſine conſenſu, vel conſilio Capituli.*

33 *Capitulum eſt Senatus Eccleſiæ.*

34 *Canonici præſentes in Eccleſia à tyranno occupata pro negociis communibus tenentur ire ad Canonicos forinſecos etiam pauciores: & quando ſecus, & num. 36.*

36 *Et quid in abſentibus ob privatas inimicitias.*

37 *Inimicus ſe credere nemo tenetur etiam cum litteris conductus, & aſſecurationis.*

40 *Rebelles dicuntur qui Principem, vel eius Nuncium volente ingredi civitatem non admittunt.*

41 *Rebellio an committatur tantum contra Imperatorem, & eius officiales, an verò etiam contra Reges, & Principes non recognoſcentes ſuperiorem.*

42 *Rebelles dicitur qui de facto reſiſtit ſuperiori, vel iuriſdictioni.*

43 *Et omnis exiſtens in protervia, & notoria inobedientia.*

44 *Declaratoria ſuper facto rebellionis non requiritur quando de illa incidenter agitur.*

45 *Nec quando rebellio eſt taliter notoria, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, aut defendi.*

Notoriè delinquentes etiamſi notorium ſit facti tranſeuntis, audiendi non ſunt appellantes, ibid.

46 *Rebellis notorius dicitur vaſſallus, qui ſe tuetur contra Dominum, & non vult eum admittere in Caſtrum.*

47 *Citatio non eſt neceſſaria ubi certum eſt abſenti nullum ius competere.*

48 *Ad Capitulum conſtituendum regulariter non ſufficit maior pars, ſed requiritur, ut duæ tertiæ partes ſint præſentes.*

49 *Declaratur.*

50 *Univerſitatis pars minor inſtante termino ad expeditionem actus præfixo, poteſt convocare maiorem, & ea accedere renuente, actum explicare.*

51 *Capitulares actus ex contemptu aliquorum non ſunt nulli, ſed nec etiam debent caſſari, niſi ipſis proſequentibus contemptum.*

52 *Abſentes non ſunt vocandi, niſi in tribus caſibus, hic expreſſis, & in aliis conſimilibus, & multum arduis.*

53 *Et an ſint citandi abſentes extra provinciam.*

54 *De quam longinquo loco ſint vocandi, ſtatur conſuetudini.*

55 *Bulla Clementis VI. ſuper tranſlatione Capituli Leodienſis ex cauſa rebellionis contra Epiſcopum refertur.*

56 *Confirmatio Apoſtolica tranſlationis Capituli Leodienſis.*

1 C*Um ex iniuncto*. Etiam Eccleſia ædificata poſt nun-
ciationem novi operis deſtruenda eſt expenſis con-
ſtruentis. Hoc dicit, cum cap. Præcedenti. Dividitur in
tres partes. In prima jubet opus demoliri, & irritat quic-
quid ex illo ſequutum fuit. In ſecunda redarguit Archie-
piſcopum, qui non curavit ſcandalum ſubditorum, ibi:
Super eo. In tertia hortatur eum, ut pareat ibi, *finis*.

2 Nota primò ibi, *expenſis tuis facias penitus demoliri*:
non ſufficere, ut ædificans poſt nunciationem novi operis
3 patientiam præſtat operis demoliendi, ſed amplius ædifi-
cium ſuis ſumptibus eſſe deſtruendum; ut hic in littera, &
notat Abbas *in primo notab.* Quod locum habet etiamſi no-
vum operis nunciatum fuerit Prædeceſſori ædificantis,
prout contigit in caſu hujus Decretalis, ut patet ibi, *ſi
etiam abſens extiteris*, juncta expoſitione Joan. Andr. *nu.* 1.
in verb. Abſens. Adhuc enim debet deſtrui ſumptibus ſuc-
4 ceſſoris, dummodo tamen idem ſucceſſor ratum habuerit,
vel proſequutus fuerit opus à prædeceſſore inchoatum: hoc
enim interdictum datur hæredi, & contra hæredem, etiam
5 poſt annum, *l. Prætor*, §. *hoc interdictum*, *ff. de nov. oper.
nunciat.* & tranſit etiam in ſingularem ſucceſſorem, *l. fin.
ff. eod.* ratio eſt, quia ſucceſſit in vitium prædeceſſoris, *cap.
Quia, ſupra de iudic.* & eſt ſimile in ſpolio, quod tranſit ad
quoſcumque ſucceſſores, ad quos res ipſa pervénit cum
ſua cauſa; & ſic cum vitio ſpoliationis, gloſ. 1. & commu-
niter ſcribentes *in cap. Sæpè de reſtitut. ſpoliat.* ut ibi per Ri-
pam *num.* 19. Seraphin. *deciſ.* 1262. *num.* 1. Gregor. XV. *de-
6 ciſ.* 542. *num.* 3. Et quamvis regulariter interdictum demo-
litorium contra ſucceſſorem detur ad patientiam, non au-
tem ad impenſam, quia ſucceſſor, vel hæres in pœnam 7
non ſuccedit, ut *l. penult. ff. de novi. oper. nunciat.* Tamen
hoc fallit ſi ſucceſſor ratum habeat ædificium cœptum, vel
ædificet, ut in *d. §. Hoc interdictum*, *& in l. fin. ff. eod.* hoc
enim caſu interdictum quoad omnes effectus tranſivit in 8
ſucceſſorem etiam dignitatis; & ita intelligas hoc cap. cum
gloſ. 1. ut notat gloſ. *marginal.* poſt Hoſtien. *in princ. in ver.
Expenſis tuis*, Jo. Andr. *num.* 17. Butr. *num.* 7. & Abb. *n.* 8.

Secundò nota ex textu quatuor regulas in materia ſcan- 9
dali. Prima eſt, pro ſcandalo vitando omittenda non ſunt
quæ ſine mortali peccato omitti non poſſunt, ut baptizari,
horas dicere, & pœnitentiam accipere: & hæc colligitur
ibi, *quod licet*. Secunda eſt, pro vitando ſcandalo non ſunt
committenda quæ ſine mortali peccato committi non poſ-
ſunt, ut ſi puella ſtupro conſentiat, ne is, qui petit, ſeipſum
interimat, *cap. Cum homo*, 23. *quæſt.* 5. *& cap.* 1. 14. *diſtin.*
& hæc colligitur ibi, *nec ea*. Tertia eſt, pro vitando ſcan-
dalo quis poteſt committere quod ſine mortali peccato
committi poteſt, ut geſtare habitum ordini ſuo parum con-
gruentem, *cap. Deus ſupra de vita, & honeſtat. Cleric.* &
hæc colligitur ibi, *committi*. Quarta eſt pro vitando ſcan-
dalo poſſum dimittere quod ſine peccato mortali dimitti
poteſt, puta correctionem propter multitudinem delin-
quentium, ut *cap.* 1. *latores, de Cler. excommunicat. & cap.
ult. de temp. ordin.* vel melius pone exemplum, ut *in cap.* 2.
*de cognat. ſpiritual. & cap. Dilecte, & cap. Quia circa, de
conſanguinit. & affinit.* & hæc colligitur ibi, *dimitti*. Quas
regulas ex hoc text. deſumpſit Abb. Antiq. *hic num.* 2. cum
quo tranſeunt Joan. Andr. *num.* 11. & Henrich. Boich. *n.* 5.
eaſque tranſcribit, licet de Abb. Antiq. mentionem non
faciat, Gulicl. de Monte Laudun. in Clem. *unic. num.* 1. *de
immunit. Eccleſ.* & eas duabus regulis complectitur Abb.
Siculus *hic num.* 7. Quid autem ſit ſcandalum, unde dicatur,
& an ſit peccatum, necne latius proſequere, ut per eundem
Henric. *a num.* 1. & adde quod legitur in *cap. Niſi cum pri-
dem*, §. *Pro gravi quoque ſcandalo*, & quod ibi dixi *num.* 74.
78. *& 79. ſupra de renunciat.*

Ultimò nota ibi, *reducens prorſus in irritum*, ſecundum 10
Innoc. *num.* 2. quod quando Eccleſiæ, vel civitates, ſive alia
loca, ſive ſacra, ſive prophana propter eorum delictum de-
ſtruuntur auctoritate ſuperioris, nullo de cætero debet vo-
cari clericus illius Eccleſiæ, vel municeps illius loci, & ille
locus privilegium perdit, ut *hic*, *& in c. Placuit de conſecrat.
diſt.* 1. *in cap. Et hoc diximus*, 16. *q.* 7. *& in l. Si uſufructu ci-
vitati, ff. Quibus mod. uſufruct. amitt.* & ita intelligas quod 11
notat gloſſ. *ult.* Innoc. & Hoſt. *in cap. Abbate ſane* §. *ult. de
verb. ſignific.* niſi tamen locus poſtea reædificetur; nam reæ-
dificatum auctoritate ſuperioris recuperat omnia privile-
gia, ſecundum Innoc. ibi, argum. *cap. Quia diligentia, ſu-
pra de elect.* & ejus quod notat gloſ. *in l. Ex his, ff. de legib.*
Barthol. Brixien. *in quæſt. Dominicali*, quæ incip. *Eſto quod
aliquis*, & gloſſ. Joan. *in cap. Licitè, in ver. Nunquam*, 32.
q. 7. quibus in locis tradunt Lazarum reſuſcitatum omnia
recuperare ſaltem de æquitate. Secus verò ſi deſtruuntur 12
ab hoſtibus: nam tunc omnia ſua privilegia retinent, &
antiqui Clerici remanent ibi Clerici, *cap. Paſtoralis*, 7.
quæſt. 1. *cap. Quaſemel*, 19. *q.* 3. quod locum habet etiam 13
quando deſtruuntur terræ motu, vel aliàs quàm ſuperioris
auctoritate, ut *hic* per Henrich. Boich. *num.* 9.

Idemque dicendum ſecundum Innoc. ſi auctoritate ſu- 14
perioris in alium locum transferuntur, vel aliis locis uni-
untur: nam & hoc caſu retinent privilegia ſua, ut de Ec-
cleſiis notatur in *cap.* 1. *ne ſede vacante*, *& in cap. Quia mo-
naſterium, de religioſ. domib.* & idem intelligas de civitati- 15
bus, & aliis locis prophanis, arg. *l. Æde ſacra, ff. de contrah.
empt.* & ita diſtinguit Innoc. *d. n.* 2. cui ſubſcribunt Hoſt.
n. 9. Jo. Andr. *n.* 3. *verſ. Et notatur per hoc*, *& n.* 4. Henrich.
Boich. *n.* 5. *ad fin. verſ. Super eo*, Butr. *n.* 4. Cardin. *n.* 5. *verſ.
Quare in eo*, quod hic dicitur Anchar. *n.* 9. Abb. *n.* 5. & Ma-
rian. Soc. *n.* 11. *in* 5. *notab. & n.* 12. & idem per omnia Ar-
chidiac. *in cap. Et hoc diximus*, *n.* 7. 16. *q.* 7. & Joan. Andr.
in cap. Statutum in gloſ. penult. de elect. lib. 6. *& in cap. pri-
vilegium n.* 1. *de regul. iur. eod. lib.*

QUÆRO cum Innoc. an, & quando Capitulum Ca- 16
thedralis Eccleſiæ ab Epiſcopo, vel Canonicis ad alium lo-
cum intra, vel extra diœceſim transferri poſſit.

Huic diſceptationi cauſam præbuit, quod cùm Sereniſs.
Elector Colonienſis Epiſcopus, & Princeps Leodienſis

non ita pridem Leodium ingredi vellet, portæque civitatis
ei fuiſſent occluſæ: Capitulum ac reſidentiam, juraque
capitularia de conſilio, & aſſenſu ſexdecim Canonicorum
ad Eccleſiam Collegiatam S. Mariæ Oppidi Huenſis Leo-
dien. diœceſis tranſtulit tam vigore juris communis, quàm
Bullæ Clementis Papæ VI. de qua infra *num.* 58. eamque
tranſlationem Nuncius Apoſtolicus confirmavit. Sed cùm
Decanus, & tredecim Canonici, & Eccleſiæ Cathedrali
remanentes ab hujuſmodi tranſlatione, & confirmatione
ad Sedem Apoſtolicam appellaſſent. E contra verò Epiſco-
pus Sanctiſſimo ſupplicaſſet pro tranſlationis confirmatio-
ne: Sanctitas ſua aliquibus S. R. E. Cardinalibus, & Præ-
latis negocium examinandum commiſit.
17 Sanè quod ſpectat ad jus commune abſolutum eſt ſine
juſta cauſa Capitulum ad alium locum transferri non poſ-
ſe, quia de jure celebrari debet in Eccleſia, & loco ad hoc
determinato, *cap. Quod ſicut*, & ibi gloſs. *in verb. Conſti-
tutiones, ſupra, de elect. cap. Qua fronte, de appellat.* ubi
gloſs. *in verb. Canonicum, dat concordantes*; & hic notat
Innocen. *num.* 2. *in verb. Revocatis*, ibi, *quamvis hæc ordi-
nariè facienda eſſent in Eccleſia*, Butr. *num.* 4. Bald. *in leg.
Nulli, num.* 2. *verſ. Secundo requiritur, ff. quod cuiuſq; univ.
nomin.* & in capitulis exemptis aliàs cenſuit Sacra Congre-
gatio Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum, ut in
ſubjecta declaratione.
18 Præſuppoſita dubitatione in cauſa Palentina, an Epiſco-
pus volens aliquid in Capitulo proponere, juxta *cap.* 6.
ſeſſ. 25. teneatur accedere ad Eccleſiam, & locum ſolitum
deputari; an verò illud in ædibus propriis convocare poſ-
ſit: Sacra Congregatio prius reſpondit, quod quando Epi-
ſcopus vult aliquid proponere Canonicis ad deliberandum,
nec de re ad ſuum, vel ſuorum commodum ſpectante agi-
tur ſolus Epiſcopus privativè ad quoſcumque poteſt convo-
care Capitulum, idque in domibus ſuis: poſtea verò audi-
tis utrimque rationibus, partiumque Advocatis, & pro-
curatoribus, ab omnibus in hanc ſententiam itum eſt, ut
Epiſcopus non poſſit domi ſuæ Capitulum convocare, ſed
ad aulam capitularem, in qua antea ſemper ſolitum fuit
Capitulum convenire.
19 Quinimò gloſs. *in cap. In nomine Domini, §. Quod ſi pra-
vorum, in verb. Fieri in Vrbe*, 23. *diſtinct.* dicit electionem
eſſe nullam ſi fiat alibi; quàm in loco ad hoc determinato,
per *cap. Venerabilem, de elect.* in parte deciſa, in qua di-
citur, *ubi debuit*; ſed hoc non puto verum, quia electio
debet quidem in Eccleſia celebrari, ut dicit gloſs. Joann.
ſed tamen ſi alibi fiat, non propter hoc eſt nulla, nec etiam
20 annullanda; quoniam ſecundum Tancredum locus non
eſt de ſubſtantia electionis, nec uſquam reperitur jus pro-
ditum, quod propter locum electio debeat vitiari, nec De-
cretalis, quam inducit gloſ. probat id, quod dicit, ſed fa-
ctum recitat, prout contigit; & ita notat Archid. *in dict.
cap. In nomine Domini, num.* 16. *in fin. & num.* 17. 23. *diſt.
& num.* 18. dicit opinionem gloſsæ communiter non tene-
ri; & his adde Rotam *deciſ.* 36. *n.* 7. *part.* 6. *recent.* & quod
ſcripſi in *cap. Quia propter, num.* 68. *de elect.*
21 Ex cauſa verò neceſſitatis, ideſt cùm Capitulum non
poteſt tutò convenire in Eccleſia, vel loco capitulari, nul-
li dubium eſt, quin de jure ad alium locum transferri poſ-
ſit, ut patet in *d. cap. In nomine Domini*, 23. *diſtinct. circa
med.* in illis verbis: *quod ſi pravorum, atque iniquorum ho-
minum ita perverſitas invaluerit, ut pura, ſincera, atque
gratuita fieri in Vrbe non poſſit electio, Cardinales Epiſco-
pi cum religioſis clericis, catholiciſque laicis, licèt paucis,
ius poteſtatis obtineant eligere Apoſtolicæ Sedis Pontificem
ubi congruere viderint*; & ibi notat gloſs. in verb. *fieri in
urbe*: ad idem text. *in cap. Quanto*, 63. *diſtinct.* ubi pro
confirmatione electionis Epiſcopi Mediolanenſis Grego-
rius jubet explorari voluntatem Canonicorum Mediola-
nenſium, qui feritate barbarica coacti Januæ commo-
rabantur, & in *cap. Quod fecit, de elect.* ibi: *Cum iuxta
Conſtitutiones canonicas ſi fieri poteſt electio in Eccleſia
Cathedrali celebrari debeat.* Ponderando illa verba, *ſi fie-
ri poteſt*, à contrario ſenſu, & eſt gloſs. *in cap. Bon. mem.
il primo in verb. Metuebant. eodem tit.* & conſtat ex di-
ctis Innocentii *hic num.* 20. ut latius dicam infra *num.* 34.
& conſentit Bald. *in dict. l. Nulli, verſ. Secundo requiri-
22 tur, ff. Quod cuiuſque univerſ. nom.* dum ait requiri, ut
univerſitas congregetur in loco publico, & ſolito, ut
l. Obſervare, C. de Decurionibus, lib. 10. niſi ibi non poſſet
congregari propter guerram, vel aliud impedimentum; &
allegat Innocen. *hic*: imò gloſs. relata ad textum *in cap.
Cum terra, in verb. In quo, de elect.* dicit electores debere
in locum convenire, ubi electio eſt celebranda, ſi commo-
dè fieri poteſt, aliàs ubi melius obtulerit ſe facultas; & ſic
cauſam neceſſitatis non requirit.
Repulſio autem Epiſcopi ab ingreſſu in ſuam civitatem 23
videtur juſta cauſa tranſlationis Capituli ad alium locum:
nam ut legitur in *cap. Novit, de iis quæ fiunt à Prælat.* 24
*Epiſcopus, & Canonici ſunt unum corpus, cuius caput eſt
Epiſcopus, Canonici autem membra, nec decet Epiſcopum
in negocis Eccleſiæ omiſſis membris aliorum conſilio uti.*
Hæc ibi. Quare cùm ob impedimentum ei illatum Epi- 25
ſcopus nequiverit ad ſuam Cathedralem Eccleſiam ſe
conferre, ibique Canonicorum conſilium exquirere
pro negociis Eccleſiæ expediendi; neceſſe eſt, ut poſſit
alio eos convocare, quia, ut legitur in *cap. Non decet*, 12.
diſtinct. non decet à capite membra diſcedere, ſed juxta
Sacræ ſcripturæ teſtimonium, omnia membra caput ſe-
quuntur. Quibus rationibus innixus eſt Nuncius Apo-
ſtolicus in confirmatione tranſlationis in illis verbis: *Ne
membra à capite ſuo hoc rerum ſtatu ſeparentur, ut que con-
iunctis conſiliis Eccleſiæ neceſſitatibus commodius proſpice-
retur.*
Præterea tam de jure communi ſecundum Innocent. 26
communiter receptum in *cap. Irrefragabili, num.* 3. *de offic.
Ordinar.* quàm ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 6.
ſeſſ. 25. Si Epiſcopi aliquid Canonicis ad deliberandum pro-
ponant, nec de re ad ſuum, vel ſuorum commodum ſpe-
ctante agatur, Epiſcopi ipſi Capitulum convocant, vota
exquirunt, & juxta ea concludunt. Neque ad id ex Con- 27
cilio Vicarius Epiſcopi admittitur; & loquitur decretum
illud de Capitulis, quæ privilegio, vel alio ſpeciali jure
tuentur ſe adverſus juriſdictionem Epiſcopi, qualia ut plu-
rimum ſunt Capitula Germaniæ, ut ex voto Rotæ aliàs
declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres,
ſecundum ea, quæ ſcripſi in *cap. Irrefragabili, num.* 9. *de
officio Ordinarii.* Si igitur Epiſcopus de jure, & ex Con- 28
cilio facultatem habet convocandi Capitulum, eamque
facultatem in Eccleſia ſua Cathedrali nec per Vicarium po-
teſt exercere repugnante Concilio, nec per ſeipſum propter
impedimenta à civitate illata: conſequens eſt, ut eam poſ-
ſit extra dictam Eccleſiam exercere, ad hoc textus optimus
in *cap. Statuimus, de offic. Deleg. lib.* 6. ubi is, cui aliquid
certo loco expediendum committitur, ſi id eo loco ſecurè
non poſſit, extra locum poterit expedire.
Amplius in Clemen. 1. *de for. compet.* Viennenſe Conci- 29
lium indulget Epiſcopis à ſua diœceſi expulſis, ut poſſint
omnimodam ſuam juriſdictionem exercere in aliena diœ-
ceſi licentia petita, licèt non obtenta à diœceſanis loco-
rum. Et dicuntur expulſi etiam qui venientes non fue- 30
runt admiſſi, ſecundum gloſs. *ibi in ver. Expulſores*, Car-
din. *num.* 31. & Abb. *num.* 7. Cui autem juriſdictio data eſt, 31
ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus juriſdictio
explicari non poteſt, *l.* 2. *ff. de iuriſdict. omn. iudic.* Sed Epi- 32
ſcopus expulſus omnimodam juriſdictionem ſibi attribu-
tam extra diœceſim explicare non poteſt ſine Capituli præ-
ſentia, quia plurima ſunt negocia, quæ expediri nequeunt
ſine conſenſu, vel conſilio Capituli, ut alienationes,
cap. Sine exceptione, & cap. Alienationes, 12. *quæſt.* 2. be-
neficiorum uniones, Clemen. *Si una, de reb. Eccleſ. non
alien.* Clericorum Ordinationes, *cap. Epiſcopus ſine conſi-
lio*, 24. *diſtinct.* Abbatum, Abbatiſſarum, & aliarum
Eccleſiaſticarum perſonarum inſtitutiones, & deſtitutio-
nes, *cap. Novit, de iis, quæ fiunt à Prælat.* conceſſiones,
& confirmationes, *cap. Quanto, eodem tit.* inquiſitiones,
& condemnationes Clericorum, & Sacerdotum, *cap. Si
quid verò*, & ibi plena gloſs. *in verb. Eccleſia*, 86. *diſtinct.
cap. Licet Heli, verſ. Nam iuxta Canonicas ſanctiones, de
Simon.* & alia Eccleſiæ negocia, *d. cap. Novit, & cap. Quan-
to*; Eccleſia enim habet ſenatum cœtum Presbyterorum, 33
ideſt Capitulum, ſine quorum conſilio Prælato nihil agere
licet, ut legitur *in cap. Eccleſia habet ſenatum*, & ibi gloſs.
2. 16. *qu.* 1. ad hoc Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *ad fin.*
ibi, *ut verè Eccleſiæ ſenatus dici poſſit*: ergo pro his negociis
expediendis, & omnimoda juriſdictione exercenda Epi-
ſcopus expulſus, ſeu non admiſſus poterit ad alium locum
Capitulum convocare, eſt enim generalis regula in omni
materia, ut qui vult conſequens, velit etiam ſuũ neceſſarium
ante-

antecedens, ut dicunt Jaſ. & Curt. Junior. *in d. l. 2. in princ. ff. de iuriſd. omn. iud.*

34 Demum pro validitate translationis Capituli extra Ca-
thedralem aſſertur ſingularis theorica, quam hic ponit
Innocentius *num. 2.* per hæc præciſa verba, videlicet: [Hoc
autem certum eſt, quod ſi aliquæ Eccleſiæ occupantur ad
tempus à tyrannis, ita quod non poſſunt inhabitare ibi
Clerici, Eccleſia retinet ſua privilegia, & ſuos Clericos,
licèt ſint ejecti: unde videtur, quod ſi expediat Eccleſiæ,
vel illius Clericis facere aliquem contractum, vel Præla-
tum, vel quicquid aliud quamvis hæc ordinatè facienda
eſſent in Eccleſia, *cap. Quod ſicut, ſupra de elect.* tamen
propter neceſſitatem fient alibi, *cap. In nomine, 23. diſtin.*
& quod plus eſt etiamſi tyranni darent facultatem Clericis
eundi ad Eccleſiam ſic invaſam, & etiamſi ibi aliqui
Clerici ſemper remanſerint, imò nec timeatur de impreſ-
ſione, dummodo illi, qui exierunt, juſto timore, vel
alia juſta cauſa exierint, etiamſi ſit major pars illa, quæ
eſt in Eccleſia, debet ad forinſecos exire, niſi poſſet redi-
re cum bona, & perpetua pace, vel honeſta: & idem vi-
detur ſi ſint pauciores, dummodo præſumatur, quod ele-
ctio, vel alius contractus utilius poſſet celebrari extra Ec-
cleſiam, quàm intra, argum. *cap. Bon. mem. M. de elect.* ubi
35 notatur, ſcilicet in gloſ. *in verb. Metuebant.* Secus ſi pro-
pter ſuas inimicitias non poſſunt ire ad Eccleſiam, quia
tunc poſſunt conſtituere procuratorem, *cap. Quod ſicut,
§. 1. ſupra, de elect. & cap. Quia propter:* Idem eſt etiamſi
non ſit magnum negocium, vel ſi ſit magnum, ſed utiliter
poteſt fieri per inferiores.] Hæc Innocen. cum quo tran-
ſeunt *hic* Hoſtien. *num. 9. verſ. Quid ſi hoſtes,* & Jo. Andr.
36 *num. 5.* dicunt enim: Quid ſi hoſtes, vel tyranni, qui Ec-
cleſiam detinent occupatam, revocant ad Eccleſiam etiam
majorem partem Canonicorum, alia verò pars non audet
ire, numquid ſi agatur de communibus contractibus, de-
bent intrinſeci cum forinſecis ad locum tutum, & con-
gruum convenire. Puto quod ſic, dummodo extra Eccle-
ſiam utilius fieri poſſit quod agitur; alioquin extrinſeci
intrinſeci vices ſuas mandent, argum. in eo, quod legi-
tur, & notatur *in d. cap. Bona il primo, reſp. 1. & in cap.
Quia propter, §. Illud de elect. & in cap. Ad ſupplicationem,
de renunciat.* multò fortiùs ergo exibunt ad illos, quando
minor pars eſt præſens, & major abſens, ſequitur Card.
num. 5. verſ. Sed ubi convocabuntur, dicens: Quid ſi ty-
rannus daret facultatem Clericis eundi ad Eccleſiam ſic in-
vaſam, & aliqui Clerici adſunt; vel quid ſi aliqui reman-
ſerunt in Eccleſia ſic invaſa; dicit Innocent. quod etiamſi
eſt major pars præſentium, dummodo juſto timore, vel
alia juſta cauſa alii abſint, tenentur præſentes ad illos acce-
dere, niſi poſſent abſentes redire cum bona, & perpetua
pace, vel honeſta. Idem ſecundum eum dic, & fortius ſi
præſentes ſint pauciores: & hoc dummodo actus, qui im-
minet utilius poſſit celebrari extra Eccleſiam, quàm intra,
etiam ſi ſit electio; & idem dicunt Butr. *num. 4. verſ. Se-
cunda eſt quæſtio,* Anchar. *num. 9. verſ. Eſt & alius caſus,*
& Abb. *num. 10. verſ. Si verò aliqui ſint abſentes.*

Hæc autem Innocentii theorica videtur congruè appli-
cari poſſe caſui Canonicorum Leodienſium: nam ſexde-
cim Canonici, qui Epiſcopo adhæſerunt in oppido Huenſi,
dicebant ſe ad alios tredecim, qui cum Decano in Eccleſia
remanſerunt tutò redire non poſſe non ob privatas Inimi-
citias, ſed propter populares factiones eorum, quos vo-
cant Grignutos, & Cerutos, & hoc affirmabant in preci-
bus Epiſcopo porrectis per hæc formalia verba: [Dolete-
que ex animo quod cum hujuſmodi conſilium eo uſque
proceſſerit, ut cùm ſua Sereniſſima Celſitudo dictam ſuam
Civitatem propiùs acceſſerit eam ingreſſura, nova obſta-
cula ſupervenerint, quorum intuitu aliam reſolutionem
cœperit, durentque interim attentata in juriſdictionem, &
regalia Eccleſiæ ſuæ, & aliæ inſuper confuſiones, quæ Ca-
pitulo Cancellario, Judicibuſque ordinariis exercitium
ſui cujuſque muneris, ſeu & ſoli:am in ea civitate reſiden-
tiam minus tutam, liberam, & ſecuram præſtent.] Hæc
ibi. Quod etiam ſatis comprobaſſe videtur caſus, qui di-
citur contigiſſe in perſonam Groesbeck Canonici, Can-
cellarii, & primarii miniſtri ipſius Epiſcopi. Is enim Leo-
dii à Sicario de factione Grignuta pluribus ictibus pugio-
nis lethaliter vulneratus, poſtea convaleſcens veſte regu-
lari indutus è Civitate aufugit. Quapropter Decanus, &
Canonici, qui in Eccleſia remanſerunt debuiſſent exire ad

forinſecos etiam numero pauciores, & multò fortiùs cum
eſſent plures, ſecundum Innocentium. Nec ſufficiunt aſ- 37
ſecurationes, ſeu litteræ de conductu; quia nihilominus
non tenebantur ſe popularibus credere, *cap. Accedens il
ſecondo, ſupra ut lite non conteſtata, cap. de cætero, & cap.
Quamvis de ſentem. excomm.* Non enim in hoc caſu ſuffi- 38
ciens potuit cautio præſtari, argum. *cap. Litteras, in fin. de
reſtit. ſpoliat.* & notat gloſ. *in d. cap. Accedens, in ver. Ini-
micis,* & hoc propter fragilitatem cautionis, ut *l. Qui ita,
§. 1. ff. ad Trebell.* Hæc de jure communi quoad translatio-
nem Capituli.

Quod autem ſpectat ad Bullam Clementis VI. ex parte 39
Epiſcopi aſſeruntur verificatæ duæ conditiones in ea requi-
ſitæ ad validitatem translationis Capituli, & reſidentiæ,
nempè, ut cives Epiſcopo rebellaverint, & translatio fiat
de Capituli conſenſu; nam pro rebellione, cùm portæ ci- 40
vitatis fuerint Epiſcopo occluſæ, allegatur ſingularis do-
ctrina Bartoli in Extrav. *Qui ſint rebelles, §. Machinan-
tur,* ubi ſic ait. [Pone quod adveniente Imperatore, vel
ejus Nuncio volente ingredi civitatem pro recuperandis
juribus Imperii tam ibi, quàm alibi, aliqui reſpondent, quod
intromittere eum, vel ejus gentem, eſt periculoſum ſtatui
eorum; & ſic tenent eum in verbis, & ſic labitur tempus,
quo multa poſſet facere pro Imperii proſperitate. Iſtæ ſunt
machinationes quædam, licèt ad actus bellicos non deve-
niant. Iſta machinatio ſecuta inobedientia facit eos rebel-
les.] Hactenus verba Bartoli: quæ ad calamum transcri-
bit, & ſequitur Gygas *in tract. de crim. laſ. maieſtat. tit.
de rebell. quæſt. 5. num. 2. inter Tract. magnos tom. 11. fol. 81.
part. 1.*

Nec videtur obſtare, quod rebellio committatur tantum- 41
modu contra Imperatorem, vel ejus officiales in iis, quæ
ad commiſſum eis officium pertinent; non autem contra
Reges, vel Principes inferiores, quia tunc non fit contra
proſperitatem Principis, vel Imperii principaliter, ut de-
clarat Bart. in dict. Extravag. *Qui ſint rebelles, in verb. Re-
bellando, verſ. Sed an hæc Conſtitutio,* Gygas *dict. tract.
quæſt. 18. per totam,* Peregrin. *de iure fiſci lib. 3. tit. 8. num. 8.
& 9.* & Bulla aurea loquatur de rebellione contra Electo-
res Imperii, ut advertit Carpzovius *in pract. crimin. part.
1. quæſt. 41. num. 60. & ſeqq.* Hoc autem caſu rebellio non
fuerit commiſſa contra Principem tamquam Electorem
Imperii: nam reſponderi poteſt arduam eſſe quæſtionem,
An contra Principes non recognoſcentes Superiorem,
vel habentes merum, & mixtum Imperium committatur
crimen rebellionis, adeò ut locum habeant pœnæ, *leg.
Quiſquis, C. ad leg. Iul. maieſt.* & plurimos in utramque
partem citat Boſſius *in praxi crimin. tit. de crimin. laſ. ma-
ieſtat. num. 51. 52. & 53.* Et quod committatur contra
Epiſcopos Principes Germaniæ dicuntur conſuluiſſe Fac-
chineus *conſ. 13. num. 19. ad med. & num. 20. lib. 1.* & Nicol.
Everad. jun. *conſ. 2. num. 7. lib. 1.* Sed hoc caſu non videtur
intrare hæc difficultas, quia ex Bulla Clementis VI. ad effe-
ctum translationis Capituli, & reſidentiæ ſufficitur cives
Leodienſes rebellaverint Epiſcopo ſuo. Rebellis autem di- 42
citur qui de facto reſiſtit ſuperiori, vel juriſdictioni, Butr.
in cap. Sane il ſecondo, num. 4. de offic. Delegat. & ſecun-
dum Angel. in *l. 2. §. fin. n. 2. de Iudiciis.* Rebelles dicuntur 43
omnes exiſtentes in protervia, & notoria inobedientia.
Sequitur Naita *conſ. 580. num. 18.*

Rurſus obſtare non videtur, quod præcedere debeat de- 44
claratoria ſuper facto rebellionis, *cap. Cum ſecundum leges,
de hæret. lib. 6.* Boſſius *in prax. crimin. in tit. de crim. laſ. ma-
ieſt. num. 75.*

Nam dicebatur hoc caſu non agi de rebellione princi-
paliter ad effectum imponendi pœnam ordinariam, ſed in-
cidenter ad effectum translationis Capituli; unde declara-
toria, & pronunciatio ſuper facto rebellionis non vide-
tur neceſſaria, ſed ſatis eſt, ut de eo quoquomodo con-
ſtet: nam de incidenti judex tantùm cognoſcit, & ſuper
quæſtione principali pronunciat, *l. 1. C. de ordin. iudic. cap.
1. ſupra de ord. cogn.* & eſt communis opinio, ut ibi atte-
ſtantur Imol. *num. 6. verſ. Sed an ſit neceſſe,* & Abbas *n. 11.
verſ. Et iſta duæ ſolutiones.*

Præterea quando rebellio, aut inobedientia eſt taliter 45
notorio, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, aut defen-
di, nec ſententia declaratoria, nec citatio requiritur, ut
in terminis reſpondit Socin. ſen. *conſ. 4. Super quæſtione,
num. 24. verſ. Nec habet obſtare, & conſil. 87. Viſis*

inveſtitura fendi, *num.*22. *verſ. Sextò quatenus*, *lib.* 3. Pa-
tiſ. *conſ.* 1. *Viſa facti ſerie num.*39. *vol.* 1. Decian. *conſ.* 18.
Ex prædicta, *num.* 355. *lib.* 1. Nec notoriè delinquentes
etiamſi notorium ſit facti tranſeuntis, audiendi ſunt ap-
pellantes, ut videtur tenere Innocen. *in cap. Tua nos nu.* 4.
de cohabitation. Cleric. & mulier. alleg. §. *Sunt*. 2. *quæſt.* 6.
cap. Cum ſit Romana, §. *ult. & cap. Propoſuit*, *de appellat.*
46 Quod autem vaſſallus qui ſe tenetur contra Dominum, &
non vult eum admittere in caſtrum, dicatur rebelles noto-
rius, tenet in ſpecie Andr. de Iſern. *in* §. *Sancimus*, *num.* 3.
in quo temp. Mil. in uſib. feud. quem ſequitur Boſſ. *in pract.
crim. Sub titulo quomodo procedatur in crimine notorio*, *n.* 16.
47 & Decian. *ubi ſupra*. Porrò Conſules, & civitas Leodien-
ſis ſuis litteris ad Sanctiſſimum exaratis fatentur Epiſco-
pum viſum non eſſe, niſi prius omni adhibita cautela, in
urbem admittendum. Ubi verò certum eſt abſenti nul-
lum jus competere, citatio non eſt neceſſaria, ut notat
gloſs. communiter approbata *in cap. Cum olim*, *in verb. Li-
cèt abſenti*, quam pluribus exornat Felin. *num.* 11. *de re iu-
dic.* Hoſtien. Joan. Andr. & DD. *in cap. Reprehenſibilis*, *de
appell.* Abb. *in cap. Ex inſinuatione*, *circa fin. eod. tit.* Socin.
ſen. *conſ.*4. *num.*25. *lib.* 3. Curt. ſenior. *conſ.*20. *ſæpe numero*,
num. 17.

Secunda itidem conditio requiſita ex Bulla Clemen-
tis VI. nempè conſenſus Capituli, dicitur verificata, quia
ſexdecim Canonici Capitulares in Oppido Huenſi congre-
gati conſenſerunt translationi Capituli, & nonniſi treſde-
cim, qui unà cum Decano remanſerunt Leodii, eam im-
pugnarunt.

48 Neque obſtat, quod ad Capitulum conſtituendum ma-
jor pars non ſufficiat, ſed requiratur ut duæ tertiæ partes
ſint præſentes, *l. Planè ff. Quod cuiuſque univerſ. nomin. &
l. Nominationum*, *C. de Decurion. lib.* 10. & ex his duabus
partibus debeat ad minus conſentire major pars; & ita in-
telligenda ſint jura *in l. Quod maior*, *ff. Ad municip. & in
cap.* 1. *ſupra de his quæ fiunt à maior. part. Capitul. cum ſimil.*
ſecundum opinionem Legiſtarum, & Canoniſtarum, ut
dicit Abb. *in cap. Cum omnes num.* 11. *ſupra de Conſtitut.* dixi
in cap. Cum omnes, *num.* 11. *ſupra de Conſtitut.* dixi *in cap.
Quia propter*, *num.* 41. *de elect.*

49 Nam reſpondetur in hac materia Canoniſtas commu-
niter uti hac diſtinctione, videlicet aut eſt aliquis, ad quem
ſpectat Congregatio univerſitatis, & tunc ſi ad manda-
tum illius non veniant omnes, poſſunt venientes explica-
re actum, etiamſi non interveniat major pars Collegii,
quaſi convocatio Superioris conſtituat non venientes in
contumacia, quæ privet illos jure ſuffragium ferendi, ut
cap. Cum nobis, *de election.* & hoc tenebat Jacob. Canoni-
cus Bononienſis, ut refert Joan. Andr. *in cap. In cauſis*,
num. 22. *de election.* & Abb. *in d. cap. Cum omnes*, *n.* 13. *de
Conſtitut.* Ponebat enim caſum in univerſitate, in qua
erant cẽtum homines, & ex vocatis ab habente poteſtatem
convenerant triginta, & concluſio ſua fuit, quod jus uni-
verſitatis reſidebat in illis triginta. Aut non eſt ibi ali-
quis, ad quem ſpectet Congregatio univerſitatis: & tunc
debent ſaltem intervenire duæ tertiæ partes, & monere
aliam tertiam, alias ipſa tertia pars poſſet agere de con-
temptu: & in hoc ſecundo membro procedit opinio Le-
giſtarum. Ita clarè diſtinguit Innocen. *hic num.* 2. ait enim:
[quando clerici diſperſi ſunt, ille, qui eſt caput Capituli,
ſive ſit Præpoſitus, ſive alius, ad quem pertinet vocatio
Capituli, illos vocabit, *cap.* 1. *ſup. de maior. & obedient.*
dummodo ſit in loco idoneo, ubi plures convenire poſ-
ſint; etſi abſentes non veniant, procedunt præſentes, *cap.
Quod ſicut*, *& cap. Quia propter*, *ſupra de elect.* Si autem
nullus eſt, ad quem pertinet ex officio alios vocare, tunc
ad hoc ut teneat quod ſit ab eis, oportet ut ad minus con-
veniant duæ partes illorum, ad quos pertinet actum illum
explicare, & illi debent vocare alios, qui commodè poſ-
ſunt vocari, quibus vocatis ſive venerint, ſive non, pro-
cedent ad perficiendum illum contractum, aut electio-
nem.] Hæc Innocent. cum quo tranſeunt *hic* Hoſtien.
num. 10. Joan. Andr. *num.* 6. Butr. *num.* 4. *verſ. Tertia quæ-
ſtio*, & reliqui omnes; & hanc opinionem Canoniſtarum
putat eſſe veriorem Abb. *in d. cap. Cum omnes*, *num.* 13. *de
Conſtitut.* & eam ſequitur ibi Felin. *num.* 34. *verſ. Prima
eſt*, Franc. Marc. *deciſ.* 924. *num.* 6. *part.* 1. Put. *deciſ.* 283.
lib. 3. *in novis*, Rota *in Paduana Sedilium*, 28. *Aprilis* 1617.
50 coram Cardinali Sacrato. Hoc tamen ſecundum mem-
brum limitat Abb. *ubi ſupra*, niſi inſtaret finis termini ad
expeditionem actus præfixi univerſitati, quia tunc minor
pars poſſet vocare majorem, eaque accedere renuente, li-
ceret minori parti actum explicare; non enim debet priva-
ri jure ſuo propter contemptum majoris partis, ut notatur
in cap. In cauſis, *& in cap. Cum nobis*, *de election.*

In caſu autem, de quo agitur, aderat Epiſcopus,
ad quem de jure communi, & ex Concilio Tridenti-
no ſpectabat Capitulum cõvocare, ut dictum eſt ſupra *n.* 26.

Adde quod in Bulla Clementis VI. expreſsè cautum eſt,
ut jura quælibet Capitularia apud illos ſint, & remaneant,
qui in præmiſſis Epiſcopo obedientes extiterint, etiam ſi
fuerit numero pauciores.

Demum obſtare non videtur, quod Canonici diſperſi, 51
& ab Eccleſia Cathedrali abſentes non fuerint vocati; quo-
niam hoc non eſt de ſubſtantia: nam actus Capitulares
ex contemptu aliquorum non modo non ſunt nulli ipſo ju-
re, ſed nec debent caſſari, niſi ipſis proſequentibus con-
temptum, ut *cap. Quod ſicut*, *& cap. Bona*, *il ſecondo*, *&
cap. Eccleſia*, *il ſecondo*, *de elect.* & tradunt *in cap. Quia
propter*, *eod. tit.* Joan. Andr. *num.* 28. Cardin. *num.* 3. *in* 7.
quæſt. & Abb. *num.* 12. Quinimò nec vocati debent ab- 52
ſentes, niſi in tribus caſibus, videlicet in electione,
ut in præcitatis juribus, & in receptione Canonicorum,
& præbendarum collatione, ut *in cap. Cum in Eccleſiis*, *de
præben. lib.*6. Niſi conſuetudo ſit in oppoſitum, ut ibi, &
in ceſſatione à divinis, ut *in cap. Quamvis*, *de offic. Ordin.
eodem lib.* & notat gloſs. *in c.*2. *in ver. ipſorum*, *de teſtib.* di-
cens abſentes non eſſe vocandos niſi in tribus memoratis
caſibus: & eam gloſſam allegat totus mundus, ut dicit
Abb. *hic num.* 10. ſed quia idem Abb. *ibidem*, & in *cap.* 1.
num. 15. *de iis quæ fiunt à maiori parte Capituli*, poſt Innoc.
& Butr. *hic* extendit gloſs. ad omnes caſus conſimiles, &
arduos, & dicit hoc ſibi ſemper placuiſſe. Ideò tutius vi-
detur quod primo dixi videlicet, ex hoc capite non infringi
actus Capitulares ubi nullus proſequitur contemptum: &
nihilominus ex parte Epiſcopi dabantur etiam convocatio-
nes abſentium.

Nec refert, quod non fuerint citati abſentes extra pro- 53
vinciam: nàm ut inquit Innocen. *hic num.* 2. *poſt med. verſ.
Alias autem*. Si Canonici in Lombardia pro majori par-
te morantes ad remotas partes Franciæ, vel Angliæ voca-
rentur, non tenentur ire, quia mandatum eſt manifeſtè
iniquum, argum. *cap. Cum inter univerſas*, *ſupra de elect.*
Secus autem ſi dubitaretur, quia tunc ſemper obedire de- 54
bent, *cap. Quid ergo*, 11. *quæſt.* 3. Verumtamen ſecundum
Hoſtien. *hic num.* 10. Si Eccleſia reſidentia ipſius indigeat,
tunc venire tenetur ſaltem ſi juravit. Idque ferè ſervatur
ubique de conſuetudine generali, *cap. Brevi*, *de iureiur. cap.
Cum clerici*, *& cap. Veniens*, *de verb. ſignificat.* Quod etiam
placuit Archidiacono. Sed de quàm remoto loco abſentes
vocari debeant ſtabitur conſuetudini, ut notat gloſ. *in dict.
cap. Quamvis*, *in verb. Evocandi*, *de offic. Ordinarii*, *lib.*6.
Item gloſs. *pen. in d. cap. Cum in Eccleſiis*, *de election. eod.
lib.* quæ tamen ſubdit vocationem abſentium non eſſe de
ſubſtantialibus formæ.

Hoc negocio in pluribus Congregationibus plenè di-
ſcuſſo, tandem ſub die 9. Junii 1649. fuit reſolutum pe-
titam confirmationem eſſe concedendam; & iterum 6.
Septembris ejuſdem anni Sacra Congregatio perſtitit in
decretis: & ita Sanctiſſimus confirmavit. Item vide-
tur hoc pendere ex clauſulis Bullæ Clementis VI. Cu-
jus tenorem libuit hìc ſubnectere, cùm non habeatur im-
preſſa in Bullario, & ſit de materia gravi, & exem-
plari.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ECcleſiis, Eccleſiaſticiſque perſonis in earum potiſſi- 55
mè tuitione, & conſervatione jurium decet nos op-
portunis adeſſe favoribus, & petitiones eorum, quæ no-
bis ſuper iis offeruntur, benignum, & favorabilem præ-
bere conſenſum. Sanè petitio Venerabilis Fratris noſtri
Engelberti Epiſcopi Leodienſis nuper exhibita continebat,
quod dilecti filii cives, ſeu populares civitatis Leodienſis
eidem

eidem Epiſcopo ; & Eccleſiæ Leodienſi in ſpiritualibus, & temporalibus immediatè ſubjecti contra prædictum Epiſcopum, & prædeceſſores ſuos Epiſcopos Leodienſes, qui fuerunt pro tempore licèt eorumdem civium, & popularium Dominos frequenter temerè procurante pacis æmulo rebellerint, ac in juribus, & juriſdictionibus, aliiſque bonis eorumdem Epiſcoporum, nec non prædictæ & aliarum Eccleſiarum, ac dilectorum filiorum Cleri Leodieñ. damna gravia, & multiplices ruinas irrogarunt eiſdem, quodque quia cives, & populares prædicti cenſuram eccleſiaſticam deducebant in lus, ut plurimum in contemptum Epiſcopi pro tempore Leodieñ. exiſtentes, ac dilecti filii majoris, ac aliarum Collegiatarum Eccleſiarum Leodieñ. Capituli relicta ipſa civitate, quodque ſe ad locum alium eis congruum, & jura, & juriſdictiones earumdem Eccleſiarum, ac bona ipſorum, ac dd. Cleri poſſent protegere, & conſervare liberiùs, ac tutiùs tranſtulerunt. Cùm autem ſicut eadem petitio ſubjungebat præfati cives, ſeu populares translatione hujuſmodi longè amplius, quàm cenſuram eccleſiaſticam pertimeſcerent. Nos volentes de illo ſuper hoc remedio per quod eorumdem civium, ſeu popularium rebellio contereretur, ac Epiſcopus Capitula, & Clerus præfati ad petitionem, & conſervationem jurium, & juriſdictionem Eccleſiarum, bonorumque ſuorum prædictorum liberiùs intendere valeant, tutiuſque vacare ejuſdem Engelberti Epiſcopi ſupplicationibus inclinati ſibi, ſucceſſoribuſque ſuis Epiſcopis Leodieñ. qui pro tempore fuerint quod majoris, & aliarum Eccleſiarum Collegiatarum Capitula, etiamſi ſe exemptos fore prætenderint dilectorum filiorum Præpoſiti, & Archidiaconorum ipſius majoris Eccleſiæ, & omnium aliarum in dicta civitate juriſdictionem eccleſiaſticam habentium Curias, de conſenſu Capituli ipſius Eccleſiæ Leodieñ. ad alium idoneum, tutumque locum in diœceſi Leodieñ. conſtitutum, de quo dictis Epiſcopis, & Capitulo expedire videbitur quoties, & quando dicti cives, ſeu populares adverſus eundem Engelbertum, & ſucceſſores ſuos Epiſcopos Leodieñ. prædictos rebellabunt transferendi, & donec prædicti cives, ſeu populares ad debitam obedientiam Epiſcopi qui erit pro tempore, & eccleſiæ prædictæ reverſi fuerint, ac de damnis, & injuriis, quæ dictis Epiſcopo, Capitulis, Præpoſito, Archidiaconis, & Clero, intulerunt competenter ſatisfecerint remanendi etiam ipſi Capitulis, Præpoſito, Archidiaconis, & aliis Curiam habentibus, ut præfertur quàm etiam generaliter Clero ſæculari civitatis prædictæ exitum à civitate, eccleſiiſque prædictis, & ad dictum locum acceſſum indicendi, & præcipiendi, ac in his eiſdem Epiſcopis inobedientes, necnon contradictores quomodolibet, & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendi, ipſiſque tranſiatis, & exeuntibus, ac ad dictum locum eis deputatum accedentibus in eodem loco divina officia celebrandi, Capitulaque tenendi, & actus Capitulares exercendi, necnon fructus, redditus, & proventus obventum, & jura, ac emolumenta quælibet alia dignitatum, perſonatuum, officiorum, canonicatuum, & præbendarum, ac aliorum beneficiorum ſuorum eccleſiaſticorum, quomodolibet etiam curam animarum habentium, quæ in eccleſia, & civitate prædictis obtinent, & impoſterum obtinebunt cum ea integritate, cum qua eos perciperent, ſi in eiſdem eccleſiis perſonaliter reſiderent percipiendi, ac ſolitis privilegiis, libertatibus, & immunitatibus gaudendi iiſdem. Inſuper Epiſcopo, Præpoſito, Archidiaconis, & aliis juriſdictionem eccleſiaſticam habentibus, ut præfertur hujuſmodi eorum Curias in prædicto loco tenendi, & in eis quamcumque juriſdictionem ſibi competentem exercendi, & de cauſis quibuſcumque ad hunc forum pertinentibus cognoſcendi, ipſaſque terminandi, & decidendi, ac cenſuram eccleſiaſticam exercendi, ac quaſcumque ſententias proferendi, eaſque debitè exequi mandari, ac ſuos ſubditos ad locum hujuſmodi etiam invitos trahendi, aliaque omnia, & ſingula faciendi, exequendi, & liberè exercendi quamdiu in loco prædicto ob rebellionis confeſſionem, ac ad debitam obedientiam reverſionis, ac damnorum, & injuriarum competentis ſatisfactionis omiſſionem, & dilationem remanſerint, ac ſi in dictis eccleſiis, & civitate, ac Curiis reſiderent, & præmiſſa in eis facerent, ac etiam exercerent licentiam, & poteſtatem plenariam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium elargimur, auctoritate. Nihilominus decernentes eadem quod jura quælibet Capitularia apud illos ſint, ac remaneant, qui in præmiſſis eiſdem Epiſcopis : obedientes extiterint etiam fuerint numero pauciores, & quod proceſſus, & ſententiæ, quos, & quas in civitate prædicta, citationibus de ipſa ad locum prædictum, & ſententiam, & condemnationem prolatarum, & factarum in eodem loco publicationibus, & executionibus dumtaxat exceptis per ſe, vel alium, ſeu alios eorum, vel alicujus, ſeu aliquorum ipſorum auctoritate fieri contigerit, ſint irriti, & inanes, quodque omnes illi ex prædictis, qui eiſdem Epiſcopis in præmiſſis inobedientes fuerint, ſeu rebelles tamdiu à perceptione fructuum, & proventum obventionum, & jurium, dignitatum, & perſonatuum, officiorum eccleſiaſticorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum hujuſmodi ſint ſuſpenſi donec ad obedientiam Epiſcoporum ipſorum redierint, & de inobedientia, & rebellione ſua emendam eis præſtiterint condecentem, & ſi quid de fructibus, redditibus proventibus, juribus, & obventionibus prædictis interim perceperint plenariam reſtitutionem cum effectu. Non obſtantibus quibuſcumque Conſtitutionibus, necnon exemptionibus, & aliis quibuslibet privilegiis, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quocumque tenore exiſtant, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus earumdem eccleſiarum contrariis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, ſeu ſi eiſdem Capitulis, Præpoſito, Archidiaconis, & Clero, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim à Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem proviſo quod Eccleſiæ civitatis ejuſdem à quibus factus fuerit hujuſmodi exitus in divinis prout fuerit deſerviatur interim condecenter, ac in illis Sacramenta eccleſiaſtica miniſtrentur quibus de jure, & privilegiis civitatis ejuſdem præmiſſis non contrariis in nullo penitus derogetur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis, & conceſſionis hujuſmodi inſtingere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinionæ Kalendis Maji Pontificatus noſtri anno ſexto.

Sequitur confirmatio translationis Capituli. 56

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CUm aliàs nos ad ſedandas quantum nobis ex alto conceditur perturbationes, & diſſenſiones menſibus præteritis inter Venerabilem fratrem Ferdinandum Archiepiſcopum Colonieñ. S. R. Imperii Principem Electorem, ac Eccleſiæ Leodieñ. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulem, civitatiſque & Status Leodieñ. Principem, necnon dilectos filios ejuſdem Eccleſiæ Leodien. Capitulares eidem Ferdinando Epiſcopo, & Principi hujuſmodi adhærentes ex una, & Conſules, & habitatores ejuſdem civitatis Leodieñ. & olim dictæ Eccleſiæ Decanum, & Capitulares in eadem civitate adhærentes partibus ex altera exortas : unam Congregationem nonnullorum venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum aliquot Romanæ Curiæ Prælatorum deputaverimus, & ex illorum voto, & ſcientia quaſdam noſtras, in ſimili forma Brevis litteras hortatorias ad eaſdem ſic inter ſe contendentes partes pro diſſidiis hujuſmodi ſedandis dederimus. Poſtmodum verioribus innotuerit hortatorias, monitoriaſque noſtras litteras hujuſmodi nullum omninò effectum ſortitas fuiſſe, licèt dilecti filii eorumdem civitatis, & Decani adhærentium agentes, & miniſtri ſpem indubiam ſecuturæ deſuper compoſitionis eidem Cardinalibus, & Prælatis deduſſent : Proptereàque partibus hinc inde pluries in eadem Congregatione auditis, iidem Cardinales, & Prælati decretum translationis

Capi-

Capituli Leodieñ. ab eadem civitate ad oppidum de Haus Leodieñ. diœceſis etiam juxta quaſdam à felic. record. Clemente Papa VI. prædeceſſore noſtro emanatas litteras per eumdem Ferdinandum Epiſcopum hujuſmodi, & majorem partem Capitularium dictæ Eccleſiæ Leodieñ. in præfato oppido exiſtentium factum per nos confirmandum decreverint. Idcircò nos de ejuſdem Congregationis vero: & juxta illius formam, contineotiam, & tenorem præfatum Decretum translationis dicti Capituli ad dictum oppidum de Haus ut præfertur factam, & à dilecto filio noſtro, & Sedis Apoſtolicæ in partibus Inferioris Germaniæ Nuncio confirmatum Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, approbamus, illodque obſervari mandamus, donec tandem ab eiſdem Conſulibus, dictaque civitate, & Capitularibus inibi exiſtentibus idem Ferdinandus Epiſcopus cum toto ſuo comitatu ſolito in eadem civitate cum priſtinis reverentia, obedientia, & juriſdictionis exercitio receptus, & admiſſus fuerit; & ita præcipimus, decernentes præſentes noſtras litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, neque per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſas Palatii Apoſtolici Auditores judicari; & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſorum Eccleſiæ civitatis, & oppidi quatenus opus ſit etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſob Annulo Piſcatoris die 24. Junii 1649. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBUS Privilegiatorum.

Leo Papa,

CAPUT I.

Epiſcopalia gubernacula, non niſi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus præſidere oportet; ne honor, cui debent excellentiora committi, ſui numeroſitate vileſcat.

SUMMARIUM.

1 Epiſcopalis dignitas non debet tribui niſi locis inſignibus, & populoſis, & num. 23. & ſeq.
2 Civitates maiores dumtaxat privilegio Epiſcopatus ſunt honorandæ, & num. 6. & ſeq.
3 Adeſſe civitatis requiritur Epiſcopus, & num. ſeqq. uſque ad num. 18.
4 Epiſcopalis dignitas poſt Chriſti adventum inſtituta.
5 Civitates erant ante Adventum Chriſti.
7 Comparativum ſupponit poſitivum, licèt impropriè aliquando ponatur pro poſitivo.
8 Epiſcopi non in caſtellis, & modicis civitatibus debent conſtitui.
9 Magis, & minus non faciunt rem differre ſpecie.
10 Civitas, quæ proprium necavit Epiſcopum, perpetuò privatur dignitate Epiſcopali; non tamen deſinit eſſe civitas.
11 Saraceni habent civitates, & non habent Epiſcopos, niſi fortè abuſivos.
12 Epiſcopus poteſt eſſe ſine civitate.
13 Princeps poteſt facere civitatem, & tamen non poteſt facere Epiſcopum, nec Sedem Epiſcopalem creare.
14 Civitas in Italia ex communi interpretatione appellatur illa tantum quæ habet Epiſcopum; ſed ultramontani hoc non recipiunt.
15 Papa erigit civitatem, & dat Epiſcopum unico contextu.
16 Et concedit pro maximo dono hanc dignitatem.
17 Repraſalia conceſſa contra cives Tuſcos non afficiunt Praſenſes.
18 Civitas an erigi poſſit à populo ſine Principis auctoritate.
19 Muros municipales nec reficere licèt ſine auctoritate Principis, vel Præſidis.
20 Civitas dicitur, civium unitas.
21 Structure autem murorum non dicuntur civitas, ſed urbs.
22 Civitas eſt multitudo hominum ſocietatis vinculo adunata.
23 Epiſcopalis dignitas ſui numeroſitate vileſcit.
24 Multitudo numeroſa nihil habet honeſtum.
25 Epiſcopi dicuntur Sanctiſſimi, Chriſti legati, & columnæ Eccleſiæ.
26 Item Beatiſſimi, ac Sereniſſimi, & Principes terræ.
27 Epiſcopatus dicitur excellentia dignitas.
28 Item culmen dignitatis.
29 Epiſcopalis ſublimitas quanta ſit.
30 Locus, aut divitiarum potentia, vel paupertatis humilitas Epiſcopum ſublimiorem, vel inferiorem non faciunt.
31 Declaratur, & num. 33.
32 Veſtis vilis, vel pretioſa effectus, & refertur cuiuſdam Theologi argutia.
34 Epiſcoporum titularium creatio quibus rationibus improbetur, & num. ſeqq. & num. 47. & 53.
35 Epiſcopi titulares ſerenitatem Pontificalis obnubilant dignitatis.
36 Quærunt Vicarias Epiſcoporum, maximè habentium amplas diœceſes.
Adhærent Principibus, qui honoris cauſa quærunt habere Capellanos Epiſcopos, ibid.
37 Ferè vagabundi ſunt, & permanentem ſedem non habent.
Quaſi Epiſcopalem Cathedram eligunt in locis nullius diœceſis, ibid. & num. 52.
38 Epiſcopus Titularis an ſit creandus pro Pontificalibus exercendis in nonnullis oppidis militarium nullius diœceſis, & num. ſeqq. uſque in fin.
39 Epiſcoporum titularium origo.
40 Cardinare, quid importet.
41 Epiſcopi titulares ex Concilio Lateranenſi noviſſimo conſtitui poſſunt Suffraganei in eccleſiis Cardinalium Epiſcoporum, & num. 44.
Et quid ex decreto Pii V. num. 48.
42 Corepiſcopi, & eorum officium.
43 Ordo ipſorum ab Eccleſia reprobatus.
45 Epiſcopus Titularis abſque urgenti neceſſitate creari non debet, & num. 53.

46 Etiam

Digitized by Google

46 *Etiam mortuo Epiſcopo ab infidelibus expulſo.*
Et hic abuſus maxime viget in Religioſis, & cur.
48 *Et quando creandus, & quibus conditionibus ex decreto Pii V.*
49 *Epiſcopi Titulares, & ſuffraganei dos quanta, & qualis eſſe debeat.*
50 *Pontificalia exercere non poteſt niſi in diœceſi, cui datus eſt Suffraganeus, & num. 54. & 55.*
51 *Creari non debet Epiſcopus Titularis ut ſit Coadiutor Archiepiſcopi Arboren. abſentis propter infirmitatem, & capitales inimicitias.*
52 *Epiſcopi Titulares ea, quæ ſunt ordinis exercentes in locis nullius diœceſis ſunt ſuſpenſi per annum ab exercitio Pontificalium.*
54 *Propoſitio Eccleſiæ Tunſen. facta in Conſiſtorio à Cardinali Pacecho pro exercendis Pontificalibus in locis Ordinis S. Iacobi de Spatha.*
55 *Tunſen. Eccleſia eſt ſuffraganea Eccleſiæ Carthaginenſis.*
56 *Epiſcopum Titularem an deceat ſubeſſe inferiori Prælato, & num. 60. & 61.*
57 *Suffraganeus non datur Eccleſiæ, nec populo, ſed Epiſcopo per cuius obitum expirat Suffraganeatus, & num. 59.*
58 *Suffraganeatus non eſt titulus perpetuus.*
60 *Epiſcopum Titularem non decet eſſe Suffraganeum inferioris Prælati.*
61 *Epiſcopi Titulares ſunt veri Epiſcopi.*
62 *Epiſcopus vicinior non poteſt ordines conferre, aut Pontificalia exercere in locis nullius diœceſis ſine Ordinarii licentia, ſed ſubditos dictorum locorum debet ordinare in ſua diœceſi, aut eis dimiſſorias concedere.*

1 E*Piſcopalia*. Epiſcopalis dignitas non debet tribui niſi
locis inſignibus, & populoſis. Hoc ſtatuit ſecundùm
Joan. Andr. vel aliter, majores civitates dumtaxat privile-
2 gio Epiſcopatus ſunt honorandæ. Hoc dicit ſecundùm
Card. Abb. & Mar. Soc. Primò ponit dictum. Secundò
rationem ibi, *ne honor*.
3 Nota primò ibi, *frequentioribus civitatibus:* textum o-
ptimum, quod ad eſſe civitatis non requiritur Epiſcopus;
poteſt enim eſſe civitas, etiamſi Epiſcopum non habeat,
Cardin. Abb. & Marian. Socin. hic omnes *in* 1. *notab.* Jo.
Andr. in *cap. Si Civitas*, *num.* 1. & in gloſſ. ordinaria
poſt caſum *de ſentent. excommunicat. lib.* 1. Bartol. in *l.* 1.
num. 3. *verſ. Vnde poſſibile eſt eſſe civitatem*, licèt non
habeat Epiſcopum, *cap. de metropolit. lib.* 11. plenè Bald.
in *l. Si in aliquam*, *nu.* 2. *ff. de offic. Proconſul.* & hæc opi-
nio communiter approbatur, ut ait Dec. hic *num.* 8. Quæ
4 indubitanter procedebat ante adventum Chriſti: nam quia
tunc non erat dignitas Epiſcopalis, quippe quæ poſt Chri-
5 ſti adventum fuit inſtituta, *cap.* 1. *&* 2. 22. *diſtinct.* & ta-
men erant conſtitutæ civitates, & provinciæ, ut *cap. Vrbes*, *& cap. In illis*, 80. *diſtinct.* & ſcripſi pleniùs in *cap.
Nullus*, *num.* 13. *ſupra de Paroch.*
Sed nihilominus etiam inſpecto tempore poſt legem Eu-
angelicam veriùs videtur ad eſſentiam civitatis non requi-
6 ri Epiſcopum. Ad quod primò facit optimè iſte text. du-
pliciter eum inducendo. Primò, quia dicit frequentiori-
bus tantùm civitatibus Epiſcopos eſſe præficiendos. Sunt
enim civitates minus frequentes, quæ carent Epiſcopo,
ut arguunt Cardin. & Abb. hic *in* 1. *notab.* nam compara-
tivum illud ſupponit poſitivum, *l. Vbi autem non opor-
7 tet*, *in princip. ff. de verbor. oblig.* & quamvis Decius hic
num. 2. dicat comparativum ſæpenumero poni pro poſiti-
vo, ut notatur in *l. Benignius*, *ff. de legib.* & per Abb. in *c.
Cum dilectus*, *in* 4. *not. de iis, quæ vi met. cauſ.* tamen
hoc fit contra proprietatem verborum, à qua in dubio non
eſt recedendum, *l. Non aliter*, *ff. de legat.* 3. Deinde
quia dum textus dicit, *civitatibus*, utique appellat civita-
tes antequam habeant Epiſcopum, ut hic per Marian. So-
cin. *num.* 2. & concordat *cap.* 1. §. *Inter Epiſcopus*, 68. *di-
ſtinct.* ubi habetur, quod Epiſcopi nonniſi in civita-
tibus ordinantur: ergo erat civitas ante ordinationem
Epiſcopi.
8 Secundò, pro hac opinione adducitur tex. in *cap. Epi-
ſcopi*, 80. *diſtinct.* ubi dicitur: *Epiſcopos non in caſtellis,
aut modicis civitatibus, atque villas debere conſtitui, ſed
Presbyteros per caſtella, & modicas civitates, atque villas
debere ab Epiſcopis ordinari, & poni:* igitur modica civi-
tas Epiſcopum habere non poteſt, & tamen ibi civitas ap-
pellatur; & quamvis dicatur modica, nihilominus civitas
eſt, quia magis, & minus non faciunt rem differre ſpecie,
l. final. ff. de fund. inſtruct. l. Humilem, *C. de inceſt. nupt.*
Bart. *in tract. de Alveo*, *verſ. Quod ſi*, *num.* 2.
Tertiò, ad idem adducitur *cap. Ita nos*, 25. *quæſt.* 2. ubi 9
civitas, quæ proprium necavit Epiſcopum perpetuò priva-
tur dignitate Epiſcopali; & tamen per hoc non deſinit eſſe
civitas, ut probant illa verba, *hac ſit reperta civitas*, &
tenet Dec. hic *num.* 9. & ante eum Bart. in dict. *l.* 1. *nu.* 3.
in fin. C. de metropolit. lib. 11. dicens non eſſe bonam con-
ſequentiam, Papa privat civitatem Epiſcopo: ergo deſinit
eſſe civitas, & Bald. in dict. *l. Si in aliquam*, *num.* 2. *verſ.
Item ſi civitas*, *ff. de offic. Proconſul.*
Quartò, ad hoc induci poſſet *cap. Paſtoralis*, 7. *quæſt.* 10
1. ubi Gregorius tranſtulit Epiſcopum Liſſitanæ civitatis
ab hoſtibus captivatæ ad Eccleſiam Scyllatinam, & in fine
ait: *Sin autem præſcripta civitas continua captivitatis ca-
lamitate premitur in hac in qua incardinatus es, debeas Ec-
cleſia permanere:* & ſic illa remanſit civitas, licèt Epiſco-
po in perpetuum eſſet caritura.
Item Saraceni habent civitates, & Epiſcopos niſi fortè 11
abuſivos, ut inquit Bald. in d. *l. Si in aliquam*, *nu.* 2. *verſ.
Item Saraceni*, neque obſtat, quod habeant Epiſcopos
habitu, quia quando ſpes nulla ſubeſt, ut habitus reduca-
tur ad actum, ut in terminis d. *cap. Paſtoralis*, *in fin.* tunc
Eccleſia regulatur ac ſi neque actu, neque habitu eſſet cu-
rata, ut plenè notavi in *cap. Extirpandæ*, §. *Qui vero*, *nu-
mer.* 48. *de præbend.*
Quintò, ad idem ſic poteſt argui: Epiſcopus poteſt eſſe 12
ſine civitate, ut patet in Epiſcopo Lunenſi, & Feſulano,
ſecundùm Bald. *ubi ſupra*, *verſ. Item è contra:* ergo & ci-
vitas poteſt eſſe ſine Epiſcopo. Quia eſſentia civitatis di-
ſtincta eſt ab eſſentia Epiſcopi, quamvis dignitas Epiſco-
palis accidentaliter ſit civitati annexa, ut ratiocinatur De-
cius hic *numer.* 10. Item nihil habet commune juriſdi-
ctio temporalis cum ſpirituali, ut *cap. Pervenit*, 101.
diſtinct.
Item ultimò, aliis omiſſis, hæc concluſio probari vide- 13
tur ratione invincibili: nam Princeps utique poteſt civita-
tem conſtituere, *l.* 1. *C. de Metropolitan. lib.* 11. & ibi no-
tat Bart. *num.* 3. & ante eum Innocentium, *cap. Cum ab
Eccleſiarum*, *num.* 2. *ſupra de offic. Ordinar.* & tamen
non poteſt facere Epiſcopum, *cap. Nullus*, *& cap. Adria-
nus*, *cum pluribus ſeqq.* 63. *diſtinct.* nec ſedem Epiſcopa-
lem creare, Bald. in dict. *l. Si in aliquam*, *num.* 2. *verſ.
Item laici:* ergo etiam hodie poteſt eſſe civitas ſine Epi-
ſcopo, & ita videtur concludendum de jure, licèt gloſſ.
in *cap. Provinciæ*, *in verb. Comitibus*, 99. *diſtinct.* dixe-
rit Comitatum dici diſtrictum alicujus civitatis, ubi eſt Epi-
ſcopus.
Sed hodie ex communi interpretatione in Italia recep- 14
tum eſt, ut illa ſola appelletur civitas, quæ habet Epiſco-
pum: ſed Ultramontani, & maximè Theutonici hoc non
recipiunt, ut notat Joan. Andr. in *cap. Si civitas*, *num.* 1.
de ſentent. excommun. lib. 6. Abb. *hic in* 1. *notab.* Marian.
Socin. *num.* 3. & Dec. *numer.* 15. Bart. in Extravag. *Qui
ſint rebelles*, *in verb. Lombardia*, *& in tractatu de inſula
in* 14. *figur. & in l. final. colum.* 2. *ff. de colleg. illicit. & in
l.* 2. *numer.* 7. *verſ. Et dicit Innocent. ff. de verbor. ſigni-
ficat.*
Porrò Italorum interpretationi valdè ſuffragatur, quod 15
Papa unico contextu erigit civitates, & dat Epiſcopum
per hæc, vel ſimilia verba: *Oppidum N. in civitatem, Ec-
cleſiam vero in Cathedralem pro uno Epiſcopo, &c. erigi-
mus, & inſtituimus*, ut patet in oppidis Lauretan. Mon-
tis Alti, Sancti Severini, & Tolentini, à Sixto V. in ci-
vitates erectis, Bullar. *tom.* 2. *pag.* 518. 558. 559. *&* 564.
facit Extravag. *Salvator*, §. *Volentes*, *de præbend.* inter
communes, ibi: *Quarum villæ, quarum quamlibet in ci-
vitatem erigimus, & civitatis vocabulo inſignimus*, juncto
verſ. *Sint de cætero, & habeantur perpetuo Eccleſiæ Cathe-
drales*. Item ut Bald. inquit in dict. *l. Si in aliquam*, *num.*
2. *ff. de offic. Proconſ.* ſecundùm uſum loquendi commu-
nem oppida, quæ numquam habuerunt Epiſcopum non
dicuntur civitates per excellentiam: dicitur etiam ſignum 16
potiſſimum excellentiæ habere Epiſcopalem ſedem, &
Apoſtolicus pro maximo dono concedit oppidis hanc digni-
tatem,

Digitized by Google

tatem, ut Papa Urbanus V. Montis Flaſconi, quod de
17 oppido ſimplici in civitatem erexit. Et ex hoc infert ad
quæſtionem, ut ſi conceſſæ ſunt repræſaliæ contra omnes
cives Tuſcos, non intelligantur nati de oppido Pratenſi,
vel Sancti Miniati, quia non habente Epiſcopos, & ſe-
quitur Dec. hic num. 16. oppidum Sancti Miniati hodie
eſt civitas Epiſcopalis.
18 An autem erectio civitatis fieri poſſit à populo ſine
Principis auctoritate, ſunt opiniones Bart. in l. 1. in prin-
cip. ff. Quod cuiuſque univerſit. nomin. tenet ad hoc non
requiri auctoritatem Principis; ſed ipſam gentem per ſe
poſſe civitatem facere, cùm hoc ſit permiſſum de jure gen-
tium, l. Ex hoc iure, ibi: Regna condita, ædificia collo-
cata, ff. de iuſtit. & iur. & dictum Bartoli fortè eſt verius,
ut dicit Abb. hic num. 2. in fin. ſed oppoſitum tenet Inno-
cent. in cap. Cum ab Eccleſiarum, nu. 5. verſ. Et intellige,
de Offic. Ordin. ubi concludit ad eſſe civitatis requiri licen-
tiam Principis. Pro concordia plerique diſtinguunt ſic:
Aut quæritur an populus poſſit ſine Principis licentia civi-
tatem materialiter ædificare; & dicendum eſt poſſe; quia
facultas ædificandi competit de jure communi, ut d. l. Ex
hoc iure, l. Provincias, C. de ædific. privat. & in hoc ca-
ſu procedit prima opinio Bartoli. Aut quæritur an popu-
lus poſſit erigere civitatem formaliter, id eſt quantum ad
hoc, ut habeat juriſdictionem, & jura civitatis; & te-
nendum eſt non poſſe, ſed neceſſariam eſſe Principis au-
ctoritatem: & in hoc ſecundo membro intelligitur Inno-
cent. prout eum declarat Bald. in dict. cap. Cùm ab Eccle-
ſiarum, col. 2. verſ. Quære unà cum Innocent. de offic. Or-
dinar. & dict. l. 1. in princ. ff. Quod cuiuſque univerſit. no-
min. & ipſemet Bart. in l. fin. numer. 5. verſ. Et iſta vera
quantum ad hoc, ff. de colleg. illicit. Paulus de Caſtro in
dict. l. Ex hoc iure, col. 8. & ſequitur Dec. hic num. 19. &
20. Alex. conſ. 24. in princip. vol. 5. Hieronym. de Monte
in tractat. ultim. Regular. cap. 11. num. 4. & 5. Brun. conſ.
19 47. num. 2. & conſ. 54. num. 6. & pro hac ſecunda opinio-
ne videtur text. in l. In tantùm, §. fin. aliàs in l. Sacra, §.
Muros, ff. de rer. diviſ. ubi dicitur: Muros autem muni-
cipales nec reficere licet ſine Principis, vel Præſidis auctori-
20 tate; & quamvis populus poſſit muros materialiter ædifi-
care, nullo tamen modo per hoc dici poteſt facere civita-
tem, quia civitas dicitur civium unitas: unde ædificium
21 & ſtructuræ murorum non dicuntur civitas, ſed urbs,
gloſſ. in dict. cap. Si civitas poſt caſum, de ſentent. excom-
mun. lib. 6. ex Iſidor. in lib. 5. etymolog. ubi ait civitatem
non ſaxa, ſed habitatores vocari; & civitatem diffinit eſ-
ſe multitudinem hominum ſocietatis vinculo adunatam ad
22 ſimul jure vivendum; refert Archidiac. in cap. Statutum,
nu. 4. de reſcript. lib. 6. & Jo. Andr. in dict. cap. Si civi-
tas, nu. 1. ubi etiam alias diffinitiones recenſet.
23 Secundò nota ex textu, dignitatem Epiſcopalem non
eſſe conſtituendam in villis, vel caſtellis, ſed tantùm in
locis inſignibus, & populoſis: & ita hic eſt caſus ſecun-
dùm Joan. Andr. & alios in ſummario text. Cardin. in
Clemen. In pleriſque, in 3. quæſt. num. 6. de elect. Rationem
habes in littera, videlicet, Ne honor, cui debent excellen-
tiora committi, ſui numeroſitate vileſcat, confert text. in
cap. Præcipimus, 16. quæſt. 1. in illis verbis: ubi multitudo
excrevit fidelium ex vigore Apoſtolicæ Sedis debeas ordina-
re Epiſcopos, pia tamen contemplatione, ut non vileſcat di-
gnitas Epiſcopatus. Hæc ibi: Multitudo enim numeroſa
24 nihil habet honeſtum, ut in Authent. de Referend. §. Vo-
lumus. Ideòque Diaconos parvitas honorabiles, Presby-
teros verò turba contemptibiles facit, cap. Legimus, ante
fin. verſ. Quid paucitatem. 93. diſtin. & omne rarum
pretioſum, & plus appetibile, ſecundùm Hoſtien. hic nu-
mer. 1. Aliam rationem ponit text. in cap. Illud ſane, 80.
diſtinct. videlicet, ne quod Sanctorum Patrum divinitus in-
ſpirata, decreta voluerunt, vinculis, & poſſeſſionibus, vel
obſcuris, & ſolitariis municipiis eribuatur Sacerdotale fa-
ſtigium, id eſt Epiſcopale, ſecundùm Hug. & Archid. con-
cordat cap. Epiſcopi, 80. diſtinct. ubi dicitur: Epiſcopi non
in caſtellis, aut modicis civitatibus debent conſtitui, ne vi-
leſcat nomen Epiſcopi, ſed ad honorabilem urbem titulan-
dus, & denominandus eſt.
25 Porrò Epiſcopi dicuntur Sanctiſſimi Chriſti Legati, &
columnæ Eccleſiæ, Clem. 1. §. Nec ſuper, de pœnis. Item
dicuntur Beatiſſimi, cap. Excellentiſſimus, 11. quæſt. 3. l.
Cum Clericus, C. de Epiſcop. & Cleric. & in Authent. de
ſanct. Epiſcop. §. Si quis autem Epiſcoporum, & §. Inter-
dicimus, & in Auth. de Eccleſ. tit. §. Si quis ædificationem,
Epiſcopi enim officio nil beatius, cap. Ante omnia, 40. di- 26
ſtinct. & dict. §. Nec ſuper. Item appellari poſſunt Sereniſ-
ſimi, ut inquit Cardin. in Clem. In pleriſque, in 4. notab. de
elect. per illum text. in verb. Serenitatem. Item ſunt Prin-
cipes terræ, cùm in terris teneant locum Apoſtolorum,
cap. Quoniam vices, 68. diſtinct. cap. In novo, 21. diſtin.
Pariſ. conſ. 141. ad ſolutionem dubiorum, nu. 25. verſ. Epi-
ſcopos autem conſtat eſſe Principes terræ, lib. 6. Item Epi-
ſcopatus dicitur excellentiæ dignitas, ut notat gloſ. in cap.
Per tuas, il primo, in verb. Excellentioris, de appellat. Et
culmen dignitatum gloſſ. 2. in cap. 2. de præbend. lib. 6. per 27
text. in cap. Venerabilis, ſupra de præben. Quinimò, ut
inquit Ambroſius de dignitate Sacerdotum, cap. 2. Honor,
& ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus ad- 28
æquari: Si Regum fulgori compares, & Principum diade-
mati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad au-
ri fulgorem compares; quippe cùm videas Regum colla, & 29
Principum ſubmitti genibus Sacerdotum, & oſculata eorum
dextera, orationibus eorum credant ſe communiri; refertur
à Gelaſio in cap. Duo ſunt, 96. diſt. & Chryſoſtom. lib. 3.
de Sacerdot. & Nazianzenus in oratione 17. ad Cives Na-
zianzenos: Quantum, inquiunt, cælum, terra pretioſius
eſt, quantumque anima corpori, ſpiritus carni, divina hu-
manis præſtant, tantùm Epiſcoporum Principatus omnia ci-
vilia regna, & poteſtates antecellit: ad hoc cap. Si lite, de
maior. & obedien. Meritò igitur tam ſublimis dignitas non
niſi locis inſignibus, & frequentibus eſt tribuenda, ut hic
ſtatuitur.
Nec obſtat, quod ubicumque fuerit Epiſcopus ſive Ro- 30
mæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii,
ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem ſit meriti, & Sa-
cerdotii: & potentia divitiarum, & paupertatis humili-
tas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non fa-
ciat, ſed omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſint: quæ ſunt
verba Hieronymi in cap. Legimus, 93. diſtinct. Quoniam 31
ut reſpondet gloſſ. hic in verb. Maioribus, & in cap. Epi-
ſcopi, in verb. Vileſcat, 80. diſtinct. Quod hic dicitur in-
telligi debet quantum ad vulgi opinionem: nam in rei ve-
ritate etiam in modicis civitatibus non eſt vilior Epiſcopus,
ut in contrario. Et eodem ferè modo reſpondet hic Inno- 32
cent. in princip. dum ait, [Quod hic dicitur procedere
de facto, cùm de jure magnitudo civitatis nihil operetur.]
Unde videmus de facto potentes, & divites Epiſcopos ho-
norari, & pauperes virtuoſos contemni, ſecundùm Ho-
ſtien. hic num. 3. & Joan. Andr. eodem num. 3. qui reſe-
ruit de quodam Theologo, qui contra id, quod habetur
Jac. 2. cùm prius humiliter indutus malè fuiſſet in quo-
dam monaſterio receptus, rediens cum pretioſa cappa,
ſplendidè receptus, & honorificè tractatus multas gratias
egit in Capitulo cappæ ſuæ, unde & Hieronym. ad Chro-
mat. cap. 1. Et in patria mea, inquit, ille ſanctior eſt, qui
ditior eſt.
Tu dicas textum noſtrum loqui de jure, ejus tamen de- 33
ciſio procedit ante factum, deciſio vero dict. cap. Legimus;
procedit poſt factum: nam ab initio Epiſcopus conſtitui
non debet niſi ut præſideat majoribus populis; ſed poſt-
quam fuit conſtitutus, ſive magno, ſive parvo præſideat
loco, & ſive ſit locuples, ſive pauper, in eadem venera-
tione eſt habendus, quia in eo honoratur dignitas Ordi-
nis, & non potentia divitiarum, ſecundùm Anton. de
Butr. hic num. 6. verſ. Tu dic, Abb. num. 4. verſ. Vel dic,
& melius Marian. Socin. num. 12. & Dec. num. 41. verſ.
Sed iſtud.
Ultimò nota ibi, maioribus populis, argumentum opti- 34
mum, quod non debent creari Epiſcopi Titulares in par-
tibus infidelium: nam ſi Epiſcopi non ſunt conſtituendi in
civitatibus, & locis non populoſis, ut hic ſtatuitur, lon-
gè minus conſtitui debent in carentibus clero, populoque
Chriſtiano. Sic enim intitulati, nec ut expediret prodeſ- 35
ſe, nec ut deceret præeſſe valentes, inſtabiliate vagatio-
nis, & mendicitatis opprobrio ſerenitatem Pontificalis
obnubilant dignitatis, ut legitur in Clem. In pleriſque, de
elect. ubi gloſſ. in verb. Vagationis, dicit conſueviſſe tales
diſcurrere, & vicarias Epiſcoporum quærere, maximè
habentium amplas diœceſes. Interdum quoque Princip- 36
ibus adhærere familiariter, qui honoris cauſa quærunt ha-
bere Capellanos Epiſcopos. Et hodie cum ferè vagabundi 37
ſint,

ſint, & permanentem Sedem non habeant, alienas oves
inſcio proprio Paſtore quærentes, quaſi Epiſcopalem Ca-
thedram in loco nullius diœceſis ſua temeritate eligunt, &
Pontificalia exercent, ut in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14.
cap. 2. contra id, quod habetur *ſeſſ.* 6. *cap.* 5.
38 Porrò cùm aliàs quæſitum eſſet numquid Epiſcopus Ti-
tularis eſſet creandus pro Pontificalibus exercendis in op-
pido de Merida, aliiſque locis nullius diœceſis militiæ
S. Jacobi de Spatha ſubjectis, hæc fuerunt adnotata.
39 Antiquitùs Epiſcopi Titulares non creabantur, ſed tan-
tùm qui à propriis eccleſiis ob hoſtilitatem ejecti erant, in
aliis eccleſiis vacantibus Cardinales conſtituebantur, do-
nec ad proprias eccleſias reverti permitterentur, *cap. Pa-*
40 *ſtoralis*, 7. *quæſt.* 1. Et expone illa verba, *Cardinales con-*
ſtituebantur, *ſeu incardinabantur*, id eſt canonicè trans-
ferebantur, ut notatur poſt *cap. Fraternitatem*, *ſuper verb.*
41 *Cardinandum*, 71. *diſtinct.* Sed horum, qui creantur Epi-
ſcopi alicujus Eccleſiæ in partibus infidelium ſitæ, quæ ne-
que populum Chriſtianum, neque Clerum habet, nulla
origo reperitur ante decretum Concilii Lateranenſis ſub
Leone X. *ſeſſ.* 9. *de Cardinalibus*. Itaque res ab optimis
orta primordiis eo dilapſa eſt, ut jam non qui expulſi ſunt
dentur Epiſcopis Eccleſiis vacantibus, ſed creentur denuò
Epiſcopi aliarum Eccleſiarum, tum alias ob cauſas, tum
ad hoc ut ſuffragentur aliis Epiſcopis, quorum loco anti-
42 quitùs in Eccleſia eſſe videbantur Corepiſcopi, qui erant
Presbyteri, & in villis, aut pagis curam animarum gere-
bant loco Epiſcoporum, licèt non poſſent abſque Epiſco-
porum licentia, vel conſenſu ea, quæ ſunt Ordinis exer-
cere, ut in Concilio Neocæſarienſi *cap.* 3. in Antiocheno
cap. 20. & Hiſpalen. *cap.* 20. Quod etiam pluribus pro-
bant, & decernunt Damaſus *Epiſtola* 1. Leo *Epiſtola* 36.
& Joannes III. *Epiſtola* 1. & Concilium Antiochenum
cap. 4. ſtatuit, ne ii, qui in vicis Corepiſcopi appellan-
tur Presbyterum, aut Diaconum audeant ordinare præter
civitatis Epiſcopum, ſed contenti ſint propria ſollicitudi-
43 ne, & gubernatione, quam ſuſceperunt. Quorum ta-
men Ordo fuit deinde ab Eccleſia reprobatus, ut in Canon
Corepiſcopi, 68. *diſtinct.*
44 Poſtea verò cœperunt creari Epiſcopi Titulares ob de-
cretum Concilium Lateranenſis ſuperiùs relatum, quod
permiſit Cardinalibus in Eccleſiis ſuis hos habere Epiſco-
pos pro ſuffraganeis, ideòque etiam hodie Summus Pon-
tifex cùm creat hujuſmodi Epiſcopos, utitur ſimilibus ver-
bis, *& ſuffragentur talibus*, *donec*, *&c.*
45 Niſi tamen verè urgeat neceſſitas, non eſt creandus Epi-
ſcopus titularis, ut patet ex dict. *Clement. In pleriſque*, *de*
46 *elect.* Quinimò nec mortuo Epiſcopo expulſo poteſt Ec-
cleſiæ ab hoſtibus occupatæ alius Epiſcopus perfici, ut illic
poſt Paul. not. Cardin. *nu.* 5. ex quo decreto conſtat crea-
47 tionem Epiſcopi titularis improbari: tum quia Eccleſiæ ab
infidelibus occupatæ ſufficientes redditus non habent,
tum quia carent clero, & populo Chriſtiano, tum
denique quia ibi Epiſcopus non poteſt prodeſſe, ut expedi-
ret, nec præeſſe, ut deceret, meritò gloſſ. *ibi in verb. Va-*
gationes, invehit in eos, qui anhelant ad Eccleſias ab ho-
ſtibus captivatas, ut tetigi ſupra *num.* 36. *& in verb. Re-*
ligioſos, dicit hunc abuſum maximè vigere in religioſis,
qui ad hoc laborant interdum etiam importunè, & per
corruptelas, ut canere poſſint cum Pſalmiſta *Laqueus con-*
tritus, *&c. Pſalm.* 123. & ſubdit ſe vidiſſe Religioſum
conſecratum ad titulum, qui non erat in rerum natura,
nec fuerat quod patere poſſet per Provincialem, id eſt per
librum, in quo ſcriptæ ſunt Provinciæ: & noſtris tempo-
ribus vidimus alium conſecratum ad eandem Eccleſiam,
ad quam alter erat conſecratus: & adde, quod ibi notat
Cardin. *in* 6. *&* 11. *quæſt.*
48 Sed & de his Pius V. poſt Concilii Tridentini publica-
tionem decreto ſuo conſiſtoriali ſancivit non eſſe hujuſmo-
di Epiſcopos creandos, neque in Suffraganeos dandos, ni-
49 ſi Eccleſiis Cardinalium, & illis tantùm qui ſolent habe-
re, & cum certo ſtipendio perpetuò ad minùs ducentorum
aureorum de camera ſuper fructibus illius Eccleſiæ, qui
propria auctoritate ab ipſis percipi poſſint, & quod nullibi
50 poſſint Pontificalia exercere ſine expreſſa licētia Sedis Apo-
ſtolicæ, niſi in illa diœceſi, cui datus eſt Suffraganeus: ſed
poſteà paulatim id ampliatum fuit etiam ad Epiſcopos non
Cardinales, & dos aucta eſt ad ducatos 300. ex decreto Sa-
cræ Congregationis rerum Conſiſtorialium.

Et in Sacra Congregatione Concilii cùm Archiepiſco-
pus Arboreñ. ſupplicaſſet pro indulto adhibendi in ſua diœ-
ceſi Epiſcopum titularem à Sanctiſſimo deputandum, qui
muneribus Epiſcopalibus defungi poſſet eò, quod ipſe Ar-
chiepiſcopus cogeretur ab Eccleſia abeſſe tum ob graviſſi-
mas, ac diuturnas ægritudines, tum ob capitales cum
pluribus inimicitias, qui ejus vitæ etiam veneno inſidiati
fuerant: Sacra Congregatio die 6. Junii 1605. cenſuit ti-
tularem Epiſcopum hac de cauſa non creandum, ſed ſi ip-
ſe aliquem titularem inveniat, qui ipſum velit adjuvare,
ejus opera uti poſſe, juxta decretum *cap.* 2 *ſeſſ.* 14. de quo
eſt text. expreſſus in *cap. Pontifices*, 7. *qu.* 1.
Ad hæc creatio Epiſcopi titularis, qui in locis nullius 51
diœceſis ordines conferat, improbatur à Concilio Triden-
tino *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. quo hæc facultas tribuitur Epiſcopis,
intra quorum diœceſibus fines ea loca exiſtunt, vel vici-
niori Epiſcopo, ſi omninò exiſtant extra fines cujuſque
diœceſis, argumen. *cap.* 9. *ſeſſ.* 24. ut ex Sacræ Congre-
gationis ſententia dixi in *cap. Nullus*, *nu.* 10. *uſque in fin. de*
Paroch.
Rurſus eadem creatio improbatur decreto *cap.* 2. *ſeſſ.* 14. 52
ubi plura in odium dictorum Epiſcoporum commemoran-
tur, ut dictum eſt ſupra *num.* 37. ac deinde illis prohibe-
tur, ne cuiquam primam Tonſuram, ſeu Ordines confe-
rant etiam in locis nullius diœceſis abſque ſui proprii Præ-
lati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis; & contra-
facientes ab exercitio Pontificalium per annum; & ſic pro-
moti ab executione Ordinum, donec ſuo Prælato viſum
fuerit, ſunt ipſo jure ſuſpenſi.
Ex his omnibus deducitur, ut minimè ſit procedendum 53
ad creationem Epiſcopi titularis pro hujuſmodi militiis ſan-
cti Jacobi ſine gravi, & urgenti neceſſitate, videlicet cùm
eis neque opera aliorum Epiſcoporum titularium in illis
partibus exiſtentium, neque viciniorum Epiſcoporum
miniſterio, neque alia ratione proſpici poteſt: tum quia
hujuſmodi creatio, & inſtitutio eſt ab eccleſiaſticis regulis
aliena, & ſacris Canonibus inviſa; tum quia redundat in
præjudicium Epiſcopi proximioris, ad quem pertinet fa-
cultas ordinandi ſubditos dictarum militiarum privativè
quoad omnes; tum demum quia Epiſcopus præficitur Ec-
cleſiæ ſine redditibus, ſine diœceſi, & Clero, populoque
Chriſtiano, quod eſt contra Concilium Vienneñ. & Tri-
dentinum, & contra textum noſtrum inducendo eum,
ut dixi ſupra in ultim. notab. neque enim populus militia-
rum, de quibus agitur, ſubjectus erit huic Epiſcopo, nec
ipſe dici poterit illius Epiſcopus, & Paſtor, cùm nullam
in eum juriſdictionem, aut correctionem ſit habiturus,
nec in aliqua Eccleſia militiarum debeat intitulari, ſed
tantùm ibi exercere Pontificalia tamquam mercena-
rius.
Hæc autem neceſſitas procedendi ad creationem Epiſco-
pi Titularis in dicta militia minimè videtur ſubeſſe: nam
pro Ordinibus conferendis non eſt neceſſarius acceſſus vi-
cinioris Epiſcopi ad loca earum militiarum, cum ipſe poſ-
ſit, ac debeat ordinare ſubditos dictorum locorum in ſua
diœceſi, ut ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii ad-
notavi in dict. *cap. Nullus*, *num.* 52. *de Paroch.* Quod ſi
id incommodum videatur, poterit illis dimiſſorias conce-
dere, ut ab aliis Epiſcopis ordinentur, ad præſcriptum
dict. *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. Et pro Sacramento Chriſmatis admi-
niſtrando jam eſt in facultate ipſarum militiarum, ſi nul-
lius diœceſis exiſtant, convocare quem maluerint Catho-
licum Antiſtitem ex ipſius Congregationis ſententia. Ex-
empla Pii V. & Gregorii XV. qui inſtituerunt Epiſcopos
Titulares in eadem militia Sancti Jacobi de Spatha, non
prodierunt ex voto Sacræ Congregationis rerum Conſiſto-
rialium, nec videntur ulteriùs extendenda, nec detur an-
ſa eiſdem militiis in poſterum prætendendi hujuſmodi in-
ſtitutionem quaſi debitam, & ſibi affectam: jam enim
in ſupplici libello nuper oblato aſſeritur Franciſcum de la
Rocha fuiſſe præſentatum à Rege Catholico ad Eccleſiam
Sidonieñ. in partibus infidelium, quàm à Gregorio XV.
obtinuit ultimus Epiſcopus pro Militia Sancti Jacobi inſti-
tutus: & Epiſcopatus Sidonieñ. perperam appellatur Or-
dinis Sancti Jacobi.
Et ita die 28. Januarii 1649. eadem S. Congregatio re-
rum Conſiſtorialium re accuratè diſcuſſa, cenſuit, niſi aliud
Sanctiſſimo videatur, creationem Epiſcopi Titularis pro
dicta Militia non eſſe de cætero concedendam.

Poſt

Digitized by Google

54 Poſthac ex parte Oratoris Regis Catholici exhibita fuit, & lecta in Sacra Congregatione propoſitio olim facta in Conſiſtorio à Cardinali Pacecho de Eccleſia Tuniſeñ. ſub Pio V. unà cum votis Cardinalium, quæ ſic ſe habet.

Cardinalis Pacechus propoſuit Eccleſiam Tuniſeñ. pro Fratre Bartholomæo Perez, ut impleat Pontificales actus in locis ipſius Ordinis, & quod propterea concedatur nominatio perpetuò Eccleſiæ Tuniſeñ. Philippo Regi, & quod Tuniſeñ. Epiſcopus ſit perpetuò ſuffraganeus in locis Sancti Jacobi de Spatha.

D. Cardinali Auguſtano Priori Montis Politiani, Piſarum & Varmieñ. Placuit.

Cardinalis de Gambara dixit, quod non fiat perpetua hujuſmodi unio, & deputatio Eccleſiæ Tuniſeñ. pro locis Sancti Jacobi, ſed hæc ad vitam ipſius tantùm, & quod is non exerceat Pontificalia niſi in locis, quæ non ſubſunt Ordinario, in aliis autem non.

Geſualdus, & alii idem quod & alii probaverunt.

Cardinalis Urſinus verò dixit non decere hujuſmodi Suffraganeum, cùm ſolùm Cardinalibus, & quibuſdam Principibus, Prælatis ordinariis ſit conceſſum, cui Sanctiſſimus reſpondit.

Cardinalis Sanctæ Crucis dixit quædam, quæ non audivi.

Cardinalis Boncompagnus probavit Eccleſiæ Tuniſeñ. præſentem proviſionem. Idem alii.

Alciatus limitavit, ut non exerceat Pontificalia niſi in locis exemptis ab Ordinario. Idem alii, &c.

55 Cardinalis Sanctæ Severinæ dixit: Probo proviſionem Eccleſiæ Tuniſeñ. quæ Tuſineñ. non autem Carthagineñ. dicatur: hæc enim ab ea diverſa eſt, & Tuniſeñ. Eccleſia vetus eſt apud eccleſiaſticas, & prophanas Hiſtorias: illa Metropolitana, hæc ſuffraganea. Et reſpondentibus Pacecho, & ab Eccleſia: idem replicavit, & quod Epiſcopus non exerceat Pontificalia niſi in locis ipſius Ordinis, quæ ſunt nullius diœceſis juxta Reverendiſſimum Dominum meum de Gambara, non autem in aliis etiam exemptis exiſtentibus in aliena diœceſi, ampliata limitatione Domini mei Alciati, cui Papa id eſſe facturum, & ſtrictiùs reſpondit.

Caſius cum Reverendiſſimo Relatore. Sicut & alii.

Albanus improbavit erectionem, & pluralitatem Eccleſiarum, & Epiſcoporum, cui Sanctiſſimus Dominus noſter ſatisfecit id fieri, quia cùm Epiſcopi Hiſpani magnas, & amplas habeant diœceſes, vix ſuas viſitare, & Pontificalia in eis, & Sacramentum Confirmationis conferre poſſint, vel curent, unde tantò magis alias provincias, & terras negligunt; & ideò ſpectat ad Sanctam Romanam Eccleſiam diſpenſatio curæ, & proviſio Eccleſiarum & animarum.

56 Conſtitutum ergo eſt ipſum in locis tantùm ordinis poſſe Pontificalia exercere interdicto ſibi uſu extra dicta loca, & id quamdiu liceat ad Eccleſiam Tuniſeñ. redire, Deo volente: ſed tantùm inſtante Parocho conceſſit, ut poſſit vocatus, & invitatus accedere ad conſecrationem Epiſcoporum, ſed aliàs nequaquam; etiam replicante Albano, negavit; quod ageret Curſorem, non Epiſcopum, quia quotidiè à negligentibus Epiſcopis vocaretur.

57 Fuit etiam tractatum, ut Epiſcopus non ſubeſſet Priori, vel non decere. Sanctiſſimus dixit non referre cùm ſit ipſe tantùm Suffraganeus in Pontificalibus, juriſdictio autem ſpectet ad Priorem, vel Vicarium generalem, ut etiam moris eſt, ubi eſt Vicarius generalis, & Suffraganeus in Pontificalibus.

Die 22. Martii 1650. In Congregatione rerum Conſiſtorialium negotium iterùm fuit propoſitum, & diſcuſſum.

Creatio Epiſcopi Titularis pro Militia Sancti Jacobi de Spatha patitur difficultates infraſcriptas.

Primò repugnat antiquæ Eccleſiæ inſtitutioni, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt ſupra num. 39.

Secundò obſtat Concilium Viennenſe in *Clem. In plerifque, de elect.* ut patet ex dictis ſupra num. 35.

Tertiò obſtat Concilium Lateranenſe noviſſimum ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. de Cardinalibus, quo ſtatuitur, ut Epiſcopi Titulares non creentur, nec Suffraganei dentur niſi Epiſcopis Cardinalibus. Addidit Pius Quintus in decreto Conſiſtoriali: & illis qui conſueverunt habere.

Quartò obſtat Concilium Tridentinum in *cap.* 2. *ſeſſ.* 14. ubi non tantùm prohibet, ſed etiam damnat, ut Epiſcopi Titulares alienas oves quærentes in locis nullius diœceſis ſibi cathedram conſtituant ſine licentia proprii Epiſcopi, & in *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. quo interdicitur, ne ſubditi nullius diœceſis à quoquam ordinentur ſine Dimiſſoriis Epiſcopi, intra cujus diœceſis fines exiſtunt.

Quintò, iſte Epiſcopus Titularis deputatur in Suffraga- 58
neum; ſed cujus erit Suffraganeus, non Eccleſiæ, quia Suffraganeus non datur Eccleſiæ, ſed Epiſcopo, gloſſ. in *cap. Quoniam, in verb. Vicarium, ſupra de offic. Ordinar.* Ideòque ſecundùm aliquos, mortuo Epiſcopo expirat ſuffraganeatus; ſicut dicitur de Coadjutore Epiſcopi, qui deſinit eſſe Coadjutor defuncto Coadjuto. Dicitur enim Coadjutor à coadjuvando, ſicut Suffraganeus à ſuffragando: & ideò Coadjutoria, & Suffraganeatus expirant per obitum Epiſcopi, quia non eſt quem coadjuvent, aut cui ſuffragentur, prout hæc notantur per Joann. Andr. in *cap. Conſultationibus, in 8. quæſt. num.* 10. *de Cleric. ægrot.*
& jam cenſuit Sacra Congregatio Concilii ſuffraganeatum 59
non eſſe titulum perpetuum; & hæc ratio concludit eum nec eſſe Suffraganeum populi, aliàs enim eſſet perpetuus, ſicut populus, *l. Proponebatur, ff. de iudiciis*, gloſſ. 2. in
cap. 49. *Denique*, 7. *quæſt.* 1. Rurſus non erit Suffraganeus 60
Epiſcopi, quia in dicta militia nullus eſt Epiſcopus, cui ſuffragari poſſit. Supereſt igitur, ut ſit Suffraganeus Prioris. Hoc autem videtur valdè inconveniens: tum quia cederet in opprobrium Dignitatis Epiſcopalis, ut Epiſcopus, qui eſt in ſupremo gradu Ordinis Hierarchici in Eccleſia militanti, Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. can.* 6. *&* 7. ſuffragetur, & inſerviret Priori longè inferioris gradu, & eſſet tamquam illius Capellanus: quod redarguit gloſſ. in d. *Clement. In plerifque, in verb. Vagationis*, dum dicit; Principes ſæculares affectare creationem Epiſcoporum Titularium, ut illos habeant Capellanos. Tum quia veriſimile eſt, ut in Eccleſia, & functionibus publicis, & privatis Prior, qui univerſæ juriſdictioni præeſt, intendant præcedere Epiſcopo, qui non habet niſi exercitium Ponti-
ficalium, nec eſt intitulatus in d. militia. Hoc autem eſt 61
valdè abſonum in Eccleſia, quia quamvis ſit Epiſcopus Titularis carens Clero, & populo Chriſtiano; eſt tamen verus Epiſcopus Characterem habens Epiſcopalem; *cap. Paſtoralis*, & ibi Archid. *ſub num.* 4. & Præpoſit. *in* 1. *notab.* 7. *quæſt.* 1. Unde indignum eſſet, & pernicioſi exempli, ut ſubeſſet inferiori Prælato, *cap. Solitæ*, §. *Hæc autem, cum ibi notatis de maior. & obed.*

Sextò, nulla ſubeſt neceſſitas talis creationis: nam reſpectu eorum, quæ ſunt juriſdictionis ſuæ, reſidet penes Priorem dumtaxat, qui poteſt eam exercere, & viſitare tam per ſe, quàm per ſuum Vicarium. Reſpectu autem eorum, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, aut conſideramus col-
lationem Ordinis, aut collationem Chriſmatis. Quo ad 62
collationem Ordinum advertendum eſt hoc jus pertinere ad Epiſcopum, intra cujus diœceſis fines dicta loca exiſtunt juxta d. *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. aut ſi ſint omninò extra fines cujuſque diœceſis, ad Epiſcopum viciniorem, qui poteſt ea loca viſitare ex *cap.* 9. *ſeſſ.* 24. ut ſacta Congregatio cenſuit. Nec obſtat ſi dicatur Epiſcopi in Hiſpania nolunt accedere ad dictas militias ad conferendos Ordines: nam reſpondetur, non teneri, nec poſſe abſque Prioris licentia Ordines conferre in locis dictarum militiarum, ſed poſſunt, ac debent ordinari ſubditos dictarũ militiarum in ſua propria diœceſi; aut ſi nolint, illis date dimiſſorias ad alios Epiſcopos, ut alias fuit reſolutum: unde nulla ſubeſt neceſſitas creandi Epiſcopum Titularem, qui conferat Ordines in locis dd. militiarum, quia, ut prædixi, ſubditi dictorum locorum debent accedere ad viciniorem Epiſcopum pro Ordinibus, vel pro Dimiſſoriis, & ex hoc patet reſponſio ad ponderationem factam in propoſitione Eccleſiæ Tuniſeñ. ad votum Cardinalis Urſini. Sacramentum autem Confirmationis non conſuevit adminiſtrari ſingulis annis, ſed rariùs. Et ex ſententia S. Congregationis Concilii Abbates nullius diœceſis poſſunt convocare, quem maluerint Canonicum Antiſtitem pro Chriſmate conferendo. Nec decernont Epiſcopi Titulares Matriti, Toleti, aut alibi, quem poſſint convocare. Et is, quem convocaverint, poterit etiam in prædictis locis Ordines conferre de licen-

ria

tia proximioris Epiſcopi, quatenus videretur nimis incommodum, ut ſubditi earumdem militiarũ ad eum accederent propter latitudinẽ territorii, quod dicitur eſſe ſatis vaſtum: & duo millia ſcuta, ex quibus volunt conſtituere dotem pro Epiſcopo, poterunt applicare pro expenſis Epiſcopi, quem convocabunt ad conferẽdum Chriſma, & Ordines: & aliàs eadem S. Congregat. Concilii ſcripſit litteras ad Nuncium Hiſpaniarum, ut curaret Sacramentum Chriſmatis adminiſtrare in locis nullius diœceſis per Epiſcopos Titulares in illis partibus exiſtentes. Itaq; nec reſpectu Ordinum, nec reſpectu Chriſmatis ulla ſubeſt neceſſitas creationis Epiſcopi Titularis: & hinc ſimiliter patet reſponſio ad rationẽ conſideratam in eadem propoſitione Eccleſiæ Tuniſeñ. Nam tunc temporis veriſimiliter non aderant Epiſcopi Titulares, quia paulò ante prohibuerat eos creari Leo X. in Concilio Lateraneñ. idemque prohibuerat ipſemet Pius V. ut dictum eſt ſupra *n.44.& 48.* unde tunc ſubeſſe poterat neceſſitas, quæ hodie non ſubeſt: quod inde etiam apparet, quia poſt Pium V. & Gregorium XV. dictæ militiæ quamplures annos fuerunt ſine ſuffraganeo.

Demum S. Congregationis eſt reſpondere juxta canonicas ſanctiones.

Die 22. Martii Sacra Congregatio rerum Conſiſtorialium re iterum diligenter examinata, perſiſtit in decretis ſub die 28. Januarii 1649. videlicet, quod petitur nequaquam eſſe concedendum.

DE PRIVILEGIIS.

Alexander III. in Concilio Lateraneñ.

CAPUT III.

CUm & plantare ſacram religionem, & plantatam fovere modis omnibus debeamus; nuſquam hoc melius exequimur, quàm ſi nutrire ea, quæ recta ſunt, & corrigere quæ profectum virtutis impediunt, commiſſa nobis auctoritate curemus. Fratrum autem & Coepiſcoporum noſtrorum conqueſtione comperimus, quòd fratres Templi & Hoſpitalis, & alii religioſi indulta ſibi ab Apoſtolica Sede privilegia excedentes, contra Epiſcopalem auctoritatem multa præſumunt, quæ & ſcandalum faciunt, & grave pariunt periculum animarum: & infrà. Eccleſias igitur & decimas de manu laicorum, ſine conſenſu Epiſcoporum, tam illos, quàm etiam quoſcumque alios religioſos recipere prohibemus, dimiſſis quaſcumque contra tenorem iſtum aliquo tempore receperunt.

Excommunicatos quoque & nominatim interdictos, tam ab illis, quàm ab aliis omnibus juxta Epiſcoporum ſententiam ſtatuimus evitandos.

In Eccleſiis verò ſuis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, inſtituendos Presbyteros Epiſcopis repræſentent, ut eis de plebis cura reſpondeant. Ipſis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Inſtitutos etiam inconſultis Epiſcopis non audeant removere.

Quod ſi Templarii, vel Hoſpitalarii ad Eccleſiam venerint interdictam, nonniſi ſemel in anno ad eccleſiaſticum officium admittantur: nec tunc ibi ſepeliantur corpora defunctorum.

De Confratribus hoc conſtituimus, ut ſi non ſe prædictis fratribus omninò reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis omnimodò duxerint remanendum, propter hoc ab Epiſcoporum ſuorum ſententia nullatenus eximantur: ſed poteſtatem ſuam in eos ſicut in alios Parochianos ſuos exerceant, cùm pro ſuis fuerint exceſſibus corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum eſt, ab aliis quoque religioſis, qui præſumptione ſua Epiſcoporum percipiunt jura, & contra Canonicas eorum ſententias, & tenorem privilegiorum noſtrorum venire præſumunt, præcipimus obſervari. Si enim contra inſtitutum hoc venerint, & Eccleſiæ in quibus iſta præſumpſerint, ſubjaceant interdicto, & quod egerint, irritum habeatur.

SUMMARIUM.

1 *REligionem novam erigere pertinet ad ſolum Papam.*
2 *Religioſi etiam exempti non poſſunt Eccleſias, aut decimas recipere de manibus laicorum abſque auctoritate diœceſani.*
3 *Conſtitutio iuris antiqui declaratoria trahitur, etiam ad præterita.*
4 *Interdictus, & excommunicatus in una Eccleſia intelligitur ubique interdictus, & tamquam excommunicatus vitari debet etiam ab exemptis.*
5 *Religioſi in Eccleſiis ſibi pleno iure non ſubiectis quale ius conſequantur.*
6 *Et quale in ſubiectis pleno iure.*
7 *Templarii & Hoſpitalarii ſemel in anno admitti poſſunt ad Divina officia in eccleſia interdicta.*
8 *Oblati non gaudent privilegiis Religionis, niſi ex toto ſint tranſlati.*
9 *Milites Hiereſolymitani extra Conventum degentes, an teneantur ſemel in anno confiteri Presbytero Parochiali, & ab eo in Paſchate Sacram Communionem recipere, an ve de his teneantur reddere rationem loci Ordinario, & numer. ſeqq. uſque in fin.*
10 *Parochus non eſt proprius Sacerdos Religioſorum, ſed eorum Prælatus, vel Delegatus ab ipſo, & nu. ſeqq.*
11 *Milites Hieroſolymitani ſunt verè Religioſi.*
12 *Abſolutio Sacramentalis eſt actus iudicialis, qui in non ſubditum exerceri non poteſt.*
13 *Religioſi prohibentur alteri confiteri, quàm propriis Prælatis.*
14 *Regulares extra clauſtra degentes non ſubſunt Epiſcopo, niſi ratione delicti.*
15 *Regulares itinerantes confiteri non poſſunt Sacerdotibus ſæcularibus niſi de ſuorum Superiorum licentia.*
16 *Monachi ſive ſint in monaſterio, ſive extra tenentur ſemel in menſe confiteri: & quando ſunt extra poſſunt confiteri Prælatis, in quorum Parochia degunt, vel aliis Religioſis, vel Epiſcopis.*
17 *Niſi obſtent Conſtitutiones à Sede Apoſtolica confirmata.*
18 *Milites Hieroſolymitani confiteri debent, Priori vel Fratri Capellano ſui Ordinis.*
19 *Milites Hiereſolymitani extra Conventum degentes, qui præcepto Eccleſiæ de confitendo ſemel in anno, & communicando in Paſchate non ſatisfaciunt, ſubſunt punitioni Ordinarii loci tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati.*

C*Um & plantare.* Summatur, & dividitur ut per Joan. Andr. 1

Nota primò, ibi, *Plantare ſacram Religionem*, ad ſolum Romanum Pontificem pertinere novam erigere Religio-

gionem, de quo pleniùs legitur, & notatur in *cap. fin. ſupra de Religioſis domibus*, *& in cap. Vnico*, *eod. tit. lib. 6.* & hic notant Hoſtien. *in princip.* Joan. Andr. *num.* 2. Cardin. *in princ. in verb. Plantare*, Butr. Anchar. & omnes *in* 1. *notab.*

2 Secundò nota ibi, *Eccleſias*. Religioſos etiam exemptos non poſſe Eccleſias, aut decimas recipere de manibus laicorum abſque auctoritate Diœceſani, & de hoc in *cap. Cùm Apoſtolica*, *de iis*, *quæ fiunt à Prælatis*.

3 Tertiò nota ibi, *Dimiſſis quaſcumque contra tenorem iſtum aliquo tempore receſſerunt*. Conſtitutionem juris antiqui declaratoriam trahi etiam ad præterita. De quo di:, ut plenè ſcripſi in *cap. Quoniam*, *ſupra de Conſtitutionibus*.

4 Quartò nota in §. *Excommunicatos*. Interdictum & excommunicatum in una Eccleſia intelligi ubique interdictum, & tamquam excommunicatum vitandum eſſe etiam ab exemptis: concordat *cap. Nulli*, *infra de ſentent. excommun.* & hic notant gloſſ. *in verb. Excommunicatos*, Hoſt. *n.4. in eod. verb.* Butr. *num.* 6. Abb. *in* 1. *notab.* Mar. Socin. *num.* 4. & cæteri omnes.

5 Quintò nota ex §. *In Eccleſiis*: quale jus conſequantur Hoſpitalarii, & alii Religioſi in Eccleſiis, quæ ſibi non ſunt pleno jure ſubjectæ: Conſequuntur enim nudum jus præſentandi, & rationem de temporibus inquirendi, inſtitutio verò, & deſtitutio ad Epiſcopum pertinent, nec valet contraria conſuetudo, ut in *cap.* 1. *de Capell. Monach. lib.* 6, & hic notant Butr. *nu.* 7. Abb. *nu.* 2. Marian. Socin.

6 *num.* 6. & communiter DD. Ergo à contrario ſenſu ſecus dicendum eſt ſi Eccleſiæ ſint eis pleno jure ſubjectæ: ſed hoc intelligunt Jo. Andr. *nu.* 4. *in verb. Repræſentet*, & alii proximè citati, quando Eccleſiæ, & populus ſunt exempti. Si verò populus non eſt exemptus, licèt Hoſpitalarii, & Religioſi hujuſmodi habeant ibi jus inſtituendi, tamen oportet inſtitutum repræſentari Epiſcopo, ut recipiat ab eo curam populi, & de illa cura tenetur Epiſcopo rationem reddere, & hac ratione poterit Epiſcopus eum viſitare, & in viſitatione quæret ab ipſo quomodo celebret populo divina officia, & quomodo illius Sacramenta miniſtret. De aliis autem temporalibus, & ſpiritualibus tenetur reſpondere Religioſis, quibus eſt ſubjectus.

7 Sextò nota in §. *Quod ſi Templarii*, unum privilegium Templariorum, videlicet ut in Eccleſia interdicta ſemel in anno admittantur ad divina officia.

8 Ultimò nota in §. *De Confratribus*. Oblatos alicui ex Religionibus non potiri ejuſdem Religionis privilegiis, niſi ex toto ſint tranſlati, eo quod ſe, & ſua ipſi Religioni obtulerint. Aliàs enim remanent ſub juriſdictione Ordinariorum, ut hic notant gloſſ. *in ver. Nullatenus*, Innoc. *ad fin. in verb. Eximantur*, Hoſt. *nu.* 9. *in verb. Omninò*, Butr. Abb. & Marian. Soc. *in ultimo notab.* concordat textus in *cap. Vt privilegia*, *infra eod.* & ibi dixi latiſſimè *à num.* 1. *uſque ad nu.* 40.

9 Porrò, cùm fratres Hoſpitalis quandoque excedant in pluribus contra Epiſcopalem auctoritatem, & ſcandalum faciant, ac periculum animarum inducant, ut hic dicitur ad exemplum Epiſcoporum, qui in Concilio Lateranenſi de his graviter ſunt conquæſti, quæſivit Archiepiſcopus Elboren. Utrùm Hoſpitalarii, ſeu Milites Sancti Joannis Hieroſolymitani extra Conventum degentes teneantur ſemel in anno confiteri Presbytero Parochiali, & ab ipſo in die Paſchatis ſacram Communionem recipere.

Secundò, An de his teneantur reddere rationem loci Ordioario.

10 Ad primum videtur reſpondendum non teneri ſive jus commune, ſive ipſorum Militum ſtabilimenta attendamus: nam quod pertinet ad jus commune, ex decreto Concilii Generalis in *cap. Omnis utriuſque*, *infra de pœnit. & remiſſ.* Statutum eſt, ut unuſquiſque ſaltem ſemel in anno peccata ſua proprio Sacerdoti confiteatur, & in Paſchate ſuſcipiat Euchariſtiæ Sacramentum. Sed Presbyter Parochialis, ſeu Parochus non eſt proprius Sacerdos Militum Hieroſolymitanorum. Ergo ipſi Milites non tenentur eidem Parocho confiteri, nec de illius manibus in Paſchate Euchariſtiam ſuſcipere.

11 Minor patet, quia cùm Milites Sancti Joannis Hieroſolymitani emittentes tria vota ſubſtantialia ſint verè Religioſi, Mohed. *dec.* 10. *de cauſ. poſſ. & propr.* & ſæpiùs cenſuit Sac. Congregatio Concilii Presbyter Parochialis non poteſt dici proprius illorum Sacerdos, de quo loquitur *d. cap. Omnis utriuſque*. Sed Prælatus, cui ſubſunt, vel Delegatus ab ipſo, ut probatur expreſsè in extravagan. Benedicti XI. *Inter cunctas*, §. *Sed quia*, *de privileg.* ibi, *non Religioſos*, qui ſecundùm ſtatuta ſuorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent. Facit extravag. Joan. XXII. *Vas electionis*, *de hæret.* ubi damnatur error Joan. de Poliaco, qui adſtruebat confeſſos Regularibus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, teneri eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterùm confiteri proprio Sacerdoti, quem dicebat eſſe ſolum Presbyterum Parochialē.

Prætereà ad hoc, ut Sacerdos validè abſolvere poſſit à peccatis, duo requiruntur de jure communi, videlicet poteſtas, quàm in ipſa ordinatione accipiunt, ut habetur in *cap.* 15. *in princ. ſeſſ.* 23. & juriſdictio in pœnitentes, cùm abſolutio Sacramentalis ſit actus judicialis, qui non poteſt validè exerceri in non ſubditum, ut eſt diffinitum à Concil. Tridentin. in *Can.* 9. *ſeſſ.* 14. *de Sacramento Pœnitent.* ex decreto d. *cap.* 15. additum eſt tertium requiſitum, ut Sacerdos vel Parochiale beneficium habeat, vel Epiſcopi approbationem: Presbytero autem parochiali quoad Milites Hieroſolymitanos deficit ſecundùm requiſitum, id eſt juriſdictio, cùm ipſi ſint exempti ab omni juriſdictione Ordinariorum, etiamſi degant extra conventum, ut patet in Concilio Tridentino *cap.* 11. *verſ. Exceptis tamen iis*, *ſeſſ.* 24. niſi in caſu d. *cap.* 3. *ſeſſ.* 6. ergo tantùm abeſt, ut teneantur confiteri Parocho, ut ſi de facto confiteantur, abſolutio nulla atque irrita ſit ex defectu juriſdictionis: nulla enim eſt abſolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, vel delegatam non habet juriſdictionem, ut ſimiliter eſt diffinitum à Tridentina Synodo *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de caſ. reſervat.* 12

Demum ſuppoſito ſtatu Religioſo eorumdem militum, idem probat efficaciter text. in dicta Extravag. *Inter cunctas*, *de privileg.* ubi interdicitur Religioſis ne cuipiam confiteantur niſi propriis Prælatis, facit text. in *cap.* 1. ibi, *Monachus pœnitentiam nemini tribuat*, *niſi ſibi invicem*, 16. *qu.* 1. Item facit *cap. Si Epiſcopus*, §. *Nulla quoque*, *de pœniten. & remiſſ. lib.* 6. ubi dicitur nulla poſſe conſuetudine introduci, ut quis Confeſſorem ſibi eligere valeat, præter ſui Superioris licentiam. 13

Neque obſtat, quod cùm hujuſmodi Milites degant extra conventum, ut ſupponitur in dubio ſubſint Epiſcopo etiam quoad ea, quæ ad curam animarum non pertinent, ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 3. *ſeſſ.* 6. Quoniam reſpondetur ex d. *cap.* 3. Regulares extra conventum degentes non ſubeſſe Epiſcopo, niſi ratione delicti, ut patet ex verbis ejuſdem Capituli ibi, *ſi deliquerit*. Equites autem Hieroſolymitani, qui ſemel in anno peccata ſua non confitentes Presbytero parochiali, vel ab ipſo in Paſchate ſacram Communionem non ſuſcipiunt, minimè delinquunt, dummodo aliàs coram proprio Sacerdote, & in ſuis Eccleſiis præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant, ut dictum eſt; & ſic quoad Sacramenta non ſortiuntur forum Ordinarii. Debeot enim confiteri ſuis Prioribus, vel Capellanis, vel alteri de ipſius Prioris licentia, ut inferiùs dicetur. Sicut videmus alios Religioſos itinerantes non poſſe peccata ſua confiteri Presbytero ſæculari, niſi de ſuorum Superiorum licentia, & abſolutionem aliter factam eſſe ipſo jure nullam ut pluribus probat noviſſimè Ludovic. Miranda *in manuali Prælator. tom.* 2. *q.* 33. *art.* 6. *in* 1. *concl.* diceos: generali conſuetudine Religionum receptum eſſe, ut iter facturi priùs à propriis Prælatis facultatem obtineant ſibi Confeſſorem eligendi, & ibi refert non ſolum plura privilegia Sixti IV. Leonis X. & aliorum Summorum Pontificum quibus ſit facultas Religioſis itinerantibus eligendi Confeſſorem, ſed etiam ſpecialem prohibitionem Clementis IV. & Bonifacii VIII. ne quis ex Fratribus Minoribus, excepto mortis articulo, aliis, quam ejus Ordinis Sacerdotibus confiteatur. 14 15

Adverte tamen, quia in prædictis aliter videntur ſentire DD. in *Clem. Ne in agro*, §. *Sanè*, *de ſtat. Monach.* ubi in ſpecie Petr. de Anch. *num.* 5. 16

Nota, inquit, quod ſive Monachi ſint in monaſterio, ſive extra, tenentur ſemel in menſe confiteri, & quando ſunt extra, poſſunt confiteri Prælatis, in quorum Parochia degunt, vel aliis Religioſis ad hoc deputatis per diœceſanum: allegat *cap.* 1. 16. *qu.* 1. *& Clem. Dudum*, *de ſepult.* quæ tamen jura hoc non probant. Poſſunt etiam

ſecun-

Digitized by Google

ſecundùm eum confiteri Epiſcopo invitis Prælatis, ut notat
Archidiac. in *cap. qui reſiſtit*, *num.*6. 11. *qu.*3. ubi dicit, ſe
non credere Abbatem poſſe prohibere Monacho, ne confi-
teatur Epiſcopo, vel Pœnitentiario ejus: & hoc ideò, quia
Epiſcopus eſt Ordinarius ſingulorum, qui ſunt in ſua diœ-
17 ceſi. Hoc tamen limitat, niſi ſecus ſit expreſſum in Con-
ſtitutionibus Monachorum, quæ confirmatæ ſint à Papa.
Nos verſamur in caſu hujus limitationis, ut conſtat ex di-
ctis ſupra *n.*13. *&* 15. & mox ſubjiciam.

18 Quod ſpectat ad ſtabilimenta Ordinis S. Joannis Hiero-
ſolymitani res ſit magis clara: nam in eis expreſsè interdi-
citur militibus, ne alteri cuipiam confiteantur, quàm
Priori, aut alicui Capellano ejuſdem Ordinis, niſi de ip-
ſius Prioris licentia, vel eo abſente, de licentia Superioris,
ut habetur in *tit.*3. *de Eccleſia*, *ſtatuto* 7. *pag.*24. Quæ qui-
dem ſtabilimenta cùm à multis Summis Pontificibus fue-
rint confirmata, ſunt omninò obſervanda, ut per Archid.
loco citato, cùm præſertim non ſint contraria Decreto
Concilii Tridentini *ſeſſ.*23. *cap.*15. quod nihil ſtatuit de
pœnitentibus Regularibus, imò ſe reſtringit ad confeſſio-
nes ſæcularium; & conſonant Sacrorum Canonum diſpo-
ſitioni, ut ex dictis conſtat. Quibus etiam accedit Conſti-
tutio 9. Pii IV. *Circumſpecta*, in Bull. *tom.*2. *pag.*9. quæ in
§.29. tribuit facultatem fratribus Capellanis Ordinis Sancti
Joannis Hieroſolymitani militum, & ipſorum familiarium
confeſſiones audiendi, illiſque Sacroſanctum Euchariſtiæ
Sacramentum adminiſtrandi.

Ad ſecundùm reſpondetur, Milites extra conventum de- 19
gentes teneri omninò reddere rationem Ordinario, quod
annuæ confeſſionis, & communionis præceptum adimple-
verint: nam cùm omnes Chriſti fideles arctentur præcepto
d. *c. Omnis utriuſq. de pœn. & remiſſ.* utiq; ſi Milites Hieroſoly-
mitani illud non adimpleant, graviter delinquunt. Ratione
autem delicti degentes extra conventum ſubſunt viſitatio-
ni, punitioni, & correctioni Ordinarii tamquam in hoc à
Sede Apoſtolica delegati, ut in d. *c.*3. *ſeſſ.*6. & ita aliàs re dili-
genter examinata, reſpondit S. Congregatio Concilii, quæ
hujuſmodi delictum etiam connumeravit inter graviora.

DE PRIVILEGIIS, &c.

Cæleſtinus III. Abulen̄. Epiſcopo.

CAPUT X.

PAtentibus litteris certificari deſideras, utrùm Templariis, Hoſpitalariis, & aliis oratoria in domibus ſuis habentibus liceat campanas in eis ponere, publicèque pulſare? Reſpondemus autem conſultationi tuæ, quòd non licet eis hoc agere: quin potius per te, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, coercendi ſunt, ut ita ſint ſuo jure contenti, quòd juſtitiam non impediant aliorum.

SVMMARIVM.

1 *CAmpanæ in Oratoriis privatis publicè teneri non poſſunt.*
2 *Campanas habere in loco publico, & elevato eſt ſignum loci publici, & ſacrati.*
3 *Hoſpitalia & Oratoria cùm non apparent conſtructa auctoritate Epiſcopi, ex quibus ſignis præſumantur publica, vel privata.*
4 *Exempti delictum ſi extendit vires ſuas, & affectum extra locum exemptum, licet committantur in loco exempto, poteſt per Ordinarium puniri.*
5 *Declaratur.*
6 *Religioſi an liceat in eorum Oratoriis, vel Monaſteriis unam, vel plures habere campanas, & n. ſeqq. uſq; in fin.*
7 *Intellectus* cap. Nimis iniqua, de exceſſib. Prælat. *& num.*13.
8 *Conceſſa omnia videntur, quæ non inveniuntur prohibita. Declaratur, n.*14.
9 *Vnicuique licet in ſuo facere quod vult, dummodo nihil in alienum immittat, etiamſi per hoc alius lædatur: quod intelligitur de immiſſione rei corporalis, n.*17.
10 *Campanarum plurium quæ ſint cauſa, & n.*12. *&* 22.
11 *Cauſa rei ceſſans rei finem imponit, & perſeverans eam ampliat, & extendit.*
12 *Campanarum ſonus eſt adinventus ad convocandam populi multitudinem, ad audiendum verbum Dei, & num.*22.
15 *Singularitas non ſemper pluralitatem excludit.*
16 *Taxativa dictiones nō ſemper in oratione ſubaudiuntur.*
17 *Fumus enumeratur inter corporalia.*
18 *Mendicantibus poſt Extravagantem Ioannis XXII.* Quia cunctos, *non licet in ſuis conventibus habere niſi unam campanam, & n.*25.
19 *Et quid ſi unā habeant pro ſe, & aliam pro univerſitate.*
20 *Et quid ſi antea plures habuerint ſine contradictione, & num.*26.
*Et quid ſi ita ſe habeat conſuetudo, n.*27.
*Et quid ſi habeant parochias, n.*28.
21 *Campanulas habere, & privatim pulſare non eſt prohibitum Religioſis in eorum officinis, & in privatis Oratoriis, & n.*24.
22 *Campanam in privato Oratorio Religioſis publicè tenere, Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal. & pulſare non licet.*
23 *Pluralitas quandoque reſolvitur in ſingularitates.*
28 *Parochiales Eccleſias ſi campanas tres, videlicet grandiorem, mediam, & minimam habere non poſſit, ſaltem duas debet habere.*

P*Atentibus*. Religioſi in domibus privatis, licet ſint ibi 1
privata oratoria, non poſſunt habere campanas, hoc di-
cit Jo. Andr. Butr. Cardin. & Arch. vel ſic ſecundùm Abb. &
Marian. Soccin. in oratoriis privatis campanæ publicè tene-
ri non poſſunt etiam per Religioſos, & ſunt duæ partes,
conſultatio & reſponſio, ſecunda ibi, *reſpondemus*.

Nota primò ex hac littera in loco publico, ſeu elevato 2
habere campanas, & publicè pulſare, eſſe ſignum loci pu-
blici, & ſacrati, ut hic notat Anton. de Butr. *n.*3. Abb. Ma-
rian. Soccin. & Dec. omnes *in* 1. *notab.* & idem Butr. in *c. ult.* 3
*n.*5. *ſupra de cenſib.* inferentes ex hoc ad deciſionem quæſtio-
nis quotidianæ, an hoſpitalia, vel oratoria in dubio cen-
ſeantur publica, vel privata, cùm non appareat, an aucto-
ritate Epiſcopi ſint constructa: nam ſi ibi eſt campana eleva-
ta, quæ publicè pulſatur, ſignum eſt ea eſſe publica, & Epiſ-
copo ſubjecta: & idem dicitur ſi ibi celebratur: ſunt enim
iſta ſigna loci publici; arg. *c. Vnicuique, & c. ſeq. de conſecrat.*
*diſt.*1. & notat Archid. *in c. Nemo*, *n.*3. *verſ. Vbi autem du-*
bium eſt, *ead. diſt.* & pleniùs idem Abb. in *c. Inter dilectos*,
*n.*1. *verſ. Sed contra hoc*, *de donationibus*, & latè conſuluit
Federic. de Sen. *conſ.*130. *Factum eſt tale*, *Quædam domus*
per tot. Adverte tamen quia actus ſolius celebrationis Miſſæ
neceſſariò non concludit locum eſſe publicum, ut probat
text. in d. *c. ultim.* ubi dicitur in oratoriis privatis interdum
celebrari; & ſic non probat hoc eſſe quod ab hoc contingit
abeſſe, *c.*2. *de translat. Epiſcop. & l. Neque natales*, *C. de*
probationib. quod dicit eſſe notandum Abb. in d. *c. ult.* *n.*1.
verſ. Item nota: intelliges ergo celebrationem Miſſæ ſignum
eſſe loci publici, & ſacrati, ſi actus celebrationis ſit publi-
cus, ita ut omnes indifferenter admittantur, prout intel-
ligunt Archid. in d. *c. Nemo*, *n.*3. & declarant Butr. in dicto
c. ult. in tertio notab. & Abb. *n.*1. *de cenſib.*

Secundò, ex hac littera colligit Anton. de Butr. *n.*5. quod 4
ubi delictum exempti extendit vires ſuas, & effectum extra
locum exemptum, licèt committatur in loco exempto, ni-
hilominus poteſt per Ordinarium arceri, & puniri: nam
campanæ non pulſantur niſi propter auditum; & quamvis

Q pul-

Digitized by Google

pulſentur in loco exempto; tamen propter ſonum extenditur turbatio ad locum non exemptum : ad quod facit *cap. Tuarum, infra eod.* concordant *hic* Abb. *n.4. verſ. in gloſ.2.* qui pluribus hoc confirmat & Marian. Soccin. *in ult. notab.* 5 Quod puto verum niſi privilegium exemptionis ſit conceſſum etiam ratione rei ſitæ, contractus initi, & delicti commiſſi extra locum exemptum, ſicut ſunt hodie exemptiones Religioſorum ferè omnium, ut plenè ſcripſi in d. *c. Tuarum, à n.18. uſque ad n.25.* Tunc enim etiamſi campanæ pulſarentur in ipſomet loco non exempto, tamen exempti non poſſent ab Ordinatio puniri, quia hujuſmodi exemptiones ſpeciales non ſunt ſublatæ per *c. Volentes, de privileg. lib.6.* ut ex facto reſpondit Gemin. *conſ.72. Quia articulus ipſe n.1. col.3. in princip. verſ. Infertur ſecunda concluſio*, & dixi in præallegato *c. Tuarum n.16. & ſeqq. infra eod.*

6 QUÆRO generaliter, an Religioſi poſſint in ſuis oratoriis unam, vel plures habere campanas.

7 Difficultas verſatur in conciliatione hujus Decretalis, ubi hoc prohibetur, cùm *c. Nimis iniqua, ſupra de exceſſib. Prælat.* ubi recenſetur inter alia gravamina Fratribus Prædicatoribus illata, quod non permittantur in eorum oratoriis aſſervare Euchariſtiæ Sacramentum, nec habere campanã.

Pro ſolutione dantur tres intellectus. Primus eſt Goffrédi in d. *cap. Nimis iniqua*, quod ille textus loquatur de oratoriis publicis, quæ ſunt in monaſteriis Religioſorum; hoc autem cap. de oratoriis exiſtentibus in eorum domibus privatis, vel grangiis: & hic intellectus eſt ſatis amicus litteræ, & magis placet Abbati *hic n.5. verſ. Et quamquam primus intellectus Goffredi multum mihi placeat*, & Mariam Soccin. *n.10. verſ. Dicit Dominus meus.*

Secundus intellectus eſt Innocentii *hic* videlicet quod textus in d. *c. Nimis iniqua*, procedat ex privilegio, vel gratia ſpeciali: hæc autem Decretalis de jure communi.

Tertius intellectus eſt Hoſt. *hic n.2.* qui exponit verbum *campanas*; ſcilicet plures, *l. Ubi numerus, ff. de teſtib.* Pluralitas ergo, & pulſatio publica hic reprobantur, ſed unicam habere campanam non eſt eis prohibitum : & ita procedit text. in d. *c. Nimis iniqua*, qui ſingulari loquitur ibi, *nec ſuſtinentes eos habere campanam*, & ſic licet Religioſis habere unam, ſed non plures, ut in hac littera; & Hoſtienſem ſequitur Archid. in *c. Quidam in fine 18. q.2.* quod dicit perpetuò notandum Abb. *hic n.5. verſ. Vel tertio*, ſecundum Hoſtien. & potiſſimum pro Mendicantibus, qui tenent plures campanas, ita ut eorum loca videantur principaliora in civitate, non enim poſſunt de jure communi teneri niſi unam, idque debet eis ſufficere cùm populum non habeant: & hoc ſecundum eum ſervant Fratres Minores de Obſervantia, pro quibus facit Clem. *Exivi de Paradiſo, §. Licet vero, verſ. Hinc eſt etiam, & verſ. Quamvis etiam, de verb. ſignific.* ſequitur Jo. de Selva *in tract. de benef. part.1. q.5. n.101.*

8 Porro fuit olim magna lis in Curia Romana utrum Fratres Prædicatores poſſent habere plures campanas: & dicebatur poſſe. Primò, ex regula, qua dici conſuevit, omnia vi-
9 dentur conceſſa, quæ non probantur prohibita, *l. Statuas C. de relig. & ſumpt. funer. l. Nec non §. Quod eis, ff. Qu. b. ex cauſ. maiorit. l. Ab ea parte, ff. de probat.* Secundò, ex alia regula, quæ habet unicuique licere in ſuo facere, quod vult, dummodo nihil in alienum immittat, *l. Sicuti §. Areſto, ff. ſi ſervit. vindicet*; etiamſi per hoc alius lædatur, dummodò doloſè non faciat, ut *l. Fluminum, §. ult. & duabus legib. ſeqq. de damn. infect. l.1. §. Idem ait, & §. Denique Marcellus, ff. de*
10 *aqua pluvia arcen.* Tertiò, quia cauſa pluralitatis campanarum eſt honor Sanctorum, decor cultus divini, & convoca-
11 tio populi. Sed iſtæ tres cauſæ ſubſunt in Eccleſiis Prædicatorum: Ergo & jus pluralitatis campanarum, quia ſicut cauſa rei ceſſans, rei finem imponit, ita & præſervans, eam ampliat, & extendit, *l. Plane, ff. de oper. liber. l. Adulter. ff. de Adulter. l. Adigere, §. Quamvis, ff. de Iurepatron.* & cum patis ſimiliſque malitiæ ſint, juſtum & competens videtur eiſdem privilegiis gloriari, *l. ult. C. de Palatin. Sacrar. largit. lib.12.*
12 Et quod ſonus campanarum ſit adinventus ad convocandum populum, ſive populi multitudinem ad audiendum verbum Dei, ſatis innuitur Numer. *c.10.* ibi, *Fac tibi argenteas tubas, & ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem:* & infra, *ubicumque increpueris tubis, congregabitur ad ſe omnis*
13 *turba.* In contrarium allegabatur hoc cap. ubi prohibetur campananarum pluralitas etiam Religioſis: *& c. nimis iniqua, de exceſſ. Prælat.* ubi conceditur eis habere campanam: ergo unam dumtaxat. Sed ad prædicta reſpondebatur non obſtare hoc cap. quia loquitur de Oratoriis conſtructis in privatis domibus, de quibus habetur in Auth. *Ut in privat. domib.* Sacra myſteria non fiant, in rubro, & nigro, & de quibus procuratio dari non debet, ut *c. ultim. ſupra de cenſib.* Nec debet intelligi de monaſteriis ubi ſunt ſolemnes Eccleſiæ, & Conventus, ut *c. Si quis etiam, de conſecrat. diſt.1.* & quod inter iſta ſit patens differentia, liquet ex *cap. Quidam Monachorum 18. q.2.* & ibi notatur. Item non obſtat d. *c. Nimis iniqua*, ubi legitur in ſingulari campana, quia narrat gravamen, quod inferebatur Prædicatoribus, & Minoribus, videlicet quod Prælati eis campanam non permittebant: & illud gravamen ibi tollit. Quis ergo dixerit legem proditam in eorum favorem debere gravamen eis inducere: certè qui hoc dicit à mente legiſlatoris divertit, *l. Deducta, §. final. ff. ad Trebell. c. Tranſmiſſæ, infra de verbor. ſignificat.* Hæc enim ratio pro eis poſita eſt, non contra ipſos, *l. In ra-* 14
tione, §. Tametſi ante, ff. Ad leg. Falcid. Quippè ſi ante d. *c. Nimis iniqua*, præceſſiſſet prohibitione campanas haberent, tunc permittendo eis habere campanam forte maneret prohibitio in aliis; Sed cùm nulla præceſſerit prohibitio, & tantummodo tollatur gravamen, quod inferebatur circa unam campanam, non licet hinc deducere prohibitionem ſuper pluralitate, quia ſecundum hoc unum contrariorum induceret reliquum, ſcilicet conceptio prohibitionem quod eſſe non debet, *l. legata inutiliter, §. fin. ff. de adimend. legat. l. Cum tale, §. ult. ff. de condit. & demonſtr.* Sicut nec prohibitio inducit ejus contrarium, videlicet juſſum affirmativum, *l. Titia, ff. de manumiſſ. teſtam.* ita nec conceſſio debet inducere prohibitionem, cùm loquimur de his, quæ alias ſui natura prohibita non ſunt, ut legitur, & notatur in *c. inter corporalia, de transl. Epiſc.* nec etiam multum à verbi proprietate recedit, quod prohibendo gravamen circa campanam illatum, etiam de pluralitate campanarum intellexiſſe videatur, ut *l. Si pluribus, ff. de leg.2. l. Si plures de* 15
leg.3. & l. Si neceſſarios, §. Si annua, ff. de pignorat. action. neque enim ſemper ſingularitas pluralitatem excludit, *l. In uſu, ff. de verb. ſignificat. l.1. §. Hoc edictum, ff. Quod falſ. tutor. author.* Signa enim taxativa ut tantùm, & dumtaxat, 16
non ſemper ſubaudiuntur in oratione. Unde non eſt bona illatio. Tu habes unum oculum: ergo unum tantum, ut *l. ult. §.1.* & ibi notat. *ff. de leg.2.* & una via ducit Romam: ergo una tantum; & actio edita demonſtrat ſpeciem futu- 17
ræ litis, ſed non ſola, ut *l.1. circa princ. ff. de edend.* & aliud eſt dejicere Epiſcopum, ergo Epiſcopum ſolum, *c. Requiſiſti, de teſtam.* Objiciebatur etiam contra prædictos fratres quod immiſſio ſonitus campanarum ad alienum eſſet contra d. *l. Sicuti, §. Ariſto, ff. Si ſeru. vindicet.* Sed ibi intelligitur de immiſſione rei corporalis, ut patet per exempla ibi poſita, ſcilicet fragmentorum aquæ, & fumi, quæ tria conſtat eſſe corporalia, de primis duobus patet ad ſenſum, de tertio ſcilicet de fumo notatur *Inſtit. de reb. corp. & incorporalib. in princ. & in l.1. §.2. ff. de rerum diviſione.* Ita conſuluit Oldrad. *in conſ.228. incip. Quod Fratres Prædicatores, per tot.* cujus reſponſum ferè ad calamum tranſtulit Alberic. de Roſate *in dictionario in ver. Campana*, & ſequuntur *hic* Marian Soccin. *n.10.* & Decius *n.22.*

Tu verò dicas huiuſmodi altercationem ſublatam eſſe 18
per Conſtitutionem Jo. XXII. quam DD. noſtri non allegant in Extravagan. *Quia cunctos, de officio Cuſtodis*, ubi præmiſſa Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum querela, quod nonnulli Mendicantium Ordinum profeſſores in aliquibus ſuis Conventibus plures campanas obtinent, & impoſterum ſatagunt obtinere, & propterea juſtitiæ detrahitur; & exinde civitatibus locorum interdum affertur Divinis officiis impedimentum, videturque inter ipſos litigiis, & ſcandalis via aperiri, ſtatuitur primo, *ut Religioſi dictorum Ordinum Mendicantium in nullo conventu ſuo, ſeu loco plures campanas habeant ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ſed una tantummodo pro loco quolibet ſint contenti.*
Secundo, ut ſi communitas, ſeu Univerſitas aliqua eccleſia- 19
ſtica, vel mundana ſeu iidem Religioſi pro huiuſmodi Univerſitate in aliquo ipſorum locorum campanam aliam habuerint, vel nunc habent, non illam, ſed aliam ſolam eorum ſpecialiter uſibus deputatam pulſare valeant horis diurnis, & nocturnis,
Miſſis, & aliis conſuetis. Tertio, permittitur eiſdem Reli- 20
gioſis, ut ubi hactenus plures campanas ſine lite, & contradictione qualibet in uſus dumtaxat proprios habuerint, & nunc habent, illis etiam deinceps liberè uti poſſint, aliis quibuſcumque per eos habitis intra trium menſium ſpatium de ſuis locis,

Digitized by Google

eis, ſeu campanilibus deponendis, & nullatenus iterùm repo-
21 *nendis. Quartò declaratur, ut campanulæ, quæ in Refectoriis,*
Sacriſtiis, Capitulis, & aliis forſan officinis Religioſorum ip-
ſorum conſueverunt habere ſub dicta ordinatione nullatenus
comprehendantur. Hæc ibi.

22 Quibus poſitis conclude veritatem ſub diſtinctione:
nam autem quæritur de Oratoriis privatis, ſeu domeſti-
cis, quæ Religioſi habent in ſuis privatis domibus, vel
grangiis & in his nec unam campanam licèt eis obtinere in
loco publico, ſeu elevato, quia cùm ibi Miſſas, & divina
officia publicè nequeant celebrare, ut dixi in *c. ult.* ſupra de
cenſibus, conſequens eſt, ut nec poſſint ibi publicè habere,
aut pulſare campanam, cujus præcipuus eſt uſus plebem
vocare ad divina officia, ut *c.1. & 2. de off. Cuſtodis*, & con-
23 ſtat ex dictis ſupra *n.11. & 12.* Et in ſumma de hoc eſt caſus
expreſſus non cavillando litteram in hac Decretali, quæ etſi
loquatur in plurali de campanis, hoc tamen facit, quia eo-
dem modo de Hoſpitalariis, & Templariis, eorumque
Oratoriis loquitur in plurali. Unde verbum *Campanas*, de-
bet diſtributivè accipi ſingula ſingulis referendo, ſecundum
ea, quæ notat Bart. in *l. Falſa, §. Si quis, n.1. ff. de condit. &*
demonſtrat. & fusè Everardus *in ſua Centuria legali in loco à*
vi numeri, à n.9. uſque ad n.10. Similis expoſitio fit in *c. Ut*
privilegia, in fine, infra eodem, & hoc uſu receptum eſt; nul-
libi enim ſervatur, ut in Oratoriis, quæ ſunt intra domeſti-
cos parietes, in loco elevato teneatur, vel publicè pulſetur
24 campana. Non tamen eſt prohibitum ibi tenere cãpanulam
privatã & privatim pulſare, ut à contrario probat hæc littera
in verb. *Publicè*, ſecundum Anton. de Butr. *hic n.30.* Anchar.
n.2. Abb. & Marian. Soccin. *in 2. notab.* & Dec. *n.8. & 23.*

25 Aut quæritur de Oratoriis publicis, vel Eccleſiis, quæ
ſunt in ipſis monaſteriis Religioſorum: & planum eſt eis
non licere in eorum conventibus, & locis plures campa-
nas habere ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, ſed una
tantùm pro quolibet loco debere eſſe contentos, ut eſt ex-
preſſum ad litteram in eadem Extravaganti Joan. XXII.
Quia cunctos, & concordat Concilium provinciale Medio-
lanenſe IV. *in titulo de ſacris locis, eorumque cultu, §. De*
campanis, tom.4. Concilior. part.2. fol.437. col.2. ubi ſic legi-
tur: *Simplex Eccleſia, Oratoriumve unam tantùm campa-*
nulam habeat, ut Joannis XXII. conſtitutione ſancitum eſt.
Itaque hodie eſt approbata opinio Abbatis, quod Religioſis
non liceat in Eccleſiis, & Oratoriis monaſteriorum ſuo-
rum habere niſi unam campanam.

Limita primò; niſi Religioſi in Eccleſiis vel Oratoriis 26
hujuſmodi habuerint plures campanas ante prædictam Ex-
travagantem, & nunc ſine lite, aut conditione habeant, quia
tunc eis liberè uti poſſunt, ut difertis verbis ibi ſtatuitur in
§. Cæterùm, & ita eo tempore inſpecto approbatur intelle-
ctus Goffredi ad text. in *c. Nimis iniqua, de exceſſ. Prælat.* &
reſponſa Oldrad. contra Hoſtien. quod Religioſis Mendi-
cantibus in eorum Oratoriis publicis, & Eccleſiis de jure
communi permiſſum ſit non tantum unam campanam, ſed
etiã plures obtinere, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra *n.8.*

Limita ſecundò; niſi plures campanas habeant ex anti- 27
qua conſuetudine; tunc enim militat ratio quæ movit Pa-
pam Jo. XXII. ad permittendum, ut Religioſi poſſent reti-
nere plures campanas ſi eas habuiſſent ſine contradictione
ante tempus conſtitutionis. Item per hanc conſuetudinem
ſit redditus ad jus commune antiquum, ut ſupra proximè
dictum eſt, quod eſt favorabile, ut *cap. Cum dilectus, §. Cæ-*
terum, & ibi gloſ. notab. *in verb. Iuri communi*, & Abb.
n.21. ſupra de conſuetud.

Limita tertiò; niſi monaſteria hujuſmodi, vel conven- 28
tus habeant parochias, quia tunc plures habere campanas,
& poſſunt, & debent: unde in Concilio Mediolanenſi IV.
in loco ſupracitato, num.25. in §. De campanis, ſic legitur:
Parochialis Eccleſia ſi campanas tres grandiorem ſcilicet,
mediam, & minimam habere non poteſt, ſaltem duas, ubi fie-
ri poteſt, habeat, eaſque diſtinctio ſoni concentu inter ſe rectè
conſentientes pro varia divinorum officiorum quæ fiunt, ra-
tione, & ſignificatione.

DE PRIVILEGIIS, &c.

Innocentius III. Archiepiſcopo Lugdunen.

CAPUT XI.

TUarum nos tenor edocuit litterarum, quòd fratres hoſpitalis ſancti Joannis, laicos & illitteratos mittunt pro eleemoſynis colligendis: & infrà. Cùm in quadam Eccleſia baptiſmali, eis à prædeceſſore tuo collata, quidam eorum percutiens vicarium ſacerdotem, ipſam Eccleſiam ſanguinis effuſione fœdaſſet, uſque ad reconciliationem divina ibidem interdixiſti officia celebrari: ſed nihilominus ipſi in ea divina officia celebrarunt. Alios verò presbyteros ab officio ſuſpenſos per Epiſcopos ſuos, iidem cùm ſint laici, ad divina officia reſtituunt exequenda. Quoſdam prætereà, qui cum uxoribus ſuis in domibus propriis commorantur, eò quòd eis de ſuis aliquid conferunt annuatim, ita emancipare contendunt, ut aliquibus ſecundùm legem terræ de ſibi objectis reſpondere minimè teneantur. Verùm, quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi quos clericos, aut laicos à dictis fratribus pro colligendis eleemoſynis Cruce falsò ſignatos inveneris, his, à quibus ipſos miſſos eſſe conſtiterit, per totam provinciam tuam exhortationis officium interdicas: miſſos, ſi laici fuerint, excommunicationis mucrone percellas: ſi clerici, ab officio beneficioque ſuſpendas: nullo prorſus privilegii beneficio, vel appellationis remedio prævalente. Eos verò quos in prædicta Eccleſia, lege tibi diœceſana ſubjecta, poſt interdictum tuum divina celebrare cognoveris, eadem pœna ſuſpenſionis involvens, in ea, donec reconciliata fuerit, officia non permittas celebrari divina: presbyteros etiam ſuſpenſos ab Epiſcopis ſuis, & per prædictos fratres ad officia ſua temerè reſtitutos, in eamdem ſententiam ſuſpenſionis reducas. Illos verò, quos ad reſpondendum aliis ſecundùm legem terræ, pro præmiſſa cauſa aſſerunt non teneri, nolumus excuſari, quin eos ad reſpondendum, ſublato appellationis impedimento compellas.

S V M M A R I V M.

1 *HOſpitalarii qui mittunt pro eleemoſynis Cruce falſo ſignatos, privantur prædicationis officio, & miſſo ſi ſunt laici excommunicantur, ſi Clerici ab officio, & beneficio ſuſpenduntur.*

2 *Quæſtores, qui ad eleemoſynas colligendas ab Hoſpitalariis mittuntur, quas qualitates habere debeant.*

3 *Regulares Mendicantes non ſunt permittendi quærere eleemoſynas per alios, quàm ſui Ordinis fratres. Quæſtorum nomen, & uſum prorſus abolere juſſit Concilium Tridentinum, ibidem.* Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

4 *Celebrans in Eccleſia polluta non eſt ipſo iure ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus. Secus in Eccleſia interdicta.*

5 *Exemptus perſonaliter tantum, ubilibet delinquat, contrahat, aut res ſita ſit, forum Ordinarii non ſortitur.*

6 *Exemptus reſpectu certi loci ſi delinquat in loco exempto à Diœceſano puniri non poteſt.*

7 *Niſi effectus delicti extendatur, ſeu explicetur extra locum exemptum.*

Projiciens lapides extra locum exemptum, vel aliàs turbando Ordinarium cum campanis exiſtentibus in loco exempto, ab eodem Ordinario coerceri poteſt, ibidem.

8 *Immunitate Eccleſiæ an gaudeat exiſtens extra Eccleſiam, qui ſagitta interficit exiſtentes in Eccleſia.*

9 *Exempti reſpectu loci ſortiuntur forum Ordinarii ratione delicti commiſſi, ſeu contractus initi, aut rei ſitæ extra locum exemptum.*

10 *Regulares an ratione delicti commiſſi, ſeu contractus celebrati, an rei exiſtentis in loco non exempto ſubjiciantur Ordinariorum iuriſdictioni, & an ligentur excommunicatione Epiſcopi edicto propoſita, & n. ſeq. uſque in fin.*

11 *Exemptiones quantumcumque generales locum non habent, cùm exempti delinquunt, ſeu contrahunt, aut res litigioſa conſiſtit in loco non exempto, & n.14.*

12 *Exemptiones contra generale Concilium non valent niſi Concilio fuerit ſpecialiter derogatum.*

13 *Regularium exemptio non comprehenditur in* c.Volentes, de privil.lib.6.

14 *Exemptorum à iuriſdictione Ordinarii duæ ſunt ſpecies.*

15 *Privilegii prætextu flagitiorum non creſcit auctoritas.*

16 *Exemptiones ſpeciales etiam ratione delicti commiſſi, contractus celebrati, aut rei ſitæ in loco non exempto non fuerunt ſublatæ, aut reſtrictæ per* cap. Volentes de privil. lib.6.

17 *Declarans novum ius non inducit, & n.13.*

18 *Regulares quorumcumque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium ſuffulti ſunt ſpecialibus privilegiis exemptionis à iuriſdictione Ordinariorum ubivis delinquant, ſeu contrahant, aut res litigioſa conſiſtat, & n.ſeqq.*

19 *Fratrum Prædicatorum, Minorum, S. Auguſtini, Carmelitarum, Servorum, Minimorum, & Clericorum Regularium de Somaſcha exemptio à iuriſdictione Ordinariorum etiam ratione delicti, contractus, ac rei referuntur.*

20 *Monachorum Caſſinenſium, Carthuſianorum, Olivetanorum, Camaldulenſium, Canonicorum Regularium Lateranenſium, Militum S. Ioannis Hieroſolymitani, & Fratrum S. Spiritus in Saxia exemptio ab Ordinariis etiam in tribus caſibus exceptis, itidem refertur.*

21 *Monachorum Ciſtercienſium exemptio an habeat locum in caſibus delicti commiſſi, contractus initi, aut rei ſita in loco non exempto.*

22 *Verbum,* concedimus, *ſeu* indulgemus *relatum ad id quod erat conceſſum de iure communi, nihil novum concedit, ſed iam conceſſum oſtendit, & n.18.*

23 *Societatis Ieſu exemptio à iuriſdictione Ordinariorum an ſit reſtricta ad tres caſus exceptos, & num. ſeqq.*

Societatis Ieſu litteræ conſervatoriæ redactæ ſunt ad terminos Conſtitutionis Gregorii XV. de Conſervatoribus, *ibid. verſ.* Niſi dixerimus.

Societatis Ieſu Religio comprehenditur in derogationibus generalibus per illa verba, Societatum, & cujuſvis alterius inſtituti, *ibid.*

24 *Privilegiorum communicatio, quam habent Ordines Regulares, comprehendit etiam exemptionem à iuriſdictione Ordinarii in tribus caſibus exceptis.*

25 *Fratres B. Ioannis Dei an ſint exempti ab Ordinariorum iuriſdictione.*

Regularium correctio de iure communi pertinet ad Prælatos regulares, non autem ad Epiſcopum, niſi Prælatis negligentibus, ibidem verſ. Clauſula enim.

26 *Clauſula,* dummodo Sacris Canonibus, & Tridentini Concilii decretis non adverſentur, *quæ ponitur in litteris confirmationis, & communicationis privilegiorum, intelligitur de Canonibus inſertis in corpore iuris.*

Papa auctoritatem cur Concilium Tridentinum præſervaverit in his tantum, quæ de morum reformatione, atque eccleſiaſtica diſciplina ſtatuta ſunt, ibidem verſ. Etenim cùm Canones Concilii.

27 *Derogationem ad* cap. Volentes, de privil. lib.6. *perperam Regulares in eorum privilegiis inſerendam curarunt.*

28 *Fratrum Carmelitarum indultum, quod occaſione* cap. Volentes, *nullum præiudicium generetur eorum exemptioni, quomodo ſit intelligendum.*

29 *Regulares non comprehenduntur in decreto* cap.14. ſeſſ.7. *Concilii Trident. innovante Conſtitutionem* cap. Volentes, *& n.34.*

30 *Lex innovans non egreditur terminos legis innovatæ.*

31 *Papa cùm tribuit ius procedendi contra exemptos auctoritate delegata, non violat exemptiones, & num.33.*

32 *Regularium exemptio ratione delicti extra locum exemptum commiſſi, deducitur ex pluribus Tridentini Concilii decretis, & num. ſeq. uſque ad numer.45.*

33 *Regulares, circumſcriptis exemptionibus, de iure communi originaliter ſubſunt Epiſcopis quoad legem iuriſdictionis.*

34 *Regulares extra clauſtra degentes, ſi delinquant, puniri poſſunt ab Ordinario loci tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato in actu viſitationis tantùm.*

35 *Lex innovata ineſt legi innovanti cum omnibus ſuis qualitatibus.*

36 *Regulares extra monaſterium degentes in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum indiſtinctè conveniri poſſunt coram Ordinario; in aliis vero cauſis ita demum, ſi certum iudicem in partibus non habuerint.*

37 *Conſervatoriæ in cauſis criminalibus, & mixtis nemini ſuffragantur, quin poſſit coram Epiſcopo accuſari, & contra eum procedi. Et quid in cauſis civilibus.*

38 *Regulares intra clauſtra degentes conveniendi ſunt coram ſuis Superioribus, vel Conſervatoribus, non autem coram Ordinariis, aut alibi, & n.34.*

39 *Regularium privilegia à Tridentina Synodo præſervantur.*

40 *Exemptorum tres ſunt ſpecies, & quibus caſibus à Tridentino Concilio ſint ſubjecti Ordinariorum iuriſdictioni.*

41 *Capellani Regii, Milites, eorumque familiares an & quando locorum ordinariis ſubjiciantur.*

42 *Regulares degentes intra clauſtra, & extra ea delinquentes, ut puniri poſſint ab Epiſcopo, quæ debeant concurrere.*

43 *Incluſio unius caſus in materia iuriſdictionis omnes alios diverſos excludit.*

44 *Regulares in prima inſtantia conveniri non poſſunt coram Ordinariis locorum in vim cap.20. ſeſſ.24. Concilii Trident.*

45 *Regulares etiam pro delictis extra locum exemptum commiſſis ab Ordinariis locorum, excommunicari, ſuſpendi, aut interdici non poſſunt.*

46 *Epiſcoporum cenſuræ in Regulares exemptos promulgatæ irritæ ſunt, & non ligant ex defectu iuriſdictionis.*

47 *Regulares non tenentur ſuam exemptionem utpote notoriam coram Ordinariis locorum allegare.*

48 *Derogatio non fit niſi ad contraria.*

49 *Innovatio ius novum non tribuit, ſed antiquum conſervat.*

50 *Bulla Pii IV. privilegia, & exemptiones Regularium non ſuſtulit, niſi quatenus contrariantur decretis Concilii Tridentini.*

T*Varum.* In tota provincia privantur exhortationis, 1
ideſt prædicationis officio Hoſpitalarii, qui mittunt pro eleemoſynis Cruce falsò ſignatos; & miſſi, ſi ſunt laici, excommunicantur; ſi ſunt Clerici ab officio, & beneficio ſuſpenduntur. Eadem ſuſpenſione puniuntur qui ante reconciliationem in polluta Eccleſia celebrant, & ab Epiſcopis ſuſpenſi per exemptos abſolvi nequeunt. Et confratres privilegiatorum, qui ſe ad ipſos plenè non transferunt, privilegiati non ſunt. Hoc dicit. Dividitur in duas partes principales. In prima ponitur querela, & conſultatio. In ſecunda reſponſio ibi, *Verum quia.* Et utraque pars ſecundùm Hoſtien. & Joan. Andr. ſubdividitur

Digitized by Google

tur in quatuor; in prima ponuntur quatuor Hoſpitalariorum exceſſus, quibus poſteà in ſecunda per ordinem reſpondetur.

2 Nota primò qualitates, quas habere debent quæſtores,
qui mittuntur ad eleemoſynas colligendas; debent enim
eſſe litterati, & verè eorum fratres; non autem laici, &
falſa Cruce ſignati, ut per Anton. de Butr. *num.2.* & An-
3 char. *num.1.* Unde Sacra Congregatio Concilii aliàs declaravit Fratres Mendicantes non poſſe quidem ab Epiſcopis prohiberi, quominus per ſeipſos in diœceſibus, ubi habent conventus, eleemoſynam quærant; ſed tamen ſi extra loca, ubi monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere; ac ſi extra diœceſim, teneri etiam illius conſenſum obtinere. Cæterùm nullatenus eſſe permittendum ut eleemoſynas quærant per alios, quam ſui Ordinis fratres. Quæſtorum nomen: & uſum in quibuſcumque Chriſtianæ Religionis locis prorſus aboleri juſſit Concilium Tridentinum in *cap.9. ſeſſ.22.* vide Clement. *Abuſionibus, de pœnit. & remiſſ.* & quod de hujuſmodi quæſtoribus, præcipuè S. Antonii Viennen. dicam in *c. Cum ex eo, infr. eod. tit.*

4 Secundò nota ibi, *ab officio, beneficioque ſuſpendas*; celebrantem in Eccleſia polluta non eſſe ipſo jure ſuſpenſum, nec irregularem, ſed eſſe ſuſpendendum, *cap. Is qui, de ſentent. excommunic. in 6.* Butr. *hic num.4. in 3.notab.* Abb. *num.5. verſ. Et pro hoc ſingulariter,* & Dec. *num.23.* Aliud juris eſt ſi quis celebret in Eccleſia interdicta; quia eſt ſuſpenſus ab officio, & beneficio, & omni juriſdictione, ut in *cap. fin.* ſecundùm unam lecturam, *ſupra de exceſſ. Prælat.*

5 Tertiò nota exemptum ſortiri forum diœceſani ratione delicti, quod patet hic: nam miſſi ab Hoſpitalariis per Epiſcopum ſuſpenduntur ab officio, & beneficio, nullo eis privilegio ſuffragante, & ipſis Hoſpitalariis prædicationis officium interdicitur. In hoc tamen articulo ſunt opiniones, quas recitat gloſ. *in ver. Privilegii beneficio,* & Anton. de Butr. *n.19.* ut latiùs dicam infra.

Sed communiter ſic diſtinguitur: Aut exemptio eſt merè perſonalis, ut quia eximitur perſona ſimpliciter, & abſolutè, non autem reſpectu certi loci, & tunc ubilibet exemptus delinquat, non punitur à ſuo diœceſano, quia aliàs privilegium exemptionis eſſet prorſus inutile, & eluſorium: ad hoc *l.3. C. Ubi Senator. vel Clariſſ. & c.1. infra eod. lib.6. in verſ. Numquid ergo,* facit *cap. In his, infra eod.* Et hæc eſt ratio cur Referendarii utriuſque Signaturæ non ſortiantur forum Ordinarii ratione delicti, contractus, aut rei; quia ſcilicet eorum exemptio merè perſonalis eſt,
6 ut ſcripſi latè in *cap. Ex parte, il ſecondo, infra eod.* Aut exemptio non eſt merè perſonalis, ſed localis, vel mixta, ut quia eximitur perſona reſpectu monaſterii, vel Canonicus reſpectu Eccleſiæ: & tunc ſerva diſtinctionem gloſ. *hic,* quia ſi exemptus delinquat tantùm in loco exempto, ita ut effectus delicti ſe non extendat extra ipſum locum; puniri non poteſt à diœceſano: hic eſt caſus in d. *cap. in eodem verſ. Numquid ergo, de privileg. lib.6.* Niſi ratione generalis interdicti, ad cujus obſervantiam tenentur etiam exempti, contraria conſuetudine non obſtante, *cap. Cum inter, de conſuet.* Clem. *Ex frequentibus, de ſent. excomm.* non quidem ex juribus ſententiæ, ſed Canonis Authen. *ne cenſura illudatur,* ut poſt Joan. Andr. notat Abb. in d. *cap. Cum inter, num.3.* ſeu ne frangatur nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut per Butr. *hic num.19. verſ. Tu prædicta conclu-*
7 *de.* Aut delictum extenditur, ſeu explicatur extra locum exemptum, & tunc punitur à diœceſano, ut hic, & in *cap. Patentibus, ſupra eodem*: nam hic Templarii mittebant ſuos Quæſtores extra locum exemptum; ideò puniuntur à diœceſano. Unde ſi exempti projicerent lapides; vel aliter turbarent Ordinarium cum campanis exiſtentibus in loco exempto, ab eodem Ordinario coerceri poſſent, juxta text. in d. *cap. Patentibus,* & ex facto reſpondit Gemin.
8 *conſ.72. num.6. verſ. Nec obſtat, uſque in fin.* Quod facit ad quæſtionem, an extra Eccleſiam, & ſagitta interficiens aliquem in Eccleſia exiſtentem gaudeat immunitate eccleſiaſtica in terminis Bullæ Gregorii XIV. ex prædictis enim conſtat non gaudere: nam ibi videtur commiſſum delictum, ubi effectus ſequitur, ut dicunt Abb. *hic num.8.* & Dec. *num.46.* ad hoc optimus textus in *l.4. §. Hoc autem edicto, ff. de vi bonorum raptor.* & quod not. Bart. *in l. Libellorum, num.7. ff. de accuſat.* ubi ſtante ſtatuto imponen-

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

te pœnam percutienti, vel homicidium committenti, quærit quis locus inſpiciatur, ſi aliquis exiſtens in platea cum baliſta percuſſerit aliquem extra plateam; & reſolvit eſſe inſpiciendum locum ubi quis percutitur, vel occiditur, ſi ſtatutum puniat percutientem, vel occidentem, ſecus ſi ſagittantem: ejuſque opinionem tuetur Felin. in *cap. fin. n.14. ſupra, de foro compet.* & vide plenè per Aretin. *ibid. num.7.* & Joan. Andr. in *cap. In obſcuris, de regul. iur. in*
Mercurial. Si verò delictum ſit omninò commiſſum extra 9
locum exemptum, tunc indubitanter exempti à diœceſano puniri poſſunt; hoc enim caſu habet locum textus in d. *cap.1. infra eodem lib.6.* ubi ratione delicti commiſſi extra locum exemptum, vel ratione contractus alibi initi, aut ratione rei alibi ſitæ exempti conveniuntur coram Ordinario loci: ita in effectu ex mente Doctorum diſtinguunt hic Anton. de Butr. *n.19. in eod. verſ. Tu prædicta conclude,* & Abb. *n.8.*

Hoc ultimum fallit ſi privilegium exemptionis ſit ſpeciale etiam ratione delicti commiſſi, contractus initi, aut rei ſitæ extra locum exemptum, ſicut eſt exemptio Regularium; quia tunc ubilibet exemptus delinquat, contrahat, aut res ſita ſit, coram diœceſano conveniri non poteſt, ut latiſſimè dicam in quæſt. ſeq.

QUÆRO, poſita Conſtitutione Innocentii IV. in 10
Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit, *Volentes,* atque à Tridentino Concilio innovata in *c.14. ſeſſ.7.*

An Regulares ratione delicti commiſſi, ſeu contractus initi, aut rei exiſtentis extra locum exemptum ſubjiciantur Ordinariorum juriſdictioni, & an ligentur excommunicatione Epiſcopi edicto propoſita.

Exemptio hæc à nonnullis Epiſcopis fuit aliquando Re- 11
gularibus controverſa, ut nuper contigit in Regno Poloniæ, & erroris cauſam præbuit, quod aut privilegia exemptionum fuerunt Regularibus conceſſa ante Conſtitutionem Innocentii IV. de quo in *cap.1. de privil. l.6.* aut poſt, ſi ante privilegia reſtricta fuerunt per eamdem Conſtitutionem, ut non habeant locum in tribus caſibus ibi exceptis, idеſt cùm exempti delinquunt, ſeu contrahunt, aut res litigioſa conſiſtit in loco non exempto; quod procedit quantumcumque exemptiones ſint amplæ, & generales, ut innuunt verba illa textus, *quantumcumque gaudeant libertate,* & obſervat ibi Gemin. *in §. fin. propè fin. & conſ.72. col.1. verſ. Contrarium.*

Si verò privilegia conceſſa fuerint poſt eamdem Conſti- 12
tutionem, cùm illa edita fuerit in generali Concilio Lugdunenſi, non valent privilegia exemptionum, niſi in eis generali Concilio fuerit ſpecialiter, & expreſsè derogatum, *cap. Ex parte, de Capell. Monach. cap. Eam te, de ætat. & qualit.* Archid. *in c.1. in ver. Noſcatur,* quem ibi ſequuntur Joan. Andr. Gemin. & alii communiter *de conſtitut. lib.6.* Oldrad. *conſ.326. Quod articuli, & conſ.328. Ad idem, in princ.* Felin. *in cap. Nonnulli, num.2. de reſcript.* Covarr. *lib.4. variar. reſolut. cap.16. num.16. verſ. Sed & ex his diffinitionibus.*

Præterea etiamſi privilegia eſſent valida, eo quod in eis fuiſſet expreſsè derogatum Conſtitutioni Conciliari Innocentii IV. (quæ tamen derogatio in multis privilegiis non habetur) nihilominus poſteà ſublata fuiſſent tam per Concilium Tridentinum, quod in *cap.14. ſeſſ.7.* in cauſis exemptorum præcipit ſervari prædictam Conſtitutionem Innocentii IV. quàm per motum proprium Pii IV. incipien. *In Principis Apoſtolorum,* editum 13. Kalend. Martii 1565. in quo ampliſſimè derogatur privilegiis, exemptionibus, & indultis omnibus in favorem quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, locorum, ac perſonarum Regularium in his, quæ decretis Tridentini Concilii adverſantur. Poſt Concilium verò jam privilegia hujuſmodi, eorumque confirmationes non conſueverunt concedi, niſi cum clauſula; *dummodo Concilii Tridentini decretis non ſint contraria.* Atque ita exemptiones quamtumvis generales, & quandocumque fuerint conceſſæ, non videntur Regularibus ſuffragari, niſi cùm delinquunt, ſeu contrahunt, aut res, de qua contra ipſos agitur, ſita eſt in loco exempto.

Sed his non obſtantibus dicendum eſt nec Decretalem 13
Innocentii IV. nec Tridentini Concilii decretum ad regularium exemptionem pertinere: Quod ut evidentius appareat, obſervandum eſt exemptorum olim duas ſpecies extitiſſe. Quidam enim indefinitè, ſeu etiam generaliter erant 14

Digitized by Google

exempti, putà quia in privilegio Papa, qui ſolus dat exemptiones, dicebat, *tales eximimus à iuriſdictione, & poteſtate, ſeu etiam omnimoda poteſtate Ordinariorum*, & quoad hanc ſpeciem exemptionis res erat admodum controverſa; on incideret caſus delicti commiſſi, ſeu contractus initi, aut rei exiſtentis extra locum exemptum. Exempti enim contendebant ſuum privilegium tamquam generale, indefinitum, & abſqoe reſtrictione, aut diſtinctione, generaliter eſſe intelligendum, *cap. Si Romanorum*, 19. *diſt. cap. Ut oſtendere, de conſecr. diſt.*4. *cap. Dilectiſſimis*, 12. *qu.*1. *& cap. Quoniam, in fin.* ubi gloſ. *in ver. Generali, de conng. lepros.* ita ut haberet locum ubicumque committeretur delictum, *cap. Frater noſter* 16. *qu.*6. *& cap. Sicut nobis de ſupplen. neglig. Prælat.* & ubicumqoe iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, ad exemplum Proconſulis majoris, qui indiſtinctè oon intromittit ſe de cauſis fiſcalibus, *l. Nec quicquam* §.1. *ff. de off. Proconſul.*

E contra verò Epiſcopi opponebant, imò ex cauſa privilegiom eſſe reſtringendum, ut non haberet locum ratione delicti extra locum exemptum, *cap. Poſtulaſti, & cap. fin. de for. compet.* nam ratione delicti perditur privilegium, *cap. Privilegium* 11. *quæſt.*3. cùm reatus omnem honorem
15 excludat *l.*1. *C. Ubi Sen. vel Clauſ.* Et qua in provincia quis deliquerit, illic juri ſubjaceat, omni privilegio ceſſante, Authen. *Qua in provinc. C. ubi de crimin. agi oport.* Nec enim prætextu privilegii flagitiorum creſcit authoritas, *l.*2. *C. de privil. ſcholar. lib.*12. Item opponebant Epiſcopi, quod privilegium non haberet locum ratione contractus celebrati ſimiliter in loco non exempto, *cap. Romana*, §. *Contrahentes, &* §. *ſeq. de for. compet. lib.*6. Item nec ratione rei litigioſæ aliàs non exemptæ, *cap. Cum & plantare, ſupra eod.* prout hæc notantur hic in gloſ. *in verb. Privilegii beneficio, & in cap. Placuit*, 6. q. 3.

Ad hanc verò controverſiam dirimendam emanavit d. *cap. Volentes, de privil. lib.*6. quo declaratum fuit, exemptionem utcumque generalem in tribus caſibus prædictis non ſuffragari, ut expreſsè ibi notant Archid. Jo. Monach.
16 & Jo. Andr. *in princ.* & Anchar. *hic num.*8. Quidam verò exempti erant noo ſimpliciter, & indefinitè, ſeu generaliter, ſed cum ſpecifica expreſſione delicti commiſſi, ſeu contractus initi, aut rei litigioſæ exiſtentis etiam in loco non exempto. Et quoad hanc ſecundam exemptorum ſpeciem, Decretalis Innocentii IV. nihil novi ſtatuit, quia edita fuit ſolum ad declarationem controverſiæ, quæ prius erat ſuper interpretatione exemptionis primæ ſpeciei indefinitæ, ſeu generalis, ut patet ex illis verbis, *declaratione irrefragabili diffinimus*, qui indicant Pontificem noluiſſe oovum jus inducere, ſed tantùm quod prius latebat mani-
17 feſtare: hæc enim eſt natura declarationis, ut eſt caſus in *l. Heredes palam*, §. *Quod verò, &* §. *Si notam*, ubi id notant Bart. Paul. de Caſtr. & DD. *ff. de teſtam.* Ancharan. *conſ.*65. *num.*3. Fulgoſ. *conſ.*147. *in fin. verſ. Ad ſecundum*, Bellam. *deciſ.*756. *col.*2. *verſ. Ideò talis dicitur propria declaratio:* at circa exemptos hujus ſecundæ ſpeciei nulla ſuberat controverſia: non enim de his dubitari poterat quin eſſent exempti ratione delicti contractus, ac rei, quia hi tres caſus erant nominatim expreſſi in eorum privilegio, cujus tenor cùm eſſet clarus, omninò erat obſervandus, *cap. Cum & plantare, & cap. Porrò, ſupra eod. & infr. cap. Petiſtis, cum concord.* Ubi enim verba ſunt clara, non eſt interpretationi locus, *l. Ille, aut ille*, §. *Cum in verbis; ff. de legat.*3. *l. Continuus*, §.1. *de verb. obligat.* gloſ. *in c. Cum dilectus, in verb. A ſuſpenſis, de conſuetud.* Seraph. *deciſ.* 762. *num.*1. Ergo *d. cap. Volentes:* hanc ſpeciem exemptionis non comprehendit. Lex enim ſeu Conſtitutio declarans non egreditur terminos privilegii declarati, Bart. in *l. Nihil, ff. de coniug. cum emancip. liber.* Alioquin ſi ſuſtuliſſet exemptiones etiam in tribus caſibus prædictis, utique non declaraſſet privilegia exemptionum, ſed illa potius obrogaſſet, aut reſtrinxiſſet, ac novum jus induxiſſet. Hoc autem repugnat Conſtitutioni juris veteris declaratoriæ, ut in terminis d. *c. Volentes*, tradit ibi Philipp. Prob. *in addit. ad Io. Monach.* & ante eum Gemin. *d. conſ.*72. *col.*1. *verſ. Contrarium.*

Et confirmatur, quia Innocentius IV. initio illius Decretalis proteſtatur ſe velle ut libertas, quam nonnullis Apoſtolica Sedes privilegio exemptionis indulſit, ſic integra obſervetur, ut & illam alii non infringant, & ipſi ejus limites non excedant; quibus verbis, unde mens Pontificis, & cauſa finalis elicitur ſatis conſtat tantùm abeſſe, ut voluerit Apoſtolica privilegia infringere, ut potius expreſsè declaraverit ſe intendere, ut illa omninò ſalva, atque illibata permanerent, ponderando illud verbum, *integram*, quod excludit oon modo privilegii abrogationem, ſed etiam quamcumque reſtrictionem; *l. Si quando, C. de bon. vac. lib.*10. Bald. *conſ.*88. *Ex infelicitate, n.*1. *lib.*1. Alioquin ſi d. *cap. Volentes*, daret formam etiam privilegiis, ſub hac ſecunda ſpecie Pontifex non ſervaret promiſſa, quia expreſsè privilegia eis imminueret, ſeu deſertaret, ut dicitur in *cap. Dilecti, ſupra eodem*, auferendo ab iiſdem privilegiis caſus delicti commiſſi, contractus initi, ac rei ſitæ extra loca exempta expreſsè in litteris comprehenſos, quod in ſpecie perpendit Gemin. *conſ.*72. *verſ. Infertur ſecunda concluſio.*

Ex his autem reſultat propoſitæ dubitationis ſolutio; 18
quia Regulares ſunt exempti ſecundæ ſpeciei; & ſic non comprehenſi in prædicta Decretali, *Volentes, de privil. lib.*6. Sedes enim Apoſtolica quorumcumque Ordinum Religioſos totaliter exemit ab Ordinariorum juriſdictione, etiam ratione delicti commiſſi, contractus initi; ac rei
exiſtentis extra locum exemptum. Et ex Ordinibus Men- 19
dicantium fratres Prædicatores Ordinis S. Dominici habent ſuper hoc ampliſſimum privilegium à Sixto IV. ut in conſtitutione, *Mare Magnum* appellata, quæ incipit, *Regiminis univerſalis Eccleſiæ*, edita anno 1474. cujus hæc ſunt verba: *Et ne prætextu Conſtitutionis Innocentii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit*, Volentes, *locorum Diœceſani, & alii Ordinarii; aut alii quicumque in perſonas, & loca fratrum prædictorum ſibi iuriſdictionem & ſuperioritatem vendicare præſumant, diſtrictius inhibemus, ne quiſquam abſque dictæ Sedis ſpeciali commiſſione, & authoritate in perſonas, domos, & loca dicti Ordinis fratrum Prædicatorum, utpote prorſus exempta, & aliquam præeminentiam, ſuperioritatem, & iuriſdictionem quomodolibet exercere præſumant; etiam ratione contractus, vel delicti, ſeu rei, de qua ageretur ubicumque iniatur contractus, committatur delictum, & res ipſa conſiſtat.* Ut in Bullar. *tom.*1. *pag.*340. Idem privilegium exemptionis cum ſupraſcripta clauſula de verbo ad verbum habent fratres Minores Ordinis S. Franciſci ab eodem Sixto IV. qui antea fuerat ejuſdem Ordinis Generalis Miniſter, ut in Conſtitutione ſimiliter *Mare Magnum* nuncupata, quæ incipit, *Regimini*, edita eodem anno 1474. prid. Kalend. Septembris in Bullar. *tom.*1. *pag.*337. Et eamdem clauſulam habent in eorum Mari Magno fratres Eremitæ Ordinis S. Auguſtini, cujus fit mentio in Conſtitutione Julii II. *Et ſi ad benemerendum*, 17. Junii 1508. in Bullar. *tom.*1. *pag.*433. Fratres iidem B. Mariæ de Monte Carmelo habent privilegium cum expreſſione dictorum trium caſuum à Clemen. VI. ut in litteris directis ad Priorem Generalem, & fratres dicti Ordinis datis Avenioni Pontif. anno 6. 14. Kalend. Auguſti incipien. *Sacer Ordo veſter*, & ab eodem Sixto IV. in Bulla confirmationis privilegiorum ejuſdem Ordinis data Romæ anno Pontif. 4. quæ incipit, *Dum attenta*, in qua ad litteram inſerta eſt prædicta clauſula, quæ legitur in litteris Prædicatorum, & Minorum; ſimiliter fratres B. Mariæ Servorum ab Urbano VI. in Bulla edita 7. Idus Aprilis Pontif. anno 2. à Martino V. & ab Innocentio VIII. in eorum Mari Magno confirmata eximuntur à quacumque Ordinariorum juriſdictione, ita ut iidem Ordinarii non poſſint in ipſos ratione cujuslibet delicti, ſeu contractus, aut rei, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, poteſtatem, aut dominium, aut juriſdictionem aliquam quomodolibet exercere. Et cum eadem clauſula exempti ſunt à Sixto IV. fratres Minimi S. Franciſci de Paula, ut in Bulla. Sedes Apoſtolica 6. Kalend. Junii 1474. in Bullar. *tom.*1. *pag.*335. Et eodem modo Clerici Regulares Congregationis de Somaſcha eximuntur à Greg. XIII. in Conſtit. edita 3. Idus Martii Pontif. anno 13. & confirmata cum inſertione à Sixto V. in litteris, incipien. *Æquum*, Kal. Maii 1585. in Bullar. *tom.*2. *pag.*489. Ex Ordinibus verò non Mendicantium Monachi Caſſinenſes ſimile habent privilegium exemptionis cum eadem expreſſione trium caſuum delicti, contractus, ac rei ab Eugenio IV. in Conſtitutione, quæ incipit, *Etſi qualibet*, edita Bononiæ pridie Kalend. Julii 1436. Pontif. anno 6. Carthuſiani à Bonifacio IX. ut in Conſtit. quæ incipit, *Sacroſancta*, 17. Kalend. Aprilis, Pontif. anno 2. in Bullar.

*tom.*1.

Digitized by Google

20 *tom.1.pag.232.* Olivetani ampliſſimum habent exemptionis indultum cum prædicta caſuum expreſſione à Iul. II. quæ incipit, *Etſi ad univerſos*, Prid. non. Junii 1507. in Bullar. *tom.1.pag.421.* Et indultum omninò ſimile habent Camaldulenſes à Leone X. in Conſtitutione incip. *Etſi à ſummo*, edita 4. nonas Julii 1513. in Bullar. *tom.1.pag.460.* Item Canonici Regulares Lateranenſes à Sixto IV. in Conſtitutione, *Dum ad Vniverſos*, 10. Kal. Septembris 1476. in Bullar. *tom.1.pag.344.* Milites S. Joannis Hieroſolymitani ex Bulla Pii IV. *Circumſpecta*. Pridie nonas Septembris 1560. in Bullar. *pag.9. tom.2.*

21 Et dubium quidem eſſe poteſt, quoad Monachos Ciſtercienſes; quia quamvis poſt d. *cap. Volentes*. Innocentius IV. illius Author eiſdem Monachis conceſſerit, ut idem *cap. Volentes*, nil præjudicaret eorum exemptioni; de qua in *cap. Cum ordinem, de reſcript.* & ibi per DD. & per Abb. *conſil.56. Videtur primò, ad finem lib.1.* Tamen per hoc non cenſetur eis conceſſiſſe exemptionem in tribus caſibus exceptis. Ratio eſt, quia textus d. *cap. Volentes*, declarat quid includant verba privilegiorum, concedentia plenam exemptionem, & diffinit, ut quantumcumque ſit plena exemptio: non tamen includat prædictos tres caſus. Et cùm eorum privilegia antiqua non includerent hos tres caſus, dum Innocentius dixit, per ſuam Conſtitutionem nullum præjudicium illatum fuiſſe illorum exemptioni, benè dixit, quia illa privilegia hos caſus non includebant. Ergo Decretal. *Volentes*, non derogat illis, quia declarans
22 non facit quid novum. Nec obſtat verbum, *concedimus*, per quod Innocentius videtur eis aliquod novum conceſſiſſe; Quia quando conceditur illud idem, quod erat conceſſum à jure communi, non intelligitur novum concedi; *cap. Etſi Chriſtus*, & ibi gloſ. *fin. de iureiur.* gloſ. *in cap.1. de reſcript.* Ita in hoc ſpeciali caſu Ciſtercienſium dicit ad litteram Gemin. in d. *cap. Volentes*, §. *fin. propè fin. verſ. Vidi pridiè dubitari*, ubi refert ſe ita conſuluiſſe, & conſilio ſuo ſubſcripſiſſe quaſi omnes Doctores Bononienſes. Et habetur ejus conſilium in ordine, *n.72.*

23 Eadem ſubeſt difficultas quoad privilegium Religioſorum Societatis Jeſu; quia etſi Paulus III. ipſam Societatem, & univerſos illius Socios, & perſonas, illorumque bona quæcumque ab omni ſuperioritate, juriſdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum exemerit, & liberaverit ac ſub ſua, ac Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſceperit, ut in Conſtitutione incipien. *Licet debitum*, edita 15. Kal. Novembris 1544. in Bullar. ſol.887. *tom.1.* Atq; ita eorum exemptio videatur plena: tamen non includit tres caſus delicti commiſſi, contractus celebrati, ac rei exiſtentis extra locum exemptum, ut ex prædictis patet; cùm præſertim ipſi non habeant conceſſionem ſicuti habent Ciſtercienſes, quod *cap. Volentes* nullum præiudicium generaverit eorum exemptioni: niſi dixerimus eis ſuffragari Conſervatoriam, quam cum clauſulis ampliſſimis impetrarunt à Pio V. 8. Kalend. Junii Pontificatus anno 3. ut in litteris expeditis in forma, *Rationi congruit*, à Gregor. XIII. in Conſtitutione *Aequum reputantes:* itidem 8. Kalend. Junii 1572. in Bullar. *pag.361. tom.2.* Et quamvis hujuſmodi litteræ conſervatoriæ redactæ fuerint ad formam Conſtitutionis Gregorii XV. de *Conſervatoribus*, & Sacra Congregatio Concilii, in qua dicta Conſtitutio fuit compilata, idcircò in clauſulis derogatoriis appoſuerit illa verba, *Societatum, & cuiuſvis alterius inſtituti;* ut includeret in ſpecie Religioſos Societatis Jeſu propter privilegium, quod habet ex Bulla Gregorii XIV. *Eccleſiæ Catholicæ*, 4. Kalend. Julii 1591. in Bullar. *pag.696. tom.2.* ut in generalibus privilegiorum derogationibus non comprehendatur, ſicuti etiam habent Ciſtercienſes, Templarii, & Hoſpitalarii, ut in dict. *cap. Cum Ordinem*, & ibi gloſ.2. *de reſcript.* Nihilominus ſalvæ manent in his, quæ antedictæ Conſtitutioni *de Conſervatoribus* non adverſantur.

24 Verumtamen quicquid ſit de privilegio in ſpecie, Religioſi tam Ordinis Ciſtercienſis, & Societatis Jeſu, quàm cæteri Ordines Regulares Mendicantium, & non Mendicantium ampliſſimas habent privilegiorum communicationes. Neque verò exemptio ab Ordinariorum juriſdictione in tribus caſibus exceptis reputari debet difficilis conceſſionis, cùm eam paſſim Sedes Apoſtolica Regularibus concedere conſueverit, ut patet ex dictis à *numer.8.* Ac proinde non eſt locus doctrinæ Antonii de Buttio *in Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.* *conſ.19.* quàm ſæpiùs S. Congregatio, & Rota ſecuta eſt, quod ea quæ ſummus Pontifex veriſimiliter non eſſet conceſſurus, non veniant in privilegiorum communicatione quantumcumque ampla, & generali.

Sola Congregatio Fratrum B. Joannis Dei à primæva 25
erectione ſubjecta fuit juriſdictioni, & correctioni Ordinarii loci, ut in Conſtitutione Pii V. *Licet ex debito* Kal. Januarii 1572. in Bullar. *pag.355. tom.2.* Cùmque poſteà eadem Congregatio in Italia diverſa indulta à Sede Apoſtolica obtinuiſſet, & in ſpecie ab Ordinariis locorum exempta eſſet, ejuſque Confratres poſſeſſionem emittere, & ad ſacros Ordines promoveri poſſent: Clemens VIII. accepto quod propterea iidem fratres a ſuo primævo inſtituto paulatim recedebant, & opus Hoſpitalitatis intermittebatur; prædicta omnia moderatus eſt, eoſque iterùm ſuppoſuit ordinariorum juriſdictioni, ac ſuperioritati, ut ex litteris in forma Brevis 13. Februarii 1592. Et quamvis poſteà nonnulla ex indultis hujuſmodi idem Clemens ipſi Congregationi reſtituerit; adjecit tamen clauſulam, *citra exemptionem à iuriſdictione Ordinariorum*, ut in Conſtitutione *Romani*, Nonis Septembris 1596. in Bullar. *pag.59. tom.3.* Rurſus etſi Congregationem, hanc primum in Hiſpania, ac deinde in Italia Paulus V. in Religionem erexerit ſub Regula S. Auguſtini, ut in primis litteris ſub die 7. Julii 1611. & in ſecundis 13. Februarii 1617. nihilominus & ipſe voluit eam juriſdictioni & correctioni Ordinariorum perpetuò ſubeſſe, ejuſque Confratres teneri ſingulis annis reddere rationem adminiſtrationis hoſpitalium Ordinario loci ad præſcriptum Concilii Tridentini. Clauſula enim, quæ immediate ſubſequitur in ſecundis litteris, videlicet, *Salva tamen auctoritate, & iuriſdictione Protectoris & fratris Maioris:* ne Pontifex ſibi contradicat, referri non poteſt niſi ad ea, quæ regularem diſciplinam concernunt. In his enim etiam de jure communi Regulares ſubſunt Superioribus ſui Ordinis, nec corrigi poſſunt ab Epiſcopo, niſi eorum Prælatis negligentibus, *cap. Quanto*, & ibi Abb. *de off. Ordin. cap. Relatum, Ne Cler. vel Monach.* gloſſ.1. *in cap. Illud autem*, 20. *quæſt.1. de communi*, Navarr. *conſ.9. & Concilium, num.4. de privil.* Nec videtur eidem Congregationi ſuffragari communicatio privilegiorum aliorum Ordinum Mendicantium, & in ſpecie Clericorum Miniſtrantium infirmis, quàm nuper obtinuerunt à S.D.N. Urbano VIII. per litteras in forma Brevis ſub die 1. Julii 1624. Siquidem continet clauſulam *dummodo ſacris Canonibus, & Tridentini Concilii decretis non*
adverſentur. Privilegium verò exemptionis adverſatur di- 26
ctæ Decretali, *Ex parte, de Regul.* atque aliis juribus infra citandis *num.23.* inepta eſt enim interpretatio quorumdam ex recentioribus Theologis, qui aſſerunt verba illa, *ſacris Canonibus*, in communicationibus, & confirmationibus privilegiorum inſeri ſolita, eſſe intelligenda de ſacris Canonibus Concilii Tridentini, non autem de inſertis in corpore juris. Etenim cùm Canones Concilii non ſint niſi diffinitiones fidei; ſupervacanea eſſet reſtrictio illa, dummodo non adverſentur ſacris Canonibus, quia contra Canones Conciliares in ſpectantibus ad dogmata nec ſolent, nec poſſunt concedi indulta, aut diſpenſationes, gloſ. fin. Archid. Turrecrem. & Præpoſ. in *cap. Sicut*, 15. *diſt.* ut enim ait Zoſimus Papa in *cap. Contra*, 25. *quæſt.1.* *Contra ſtatuta Patrum* (ideſt de articulis fidei ut ibi exponit gloſ.) *concedere aliquid, vel mutare nec huius quidem poteſt Sedis auctoritas. Quia ut Vrbanus inquit in Canone præcedenti, ubi aperte Dominus, vel eius Apoſtoli & eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi Pontifex uſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet. Alioquin non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur.* Hæc ibi. Et propterea Tridentina Synodus in *cap.21. ſeſſ.25. de reformat.* dum declarat ut in omnibus & ſingulis ipſius decretis ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur, reſtringit ſe ad illa, quæ de morum reformatione, atque eccleſiaſtica diſciplina ſtatuta; ſunt quia nimirum de his, quæ Patres circa fidei dogmata definierunt. Papa ſtatuere non poteſt, niſi interpretando, ſeu declarando, *cap. Licet ex quadam, de teſt. cap. Lector*, 34. *diſt. cap. Placuit, & cap. ſubdiaconus*, 77. *diſt.* Præpoſ. *in d. cap. Sicut, ſub num.1. verſ. Gloſ. finalis*, & ibi etiam Turrecrem. *num.2. & ſeq.* & idem Turrecrem. *in cap. Domino Sancto num.4.* 50. *diſt.* & docet S.Th. *quodlib.4. art.13.* Nec dicatur, verba *Sacris Canoni-*

bus, referenda eſſe ad Canones pertinentes ad mores, &
eccleſiaſticam diſciplinam: quia ſic abundaret verbum il-
lud, *decretis*, quod ſimiliter referri non poteſt niſi ad Ca-
nones non dogmaticos: & tamen in lege nec ſyllaba debet
eſſe ſuperflua, & ſine myſterio aliquid operandi, gloſ. in
c. Solita, in ver. Tamquam, & ibi Hoſt. *n.6. de maior. & obed.*
Nec propterea ſequitur ut communicatio privilegiorum ſit
inanis; quia operabitur effectum ſuum in his, quæ non
ſunt contra, ſed præter, aut ſecundùm juris communis
diſpoſitionem: nam ut inquit Bald. in *cap. cum dilectus, n.3.
de conſuet.* Dicitur privilegium quicquid Papa facit etiam
ad confirmationem juris communis: quoddam igitur eſt
privilegium juri communi contrarium, quoddam juri
communi conſonans. Hæc Bald. & eſt communis opinio
Canoniſtarum, qui ex co textu in illis verbis, *tam de iure,
quàm ex Privilegio*, colligunt jus commune, & privile-
gium poſſe ſimul concurrere circa idem, ut ibi per Hoſt,
n.1. in ver. Privilegio, Jo. Andr. *n.5.* & reliquos omnes.

Noviſſimè tamen fratres prædicti dicuntur obtinuiſſe
reſponſum, ut puto, ſubreptitiè à S. Congregatione Regu-
larium ſub die 1. Octobris 1637. quo declaratum fuit eos
habendos eſſe pro veris Religioſis; proindeque locorum
Ordinarios volentes procedere contra aliquem illorum
intra clauſtra degentem, & extra ea ita notoriè delinquen-
tem, ut populo ſcandalo ſit, teneri obſervare formam
Conſtitutionis Clementis VIII. hac de re editæ 7. Kalend.
Martii 1595. Hæc autem declaratio ſupponit exemptionem
in aliis caſibus ab Ordinariis locorum, ut patebit infra
num.23.

Sed & Congregatio B. Mariæ de Coloreto Ordinis S. Au-
guſtini quamvis ſuperioribus annis ex Sententia Sac. Con-
gregationis Regularium juſtis de cauſis à Sanctiſſimo D. N.
ſubjecta fuerit juriſdictioni Ordinariorum; nuper tamen
à Sanctitate ſua fuit iterum ſuppoſita juriſdictioni, ac ſu-
perioritati Prioris generalis ejuſdem Ordinis. Non me
latet clauſulam derogatoriam ad prædictam Conſtitutio-
27 nem Innocentii IV. in eod. *cap. Volentes, de privileg. in 6.*
quam nonnulli Religioſi in ſuis privilegiis inſerendam cu-
rarunt, ut legitur in ſpecie in privilegio Carmelitarum
Clementis VI. de quo ſupra ſub *num.19.* præbuiſſe occaſio-
nem dubitandi DD. qui propterea hanc materiam videntur
involvere: nam ſi privilegia exemptionum ſecundæ ſpe-
ciei non ſunt ſublata per d. *cap. Volentes*, quid opus fuit
illius diſpoſitioni ſpecialiter derogare. Sed tamen cùm
abundans cautela non noceat, & impetrata ad augmen-
tum, ac favorem exemptionum, non debeant illarum
diminutionem operari, & in odium retorqueri ſuper dicta
clauſula per ignorantiam appoſita, non poteſt fieri efficax
fundamentum.

28 Ad privilegium verò, quod Sixtus IV. conceſſit Fratribus
B. Mariæ de monte Carmelo in Conſtitutione, *Cum atten-
tata*, de qua ſupra ſub eodem *n.9.* per quam indulget eiſ-
dem ut occaſione dicti *cap. Volentes*, nullum eorum exem-
ptioni præjudicium generetur; reſpondetur ex Gemin. eo-
dem modo quo reſponſum eſt ſupra *num.21.* ad ſimile in-
dultum Ordinis Ciſtercienſis, videlicet verbum illud, *in-
dulgemus*, cum concedat illud idem, quod reperitur à
jure conceſſum, novum jus non conferre, ſed idem impor-
tare ac ſi Pontifex dixiſſet, indultum eſſe oſtendimus, ut
dicit gloſ. *fin.* in dicto *cap. Etſi Chriſtus, de iureiur.* unde
hoc potius appellari poteſt indultum declaratorium, quam
nova conceſſio.

29 Quamobrem cùm Ordines univerſi tam Mendicantium,
quàm non Mendicantium ſint ſpecialiter privilegiati etiam
ratione delicti perpetrati, contractus initi, ac rei ſitæ in
loco non exempto; & ſic tamquam exempti ſecundæ ſpe-
ciei non includantur in prædicta Decretali, *Volentes, de
privil. lib.6.* hinc neceſſariò ſequitur ut ne includantur in
decreto Concilii Tridentini *cap.14. ſeſſ.7.* quod tantum
innovat, ac ſervari jubet in cauſis exemptorum prædictam
30 Decretalem: nam innovans non egreditur terminos legis
innovatæ, nec jus novum inducit, *cap. Cum dilecta*, &
ibi gloſ. 1. *de confirm. util. vel inutil. cap. Ex parte, il terzo*,
& ibi gloſ. *fin. infra eod. cap.1. in princip. de præben. lib.6.*
gloſ. in *cap. Quia diverſitatem, in verb. Forma communi,
eod. tit.*

Neque obſtant verba poſita in fine dicti *cap.14.* ibi,
*Privilegiis, exemptionibus, Conſervatorum deputationibus,
& eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valitu-
ris*. Siquidem hæc verba referuntur ad caſus ibi proximè 31
prænarratos, nec tollunt privilegia, ſed ſolum declarant il-
la non prodeſſe in cauſis prædictis, ſcilicet mercedum, &
miſerabilium perſonarum: nam cùm in iiſdem cauſis Con-
cilium jubeat Ordinarios procedere contra Regulares
exemptos Apoſtolica auctoritate, fruſtra Regulares oppo-
nerent de privilegiis exemptionis, quia Papa numquam ali-
quem ita eximit, quin poſſit per ſe, vel ſuos Delegatos pro-
cedere. Unde dicunt DD. cùm Pontifex conſtituit aliquem
Delegatum contra exemptos, non eſſe opus ut derogetur
privilegio exemptionis, quia ſufficit ut de eo non poſſint
contra Delegatum opponere, Abb. in *cap. Grave, num.1. de
offic. Ordin.*

Corroborantur prædicta efficaciter ex pluribus Triden- 32
tini Concilii decretis, ex quibus deprehenditur Regulares
non poſſe coram locorum Ordinariis conveniri etiam pro
delictis extra locum exemptum patratis. Et primò ad hoc 33
ponderandum eſt *c.3. ſeſſ.6.* ubi Regulares exempti degen-
tes extra clauſtra, ſi delinquant, ſubjiciuntur viſitationi,
punitioni, & correctioni Ordinarii loci tamquam Sedis
Apoſtolicæ Delegati. Quod decretum dupliciter inducitur
ad comprobandam concluſionem ſuperiùs firmatam. Dum
enim primò ſubjicit Regulares exemptos Ordinario loci
tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, oſtendit illos adhuc
remanere exemptos à juriſdictione ordinaria ratione deli-
cti extra clauſtra; & ſic extra locum exemptum patrati;
quia auctoritas delegata non violat exemptionem, Abb. in
d. *c. Grave, n.1. & 5. de offic. Ordin.* alioquin ſi Regulares
degentes, ac delinquentes extra clauſtra non fuiſſent ante
Concilium exempti à juriſdictione ordinaria Epiſcopi, non
fuiſſet opus ut Concilium tribuiſſet illi facultatem eos pu-
niendi delegata auctoritate, quia potuiſſet illos punire au-
ctoritate ſua ordinaria, ut deciditur in d. *c. Volentes, infra
eod. lib.6.* circumſcriptis enim exemptionibus, & privile-
giis Apoſtolicis Regulares de jure communi originaliter
ſubſunt Epiſcoporum juriſdictioni, *c. Qui verè, & c. Per-
venit*, 16. *q.1.* cum concordant. de quibus per Oldrad. *conſ.
274. In cauſa quæ vertitur, in princip. verſ. Quia ſi omnia mo-
naſteria*, Lap. *alleg.42. n.3. verſ. Et tunc locus*, Navarr. *conſ.
8. num.3. An gratia, num.4. de reſcript.* Seraph. *deciſ.1353.*
DD. in *cap. Cum Epiſcopus, de offic. Ordin. l.6.* non quidem
quoad legem diœceſanam, ſed quoad legem juriſdictionis,
gloſ.2. in *cap. Ex parte, de regul.*

Deinde inducitur hoc decretum, quia dum ſtatuit ut 34
Clerici tam ſæculares, quàm regulares extra clauſtra de-
gentes non obſtantibus privilegiis; viſitari, puniri, & cor-
rigi poſſint ab Ordinario loci; ex ſententia S. Congrega-
tionis non habet locum niſi in viſitatione, tum quia hoc
important illa verba *viſitare, &c.* tum & multò clarius quia
in *cap.4. ſeſſ.14.* quæ ſtatuta fuerant in d. *cap.3.* de Clericis
tam ſæcularibus, quàm regularibus delinquentibus extra
clauſtra, extenduntur quoad Clericos ſæculares tantùm
etiam extra viſitationem reſpectu Epiſcoporum reſiden-
tium; quod clarè oſtendit Concilium in d. *cap.3.* non
ſtatuiſſe niſi in actu viſitationis; aliàs enim ineptè exten-
diſſet illam diſpoſitionem etiam extra viſitationem quoad
clericos ſæculares tantùm: quo ſtante arguitur ſic. Si Con-
ſtitutio Innocentii IV. in d. *cap. Volentes* reſtrinxiſſet exem-
ptionem Regularium ad tres caſus ibi exceptos, ſequere-
tur ut Regulares degentes, & delinquentes extra clau-
ſtra, & ſic extra locum exemptum, ſicut conveniri pote-
rant coram Ordinario loci, & puniri pœna ordinaria in 35
vim prædictæ Decretalis: ita etiam conveniri, & puniri
poſſent in vim Concilii Tridentini illam innovantis;
quia lex innovata ineſt legi innovanti cum omnibus ſuis
qualitatibus, *cap.1. §. fin. de ſchiſmat. lib.6.* Bart. & DD.
in l. Aſſe toto, ff. de hæred. inſtituen. Aretin. *conſ.36. Videtur*,
n.18. Seraphin. *deciſ.616. n.2.* Sed conſequens eſt falſum,
quia ex Concilio in d. *c.3.* Regulares extra clauſtra degen-
tes, & delinquentes puniri non poſſunt à diœceſano pœna
ordinaria, ſed tantùm corrigi in actu viſitationis, ut pro-
batum eſt ſupra. Ergo & antecedens. Et confirmatur, quia
ſi Conſtitutio d. *c. Volentes*, ſuſtuliſſet exemptionem Regu-
larium delinquentium in loco non exempto, Concilium
Tridentinum eamdem Conſtitutionem innovando in *cap.
14. ſeſſ.7.* dupliciter ſe correxiſſet patet, quia quod prius
ſtatuerat in *c.3. ſeſſ.6.* ut Regulares delinquentes extra
clauſtra ſubeſſent Epiſcopo in viſitatione tantum, & au-
ctoritate delegata, correxiſſet in dicto *cap.14. ſeſſ.7.* inno-

vando

vando Conſtitutionem Innocentii IV. qua exempti in caſibus exemptis ſubjiciuntur juriſdictioni ordinariæ etiam extra viſitationem : & rurſus in *c. 4. ſeſſ.* 14. correxiſſet diſpoſitionem d. c. 14. ſtatuendo ut Clerici ſæculares tantùm, non autem Regulares puniri poſſint extra viſitationem ab Epiſcopis reſidentibus. At valdè abſurdum eſt, ut in tribus ferè ſucceſſivis ſeſſionibus Concilium, quod nunquam alibi fecit, bis ſe correxit; & conſequenter fatendum eſt S. Synodum dum innovavit *d. c. Volentes*, probè intellexiſſet Regulares in illius diſpoſitione non fuiſſe comprehenſos.

36 Secundò ad hoc ponderandum eſt idem met *c. 14. ſeſſ. 7.* ubi Concilium poſteaquam innovavit Conſtitutionem Innocentii IV. *in d. c. Volentes*, ſubjungit: Addendo inſuper quod in civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum Regulares extra monaſterium degentes quomodolibet exempti, etiamſi certum judicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, in aliis verò ſi ipſum judicem non habuerint, conveniri, & ad debitum ſolvendum cogi poſſint coram locorum Ordinariis tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis. Quod decretum itidem inducitur ſic: Si Regulares fuiſſent comprehenſi in Conſtitutione *d. cap. Volentes*, itaut ratione contractus initi extra monaſterium indifferenter coram Ordinariis conveniri poſſent: ineptè Concilium addendo prædictæ Conſtitutioni ſtatuiſſet, ut degentes extra monaſterium in cauſis ſuperiùs expreſſis; & ſic pro contractibus initis extra locum exemptum conveniri poſſent coram iiſdem Ordinariis ut delegatis Sedis Apoſtolicæ; nam ſi Epiſcopi ante Concilium potuiſſent pro contractibus celebratis in loco non exempto in omnibus cauſis contra Regulares procedere auctoritate ſua ordinaria: Concilium ſtatuendo ut id facere poſſent tantùm auctoritate delegata; & in cauſis quidem mercedum, & miſerabilium perſonarum indiſtinctè, ſed in aliis nonniſi in defectum judicis in partibus: utique nihil addidiſſet prædictæ Conſtitutioni, ut declaravit ſe facere velle per illa verba, *addendo inſuper*, ſed potiùs illam reſtrinxiſſet, ac limitaſſet; & inducta in augmentum juriſdictionis ordinariæ operarentur illius diminutionem contra regulam *l. Legata inutiliter ff. de adimen. leg. & l. Quod favore, Cod. de leg.* quod apertiſſimè oſtendit exemptionem Regularium ex mente Concilii non fuiſſe reſtrictam *per d. cap. Volentes* ad tres caſus ibi exceptos.

37 Tertiò ad hoc ponderandum eſt decretum *cap. 5. ſeſſ. 14.* ubi decernitur ut litteræ conſervatoriæ nemini ſuffragentur, quin in cauſis criminalibus; & mixtis poſſit coram Epiſcopo accuſari, & conveniri, & contra eum procedi.
38 Deindè præſcribitur certa forma in cauſis civilibus obſervanda. Tertiò præſervantur privilegia Regularium his verbis: *Regularia loca, eorumque perſonæ in præſenti Canone minimè comprehenſa, ſed exempta omninò ſint, & eſſe intelligantur.* Ex quo contextu colligitur apertè Regulares nec ratione delicti in cauſis criminalibus, nec ratione contractus, aut rei ſitæ in cauſis civilibus poſſe coram Epiſcopo accuſari, aut conveniri, ſed eorum exemptiones ſalvas permanere. Et propterea aliàs conquerenti Epiſcopo Manniano quod Regulares pro contractibus, vel debitis non ſinerent ſe in prima inſtantia coram locorum Ordinariis conveniri: S. Congregatio cenſuit, ſi hi Regulares extra clauſtra monaſterii degant, ſervandum eſſe quod dicitur *ſeſſ. 7. c. 14.* Si intra monaſteria maneant, conveniendos eſſe coram Superioribus, vel Conſervatoribus eorum, non autem coram Ordinariis, aut alibi. Salva
39 igitur manent Regularium privilegia, quorum præſervatio etiam generaliter habetur *in c. 20. ſeſſ. 25. de Regular. in fin.* his verbis: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & iura concernunt, firma ſint, & illæſa.*

40 Quartò, ad idem ponderandum eſt *cap. 11. ſeſſ. 24. de ref.* ubi agitur de tribus exemptorum ſpeciebus. Prima eſt Clericorum ſæcularium, qui mediantibus titulis honorariis exemptionis privilegio donantur: & hos Concilium
41 plenè ſubjicit Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicę Delegato. Secunda ſpecies eſt eorum, qui appellantur Capellani Regii: & quoad hos in effectu diſtinguitur, ut ſi delinquant in Capella, ſive in loco exempto, ſua gaudeant exemptione, itaut ab Ordinario ſuſpendi, excommunicari, vel interdici non poſſint: Si verò extra locum exemptum in prædictis caſibus ſubſint Epiſcopo ſimiliter, ut Delegato Sedis Apoſtolicæ: ita enim diſtinguitur *in cap. Cùm Capella*, cujus diſpoſitionem Concilium ſervari jubet, de privil. Rota *deciſ. 744. num. 2. par. 1. diverſ.* Tertia ſpecies eſt eorum, qui monaſteriis, ſeu militiis actu inſerviunt, & intra eorum ſepta, ac domos reſident, ſubque eorum obedientia vivunt, necnon illorum, qui ſecundum regulam dictarum militiarum profeſſionem fecerunt; & his generaliter, & indiſtinctè Concilium præſervat exemptionis privilegia, & ſolùm arctat milites ad docendum de eorum profeſſione coram Epiſcopo. Ex qua exemptorum diſtinctione ſatis liquet exemptos tertiæ ſpeciei frui debere ſua exemptione etiam ratione delicti extra locum exemptum commiſſi: nam ſi quoad eos Concilium voluiſſet ſervari diſtinctionem inter locum exemptum, & non exemptum, id expreſſiſſet, ſicut fecit implicitè quoad Capellanos Regios, *c. Inter corporalia de translat. Epiſcopi, c. Maiores de Baptiſ. l. unic. §. Sin autem ad deficientis C. de caduc. tollen.*

Quintò, ad idem expendendum eſt *cap. 14. de regul.* ubi 42
Regulares degentes intra clauſtra, & extra illa delinquentes ita demum puniri poſſunt ab Epiſcopo Diœceſano, ſi tria copulativè concurrant. Primum, ut delictum ſit notorium, & cum populi ſcandalo. Secundum, ut ſit patratum extra clauſtra, & ſic in loco non exempto. Tertium, ut Superior Regularis ab Epiſcopo admonitus intra præfixum tempus delinquentem non puniverit, & de punitione Epiſcopum certiorem non fecerit. Et idem ferè ſtatuitur in Conſtitut. Clem. VIII. quæ incipit, *Suſcepti*, edita 7. Kalen. Martii 1596. in Bullar. *tom. 3. pag. 54.* Ergo apparet evidenter S. Synodum habuiſſe Regulares pro exemptis etiam ratione delicti commiſſi in loco non exempto, cùm tribuat novam authoritatem Epiſcopis puniendi Regulares delinquentes extra clauſtra; & ſic extra locum exemptum in hoc
tantùm ſpeciali caſu notorietatis delicti, & negligentię Supe- 43
rioris Regularis. Incluſio enim hujus caſus ſpecialis in materia commiſſionis juriſdictionis omnes alios caſus diverſos excludit, ut eſt tex. *in cap. Cùm in illis §. Cùm autem de præb. lib. 6. & in l. Cùm Prætor ff. de iudic.* tradit Angel. *conſ. 375. Prætenſis per tot.* Calder. *conſ. 124. aliàs 10. de iudic.*

Sextò, & ultimò omiſſis aliis, cùm ſuperioribus annis 44
Procurator Ordinis Carmelitarum conqueſtus fuiſſet in S. Congregatione Concilii, quod in Hiſpaniarum Regnis quidam Ordinarii locorum contenderent Religioſis intra clauſtra degentes coram ipſis Ordinariis conveniri debere in cauſis civilibus, *cap. Volentes de privil. lib. 6.* comprehenſis propter illius innovationem à Conc. Trid. *ſeſſ. 7. cap. 14.* eoſque in prima inſtantia coram ipſis Ordinariis conveniri debere ex decreto ejuſdem Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 20. de reform.* S. Congregatio cenſuit, Neque Conſtitutione in generali Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit, *Volentes*: neque decreto Concilii Tridentini *c. 14. ſeſſ. 7.* comprehendi Regulares; ideòque eos juxta eorum privilegia coram ſuis Superioribus, vel Conſervatoribus eſſe conveniendos. Necnon decretum ejuſdem Concilii Tridentini *cap. 20. ſeſſ. 24.* ad Regulares non pertinere, nec eorum Conſervatorias imminuere, nec quoad primam illarum inſtantiam aliquid novi inducere. Et hanc declarationem poſtea obſervari mandavit Paulus V. per litteras in forma Brevis cum decreto irritante ſub die 24. Auguſti 1607. in Bullar. *pag. 223. tom. 3.*

Quoad ſecundam partem quæſtionis initio propoſitæ 45
longè minor eſt difficultas: quia in privilegiis, quorum ſuperiùs meminimus à *num. 18.* expreſsè inhibetur locorum Ordinariis, nec abſque ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ in perſonas Regularium aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam ſpecialiter, vel generaliter quomodolibet promulgare præſumant. Quod quidem privilegium tantùm abeſt, ut ſublatum fuerit *per d. cap. Volentes*, ut potius in eo fuerit expreſsè præſervatum *in §. Eos autem*, ut probant verba illa, *iidem Ordinarii iuriſdictionem*
ſuam quantum ad iſta, (ſcilicet interdictum, ſuſpenſio- 46
nem, vel excommunicationem) *ubicumque illi fuerint penitus exercere non poſſunt*. Unde ut notat ibi Gemin. & Franc. Si Epiſcopi contra eos proferant ſententias, nullæ erunt ex defectu juriſdictionis, & non ligabunt, quod
& Navarr. ſenſit *conſ. 2. num. 2. de ſent. excomm.* Quod 47
clarè etiam conſtat ex tenore eorumdem privilegiorum, ibi:

Digitized by Google

ibi: *Decernimus quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, & quæſcumque proceſſus, & omnia quæ contra fratres quomodolibet promulgari, ſeu fieri contigerit, nullius roboris, vel momenti eſſe, & pro infectis prorſus haberi debere, etiam eorum exemptione, utpotè notoria non allegata.* Quæ ultima verba fuerunt appoſita, quia aliàs niſi citati venirent exemptionem allegaturi, teneret ſententia contra eos lata, ut per gloſ. *fin.* Tancred. & Innocen. *in c. Cum ordinem de reſcrip.* Secus cùm exemptio notoria eſt, ut *l. 1. ff. de fer.* ſecundum Innoc. *in cap. Ex parte, il primo n. 3. verſ. Exempti autem de ver. ſignific.* Paul. de Caſtro *conſ. 431. Videtur dicendum num. 2. verſ. Interdum nullo modo lib. 1.* Ergo cùm hoc privilegium fuerit præſervatum in Decretali, *Volentes*, conſequens eſt, ut fuerit etiam præſervatum à Concilio Tridentino eandem Decretalem innovante *in cap. 14. ſeſſ. 7.* quia lex innovans jus commune perinde operatur, ac ſi jus commune eſſet in ea inſertum, Angel. Aretin. *conſ. 26. Videtur n. 18.*

48 Et ex his patet etiam reſponſio ad objecta ſupra in principio: nam cùm exemptio Religioſorum ratione delicti, contractus ac rei litigioſæ non adverſetur generali Concilio Lugdunenſi, non fuit opus illi derogare, quia derogatio non fit niſi ad contraria, *cap. 1. de Conſtit. lib. 6. c. Ex parte ſupra de Capell. Monachor.* Clemen. *Dudum, §. Nos etiam*, ibi, *in quantum ſunt præmiſſis, vel alicui præmiſſorum contraria, de ſepultur. cum multis ſimilibus.* Et
innovatio Concilii Tridentini non tribuit Ordinariis lo- 49
corum aliquod novum jus, ſed tantùm præſervavit quod prius habebant in generaliter exemptos *cap. Quia intentionis infra eod.* ubi Honorius III. *Cum innovas*, inquit, *nec ius novum conferat, nec etiam tollat vetus, in eo ſtatu eſſe volumus, in quo tempore impetratæ innovationis dignoſceris extitiſſe, c. Ex parte, il primo eod. tit.* ibi, *Ita tamen ut per innovationem ipſius eidem Eccleſia non plus iuris accreſcat, quam per privilegia prædeceſſorum noſtrorum obtinuit, cùm per hoc non novum ei concedere, ſed antiquum ius conſervare velimus*, gloſ. 1. & DD. *in cap. Cum dilecta de confirm. util. vel inutil.* Et conſequenter nec Conſtitutio
Pii IV. *In Principis Apoſtolorum*, huic caſus applicatur, quia 50
non ſuſtulit privilegia, & exemptiones Regularium, niſi quatenus contrariantur decretis Concilii Tridentini.

D E P R I V I L E G I I S.

Idem Innocentius III. Colubrieñ. Epiſcopo.

C A P U T XIV.

ii CUm olim propter quæſtiones, quas adverſus Priorem & Canonicos Monaſterii S. Crucis habebas, pro quibus ad audientiam noſtram fuerat appellatum, moram feceris longiorem: quia pro parte altera nullus comparuit reſponſalis, eiſdem certum terminum duximus præfigendum, in quo venirent vel mitterent, ſuper privilegiis omnibus & libertatibus, quæ à Romanis Pontificibus, vel ab M. quondam Colubrieñ. Epiſcopo ſe habere dicebant, & ſuper aliis quæſtionibus adverſus eos, à Colubrieñ. Eccleſia intentatis, diffinitivam ſententiam recepturi: & infrà. Interim autem utrique parti liceret coram dilectis filiis tuis de Alcobacia, & de Serra Abbatibus, & F. Monacho Alcobaciæ, quibus cauſa prius fuerat delegata, proponere ac probare, ſi quid aliud proponendum duceret, ac probandum: & infrà. Judices autem ſufficienter actum eſſe de cauſa credentes, Monaſterium ſanctæ Crucis in expenſis, quas per quadriennium occaſione hujuſmodi negotii juraveras te feciſſe, damnarunt, infirmantes ſua ſententia libertatem, quam dictus M. Colubrieñ. Epiſcopus contulerat Monaſterio S. Crucis, Canonicorum aſſenſu per portarium regis extorto. Prætereà, quia idem M. prædeceſſor tuus fuerat Canonicus regularis, & duo millia Marabatinorum, quæ acquiſierat, in Epiſcopum jam promotus, Monaſterio dederat memorato: ipſum ad reſtitutionem eorum judices condemnarunt. Inſuper Eccleſias omnes, quas monaſterium præter Epiſcopi Colubrieñ. aſſenſum, propria auctoritate fundarat, (quia pars S. Crucis nec præſcriptione, nec defenſione alia, probationibus contra ſe factis obſtiterat) judicarunt in jus Colubrieñ. Eccleſiæ cum fructibus medii temporis revocari: & infrà. Tandem procurator Monaſterii propoſuit ſententiam non valere, nec tenere. Quòd ſi aliàs etiam ſententia memorata teneret, quia tamen Monaſterium fuit indefenſum, nec exhibita fuerant coram eis privilegia libertatis (ne delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ redundaret) debebat ad exhibitionem privilegiorum ſuorum admitti: quod ſibi concedi de ſolita benignitate Sedis Apoſtolicæ poſtulavit. Nos igitur attendentes, quòd eadem privilegia non ſolummodo pro libertate Monaſterii faciebant, ſed etiam exprimebant jus noſtrum; & Eccleſiæ Romanæ juſtitiam tuebantur; ne in nos Monaſterii læſio redundaret, ad privilegia exhibenda, partem ejus de gratia duximus admittendam: & infrà. Diſtinguentes itaque inter libertatem per prædictum Epiſcopum Eccleſiæ ipſi conceſſam, & libertatem, quam ei longè ante tempus ipſius Epiſcopi Apoſtolica Sedes indulſit: quia nobis conſtitit extortum fuiſſe in Epiſcopi conceſſione Canonicorum aſſenſum, & conceſſionis paginam in aliquot lineis habuiſſe raſuras, & ſubſcriptiones ſingulas fuiſſe ſingulis ſubſcribentium manibus adnotatas: ſcriptum autem quod nobis exhibitum fuerat, nec raſuram prætendere, nec eſſe variis ſubſcriptionum manibus variatum, ſed à primo ad ultimum eadem manu conſcriptum, libertatem ab ipſo Epiſcopo conceſſam [per extorſionem] irritam decernimus, & inanem: ſuper hoc ſententiam delegatorum judicum confirmantes. Quia verò evidenter agnovimus ex privilegiis, antedictos prædeceſſores noſtros Eccleſiæ S. Crucis libertatis privilegium indulſiſſe, & quòd in ea poſſeſſione tamdiu fuerat libertatis, quod aliis etiam ceſſantibus præſcripſiſſet: libertatem ei à prædeceſſoribus noſtris indultam, auctoritate Apoſtolica confirmamus, tibi ſuper hoc ſilentium imponentes: ſuper hoc autem in nullo ſententiæ delegatorum judicum derogamus; cùm ipſi de hac non cognoverint libertate: & infrà. Cùmque libertatem à prædeceſſoribus noſtris indultam monaſterio confirmemus, ad jus profeſſionis (quod eſt contrarium libertati) monaſterium decernimus non teneri: non derogantes judicibus delegatis, quibus libertatis privilegia non fuerant præſentata: in cæteris autem latam à prædictis judicibus ſententiam pro Colubrieñ. Eccleſia confirmamus.

S V M-

SVMMARIVM.

1 *ECcleſia utens duplici privilegio, licèt ex uno ſuccumbat, ex alio poterit obtinere.*
2 *Exemptus non tenetur promittere obedientiam Diœceſano, non tamen poteſt ſine ipſius licentia in loco non exempto eccleſiam conſtruere.*
3 *Monacho ſi committatur cauſa à Sede Apoſtolica, non expreſſo nomine monachatus, delegatio tamquam ſubreptitia non valet, & n. 9.*
4 *Monachi à ſtrepitu cauſarum remoti eſſe debent.*
5 *Monachus non poteſt eſſe procurator etiam pro utilitate monaſterii ſine licentia Abbatis.*
6 *Papa ſi ex certa ſcientia committat cauſam Monacho, cenſetur ſuper inhabilitate diſpenſare.*
7 *Cauſæ à Sede Apoſtolica, quibus ſint committendæ ex Concilio Lugdunenſi.*
8 *Et quid ex Conſtitutione Bonifacii VIII. & ex Concilio Tridentino, & n. 12.*
10 *Prior Conventualis poteſt eſſe Delegatus Apoſtolicus.*
11 *Monacho eccleſiæ Cathedralis Monachalis an cauſæ à Sede Apoſtolica ſint committendæ.*
13 *Iudices ſynodales an ſint deputandi ab Epiſcopo de conſenſu Synodi, vel de eius conſilio tantum, & n. ſeqq. uſque in finem.*
14 *Teſtes Synodales in Synodo ab Epiſcopo conſtitui debent.*
15 A, *dictio denotat cauſam efficientem.*
16 In, *dictio, deſignat intrinſecitatem in loco, ſeu in actu.*
17 *Epiſcopus poteſt in Synodo Conſtitutiones facere de conſilio Capituli tantum.*

1 C*Vm olim*, il ſecondo. Eccleſia utens duplici privile-
gio, licèt ex uno ſuccumbat, ex alio poterit obtinere.
2 Exemptus non tenetur promittere obedientiam Diœceſano,
non tamen poteſt ſine ipſius licentia in loco non exempto
eccleſiam conſtruere. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. &
omnes.
3 In textu ibi, *Abbatibus, & F. Monacho Alcobatiæ, quibus
cauſa prius fuerat delegata*. Nota cauſam poſſe à Sede Apo-
ſtolica delegari ſimplici Monacho, ut hic, & *in c. Conqueſtus*,
juncta ſupraſcriptione, *ſupra de foro compet*. Sed hoc intelli-
git verum gloſ. *hic in verb. Et F. Monacho*, dummodo fiat
delegatio expreſſo nomine Monachatus, quo tacito litteræ
4 non valerent, quia per ſubreptionem eſſent obtentæ. Mo-
nachi enim à ſtrepitu cauſarum remoti eſſe debent, *c. unic.
ſupr. de Syndic. & actor.* nec eſt eis danda vagandi materia,
c. Quanto ſupra de off. Ordin. unde oportet, ut in litteris fiat
mentio de Monachatu, arg. *cap. Cùm Ordinem ſupra de re-
5 ſcript. & c. Porrecta de confirmat. utilit. vel inutil.* Similiter
nec procurator eſſe poteſt etiam pro utilitate monaſterii ſine
licentia Abbatis, *c. Monachi, & c. De præſentium 16. q. 1.*
& cum gloſ. concordant Vincent. & Innoc. *hic n. 1.* dicens.
Nota Monacho delegari cauſam, & hoc verum intelligo ſi
expreſsè contineatur ibi, *Monachus*, aliàs præſumo pro veri
taciturnitate obtentas, cùm non ſit eis præſtanda materia
vagandi, Hoſtienſ. *n. 3.* Jo. Andr. *n. 16. verſ. In gloſ.* [*Nota
6 quod*, Butr. *n. 7. 27. & 48.* & reliqui omnes: quando enim
Papa committit cauſam Monacho ex certa ſcientia, videtur
ſuper inhabilitate diſpenſare *l. Quidam conſulebat ff. de re
7 iudic.* Butr. *d. n. 27. & 48.* Hodie tamen, ut gloſ. ſubdit, non
committitur cauſa à Papa vel ab ejus Legatis niſi perſonis in
dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, vel Canonicis in Cathe-
dralibus Eccleſiis, vel aliis Collegiis venerabilibus, ut in
Decretali Innocentii IV. in Concil. Lugdunenſi edita, in-
cipien. *Præſenti decreto*, quæ habetur inter acta Concilii
Lugdunenſis *in tit. de reſcript. c. 2. tom. 3. Concil. par. 2. pag.
723. col.* 1. in hæc verba: *Præſenti decreto duximus ſtatuen-
dum, ne à Sede Apoſtolica, vel Delegatis ipſius cauſæ aliqui-
bus committantur, niſi perſonis, quæ vel dignitate ſint prædi-
tæ, vel in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu aliis Collegiatis honora-
8 bilibus conſtitutæ*. Hæc ibi. Sed hodie ſervanda eſt Conſtitutio
Bonifacii VIII. *in c. Statutum de reſcript. lib. 6.* qua ſtatutum
eſt, ut nulli niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinen-
tibus, ſeu eccleſiarum Cathedralium Canonicis cauſæ à Sede
Apoſtolica, vel Legatis eiuſdem committantur. Quare cùm 9
Monachus non habeat qualitates requiſitas *in d. c. Statutum*,
explorati juris eſt eum non eſſe capacem delegationis Apo-
ſtolicæ; niſi tamen eſſet Prior Conventualis, etiam obedien- 10
tiarius, quia dicitur habere dignitatē, ut Clem. *Et ſi principa-
lis de reſcript.* & hic notat Abb. *n. 13.* & ſcripſi pleniùs *in c.
Sanè, il ſecondo ſupra de offic. Delegat.* vel niſi eſſet monachus
Eccleſiæ Cathedralis monachalis, ut eſt Siracuſana, de qua *in
c. Quorundam 74. diſt.* Cantuarien. Montis regalis, & plures
aliæ, quia tunc tamquam qualificatus ad præſcriptum *d. c.
Statutum*, benè poſſet eſſe delegatus Sedis Apoſtolicæ ut fir- 11
mat Abbas ubi ſupra, dicens ſe ita aliàs conſuluiſſe per di-
ctam Clem. *Et ſi principalis*, & per id quod habetur *in c. Sunt
nonnulli, & c. Doctores 16. q. 1.* talis enim cenſetur Canonicus
Eccleſiæ Cathedralis, *ut c. 1.* juncta gloſ. *in verb. Eccleſia 63.
diſtin.* licet aliud ſenſerit Archid. *in d. c. Statutum n. 1. in fin.
verſ. Sed quid ſi Eccleſia Cathedralis eſſet monachalis*. Præ- 12
dictæ Decretalis ſtatutum noviſſimè innovatur à Concilio
Tridentino *c. 10. ſeſſ. 25. de reform.* ubi præmiſſo exordio,
quod ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & locorum
diſtantiam perſonarum notitia haberi non poteſt, indeque
interdum cauſæ committuntur judicibus non uſquequaque
idoneis: ſtatuit Sancta Synodus in ſingulis Conciliis pro-
vincialibus, aut diœceſanis aliquot perſonas deſignari, quæ
qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII. *in
d. c. Statutum*, ut præter Ordinarios locorum iis etiam cau-
ſæ eccleſiaſticæ in partibus committantur.
Sed QUÆRITUR, an perſonæ, quibus à Sede Apoſto- 13
lica cauſæ committendæ ſunt in Synodo diœceſana deputa-
ri ab Epiſcopo debeant de conſenſu Synodi, vel de ejus con-
ſilio tantùm.
Videtur prima facie neceſſarius conſenſus, quia Conci-
lium mandat ut deſignentur in Synodo, & ſic hunc actum
Synodo tribuit, non autem Epiſcopo, arg. *l. Item eorum §.
Si Decuriones ff. Quod cuiuſque univerſ. nomin.* Præterea
Concilium ſi aliquem ex deſignatis mori contingat, dat fa-
cultatem Epiſcopo alium ſubſtituendi cum Capituli conſilio:
unde probabile eſt, ut in Synodo requirat etiam conſenſum.
At in contrarium, id eſt non requiri conſenſum, hæc magis
videntur urgere: & primò, Concilium ubi id voluit, expreſ-
ſit, *ut in c. 18. ſeſſ. 24.* dum jubet examinatores ſynodales in
Synodo ab Epiſcopo proponi, & ab ea probari: ergo id ipſum
feciſſet, *in d. c. 10 ſeſſ. 25.* ſi voluiſſet, *c. Ad audientiam, ver. Nā
ſi intelligeremus*, & ibi gl. *de decimis, c. Inter corporalia §. Sed
neque ibi*. Unde ſi circa translationem, *de traslat. Epiſc. l. unic.
§. Sin autem ad deficientes C. de caduc. toll.* Oldrad. *conſ. 266.
Quod autem n. 10.* Mandoſ. *in regul. 32. de impetr. benef. vac.
per obit. famil. Cardin. q. 7. n. 16.* Secundò jure Canonum te- 14
ſtes ſynodales in Synodo conſtitui debent, & tamen id per-
tinet ad ſolum Epiſcopum, *ut in c. Epiſcopus in Synodo 35. q.
6.* Unde ceſſat prima objectio, quod hic actus à Concilio vi- 15
deatur attribui Synodo, non autem Epiſcopo: neque enim
Concilium ſtatuit ut judices deſignentur à Synodo, ſed in Sy-
nodo, & dictio *A.* denotat cauſam efficientem *ut l. Filius à
patre ff. de liber. & poſthum.* & notat Bald. *in l. Ex atrali n.
1. verſ. Et adde quod dictio A. C. de actio empt.* Dictio autem, 16
In, deſignat intereſſentiam, ſeu intrinſecitatem in loco, *l. 1.
§. in publico flumine ff. de fluminib.* & per illum textum Bart.
in l. Gallus § ille caſus n. 3. verſ. Secundo caſu ff. de lib. & poſth.
Alex. *conſ. 22. Conſideratis verbis n. 8. lib. 4.* ſeu intrinſeci-
tatem in actu, *l. 1. §. Ex incendio ff. de incend. ruin. naufrag.*
notat Imol. in Clem. *Cauſam n. 34. de elect.* Tertiò Epiſco- 17
pus in Synodo conſtitutiones facere poteſt de conſilio Capi-
tuli tantùm, ut §. Congregatio decidit, & eſt communis opi-
nio, ut per Henric. Bottæum *de Synodo p. 3. n. 137. & 141.*
ergo multò magis deſignabit ſine conſenſu judices, *cap. Ex
parte, il terzo, de decimis*. Quartò, Cùm Concilium in
ſubſtitutione judicis Synodalis in locum defuncti requirat
conſilium Capituli, non eſt credendum in Synodo voluiſſe
conſenſum Synodi, quia in dicto caſu ſubſtitutionis ſaltem
requiſiviſſet conſenſum Capituli; quod in locum Synodiā
Concilio eſt ſubrogatum arg. *c. Eccleſia, il primo, ut lit. pend.
cum ſimilib.* atque ita retorquetur ſecunda conſideratio pro
contraria parte ſuperiùs propoſita.

DE

DE PRIVILEGIIS.

Idem Innocentius III. Abbati & Conventui ſancti Petri Eugubin.

CAPUT XII.

1 CUm olim eſſemus apud Peruſium conſtituti, & tu fili Abbas privilegium Lucii Papæ nobis præſentans poſtulaveris innovari, propter contradictionem Eugubini Epiſcopi aſſerentis hoc in ſuum præjudicium redundare, non fuit effectui mancipatum: & infrà. Te igitur & præfati Epiſcopi procuratoribus, in noſtra præſentia conſtitutis, B. Baſilicæ duodecim Apoſtolorum preſbytero Cardinali dedimus in mandatis, ut ſuper amiſſione, ac tenore privilegiorum teſtes reciperet, quos duceres producendos: qui fideliter redegit in ſcriptis depoſitiones decem teſtium juratorum, quorum depoſitionibus publicatis, dicti procuratores ad producendos teſtes, per quos inductos à parte adverſa repellerent, inducias poſtularunt: quas ſub eo tenore illis duximus concedendas, ut apud Sedem Apoſtolicam probarent, quæ vellent, ubi onus probationis pars altera ſubiiſſet; & infrà. Nos verò tam per depoſitiones teſtium, quàm aſſertiones quorumdam fratrum noſtrorum liquidò cognoſcentes, talem dicti privilegii fuiſſe tenorem; quòd videlicet cœnobium veſtrum nullo mediante ad Romanam Eccleſiam pertineret: & quòd non liceret alicui Epiſcopo, eidem Monaſterio, & ejus Eccleſiis excommunicationem indicere, ut fratres illic Domino ſervientes ab omnium poteſtate liberi, Romanæ Eccleſiæ libertatis gratia potirentur: & quòd nulla in eis mentio diœceſani Epiſcopi habebatur: illud etiam attendentes, quòd cùm tu fili Abbas tempore Cœleſtini prædeceſſoris noſtri ad ipſius præſentiam acceſſiſſes, ipſe inſpectis Eccleſiæ tuæ privilegiis, te (licèt excommunicatus ab Eugubino Epiſcopo dicereris) tamquam non ligatum admiſit ad oſculum (quod præſumitur non feciſſe, niſi Monaſterium veſtrum cognoviſſet ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter pertinere.) Decernimus privilegium illud Lucii Papæ, quod ſine reprehenſione bullæ, chartæ, vel litteræ apparebat, quando fuit nobis oſtenſum, illius fuiſſe tenoris, cujus per depoſitiones teſtium, & aſſertiones fratrum noſtrorum noſcitur extitiſſe.

SUMMARIUM.

1 *INſtrumenti perditi tenor probari poteſt per teſtes qui illud perlegerunt, & deponunt quod erat ſine vitio.*

2 *Iuſpatronatus Ducis Trajecti ſuper Prioratu S. Gregorii an probetur juxta formam Concil. Trid. & num. ſeqq. uſque in fin.*

3 *Iuſpatronatus perſonarum, in quibus præſumitur uſurpatio ultra immemorabilem probari debet per præſentationes quinquaginta annorum effectum ſortitas.*

4 *Uſurpationis præſumptio cadit in Dominis perpetuam iuriſdictionem habentibus.*

5 *Teſtes ſuper immemorabili quomodo deponere debeant.*

6 *Præſentationes effectum ſortita probari debent authenticis ſcripturis.*

7 *Iuramento partis quando ſit ſtandum ſuper ſcripturis deperditis.*

8 *Iuramento damnum paſſi de rebus abſtractis, vel abſumptis ſtatur tamen contra eum qui damnum dedit non contra tertium.*

9 *Inſtrumentum fuiſſe amiſſum non ſufficit probare niſi etiam probetur illius tenor unà cum ſolemnitatibus neceſſariis.*

Teſtes deponentes ſuper inſtrumentis deperditis debent eſſe periti, ibid.

1 C*Um olim* il primo. Contenta in inſtrumento perdito probari poſſunt per teſtes, qui illud perlegerunt, ſi deponunt de tenore, & quod erat ſine vitio. Hoc dicit, & non eſt alibi caſus ita clarus, Mar. Soc.

2 Ex hoc infero ad quæſtionem, quæ nuper emerſit in facto, videlicet, Poſitis teſtium depoſitionibus ſuper immemorabili, & inſtrumentis deperditis an conſtet de jure patronatus Ducis Trajecti ſuper Prioratu S. Gregorii ad præſcriptum Concilii Trid. *c. 9. ſeſſ. 25.*

3 Solutio. Non videtur conſtare ſufficienter: nam Tridentinum Concilium in his perſonis, in quibus jus patronatus plerumque ex uſurpatione quæſitum præſumi ſolet, ultra probationem temporis immemorabilis, requirit etiam
4 multiplicatas præſentationes annorum quinquaginta, quæ effectum ſortitæ fuerint. Familia autem Dominorum Pedemontis, utpote habens perpetuam juriſdictionem talis eſt, ut in ea ſit locus dictæ præſumptioni uſurpationis juxta deciſionem S. Congregationis. Et hoc caſu inpri- 5
mis non videtur probata præſumptio temporis immemorabilis: teſtes enim ſuper ea examinati non deponunt, ſe nunquam vidiſſe, aut audiviſſe à quopiam, a quo viſum vel auditum fuerit obſervari contrarium, id quod neceſſarium erat ad hujuſmodi tempus immemorabile probandum, juxta gloſ. ult. *in cap. 1. de præſcript. lib. 6. gloſ. 1. in l. Si arbiter ff. de probat.* Oldrad. *conſ.* 172. *Quia omnes fore obiectus num. 2.* Bald. *de præſcript. in 2. part. 3 partis principalis in 6. quæſt. num. 24.* latiſſimè Gabriel. *lib. 5. cum concluſ. tit. de præſcript. concl. 1. n.* 24. ubi teſtatur hanc eſſe receptam DD. opinionem, quàm etiam ſæpius ſecuta eſt Rota, & præſertim *in cauſa Sorana iuriſpatronatus* 28. *Aprilis* 1602. coram Pamphilio, & apud Seraph. *deciſ.* 136. *n.* 1.

Sed quatenus immemorabilis temporis præſcriptio plenè 6
probaretur, non tamen diceretur conſtare de jure patronatus, cùm non probentur ſcripturas authenticas multiplicatæ præſentationes. Quæ probatio ultra tempus immemorabile pro forma requiritur, & ideò non adimpletur probando per teſtes, de quibus Sacrum Concilium non confidit, ut ex mente S. Congregationis decidit Rota *in Sabinen. beneficii anno* 1582. coram Clemente VIII. *& in nullius Archipresbyteratus* 2. *Maii* 1588. coram Card. Pamphilio, & alias ſæpè ut apud Mantic. *deciſ.* 89. *ſub n.* 2. *verſ. Et hac quidem probatio*, & Gregorium XV. *deciſ.* 222.

Neque obſtat, quòd in proceſſu probetur depopulatum 7
eſſe Caſtrum Pedemontis, & Prætorium, in quo ſcripturæ hujuſmodi cuſtodiri ſolebant, ab Hiſpanis, cùm Caſtrum Pedemontis depopularentur concrematum fuiſſe, & ideò ſtandum videatur juramento partis de ipſis ſcripturis, earumque tenore, Afflict. *deciſ.* 12. *n.* 13. nam omiſſa nunc diſputatione, an tenor inſtrumentorum deperditorum in materia juris patronatus Potentium probari poſſit per teſtes, de quibus Concilium non confidit: reſpondetur delationem juramenti non habere locum in hoc caſu, in quo Dux Trajecti aut penitus ignorat, aut plenam notitiam per ſenſum viſus non habet inſtrumentorum, quæ in domo combuſta aſſervabantur, ut ex text. *in l. Marcellus ff. rer. amot.* tradit Papien. *in for. reſponſ. Rei n.* 12. *verſ. Secundò ſubiungit*, Maran. *in practic. iud. in 3. actu qua in iud. emerg.* 8
col. 2. ver. Quintò requiritur n. 3. Menoc. *de arb. iud. lib. 2. cent. 2. caſ.*

caſ. 130. *n.* 5. præſertim cum juramento damnum paſſi de rebus ſubtractis, vel abſumptis ſtetur tantum contra eum, qui damnum dedit, non autem contra tertium, qui non intulit violentiam, ad text. *in l. Si poſſeſſione C. de probat.* Jaſ. *in l. Si quando C. Vnde vi*, Plot. *in repet. eiuſdem legis num.* 38.

9 Accedit etiam, quod non ſufficit probare amiſſionem inſtrumenti, niſi probetur etiam id, quod in inſtrumento continebatur, ut hic eſt caſus: & quidem per teſtes peritos, ut Advocatos, & Procuratores, Bart. *in l. Sicut Cod. de diſ. inſtr.* & debent etiam deponere de ſolemnitatibus neceſſariis ad inſtrumentum, de quibus per Abb. *in cap.* 1. *de fid. inſtrumenti*, ut reſpondit Alex. *conſ.* 136. *vol.* 2, cum multis aliis, de quibus per DD. *in d. l. Sicut* Rip. *in l.* 1. *n.* 82. *&* 83. *ff. Si cert. pet.* Dec. *in cap.* 2. *n.* 81. *de probat. & conſ.* 82. Afflict. *deciſ.* 174. & probatur in textu noſtro in fine ibi: *Quod ſine reprehenſione Bullæ, Charta, vel littera apparebat.* Qui tenor inſtrumenti juris patronatus ex fundatione, vel dotatione nec probatus fuit, nec articulatus.

DE PRIVILEGIIS,

Idem Innocentius III. Epiſcopo Lingon.

CAPUT XVI.

CUm Capella ducis Burgundiæ gaudere dicatur hujuſmodi privilegio; quòd nullus Archiepiſcopus vel Epiſcopus in perſonas Canonicorum ejuſdem Capellæ, ſuſpenſionis vel excommunicationis, aut interdicti ſententias audeat promulgare: quidam Capellæ ſupradictæ Canonici, qui Parochiales Eccleſias à te tenent, occaſione privilegii prælibati, in his etiam, quarum juriſdictio ad te pertinet, ita ſe dicunt exemptos, ut quantumcumque graviter interdum excedant, tuæ correctioni recuſant & ſententiæ ſubjacere. Quocirca mandamus, quatenus in quantum exempti ſunt ejuſdem ratione Capellæ, Apoſtolicis privilegiis deferas reverenter: ſed in quantum ratione parochialium Eccleſiarum, vel aliàs juriſdictionem tuam reſpicere dignoſcuntur, officii tui debitum in eoſdem liberè proſequaris.

SVMMARIVM.

1 *EXemptus ratione certa rei, vel loci non cenſetur exemptus reſpectu alterius rei, vel loci.*

2 *Privilegium conceſſum perſonis cum adiectione loci eſt perſonale, ad locum tamen determinatum.*

3 *Exemptis Eccleſiæ Canonicis vel Clericis, Eccleſia non cenſetur exempta.*

4 *Exemptus reſpectu certi loci, ſi extra illum delinquat, non gaudet privilegio exemptionis.*

5 *Canonia poteſt obtineri cum beneficio curato de iure communi, ſecus poſt Concilium Tridentinum.*

6 *Capellæ Principum, & earum Capellani ſubſunt locorum Ordinariis, non autem Capellarum Magiſtris.*

7 *Epiſcopus fundat intentionem in tota diœceſi, & in qualibet ipſius parte ſuper exercitio ordinariæ iuriſdictionis.*

8 *Capellæ regiæ viſitari poſſunt ab Epiſcopo ex decretis Concilii Tridentini, licet habeant ex privilegio, ut ſint exemptæ à viſitatione Ordinarii.*

9 *Regia privilegia tolluntur per legem generalem, etiamſi de illis non fiat ſpecialis mentio.*

10 *Concilium Tridentinum* in cap. 11. ſeſſ. 24. verſ. Et quoad Capellanos regios, *non habet locum niſi extra viſitationem.*

11 *Exemptio ſuper certo articulo conceſſa, ad alium articulum non extenditur.*

12 *Exemptus ut ſuſpendi, interdici, vel excommunicari non poſſit, in reliquis puniri poteſt ab Ordinario.*

13 *Vna & eadem res diverſis reſpectibus poteſt diverſo iure cenſeri.*

14 *Exemptus ratione Canonicatus reſpectu Parochialis ſubeſt iuriſdictioni Epiſcopi.*

15 *Exemptus ſubeſt Epiſcopo ratione rei non exempta.*

16 *Exempta Eccleſia nec Parochus quoad curam animarum, nec Parochiani intelliguntur exempti.*

17 *Regulares, & ſeculares exempti curam animarum exercentes in concernentibus curam ſubſunt iuriſdictioni Epiſcopi.*

18 *Exempti tam ſeculares, quàm regulares ſacramentum aliquod de facto adminiſtrantes, & in aliis caſibus hic expreſſis an ſint ſubiciendi iuriſdictioni, & privationi Epiſcopi diœceſani, & n. ſeq. uſque in finem.*

19 *Conſtitutionis Gregorii XV. de exemptorum privilegiis origo, & compilatio, & num. ſeq. uſque in finem.*

20 *Regulares curam animarum non exercentes, ſed aliquod ſacramentum adminiſtrantes ex Concilio Tridentino non ſubſunt Epiſcopo.*

21 *Regulares prædicantes abſque licentia, vel benedictione Epiſcopi, aut Epiſcopo contradicente in vim Concilii non ab Epiſcopo, ſed à ſuis Superioribus regularibus ſunt puniendi.*

22 *Idem ſi audiant confeſſiones perſonarum ſecularium ſine Epiſcopi examine, & approbatione.*

23 *Iuriſdictio multoties conceditur ad cognoſcendum, non autem ad exequendum, vel perſonaliter diſtringendum.*

24 *Laicus effectus Clericus, vel Monachus poſt commiſſum delictum ſubeſt iudici ſeculari prævenienti quoad bona, ſed non quoad perſonam.*

25 *Iuriſdictio contentioſa in exemptos non cenſetur tributa niſi in caſibus in iure expreſſis.*

26 *Regulares adminiſtrantes laicis Sacramenta extremæ unctionis, Euchariſtiæ, vel Matrimonii abſque Parochi licentia an ſint excommunicati.*

27 *Executio eſt pars iuriſdictionis.*

28 *Regulares audientes confeſſiones Monialium ipſis ſubiectarum, aut bona Monaſteriorum earundem Monialiũ adminiſtrantes non ſubſunt Epiſcopi iuriſdictioni in vim Concilii Tridentini.*

29 *Exempti delinquentes circa clauſuram, vel perſonas intra ſepta degentes, vel adminiſtrationem Monialium an ab Epiſcopo puniri valeant.*

30 *Abbatiſſæ electioni an Epiſcopus intereſſe poſſit.*

C*Vm Capella.* Ratione unius beneficii dicitur ille 1
ſubiectus, qui ratione alterius cenſetur exemptus. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. Butr. Card. & alios communiter. Vel aliter, & melius ſecundum Abbatem exemptus ratione certæ rei, vel loci non cenſetur exemptus reſpectu alterius rei, vel loci. Sunt duæ partes. In prima ponitur querela. In ſecunda proviſio ibi, *quocirca.*

Nota primò privilegium conceſſum perſonis cum ad- 2
jectione loci, puta Canonicis talis Eccleſiæ non eſſe merè perſonale, nec merè reale; ſed perſonale ad locum tamen determinatum, & reſtrictum ſecundum Anton. de Butr. *hic n.* 3. & Marian. Socin. *n.* 4. *in* 4. *notab.* Et quidem 3
ex

Digitized by Google

ex eo, quod ſit perſonale, reſultat ut exemptis alicujus Ec-
cleſiæ Canonicis, vel Clericis, Eccleſia ipſa non cenſea-
tur exempta, ut per Innoc. & Hoſt. *in princ.* Joan. Andr.
num. 1. *verſ. Per hoc tamen*, & Anchar. *n.* 2. *in* 2. *notab.* &
eſt hodie expeditum *in c. Per exemptionem* §. *Verùm infra eod.*
4 *lib.* 6. Et ex eo quod ſit determinatum ad certum locum re-
ſultat, ut ſi exemptus extra illum locum delinquat, privile-
gium exemptionis ei non ſuffragetur, ut hic patet, & no-
tant Butr. & Abb. uterque *n.* 2. *in* 1. *notab.*

5 Secundò nota de jure communi poſſe quem habere
Canoniam cum beneficio curato quod tamen intellige, ut
notatur *in cap. De multa in fine de præben. in cap. Gratia
de reſcript. in* 6. *& in cap.* 1. *de conſuet. eod. lib.* ſecundum
Joan. Andr. *hic num.* 2. Cardin. *in princ. verſ. Nota quem
poſſe tenere beneficium curatum cum Canonia*, Anchar. *n.* 3.
in 3. *notab.* & Abb. *num.* 4. *in ult. notab.* quod tamen
non probat hæc littera, quia factum narrat ſecundum
Jo. Andr. *num.* 2. vel iſti Canonici habebant Parochiales
ex diſpenſatione prout hunc textum intelligit Hoſt. *in c.*
6 *Extirpandæ d. n.* 15. *verſ. Quarto ratione diſpenſationis
ſupra de præben.* Sed quidquid ſit de jure communi, hodie
ex Concilio Tridentino Canonicatus eſt incomparibilis
cum beneficio curato, cùm utrumque perſonalem reſiden-
tiam requirat, *ut in c.* 4. *ſeſſ.* 7. *& c.* 17. *ſeſſ.* 24. juncto *c.* 12.
ejuſdem ſeſſ.

7 Tertiò nota Capellas Principum, & Capellanos ibi ad-
miniſtrantes ſubeſſe locorum Ordinariis, non autem ma-
giſtris Capellarum: nam & ipſi Principes in ſpiritualibus
ſubſunt Epiſcopis diœceſanis, *ut in cap. Omnes Principes,
& cap. Solitæ de maior. & obed. cap. Duo ſunt* 196. *diſtinct.*
ergo multò magis Clerici Capellarum, & ipſa Capella,
ſecundum Abb. *hic num.* 3. & Marian. Socin. *eod. num. in*
3. *notab.* Epiſcopus enim fundat intentionem ſuper exer-
citio juriſdictionis ordinariæ in tota diœceſi, & in quali-
bet ejus parte, *ut* 10. *q.* 1. *per totam*, *cap. Omnes baſilicæ* 16.
q. 7. *c. Cum Epiſcopus de offic. ordin. lib.* 6. Caputaq. *deciſ.*
201. *par.* 2. Seraphin. *deciſ.* 1104. Sed conſtitutio de privile-
gio exemptionis ſervanda erit diſpoſitio hujus Decretalis,
quam Concilium Tridentinum non ſuſtulit excepta viſita-
tione, quin potius præſervavit *in cap.* 11. *ſeſſ.* 24. ibi, *Et
quoad Capellanos regios*, juxta Conſtitutionem Innocentii
III. quæ incipit, *Cum Capella*.

8 Dixi, *excepta viſitatione*, *quia d. cap.* 11. habet locum
extra viſitationem tantùm: unde Capellæ regiæ, earum-
que Capellani quantumcumque gaudeant prærogativa
exemptionis, poterunt nihilominus viſitari ab Epiſcopo
loci ex decretis *cap.* 4. *ſeſſ.* 6. *& cap.* 6. *ſeſſ.* 25. ut Sacra
Congregatio aliàs declaravit: nam cùm quidam Sacerdos
Regius Capellanus vocatus ad judicium coram Ordinario
loci poſtulaſſet ſe remitti ad Capellanum majorem ſub præ-
9 textu exemptionis, de qua habetur in Concilio, *cap.* 11.
ſeſſ. 24. Sacra Congregatio cenſuit *cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *& c.* 4.
ſeſſ. 6. comprehendere Capellas regias etiamſi in privile-
giis eſſet dictum, ut non poſſent viſitari ab Ordinariis,
quia cùm d. cap. 6. deroget etiam fundationi, & immemo-
rabili, cenſetur derogare iſtis privilegiis. Non obſtat, quod
privilegia regia non cenſeantur ſublata, niſi in ſpecie dica-
tur: quia fallit in lege generali, & quando Concilium voluit
10 exprimere, expreſſit. Dictum autem c. 11. non procedere
in actu viſitationis, & ſic intelligendum, quando extra vi-
ſitationem Ordinarius vult procedere.

11 Quartò nota exemptionem aliquando concedi non ge-
neraliter, ſed ſuper certo articulo, prout hic erat, quia
Canonici Capellæ Ducis Burgundiæ non fuerunt plenè in
omnibus exempti à juriſdictione Ordinarii, ſed in hoc
tantùm, ut non poſſent ſuſpendi, interdici, vel excom-
12 municari. In aliis ergo puniri poterunt, quia exemptio
ad alium articulum non extenditur, ſecundum Innoc. *hic
num.* 1. *verſ. Item nota*; unde Abb. Antiq. ſic ponebat ca-
ſum brevem videlicet: Secundum privilegii formam tan-
tùm quis privilegiatus cenſetur: ergo privilegii verba
ſunt diligenter ponderanda, *cap. Porrò ſupra eod.* propter
varias exemptionum formas, de quibus *in c. Si Papa infra
eod. lib.* 6. & cùm ſint contra jus commune, ad conſequen-
tiam non ſunt trahenda, ſicut nec jus ſingulare, *ut l. Quod
verò ff. de legib.* ſecundum Petr. de Anchar. *hic n.* 1. & Ma-
rian. Socin. *n.* 2.

13 Quintò nota poſſe contingere, ut quis certo reſpectu
ſit ab Ordinario exemptus, & alia conſideratione ſit eidem
ſubjectus, & ſic una, & eadem res, vel perſona diverſis
reſpectibus, ſeu qualitatibus poteſt diverſo jure cenſeri;
concordat *cap. Cum olim*, & quod ibi not. *ſupra de re ju-
dic. in cap. Ex litteris ſupra de probat. & in l. Si Conſul. ff.
de adopt. & in cap. Raynutius, & in cap. Raynaldus, ſu-
pra de teſtamen.* Quod nota ad limitationem regulæ quæ
habetur *in cap. Frater noſter* 16. *quæſt.* 1. *cap. Cognovimus*
12. *quæſt.* 2. *& cap. Cum in tua de decim.* & alterius regulæ
de qua *in l. Si duobus ff. de ſtatu liber.* ut hic pleniùs declarat
gloſſa.

Ultimò nota exemptum ratione Canonicatus ſi obtineat 14
Parochialem Eccleſiam reſpectu ejuſdem Parochialis, &
ſic in his quæ curam animarum, & Sacramentorum ad-
miniſtratione concernunt, Ordinarii juriſdictionem de-
clinare non poſſe: nam exemptus ratione rei non exem-
ptæ ſubjacet juriſdictioni ordinarii ad hoc *cap. Quoniam* 15
infra eod. & cap. 1. §. *ult. in verb. Quoad hoc eod. tit. lib.* 6.
ſecundum Innocen. *hic num.* 2. Ideòque exempta eccleſia
nec illius Presbyter, qui Parochianorum curam habet, 16
quoad ea quæ ad curam eamdem pertinent, nec ipſi Pa-
rochiani intelliguntur exempti, ut eſt caſus *in cap. Per
exemptionem de privil. in* 6. Quod apertius hodie ſanci- 17
tum eſt decreto Concilii Tridentini *in cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de
Regular.* ubi tam Regulares, quàm ſæculares animarum
curam perſonarum ſæcularium exercentes monaſteriis, ſeu
domibus regularibus incumbentem immediatè ſubjiciuntur
juriſdictioni viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus
diœceſi ſunt ſita.

QUÆRO, An exempti tam ſæculares, quàm regula- 18
res Sacramentum aliquod de facto adminiſtrantes, & in
aliis caſibus infraſcriptis ſint ſubjiciendi juriſdictioni, &
punitioni Epiſcopi.

In diœceſi Gyennenſi nonnulli exempti etiam Ordinum 19
Militiarum tametſi Parochi non ſint, nec curam animarum
ſuis eccleſiis, vel monaſteriis incumbentem exerceant,
nec ad eam fuerint ab Ordinario examinati, & approbati,
tamen uti Parochi de facto, & abſque ulla ipſius Ordina-
rii licentia ſæpius matrimonia ſolemnizarunt. Et cùm 20
Cardinalis Epiſcopus vellet in eos animadvertere tam-
quam delinquentes circa Sacramentorum adminiſtratio-
nem ex decreto Trident. Concilii *cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Re-
gular.* exempti objecerunt decretum illud ad hunc caſum
non pertinere; loquitur enim de iis Regularibus, qui
curam animarum exercent in monaſteriis, ſeu domibus
virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum
cura perſonarum ſæcularium: hos enim ſubjicit Epiſco-
po diœceſano in his quæ dictam curam, & Sacramento-
rum adminiſtrationem concernunt. At hoc caſu exempti,
qui matrimoniis interfuerunt, id non egerunt ratione
curæ animarum. Ac propterea ob delictum ejuſmodi non
à Diœceſano, ſed ab eorum Superioribus Regularibus
ſunt puniendi ad ſuorum prilegiorum præſcriptum. Quem- 21
admodum Regulares quamvis prohibeantur in eccleſiis,
qui ſui Ordinis non ſunt, prædicare abſque Epiſcopi li-
centia, & in eccleſiis ſui Ordinis non petita ab Epiſcopo be-
nedictione, aut Epiſcopo contradicente ex ejuſdem Con-
cilii decretis *c.* 2. *ſeſſ.* 5. *& cap.* 4. *ſeſſ.* 24. tamen S. Con-
gregatio Concilii declaravit eos ſi contrafecerint non poſſe
ab Epiſcopo puniri, ſed à ſuis ſuperioribus dumtaxat.
Quando enim Concilium voluit attribuere Epiſcopis fa-
cultatem compellendi, aut puniendi Regulares exemptos,
id diſertis verbis expreſſit, ut patet *in c.* 13. *ſeſſ.* 25. *de regul.*
ibi: [Exempti autem omnes Clerici, ſive ſæculares, ſive
regulares ad publicas proceſſiones vocati accedere compel-
lantur,] *in c.* 3. *ſeſſ.* 6. *in c.* 4. *&* 14. *ſeſſ.* 25. *de regular.* at-
que alibi. Quod non fecit *in d. c.* 2. *&* 4. ubi verba non diri-
guntur in Epiſcopum, nec datur illi facultas coercendi, ſed
ſimpliciter ſit prohibitio regularibus.

Et ſimiliter quamvis decreto *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. cautum 22
ſit nullum Presbyterum etiam Regularem poſſe confeſſio-
nes ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id ido-
neum reputari, niſi aut Parochiale beneficium habeat, aut
ab Epiſcopo approbetur: tamen Regulares non curatos, qui
de facto confeſſiones ſæcularium audiunt abſque Epiſcopi
examine, & approbatione: S. Congregatio cenſuit non ab
Epiſcopo, ſed à ſuis Superioribus eſſe puniendos: nec ad hunc
caſum pertinere decretum d. c. 11. quod loquitur de exercen-
tibus curam animarum monaſteriis incumbentem. Nec
cap. Per exemptionem infra eodem lib. 6. quia loquitur de
Preſ-

Digitized by Google

Presbytero ; qui Parochianorum curam habet : Sicuti neque ad hunc caſum pertinet decretum *d. cap.* 11. *ſeſſ.* 24. Quod ſubjicit exemptos juriſdictioni ad præſcriptum hujus Decretalis, cùm hæc loquatur de exemptis, qui Eccleſiis Parochialibus præficiuntur. Unde eodem modo contendunt Regulares non poſſe ab Epiſcopo coerceri
23 ſupradictos, qui de facto matrimonia ſolemnizatunt. In multis enim caſibus jura dant poteſtatem cognoſcendi, ſed non exequendi, *ut l. A Divo Pio ff. de re judic. gloſ.* 1. *in Clem.* 1. *de foro competen.* & inter non ſubditos non eſt bona conſequentia : Epiſcopus habet juriſdictionem, ergo & perſonalem diſtrictionem, ut ait Anchatan. *in cap.*
24 *Ea quæ ſub num.* 17. *de regul. iur. in* 6. Ideoque laicus effectus Clericus vel Monachus poſt commiſſum delictum, licet quoad bona ſubſit juriſdictioni judicis ſæcularis prævenientis ; non tamen poteſt ab eo perſonaliter diſtringi, aut puniri ſecundum opinionem Jo. Andr. communiter receptam *in cap. unica ſupra de obligat. ad ratiocin.* Et ſimiliter etſi judex laicus quandoque de cauſis Clericorum cognoſcat, tamen coercere perſonas eccleſiaſticas, vel ipſarum bona per executionem realem non poteſt ſine mandato Epiſcopi, *cap. Vt fama de ſent. excomm.* Anchar. *in d. cap. Ea quæ ſub num.* 17. *verſ. Item licet territorium.*
25 Præſertim verò, quia actus concedendi licentiam interveniendi matrimoniis celebrandis, prædicandi in eccleſiis ſui, vel alterius Ordinis, & confeſſiones audiendi ſunt voluntariæ juriſdictionis ; à qua non rectè infertur ad juriſdictionem coercendi, quæ eſt contentioſa, & quæ nunquam cenſetur tributa in exemptos, niſi in caſibus à jure expreſſis, ut per Joan. Andr. Gemin. & Franc. *in cap. Epiſcoporum de privil. in* 6. Unde in ſimili quamvis in Clemen. 1. *de ſent. excomm.* Regulares utcumque exempti jubeantur ſervare interdicta Ordinariorum : tamen ſi interdicta non ſervaverint, non propterea ab eis puniri poſſunt ſecundùm Vitalin. ibi poſt Paul. *n.* 92.

Hæc cùm à Cardinali Epiſcopo ad S. Congregationem delata fuerint, viſa ſunt egere ſpeciali Sedis Apoſtolicæ remedio : nam etſi verba Concilii ſint clara, ideòque non admittant interpretationem, aut conjecturam voluntatis, abſurdum tamen eſſe, ut melioris conditionis ſint qui de facto nulla authoritate ſuffulti unum, vel plura Sacramenta adminiſtrare præſumunt, quàm qui illa adminiſtrant ratione curæ prævio examine, & approbatione
26 Epiſcopi, cùm præſertim ex Clement. *Quia contingit de privileg.* Religioſi qui Clericis, aut laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ adminiſtrare, matrimoniave ſolemnizare præſumpſerit, non habita ſuper his parochialis Presbyteri licentia ſpeciali, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi ; & locorum Ordinarii poſtquam de hoc ſibi conſtiterit poſſint eos excommunicatos facere publicè denunciari, licet hæc pœna excommunicationis quoad matrimonia fuerit poſtea ſublata decreto Tridentini Concilii *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* quod fuit contentum ſola pœna ſuſpenſionis, ut aliàs S. Congregatio declaravit. Sed nihilominus ex d. c. 1. nulla atque irrita ſunt matrimonia, ut proponitur, celebrata. Et valdè abſurdum videtur, ut cùm hæc concernant animarum ſalutem, & ſpectent ad curam, & ſolicitudinem Epiſcopi, ipſe habeat manus ligatas, & officium ſuum
27 hac in parte exequi non poſſit, cùm exequutio ſit pars juriſdictionis, *cap. Si Delegatus de off. Deleg. in* 6. & notat Jo. de Anan. *in cap. Significaſti in fine ſupra eod. tit. Ad hoc cap. Quia frater* 7. q. 1. & quod per illum textum notat Innocen. *in cap. Ad aures num.* 2. *ſupra de tempor. ordinat.* ubi ait : Vani capitis eſſet, qui diceret Prælatum non poſſe præcipere ſine cauſæ cognitione, & maximè in his, quæ pertinent ad ſuum officium : & ſequitur ibi Jo. de Anan. ante num. 4. Ob quam rationem viſa ſunt etiam egere ſpeciali proviſione duo inconvenientia ſuperiùs relata de Regularibus, qui prædicant verbum Dei ſine Epiſcopi licentia, vel benedictione, aut Epiſcopo contradicente, ac de iis, qui de facto ſæcularium confeſſiones audiunt ſine examine, & approbatione Epiſcopi ; Ideòque expedire, ut ſi Sanctiſſimo placuerit aliquid addatur ad prædicta Concilii decreta, & per generalem Conſtitutionem detur Epiſcopo facultas coercendi exemptos tam ſæculares, quàm regulares, qui in prædictis caſibus quoquomodo deliquerint, itaut ſive animarum curam perſonarum ſæcularium monaſteriis, ſeu domibus regularibus incumbentem exerceant, ſive aliàs eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent prævia Epiſcopi licentia, & approbatione : ſive quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto ſe ingerant in his quæ hujuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati plenè in omnibus ſubjiciantur. Et ſimiliter habeat Epiſcopus authoritatem puniendi quoſcumque exemptos tam ſæculares, quàm regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt abſque Epiſcopi licentia, & in eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum non petita Epiſcopi benedictione, aut ipſo contradicente prædicare præſumpſerint.

Paulò poſt Cardinalis Ludoviſius retulit in Sacra Congregatione Epiſcoporum Regularium abuſus circa monaſteria Monialium eis ſubjectarum, & cùm deliberatum eſſet de remediis, Cardinalis Ubaldinus retulit in S. Congregatione Concilii compilari Conſtitutionem circa privilegia Regularium, qui delinquunt in adminiſtratione Sacramentorum, & prædicant abſque Epiſcopi licentia, vel benedictione, aut Epiſcopo contradicente : & ne leges multiplicentur propoſuit è re eſſe, ut in eadem Congregatione agatur de aliqua proviſione etiam quoad monaſteria Monialium ; & hoc quoque caput inſeratur in eadem Conſtitutione, quod & reliqui omnes probarunt.

Itaque cùm de his deliberatum eſſet in S. Congrega- 28
tione Concilii habita die 17. Decembris 1622. Tametſi monaſteria Monialium Regularibus ſubjectarum non ſubſint Epiſcoporum juriſdictioni, ſed juſſa ſint à Concilio relinqui ſub eorumdem Regularium cura, & cuſtodia *in cap.* 8. *&* 9. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* & propterea Epiſcopi nullam habeant authoritatem in Regulares, qui earumdem Monialium confeſſiones audiunt, aut in eorumdem monaſteriorum adminiſtratores, ut aliàs Sacra Congregatio declaravit : quia tamen experientia docuit valdè expedire eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut Diœceſani circa hæc, & alia infraſcripta aliquam habeant facultatem ; Patres cenſuerunt Conſtitutioni, ut proponitur publicandæ addendum eſſe ; [Ut Epiſcopi habeant authoritatem approbandi Confeſſarios tam ſæculares, quàm regulares Monialium regularibus ſubjectarum, eoſque confeſſarios, & adminiſtratores ex legitima cauſa amovendi, ſaltem ubi Superiores Regulares ab Epiſcopo admoniti eos amovere detrectaverint, ad exemplum *cap.* 8. *& cap.* 14. *ſeſſ.* 25. *de regul.* ubi in caſibus ibi expreſſis regulares ſubjiciuntur Epiſcopis in caſum negligentiæ ſuperiorum.]

Deinde etſi exempti in concernentibus clauſuram mo- 29
naſteriorum Monialium etiam Regularibus ſubjectarum ſubſint Epiſcopòrum juriſdictioni tam ex diſpoſitione juris communis, *cap. Periculoſo de ſtatu regul. in* 6. quàm Trident. Concilii *in cap.* 5. *ſeſſ.* 25. *de regular.* Tamen huic decreto cenſuerunt addendum eſſe, ut exempti tam ſæculares, quàm regulares ſi deliquerint circa clauſuram, aut circa perſonas intra ſepta degentes, vel circa bonorum adminiſtrationem eorumdem monaſteriorum, ab Epiſcopo loci tamquam Delegato Sedis Apoſtolicæ puniri poſſint.

Poſtremò tribuendam eſſe Epiſcopis facultatem in ele- 30
ctionibus Abbatiſſarum præſidendi una cum Superioribus regularibus.

Quæ omnia cùm Sanctiſſimo D. Noſtro relata fuiſſent, placuit Sanctitati ſuæ, ut fieret Conſtitutio, & compilaretur in Sacra Congregatione Concilii.

Itaque injunctum eſt mihi, ut ſuper his minutam Bullæ conficerem, ac per manus deferrem, quæ tandem ſingulis articulis accuratè diſcuſſis, & à Sanctitate ſua approbatis promulgata fuit in hanc, quæ ſequitur formam.

GRE-

Digitized by Google

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabili Dei providentia Univerſalis Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus, præſidentes, paſtoralis noſtræ ſolicitudinis partes eſſe dignoſcimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut a dignis, & probatis tantum ſacerdotibus ſanctè adminiſtrentur Eccleſiaſtica Sacramenta; atque ut virginum Deo ſacrarum monaſteria diligentiſſimè cuſtodiantur, & viri aſſumantur idonei ad prædicationis officium ſalubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum eſt, nullum presbyterum, etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Necnon ut in monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum monaſteriorum, ſeu locorum familia perſonæ, tam regulares, quàm ſæculares ejuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt ſita: Itemque ut Epiſcopi univerſi ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus monaſteriis ſibi ſubjectis ordinaria; in aliis verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes: Atque ut regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia: contradicente autem Epiſcopo, nulli, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis, prædicare præſumant. Verùm quia experientia compertum eſt, eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, ut decretis ejuſmodi aliquid adjungatur, matura deliberatione noſtra, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, ut deinceps tam regulares, quàm ſæculares quomodolibet exempti, ſive animarum curam perſonarum ſæcularium monaſteriis, ſeu domibus regularibus, aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel beneficiis ſive regularibus, ſive ſæcularibus incumbentem exerceant; ſive aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent prævia Epiſcopi licentia, & approbatione; ſive quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto abſque ulla auctoritate ſe ingerant; in his, quæ ejuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni diœceſani Epiſcopi, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubjiciantur. Ad hæc tam regulares, quàm ſæculares hujuſmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem monaſteriorum Monialium, etiam regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo loci, ſimiliter tamquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Confeſſores verò ſive regulares, ſive ſæculares, quomodocumque exempti tam ordinarii, quàm extraordinarii ad confeſſiones Monialium, etiam regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & adminiſtrantes bona ad ejuſmodi monaſteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam regularibus ſubjectarum, pertinentia, ſive regulares extiterint, ſive ſæculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci adhibitis etiam ſuperioribus regularibus ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, ut ejuſmodi confeſſores, atque adminiſtratores admoneant: iiſque ſuperioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos confeſſores, & adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, unà cum ſuperioribus regularibus, quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorumdem monaſteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere; abſque ulla tamen ipſorum monaſteriorum impenſa. Ac demum habeat Epiſcopus tamquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumque exemptos tam ſæculares, quàm regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia; Et in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint. Itaut Epiſcopi in ſuprascriptis caſibus, & in prænominatas perſonas in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, uti ejuſdem Sedis delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes ſic per quoſcumque judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis, aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus; & ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuſvis alterius inſtituti, etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi, Monaſteriorum, Conventuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorumque quorumcumque tam ſæcularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, vel Conſuetudinibus, etiam immemorabilibus: exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conſervatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur; & quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet; tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad ea, quæ eiſdem præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus; cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterùm quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valvas Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eiſque detractis, earum exempla in eo loco relinqui. Ac volumus ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in judicio, & extra illud ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtro-

Digitized by Google

noſtrorum Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXII. Nonis Februarii, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

V. Dat.

S. de Urſinis.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

DECLARATIONES ALIQUOT SACRÆ Congregationis Concilii

Super Conſtitutione ſanct. mem. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, &c.

I. POſita ejuſmodi Conſtitutione, dubitatur, An liceat Epiſcopis viſitare altaria regularium Eccleſiarum, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, aut loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur confeſſiones perſonarum ſecularium.

II. An Epiſcopi poſſint regularibus praſcribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum confeſſiones audiant, vel alias illorum privilegia reſtringere, ac moderari in ſacramentis adminiſtrandis.

III. An facultas Epiſcopis per Conſtitutionem attributa in exemptos tam ſæculares, quàm regulares, intelligatur etiam tributa in perſonas nullius diœceſis.

IV. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus.

V. An per eandem Conſtitutionem in illis verbis poſſit Epiſcopus unà cum ſuperioribus regularibus quarumcumque Abbatiſſarum, &c. electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere: jus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur.

VI. An Confeſſores Monialium ante editam Conſtitutionem deputati, debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari.

VII. An ſuperiores regulares ſimiliter ante ipſius Conſtitutionis publicationem electi, ſeu deputati alia indigeant Epiſcopi approbatione pro confeſſionibus Sanctimonialium ſibi ſubjectarum audiendis.

VIII. An Confeſſiones, quas audiunt ſuperiores regulares electi, ſeu deputati, vel confirmati poſt publicationem, & ſcientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Epiſcopi approbatione, ſint nullæ, atque irritæ, necne.

IX. An regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, cenſeantur etiam approbati ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum.

X. An regularis ad audiendas confeſſiones Monialium unius monaſterii ab Epiſcopo approbatus confeſſiones Monialium alterius monaſterii audire poſſit.

XI. An Confeſſores regulares extraordinarii ſemel ab Epiſcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium confeſſiones pro una vice infra annum ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, poſſint, virtute dictæ approbationis, pluries tamquam Confeſſores extraordinarii earumdem confeſſiones audire abſque nova Epiſcopi licentia.

XII. Cùm in eadem Conſtitutione ſtatutum ſit, ut liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa ſuperiores regulares admonere, ut amoveant Confeſſores Monialium, atque adminiſtratores bonorum ad earumdem Monialium monaſteria pertinentium, iiſque ſuperioribus id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit: An ejuſmodi cauſam Epiſcopus ſuperioribus regularibus ſignificare teneatur.

XIII. An eadem Conſtitutio, quia parte ſupponit Epiſcopi juriſdictioni regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem eorumdem Monaſteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò ſolum in notoriis, & cum ſcandalo populi.

SAC. CONGREGATIO CARDINALIUM Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Conſtitutionem ſanct. mem. Greg. XV. de exemptorum privilegiis, nequaquam ſubjicere Regulares exemptos, quibus cura animarum perſonarum ſæcularium non incumbit Epiſcoporum juriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cùm in Sacramentis perſonis ſæcularibus adminiſtrandis iidem Regulares delinquunt: ac propterea

AD primum dubium reſpondit, Epiſcopis non licere in vim ejuſdem Conſtitutionis viſitare altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura perſonarum ſæcularium, nec loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi confeſſiones perſonarum ſæcularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Conſtitutionem nihil novi juris induxiſſe, nec ullam novam auctoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe: Ideòque in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Epiſcopos Regularibus præſcribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis adminiſtranda reſtringere, aut moderari. Quòd ſi aliunde Epiſcopis hujuſmodi facultas competat, illam non fuiſſe ab eadem Conſtitutione ſublatam.

Ad III. Cenſuit ejuſmodi facultatem non intelligi tributam Epiſcopis in perſonas nullius diœceſis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Jus confirmandi Abbatiſſas minimè fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum.

Ad VI. Confeſſores quidem extraordinarios Monialium nullatenus poſſe poſt Conſtitutionem illarum Confeſſiones audire, niſi priùs ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confeſſores ante Conſtitutionis publicationem deputatos poſſe, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confeſſionibus Sanctimonialium audiendis, abſque alio examine, & approbatione Epiſcopi. Quòd ſi contingat, ut illorum facultas à Sede Apoſtolica ultrà triennium prorogetur, tunc debere eos ab Epiſcopo examinari, & approbari.

Ad VII. Superiores Regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius Conſtitutionis publicatioοem: quibus alioquin facultas competat audiendi Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, poſſe, durante eorum officio, pergere ſine alia Epiſcopi approbatione in Confeſſionibus audiendis illarum tantùm, quæ ſponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui poſt Conſtitutionem eligentur, aut quoquomodo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, ſeu dignitatibus, expleto jam tempore à Conſtitutionibus cujuſque Ordinis, vel alias legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Sanctimonialium Confeſſiones audire, niſi priùs à Diœceſano Epiſcopo idonei judicati, atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confeſſiones hujuſmodi nullas, atque irritas eſſe.

Ad IX. Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum; ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.

Ad X. Regularem ad audiendas Confeſſiones Monialium unius monaſterii ab Epiſcopo approbatum, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius monaſterii.

Ad XI. Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe pluries in vim approbationis ejuſmodi illarum Confeſſiones audire: ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri ejuſmodi cauſam ſignificare Superioribus Regularibus, ſed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientiam Sacra Congregatio ſeriò oneravit, ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquomodo abutantur ejus rei in diſtricto Dei judicio rationem reddituri.

Ad XIII. Conſtitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi ſcandalo.

Quæ Sacræ Congregationis reſponſa ad ſe relata felic. record. Gregorius XV. & Sanctiſſ. D. N. Vrbanus VIII. in omnibus approbarunt.

A. Card. Caetanus.

Proſper Fagnanus S. Congreg. Secr.

DE PRIVILEGIIS, &c.

Idem Innocentius III. Auſonen. Epiſcopo.

CAPUT XVIII.

EX parte tua fuit quæſitum, utrùm Clerici & laici, qui litteras protectionis oſtendunt, in quibus perſonæ ſuæ expreſſo nomine, cum omnibus rebus ſuis ſub Apoſtolica protectione conſiſtere declarantur, à juriſdictione Epiſcopi diœceſani ſint exempti? Nos autem tibi reſpondemus, quòd per litteras hujuſmodi, ab Epiſcoporum ſuorum poteſtate minimè ſubtrahuntur.

SVMMARIVM.

1 *REceptio generalis perſonæ tantùm, aut perſonæ, & rerum ſub protectione Papæ, non eximit perſonam, nec res à iuriſdictione Epiſcopi.*

Exemptio alia eſt merè perſonalis, alia localis, vel mixta, ibid. verſ. Secundò nota.

Referendarii utriuſque, vel alterius Signaturæ, eorumque familiares, an etiam ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, ſint exempti ab Ordinariorum iuriſdictione, & num. ſeqq. uſque in fin.

2 *Referendariorum exemptio à iuriſdictione Ordinarii ex Bulla Pauli III. an ſublata fuit ex* cap. 1. ſeſſ. 24. *Conc. Triden. nu. 2. uſque ad nu. 12.*

Dictio, hujuſmodi, *ſimilitudinem inducit, & per ſimilitudinem demonſtrat, numer. 2.* verſ. Et quoad hoc.

3 *Referendarii ſunt cæteris officialibus, & Miniſtris Curiæ digniores, & cur, num. 3.*

4 *Referendarii non habent ſimpliciter titulum honorarium, ſed officium, & in quibus conſiſtat, & numer. 21.*

5 *Referendarii qualiter, & quando admittantur ad Signaturam Iuſtitiæ, vel Gratiæ.*

6 *Littera Apoſtolica quando dicantur gratiam, vel iuſtitiam continere.*

7 *Exemptionis indultum Referendariis conceſſum eſt ex debito iuſtitiæ in remunerationem laborum, quos ſuſtinent pro ſervitio Sedis Apoſtolicæ, & univerſalis Eccleſiæ utilitate.*

8 *Concilii Tridentini decretum* cap. 11. ſeſſ. 24. *procedit in cauſis criminalibus tantum, non autem in civilibus.*

9 *Ratio in procemio poſita reſtringit diſpoſitionem generalem ad limites ipſius rationis.*

10 *Eugenianæ Conſtitutioni quoad obtinentes beneficia non fuit derogatum à Concilio Tridentino, niſi in cauſis criminalibus.*

11 *Protonotarii Apoſtolici ex privilegio deferentes habitum, & rochettum non poſſunt in prima inſtantia coram Ordinariis locorum conveniri in cauſis civilibus ſummam 25. ducatorum auri de Camera excedentibus.*

12 *Referendariorum, eorumque familiarium exemptio ex Bulla Pauli III. ſublata fuit à Concilio Tridentino in* cap. 3. ſeſſ. 6. *&* cap. 4. ſeſſ. 14.

Declaratur, num. 16.

13 *Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati poſſunt procedere contra exemptos extra viſitationem, ſi in ſuis Eccleſiis reſideant; alias ſecus.*

14 *Dictio,* quicumque, *eſt effrænata, & comprehendit omnes etiam in ſublimi dignitate conſtitutos, & numer. 45.*

15 *Familiarium Referendariorum exemptio, de qua in Bulla Pauli III. ſublata fuit à Concilio Tridentino in favorem Epiſcoporum reſidentium, & numer. ſeq. Nec revixit per Conſtitutionem Sixti V. numer. 20. & 51.*

Referendariorum exemptio, de qua in Bulla Pauli III. ſublata eſt à Concilio Tridentino etiam in cauſis civilibus.

18 *Referendariorum exemptionem à Concilio Tridentino ſublatam fuiſſe probatur etiam ex Conſtitutione Sixti V.*

19 *Bulla Sixti V. qua Referendarii eximuntur à iuriſdictione Ordinariorum, expenditur, & num. ſeq.*

21 *An eadem Bulla ſuſtulerit decreta Concilii Tridentini quibus exempti ſubjiciuntur Ordinariis, ut Sedis Apoſtolicæ delegatis.*

22 *Papa nunquam ita eximit aliquem à iuriſdictione quin ipſe poſſit per ſe, vel ſuos delegates procedere.*

23 *Iuriſdictione Ordinarii ſublata, non cenſetur ſublata iuriſdictio per ſedem Apoſtolicam delegata.*

Declaratur, num. 25.

24 *Exemptio à viſitatione, ſub generali exemptione à iuriſdictione non comprehenditur.*

Declaratur, num. 30. & ſeqq.

25 *Exemptionis privilegium potius intelligi debet, ut in ſuo caſu corrigat ius præcedens, quàm ut ſit inane, & eluſorium.*

26 *Conſtitutio poſterior tollit decreta Concilii Tridentini contraria, etiamſi eidem Concilio ſpecialiter non deroget.*

27 *Papa eſt iudex ordinarius exemptorum, & nu. 48.*

28 *Exemptiones à iuriſdictione Ordinarii etiam in poſterum concedendæ, quæ titulis honorariis ſunt annexa, ſublata ſunt à Concilio Tridentino.*

29 *Conſtitutio poſterior edita motu proprio, & ex certa ſcientia derogat primæ contrariæ etiam habenti clauſulam derogatoriam ad futuras diſpoſitiones.*

30 *Cardinales quatuor à Paulo III. creati per litteras in forma Brevis poſt eius obitum exhibitas, ibid.*

31 *Verba univerſalia, & geminata includunt etiam ea, quæ alias non includerentur, & nu. 44.*

32 *Legati facultas conferendi beneficia, an comprehendat beneficia Papæ reſervata.*

33 *Exempti Sedis Apoſtolicæ immediatè ſubiecti non ſubſunt viſitationi Ordinarii.*

34 *Referendarij an ſint veri familiares Papæ, an verò ex privilegio, & num. ſeq. uſque ad nu. 46.*

35 *Familiaritas vera, & non ficta conſtituitur ex commenſalitate, & ſervitio, & num. ſeq.*

36 *Cardinales non ſunt Papæ familiares.*

Item

Item nec Rote Auditores, ibid.

37 *Familiares veri non conſtituuntur ex eo, quod recipiantur à Papa in veros, ac proprios familiares, niſi inſiſtant circa ſervitia, & vivant expenſis illius.*

Conſtitutio Pauli III. ſuper familiaritate Referendariorum expenditur, ibid.

Princeps poteſt contra veritatem fingere, ſed non veritatem immutare, nu. 37. verſ. Et Princeps.

38 *Iuſpatronatus conceſſum à Papa cum clauſula*, ut ſit perinde ac ſi eſſet ex fundatione, vel dotatione laicorum etiam Regum, *cenſetur ex privilegio, & eſt abrogatum à Concilio Tridentino.*

39 *Referendarii ratione beneficiorum, quæ obtinent, an ſubſint iuriſdictioni Ordinarij.*

40 *Referendariorum exemptio ab Ordinariorum iuriſdictione an ſit reſtringenda, ut non habeat locum ratione delicti, ſeu contractus, aut rei litigioſæ, & num. ſeq. uſque in fin.*

41 *Exemptorum duæ ſpecies.*

42 *Intellectus* cap. Volentes, de privil. lib. 6. *& nu. ſeq. & num.* 45.

43 *Conſtitutio iuris veteris declaratoria novum ius non inducit, ſed quod prius latebat, manifeſtat.*

45 *Exemptio à iuriſdictione Ordinarii, quantumcumque lata, reſtringitur ad tres caſus exemptos in* cap. 1. de privil. lib. 6.

46 *Exempti generaliter, & indefinite gaudent exemptione etiam cùm delinquunt, ſed contrahunt, aut res litigioſa conſiſtit in loco, ubi domicilium habent, quamvis idem locus exemptus non ſit.*

47 *Exemptio non inducitur per ſolam receptionem ſub protectione Sedis Apoſtolicæ.*

48 *Exempti à iuriſdictione Ordinarii ex hoc ipſo Papæ ſunt immediate ſubiecti.*

49 *Exemptiones mere perſonales non ſunt reſtricta ad tres caſus delicti, contractus, aut rei, ſed mixtæ tantùm.*

50 *Exempti etiamſi exiſtant in loco exempto, ſi tamen delinquant in loco non exempto, puta proyciendo lapides, &c. poſſunt puniri ab Ordinario.*

51 *Exemptus conveniri non poteſt in loco domicilii, ſi alibi delinquat, vel contrahat, aut res litigioſa conſiſtat.*

52 *Referendarii ſi obtineant beneficia Ordinarii ſubiecta, eorumdem beneficiorum ratione Ordinarii ſubiiciuntur.*

53 *Religioſus exemptus ſi accipiat executionem ultimæ voluntatis, pro huiuſmodi executione conveniri poteſt coram Ordinario.*

54 *Idem ſi ſuſcipiat adminiſtrationem Confraternitatis, vel Hoſpitalis.*

1 EX *parte, il ſecondo*. Receptus ſub protectione Papæ per hoc non cenſetur exemptus. Hoc dicit. Communis diviſio. Secunda ibi, *Nos autem*.

2 Nota primò generalem protectionem non eximere à juriſdictione Ordinarii. Butr. hic *num.* 3. & Anchar. in ultim. not. atque ita hujuſmodi protectio eſt ferè inutilis, ſicut confirmatio in forma communi, ut in *cap. Quia diverſitatem, ſupra de conceſſ. preben.* Sed dicendum eſt in hoc proficere, quia, ut inquit gloſſ. in *cap. Recepimus, in verb. Ad iudicium, ſupra eodem*: ſic receptis debetur major reverentia, quàm aliis, argum. *cap. Per tuas, de maior. & obed.* & Papa fortè citiùs movetur cùm injuſtè gravantur ad litteras concedendas. Dixi generalem protectionem, quia ſecus eſſet in protectione ſpeciali, cùm quis ſe, & ſua ſubmittit Papæ, juxta text. in *cap. Ad audientiam, de appellat.* ubi hanc differentiam inter generalem, & ſpecialem protectionem ponit gloſſ. *in verb. Noſtra protectioni*, Butr. & Anchar. proximè citati. Item ſecus eſſet, ſi aliqui reciperentur in proprios, & ſpeciales ſubditos, quia per hoc cenſerentur exempti, ut eſt expreſſum in *cap. Si Papa, verſ. Similiter, infra eod. lib. 6.* Non ſic ſi in proprios, & ſpeciales filios Romanæ Eccleſiæ ſint ſuſcepti: tales quippe exempti propterea non exiſtunt, ut ibi dicitur in *ver. Non ſic*, ubi corrigitur opinio Innocentii hic in *verſ. Secus autem*, & ibi plenè videas de pluribus exemptionum formulis.

Secundò nota nec ſuſceptionem Eccleſiæ ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, nec ſuſceptionem ſingularis perſonæ, aut perſonæ, & Eccleſiæ ſimul importare exemptionem à poteſtate Epiſcopi. De Eccleſia tantùm eſt text. in dicto *cap. Recepimus, ſupra eodem*, niſi ad judicium perceptæ libertatis Romanæ Eccleſiæ cenſus annuus conferatur, ut ibi deciditur, & in d. *cap. Si Papa, infra eod. lib. 6.* De perſona ſingulari ſeu de perſona cum rebus, eſt text. hic, & ita vitatur ſuperfluitas harum Decretalium, ſecundùm Abbatem, & Marianum Socinum. Ex quibus colliguntur duæ exemptionum ſpecies. Altera eſt merè perſonalis, cùm ſcilicet perſona ipſa ſimpliciter, & abſolutè eximitur. Altera eſt localis, ſeu mixta, id eſt cùm perſona eximitur reſpectu certi loci, puta Monachus reſpectu Monaſterii, vel Canonicus reſpectu Eccleſiæ, Abb. in *cap. Tuarum, num. 8. ſupra eod.*

Quid autem interſit inter has duas exemptionum ſpecies, & an perſonaliter exempti, ut Capellani, & familiares Papæ ſortiantur forum diœceſani ratione delicti, contractus, aut rei litigioſæ, dicam plenè in ſequenti quæſtione, præſertim à *num. 49.*

QUÆRO, An Referendarii utriuſque, vel alterius Signaturæ, eorumque familiares etiam ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, ſint exempti ab Ordinariorum juriſdictione.

Paulus III. in Conſtitutione, quæ incipit, *Debita conſideratione*, edita 30. Julii 1540. Referendarios multis, iiſque inſignibus privilegiis decoravit, licèt pleraque illorum poſteà ſublata fuerint per poſteriores aliorum Pontificum Conſtitutiones; & inter cætera tribuit illis exemptionem à juriſdictione Ordinariorum his verbis: *Et nihilominus Referendarios, ac illorum omnia, & ſingula beneficia, & officia eccleſiaſtica, quæ obtinent, ac in futurum obtinebunt, & in illis pro tempore deſervientes, ac Capellanos, familiares, & ſervitores ſuos tam præſentes, quàm futuros ab omni iuriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Prælatorum, & Ordinariorum locorum quorumcumque, & iudicum etiam à dicta Sede delegatorum, aut ſubdelegatorum quomodolibet nunc, & pro tempore exiſtentium eximimus, ac totaliter liberamus, ac ſub B. Petri, & Sedis prædictæ, ac noſtra protectione ſuſcipimus, nobiſque, & dictæ Sedi immediatè ſubiicimus, ac liberos, immunes, exemptos, ſuſceptos, & ſubiectos omnino conſtituimus, & declaramus, ac decernimus.*

Quo oppoſito pro ſolutione quæſtionis ante omnia diſcutiendum eſt, an hujuſmodi exemptio Referendariorum generaliter ſublata fuerit ex aliquo Tridentini Concilii decreto.

Et quidem hæſitari poteſt primò, an fuerit ſublata ex *cap.* 11. *ſeſſ.* 24. ubi decernitur, ut ſi quando aliquos honorariis titulis Protonotariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, Capellani regii, aut aliis hujuſmodi in Romana Curia, vel extra inſignibus decorandos eſſe placuerit, nihil ex iis privilegiis detractum eſſe Ordinariis intelligatur, quominus ii, quibus ea jam conceſſa ſunt, vel in poſterum concedi contigerit, ipſis Ordinariis tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis plenè in omnibus ſubjecti exiſtant.

Et quoad hoc decretum ponderanda ſunt verba illa, *& aliis huiuſmodi*; quæ apertè innuunt Concilium voluiſſe comprehendere non ſolùm Protonotarios, & eos, de quibus expreſsè meminit, ſed etiam alios conſimiles; atque ita in ſui latitudine videantur apta comprehendere etiam Referendarios, cùm & ipſi non aliter privilegio exemptionis potiantur, quam ratione tituli Referendariatus, cui ex indulto Sedis Apoſtolicæ exemptio annexa eſt, præſertim verò quia ſunt etiam Notarii Apoſtolici ex privilegio inſerto in ſupraſcripta Conſtitutione Pauli III. itaut propterea expreſsè, & nominatim videantur incluſi in dict. *cap.* 11.

Sed in contrarium facit, quia illa dictio, *aliis*, poſita in dict. *cap.* 11. importat omnimodam ſimilitudinem ad expreſſa, Bart. in *l. Sed & reprobari, num. 6. de excuſ. tut.* Bald. in *l. Si fugitivi, colum. ultim. C. de ſerv. fugit.* Bero. *conſ.* 41. *num.* 10. *vol.* 1. *& conſ.* 51. *num.* 29. quod haberet locum etiamſi dixiſſet, & aliis omnibus, quia nihilominus per hæc verba generalia non venirent majora, vel graviora, quàm expreſſa fuiſſent, caſus eſt in Clem. *non poteſt, de procur. in l. fin. §. Cui dulcia, de trit. vin. & oleo leg.*

Sed abſque dubio procedit hoc caſu, quia poſt verbum, *aliis*, Concilium adjecit etiam dictionem, *hujuſmodi*, quæ pariter ſimilitudinem inducit, *l. Demque, ff. de pign. cap. fin. de for. compet. lib. 6.* & per ſimilitudinem demonſtrat, *l. Hujuſmodi, de leg. 1.* & poſt certum ordinem expreſſum reſtringit diſpoſitionem adid, ad quod adjicitur, Feder. de Sen. *conſ. 25. numer. 4. in fin. verſ. Reſpondet iſta Conſtitutio*, ſed ſupra immediatè Concilium expreſſit habentes titulos honorarios Protonotariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, & Capellani regii. Ergo per ſubſequentia verba, aut aliis hujuſmodi non comprehendit Referendarios, quia non ſunt ſimiles expreſſis, ſed majores. Etenim, ut inquit Sarnen. *in compend. utriuſque Signaturæ*,
3 *num. 32.* [Referendarii inter officiales Curiæ digniores reputantur: nam in regulis prærogativarum, & expectantium primò omnium Referendarii ſcribuntur, deinde Protonotarii participantes, tertiò Correctores, poſteà Subdiaconi numerarii, quartò Auditores Rotæ, poſteà Clerici Cameræ, deinde Auditor Cameræ, & Abbreviatores actu officia ſua exercentes: itaque Referendarii ab ordine litteræ cenſentur digniores cæteris aliis, quia primò nominantur, *l. 1. & 2. ff. de Albo Scrib.* Ex ideò dato expectativarum concurſu inter prædictos officiales, Papa voluit Referendarios præcedere.] Hæc Sarnen. Rationem verò cur Pontifices voluerit Referendarios cæteris Officialibus anteferri, ſubjicit Auguſt. Aretin. in *§. fin. in princip. inſtit. de except.* quia quotidie apud principem, & in ejus præſentia; imò ſimul cum eo officia ſua exercent opere, & conſilio adjuvantes: quod alii Curiæ Officiales ſeorſim faciunt, nec ita immediatè Papam juvant: & ſequitur Joan. de Terra rub. *in tract. primogen. fol. 108. colum. 2.* & Sarnen. *loc. cit.* Quæ quidem ratio habetur etiam in antedicta Conſtitutione Pauli III. ibi, *Ut Referendarii noſtri, qui præ cæteris Officialibus, & Miniſtris noſtris propinquis nobis aſſiſtunt*, plures etiam Referendariorum prærogati-
4 vas recenſet ibidem Sarnen. *num. 32.* poſt Bart. in *l. Eos, Cod. de excuſat. mun. lib. 10.* & Rota *deciſ. 306. in novis, quæ eſt tertia, in tit. de remunc.* Præterea Referendarii non habent ſimpliciter titulum honorarium, ut Protonotarii non participantes, & reliqui, de quibus Concilium loquitur, ſed habent officium, videlicet libellos ſupplicatorios Summo Pontifici oblatos accipiendi, & cauſas coram ipſo introducendi, ſeu referendi, ut inquit Specul. *tit. in tit. de ſupplicat. §. 1.* & ante eum Innocent. in *cap. Ex litteris, num. 3. verſ. Et quidem libellus, de in integr. reſtit.* nec aliud dicunt gloſſ. 1. *in Authent. de Referendariis Sacri Palatii coll. 2.* dum ait, *Referendarios eſſe qui ſunt Advocati in Curia Principis, dictos ex eo, quod referunt vices hominum coram Principe*, & gloſſ. in *Authen. Quomodo oporteat Epiſcopos, §. Non autem aliter, in fin. in verb. Referendario*, dicens, *Referendarios eſſe qui ſtant in Curia, ut præſtent advocationem venientibus, ut dicta eorum referant*, quorum quidem miniſterium ſuſiùs explicatur à Sarnen. *in compend. utriuſq. ſignatur. num. 26.* relatis conſtitutionibus, & ordinationibus Alexandri VI. & habetur in antedicta Conſtitutione Pauli III. & in Conſtitutione Sixti V. de
5 qua infra *num. 29.* Et ad hujuſmodi officium non aſſumuntur niſi cognitæ, & ſpectatæ virtutis viri; nec quiſquam admittitur ad Signaturam juſtitiæ antequam ab illius Præfecto vocatis, & congregatis ad id ſex antiquioribus Referendariis examinatus fuerit; & ad hunc effectum ſaltem binas ſupplicationes, ſeu commiſſiones ſibi ab ipſo Præfecto ex tempore porrectas propoſuerit, & ſuffragiis eorumdem ſex Referendariorum, & Præfecti collectis taliter ſe geſſerit, ut relatione per eumdem Summo Pontifici facta, meruerit commendari, & approbari, præſtito priùs per eum in manibus ejuſdem Præfecti ſolito juramento ad præſcriptum ordinationis Alexandri VI. relatæ à Sarnen. *loco citato*. Et ad Signaturam gratiæ nemini patet aſcenſus, niſi ſaltem triennio in Signatura juſtitiæ fuerit laudabiliter verſatus: quorum etiam duodecim antiquioribus ſententiæ dicendæ in ipſa Signatura Gratiæ facultas exiſtit: & ſinguli Referendarii ante admiſſionem litteras Apoſtolicas ſub plumbo ſuper conceſſione ſui officii Referendariatus hujuſmodi tenentur expedire Datarii manu ſubſcriptas, prout hæc habentur in eadem Sixti V. Conſtitutione, licèt uſque ad tempora Alexan. VI. fierent ſolo verbo, ut per Sarnen. *ubi ſupra, num. 27.* Hujus autem officii contemplatione fuit illis conceſſum exemptionis privilegium, ut conſtat ex prædictis Conſtitutionibus Pauli III. in princ. & Sixti V. in *verſ. Cæterum ut Referendarii*. Ex hac ratione ab eodem Paulo III. Prælati, ac etiam familiares continui commenſales declarantur, & excellentiæ dignitate ſublimantur: quæ quidem omnia, & alia plura, quæ in eiſdem Extravagan. exarantur, nullatenus congruunt his, qui ſimplices titulos honorarios obtinent à Sede Apoſtolica: unde ſequitur ut Referendarii minimè comprehendantur in dict. *cap. 11. ſeſſ. 24.* ſub illis verbis & aliis hujuſmodi, quæ ſunt repetitiva ſimilium ut oſtenſum eſt ſupra.

Et confirmatur, quia quando in lege, aut canone ſunt enumeratæ minores, aut inferiores perſonæ, non poſſunt poſteà ſub generali clauſula, quæ ſubnectitur, majores ſeu ſuperiores includi, *cap. Sedes*, & ibi Ant. de Butr. *num. 10. de reſcript.* Bero. in *cap. 1. nu. 205. de judic.*

Corroborantur prædicta ex diverſitate indulti Referen- 6
dariorum à communibus indultis, & gratiis, quæ titulis honorariis à Sede Apoſtolica conceduntur, aliæ namque communes gratiæ procedunt ex mera liberalitate Papæ; & ideò ex parte recipientium dicuntur purè, & ſimpliciter gratiæ, *c. Significaſti, & ibi not. de præben.* ſi enim ſubeſſet neceſſitas Papæ dandi illam, non eſſet gratia, ſed quædam juſtitiæ executio; unde de talibus dicit lex ſub nomine liberalitatis debitum naturale perſolvi, *l. 1. C. de imponen. lucrat. deſcript. lib. 10.* litteræ etiam Papæ, quæ emanant pro illis, quibus Papa tenetur neceſſariò providere, appellantur propriè litteræ juſtitiæ, ut notatur in *cap. Cum ſecundum Apoſtolum, de præben.* ſimiliter lex conſtituit differentiam inter puram donationem, & remunerationem, quia donationem ſimplicem niſi certa ſolemnitate ſervata lex moderatur uſque ad certam ſummam: ſed non ita donationem remunerationis cauſa, ut *l. Aquilius, ff. de do-*
nat. Ad propoſitum ergo indultum exemptionis conceſ- 7
ſum Referendariis ex verbis narrativis Conſtitutionis Pauli III. ſuper quibus fundatur ejus intentio apparet eſſe quamdam remunerationem laborum, quos pro Sedis Apoſtolicæ ſervitio jugiter ſuſtinent, ut colligitur ex illis verbis Conſtitutionis; *Referendarii noſtri, qui præ cæteris Officialibus, & Miniſtris noſtris propinquius nobis aſſiſtunt circa ipſas ſupplicationes, & commiſſiones pro noſtro, & Apoſtolicæ Sedis honore, ac univerſalis Eccleſiæ utilitate, & aliàs gratis, prompta voluntate, indefeſsè laborant.* Et ibi, *Dignum, quinpotiùs debitum reputamus, ut illos ſpecialis benevolentiæ favoribus amplectamur, & præclaris dignitatum titulis decoramus.* Et ex Conſtitutione Sixti V. ibi, *Cæterum, ut Referendarii ad ſuſcipiendos pro dicta Sede labores eo promptiores reddantur, quo exinde ſpiritualibus, & temporalibus gratiis ſe cognoverint uberiùs eſſe refertos.* Ex quibus verbis, ut dixi, probatur quæ fuerit intentio Papæ, *Clement. 1. de probat.* fuit enim ſub nomine gratiæ debitum naturale perſolvere, dum dicit, *dignum, & debitum*. Non ergò propriè debet dici gratia, cùm fiat ex neceſſitate naturalis debiti, quia nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtit, *leg. Rem legatam, ff. de adimen. leg.* ac proinde revocatio privilegiorum, & exemptionum, quæ titulis honorariis à Sede Apoſtolica conceduntur ex mera gratia, nullatenus videtur extendenda ad exemptionem conceſſam Referendariis ex debito juſtitiæ, & in remunerationem laborum, & ita in terminis ſimilis gratiæ conceſſæ à Papa cum narrativa illa, *Dignum quinpotiùs debitum*, per conſiderationes prædictas conſuluit Petr. de Ancharr. *conſ. 295. Proclarioris, nu. 6. verſ. Quinto quod dicta regula*. In hoc tamen advertendum eſt, quia Rota tenet clauſulas illas, quæ in initio litterarum Apoſtolicarum ſolent apponi de virtute, & meritis ejus, cui fit gratia, ſolere apponi ex ſtylo, non autem per modum cauſæ, ut apud Seraph. *deciſ. 1428. nu. 10.*

Sed quatenus à Concilio in dict. *cap. 11. ſeſſ. 24.* ſublata 8
eſſet Referendariorum exemptio, tamen Sacra Congregatio declaravit decretum illud non habere locum in cauſis
civilibus, ſed in criminalibus tantùm. Nec obſtant ver- 9
ba univerſalia ibi poſita, quia omnia reſtringuntur ad limites rationis expreſſæ in proœmio, quæ ratio non congruit niſi exemptioni in cauſis criminalibus: illa enim propriè parit perturbationem in juriſdictione Epiſcoporum, & præbet exemptis occaſionem laxioris vitæ; non autem exemptio in cauſis civilibus. Abſolutum eſt autem rationem in proœmio poſitam regulare totam diſpoſitionem,

tionem, illamque reſtringere, ac limitare ad terminos ipſius rationis, Bald. *conſ.* 159. eleganter, & copioſè, *numer.* 4. *verſ. Niſi dicamus*, *lib.* 2. Lap. *alleg.* 101. *num.* 24. Et exceptio, quæ fit de Capellanis regiis, itidem habet locum in cauſis criminalibus dumtaxat, de quibus loquitur *cap. Cùm capella*, *ſupra eod.* ſecundùm ea, quæ in hac ſpecie tradit Rota *deciſ.* 744. *nu.* 2. *par.* 1. *diverſ.* unde firmat regulam in contrarium in criminalibus, non autem in civilibus, quia exceptionis natura eſt declarare regulam, non autem illam ampliare, ut comprehendat ea, quæ non ſunt de genere regulæ, Bald. *conſ.* 131. *Caſus talis eſt*, *verſ. Super ſecundo*, *lib.* 1. Alexan. *conſ.* 28. *Viſis, & accuratè*, *num.* 11. *verſ. Non obſtat, quod exceptio*, *lib.* 1. Roman. *conſ.* 359. *circa primum*, *num.* 13. *verſ. Veritas tamen:* & hac ratione exceptio, quæ fit in fine d. *cap.* 11. *ſeſſ.*
10 24. à Conſtitutione Eugeniana, quoad obtinentes beneficia ratione dictorum beneficiorum, non videtur habere locum in cauſis civilibus, nec eidem Eugenianæ videtur derogatum niſi in cauſis criminalibus, ut reperitur adnotatum in libris S. Congregationis manu Cardinalis Ca-
11 raſæ. Porrò quoad Protonotarios, de quibus loquitur d. *cap.* 11. S. Congregatio die 14. Decembris 1630. dicitur cenſuiſſe Protonotarios Apoſtolicos ex privilegio deferentes habitum, & rochettum non poſſe in prima inſtantia coram Ordinariis locorum conveniri in cauſis civilibus ſummam 25. ducatorum auri de Camera excedentibus: Hæc quoad *cap.* 11. *ſeſſ.* 24.

12 Sed ex aliis Concilii Tridentini decretis videtur ſublata exemptio Referendariis, eorumque familiaribus conceſſa in prædicta Extravagan. Pauli III. nempe ex *cap.* 3. *ſeſſ.* 6. juncto *cap.* 4. *ſeſſ.* 14. nam in dicto *cap.* 3. ſtatuitur ut nemo Clericus ſæcularis cujuſvis privilegii prætextu tutus cenſeatur, quominus ſi deliquerit, ab Ordinario loci tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato juxta Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat. Et quia decretum hoc non habet locum niſi in viſitatione, idcircò in dict. *cap.* 4. *ſeſſ.* 14. decernitur, ut omnes Eccleſiarum Prælati, ſi in ſuis Eccleſiis reſederint, quoſcumque ſæculares Clericos qualitercumque exemptos, qui aliàs ſuæ juriſdictioni ſubeſſent de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis quoties, & quando opus fuerit etiam extra viſitationem tamquam ad hoc Apoſtolicæ Sedis delegati corrigendi, & caſtigandi facultatem habeant quibuſcumque exemptionibus ipſis Clericis, ac eorum conſanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet ipſorum exemptorum contemplatione,
13 ac intuitu minimè ſuffragantibus. Et quoad hæc decreta, primò obſervanda eſt differentia inter Epiſcopos reſidentes, & non reſidentes: nam non reſidentes poſſunt procedere contra exemptos in viſitatione tantùm, eoſque punire punitione illa dumtaxat, quæ reſpicit morum correctionem in actu ipſius viſitationis, ut patet in dict. *cap.* 3. quod aliàs ita interpretata eſt S. Congregatio. Sin autem in ſuis Eccleſiis reſideant, punire poſſunt quoſcumque exemptos etiam pœna ordinaria, & extra actum viſitationis, ut conſtat ex d. *cap.* 4. quod clariùs habetur etiam in Conſtitutione Pii IV. ſuper Epiſcoporum reſidentia, quæ incipit, *De ſalute gregis*, edita ante Tridentini Con-
14 cilii publicationem. Deinde obſervanda ſunt verba illa d. *cap.* 4. *ſeſſ.* 14. *quoſcumque Clericos ſæculares*, nam dictio illa, *quoſcumque*, univerſalis eſt, & nihil penitus excludit, *cap. Solitæ*, *verſ. Quodcumque ligaveris*, & ibi Abb. *in ult. notab. de maiorit. & obed.* *cap. Quamvis*, & ibi Archid. *in ver. Quocumque*, *de off. ordin. lib.* 6. Rom. *conſ.* 31. *Viſis his*, *nu.* 2. ita ut comprehendat omnes etiam in ſublimi dignitate conſtitutos, & ſpeciali nota dignos, ſecundùm gloſſ. 1. in *cap. Quicumque*, & ibi etiam Archid. *in princ. de ſent. excomm. lib.* 6. & eſt text. in d. *cap. Solitæ*, & eò magis, quia verbis illis, *quoſcumque Clericos ſæculares*, adjiciuntur à Concilio verba, *qualitercumque exemptos*. Item verba, *quibuſcumque exemptionibus*; quæ quidem geminatio, & inculcatio dictionum univerſalium non videtur dubitandum, quominus comprehendat etiam exemptionem Referendariorum quantumvis amplam, ac generalem, ut latè per Cravett. *conſ.* 294. *Verba tranſactionis*, *per tot.*
15 Obſervandum eſt denique non ſolùm exemptionem Referendariorum, ſed etiam eorum familiarium, & capellanorum expreſsè, ac nominatim ſublatam fuiſſe in favorem Epiſcoporum reſidentium, ex d. *cap.* 4. *in fin.*

Verumtamen hæc duo decreta procedunt *in* criminalibus tantùm, ut conſtat ex verbis dict. *cap.* 3. *ſeſſ.* 6. ibi, *ad corrigendum ſubditorum exceſſus*, quæ deſumpta ſunt ex *cap. Irrefragabili*, *de offic. Ordinar.* & ibi, *Si deliquerit, ab Ordinario loci viſitari, puniri, & corrigi valeat:* nec non ex verbis d. *cap.* 4. *ſeſſion.* 14. ibi, *de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis etiam extra viſitationem corrigendi, & caſtigandi facultatem habeant*. Itaque quod pertinet ad decreta *cap.* 11. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *ſeſſ.* 7. *& cap.* 4. *ſeſſion.* 14. in cauſis civilibus ſalva manet Referendariorum exemptio. 16

Porrò in cauſis tam criminalibus, quàm civilibus procedit decretum *cap.* 14. *ſeſſ.* 7. *in princip.* quod in cauſis exemptorum innovat, & ſervari jubet Conſtitutionem, *cap. Volentes*, *de privileg. lib.* 6. verùm hæc Conſtitutio ad perſonalem Referendariorum exemptionem non videtur pertinere, ut patebit infrà *à numer.* 40. *uſque in fin.*

Poſteà tamen immediatè dict. *cap.* 14. *ſeſſ.* 7. videtur et- 17
iam exemptionem Referendariorum in cauſis civilibus ſuſtuliſſe, dum addendo prædictæ Conſtitutioni *cap. Volentes*, in cauſis civilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum abſolutè jubet exemptos conveniri coram locorum Ordinariis tamquam in hoc à Sede Apoſtolica delegatis, & in aliis cauſis ita demum ſi certum judicem ab ipſa Sede in partibus deputatum non habeant; privilegiis, exemptionibus, Conſervatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valituris.

Hæc de Coſtitutione Pauli III. & decretis Concilii Tri- 18
dentini, à quibus exemptionem Referendariorum ſublatam fuiſſe, vel ex eo deprehendi poteſt, quod Sixtus V. ut mox dicetur, tribuit Referendariis exemptionem tamquam novum privilegium, ut innuunt verba Conſtitutionis, ibi, *ut Referendarii ad ſuſcipiendos pro dicta Sede labores exemptiores reddantur*, quo exindè ſpiritualibus, & temporalibus gratiis ſe cognoverint uberiùs eſſe refertos. Indubitatum eſt autem, ut inquit Oldrad. *conſ.* 326. *Quod articuli*, *num.* 16. quod ubi quid in viam gratiæ conceditur, neceſſariò ſubinſertur, ut in contrarium ſit jus commune, *l.* 1. *ff. ad munic. l.* 1. *C. de theſaur. lib.* 11. Ac præctereà cùm Paulus III. non ſolùm Referendarios, ſed etiam eorum beneficia, & familiares priùs exemiſſe à juriſdictione Ordinariorum ampliſſimis verbis univerſalibus, ac geminatis ut initio diximus, ſi prædicta exemptio ſalva eſſet, Sixtus V. concedendo exemptionem reſtrictam ad ipſos Referendarios dumtaxat, & verbis non adeò prægnantibus, utique non ſolùm tribuiſſet privilegium inane, & eluſorium contra *cap. In his*, *de privileg.* ſed illos ſegniores magis quàm promptiores reddidiſſet ad labores perferendos, eiſque non uberiores gratias conceſſiſſet, ſed potiùs ademiſſet, ac limitaſſet jam conceſſas contra declarationem ſuæ intentionis, quæ ex prædictis verbis colligitur, juxta Clem. 1. *de prob.* & tradita per Ancharan. *conſ.* 295. *n.* 6. *verſ. Quinto quod dicta regula*. Et inducta in favorem retorquerentur in odium contra *l. Quod favore*, *C. de legib. l. Si index*, *ff. de minor. cum vulg.*

Ergo Sixtus V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Quem-* 19
admodum, edita 22. Septembris 1586. Referendarios prævia illorum præfinitione ad numerum certum, iterùm eximit ab Ordinariorum juriſdictione his verbis: *Omnes, & ſingulos nunc, & pro tempore exiſtentes Referendarios utriuſque vel alterius Signaturæ in noſtros, & pro tempore exiſtentes Romani Pontificis familiares, continuos Commenſales gratioſè recipimus, & ab omni iuriſdictione Ordinariorum locorum quorumcumque eximimus, & totaliter liberamus, & nobis, ac dictæ Sedi immediatè ſubiicimus*. Et
quoad hanc Conſtitutionem cum ſoli Referendarii in ea 20
eximantur ab Ordinariis locorum nulla facta mentione familiarium; abſolutum eſt, familiares hujuſmodi utcumque exemptos in Conſtitutione Pauli III. in cauſis criminalibus ſubeſſe omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi ad præſcriptum *cap.* 4. *ſeſſ.* 14. In cauſis verò civilibus juxta terminos *cap.* 14. *ſeſſ.* 7. nam cùm hic caſus familiarium fuerit in ultima Conſtitutione Sixti omiſſus, remanſit in diſpoſitione Concilii, *l. Commodiſſime*, *ff. de liber. & poſth.* *cap. Cùm expediat*, *de elect. lib.* 6.

Sed quoad Referendarios pro abſolutione quæſtionis principalis tres articuli ſuperſunt examinandi.

21 Primus eſt, An prædicta Sixti Conſtitutio derogaverit decretis Concilii Tridentini in *cap. 3. ſeſſ. 6. in cap. 4. ſeſſ. 14. & cap. 11. ſeſſ. 24.* in quibus exempti ſubjiciuntur Ordinario tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato.

Secundus eſt, An Referendarii gaudeant omnimoda exemptione à juriſdictione Ordinariorum ex eo, quod à Sixto V. recepti fuerint in familiares, continuos commenſales Papæ.

Tertius caſus eſt, An eorum exemptio ſit reſtringenda ad limites, *cap. Volentes, de privil. lib. 6.* ita ut locum non habeat ratione delicti, ſeu contractus, aut rei de qua contra ipſos agitur.

Quoad primum ratio dubitandi oritur ex eo, quod cùm Sixtus V. exemerit Referendarios à juriſdictione ordinaria, non videtur ſuſtuliſſe diſpoſitionem Concilii, quæ ſupponit exemptos Ordinariis non ſimpliciter, & abſolu-
22 tè, ſed tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis: quandoquidem nunquam Papa ita eximit aliquem, quin ipſe poſſit per ſe, vel ſuos delegatos procedere, Abb. in *cap. Grave, num. 1. & 5. de offic. Ordin.* alioquin exempti eſſent acephali contra text. in *cap. Nulla ratione, 93. diſtin.* & tradita per Abb. in *cap. Novit, de judic.* Cùm tamen ſit de neceſſitate ſalutis ut omnis creatura ſubſit Papæ, ut in Extravag. *Unam ſanctam Eccleſiam*, & ibi gloſ. *de maior. & obed.* D. Thom. relatus à Felin. in *cap. 1. nu. 10. de Con-*
23 *ſtit.* Unde ſublata juriſdictione ordinaria, non cenſetur ſublata juriſdictio per Sedem Apoſtolicam delegata. Ob quam rationem in clauſula Conſtitutionis Pauli III. initio relata Referendarii eximuntur à juriſdictione quorumcunque Ordinariorum, & judicum à Sede Apoſtolica delegatorum, quod non fecit Sixtus V. & hæc interpretatio videtur in dubio amplectenda, quia per eam Extravagans Sixti V. conciliatur cum decretis Concilii, *§. His ita, 25. quæſt. 2. cap. 1. extra, de cognat. ſpirit.* Joan. Mon. *cap. 1. num. 2. de Conſtit. lib. 6.* expedit enim jura juribus concordare dict. *cap. Cum expediat, de elect. eod. lib. cum ſimilib.* Et pro hac parte ponderanda etiam ſunt verba dicti *cap. 11. ſeſſ. 24.* ibi, *vel impoſterum concedi contigerit*, quibus Concilium derogat etiam futuris exemptionibus decernens eas non obſtare, quominus ii, quibus deinceps concedentur, ſubſit Ordinariis auctoritate delegata. Quæ clariùs videntur procedere quoad viſitationem, quia de ea nulla fit men-
24 tio in Conſtitutione Sixti V. & ſub generali conceſſione exemptionum non comprehenditur exemptio à viſitatione, Rota *deciſ. 2. de cenſ. in Antiq.* Achill. *deciſ. 186. numer. 2. par. 1.* propterea enim Paulus II. in ſua Conſtitutione exemit Referendarios nominatim à correctione, & viſitatione Ordinarii: unde hic caſus tamquam omiſſus in Conſtitutione Sixti V. videtur remanſiſſe in diſpoſitione *cap. 3. ſeſſ. 6.* Concilii Trident. quo exempti ſubjecti ſunt viſitationi Ordinarii loci tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ.

25 Sed his non obſtantibus verior videtur contraria opinio: nam privilegium exemptionis Sixti V. ita intelligi debet, ut aliquid operetur, *cap. Abbate, de verb. ſignific. l. Quoties, la ſeconda, ff. de rebus dubiis*, Ant. de Butr. *conſ. 19. num. 3.* cùm præſertim utatur verbis prægnantibus, & geminatis: nam, ut inquit Butr. *ubi ſupra*, de privilegiis Papæ nihil vacare debet, & ſingula verba geminata debent aliquid importare, *cap. Romanorum, 19. diſtin. l. Si quando, ff. de inoff. teſtam. l. 1. C. de theſaur. lib. 10.* At Referendarii ex indulto Pauli III. jam exempti erant à juriſdictione tam ordinaria, quàm delegata, & dum poſtea Concilium ſubjecit exemptos Epiſcopis tamquam Delegatis Sedis Apoſtolicæ, exemptionem à juriſdictione ordinaria non vulneravit, ut per Abb. in dict. *cap. Grave, num. 1. & 5. de off. Ordin.* & dictum eſt ſuprà proximè. Unde ſi Sixtus exemiſſet Referendarios à juriſdictione ordinaria tantum nihil omninò illis contuliſſet, ſed ſolùm tribuiſſet exemptionem eis jam conceſſam a Paulo III. ac minimè ademptam, aut vulneratam à Concilio. Ergo ut Sixti privilegium aliquid operetur, dicendum eſt exemiſſe Referendarios ab Ordinariis etiam procedentibus auctoritate delegata, non quidem ex ſpeciali delegatione, ſed ex illa, quæ a Concilio generaliter annexa eſt juriſdictioni ordinariæ. Neque enim Conſtitutio Sixti, & Concilium poſſunt hoc caſu ad concordiam reduci, quia privilegium potiùs debet ita interpretari, ut in ſuo caſu corrigat jus præcedens, quàm ut ſit inane, & fruſtratorium, ut eſt caſus in *cap. In his, infra eodem*, ubi id not. Ant. de Butr. Abb. ac cæteri omnes, & in *cap. Abbate, verſ. Quia cum privilegium, inf. de verb. ſignific.* Cùm præſertim intentio Sixti fuerit Referendariis uberiorem gratiam facere, ut ad ſuſcipiendos pro Apoſtolica Sede labores promptiores reddantur, ut ſuperiùs ponderavimus.

Unde cùm Conſtitutio, & Concilium nequeant conci- 26
liari, ſtandum eſt Conſtitutioni tamquam poſteriori, *cap. 1. de Conſtit. lib. 6. cap. Vaſa, de conſecr. diſtinct. 1. cap. 1. ſupra de cognat. ſpirit.* gloſſ. Hug. Archidiac. & Præpoſ. *in cap. Domino Sancto, 50. diſtinct.* Bald. *conſ. 223. Primo ſtatuto, in princ. lib. 1.* Nec refert, quod Concilio Tridentino ſpecialiter non derogavit: nam cùm in eo auctoritas Sedis Apoſtolicæ non ſolum tacitè, ut in omnibus oecumenicis Conciliis, ſed etiam expreſsè, ac nominatim præſervata fuerit, ut legitur in *cap. ultim. ſeſſ. 25. de reform.* Quidquid ſit in aliis Conciliis generalibus per *cap. Ex parte, de Capell. Monach. cap. Eam te, de ætat. & qualit. & cap. Nonnulli, de reſcript.* certè Tridentino non eſt opus ſpecialiter derogare, ſed ſatis eſt, ut Summus Pontifex ſtatuat contrarium ejus, quod Concilium diſponit, ut aliàs reſolvit Sacra Congregatio, & praxis quotidiana obſervat. Neque enim in indultis, privilegiis, proviſionibus, ac diſpenſationibus, quæ aliquando ex legitimis cauſis à Sede Apoſtolica conceduntur Tridentinæ Synodo conſuevit expreſsè derogare. Quod etiam adnotavit Anaſtaſ. Germon. *de indult. Cardin. in §. Per quæ ſublatis, numer. 74. pag. 52.*

Nec propterea dici poſſunt acephali, quia remanent 27
immediatè ſubjecti Sedi Apoſtolicæ ad præſcriptum ejuſdem Conſtitutionis, & judicibus ab ea ſpecialiter delegatis, cùm Papa ſit Ordinarius judex exemptorum, gloſſ. in *cap. 4. in verb. Sedis Apoſtolicæ, de privileg. lib. 6.* Roman. *conſil. 369. Circa primum, num. 19. & ſeq.*

Neque obſtat, quod dict. *cap. 11. ſeſſ. 24.* videatur tol- 28
lere etiam futuras exemptiones in illis verbis, *vel impoſterum concedi contigerit*.

Primò enim reſpondetur decretum illud ad Referendarios non pertinere, ut ſuperiùs probatum eſt à *nu. 2. uſque ad num. 12.*

Deinde reſpondetur Concilium ibi in principio non egiſſe de privilegiis, & exemptionibus, quæ conceduntur ſpecialiter, & expreſsè, ſed de his, quæ veniunt concomitanter, & acceſſoriè ad titulos honorarios Protonotariatus, vel alios hujuſmodi, ut innuunt verba illa, *quæ variis titulis à Sede Apoſtolica conceduntur*. Et de his ſtatuit ut ſive jam conceſſa fuerint, ſive in poſterum concedantur, nihil ex iis detractum eſſe intelligatur juriſdictioni Ordinarii. Sed non impedit Concilium quin Romanus Pontifex poſſit concedere novas exemptiones, ut fecit Sixtus V. nec impedire potuiſſet, ut conſtat ex *cap. Significaſti, & cap. Innotuit, de elect. verſ. Quamvis autem Canon. Lateranen. Concilii.* Quod multò magis procedit hoc caſu ſtante præſervatione auctoritatis Papæ, de qua in dict. *cap. ult. ſeſſ. 25. de reform.* Unde Referendarii etiam poſt Concilium creati nõ gaudent quidem exemptione illa, quę huic titulo ante Concilium ex indulto Pauli III. annexa erat, cùm eadem exemptio fuerit à Concilio ſublata, quatenus in eo decreto comprehendantur Referendarii: ſed tamen ſalva manet exemptio, quàm poſteà illis Sixtus V. ſpecialiter impertitus eſt.

Tertiò reſpondetur illa verba Concilii, *vel impoſterum* 29
concedi contigerit, ad ſummum nihil aliud importare, quam clauſulam derogatoriam ad contrarias futuras litteras Apoſtolicas. At Sixtus V. cùm exemptionis privilegium Referendariis conceſſerit motu proprio, & ex certa ſcientia, & cum ampliſſimis derogationibus ad contrarias Conſtitutiones etiam habentes clauſulas derogatoriarum derogatorias, quarum tenores pro expreſſis haberi voluit: utique per clauſulas hujuſmodi ſuſtulit Conſtitutiones contrarias etiam habentes clauſulam derogatoriam, & annullativam eorum, quæ in contrarium fierent, Ant. de Butr. in *cap. 1. de reſcript.* Bart. in *l. Si quis, in princ. teſtam. de leg. 3.* Federic. de Sen. *conſ. 47. Habita ſuper caſu, nu. 2.* Alex. *conſ. 111. Perſpectis, lib. 6.* ubi conſuluit pro quatuor Cardinalibus creatis a Paulo II. per litteras in forma Brevis exhibitas poſt obitũ illius, & latiſſimè reſpondit eas litteras valere, & per prædictas clauſulas fuiſſe ſufficien-

ficienter derogatum Extravaganti Eugenii IV. incipien. *In
eminenti*: habenti clauſulam derogatoriam ad ſequentes
contrarias diſpoſitiones.
30 Item non obſtat, quod exemptio à juriſdictione non in-
cludat exemptionem à viſitatione: nam reſpondetur id non
procedere ſi exemptio concepta ſit verbis univerſalibus,
quoramvis in hoc conſiſtit, ut includat etiam ea, quæ a-
31 liàs in ſimplici, aut generali diſpoſitione non includeren-
tur, gloſſ. in *cap. Paſtoralis, de donat. in verb. Tempo-
raliter*, Salycet. in *l. 2. Cod. de noxal.* Dec. in *cap. Sedes,
collat. penul. in fin. de reſcript.* Aym. *conſ. 294. Verba tranſ-
lationis, num. 1. & ſeqq.* quod multò clariùs procedit hoc
caſu in quo Sixtus V. exemit Referendarios per verba
non ſolùm univerſalia, ſed etiam geminata, ibi, *ab om-
ni iuriſdictione quorumcumque Ordinariorum eximimus, &
totaliter liberamus*. Ex his, quæ plenè notantur per De-
32 cian. *conſil. 11. Sententiam clariſſimi, num. 11. & ſeq. vol.*
3. Unde in ſimili quamvis in verbis univerſalibus non ve-
niant regalia, & jura Principi reſervata: tamen ſecus eſt
ſi verba hujuſmodi univerſalia ſint geminata, Dec. *conſil.*
197. *col. 2. poſt medium, verſ. Præterea*, Jaſ. *conſ.* 161. *in
princip. lib. 2.* Similiter quamvis Papa det facultatem Le-
gato conferendi beneficia qualitercumque vacantia non
veniant beneficia reſervata, Rota *deciſ. 119. Legatus, vel
Nuntius, in novis, & deciſ. 36. Nota, Legatus, in an-
tiq.* aliud tamen eſt, ſi eadem facultas concesſa fuerit per
verba univerſalia, prægnantia, & geminata, ut declarat
Aym. *conſil. 209. Illuſtriſſimus Princeps, numer. 11. verſ.
Ad iſtud reſpondet.* Quod ſi diceremus hoc caſu Referen-
darios non eſſe exemptos à viſitatione, non verificaren-
tur verba illa, *ab omni iuriſdictione*, &c. cùm viſitatio ſit
de lege juriſdictionis, *cap. Conquerente, & cap. Dile-
ctus*, ubi gloſſ. *in verb. De lege iuriſdictionis, de offic. Or-
din.*
33 Accedit, quod cùm Referendarii in Bulla Sixti V. fue-
rint immediatè ſubjecti Sedi Apoſtolicæ: per hoc fuerunt
etiam exempti ab Ordinarii viſitatione, Calder. *conſ.* 456.
aliàs 14. *de cenſ.*
34 Quoad ſecundum articulum ſolutio pendet ab inſpe-
ctione, an Referendarii ſint verè, & propriè familiares
Papæ, an verò ſimpliciciter ex privilegio, abſolutum
eſt enim veros familiares frui omnimoda exemptione
à juriſdictione Epiſcoporum, ut inferiùs patebit: alioquin
eſſent deterioris conditionis, quàm familiares Cardina-
lium: quorum exemptionem idemmet Concilium Triden-
tinum præſervat in *cap. 11. ſeſſ. 24. verſ. Quæ verò*, præter-
quam ratione beneficiorum, quæ obtinent.
Et quidem Referendariis videntur primò ſuffragari ver-
ba Conſtitutionis Pauli III. initio relatæ, quæ videntur
veram familiaritatem importare, ibi, *Referendarii noſtri,
qui præcæteris Officialibus, & miniſtris propinquiùs nobis aſ-
ſiſtunt*.
Quibus itidem non videntur deeſſe requiſita Commen-
ſalitatis, cùm panem ex palatio habeant; & ſervitii, cùm
aſſiduè laborent circa ſupplicationes, & commiſſiones,
ut in eadem Conſtitutione ſubnectitur, ibi, *circa ipſas
ſupplicationes, & commiſſiones pro noſtro, & Apoſtolicæ Se-
dis honore, ac univerſalis Eccleſiæ utilitate indefeſſo labo-
rant*. Et in prædicta Conſtitutione Sixti V. ibi, *Ad ſuſci-
35 piendos pro dicta Sede labores*. Manifeſtum eſt autem ex
commenſalitate, & ſervitio conſtitui veram, & non
fictam familiaritatem, *cap. Cùm nobis, de verb. ſignificat.
lib. 6.* Oldrad *conſ.* 198. *Dominus, numer. 2.* Verall. *deciſ.*
54. *lib.* 1.
36 Sed in contrarium faciunt, quæ tradit Gomeſ. *in reg. de
impetr. benef. per obit. fam.* Card. *nu.* 2. ubi ait Cardinales
quamvis habeant panem ex palatio album, & ſerviant
Papæ, tamen non eſſe Papæ familiares; quia dicitur ſer-
vitium, & panis cauſa honoris, non cauſa familiaritatis,
quæ requirit ſervitium, & alimenta. Idemque de Rotæ
Auditoribus ex facto reſpondit Paul. de Caſtro *conſ.* 340.
præmiſſis allegationibus, per totum lib. 1. Ad hoc enim, ut
quis dicatur verè, & non fictè familiaris, oportet ut inſi-
ſtat circa perſonam, & vivat expenſis illius. Et de hoc di-
co debere copulativè concurrere, docent in dict. *cap. Cùm
nobis*, Archid. Joan. Andr. Gemin. Franc. & alii omnes,
& ita de ſtylo Curiæ obſervari teſtatur Gomeſ. *loc. citat.*
poſt Vitalin. in *Clem. fin. num. 34. & ſeq. de celebr. Miſſar.*
& Ægid. Bellam. *conſ. 20. num. 1. & 4.* Atque ut vivant ex-
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

penſis ejus, cujus ſunt familiares exigit etiam Concilium
Tridentinum in *cap. 5. ſeſſ.* 14. hi verò, qui non inſiſtunt
circa ſervitia perſonalia, & non habent expenſas, dicun-
tur ficti familiares, & non gaudent prærogativis familia-
rium, Paul. de Caſtro dict. *conſ.* 340. *num. 2. verſ. Cæte-
rùm, lib.* 1. & alii ſuperiùs relati. Et proptereà Sixtus V.
non declarat Referendarios eſſe tam familiares, & perpe-
tuos Commenſales, ſed ſimpliciter eos recipit in tales, ad-
jecto adverbio illo, *gratioſè*, innuens eos non verè, ſed
ex gratia, & privilegio familiares exiſtere: nam ſi habe-
rent requiſita commenſalitatis, & ſervitii, non fuiſſet opus
illos recipere in familiares ex gratia, ſed potiùs proceden-
dum fuiſſet per viam declarationis.
Nec refragatur, quod Paulus III. in Conſtitutione, 37
quæ incipit, *Ad perpetuam rei memoriam, Sanctiſſimus in
Chriſto Pater, Publicata 22. Decembris* 1534. quæ eſt pri-
ma in Bullario, declaraverit Referendarios licèt in Pala-
tio non habitent, nec in Tinello comedant, impoſterum
veros, & indubitatos Papæ, & non per privilegium, nec
fictè familiares continuos commenſales cenſeri, reputari,
& eſſe. Nam reſpondetur eam Conſtitutionem habere lo-
cum dumtaxat ad effectum regularum Cancellariæ, &
reſervationem Apoſtolicarum, ut colligitur tum ex *verſ.
Ita ut regulis tam editis, &c.* tum ponderando adverbium
illud, *impoſterum*, quod apertè oſtendit hujuſmodi Con-
ſtitutionem non eſſe propriè juris veteris declaratoriam:
nam ſi eſſet talis implicaret contradictionem, & repu-
gnantiam quamdam, ut non traheretur ad præterita,
ut inquit Dec. in *cap. final. num. 44. de Conſtitut.* Tum
denique quia ſi ex Conſtitutione Pauli III. Referen-
darii quoad omnia fuiſſent veri, & indubitati Papæ fa-
miliares, ineptum fuiſſet, ut Sixtus V. eos recepiſſet po-
ſteà in familiares ex gratia, eoſque exemiſſet ab Ordi-
nariorum juriſdictione, ut ſuperiùs eſt ponderatum.
Dicendum eſt igitur quoad alios effectus Referendarios
non obſtante prædicta declaratoria non eſſe veros familia-
res, ſed ex privilegio tantùm, deficientibus ſcilicet requi-
ſitis, nec gaudere prærogativis familiarium, *l. Alimenta,
§. Libertis, ff. de alimen. & cib. leg. Super, §. fin. ff. de iur.
immun. l. Qui ſub prætextu, Cod. de ſacroſ. Eccleſ. & dict.
cap. fin. in verb. Filiò, de verbor. ſignif.* ita Paul. de Caſtro
dict. conſ. 340. num. 7. verſ. Cæterum, lib. 1. Ratio eſt ſe-
cundùm eum, quia hujus vocabuli, *familiaris*, ſignifi-
catio certa eſt in jure; familiaris enim propriè, & verè di-
citur, quem Superior ſuper ſe, & ſui cultus cauſa tenet,
& continuus commenſalis ſuæ domus exiſtit, *l. Cùm quæ-
reretur, ff. de leg. 3. l. Aediles, §. Familia, ff. de ædil. e-
dict. & dict. cap. fin.* Sola autem profeſſio ſtatum perſonæ
non immutat, *l. Neque profeſſio, C. de teſtam. l. Non nu-
dis, & l. Non epiſtolis, de probat. l. Caius, ff. de Iurepat.*
Et Princeps quamvis poſſit contra veritatem fingere, ut pa-
tet in fictione poſtliminii, & legis Corneliæ, tamen veri-
tatem mutare non poteſt, *l. 1. C. Si ſe ab hæred. abſtin. l. In
bello, ff. de capt. & poſtlimin. reverſ.* Aſſumptio enim in
hanc familiaritatem, quæ non eſt, minimè poteſt verita-
tem immutare, *l. Aſſumptio, ff. ad municip.* Unde in ſimi- 38
li cùm Julius III. conceſſiſſet Franciſco de los Cobos juſpa-
tronatus; & præſentandi cum clauſula, ut hujuſmodi
juſpatronatus ejuſdem prorſus naturæ, roboris & effica-
ciæ eſſet, ac cujuſvis patronatus laicorum, etiam Nobi-
lium, Regum, Ducum, Marchionum, Baronum, & a-
liorum Principum; & perindè ac ſi ex nobilium dotatione,
& fundatione exiſteret, illique aliter per Romanum Pon-
tificem, & Sedem Apoſtolicam derogari non poſſet; &
quæſitum eſſet à S. Congregatione, an tale juſpatronatus
eſſet abrogatum à Concilio, necne? S. Congregatio cen-
ſuit eſſe abrogatum, cùm ſit juſpatronatus ad inſtar, &
ſic non Regum, nec ex fundatione.
Itaque Referendarii in vim prædictæ Extravagantis Pau-
li III. aut non gaudet exemptione à juriſdictione Ordina-
rii; cùm ſint ficti familiares quoad alios effectus, quàm
reſervationum, &c. aut ſi gaudent, hujuſmodi exem-
ptio poſteà ſublata fuit à Concilio Tridentino, & eò
magis, quia in eadem Extravagan. declarantur familia-
res promiſcuè non ſolùm Referendarii, ſed etiam Proto-
notarii, Acolythi, &c. quorum tamen exemptionem in-
dubitatum eſt fuiſſe abrogatam ex *cap. 11. ſeſſ.* 24. Unde 39
Referendariorum exemptio ex hoc capite familiaritatis vi-
detur ſatis turbida, præſertim ratione beneficiorum, quæ

Digitized by Google

obtinent : nam decretum dict. *cap.* 11. *ſeſſ.* 24. poſteaquam ſubjecit exemptos Epiſcoporum juriſdictioni, adjecit in fine clauſulam infraſcriptam. *Quæ verò privilegia reſidentibus in Curia Romana vigore Eugeniana Conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere ſolent, ea in iis, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minimè intelligantur, ſed Ordinariorum iuriſdictioni ſubiecti permaneant.* Concordat text. in *c.* 1. *verſ. Niſi forſan, de privil. lib.* 6.

40 Quoad tertium, & ultimum articulum, cùm privilegia, & reſcripta in dubio ad intellectum juris communis ſint referenda, *cap. Cum adeò, & cap. Cauſa quæ, de reſcript.* Anchar. *conſ.* 153 *Pro fratribus, n.* 3. non levis eſt difficultas, an exemptio Referendariis conceſſa à Sixto V. ſit reſtringenda terminos Decretalis Innocentii IV. in generali Concilio Lugdunenſi editæ, quæ habetur in *cap. Volentes, de privileg. lib.* 6. ubi declaratur exemptionis privilegium non ſuffragari ratione delicti, ſeu contractus aut rei, de qua agitur. An potiùs conſtitutio Sixti adverſatur prædictæ Decretali, *Volentes*, adeò ut tamquam poſterior illam cenſeatur ſuſtuliſſe per derogationem, quam ponit in fine ad contrarias Conſtitutiones etiam editas in generalibus Conciliis, juxta text. in *cap. Eam te, de ætate, & qualit. & in cap. Cum nonnulli, cum materia, de reſcript.*

41 Pro cujus dubitationis clariori explicatione repetendum eſt memoria, quod aliàs perpendit Sacra Congregatio in exemptione Regularium, nempe exemptorum olim duas ſpecies extitiſſe.

42 Prima ſpecies erat illorum qui generaliter, & indefinitè exempti erant ab Ordinarii juriſdictione, id eſt nulla facta expreſſione delicti, ſeu contractus, aut rei litigioſæ. Et quoad hanc exemptorum ſpeciem variè ſe torquebant DD. ſuper illius intelligentia, atque interpretatione, ut notatur in *cap. Tuarum, ſupra eod. & in cap. Placuit,* 6. q. 3. Quidam enim exiſtimabant exemptionem tamquam generalem eſſe generaliter intelligendam, ita ut locum ſibi vendicaret ubicumque committeretur delictum, *cap. Frater noſter,* 16. *q.* 6. *& cap. Sicut nobis, de ſupplen. neglig. Prælat.* & ubicumque iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, ad exemplum Proconſulis majoris, qui indiſtinctè non intromittit ſe de cauſis fiſcalibus, *l. Nec quicquam,* §. 1. *ff. de off. Proconſ.* Alii verò contra cenſebant eam eſſe reſtringendam ut non haberet locum ubi ſic exempti delinquerent, ſeu contraherent, aut res ſita eſſet in loco non exempto. Ad hanc verò altercationem dirimendam emanavit prædictum *cap. Volentes, de privil. lib.* 6. quo declaratum fuit exemptionem utcumque generalem in tribus caſibus prædictis non ſuffragari, ut ibi explicant Archid. & Joan. Andr. *in princ.*

Secunda ſpecies erat illorum, qui exempti erant non ſimpliciter, & indefinitè, ſed cum ſpecifica expreſſione dictorum trium caſuum delicti, ſeu contractus, aut rei. Et quoad hanc ſecundam ſpeciem prædicta Decretalis nihil novi ſtatuit.

43 Quod probatur primò, quia edita fuit ſolùm ad declarationem controverſiæ, quæ erat ſuper interpretatione exemptionis primæ ſpeciei, ut patet ex illis verbis, *declaratione irrefragabili diffinimus*, quæ indicant Pontificem noluiſſe novum jus inducere, ſed tantùm quod priùs latebat manifeſtare, ut illic pluribus comprobat Philipp. Prob. *in addit. ad Io. Mon.* poſt Geminian. *conſ.* 72. *col.* 1. *verſ. Contrarium:* hæc enim eſt natura declarationis, ut eſt caſus in *l. Heredes palam,* §. *Quod verò, &* §. *Sed etſi notam,* ubi id notant Bart. Paul. de Caſtro, & DD. *ff. de teſtam.* Ancharan. *conſ.* 65. *numer.* 2. Fulgoſ. *conſ.* 147. *in fin. verſ. Ad ſecundum,* Bellam. *deciſ.* 74. *col.* 2. *verſ. Ideo talis dicitur propria declaratio.* At circa exemptos hujus ſecundæ ſpeciei nulla ſuberat controverſia: non enim de his dubitari poterat quin eſſent exempti ratione delicti, contractus, ac rei ſitæ, quia hi tres caſus erant nominatim expreſſi in eorum privilegio, cujus tenor cùm eſſet clarus, omninò erat obſervandus, *cap. Porrò, cap. Cum plantare, ſupra eodem, & infrà, cap. Petiſtis, cum concord.* ergo *dict. cap. Volentes*, hanc ſpeciem exemptionis non comprehendit. Alioquin ſi ſuſtuliſſet exemptiones etiam in tribus caſibus prædictis, utique non declaraſſet privilegia exemptorum, ſed illa potiùs abrogaſſet, aut reſtrinxiſſet, ac novum jus induxiſſet: hoc autem repugnat Conſtitutioni juris veteris declaratoriæ, ut ſuperiùs dictum eſt, & in terminis dict. *cap. Volentes*, tradunt Gemin. & Prob. *loc. cit.*

Prætereà Innocentius IV. initio illius Decretalis declarat ſe velle ut libertas, quàm nonnullis Apoſtolica Sedes privilegio exemptionis indulſit, ſic integra obſervetur, ut & illam alii non infringant, & ipſi ejus limites non excedant: quibus verbis unde mens Pontificis, & cauſa finalis elicitur, ſatis conſtat tantùm abeſſe ut voluerit Apoſtolica privilegia infringere, ut potiùs expreſsè declaraverit ſe intendere, ut illa omninò ſalva, atque illibata permanerent.

Quibus ſic præhabitis dubitari poteſt, an exemptio Referendariorum, de qua in prædicta Conſtitutione Sixti V. ſit referenda ad primam, vel ad ſecundam ſpeciem exemptionis de qua ſupra: & ſic an ſit præſervata necne ab eadem Decretal. Innocentii IV. & à Concilio Tridentino illam innovante in *cap.* 14. *ſeſſ.* 7.

Et quidem ex una parte eorum exemptio videtur eſſe ſecundæ ſpeciei, & ſic præſervata ut ſupra, quia etſi in privilegio non exprimantur caſus delicti, contractus, ac rei, &c. tamen ſatis videntur expreſſi ex verbis clauſulæ ſuperiùs relatæ, quæ cùm ſint univerſalia, ac geminata, ponderando dictiones, *omni, quorumcumque,* & *totaliter*, nihil relinquunt intactum, Bald. *conſ.* 305. *Verba Principis, in princip. num.* 1. *verſ. Quoad verba, lib.* 1. & comprehendunt omnia, quæ excogitari poſſunt, Decian. dict. *conſ.* 11. *numer.* 11. *vol.* 3. Cravett. *conſ.* 294. *numer.* 1. *& ſeq.* ita ut vim habeant etiam ſpecialis expreſſionis, Bart. *in l.* 1. *in fin. ff. Si quis in ius vocan.* latè Cravett. *ubi ſupra num.* 2. 44

At in contrarium ſtat littera textus in dicto *cap. Volentes*, ubi Pontifex loquitur de totaliter exemptis, ibi, *quantumcumque gaudeant libertate*, per hanc enim, & ſimiles dictiones lex dicitur effrenatè loqui ſecundùm Archidiac. in *cap. Si tibi abſenti, col.* 2. *in ver. Quicumque, de præbend. lib* 6. & tamen declarat eos hujuſmodi libertate, & exemptione non gaudere in tribus caſibus ibi exceptis. Atque ita illum textum ad hoc ponderat Gemin. *conſ.* 72. *colum.* 1. *verſ. Contrarium*, ubi ait illum eſſe declaratorium privilegiorum concedentium exemptionem quantumcumque latam. Et infrà, [Ex his, inquit, infertur una concluſio, quod illi tres caſus, de quibus loquitur *cap. Volentes*, non erant incluſi in verbis privilegiorum exemptorum quantumcumque fuerit plena exemptio,] Cui quidem conſilio ſobſcripſerunt, ferè omnes Doctores Bononienſes, ut idemmet Gemin. teſtatur in *eod. cap. Volentes,* §. *fin. ad fin.* Et certè ſi exemptionum tenores inſpiciantur, apparebit nullam ferè conceſſam fuiſſe, niſi cum verbis, *ab omni, quacumque iuriſdictione*, aut *plene*, ſeu *totaliter*, *penitus*, & his ſimilibus: quare ſi Conſtitutio d. *cap. Volentes*, ejuſmodi exemptiones non comprehenderet, redderetur ferè inutilis, & fruſtratoria. Ex quibus videtur ſequi, ut Referendariorum exemptio recipiat declarationem, ac limitationem, de qua in eadem Decretali, ita ut locum non habeat ratione delicti perpetrati, contractus initi, aut rei exiſtentis in loco non exempto. 45

Et tenendo hanc opinionem non obſtat, quod cùm Referendarii nullum habeant locum exemptum, ſi exemptione frui non debeant, cùm delinquunt, ſeu contrahunt, aut res litigioſa conſiſtit extra locum exemptum, inde fiet ut nullo caſu exemptionis privilegio gaudeant, contra tex. in eodem *cap. Volentes, verſ. Numquid ergo carent omnino in his commodo libertatis.*

Nam reſponderi poteſt eos, qui habent privilegium exemptionis indefinitum, non ſolùm gaudere exemptione, cùm delinquunt, contrahunt, aut res ſita in loco exempto, quod verificari non poteſt in Referendariis; ſed etiam cùm delinquunt, contrahunt, aut res conſiſtit extra locum, ubi domicilium habent, quamvis idem locus exemptus non ſit; neque enim propterea conveniri poſſent in loco domicilii, ſicuti conveniri poſſent, ſi exempti non eſſent, Authent. *Si qua in provinc. Cod. Ubi de crim. agi opor.* Jo. Mon. in dict. *cap. Volentes, num.* 4. ubi reddit rationem, *de privil. lib.* 6. Ita diſertis verbis ſtatuitur in d. §. *Numquid ergo*, ibi, *quia nec ubi domicilium habent, ſi alibi delinquant, vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt delinquentes ſuper iſtis.* Atque ita quamvis Referendarii nullum habeant locum exemptum; non 46

tamen

tamen eorum exemptio redditur omnino inutilis, ex eo, quod reſtringatur ad tres caſus ut ſupra exceptos, quia poterit verificari in prædicto caſu domicilii.

47 Itidem non obſtat, quod Sixtus V. receperit Referendarios ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, atque illos immediatè ſubjecit: nam receptio ſola ſub protectione Sedis Apoſtolicæ exemptionem non importat, ut hic, & in *cap. Si Papa, eodem tit. lib. 6.* & dictum eſt ſupra *in primo not.*
48 Subjectio autem Sedi Apoſtolicæ nihil videtur operari in caſu, de quo agitur, quia cùm nemo poſſit eſſe acephalus, eo ipſo quod ab Ordinario eximitur, remanet Papæ ſubjectus, *cap. Nulla ratione, 93. diſtinct.* Et propterea paſſim dicunt DD. Papam eſſe Ordinarium exemptorum, gloſ. *in cap. Auctoritate, in ver. Sedis Apoſtolicæ, de privil. lib. 6.* & dictum eſt ſupra *num.* 27. unde quemadmodum generaliter exempti non gaudent exemptione in tribus caſibus exceptis in *d. cap. Volentes*, ita nec immediatè ſubjecti Sedi Apoſtolicæ, quia hæc ſubjectio cùm ſit expreſſio ejus, quod tacitè ineſt exemptioni, nihil præter exemptionem operatur, ad *l. 3.* & ibi Bart. *ff. de leg. 1.*

49 Cæterum etſi hæc ita ſe habeant; tamen ex alio capite cogitabam evitare poſſe hoc caſu diſpoſitionem *d. cap. Volentes, de privil. lib. 6.* nempè quia loquitur tantummodo de exemptionibus mixtis, id eſt conceſſis loco, & perſonis ſimul quales ſunt exemptiones Regularium, de quibus in *§. In eos autem*, & Canonicorum, contra quos de jure procedit Epiſcopus cùm delinquunt in loco non exempto, ut per Calder. *conſ. 127. alias 13. de iud. circa med. verſ.*
50 *Niſi quando delictum:* etiamſi exiſtant in loco exempto, ſi tamen in loco non exempto delictum committant, ſeu explicent, puta projiciendo lapides, vel aliter turbando Ordinarium cum campanis exiſtentibus in loco exempto, *cap. Patentibus, ſupra eod.* Gemin. *conſ. 72. num. 6. verſ. Nec obſtat, uſque in fin.* loquitur, inquam, prædicta Decretalis tantummodo de exemptionibus mixtis: nam cùm declaret exemptos quantumcumque gaudeant libertate, nihilominus poſſe coram locorum Ordinariis conveniri ſi delinquant, ſeu contrahant, aut res, de qua contra ipſos agitur conſiſtat in loco non exempto: neceſſariò ſupponit adeſſe aliquem locum exemptum, in quo prædicti tres caſus aliquando poſſint contingere. Ideòque in *§. Numquid ergo*, reſpondet tacitæ objectioni, quod per hujuſmodi reſtrictionem exemptio reddatur inutilis, ſolvit non propterea fore ut exempti careant commodo libertatis, quia gaudebunt exemptione, ſi delinquant, ſeu contrahant, aut res ſita ſit in loco exempto: quod cùm minimè conveniat exemptioni Referendariorum, quæ merè perſonalis eſt, neceſſariò ſequitur, ut illi nec conveniat diſpoſitio illius Decretalis, ad *l. 4. §. Toties, ff. de dam. infect.* & ita in individuo in Capellanis, & familiaribus Papæ tenet Abb. *in cap. Tuarum, num. 8. verſ. Quandoque conceditur exemptio, ſupra eodem.*

51 Nec refert, quod perſonaliter exempti frui poſſint commodo libertatis quoad hoc ut conveniri non poſſint in loco domicilii, ſi alibi delinquant, aut res ipſa conſiſtat: ſiquidem textus vult ſalvam eſſe exemptorum libertatem non ſolum quoad hoc ut conveniri non poſſint in loco domicilii, neque illuc remitti, ſed etiam quoad hoc, ut nullibi conveniri poſſint, cùm in loco exempto delinquunt, ſeu contrahunt, aut res litigioſa conſiſtit. Et hic ſecundus caſus, qui frequentior eſt, & magis favet exemptioni, nullatenus verificari poteſt in exemptis quoad perſonam tantùm, ut patet ad ſenſum, quotieſcumque autem lex requirit concurſum duorum, altero deficiente non habet locum legis diſpoſitio, *l. Si heredi, ff. de cond. inſtit.* Joan. de Anan. *conſ. 32. Ultra alia, num. 7. verſ. Circa quartum*, Jaſon. *in l. 1. num. 2. ff. de iuſt. & iur.* Felin. *in cap. Ex parte, num. 21. de reſcript.*

Et revera exemptio Referendariorum eſſet planè ridicula, ſi ubivis delinquerent, ſeu contraherent, aut res litigioſa conſiſteret, indiſtinctè ſubeſſent juriſdictioni Ordinarii loci, & ſolum conveniri non poſſent coram Ordinario domicilii ſi alibi delinquerent, contraherent, aut res ſita eſſet; qui caſus eſt admodum rarus, cùm Ordinarii domicilii non ſoleant regulariter procedere contra eorum ſubditos pro delictis patratis ab eis, aut contractibus initis in aliena diœceſi, nec Ordinarii loci, delicti, vel contractus facilè delinquentes, vel contrahentes remittant ad Ordinarium domicilii, præſertim, ſi in cauſa prævenerint: unde de hoc caſu tamquam minus contingibili non cenſetur Pontifex diſpoſuiſſe, argum. *l. Nam de ea, ff. de legibus.*

Præterea text. *in d. cap. Volentes*, ut dictum eſt ſupra, emanavit ad dirimendam altercationem, quæ erat inter Canoniſtas de Templariis, & Hoſpitalariis delinquentibus extra locum exemptum, ut legitur, & notatur *in cap. Tuarum, in gloſ. in ver. Privilegii beneficio, ſupra eod.* unde cenſetur diſpoſuiſſe de exemptionibus mixtis dumtaxat, non autem de merè perſonalibus, de quibus nulla erat controverſia.

Et in hunc ſenſum eſſe accipiendam prædictam Decretalem ut non comprehendat exemptiones merè perſonales, colligitur etiam ex Tridentina Synodo ponderando duo ſæpius citata decreta, nempè *cap. 14. ſeſſ. 7. & cap. 4. ſeſſ. 14.* Nam in primo innovatur, & jubetur ſervari in cauſis exemptorum Conſtitutio *d. cap. Volentes*, qua præſervantur exemptiones, & ſolum declarantur non habere locum in tribus caſibus ibi exceptis: in ſecundo autem funditus tolluntur exemptiones perſonales, & ſic exempti abſque ulla reſtrictione plenè, & in omnibus ſupponuntur Ordinariis reſidentibus ut delegatis Sedis Apoſtolicæ. Quod ſi primum decretum includeret etiam exemptiones merè perſonales, utique adverſaretur ſecundo, quia implicat contradictionem ut exemptiones perſonales fuerint præſervatæ, & reſtrictæ ad tres caſus juxta *dict. cap. 14.* atque ut plenè in omnibus ſublatæ fuerint juxta *d. cap. 14.* ne igitur Concilium videatur paulò pòſt ſe correxiſſe, dicendum eſt: primum decretum ad exemptiones perſonales non pertinere.

Porrò ſi Referendarii obtinerent beneficia Eccleſiaſtica, 52
privilegium exemptionis nihil illis prodeſſet, quominus ratione dictorum beneficiorum eſſent ſubjecti Ordinariis tam ex *d. cap. 11. in fin. ſeſſ. 24.* quàm ex *d. cap. Volentes, §. In eos, verſ. Niſi forſan de privil. lib. 6.* ibi: [Non ſolum habentes privilegium exemptionis generale, & indefinitum, & ſic primæ ſpeciei: ſed etiam qui ſpecialiter exempti ſunt ratione delicti, contractus, ac rei, de qua agitur, & ſic exempti ſecundæ ſpeciei, ſi obtineant beneficia Ordinariis ſubjecta, eorumdem beneficiorum ratione ordinariorum juriſdictioni declarantur eſſe ſubjecti.] Confert, quod not. Abb. *in d. cap. Tuarum, num. 8. verſ. Poſſet tamen dubitari,* & poſt eum Dec. *ibi num. 53. ſupra eod.* ubi dicunt perſonaliter exemptos, puta Capellanos Papæ, ſi acquirant Eccleſiam in loco domicilii, & faciant ibi reſidentiam; ratione illius reſidentiæ poſſe ibi conveniri, argum. *d. cap. 1. §. In eos, de privil. lib. 6.* Confert etiam quod not. Bart. in *l. Interdum, §. fin. ff. de iudic.* ubi ait Religioſum exemptum 53
ſi accipiat executionem ultimæ voluntatis, pro hujuſmodi executione conveniri poſſe coram Ordinario, non obſtante ejus privilegio exemptionis, & ſequitur Dec. *ubi ſupra.*

Quinimò Sacra Congregatio Concilii aliàs declaravit 54
Epiſcopum poſſe cogere Regulares utcumque exemptos, qui Confraternitatum, vel Hoſpitalium adminiſtrationem ſuſcipiunt, ad reddendas rationes adminiſtrationis, & in eos, quos culpabiles repererit, ad juris præſcriptum animadvertere, juxta *cap. 8. & 9. ſeſſ. 22.*

Sunt & alii caſus particulares, in quibus exempti non gaudent privilegio exemptionis, quorum generaliter fit mentio in *d. cap. Volentes*, ibi: [Salvis nihilominus caſibus aliis, in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta;] & quamplures congeſſimus *in cap. Grave à num. 9. ſupra de offic. Ordin. in quæſt.* An, & quibus caſibus Eccleſiæ, & perſonæ exemptæ, vel nullius diœceſis tam ſæculares, quàm regulares ſubſint viſitationi, & juriſdictioni Epiſcopi, qui tamen ad præſentem quæſtionem, quæ generaliter proponitur, non videntur pertinere.

Ex quibus omnibus videtur concludendum Referendarios quidem ex privilegio Sixti V. gaudere omnimoda exemptione à juriſdictione Ordinariorum tam in viſitatione, quàm extra eam. Item in cauſis tam civilibus, quàm criminalibus, & ubivis delinquat, ſeu contrahant, aut res litigioſa conſiſtat: eorum verò familiares, Capellanos, & ſervitores ſubeſſe viſitationi, & correctioni Ordinarii tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, quia exemptio à viſitatione, & correctione Ordinarii eis con-

ceſſa

Digitized by Google

ceſsa in Conſtitutione Pauli Tertii, ac deinde ſublata à Concilio in *cap. 3. ſeſſ. 6. & cap. 4. ſeſſ. 14.* minimè revixit per Conſtitutionem Sixti Quinti, quæ de ipſis nullam fecit mentionem : extra viſitationem verò in cauſis quidem civilibus familiares, Capellanos, & ſervitores hujuſmodi æidem conveniri poſſe coram locorum Ordinariis tamquam Delegatis Sedis Apoſtolicæ juxta terminos *cap. 14. ſeſſ. 7.* ſed in cauſis criminalibus ſubeſſe juriſdictioni Ordinariorum auctoritate delegata, dummodo Ordinarii ipſi in ſuis Eccleſiis reſederint; quia exemptio Pauli III. quoad hoc ſimiliter adempta eis fuit à Concilio *in dict. cap. 4. ſeſſ. 13.* & à Conſtitutione Pii Quarti in favorem Epiſcoporum reſidentium. Sin autem Epiſcopi à ſuis Eccleſiis abſuerint, tunc familiares, & alios, ut ſupra, in prædictis cauſis criminalibus extra viſitationem frui debere exemptione eis attributa à Paulo Tertio, & Epiſcopis abſentibus minimè ſublata in *dict. cap. 4.* & Conſtitutione Pii Quarti, *Quia quod non mutatur, &c. l. Præcipimus, in fin. Cod. de appell. & l. Sancimus, Cod. de teſtam.*

DE PRIVILEGIIS.

Idem Innocentius III.

CAPUT XXI.

QUoniam per confeſſionem conſtat partis adverſæ, quòd Nepeſinus Epiſcopus jus Epiſcopale percipit in Eccleſia ſancti' Blaſii de Flageſi. credimus, quòd non obſtante illo capitulo privilegii, quod monaſterio eſt indultum, ut nullus Epiſcopus Eccleſias utroque jure illi ſubjectas interdicto ſupponere, vel monachum ſeu clericum ejuſdem monaſterii ſynodare vel excommunicare præſumat, præfatus Epiſcopus poſſit interdicere dictam Eccleſiam, & excommunicare monachum, ſeu clericum veſtrum ad ejus regimen deputatum, cùm alterutrum de jure fuerit faciendum : quoniam illud capitulum intelligendum eſſe videtur de monachis aut clericis in ipſo monaſterio permanentibus, vel ad Eccleſias deſtinatis, utroque jure ſibi ſubjectas.

SUMMARIUM.

1 *PRivilegium monaſterio conceſſum, quod eius Monachi excommunicari non poſſint, intelligitur de Monachis manentibus in monaſterio, vel capellis ſibi utroque iure ſubiectis.*

2 *Privilegium exemptionis conceſſum perſonis reſpectu certi loci non ſequitur illas extra locum, & num. ſeq.*

3 *Immunitas à tutela ſuffragatur Clericis, & Monachis quamdiu apud Eccleſias, vel monaſteria permanent.*

4 *Regulares, qui ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittuntur, ſi in conventibus non habitent, ab Ordinariis puniuntur.*

5 *Regularis Lector in publica Univerſitate, ſi delinquat contra inſtituta ſui Ordinis, an ſit puniendus à Rectore ipſius Univerſitatis, an vero à ſuis Superioribus Regularibus, & num. ſeqq. uſque in fin.*

6 *Rectoris Univerſitatis iuriſdictio in Lectores, & ſtudentes non complectitur alias cauſas, quam eas, quæ oriuntur occaſione ſtudiorum, ac profeſſionis. Intellectus* l. fin. C. de iuriſdict. omn. jud. ibid.

7 *Iuramentum habet vim roborativam, non extenſivam.*

8 *Et in eo ſemper intelligitur excepta Superioris auctoritas.*

9 *Scholares Clerici non ſubſunt Rectori Univerſitatis niſi quoad ea, quæ profeſſionem reſpiciunt.*

1 Q*Uoniam.* Privilegium monaſterio conceſſum, quod ejus Monachi excommunicari non poſſint, intelligitur de Monachis manentibus in monaſterio, vel capellis ſibi utroque jure ſubjectis. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Abb. & Mar. Socin. & eſt caſus quotidianus ſecundum Abbatem.

2 In textu ibi, *in ipſo monaſterio permanentibus* : notà quod privilegium exemptionis conceſſum perſonis reſpectu certi loci non ſequitur illas extra locum : unde ſi alibi morantur, privilegio non gaudent, concordat text. *in cap. Volentes, §. Eos, de privileg. lib. 6.* ubi privilegium Religioſis conceſſum, ne à quoquam interdici, ſuſpendi, aut excommunicari valeant, non ſuffragatur eis, qui degunt vel adminiſtrationem ſuſcipiunt in Prioratibus Epiſcopi juriſdictioni ſubjectis : & eſt ſimile in *cap. Generaliter, 16.*
3 *quæſt. 2.* ubi immunitas, quam Clerici & Monachi habent, à tutela ſive teſtamentaria, ſive dativa, ſive legitima, tamdiu eis prodeſt, quamdiu apud Eccleſias, vel monaſteria permaneat non divagantes. Item ſimile in *cap. Abbate, in fin. infra, de verbor. ſignif. in cap. Innovamus, ſupra, de treng. & pac. cum ſuis concordantiis,* & *hic* notant gloſs. *in ver. Permanentibus*; Innocen. *in fin.* Abb. Antiq. qui ſummat ſic : Privilegiatus non gaudet privilegio, cum moratur, vel deſtinatur cauſa vagandi ad Eccleſiam non exemptam, Hoſtien. *num. 1. in ver. In ipſo monaſterio, & num. 2.* Butr. *num. 2.* ubi ait : [Nota quod privilegium exemptionis, perſonalem concedens exemptionem reſpectu certi loci, perſonas ſubtrahit à juriſdictione diœceſani illius loci, in quantum delinquunt, vel aliquid agunt in loco, cui conceſſa eſt exemptio : in quantum autem delinquunt extra locum, non ſubtrahit eos,] Abb. & Mar.
Socin. *in ult. not.* Jo. Andr. & omnes *in Summa text.* Con- 4
fert Concilium Tridentinum in *cap. 4. ſeſſ. 25. de Regular.* ubi ſtatuitur, ut Regulares, qui ſtudiorum cauſa ad univerſitates mittuntur, in conventibus tantùm habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur : & adde quod ſcripſi *in cap. Grave, num. 47. ſupra de offic. Ordinar.* & ibi vide 45. caſus, in quibus Regulares exempti non gaudent privilegio exemptionis, *à num. 37. uſque ad num. 80.*

Ex facto quæſitum eſt. Poſita Bulla Martini V. qua Le- 5
ctores publici Univerſitatis Viennæ Auſtriæ, cujuſcumque ordinis, gradus, & conditionis ſubjiciuntur Rectori ejuſdem Univerſitatis, itaut ab ipſo carceribus mancipari, excommunicari, & ab excommunicatione abſolvi poſſint.

Item poſito juramento fidelitatis, & reverentiæ, quod iidem Lectores Rectori prædicto, dum admittuntur, præſtare ſoliti ſunt : Ac decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 4. de Regul.*

An Regularis, qui de licentia ſuorum Superiorum publicè profitetur in dicta Univerſitate, ſi delinquat adverſus inſtituta ſui Ordinis, ac decreta Superiorum Regularium, puniendus ſit ab iiſdem Superioribus, vel potius à Rectore Univerſitatis, adeòut poſſit Rector ipſum Regularem in carcerem detrudere, excommunicare, & ab excommunicatione ſuorum Superiorum, quatenus ab eis excommunicetur, abſol. ere, atque Superiores eum punire tentantes, uti judex competens impedire, & coercere.

Videtur reſpondendum hujuſmodi Regularem adverſus 6
inſtituta ſui Ordinis, ac Superiorum decreta delinquentem eſſe à ſuis Superioribus puniendum, non autem à Rectore Univerſitatis. Quia juriſdictio Rectoris in eos qui legendi, vel ſtudendi cauſa in Univerſitate commorantur,

Digitized by Google

rantur, non complectitur alias cauſas, quàm eas, quæ oriuntur occaſione ſtudiorum, ac profeſſionis, ut deducitur ex *l. fin. C. de iuriſd. omn. iud.* ubi gloſs. *in verb. publicis*, notat diſpoſitionem illius textus, qua profeſſionem, vel negociationem exercentes ſubjiciuntur Rectori, ad quem illarum profeſſionum, ſeu negociationum cura pertinet, procedere in his, quæ profeſſionem, vel negociationem ipſam reſpiciunt, aut illius occaſione oriuntur: eamque ibi ſequuntur Cyn. *in 2. quæſt.* Bart. *num.* 5. Bald. *num.* 4. Paul. de Caſtr. *num.* 2. & Innocen. *in cap. Cum ad Eccleſiarum, de off. ord.* ubi & alii. Quam *l. fin.* procedere etiam in Univerſitate Doctorum, vel Scholarium, notat ibidem Bart. *in fin.* dicens ita uſu receptum eſſe, & Paul. de Caſtr. *num.* 7. unde cùm in dubio propoſito agatur de crimine commiſſo contra ſtatuta Ordinis, ac Superioris Regularium decreta, & ſic de his, quæ ad Lectoris profeſſionem non pertinent; apertè conſtat Regularem eſſe à ſuis Superioribus, non ab Univerſitatis Rectore puniendum.

Et cùm Bulla Martini V. ſimpliciter ſubjicat Lectores Rectori Univerſitatis, intelligenda eſt juxta diſpoſitionem juris communis, cui Pontifex præſumitur ſe voluiſſe conformare, argum. *l. 2. C. de noxal.* & in Authen. *de non alienand. §. final. circa finem collat. 2. l. Filius familias, §. 1. ff. de legat. 1. cap. Eccleſia veſtra, il ſecondo, verſ. Neque enim credendum eſt Summum Pontificem, &c. de elect.* & jus alterius noluiſſe lædere, *cap. Licet, de offic. Ordin. cap. Cum dicat Apoſtolus, de Eccleſ. ædific. & cap. Paſtoralis, cum concord.* de quibus ibi per gloſ. *in verb. Contineatur expreſſum, ſupra eod.*

Nec juramentum fidelitatis, & reverentiæ quidquam 7
operatur, quia eſt intelligendum quoad ea, in quibus Rectori juriſdictio legitimè competit; juramentum enim habet vim roborativam, non extenſivam, *l. fin. C. de non num. pec.* ubi Bald. Præterea hoc juramentum non operatur 8
in præjudicium Superioris Regularis jurantis, quia in eo Superioris auctoritas ſemper cenſetur excepta, *cap. Venientes, de iureiur. cap. Imperialem, §. fin. de prohib. alien.* per Frider. *in uſib. feud.* & in terminis Clericum in univerſita- 9
te ſtudiis incumbentem non ſubeſſe Rectori, niſi quoad ea, quæ reſpiciunt profeſſionem, tradit expreſsè Abb. *quæſt.* 6. *num.* 8. & 9.

DE PRIVILEGIIS.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XXIV.

UT privilegia, quæ quibuſdam religioſis Romana conceſſit Eccleſia, permaneant inconcuſſa; quædam in eiſdem duximus declaranda, ne minus ſanè intellecta pertrahantur ad abuſum, propter quem poſſint meritò revocari: quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. Sanè quibuſdam regularibus Apoſtolica ſedes indulſit, ut his, qui fraternitatem eorum aſſumpſerint, ſi forſan Eccleſiæ, ad quas pertinent, à divinis officiis fuerint interdictæ, ipſoſque mori contigerit, ſepultura Eccleſiaſtica non negetur, niſi excommunicati vel nominatim fuerint interdicti: Suos quoque confratres, quos Eccleſiarum Prælati apud Eccleſias ſuas non permiſerint ſepeliri, niſi excommunicati vel interdicti fuerint nominatim, ipſi ad Eccleſias ſuas deferant tumulandos. Hoc autem de illis confratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in ſæculo eorum ordini ſunt oblati, mutato habitu ſæculari: vel eis, qui bona ſua dederant inter vivos, retento ſibi (quamdiu in hoc ſæculo vixerint) uſufructu: qui tamen ſepeliantur apud ipſorum regularium vel aliorum non interdictas Eccleſias, in quibus elegerint ſepulturam: ne ſi de quibuſlibet ipſorum fraternitatem aſſumentibus fuerit intellectum, pro duobus aut tribus denariis annuatim ſibi collatis, diſſolvatur pariter & vileſcat Eccleſiaſtica diſciplina: certam tamen & ipſi remiſſionem obtineant ab Apoſtolica ſibi ſede conceſſam. Illud etiam, quod hujuſmodi regularibus eſt indultum, ut ſi qui fratrum ſuorum, qui ab eis miſſi fuerunt ad recipiendas fraternitates ſive collectas, in quamlibet civitatem, caſtellum vel vicum advenerint, ſi fortè locus ille à divinis officiis ſit interdictus, in eorum jucundo adventu ſemel in anno aperiantur Eccleſiæ, ut excluſis excommunicatis, divina ibi officia celebrentur: Sic intelligi volumus, quòd in eadem civitate, aut caſtro, aut villa, una tantùm Eccleſia ejuſdem ordinis, fratribus ſemel (ut dictum eſt) aperiatur in anno: Quia licèt pluraliter dictum ſit, quòd in eorum jucundo adventu Eccleſiæ aperiantur, non tamen ad Eccleſias ejuſdem loci diviſim, ſed prædictorum locorum conjunctim ſano referendum eſt intellectu: ne ſi hoc modo ſingulas ejuſdem loci viſitarent Eccleſias, nimium vilipendi contingeret ſententiam interdicti. Qui verò contra declarationes prædictas quidquam ſibi uſurpare præſumpſerint, gravi ſubjaceant ultioni.

SVMMARIVM.

1 *OBlati alicuius Religionis an ſint iudicandi Perſonæ Eccleſiaſticæ, adeout à foro ſæculari, & vectigalibus tam quoad perſonas, quàm quoad bona debeant eſſe immunes, & num. ſeq. uſque ad finem, & præſertim num.* 26. *verſ.* Ex his ſequitur.
Et quatenus ſint immunes, an eorum exemptio extendatur etiam ad coniugatos, num. 27.
Et an exemptio à foro ſæculari ſuffragetur pro delictis ante oblationem commiſſis, num. 33.
Et an Oblati carentes requiſitis Concilii Tridentini in cap. 11. ſeſſ. 24. *ſubſint Epiſcopo tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, num.* 34.
Et an ſubſint cumulativè, vel privativè ad Superiores Religionis, cui ſunt oblati, num. 36.
2 *Oblati aſſumunt privilegia Religionis, cui oblati ſunt. Declaratur, num.* 4. *& ſeqq.*
3 *Chriſtianorum duo ſunt genera.*
4 *Oblati quales eſſe debeant ut privilegiis potiantur, & num.* 11.
5 *Servi Eccleſiarum gaudent Eccleſiaſticis privilegiis.*
6 *Oblati ſunt ſervi monaſterii.*
Oblati acquirunt monaſterio, non ſibi, ibidem.
7 *Oblatus plene non dicitur, qui ſibi uſumfructum retinuit, licet gaudeat privilegio ſepulturæ tempore interdicti.*
8 *Oblatus plenè non dicitur offerens ſe, ac bona præſentia.*
9 *Oblatio plena quid requirat.*
10 *Oblati promittunt obedientiam, licèt non Monachalem.*
Oblatus renunciat proprio, & amittit teſtamenti factionem, ibidem.

11 *Bona*

12 *Bona oblata etiam ſine perſona efficiuntur Eccleſiaſtica.*

13 *Offerens bona ſine perſona non efficitur de foro Eccleſiaſtico.*

Confrater dici non poteſt, qui bona ſua dat Religioni, ibidem.

14 *Offerens ſe, aut ſimpliciter, aut ſine bonis, aut cum reſervatione bonorum, non eſt perſona Eccleſiaſtica.*

15 *Oblatio cenſetur celebrata iuxta Eccleſiæ ſtatutum, vel conſuetudinem.*

16 *Converſus Eccleſiæ Regularis cum perſona cenſetur etiam bona obtuliſſe.*

Secus in converſo Eccleſiæ ſæcularis, ibidem.

17 *Offerens ſe ſimpliciter non cenſetur obtuliſſe bona.*

18 *Offerens ſe, & maiorem partem bonorum non dicitur perſona Eccleſiaſtica.*

19 *Exemptiones ut duobus, aut tribus denarii Religioni oblatis acquirantur indignum eſt.*

20 *Oblatus non dicitur is, cui pars bonorum oblatorum in emphyteuſim conceditur.*

Laicus tenetur ad onera laicalia pro emphyteuſi Eccleſiæ, ibidem.

21 *Concluſiones circa oblatos.*

22 *Oblatio non excluditur ex detentione, vel uſu facti rei oblatæ, permittente Superiore.*

23 *Oblatio an habitus mutationem requirat, & qualem, & num. 25.*

24 *Converſi, & oblati in quibus differant.*

25 *Oblatio an requirat ut ſæculum relinquatur.*

26 *Miles commeatu accepto remanens in domo ſua non habet Militis privilegia.*

27 *Concilii Tridentini requiſita in* cap. 11. ſeſſ. 24. *ſunt neceſſaria ad vitandum forum Ordinarii, non autem iudicis laici.*

28 *Oblati plenè an gaudeant privilegiis, ſi ante, vel poſt oblationem matrimonium contraxerint.*

29 *Coniugalis ſtatus non eſt incompatibilis cum ſtatu oblati.*

30 *Votum ſolemnizatur per ſuſceptionem ſacri Ordinis, vel per profeſſionem.*

31 *Clericus coniugatus non gaudet niſi privilegio fori, & Canonis.*

32 *Oblatus coniugatus gaudet omnibus privilegiis perſonæ Eccleſiaſticæ.*

33 *Oblati poſt delictum commiſſum an, & quando ſubſint foro ſæculari.*

34 *Concilium Tridentinum* cap. 11. ſeſſ. 24. *non habet locum in civilibus, ſed tantum in criminalibus.*

35 *Epiſcopi iuriſdictio in oblatos reſpicit ſpiritualia tantum.*

36 *Oblati non habentes requiſita an eximantur etiam à iuriſdictione diœceſani.*

37 *Concilium Tridentinum quid ſtatuerit circa oblatos præter ius commune.*

38 *Epiſcopi iuriſdictio in oblatos an ſit cumulativa.*

39 *Iuriſdictio conceſſa Epiſcopo in ſcholares an ſit privativa ad Rectorem Univerſitatis.*

40 *Iuriſdictio Epiſcopi quibus caſibus ſit cumulativa cum inferioribus Prælatis.*

UT *privilegia*. Privilegium Religioſis conceſſum ut poſſint ſepelire Confratres ſuos tempore interdicti, intelligitur de illis Confratribus, qui licèt maneant in ſæculo, tamen ſe Ordini obtulerunt mutato habitu ſæculari; vel de illis, qui bona ſua eis dederunt uſufructu retento. Hoc primò.

Privilegium Religioſis conceſſum, quo ejus venientibus ad locum interdictum ſemel in anno aperiantur Eccleſiæ, ut celebrentur in eis divina, intelligitur quod una ſola aperiatur in loco. Hoc dicit. Et ſecunda ibi, *Illud*, Joan. Andr. dividit in tres partes. Prima præmittit exordium. Secunda duas declarationes, quarum poſterior incipit ibi, *Illud*. Tertia pœnam addit. Secunda ibi, *Sanè*. Tertia ibi, *Qui verò*. Et ſecunda pars textus locum habet tantummodò in privilegiis obtentis poſt *cap. Alma Mater, de ſenten. excomm. lib. 6.* Non autem in obtentis ante, quia ſunt revocata per illam Decretalem, ut in ſpecie de hoc privilegio Templariorum, & Hoſpitalariorum, quo in eorum jucundo adventu ſemel in anno aperiebatur una Eccleſia in loco tempore interdicti, & celebrabantur divina, declarat gloſſa ibi, *in ver. Conceſſit*, & Abb. *hic in ult. notab.*

Circa primam partem textus generaliter QUÆRO, 1
primò, an Oblati alicujus Religionis judicandi ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, adeo ut à foro ſæculari, & vectigalibus tam quoad perſonas, quàm quoad bona debeant eſſe immunes, ſive perſonam, & univerſa bona obtulerint, ſive perſonam tantùm, ſive perſonam cum minima parte bonorum; præſertim ſi hujuſmodi pars bonorum illis poſtea à Superiore Religionis fuerit in emphyteuſim conceſſa.

Et quamvis ſint immunes, an talis exemptio extendatur ad conjugatos ſive ante, ſive poſt oblationem matrimonium contraxerint. Et an eadem exemptio à foro ſæculari illis etiam proſit, qui ante oblationem delictum commiſerunt, cujus vindicta ad judicem ſæcularem pertinebat.

Item an juriſdictio, quæ vigore Trident. Conc. *cap. 11. ſeſſ. 24.* competit Ordinario in Oblatos carentes requiſitis expreſſis ibidem in verſ. *Exceptis*. Complectatur tam ſpiritualia, quàm temporalia.

Et an talis juriſdictio ex decreto Concilii intelligatur tributa Ordinarii in Oblatos cumulativè, vel privativè quoad Superiores ejus Religionis, cui oblati ſunt.

Ut in hac materia, in qua maxima eſt opinionum varietas; quantum fieri poteſt clarè procedatur, primum conſtituendæ ſunt concluſiones, in quibus Doctores conveniunt; & deinde ad eas deſcendendum, in quibus diſcrepant ſententiæ.

Primum illud certi juris eſt, Oblatos eſſe Eccleſiaſticas 2
perſonas, & privilegia Religionis, cui oblati ſunt, aſſumere, atque à foro ſæculari, & ſæcularibus exactionibus
eſſe exemptos: quod probatur hic, *& in cap. Cum & plantare, §. De Confratribus, ſupra eodem, cap. Non dubium, de ſenten. excommun. & in cap. Per exemptum, de privileg.*
in 6. Clem. 1. *de decim.* ubi DD. cum concord. Tametſi 3
enim duo ſunt genera Chriſtianorum, alterum laicorum,
alterum eorum, qui divinis ſunt mancipati obſequiis, *cap. Duo ſunt, 12. quæſt. 1.* æquum eſt tamen omnes quoque Oblatos utcumque laicos, qui ſe Religioni dedicarunt, ejus aſſumere privilegia, gloſ. *in d. cap. Non dubium, in verb. Religionis.*

Hi autem oblati quales eſſe debeant pluribus modis ex- 4
plicant DD. aliquando enim requirunt ut ſint propriè oblati cum effectu; aliquando ut ſint plenè oblati, ſive plenè tranſlati, ut dictis privilegiis potiantur, ut hic notant Henr. & Abb. *num. 3.* & idem Abb. *conſ. 54. in 1. part. n. 3.* & probatur in *d. cap. Cum & plantare, §. de Confratribus,* ibi, *Si non ſe prædictis fratribus omnino reddiderint*, & in
d. Clem. *de decim. in ultimis verbis*. Et ratio eſt, quia per 5
hanc propriam oblationem ſive plenam, ſive cum effectu, Oblati efficiuntur ſimiles ſervi Eccleſiarum, qui Eccleſiaſticis gaudent privilegiis, *cap. Eccleſiarum ſervos, 12. q. 2.* Qua ratione utitur Archid. *in d. cap. Duo ſunt*, Abb. *in d. conſ. 54. num. 3.* Silveſt. *in ver. Eccleſia, il primo, num. 6. verſ.*
Quintum, & paſſim alii Doctores. Imò eos eſſe propriè ſervos 6
monaſterii dicit gloſ. *in cap. Ut lex continentiæ, in ver. Profeſſi, 27. quæſt. 1.* & Card. in Clem. 1. *de decim. num. 22.* Subdens eos propterea acquirere monaſterio, non ſibi.
Ac proinde excluditur, qui obtulit ſe, & bona omnia 7
uſufructu retento; id enim non ſufficit ad plenam oblationem, quamvis ſufficiat ut ſit privilegiatus quoad privilegium Religionis, ut ejus Regulares ſepeliri in Eccleſia poſſint tempore interdicti, ut tradit gloſ. *fin. in Clem. 1. de decim.* quæ optimè hanc materiam diſtinguit, Henric. Boich. *in hoc cap.* Franc. Marc. *deciſ. 24. num. 2.* Stracchа *in repet. Auth. Ingreſſi, cap. 10. num. 22.* Butr. *in cap. In præſen-*
tia, de probat. in fine. Prætereа excluditur, qui obtulit bo- 8
na omnia præſentia, ſed non futura, quæ non veniunt in ſimplici oblatione, ut per Stracch. d. Authen. *ingreſſi, in verb. Suum, cap. 8. num. 14.* Tametſi Ant. de Butr. *d. cap. In præſentia*, in fine tenuerit offerentem ſe, & ſua Eccleſiis Regulari cenſeri etiam offerre futura; quia ſic eſt de natura Eccleſiæ.

Ad hanc verò effectualem, ſeu propriam, & plenam 9
oblationem inducendam quæ requirantur, magnam habet dubitationem. De duobus planè requiſitis nemo dubitat,

vide-

Digitized by Google

videlicet opus eſſe, ut Oblatus perpetuò, & efficaciter
10 obtulerit, tam ſe, quàm bona ſua; ea nimirum ratione,
quia devovendo ſe, promittit obedientiam, licet non
Monachalem, Anchar. in d. Clem. 1. *de decim. num.* 26. &
offerendo bona, renunciat proprio, & amittit teſtamenti
factionem, gloſ. *in cap. Ut lex continentiæ in ver. Profeſſi*,
27. *quæſt.* 1. Dec. *in cap. In præſentia*, *num.* 26. *de probat.*
11 Quæ duo efficiunt offerentem perſonam Eccleſiaſticam, ut
per DD. *in cap. Cum ad monaſterium*, *de ſtat. Monach.* Et
12 quamvis poſſit offerens offerre ſe ſine bonis, & bona ſine
perſona ſua, & poſſit etiam offerre ſe cum parte bonorum,
ut per Socin. *in tract. de oblat. in* 7. *Libello*, *in pluribus quæ-
ſtionibus*: tamen in hoc caſu, ut perſona ſit Eccleſiaſtica,
requiritur ut oblatio perpetua, & efficax tam perſonæ,
quam bonorum, ita utrumque requirunt per textum d.
Clem. 1. *de decim.* Laud. *ibidem*, Imol. *num.* 28. Anchar.
num. 16. Zabarell. *num.* 20. Hoſtien. *hic num.* 6. & Jo. Andr.
in gloſ. 3. Henric. & Abb. *eod. loco*, Dec. *in cap.* 1. *in præſen-
tia*, *num.* 23. *de probat.* Archid. quem cæteri ſequuntur in
d. cap. Duo ſunt num. 6. Abb. *in d. conſ.* 54. *num.* 2. Silveſt. *in
ver. Eccleſia*, 1. *num.* 6. *verſ. Quintum*, Remig. *de Charit.
ſubſid. quæſt.* 61. *num.* 33. & paſſim DD. de hac materia
tractantes. Et in ſpecie talem oblationem debere eſſe per-
petuam, tradit poſt alios Covarr. in loco inferiùs citando
num. 8. & ante eum Jo. Andr. *d. cap. per exemptionem*, ubi
Genun. & Franc. *in ſecundo notab.*
13 Et hæc duorum requiſitorum neceſſitas excludit primò
à numero perſonarum Eccleſiarum Oblatos illos, qui of-
ferunt bona, & non ſe: quamvis enim ea bona ob talem
oblationem Eccleſiaſtica efficiantur, ut per Abb. *d. conſ.* 54.
num. 2. & ſint immunia ab exactionibus ſecularibus, ut
ibi per eum; non tamen illa offerens abſque perſona effi-
citur de foro Eccleſiæ, ut per DD. ſupracitatos præſertim
Abb. *hic num.* 3. ubi ait: Confratrem dici non poſſe qui
bona ſua dat Religioni, quia illa eſt donatio, & non fra-
ternitas.
14 Secundò excludit offerentes perſonam abſque bonis, ſi-
ve perſonam obtulerint cum reſervatione expreſſa bono-
rum, ſive ſimpliciter perſonam obtulerint, nulla de bonis
mentione facta: nam in ejuſmodi oblatione bona non
veniunt, niſi expreſsè offerantur, Butr. *in cap. In præſen-
tia*, *de probat. in fine*, Joan. Andr. & alii, quos refert, &
ſequitur Socin. *d. tract. & Libell. in* 22. *quæſt.* Quod ta-
men limitat, niſi aliud haberet ſtatutum, vel conſuetudo
15 Eccleſiæ, cui fit oblatio, quia tali caſu oblatio intellige-
retur celebrata juxta illius Eccleſiæ ſtatutum, vel conſue-
tudinem.
16 Nec obſtat, quod bona ſunt acceſſoria ad perſonam, ac
propterea quod offerens ſe cenſeatur etiam bona obtuliſſe,
etiamſi non exprimantur, ut de converſo Eccleſiæ ſecula-
ris tenuit Odofr. relatus à Bart. in Authen. *Ingreſſi*, *num.*
12. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Et de converſo Eccleſiæ Regula-
ris, Bald. *ibid. num.* 4. *verſ. Secundò oppono*, & Franc.
Marc. *deciſ.* 24. *num.* 12. Bellam. *in cap. Religioſo*, *de ſenten.
excomm. lib.* 6. Reſpondetur enim in converſo Eccleſiæ Re-
gularis non dubium quin oblata perſona, etiam bona
oblata cenſeantur, cùm illa retinere non poſſit, quia effi-
citur Religioſus, ut per Bartol. & Bald. *ubi ſupra*. At in
Converſo Eccleſiæ ſecularis ſecus eſt; is enim cùm poſſit
retinere bona, per oblationem perſonæ non cenſetur
bona obtuliſſe, ut per Bald. in d. Authen. *Ingreſſi*, *num.* 5.
Nos autem agimus de Oblato Regulari Eccleſiæ, qui cùm
non efficiatur Monachus, & poſſit bona retinere; à ceſ-
ſante ratione, quam in Converſo Regularis Eccleſiæ red-
17 dunt Bartol. & Bald. quod oblata perſona cenſeatur obtu-
liſſe etiam bona, quia ea retineri non poſſunt; ſequitur
ut cùm Oblati retinere bona poſſint, ea obtuliſſe non in-
telligantur. Et id eſt, quod etiam tradit Bald. in d. Authen.
Ingreſſi, *num.* 8. ubi ait: Oblatum Regulari Eccleſiæ bona
non amittere, niſi totaliter renunciet ſæculo, illudque
muniet, quo caſu Monacho æquiparatur.
18 Tertiò his duobus requiſitis excluditur etiam his, qui
obtulit perſonam cum parte bonorum tantùm, quamvis
majorem: cùm enim Doctores requirant ſimpliciter obla-
tionem bonorum; hoc verbum, *bonorum*, in hac materia
ſimpliciter prolatum includit omnia bona, Socin. *d. tract.
de oblat. in* 8. *libell. quæſt.* 5. & oblationem majoris partis
in hac materia non æquipollere oblationi omnium, docuit
gloſ. *hic in verſ. Pro parte*, ubi Henric. id in ſpecie tuno-
tavit. Quod cùm verum ſit, à fortiori procedit in eo, qui
obtulit Eccleſiæ minimam partem bonorum, in quo pro-
priè quadrat quod habetur hic, Indignum eſſe ut pro duo- 19
bus, aut tribus denariis acquirantur hujuſmodi exemptio-
nes. Præſertim ſi poſtea talis bonorum pars Oblato in em- 20
phyteuſim concederetur; quo caſu nedum offerens non
eſt plenè oblatus, ſed etiam bona ipſa ad onera laicalia te-
nentur: Tum quia hoc caſu videtur ſubeſſe fraus propter
actuum vicinitatem, Oldrad. *conſ.* 324. *Factum tale eſt*,
Dominus noſter, *ſub num.* 6. *verſ. Et quod fuerit fraudulenta*;
Tum quia laicus tenetur ad onera laicalia pro re emphy-
teutica quàm obtinet ab Eccleſia; quia dominium utile eſt
quid laicale, Alex. *conſ.* 103. *in* 1. *vol.* ubi dicit eum tene-
ri ad ſolutionem vectigalium ratione fructuum; & poſt
Barb. & alios tradit Remig. *de Charit. ſubſid. quæſt.* 61.
num. 32. *&* 33.
Ex prædictis ſatis tuto eliciuntur aliquæ concluſiones 21
negativæ, videlicet offerentes ſe, & non bona, ſive ea ex-
preſsè retinendo, ſive de eis mentionem in oblatione non
faciendo, non debent cenſeri perſonæ Eccleſiaſticæ, nec
gaudere immunitatibus, niſi ex ſtatuto, vel conſuetudine
Eccleſiæ, cui fit oblatio, in oblatione perſonæ bonorum
oblatio includeretur, ut dictum eſt. Item nec ſunt perſo-
næ Eccleſiaſticæ offerentes ſe, & bona, ſed non univerſa;
& multò minus, ſi minimam tantùm eorum partem obtu-
lerint; præſertim ſi ea poſtea in emphyteuſim ab Eccleſia 22
obtinuerint, non tamen videtur excludendus, quominus
ſit perſona Eccleſiaſtica, qui ſibi non reſervavit aliquam
partem ſuorum bonorum neque in proprietatem, neque
in poſſeſſionem, nec in uſumfructum, nec in jus utendi,
ſed tantùm in quandam detentionem, & uſum facti, per-
mittente Superiore regulari, & donec ipſe Superior volue-
rit, itaut Superior poſſit pro libito auferre, licèt de hone-
ſtate permittere poſſit, ut de Regular. declarat Bald. in d.
Authen. *Ingreſſi*, *num.* 6.
Verum an ſit conſtituenda concluſio affirmativa, ut qui
ſe, & bona obtulerint, perſonæ Eccleſiaſticæ cenſeantur,
& immunitatibus gaudeant, etiamſi nihil aliud præterea
concurrat; in hoc eſt maxima difficultas propter alia duo
requiſita, quæ unà cum oblatione perſonæ, & bonorum
nonnulli Doctores conjunctim exigunt, & nonnulli
prætermittunt, itaut non videantur illa habere pro ne-
ceſſariis ad gaudendum immunitate.
Ex his alterum eſt mutatio habitus, an videlicet ut of- 23
ferens bona, & perſonam ſit perſona Eccleſiaſtica, opor-
teat ut habitum mutet.
Alterum eſt an ita offerens ut ſit perſona Eccleſiaſti-
ca, neceſſe ſit ut ſæculum relinquat, & ad Eccleſiam ſe
transferat.
Quoad primum, verior, & communior videtur opi-
nio, ut etiam habitus mutatio requiratur. Hæc eſt doctri-
na Hoſtien. *hic num.* 6. quo loco ait: { Ubi aliqui, vel ali-
quæ offerunt ſe, & ſua Eccleſiis Cathedralibus, vel Con-
ventualibus, vel aliis ſæcularibus, & ſignum accipiunt,
Eccleſiaſticæ perſonæ cenſentur. } Hoſtien. totidem ver-
bis referunt, & ſequuntur Joan. Andr. *in gloſ.* 3. Ant. de
Butr. Henric. & alii, Archid. *in d. cap. Duo ſunt*, *num.* 6.
Silveſt. *d. ver. Eccleſia*, 1. *num.* 6. *verſ. Limitare*, *&* *in
verb. Oblatos*, *profeſſionem*. Idem Hoſtien. *in Summa tit.
de Regular.* §. 1. *ſupracit. in fin.* S. Antonin. *in* 3. *part. tit.*
23. *cap.* 5. §. 1. Et in terminis ita decidit Capell. Toloſana
deciſ. 8. ubi habetur, laicum qui ſe, & bona obtulit Eccle-
ſiæ, habitu non mutato, non eſſe reſtituendum judici Ec-
cleſiaſtico. Nec novum eſt in jure Canonico ad conſe-
quenda privilegia Eccleſiaſticæ perſonæ neceſſariam eſſe
declarationem habitus Eccleſiaſtici, ut in *cap.* 1. *de Cleric.
conjug. in* 6.
Huic opinioni non obſtat primò, quod Doctores conſti- 24
tuentes differentiam inter Converſos, & Oblatos, dicant
eos eſſe Converſos, qui ſe, & ſua dant Religioni, habitu
mutato; Oblatos verò qui ſe, & ſua offerunt, abſque ha-
bitus mutatione, Laud. quem referunt, & ſequuntur *in
Clemen.* 1. *de decim. ſupracit.* Zabarel. *num.* 10. Anchar.
num. 16. Imol. *num.* 28. Dec. *in d. cap. In præſentia*, *num.* 22.
Covar. *in cap. Alma Mater*, *in* 2. *part. relect.* §. 3. *num.* 8.
Id enim ita accipiendum, ut in Oblato non ſit neceſſaria 25
totalis mutatio habitus, nec aſſumptio habitus Religionis,
cui ſe offert, ſed ſufficiet aliqualis mutatio, itaut non ſit
habitus Religioſus, quemadmodum debet eſſe habitus
Con-

Digitized by Google

Converſi, ſed differens tamen à laicali. Ita declarat hic gloſs. *in ver. Mutato*, ubi in ſpecie Henric. hanc rem luculenter explicat Silveſt. *in d. ver. Eccleſia*, 1. *num.* 6. *d. verſ. Limitare*, & hoc eſt, quod dicebat hic Hoſtien. quem cæteri ſequuntur, videlicet ſignum aliquod accipere debere Eccleſiaſticas perſonas.

Non obſtat ſecundò, quod aliqui Doctores, & præſertim Abb. *in d. conſ.* 54. *ſcripſerint Oblatos*, qui ſe, & bona obtulerunt cenſeri Eccleſiaſticas perſonas, & ſic duo requiſita recenſeat; & mutationem habitus tamquam non neceſſariam omittat: quia tam Abbas, quàm cæteri Doctores ita loquentes, vel non excludunt hoc requiſitum, licèt non includant, vel ſi excludere intendunt, adverſantur communiori opinioni Doctorum illud quoq; requirentium, ut ſupra dictum eſt.

Quoad alterum de ſæculo relinquendo an ſit neceſſarium in offerente, major eſt difficultas: nam plures ex Doctoribus hanc materiam pertractantibus requirunt oblationem perſonæ, & bonorum, plurimi verò adjiciunt tertium requiſitum mutationis habitus non totalis. At verè nemo in locis ſupracit. aut certè pauciſſimi exprimunt neceſſarium eſſe ultra ſupradicta etiam ſæculum derelinquere, ut ſit locus privilegio exemptionis: & tamen valdè probabilis eſt opinio, id quoque requiſitum debere cum cæteris concurrere: quod certè apertiſſimè ſentire videtur Hoſtien. *in cap. Non dubium, de ſentent. excommunic.* dum loquens de converſo Eccleſiæ ſæcularis, qui tradidit ſe, & ſua, & idem eſt cum oblato, ait: [Si eſt converſus remanens in domo propria, & tamquam laicus vivens, non gaudet immunitate: ſi verò eſt converſus, qui tradidit ſe, & ſua, & eſt tonſoratus, & vadit ad horas ſuas audiendas, & vivit honeſtè, ſicut Clericus vivere debet, talis in forum Eccleſiæ in totum intelligitur eſſe translatus, & immunitate Eccleſiaſtica gaudet] Hoſtien. ibi ſequuntur Joan. Andr. Anton. de Butr. Henric. Collectar. & Petr. de Ubald. *in tract. de quarta Epiſc. & Parochial. in* 17. *quæſt. num.* 11. & quamvis Hoſtien. in 2. membro ſuæ diſtinctionis non expreſſerit an debeat ſuam domum, ſive ſæculum relinquere, cùm tamen in priori membro id expreſſerit dicens illum non gaudere immunitate: in ſecundo, in quo ſentit gaudere ſatis exprimit oppoſitum; id eſt eum à domo ſua receſſiſſe, & ad Eccleſias eſſe translatum, ut exprimit ibi Collect. ita intelligens Hoſtienſis doctrinam.

Præterea id videtur probari per text. *in cap. penult. infra eod.* ubi habetur tales Confratres, ſeu Oblatos quoad manſerint in domo ſua non aſſumere privilegia Religionis: & ita illum textum intelligunt Innoc. Hoſtien. & Jo. Andr. notantes mutationem habitus ſufficere quoad privilegia circa interdictum; de quo in textu noſtro, ſed quoad cætera non ſufficere, ſed neceſſariam eſſe plenam tranſlationem, juxta illum textum, qui loquitur de propria domo relinquenda: & hunc intellectum eſſe communem oſtendit ibi Anton. de Butr. dicens ita eſſe tenendum ſecundum Doctores; quod etiam ſentire videtur Abb. dum notat eum, de quo textus loquitur, id eſt qui in domo propria manebat, non eſſe plenè Oblatum: & ita in eo textu hunc caſum eſſe clarum; ita ut non ſit locus cavillationi, tradidit Zabarell. *conſil.* 21. *num.* 5. *& 6.* cui poteſt addi Abb. *hic num.* 3. ubi ait non eſſe plenè oblatos ſtantes in ſæculo.

26 Rationes hujus opinionis ſumi poſſunt ex gloſs. *in d. c. penult.* ubi adducit plura circa militem armatæ militiæ, qui ſi commeatu accepto remanet in domo ſua, non habet militis privilegium, *l. miles, ff. ex quib. cauſ. maior.*

Nec videtur obeſſe, quod plerique ex Doctoribus de hoc requiſito non meminerint, quia non propterea dicunt illud non eſſe neceſſarium, & ſic eſt locus ab auctoritate negativa deſumptus, qui non probat, nec deſtruit opinionem Hoſtien. Zabarell. & aliorum, præſertim ex textu deſumptum, qui apertè ſentiunt id requiſitum derelicti ſæculi cum cæteris debere concurrere.

Ex his ſequitur oblatis ita demum privilegio fori, & ſæcularium exactionum gaudere, ſi ſe, & bona perpetuò, & in forma valida in manibus Epiſcopi, vel Regularis ſuperioris Religioni obtulerint nulla re ſibi reſervata, atque 27 habitum mutaverint, & ſæculum reliquerint. Nec eſt, quod adjiciamus alia requiſita ex decreto *cap.* 11. *ſeſſ.* 24. quia illa ſunt neceſſaria ad vitandum forum Ordinarii, non autem judicis laici, in quo Concilium nihil novi ſtatuit.

28 Ad ſecundum de plenè oblatis, qui poſt oblationem matrimonium contraxerunt, videtur reſpondendum ſi id permiſſu Superiorum faciant, & vivant de mandato eorumdem ſuperiorum in domibus vel prædiis Eccleſiarum, ſeu monaſteriorum pro eorum ſervitio, debere gaudere privilegiis, ſicuti etiam qui ante contraxerunt, dummodo ſervent ſupradicta. 29 Cùm enim huic oblationi cum requiſitis ſupradictis non inſit obligatio continentiæ, conſequens eſt, ut ſtatus conjugalis non ſit incompatibilis cum ſtatu oblati. Antecedens probatur ex doctrina gloſſæ *in cap. Ut lex*, 27. *quæſt.* 1. *in ver. Atque converſi*, Archid. *in d. cap. Duo ſunt, num.* 6. Silveſt. *in loco ſupracit.* Hoſtien. Jo. Andr. Henric. & aliorum *hic*, Franc. Marc. *deciſ.* 24. *num.* 14. Ita videmus de conjugatis oblatis extare conſilium Abb. 53. *part.* 1. Cald. *conſ. ultimo de Regular.* & Zabar. *d. conſ.* 21. & Bald. *conſ.* 240. *in* 5. *vol.* qui loquuntur de conjugatis ante oblationem. Sed poſt oblationem licere matrimonium contrahere, nec propter oblationem ullum inſurgere impedimentum, ſentiunt Doctores omnes ſupracitati, & in ſpecie Imol. in d. Clem. 1. *num.* 10. ubi reddit rationem; 30 quod votum impediens, & dirimens matrimonium ſolemnizatur vel per ſuſceptionem Ordinis ſacri, vel per profeſſionem tacitam, vel expreſſam, juxta textum *in cap. Unico, de Voto in* 6. quorum inquit, neutrum hic fuit. Imò cùm nullus in plus obligetur monaſterio, quàm pateat de ejus intentione, talis non ſe obligavit ad caſtitatem, ſed tantùm ad obedientiam, & reverentiam: ex quo ſequitur ut matrimonium poſtea contractum teneat, & contrahens oblatus non propterea deſinat eſſe perſona Eccleſiaſtica.

31 Quod ſi objiciatur Clericum conjugatum incedentem in habitu gaudere privilegio fori, & Canonis, ſed non aliis, & in ſpecie non eſſe exemptum à ſæcularibus exactionibus, ut habetur *in cap. Unico, de Cleric. coniug. in* 6. ubi gloſs. & Covar. *Practic. quæſt. cap.* 31. *num.* 9. Et propterea à fortiori id videtur procedere in oblato, de cujus exemptione non adeò conſtat inter Doctores, ſicuti de exemptione Clerici.

32 Reſpondetur *d. cap. Unicum*, reſtringens exemptionem, tamquam odioſum: ut ibi per Doctores debere extendi ad alias perſonas Eccleſiaſticas, & ſolum habere locum in Clericis, de quibus loquitur; alias verò remanere in diſpoſitione juris communis.

33 Ad tertium de bis qui ante oblationem delictum commiſerunt, cujus punitio ad judices laicos pertinebat diſtinguendum eſt. Aut delinquens obtulit ſe, & ſua poſt delictum ſine fraude; & tunc liberatur à juriſdictione judicis laici, debetque tantùm puniri ab Eccleſiaſtico. Aut in fraudem obtulit ſe, & ſua ut ſe eximeret à juriſdictione judicis laici, & tunc ab eo puniri poteſt, non tamen corporaliter, ſed alia pœna confiſcationis bonorum, vel pecuniaria, ita ut remaneat ſubditus reſpectu cauſæ, & bonorum, non autem reſpectu perſonæ. Ita relatis pluribus Doctoribus de communi opinione aſſerentibus docuit Covar. *lib. præcit. Pract. quæſt. cap.* 32. & Clar. §. *fin. verſ. Sæpe numero*, qui tametſi loquatur de delinquente, qui poſt delictum effectus eſt Clericus, vel Religioſus; eſt etiam intelligendus, quoad oblatos, qui habentes requiſita, ſunt & ipſi Eccleſiaſticæ perſonæ ut ſupra eſt demonſtratum.

34 Ad quartam, jam Sacra Congregatio declaravit decretum *dict. cap.* 11. non procedere in civilibus, ſed tantùm in criminalibus, mota præcipuè cauſa finali dicti decreti, quæ habetur in prooemio ipſius, ibi, *exemptis occaſionem laxioris vitæ*. 35 Qua ratione videtur etiam reſpondendum juriſdictionem Epiſcopo tributam reſpicere ſpiritualia tantùm videlicet correctionem, & punitionem delictorum, & alia, de quibus in *cap. Dudum, il ſecondo, de elect.*

36 Ad quintum repetendum quod ſupra dictum fuit; oblatos non habentes requiſita non eſſe Eccleſiaſticas perſonas, nec aſſumere privilegia Religionis, cui offeruntur, & propterea non eximi etiam à juriſdictione Diœceſani, Ant. de Butr. *in d. cap. Cum & plantare, in ult. not.* Henric. *hic*, & probatur in *d. cap. penult. infra eod.* Ideòque Concilium quoad non plenè oblatos nihil novi induxit, cùm jam eſſent ſub juriſdictione Epiſcoporum, ſed obſtacula tantùm ſubmovit, ita ut ſi ex conſuetudine, quam omnes Doctores

ctores, præſertim in *cap. 2. de foro compet.* clamant in hac materia eſſe attendendam, vel ex aliquo ſpeciali Religionis privilegio tales non plenè oblati eſſent exempti à dicta juriſdictione Epiſcoporum: illam eis Concilium reſtituit. Quo verò ad eos qui plenè oblati privilegia Religionum erant aſſecuti, hoc tantùm novi ſtatuit, quod actuale ſervitium requiſivit, quod non erat tantum jure veteri, adeout abſque illo ſervitio actuali remaneant ſub juriſdictione Diœceſani. Alia autem duo requiſita quod intra ſepta degant, & ſub obedientia vivant, jam concurrere debebant de jure communi in plenè translato, ut ſupra dictum eſt, ut privilegia Religionis aſſumeret.

37 Ex quo ſequitur quoad oblatos duo tantùm ultra jus commune ſtatuiſſe Concilium. Alterum ut non plenè oblati non obſtante privilegio, aut conſuetudine, ſubſint Diœceſano: alterum ut plenè oblati etiam ipſo Ordinario ſubjecti ſint, ſi ultra alia non concurrant in eis actuale ſer-
38 vitium Religionis. Utroque autem caſu hujuſmodi juriſdictio videtur conceſſa Ordinariis cumulativè, & non privativè cum Superioribus Regularibus in illis caſibus, in quibus ipſi eam habent in oblatos: nam juriſdictio tributa per legem cenſetur conceſſa cumulativè cum aliis illam habentibus, DD. *in l. fin. C. de juriſd. omn. judic.* Roman. *in conſ. 393. num. 2.* & ſequitur Felin. *in cap. Paſtoralis, num. 2. de offic. Ordin.* & de communi teſtatur Jaſon. *in l. Quod in rerum, §. Si quis poſt, ff. de leg. 1.* & benè facit doctrina Bart. *in l. Viros, in primo notab. C. de diverſ. offic. lib. 12.* ubi ſentit ſtatuto diſponente ut ſcholares coram 39
Epiſcopo conveniantur non eſſe ademptam juriſdictionem Rectori illam habenti vigore legis, aut conſuetudinis, niſi ſtatutum uteretur dictione taxativa, videlicet *ut Epiſcopus tantùm cognoſceretur:* quo caſu tantùm putat auferri juriſdictionem Rectori competentem et de jure communi, non autem ſi ei competat ex conſuetudine, Bartolum refert, & ſequitur Felin. in *d. cap. Paſtoralis, num. 2. in 3. limit.* Et quamvis talis juriſdictio cenſeatur tributa privativè ubi de mente concedentis apparet, ut ibidem per Felin. *in 1. limit.* & de communi teſtatur Joan. Baptiſta Ferter. *conſ. 141. num. 25.* tamen in caſu noſtro tantùm abeſt ut appareat de mente Concilii, quod voluerit tribuere Epiſcopo juriſdictionem privativè, ut potius conſtet eum voluiſſe concedere cumulativè, nam Concilium ubi voluit tribuere talem juriſdictionem privativè ad inferiores, id expreſſit ut *in cap. 20. §. Ad hæc, ſeſſ. 24. & in cap. 3. ſeſſ. 25.* ergo in hoc 40
caſu, in quo non expreſſit, voluiſſe credendum eſt, vulg. *l. Unica, §. Sin autem ad deficientis, C. de caduc. tollen.* & aliàs in ſimili Sacra Congregatio declaravit juriſdictionem tributam Epiſcopo vigore *cap. 7. ſeſſ. 7. cap. 11. ſeſſ. 25. de Regular. & cap. 8. ſeſſ. 7.* intelligi cumulativè cum inferioribus.

DE PRIVILEGIIS.

Idem Innocentius III. in eodem Concilio Generali.

CAPUT XXV.

QUod nonnullis eſt religioſis indultum, in favorem pontificalis officii ad Epiſcopos extendentes, concedimus, ut cùm commune terræ interdictum fuerit, excommunicatis & interdictis excluſis, poſſint quandoque januis clauſis, ſuppreſſa voce, & non pulſatis campanis, divina celebrare officia: Niſi & hoc ipſum eis expreſsè fuerit interdictum. Verùm hoc illis concedimus, qui cauſam aliquam non præſtiterint interdicto, nec quidquam [doli vel] fraudis ingeſſerint, tale compendium ad iniquum diſpendium pertrahentes.

SUMMARIUM.

1 *INterdicti generalis tempore etiam celebrare poſſunt Epiſcopi non prohibiti, qui non fuerint interdicti culpabiles.*
Idem in Cardinalibus, num. 4.
2 *Privilegium Religioſis conceſſum extenditur ad Epiſcopos, & num. 28.*
Privilegia non extenduntur de perſona ad perſonam etiam ex identitate, vel maioritate rationis, ibidem, & num. 25.
Declaratur num. 16. & 28.
3 *Privilegium celebrandi clam tempore interdicti non ſuffragatur eis, quorum culpa, vel fraude interdictum fuit propoſitum.*
5 *Altaris viatici privilegium an competat Cardinalibus, & num. ſeq. uſque in fin.*
6 *Altaris viatici privilegium quod habent Epiſcopi, & eorum ſuperiores ex* cap. fin. de privileg. lib. 6. *non fuit ſublatum à Concilio Tridentino.*
7 *Et Epiſcopi eo uti poſſunt ex rationabili cauſa, etiam extra caſum abſentiæ.*
8 *Oratoria ad uſum Epiſcopi etiam extra illius diœceſim conſtructa non comprehenduntur in decreto de non celebrando in privatis oratoriis.*
9 *Altaris viatici privilegio uti poteſt Epiſcopus in aliena diœceſi, etiam contradicente Epiſcopo Diœceſano.*
10 *Cardinales, & Epiſcopi an Romæ utantur privilegio altaris portatilis abſque indulto Papæ, & num. 31.*
11 *Cardinales ſunt maiores Epiſcopis dignitate, & officio, ſed minores Ordine, & num. 13.*
12 *Cardinalatu nulla eſt maior dignitas in Eccleſia Dei, & in Cardinalibus reſidet tota maieſtas Chriſtianæ Reipublicæ, & num. 21.*
14 *Dignitas, & officium præponderat Ordini in prælationibus.*
15 *Altaris portatilis privilegio uti poteſt Epiſcopus electus, & confirmatus, licet non conſecratus, & num. 23.*
16 *Altaris viatici privilegium favore cultus divini eſt latè interpretandum, quatenus patitur verborum latitudo, & num. 30.*
17 *Cardinales, ſicut Epiſcopi poſſunt ſibi eligere confeſſorem, qui tamen vel parochiale beneficium habeat, vel ſit approbatus ab Ordinario ad confeſſiones audiendas.*
18 *Privilegium Principis latiſſimè interpretandum eſt.*
19 *Privilegia Epiſcopis conceſſa ratione Pontificalis officii competunt etiam Cardinalibus.*
20 *Epiſcoporum appellatione veniunt etiam eorum Superiores, & num. 30.*
22 *Ratio ubi eſt eadem, lex non dicitur extendi, ſed enucleari, & num. 28.*
23 *Epiſcopi appellatione venit etiam nondum conſecratus in materia proportionabili, tam confirmato, quàm conſecrato.*
24 *Cardinales an gaudeant privilegio* cap Quia periculoſum, de ſentent. excomm. lib. 6. *ut pœnam ſuſpenſionis, vel interdicti non incurrant niſi in ſententia ſint expreſſi.*
26 *Interpretatio in dubio fit pro iure communi quando concurrit cum privilegio.*
27 *Altaris portatilis privilegium conceſſum Fratribus Prædicatoribus, & minoribus non extenditur ad Epiſcopos.*
28 *Privilegium extenditur ex identitate rationis, ſi id patiatur lata verbi ſignificatio, vel aliàs eſſet eluſorium.*
29 *Privilegium celebrandi Miſſas in Capella, ad quam confluit fidelium multitudo, extenditur etiam ad Miſſas cantatas, & ad oblationes voluntarias.*

Quod

1 QVod nonnullis. Tempore generalis interdicti clam
celebrare poſſunt Epiſcopi non prohibiti, qui non
fuerunt interdicti culpabiles. Hoc dicit Joan. Andr. Butr.
Card. Anchar. & Abb. Primò ponit privilegium. Secun-
dò exceptionem, ibi, niſi. Tertiò determinationem, ibi,
non. Hodie hoc non eſt privilegium Epiſcoporum, ſed jus
commune, ut in cap. Alma Mater de ſentent. excommunic.
lib.6. & ideò in hac Decretali non eſt multum inſiſtendum:
ſimile in cap. Communis filius 23. diſtinct.
2 Nota primò ibi, ad Epiſcopos extendentes: privilegium
Religioſis conceſſum non extendi ad Epiſcopos, quia pri-
legium non patitur extenſionem de perſona ad perſonam
ex identitate rationis, ut eſt caſus in cap. ſane, ſupra eodem,
& hic notat Abb. in 1. notab. ſed hoc intellige, ut dicam in-
fra num. 28.
3 Secundò nota ibi, qui cauſam aliquam præſtiterit inter-
dicto. Privilegium aliquibus conceſſum, ut tempore in-
terdicti januis clauſis, ſuppreſſa voce, & non pulſatis cam-
panis poſſint celebrare divina, non ſuffragari eis, qui
cauſam dederunt, vel fraudem commiſerunt in eo, pro-
pter quod poſitum eſt interdictum; ut quia interdictum
fuit latum ob eorum culpam, vel ipſi præſtiterunt favo-
rem illis, qui cauſam dederunt interdicto, ſecundum In-
nocen. hic num. 3. & num. 4. in verb. Aliquam, & Abb. in 2.
notab. hodie hoc eſt expreſſum in d. cap. Alma Mater, de
ſentent. excommun. lib.6. ubi plenè videas de his, quæ hic
tanguntur, & aliis ad hanc materiam ſpectantibus.
4 Sed hic occurrit dubium an privilegium celebrandi di-
vina tempore interdicti aliquibus Religioſis conceſſum,
dum hic extenditur ad Epiſcopos, cenſeatur etiam exten-
ſum ad Cardinales, Jo. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de
legat. §. Sequitur in fin. addi. verſ. Item per hoc dico, tenet
Cardinalibus etiam ſine legatione competere ſex privile-
gia, quæ recenſentur à gloſſa penult. in cap. fin. de privileg.
lib.6. inter quæ numeratur etiam privilegium, de quo in
hac Decretali.
5 Ex hoc infero ad notabilem quæſtionem, an privilegium
altaris viatici competebat S. R. E. Cardinalibus.
6 Bonifacius VIII. in cap. fin. de privileg. lib. 6. diſpoſuit
ut infra: Quoniam Epiſcopi, eorumque ſuperiores ſe habent
diverſis ex cauſis à ſuis Eccleſiis, & diœceſibus abſen-
tare frequenter, nec ſemper poſſunt commodè ad Eccle-
ſias accedere pro Miſſa celebranda, vel audienda in
ipſius, ſine qua eos tranſire non decet abſque cauſa ra-
tionabili ullam diem præſenti conſtitutione indulgemus eiſ-
dem, ut Altare poſſint habere viaticum, & in eo celebra-
re, ac facere celebrari. Quod quidem privilegium Sacra
Congregatio aliàs cenſuit non fuiſſe ſublatum decreto Tri-
7 dentini Concilii cap. unico ſeſſ. 22. de obſervan. & evitan.
in celebration. Miſſar. & Epiſcopos poſſe eodem privile-
gio uti, etiam extra caſum abſentiæ ex rationabili cauſa,
veluti magni incommodi, & ingruentis periculi: quod
etiam Navarr. ſenſerat conſ. 5. num. 2. de privil. & in ma-
8 nual. cap.25. num.83. Quinimò quicquid contra ſcripſerit
idem Navarr. d. conſ. 5. ſæpiùs reſpondit oratoria ad uſum
Epiſcopi etiam extra illius diœceſim conſtructa non com-
prehendi in diſpoſitione dicti cap. Unici, nec in declaratio-
ne ab ipſa Congregatione edita de non celebrando in pri-
vatis oratoriis. Circumſcripto autem Concilio, & decla-
ratione prædicta, manifeſtum eſt privilegium hoc non re-
ſtringi ad limites alicujus territorii, ut ſatis clarè colligitur
ex d. cap. fin. ibi, à ſuis Eccleſiis, ac diœceſibus abſentare,
& infra in verb. Ubicumque, quod ab Archidiacono prope
fin. exponitur, id eſt quocumque loco, ſive in ſua diœce-
ſi, ſive extra, & à Joan. Andr. & Lapo in tota Chriſtiani-
9 tate. Idque procedit etiam contradicentibus Epiſcopis diœ-
ceſanis, quia hæc Decretalis, ſecundum quam Epiſcopus
poterat quidem in aliena diœceſi extra Eccleſiam celebrare,
ſed tamen prohiberi poterat ab Epiſcopo loci, fuit in hoc
ampliata prædict. cap. final. de privileg. lib. 6. ubi ibi
notat gloſs. in verb. Indulgemus, Joan. Andr. Gemin. &
cæteri omnes: quod quidem privilegium ſecundum Ar-
chidiac. ſatis concordat cum eo, quod habetur in cap. Con-
cedimus, de conſecrat. diſt. 1. ubi Concilium Tributienſe
generaliter indulget, ut in itinere poſitus, ſi Eccleſia de-
fuerit, ſub dio, ſive in tentoriis, ita tamen ſi tabula Al-
taris conſecrata, & Altare portatile fuerit, Miſſarum ſo-
lemnia licet celebrare. Item concordat cum ſimili indulto,
quod Honorius III. tribuit Prædicatoribus, & Minori-
bus ut poſſint in Altari viatico celebrare liberè, id eſt ſi-
ne diœceſanorum licentia, ut legitur in cap. In his, infra
eod. Itaque competit hoc privilegium Epiſcopis ad eum
modum, quo competebat ante Concilium, à quo ex ſen-
tentia Sac. Congregationis ſublatum, aut reſtrictum non
fuit.
His præhabitis, conſulitur Sacra Congregatio an eodem 10
modo hoc privilegium competat S. R. Eccleſ. Cardina-
libus.
Et quidem Romæ ſecundum Navar. locis citatis ex con-
ſuetudine nec Epiſcopi, nec Cardinales hoc privilegio
utuntur abſque indulto ſpeciali Summi Pontificis: verba
Navarri hæc ſunt: [Servatur Romæ quod Epiſcopus non
utitur illo privilegio Epiſcopali, cap. fin. Poſt Concil. Tri-
dentin. adeò quidem, quod neque Cardinales utuntur
eo niſi de conceſſione expreſſa Papæ, quam Papa conce-
dit quidem illis, ſed rariſſimè aliis Epiſcopis.] Hæc
Navar.
Sed quicquid ſit in curia, in qua Prælati conſueverunt 11
abſtinere etiam ab uſu facultatum, & privilegiorum ſuo-
rum, ſive ob reverentiam Summi Pontificis, juxta nota-
ta in cap. Qua fronte, de appellat. & in cap. Volentes, de
offic. Delegat. gloſ. 1. in cap. Privilegium, de reg. iur. lib. 6.
gloſ. penult. in cap. Antiqua, ſupra eodem, ſive ob faculta-
tem recurſus ad Sanctitatem ſuam pro gratia obtinenda,
ex traditis per Felin. poſt Imol. in cap. Quod ſuper his,
num. 12. verſ. Sed quod dixi, de fide inſtrum. Ad dubium
videtur reſpondendum ſimpliciter privilegium Altaris via-
tici competere Cardinalibus ad eum modum quo compe-
tit Epiſcopis in vim dicti cap. final. Nam verba illa textus,
eorumque Superiores, etſi exponantur à gloſs. in cap. Quia
periculoſum, in verb. Superioribus, de ſentent. excommun.
lib. 6. pro Archiepiſcopis, Patriarchis, & Primatibus:
tamen in ſui latitudine apta ſunt comprehendere
etiam Cardinales, qui dignitate, & officio ſunt majores
Epiſcopis, cap. Conſtantinus 96. diſtinct. cap. per venerabi-
lem, §. Rationibus, Qui filii ſint legit. Anchar. conſ. 295.
pro clariori, verſ. Præcedunt enim Epiſcopos dignitate,
& prærogativis multis. Joan. Monach. P. Joan. Andr.
Gemin. & alii in cap. 1. de Schiſmat. lib. 6. Bald. in l. Ad
ſimilitudinem, Cod. de Epiſc. & Cleric. & in l. 1. ff. de offic.
Præfect. Prætor. & latiſſimè probat Andreas Barbatia in 12
tract. de præſt. Cardin. à num. 42. uſque ad num. 52. ubi pau-
lò ante num. 43. ait rectè loquutum fuiſſe Hoſtien. Joan.
Andr. Joan. de Lignan. & omnes Juriſprudentes modernos
in cap. Dilectus, il primo, de preben. dum dixerunt nullam
dignitatem eſſe hodie majorem Cardinalatu; & idem te-
net Cardin. in Clem. Ne Romani de elect. ubi ait Cardina-
latum hodie eſſe ſummum gradum poſt Papam. Et quic-
quid ſit de Doctorum opinionibus, clarè id conſtat ex epi-
ſtola Decretali Eugenii IV. de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalium dignitate cæteris Eccleſiaſticis dignitatibus
præſtantiori: quæ incipit, Non mediocri, Data Floren-
tiæ, ubi Eugenius tunc reſidebat in Concilio Florentino,
anno ſui Pontificatus 8. ad Archiepiſcopum Cantuarien-
ſem in Anglia, qui quæſtionem moverat ſuper præceden-
tia cum Joan. tit. S. Balbinæ presbytero Cardinali. In ea
enim validiſſimis rationibus diffinitur, poſt caput Eccleſiæ
quod eſt Papa, contigua ſui corporis membra, qui ſunt
fratres ejus Cardinales, præ cæteris Eccleſiæ membris,
ac partibus honorari debere. Et Cardinalatus dignita-
tem eſſe majorem, ac ſublimiorem Epiſcopali, Archie-
piſcopali, & Patriarchali, & ita ſemper in Eccleſia habi-
tam, & reputatam fuiſſe. Idemque habetur in Conſtitu-
tione Leonis X. in Concil. Lateranenſi edita tertio nonas
Maij 1514. quæ incipit, Supremæ, ibi; Et cum S. R. E.
Cardinales cæteros omnes in ipſa Eccleſia, poſt Summum
Pontificem, honore, ac dignitate præcedant. Quod col-
ligitur etiam ex Tridentina Synodo cap. 1. ſeſſ. 24. &
ex Conſtitutione Sixti Quinti de Sancta Romana Ec-
cleſiæ Cardinalium præſtantia, edita tertio nonas Decem-
bris 1586.
Neque obſtat, quod Cardinalis ordine ſit minor Epiſco- 13
po, cap. Ante omnia, 40. diſtinct. cap. De hac, de conſecr.
diſt. 5. Clem. Si quis ſuadente, §. Nec ſuper hoc, de pœnis,
gloſs. ultim. in cap. Quamquam, 2. quæſt. 7. Hoſtien. Abb. &
alii in cap. Eccleſia, il ſecondo, de election. ſuſè Barbat. loco
ſupra citato. Nam reſpondetur in ejuſmodi prærogativis, 14
& privilegiis potius habendam eſſe rationem dignitatis,
quàm

Digitized by Google

quàm Ordinis, ut declarat idem Eugenius in prædicta Decretali, his verbis: *Nec cauſetur quiſpiam quod Ordo Epiſcopalis Presbyterio maior ſit, quoniam in eiuſmodi prælationibus officium, ac dignitas præponderat Ordini; quemadmodum iure cautum eſt, ut Archidiaconus non Presbyter*
15 *ſuæ iuriſdictionis obtentu Archipresbytero præferatur*. Hæc ibi. In ſpecie autem in privilegio altaris viatici potiùs ſpectari prærogativam dignitatis, quàm Ordinis, ex hoc licet intelligere, quod idem privilegium competit etiam Epiſcopo electo, & confirmato, quamvis non conſecrato, ſecundum Gemin. & Franc. *in d. cap. fin. de privileg. lib. 6.* ut latiùs dicetur inferiùs. Quemadmodum ergo Cardinales honoris prærogativa lætantur, ſic privilegiis potiri debent amplioribus, ut legitur *in cap. Officiis de off. Leg. lib. 6.*

16 Nec refragatur, quod Archidiaconus *in d. cap. fin. in verb. Indulgemus*, dicat: Cùm iſta ſit Epiſcoporum indulgentia, eam non extendam; quandoquidem cùm verba illa Decretalis, *eorumque Superiores*, congruè conveniant Cardinalibus, ut oſtenſum eſt ſupra, hæc non dicitur extenſio
17 privilegii, ſed comprehenſio, *c. Porrò ſupra eodem*. Ideòque videmus privilegium eligendi Confeſſorem, quod ſimiliter conceditur Epiſcopis, & aliis Superioribus *in cap. fin. de pœnit. remiſſ.* eodem modo competere Cardinalibus ſicut Epiſcopis, ſecundum Joan. Andr. *in addit. ad Speculator. tit. de legat. §. Sequitur in fin. addit.* & Gondiſalvus de Villadiego *in tract. de Cardinalib. q. 13.* Licèt tam Cardinales, quàm Epiſcopi teneantur eligere Sacerdotem, vel Parochiale beneficium habentem, vel aliàs ab Ordinario approbatum ad Confeſſiones audiendas ad præſcriptum *cap. 15. ſeſſ. 23.* Concil. Tridentin. ut S. Congregatio declaravit, & ſcripſi latiſſimè *in d. c. fin.* in Epiſcopis, *à num. 5. uſque ad n. 31.* & in Cardinalibus, *à num. 31. uſque ad n. 68.*

18 Præterea contra Archidiacon. videtur ſentire gloſ. *in c. In his infra eodem*, ubi cùm Honorius III. declaret privilegium à ſe conceſſum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, ut ubique poſſint cum Altari viatico celebrare, non eſſe ita intelligendum, ut facere hoc non poſſint abſque Prælatorum licentia, ut quidam aſſerebant, qui nimis ſtrictè interpretabantur hujuſmodi indulgentiam: gloſ. *in verb. Nimis ſtrictè dicit*, quòd eſſe non debet: quia Principis privilegium latiſſimè interpretandum eſt, *infra de verb. ſignif. c. Olim. ff. de Conſt. Princip. l. ultim. & 2. q. 3. c. Si quem §. Notandum in fine.*

19 Et hinc fit ut illa quoque privilegia, quæ tribuuntur Epiſcopis ſine illis verbis, *eorumque Superioribus*, & ob ſpecialem rationem Pontificalis officii *in cap. 2. de off. Deleg. lib. 6. in cap. fin. de iuram. calumn.* & in hoc cap. etiam Cardinalibus competant, ſecundum Jo. Andr. & Villadieg.
20 in locis proximè citatis *n. 17.* Et ratio eſt, quia appellatione Epiſcoporum veniunt etiam Superiores ſecundum gloſ. *penult. in cap. Quia periculoſum de ſent. excomm.* quam ibi ſequuntur Jo. Monach. & Jo. Andr. & dicit eſſe benè notandum Geminian. *in fin.*

21 Sed & ratio illa, quæ *in d. c. fin.* adducitur, nempè quod ſine Miſſa non deceat Epiſcopos, eorumque Superiores tranſire abſque rationabili cauſa ullam diem, maximè congruit Cardinalibus propter eminentiam dignitatis; quia poſt Papatum nulla eſt major in Eccleſia Dei, ut inquit Rom. *conſ. 498. num. 11.* Paul. de Caſtr. *conſ. 421. n. 4. & conſ. 421. num. 2. lib. 1.* & dictum eſt ſupra *n. 12.* In eis enim ut dicit Jul. Clar. *in praxi criminal. §. final. q. 98. num. 5. in fin. verſ. Ego nunquam*, reſidet tota majeſtas Chriſtianæ Reipublicæ: unde in primis decet eos in his, quæ ad Dei cultum ſpectant, ita aliis præfulgere, ut meritò omnium in ſe oculos convertant, ut legitur *in cap. 1. in fin. ſeſſ. 25.* Conil. Trident. & in Conſtitutione Sixti V. de S. R. E. Cardinalium præſtantia; quæ incipit, *Poſtquam verus*, ibi: *Luceant omnibus qui in domo Domini habitant*, & ibi: *In quos ob celſitudinem gradus omnium oculi, omnium ora con-*
22 *vertuntur*. Et cùm ratio illa decentiæ ſit expreſſa in Canone, illius diſpoſitio habet locum in Cardinalibus non ex vi extenſiva, ſed comprehenſiva, *l. His ſolis verſ. Satis tamen C. de revocan. donat.* Bald. *in rubr. C. de naut. fœnor.* gloſ. Jaſ. & alii in Auth. *Quas actiones C. de ſacroſ. Eccl.* Neque enim dicitur lex extendi, ubi eadem eſt ratio, ſed enucleari, *l. Si poſtulaverit §. Sed ſi negavit ff. de adulter.* quem text. ad hoc propoſitum allegat Oldrad. *conſ. 185. Thema tale eſt in fin.* Calder. *conſ. 1. Ut lite penden.* cum aliis adductis per Cravett. *conſ. 184. Regul. n. 3.*

Et hinc fit, ut quamvis appellatione Epiſcopi regula- 23
riter non veniat non conſecratus, ſecundum gloſ. *in cap. 1. de religioſ. dom. & gloſ. in Clem. 1. de pœn. in princ.* Tamen privilegium altaris portatilis competit etiam Epiſcopo electo, & confirmato nondum conſecrato, ut per Gemin. *in d. c. fin. ult. in quæſt.* quia ſecundum eum materia eſt proportionabilis confirmato, ſicut conſecrato, & ſequitur Franc. *ibid. n. 3.*

Neque obſtat, quod *in d. cap. Quia periculoſum de ſent.* 24
excomm. lib. 6. per eademmet verba, *Epiſcopis eorumque ſuperioribus* indulgeatur, ut nullam interdicti, vel ſuſpenſionis pœnam incurrant, niſi in ſententia ſint expreſſi, & tamen privilegium illud non competat Cardinalibus, ut tenet Jo. Monach. *ibi n. 4.* dicens, *in hoc tamen Cardinales non includo*: ubi etiam Philipp. Prob. *in addit. n. 1.* Jo. de Anan. *in rubr. de Cler. excomm. in ultim. col.* Idque fortè verius putet Felin. *in c. Quod ſuper his num. 12. verſ. Secundo quia de fide inſtrum.*

Primò enim reſpondetur hoc ideò contingere, quia ſecundum præallegat. DD. in Cardinalibus ceſſat ratio illius Decretalis, ſcilicet impediendi officium Epiſcopale; Miniſterium enim quod ex debito officii ſui impendunt Cardinales Romano Pontifici in conſiliis exhibendis pro adminiſtratione univerſalis Eccleſiæ juxta text. *in cap. Per venerabilem §. Rationibus, Qui fil. ſint legit.* & Decret. Trid. Concil. *d. c. 1. ſeſſ. 25.* Non eſt officium Epiſcopale, quod impediatur per ſententiam ſuſpenſionis, vel interdicti; unde non mirum ſi verba illa, *eorumque ſuperioribus*, utcumque generalia reſtringantur ad limites ſpecialis rationis juxt. text. *in l. Cum pater §. Dulciſſimis*, ubi Bart. & DD. notant *ff. de leg. cum ſimil.* At in caſu noſtro ratio quod non deceat tranſire ullam diem, ſine miſſa celebranda, vel audienda, non ceſſat; Imo maximè viget in Cardinalibus: ac proinde diſpoſitio etiam ſi eſſet ſpecialis, deberet tamen extendi juxta latitudinem rationis generalis, *l. Regula §. fin.* ubi Bart. & Bal. notant *ff. de iuris, & fact. ignor.* Abb. *in c. Sicut in fin. de teſtam.*

Deinde reſpondetur contra Jo. Monach. ſtare auctoritatem Jo. Andr. *in d. cap. Quia periculoſum circa princip. de ſentent. excomm. lib. 6.* & ibidem Gemin. *ver. Quæro an Cardinales*, & Anchar. *n. 1.* ubi tenent privilegium prædictæ Decretalis etiam Cardinalibus competere. Dicunt etiam ita tenere Hoſtienſis *in cap. 2. de Cler. non reſident.* idque intelligendum eſſe etiam in Cardinalibus non Epiſcopis.

Sed objicies: In privilegiis non fit extenſio de perſona ad 25
perſonam, etiam ex identitate, vel majoritate rationis, *cap. Ne alioqui*, ubi Gemin. *in 4. notab. de privileg. lib. 6.* Ant. de Butr. *in cap. Sanè ſupra eodem*; & eſt communis opinio, ut teſtatur incertus Auctor poſt regulas Socin. *reg. 8.* privilegia debent ſtrictè interpretari in prima ampliat.
Et ratio eſt, quia in dubio fit interpretatio pro jure com- 26
muni, quando concurrit cum privileg. *cap. 1. de reſcript. cap. 1.* ubi Anton. de Butr. *de donat. cap. 1. §. Numquid de privileg. lib. 6.* ubi Gemin. *in 1. notab.* Feder. de Sen. *conſ.*
156. circa med. verſ. Item quando ius commune; Ideòque 27
privilegium Altaris viatici conceſſum Prædicatoribus, & Minoribus, juxta *c. In his, infra eod.* non extenditur ad Epiſcopos, licet in eis militet eadem, aut major ratio, ut ex eo text. deducit Abb. *in 2. notab.* Ergo eodem modo hoc privilegium conceſſum Epiſcopis non videtur extendendum ad Cardinales ex identitate, vel majoritate rationis.

Cæterùm reſpondetur objectum procedere quando ver- 28
ba privilegii ita ſunt reſtricta ad certas perſonas, ut etiam ſecundum latam vocabuli ſignificationem nequeant ad alias ampliari, tunc enim veriſſimum eſt non admitti extenſionem de perſona ad perſonam, niſi cùm privilegium aliàs eſſet eluſorium, & nihil operaretur, juxta terminos *cap. Licet de privileg. lib. 6.* Et ita procedit hæc Decretalis, ubi privilegium clam celebrandi tempore generalis interdicti conceſſum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, idcircò ab Innocentio III. extenditur ad Epiſcopos, quia eorundem Fratrum appellatione etiam ſecundum latiorem vocabuli ſignificationem non veniunt Epiſcopi, unde benè ex eo textu, deducit Abbas privilegium Altaris viatici prædictis Fratribus conceſſum ad Epiſcopos non extendi, ut dixi ſupra *in 1. notab.*

At ſecus eſt ſi verba privilegii ſecundum ſui latitudinem, ac generalitatem ſint apta comprehendere etiam alias perſonas, quàm nominatim expreſſas, quia tunc ſi privilegium ſit favorabile, fit lata interpretatio, ut habeat locum in omnibus qui ſub verborum ampliori ſignificatione continentur, & in quibus eadem ratio concurrit: idque non per extenſionem, ſed per comprehenſionem, & declarationem, ſecundum Bald. & alios ſuperiùs citatos *num.* 22. Nam & in privilegio fit lata interpretatio quatenus patitur verborum proprietas, ut poſt Angel. Calder. & Anton. de Butr. tradit Dec. *conſ.* 113. *Viſo tenore n.* 6. *verſ. Et ideo cum multis*.

29 In privilegio autem altaris viatici favore cultus Divini benigna eſt interpretatio facienda, ut dicit textus *in d. cap. In his infra eod.* Idcòque videmus privilegium celebrandi Miſſas in Capella, & Oratorio abſque auctoritate Epiſcopi conſtructo, ad quod confluit multitudo fidelium, extendi etiam ad Miſſas cantatas alta voce: & in ea recipi etiam poſſe oblationes voluntarias propter miniſtros, ut ex facto reſponderunt Petr. de Ancharan. & Gaſp. Calder. inter conſ. Jo. Calder. *conſ.* 421. *aliàs* 6. *de relig. domib.* Ver-

30 ba autem illa, *eorumque Superioribus*, quæ habentur *in d. cap. fin. de privil. lib.* 6. in ſui latitudine ſunt apta comprehendere etiam Cardinales; & ratio decentiæ ibi conſiderata æquè viget in Cardinalibus, ac in Epiſcopis. Ergo ex his omnibus privilegium accipi debet in latiori ſignificatione, itaut etiam Cardinales comprehendat: & hoc intelligit gloſ. & DD. *in d. cap. In his*, dum dicunt illud privilegium eſſe latiſſimè interpretandum. Et hac ratione conciliatur etiam gloſ. cum Archidiacono *in d. cap. fin. de privileg. lib.* 6. nam Archid. dicit prædictam Decretalem non eſſe extendendam, id eſt de caſu ad caſum, vel de perſona ad perſonam in privilegio etiam ſecundum amplitudinem verborum non comprehenſam. Gloſ. verò dicit hoc privilegium eſſe latiſſimè interpretandum, ideſt, ut habeat locum in omnibus, qui ſub latiori verborum ſignificatione continentur.

Ad extremum privilegium altaris viatici competere etiam S. R. E. Cardinalibus cenſet, licet articulum non examinet Joan. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de legat.* §. *Sequitur in fin. addit.* Gondiſalvus de Villadieg. *in tract. de Cardin.* q. 13. Manfred. *in eod. tract. deciſ.* 314. & Cardinal. Jacobac. *de Concil. lib.* 1. *art.* 3. *num.* 206. Quæ opi- 31 nio ſatis videtur approbata in prædicta Conſtitutione Leonis X. edita ſuper reformat. Prælat. Eccleſ. 3. Nonas Maji 1514. qua inter cætera ſtatuitur, *ut Cardinales ſint omnes vigiles, ac divinis officiis, Miſſarumque celebrationibus intenti, habeantque Capellas ſuas in loco honeſto, prout facere conſueverunt*. Hæc ibi: unde etiam patet verum non eſſe quod ait Navarr. Cardinales Romæ non uti hoc privilegio abſque ſpeciali licentia Papæ; Imò enim ſtatim atque creati ſunt Cardinales, celebrant, & audiunt Miſſam in ſuis Capellis ad præſcriptum ejuſdem Conſtitutionis, nec ſuper hoc ullæ expediuntur litteræ a Secretaria Brevium: & ſanè cùm Cardinales in Romana Curia jugiter reſidere teneantur, *d. cap. Per venerabilem* §. *Rationibus Qui fil. ſint legit. & cap.* 2. *de Cler. non reſident.* Idque diſtrictè illis præcipiatur à Leone X. in antedicta Conſtitutione. Si Romæ non haberent uſum altaris portatilis, privilegium *d. cap. final.* nihil eis conferret, & eſſet omninò eluſorium contra litteram textus *in d. c. In his infra eod. & c. Licet eod. tit.*

DE PRIVILEGIIS.

Honorius III. Archiepiſcopis & Epiſcopis, in quorum Diœceſi Monaſteria & Prioratus Cluniacen. Monaſterio ſubjecta conſiſtunt.

CAPUT XXVI.

QUantò ampliùs: & infrà. Sanè dilecti filii Abbas & conventus Cluniacen. gravem nobis que-
rimoniam obtulerunt, quòd quidam veſtrùm & veſtrorum officiales, cùm in eos & ſui or-
dinis monachos non poſſint excommunicationis & interdicti proferre ſententias, eò quòd ſuper
hoc Apoſtolicæ Sedis privilegiis ſunt muniti, in eos, qui molunt in molendinis, vel coquunt in
7 furnis eorum, quidquid vendendo ſeu emendo, aut aliàs eis communicant, ſententias proferunt
memoratas: & ſic Apoſtolicorum privilegiorum non vim & poteſtatem, ſed ſola verba ſervan-
tes, dicti ordinis monachos quodammodo excommunicant, dum eis alios communicare non ſi-
nunt. Ex quo illud etiam evenit inconveniens, ut ipſi monachi quantum ad hoc judicentur judi-
cio Judæorum: & qui eis communicant in prædictis, majorem excommunicationem incurrant,
quàm etiam excommunicatis communicando fuerint incurſuri. Nolentes igitur hæc crebris ad nos
clamoribus jam perlata ulteriùs ſub diſſimulatione tranſire, vobis univerſis & ſingulis mandamus,
quatenus hujuſmodi ſententias in fraudem privilegiorum noſtrorum de cætero non feratis: quia ſi
ſuper hoc ad nos denuo clamor aſcenderit, non poterimus conniventibus oculis pertranſire, quin
promulgatores talium ſententiarum ſeveritate debita caſtigemus.

SUMMARIUM.

1 *PRivilegiati quod excommunicari non poſſint ab Ordinariis, non debent excommunicari etiam indirectè.*
2 *Privilegia non ſunt violanda etiam indirectè.*
3 *Statutum Epiſcopi excommunicans accedentes ad monaſterium Monialium exemptum ſine eius licentia an valeant, & n. ſeqq.*
4 *Excommunicatio lata ab Epiſcopis in ſubditos ſuos, qui molunt in molendinis, vel coquunt panem in furnis Regularium exemptorum, non tenet.*
5 *Terminus*, ad quem, *non in quo diſpoſitio celebratur, debet conſiderari.*
6 *Finis, cui conceditur, videntur conceſſa omnia, quæ ad illum finem tendunt.*
7 *Indulgentia an poſſit ab Epiſcopo concedi ſubditis pro opere conſtruendo in alterius diœceſi abſque Diœceſani conſenſu, remiſſivè.*
8 *Regularis accedens ad monaſterium Monialium Regularibus ſubiectarum, & ibi colloquens cum Moniali, an poſſit puniri ab Epiſcopo, & n. ſeq. uſque in fin.*
9 *Regulares accedentes ad Monialium monaſteria etiam exempta incidunt in excommunicationem contra accedentes Epiſcopi edicto propoſitam.*
10 *Clauſura monaſteriis Monialium qualiter ab Epiſcopo conſervanda, & ubi collapſa fuerit, reſtituenda.*
11 *Clauſuræ cuſtodiā habentes, habent etiam concomitantia.*
12 *Collocutiones clandeſtinæ cum Monialibus ſuſpectæ ſunt ſacris Canonibus.*
13 *Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus poteſt corrigere abuſus circa clauſuram Monialium Regularibus ſubiectarum.*
14 *Bulla Gregorii XV. ſubiicit iuriſdictioni Epiſcopi Regulares delinquentes circa clauſuram monaſteriorum Monialium, vel circa perſonas in eis degentes.*
Et verba Bullæ expenduntur n. 16. *& ſeqq.*
15 *Regularis colloquens cum Moniali ſine legitima licentia*

eſt

Digitized by Google

eſt privatus voce activa, & paſſiva, & mortaliter peccat.
17 *Dictio*, circa, *quid importet.*
18 Clauſura, *nomen genus eſt tam ad interiorem, quàm ad exteriorem.*
19 *Verba univerſalia, & geminata extendunt diſpoſitionem ad ea, quæ aliàs non comprehenderentur.*
20 *Prohibitio facta uni ex correlativis cenſetur etiam alteri facta.*
21 *Regulares mittentes Epiſtolas ad Moniales an poſſint puniri ab Epiſcopo.*
22 *Iniuria quot modis inferatur.*
23 *Bulla Gregorii XV. per quam fit reditus ad ius commune, eſt favorabilis, & latè interpretanda.*
24 *Lex etiam pœnalis latè interpretanda eſt, quatenus patitur verborum proprietas.*

1 Q*Vanto.* Privilegiati quod excommunicari non poſſint
ab Ordinariis, non debent excommunicari etiam
2 indirectè. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. & omnes. Vel
generalius ſecundum Cardin. & Abb. Privilegia non ſunt
3 violanda etiam indirectè: & per hanc litteram Petr. de
Anchar. *in cap. Periculoſo num. 5. col. 3. circa finem verſ.*
Secundò quæro de ſtat. Regular. lib. 6. contra Lapum, Ab-
batem determinat non valere ſtatutum Epiſcopi excommu-
4 nicantis accedentes ad monaſterium Monialium exemptum
ſine ejus licentia: nam per hoc videtur contra privile-
gium exemptionis facere impediendo liberum acceſſum
in ſubditis ſuis, argum. bujus cap. ubi declaratur irrita
excommunicatio lata ab Epiſcopis in ſubditos ſuos, qui
molunt in molendinis, vel panem coquunt in furnis Mo-
nachorum Cluniacenſium habentium privilegium, ut ab
Epiſcopis excommunicari, vel interdici non poſſint: nam
5 ſecundum Anchar. in ſubditis non poteſt fieri talis prohibi-
tio, ſi tendat ad præjudicium, ſive damnum ſic privilegiati,
arg. *cap. final. de immunitat. Eccleſ. lib. 6.*
Item conſiderato effectu, tale ſtatutum videtur princi-
paliter concernere ipſos exemptos, licet verba ad aliud re-
ferantur; & terminus *ad quem*, non *in quo*, diſpoſitio ce-
6 lebratur, debet conſiderari, *ut l. Quod ſponſa C. de dona-
tion. ante nupt.* & ſicut monaſterium eximitur ab Epiſcopi
poteſtate, ita acceſſus ad illud debet intelligi liber: nam
cui conceditur finis, videntur conceſſa omnia, quæ ad il-
lum finem tendunt, *l. Ad rem mobilem, & l. ad legatum ff.
de procurator.* & cui conceditur hauſtus ad fontem, conce-
ditur ſimiliter & iter ad ipſum, *l. 3. § final. ff. de ſervit.
ruſtic. prædior.* & cui relictum eſt horreum, ad quod erat
tranſitus per domum, videtur etiam relictus eſſe tranſi-
tus, *l. Olimpico ff. de ſervit. ruſtic. prædior.* ex quibus con-
cludit ſtatutum tale non valere, utpote tenens, & prin-
cipaliter diſponens ſuper re non ſubdita ſtatuenti. Sed ut
reſpondent Geminian. & Franc. proximè citandi, tale ſta-
tutum nec directè, nec indirectè præjudicat monaſterio,
vel exemptioni, cùm ad monaſterium prohibentur acceſſio-
nes, ſed præjudicatur ipſis accedentibus; & ſic non obſtat
7 iſte text. Ad prædictam quæſtionem vide plurimas, & pul-
cherrimas rationes, quas ex Oldrado in utramque partem
recitat ipſe Petr. de Anchar. *in c. Poſtulaſti à n. 18. uſque ad
n. 23. de foro compet. in quæſt.* An Epiſcopus poſſit concedere
ſubditis indulgentiam pro opere conſtruendo in alterius
diœceſi abſque illius conſenſu.
8 QUÆRO, An poſita Conſtitutione Gregorii XV. de
exemptorum privilegiis Regularis abſque legitima licentia
accedens ad Monaſterium Monialium Regularibus ſubje-
ctarum, ibique in loco colloquiis deſtinato cum Moniali
colloquens, à Diœceſano Epiſcopo tamquam Sedis Apoſto-
licæ delegato coerceri, & puniri poſſit.
9 Movet hanc quæſtionem in individuo Geminianus *in c.
Periculoſo §. Et quoniam col. 2. poſt princ. verſ. Sed pone
de ſtat. Reg. lib. 6.* ubi poſt Lapum Abbatem *num. 2.* quæ-
rit ſi monaſterium ſit exemptum, & Epiſcopus faciat Con-
ſtitutionem, ne quis ad illud accedat ſine ſui licentia, aliàs
eo ipſo ſit excommunicatus: An exemptus abſque licentia
ad illud accedens, incidat in excommunicationem, necne?
& ex pluribus reſolvit incidere ſi tranſeat per diœceſim Epi-
ſcopi, & probabiliter Conſtitutionem non ignoret: Nam
ex quo, inquit, Epiſcopus imponit pœnam eunti ad mona-
ſterium, & iſtud ire eſt delinquere, & ſic eſt delictum fa-

ctum in loco non exempto, licet ſit conſummatum in loco
exempto, ex hoc ſequitur, ut Epiſcopus punire poſſit,
cap. 1. de privileg. lib. 6. & idem cenſet *in d. cap. Pericu-
loſo*, Franc. *num. 6.* & Jaſ. *conſ. 83. vol. 1.* ubi in fine ſic
ait: [Et verè cùm habeamus apertam deciſionem Lapi Ab-
batis, & Gemin. in individuo firmantium quæſtionem
noſtram, neſcio quis juſtus judex volens jura adminiſtra-
re, poſſit ab eorum deciſione recedere.] Quam ſenten-
tiam jamdiu approbavit S. Congregatio, dum declaravit
Regulares accedentes ad monaſteria Monialium, etiam ex-
empta ab Epiſcopi juriſdictione incidere in pœnam excom-
municationis contra accedentes Epiſcopi edicto propoſitã,
niſi habeant nominatim privilegium, ut non poſſint excom-
municari: & tamen eo etiam caſu cenſuit eos aliis pœnis eſ-
ſe puniendos.
Quod videtur etiam probari poſſe, quia ex dicto *cap.* 10
Periculoſo, & decreto Concilii Tridentini *cap. 5. ſeſſ. 25.
de Regular.* Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati
ſub obteſtatione divini judicii, & interminationis male-
dictionis æternæ jubentur procurare, ut clauſura monia-
lium exemptarum ubi violata fuerit, reſtituatur; & ubi
inviolata eſt, conſervetur, inobedientes, atque contra-
dictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas com-
peſcentes. In hoc autem auctoritate conſervandi clauſu-
ram, utique comprehenduntur ea omnia, quæ ad ejuſ- 11
modi conſervationem ſpectant, & ſine quibus clauſura
nullo modo, aut difficilè conſervari poteſt, ut in hac ſpe-
cie tradit Jo. Monach. *in d. cap. Periculoſo num. 2.* ubi ait
habentes cuſtodiam clauſuræ, habere etiam illa omnia,
quæ clauſuram comitantur per regulam *l. 2. ff. de iuriſdict.
omn. iud. cap. Præterea de off. deleg. & cap. de prudentia de
dote poſt divor. reſtituen.* At experientia docuit ad clauſu-
ræ conſervationem magnopere pertinere, ut Regulares ad
illa non accedant, nec cum Monialibus colloquantur abſ-
que legitima licentia: idcircò enim tot prohibitiones ſub
gravibus pœnis hac in re à Sede Apoſtolica emanarunt. Er-
go Epiſcopus poteſt illos arcere, & contrafacientes puni-
re. Et revera maxima abſurdum videtur ut Epiſcopi gra-
viſſimo illo decreto præcipiantur clauſuram inviolatam
cuſtodire; & tamen nequeant ab illa arcere quos expedi-
re judicaverint: hujuſmodi enim prohibitæ, & clandeſti- 12
næ collocutiones ſunt valde ſacris Canonibus ſuſpectæ, ut
patet ex ſeptima Synodo *c. 20.* cujus verba conſultò omit-
timus: & propterea Concilium Hiſpalen. 2. *c. 11.* dum ſubji-
cit monaſteria provinciæ Bæticæ Monachorum Regimini,
ſubdit ea tamen circa Moniales cautela ſervata, ut remoti
ab earum peculiaritate, nec uſque ad veſtibulum habeant
accedendi familiare permiſſum.
Ideòque cùm Epiſcopus Bellunen. olim retuliſſet S. Con- 13
gregationi Concilii nonnullos abuſus circa facultatem al-
loquendi Moniales Regularibus ſubjectas, S. Congregatio
reſpondit hoc caput, quod clauſuram, ejus conſervationem,
ac reſtitutionem reſpicit, ad juriſdictionem Epiſcopi tam-
quam Sedis Apoſtolicæ delegati pertinere.
Quæ tamen quamvis fortè non tranſirent abſque diffi- 14
cultate ex diſpoſitione juris, & Concilii certè ſatis clarè
videntur procedere poſt Gregorianam Conſtitutionem, quæ
diſertis verbis tribuit Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtoli-
cæ delegato facultatem puniendi quoſcumque exemptos
tam ſæculares, quàm Regulares, qui delinquunt circa
clauſuram, aut circa perſonas degentes intra ſepta mona-
ſteriorum Monialium Regularibus ſubjectarum: certum
eſt enim Regularem abſque legitima licentia loquentem 15
cum Moniali graviter delinquere, & ex decreto Sixti V.
eſſe ipſo jure privatum voce activa & paſſiva, & ex decla-
ratione S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium
mortaliter peccare. Delictum enim clauſuræ in d. Con-
ſtitutione non videtur materialiter, & phyſicè accipien-
dum pro ſola murorum fractura, ſed moraliter, ita ut
comprehendat quemcumque modum, per quem Monia-
lium cuſtodia violari poſſit, qualis videtur eſſe prohibita
allocutio.
Idque eo magis, quia Conſtitutio non reſtringit ſe ad vio- 16
lantes clauſuram, nec loquitur de delinquentibus in clauſu-
ra; ſed utitur dictione illa *circa*, quæ magis latè patet, aliud 17
eſt enim aliquid fieri circa ſolum, aliud in ſolo, ut notatur *in
l. 1. §. Hoc autem edictum non omnia ff. de novi operis nunciat.*
& circa provinciam dicitur eſſe qui abeſt per duas dietas
tantùm, Archid. *in c. 1. de off. Ordin. lib. 6.*

Itaque quatenus Regularis accedens contra prohibitionem Papæ ad clauſuram Monialium propriè non delinqueret in clauſura, negari tamen non poteſt, quin delin-
18 quat circa clauſuram; præſertim quia *clauſura* nomen genus eſt ad clauſuram tam interiorem, quàm exteriorem: & cùm Conſtitutio ſimpliciter loquatur de delinquentibus circa clauſuram æquè videtur intelligenda, de clauſura exteriori, ac de interiori: ſub genere enim propriè utraque ſpecies comprehenditur, ut notatur *in l. Si quis ſic ſtipuletur in gloſ. in verb. Omnes hi ff. ſolut. matr.* & tam delictum eſt Regulari ſine licentia ingredi exteriorem clauſuram, quàm interiorem, licet hoc ſit gravius.

19 Præterea ponderanda eſt clauſula Conſtitutionis inferius poſita, quæ videtur ampliativa præcedentium, his verbis: *Itaut Epiſcopus in ſupradictis caſibus, & in prænominatas perſonas in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas procedere, omnemque iuriſdictionem exercere liberè, & licitè valeat.* Verba enim illa, *in præmiſſis, & circa ea*, extendunt diſpoſitionem præcedentem etiam ad connexa, & comitantia: & illa dictio, *quoquomodo delinquentes*, ſimiliter ampliat præcedentia ad omne delictum cujuſcumque ſit qualitatis, itaut propterea quatenus delictum collocutionis cum Moniali non comprehenderetur in priori parte Conſtitutionis, ſatis tamen videatur comprehendi in ſecunda, quæ latiùs patet. Verba enim ſic univerſalia, & geminata extendunt diſpoſitionem, & comprehendunt etiam caſus, qui aliàs in illa non comprehenderentur, ut pluribus exemplis probat Romanus *conſ.* 31. *Viſis iis in princ. num.* 2. & Alex. *conſ.* 102. *Viſo themate lib.* 6. & in ſpecie verba, *in præmiſſis, & circa ea*, indicare Pontificem voluiſſe ampliare præmiſſa etiam ad caſus non expreſſos. Patet ex iis, quæ de hac dictione, *circa*, ſuperiùs dicta ſunt: & de dictionibus, *omnia, & ſingula*, tradit Paulus de Caſtro *conſ.* 418. *col.* 2. *in princ. verſ. In contrarium lib.* 1. & Ant. de Butr. *conſ.* 19. *n.* 3. *verſ. In privilegio autem, & n.* 5. ubi etiam de verbis, *plenè in omnibus*, ſeu *pleno iure*, & de dictione, *quoquomodo*, ſeu *quocumque modo*, Bart. *conſ.* 21. *lib.* 2. *n.* 5.

20 Et confirmatur; nam Gregorius in proœmio Conſtitutionis recenſet tres caſus, in quibus ex decretis Concilii Regulares delinquentes ab Epiſcopo puniri non poterant; & declarat ſe velle prædictis decretis aliquid adjungere, idque re ipſa obſervat in corpore Conſtitutionis in duobus caſibus, ideſt cùm Regulares non curati delinquunt in adminiſtratione alicuius Sacramenti. Item cùm delinquunt prædicando in Eccleſiis ſui, vel alterius Ordinis ſine Epiſcopi benedictione, vel licentia, aut Epiſcopo contradicente: in his enim duobus caſibus perſiſtendo in terminis Concilii, Regulares ab Epiſcopo puniri non poterant, ſed à ſuis ſuperioribus Regularibus duntaxat, ut priùs declaraverat S. Congregatio. Ergo idem cenſetur Gregorius feciſſe in 3. caſu, nempe cùm delinquunt circa clauſuram Sanctimonialium, vel perſonas in ea degentes; nam ſi hunc 3. caſum intellexiſſet de formali violatione clauſuræ, nihil Concilio addidiſſet, quia Regulares eam violantes jam ſuberant iuriſdictioni Epiſcopi ex decreto *dict. cap.* 5. *ſeſſ.* 23. *de regular.* unde in hoc quoque 3. caſu Conſtitutio, aliquid addat decreto Concilii, ita intelligi debet ut Regulares circa clauſuram puniri poſſint pro delicto, pro quo ex præſcripto Concilii puniri non poterant, & ſic pro delicto ultra formalem clauſuræ violationem.

21 Cæterùm ſi hoc caſu Regularis non videretur aliquibus delinquere circa clauſuram, dubium tamen non videtur; quin delinquat circa perſonam intra ſepta degentem, & propterea ex hoc cap. ab Epiſcopo puniri poſſit ad præſcriptum Conſtitutionis, inducit enim Sanctimonialem ad ſecum colloquendum contra prohibitionem Apoſtolicam; atque ita delictum eſt reciprocum ex parte utriuſque: nam reſpectu unius, & ejuſdem actus individui, ſicuti eſt collocutio, prohibitio facti unius ex correlativis, cenſetur etiam facta alteri; idque verum eſt indiſtinctè, & in omni materia etiam odioſa, & pœnali, ut optimè declarat Craveta *de Antiq. tempor. in* 4. *p.* §. *Videamus num.* 29. & 30. & Socin. *conſ.* 74. *num.* 5. & *ſeq. lib.* 3. Curt. Jun. *conſ.* 6. *n.* 15. & *ſeq.* & Dec. *in l.* 1. *C. de in ius voc. n.* 7. *verſ. Primus.*

Neque verò ea verba, *circa perſonas* ſalva ratione recti ſermonis reſtringi poſſunt ad ſolos tactus corporis, ſed cùm ſint generalia, referri debent ad quodcumque delictum perſonas Monialium concernens, præſertim quia, ut dicit text. *in cap. Nec ſolo* 32. *q.* 5. ſæpè in tactis ad immunda violatione corporis fugit caſtitas ipſa de moribus.

Et hanc ob cauſam Gregorius legis conditor oretenus dixit ſuæ intentionis eſſe, ut in Conſtitutione comprehenderentur etiam mittentes Epiſtolas ad moniales, quaſi & hi dicerentur aliquo modo circa illarum perſonas delinquere, conſiderata latitudine illius dictionis, *circa*, & quamvis de hac Gregorii declaratione nihil hodie appareat authenticè, notitia tamen utcumque habita mentis legislatoris promptiorem reddere debet S. Congregationem ad declarandum illos eſſe in Conſtitutione comprehenſos, qui non per litteras tantum, ſed perſonaliter accedunt ad colloquendum cum Monialibus.

Et eo magis, quia littera Conſtitutionis propriè hanc 22
interpretationem admittit: injuria enim adverſus perſonam dicitur fieri non ſolum re, quoties manus inferuntur, ſed etiam verbis, ut cùm convicium fit; nec tantùm in corpus infertur, ut cùm quis pulſatur, ſed aliquando etiam ad dignitatem, aut infamiam pertinet, ut cùm pudicitia attentatur, quæ ſunt verba textus *in l.* 1. *ff. de iniur.* & eodem modo actio in perſonam inferri dicitur; & tamen corpus non tangitur, *l. Actionum genera, & l. Actio in perſonam ff. de act. & obligat.* quod clariùs procedit hoc caſu, in quo Conſtitutio non utitur verbis, *in perſonam*, ſed *circa perſonam*, quæ latiùs patent, ut ſuperiùs diximus.

His non obſtat, quod Conſtitutio tamquam pœnalis ſit 23
ſtrictè intelligenda; quia hoc caſu non agitur de pœna Regularibus imponenda, abſolutum eſt enim accedentes ad monaſteria ſine licentia eſſe puniendos, ſed ſolum agitur à quo hæc pœna ſit irroganda, an ſcilicet à Superiore Regulari, an ab Epiſcopo: unde Conſtitutio non debet propterea ſtrictè intelligi, ſed potiùs latè in favorem juriſdictionis ordinariæ: nam quamvis reſtringantur Religioſorum privilegia, fit tamen redditus ad jus commune antiquum, ſecundum quòd Monachi, & eorum Abbates ſuberant diœceſano Epiſcopo, *c. Abbates, & c. Monaſteria* 18. *q.* 2. & tradit Navarr. *conſ.* 8. *ſub n.* 3. *de reſcript.* Planum eſt autem, Conſtitutionem, per quam fit reditus ad jus commune, favorabilem eſſe, & latè interpretandam, *c. Cum dilectus* §. *Cæterum*, & ibi gloſ. communis, *in ver. Juri communi*, & Abb. *n.* 31. *de conſuetud.*

Et nihilominus etiam lex pœnalis eſt latè interpretan- 24
da quatenus patitur verborum proprietas, *l. Cum lege*, ubi Aret. *ff. de teſtam.* Rolan. à Valle *conſ.* 54. *num.* 39. *verſ. Nam dictiones lib.* 3. & plenius Craverta *conſ.* 294. *num.* 2. *verſ. Amplius*, & eo magis, quia per conſtitutionem Gregorii tribuitur Epiſcopo jus procedendi contra Regulares exemptos auctoritate delegata; unde per hoc exemptionum privilegia non violantur, ut notat Abbas *in c. Grave n.* 1. *de off. Ordin.* & dixi *in c. Tuarum n.* 31. *ſupra eod.*

D E   P R I V I L E G I I S.

Idem Honorius III. V. quondam Anglorum Reginæ illuſtri.

C A P U T   XXVII.

iii EX parte tua fuit propoſitum, quòd nonnulli litteráti, quos nec habitus nec tonſura clericos profitetur, in terra tuæ juriſdictioni ſubjecta degentes, cùm deprehenduntur in aliquibus foris factis, ut juriſdictionem tuam eludant, & debitam pro delictis ultionem evadant, aſſumunt, ſeu etiam reſumunt tonſuram abjectam, ſeu habitum Clericalem, licèt antè pro laicis ab omnibus haberentur. Ne igitur tonſura, vel habitu ſic reſumpto, malitia foveatur, ſi tuam juriſdictionem exerceas in hujuſmodi delinquentes, qui ſine tonſura & habitu in delicto fuerint deprehenſi, æquanimiter duximus tolerandum: cùm malitiis hominum indulgeri non debeat, ſed potiùs obviari.

S V M M A R I V M.

1 *Qui in habitu, & conſura, & cæteris ut laici converſantur, deprehenſi in maleficiis puniri poſſunt à iudice ſæculari.*

1 EX parte, il terzo. Joan. Andr. & communiter Scribentes ſic ſummant hanc Decretalem. Qui in habitu, & tonſura, & cæteris ut laici converſantur, deprehenſi in maleficiis ſe pro Clericis non defendunt: ſed quia per alia jura Clerici ſive in minoribus, ſive in ſacris Ordinibus conſtituti, & in maleficiis deprehenſi ſine habitu, & tonſura, fori privilegium non perdunt, niſi ter moniti non deſiſtant, *ut cap. Contingit, il ſecondo infra de ſentent. excomm.* cum ſuis concordant. propterea hoc cap. quod videtur oppoſitum innuere, multipliciter à Doctoribus intelligitur: verior tamen, & communior videtur intellectus gloſſæ penultimæ hic. Tu in propoſito vide Alex. qui concordat cum gloſſa noſtra *in conſ. 8. Videtur ſuper primo n. 2. lib. 1.* & quod ſcripſi *in d. c. Contingit n. 6. 12. & 25.*

D E   P R I V I L E G I I S.

Idem Honorius III.

C A P U T   X X X.

IN his, quæ ad cultum divinum facere dignoſcuntur, non maligna, ſed benigna eſſet potiùs Interpretatio facienda. Unde mirari compellimur, quòd cùm fratribus Prædicatoribus & Minoribus duximus indulgendum, ut ubicumque fuerint, ſine Parochialis juris præjudicio, cum altari valeant viatico celebrare: quidam nimis ſtrictè interpretando indulgentiam noſtram, nituntur aſſerere, quòd per eam prædicti fratres præter Prælatorum aſſenſum facere hoc non poſſint: propter quod eos celebrare juxta indulgentiam Apoſtolicam non permittunt. Cùm autem nihil eis conferret memorata indulgentia, ſine qua id Prælatis annuentibus liceret eiſdem: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione hujuſmodi reprobata, dum tamen ab aliis, quæ jure Parochiali proveniunt, prorſus abſtineant, datam eis ſic licentiam celebrandi, auctoritate noſtra non differas publicare: ita quòd dicti fratres aliquam ex indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti.

S V M M A R I V M.

1 *FRatres Prædicatores, & Minores, an poſſint in clauſtro monaſterii ſui Ordinis in altari portatili Miſſam celebrare etiam invito Epiſcopo. Et quid de illius licentia, & n. ſeqq. uſque in finem.*

2 *Miſſa de iure communi an, & quando poſſit celebrari extra Eccleſiam de licentia Epiſcopi.*

3 *Epiſcopus poteſt de iure concedere privilegium altaris viatici in ſua diœceſi tantum, & ſolus Papa in univerſo Orbe.*

4 *Fratres Prædicatores, & Minores ex indulto Honorii III. uti poterant altari viatico etiam Epiſcopo non permittente.*

Privilegia ſic debent interpretari, ut non ſint inania, ſed aliquid conferant præter ius commune, ibid.

5 *Fratres Prædicatores, & Minores etiam ante Concilium Tridentinum uti non poterant altaris viatici privilegio poſteaquam habuerunt Eccleſias conſecratas.*

6 *Altaris viatici privilegium fuit innovatum à Sixto IV. & Alexandro VI. quoad Minores tantum, non autem quoad Prædicatores.*

7 *Societatis Ieſu Presbyteris altaris viatici privilegium à Concilio Tridentino ademptum reſtituitur à Gregorio XIII.*

8 *Fratrum Prædicatorum, & Minorum privilegium in altari viatico celebrandi fuit ſublatum à Concilio Tridentino.*

9 *Privilegia etiam in corpore iuris clauſa non deſinunt eſſe privilegia, & ideo comprebenduntur in generali privilegiorum derogatione.*

10 *Altaris viatici privilegium Epiſcopis conceſſum cur non ademptum à Concilio.*

11 *Iuri communi non eſt opus derogare, ſed ſatis eſt, ut Princeps ſtatuat contrarium eius, quod ius commune diſponit.*

12 *Privilegiis in corpore iuris clauſis ex ſtylo Concilii Tridentini non conſuevit expreſſè derogari.*

13 *Epiſcopus poſt Concilium Tridentinum non poteſt concedere licentiam domi celebrandi, ut infirmus pro viatico communicetur.*

14 *Fratres Prædicatores, & Minores non poſſunt in clauſtris ſuorum monaſteriorum celebrare in altari portatili etiam de Epiſcopi licentia, & n. 19.*

Secus ſi altare ſit fixum in Oratorio ad divinum cul-

cultum dedicato, ibid. & num. 22.

15 *Tridentini Concilii decretum in c. unico §. Neve patiantur, ſeſſ.* 22. de obſerv. & evitan. in celebr. Miſſar. *expenditur, & explicatur.*

16 *Principis domus, arces, & palatia, in quibus Barones iuriſdictionem exercent, comprehenduntur in prohibitione Tridentini Concilii de Miſſa in privatis domibus non celebranda.*

17 *Miſſa in privatis domibus celebrari non poteſt etiam in Oratorio ad divinum cultum dedicato, ſed celebrandi licentia petenda eſt, à Sede Apoſtolica.*

18 *Oratoria publica, & privata quæ cenſeantur.*

19 *Epiſcopus non poteſt permittere, ut à Sacerdotibus ſecularibus, aut Regularibus Miſſa celebretur extra Eccleſiam, & extra Oratoria ad divinum tantùm cultum dedicata.*

20 *Altaris portatilis uſum Epiſcopus poſt Tridentinum Concilium concedere non poteſt etiam in locis publicis.*

21 *Epiſcopus poteſt concedere ex Tridentini Concilii præſcripto, ut Miſſa celebretur in Oratorio ad divinum tantum cultum dedicato, dummodo illud non ſit in privatis domibus.*

22 *Miſſa in Oratoriis conſtructis pro uſu Carceratorum, Confraternitatum, Hoſpitalium, & Monaſteriorum celebrari poteſt prævia licentia, & approbatione Epiſcopi diœceſani, & n.* 23.

1 IN *his*. Privilegiati ut ubique poſſint cum altari viatico celebrare, hoc poſſunt ſine licentia Prælatorum. Hoc dicit, & ſunt duæ partes. Prima ponit exordium, & factum narrat. Secunda providet, & rationem reddit: ibi, *Cùm autem*.

Nota privilegium Principis ita eſſe interpretandum, ut aliquid conferat ultra jus commune, ne alioquin ſit eluſorium, ut hic, *& in l.* 1. *C. de theſaur. lib.* 10. *cum concord.* de quibus *hic in gloſ. fin.* Privilegium enim eſt privata lex, nec eſſet privata, niſi aliquid ſpecialiter indulgeret, dicit text. *in cap. Abbate verſ. Hic autem ſenſus de verbor. ſignif.* De hoc infra *n.* 4.

QUÆRO. An Fratres Prædicatores, & Minores, ut hic dicitur privilegiati poſſint hodie in Clauſtro monaſterii ſui Ordinis in altari portatili Miſſam celebrare etiam invito Epiſcopo diœceſano, non obſtante decreto Concilii Trident. *in cap. unic. ſeſſ.* 22. *de obſervan. & evit. in celebr. Miſſar.* Et quid de illius licentia, & approbatione.

2 Quamvis ex antiquorum Canonum præſcripto Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari non debeat niſi in Eccleſia conſecrata, *cap.* 1. *in fin. cap. Sicut non alii, cap. Unicuique cum concord. de conſecr. diſt.* 1. & pluribus confirmat Duran. *de ritib. lib.* 2. *c.* 2. adeout non liceat in privatis domibus celebrare etiam ex permiſſione Epiſcopi, *ut in d. c. Sicut non alii in fin.* & in Auth. *Ut in privatis domibus ſacra Myſteria non fiant, collat.* 5. ſed opus ſit privilegio Apoſtolico, ſecundum Archid. *in cap. fin. in ver. Ad Eccleſias de privil. lib.* 6. Tamen ex Concilio Triburienſi relato *in cap. Concedimus de conſecr. diſtin.* 1. Generaliter permittitur ut ſi Eccleſiæ conſecratæ fuerint ab infidelibus, vel malis Chriſtianis combuſtæ, in capellis non conſecratis cum tabula conſecrata Miſſæ interim celebrentur donec conſecratæ Eccleſiæ valeant reſtaurari: In itinere verò poſitis ſi Eccleſia defuerit, ſub dio, ſeu in tentoriis, ſi tabula altaris conſecrata ibi affuerit, liceat Miſſarum ſolemnia celebrare. Item ex Concilio Agathenſi cap. 21. Permittitur iis, qui ſunt valde remoti ab Eccleſia Parochiali, propter fatigationem familiæ ſuæ, ut audiant Miſſas in minoribus feſtivitatibus in Oratoriis ſuis; ſed in præcipuis feſtivitatibus Miſſam audiant in ſuis Parochialibus Eccleſiis: refertur *in cap. Si quis etiam de conſecr. diſtin.* 1. Verùm hos duos textus communiter DD intelligunt non habere locum niſi de conſenſu Epiſcopi diœceſani, quòd ſatis conſtat *ex cap. Miſſarum de conſecr. diſt.* 1. quod eſt ejuſdem Concilii Triburienſis: *Miſſarum*, inquit, *ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus.* Item colligitur ex ſexta Synodo *c.* 31. *relata in cap. Clericos ead. diſt.* & tradit gloſ. *in d. c. Concedimus in verb. Celebrari permittimus, & in cap. Unicuique in ver. Licet ead. diſt.* & propterea Joan. Andr. *in cap. fin. de privil. lib.* 6. *in ver. Celebrare*, dicit 3
poſſe unumquemque Epiſcopum in ſua diœceſi concedere hoc privilegium altaris viatici juxta text. *in d. cap. Concedimus, cap. Miſſarum, cap. Clericos, & cap. Si quis extra de conſecr. diſt.* 1. & ſolum Papam in univerſo Orbe, *ut hic, & in d. cap. fin. eod. tit. lib.* 6. Joan. Andr. ſequuntur ibi Anton. de Butr. Anch. & alii: & ita communiter teneri teſtatur Abb. *hic n.* 2. *verſ. Sed quæro*, & Navarr. *conſ.* 1. *q.* 37. *de Conſtit.*

Poſt hæc Honorius III. conceſſit Fratribus Prædicato- 4
ribus, & Minoribus privilegium altaris viatici: ſed quia nonnulli aſſerebant illud non habere locum abſque conſenſu Epiſcopi diœceſani; idem Honor. in hac Decretali declaravit prædictos Fratres uti poſſe hoc privilegio etiam Epiſcopo non permittente: nam cùm de licentia Epiſcopi unicuique liceret in altari viatico celebrare abſque alio Papæ privilegio ex indulgentia Concilii Triburienſis, *ut in d. cap. Concedimus*, indulto Honorii nihil illis contuliſſet præter jus commune ſi neceſſaria fuiſſet Epiſcopi licentia, & privilegium fuiſſet omninò eluſorium; quòd eſſe non debet, ut hic patet, & notat gloſ. *in ver. Ex indulgentia*, & Abb. *in princ.* qui ait hunc textum ad hoc quotidiè à Doctoribus allegari.

Demum ſupervenit decretum Tridentini Concilii *in cap. unico Neve patiantur ſeſſ.* 22. *de Obſerv. & evit. in celebrat. Miſſar.* de quo inferiùs dicetur.

His ita conſtitutis ad primam partem dubii videtur reſ- 5
pondendum fratribus Prædicatoribus, & Minoribus nequaquam licere in clauſtro ut ſupra, Miſſam celebrare, præſertim Epiſcopo contradicente. Siquidem, ut inquit Jo. Andr. *hic n.* 8. poſt Hoſt. *n.* 11. *in ver. Conſecuti*, hac gratia utebantur iſti fratres in novitate ſua quando carebant propriis Eccleſiis, & habebant Oratoria ſimplicia: hodie verò & habent cœmeteria, & conſecrantur ipſorum Eccleſiæ. Unde nec in locis ſuis egent hoc privilegio, ex quo habent alia altaria conſecrata. Sed & Ant. de Butr. *hic num.* 8. Similiter dicit Fratres Prædicatores, & Minores habuiſſe hoc privilegium in prima novitate quando celebrabant in propriis habitaculis; ſed hodie habere proprias Eccleſias, & conſecratas, & ideò uti non poſſe hoc privilegio, quod in ſubſidium fuit datum. Et ſequitur Abb. *num.* 3. dicens Doctores tacitè innuere, hos fratres non habere ampliùs hoc privilegium: nam olim fuit eis conceſſum, quia non habebant ita Eccleſias conſecratas, ſicut hodie habent, ſed habebant quædam Oratoria non conſecrata. Et quamvis Abb. ſubdat quod ſi hodie etiã de facto accideret, ut haberent aliqua loca non conſecrata, fratres ad illa accedentes uti poſſent hoc privilegio, quia ſubeſſet ratio privilegii: tamen quidquid ſit de veritate hujus limitationis, certè illa non applicatur caſui noſtro in quo agitur de Miſſa celebranda in clauſtro, in quo abſolutum eſt nullam ſubeſſe neceſſitatem celebrandi, cùm ſit in promptu Eccleſia, cui adjacet. Ceſſante igitur cauſa, ob quam privilegium fuit conceſſum, ceſſat privilegium, argum. *cap. Etſi Chriſtus ſupra de iureiur. & cap. Cum ceſſante de appellation.* & ideò videmus indultum Concilii Triburienſis celebrandi cum tabula conſecrata, cùm fuerit conceſſum in defectum Eccleſiarum, non habere locum in locis, ubi Eccleſiæ non deſunt, ut probat littera *d. cap. Concedimus de conſecr. diſt.* 1. ibi, *donec conſecratæ Eccleſiæ valeant reſtaurari:* & ibi, *ſi Eccleſia defuerit*. Videtur enim inferri injuria Eccleſiæ, & loco ſacro, cùm extra eum nulla neceſſitate cogente Miſſæ ſacrificium celebratur, *ut in c.* 1. *& c. Sicut non alii de conſecr. diſt.* 1.

Neque obſtat, quod ait Auguſtinus Barboſa *in verb.* 6
Duximus indulgendum num. 3. Privilegium hoc fratribus Prædicatoribus, & Minoribus conceſſum celebrandi in altari viatico poſtea fuiſſe renovatum, & ampliatum à Sixto IV. Alexandro VI. ac Gregorio XIII. ut aſſerit explicari, & comprobari per fratrem Emanuelem *quæſt. regul. tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 4. Verè enim Sixtus IV. & Alexander VI. hoc privilegium non innovarunt niſi quoad fratres Minores, ut refert Rodrig. in loc. à Barboſ. alleg. Unde quoad fratres Prædicatores privilegium remanſit in eodem ſtatu, in quo erat ante illius innovationem. Gregorius autem ſimile privilegium conceſſit tantum Presbyteris Societa- 7
tis Jeſu: quoad alios verò tantum abeſt ut illud innovaverit, ut potiùs declaraverit univerſis ademptum

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe à Tridentina Synodo: ait enim in litteris directis
Præpoſito Generali, & Presbyteris dictæ Societatis:
*Vſum altaris viatici Societati veſtra à fel. record. Paulo
Papa III. conceſſum, deinde à Concilio Tridentino uni-
verſè ſublatum vobis eatenus reſtituimus, ut inter Miſſio-
nes, &c.*
8 Sed quatenus adhuc vigeret ratio indulti Honorii III.
itaut fratres Prædicatores non prohiberentur illo uti ex
hoc capite rationis ceſſantis à Doctoribus ut ſupra conſi-
deratæ; obſtaret tamen illis Tridentini Concilii decre-
tum *d. c. unico ſeſſ. 22. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſar.*
quod ſuſtulit privilegia omnia celebrandi etiam quoad
Presbyteros Regulares extra Eccleſias, & Publica Ora-
toria; atque ita etiam in altari portatili: ut conſtat cla-
riſſimè ex prædictis litteris Gregorii XIII. & infrà eapli-
cabitur. Et in individuo hoc privilegium fratrum Prædica-
torum, & Minorum à Concilio ſublatum fuiſſe, tenet
Navarr. *in Manual. c. 25. num.* 82. *in fin.* & poſt eum Sua-
rez *tom. 3. diſp.* 81. *ſect.* 3. *in fin.* & Henriq. *in ſum. lib. 9. c.*
27. *num. 2. in gloſ. Littera S.* Quidquid contra leviſſimo
ductus fundamento ſcripſerit Emanuel Rodrig. *de Regul.
tom. 1. q. 43. art.* 5. & Jo. Præp. *in 3. par. quæſt.* 83. *art.* 3.
num. 151. Hoc enim decreto etiam Regulares diſertis ver-
bis comprehenduntur; Ideòque Congregationi Peregri-
norum Ordinis Prædicatorum olim ſupplicanti S. Congre-
gatio cenſuit concedendam eſſe privilegii Apoſtolici con-
firmationem celebrandi in Oratoriis, & altaribus portati-
libus in illis locis, in quibus nulla ſuppetit commoditas Ec-
cleſiarum conſecratarum.
9 Nec obſtat, quod privilegium hujus *cap. In his*, tan-
quam in corpore juris clauſum non videatur à Concilio
ſublatum ad inſtar ſimilis privilegii altaris viatici Epi-
ſcopis, eorumque Superioribus conceſſi *in c. fin. de privi-
leg. lib. 6.* quod ex ſententia S. Congregationis à Concilio
ſublatum non fuit.
Id, inquam, non obſtat primò, quia ex eo quod privilegium
Honorii III. fuerit inſertum in corpore juris non propterea
deſivit eſſe privilegium. Ideòque gloſ. & DD. *in cap. Quod
nonnullis ſupra eod.* dicunt privilegium illud conceſſum
Epiſcopis celebrandi clam tempore generalis interdicti
hodie non eſſe privilegium, ſed jus commune propter
cap. Alma mater de ſent. excomm. lib. 6. innuentes ante
promulgationem *d. cap. Alma Mater*, illud fuiſſe privi-
legium, licet clauſum eſſet in corpore juris. Ratio autem
cur Concilium non abſtulerit Epiſcopis privilegium alta-
ris viatici non eſt, quia in corpore juris ſit inſertum, ſed
quia Epiſcopos, cæteroſque majores Prælatos, qui in ſub-
limiori gradu Hierarchiæ Eccleſiaſticæ conſtituti reliquis
omnibus ædificationi, & exemplo eſſe debent, non de-
cet ſine miſſa tranſire abſque rationabili cauſa ullam diem,
10 ut legitur *in d. cap. fin. de privileg. lib. 6.* Eſſet enim ſcan-
daloſum ut Epiſcopi in ſua diœceſi, vel extra eam iter
facerent abſque eo quod Miſſam celebrarent, vel audi-
rent. Unde hoc indultum quod in præcipua honeſtate, &
decentia Pontificalis officii in divini cultus augmentum,
populique ædificationem fundatur, non ſunt cenſendi Pa-
tres Concilii voluiſſe vulnerare, cùm hoc ſemper præci-
puum habuerint, ut Epiſcopi in his, quæ ad religionem,
& Dei cultum ſpectant, cæteris præluceant, *cap. 1. ſeſſ. 24.
cap. 1. ſeſſ.* 25. & paſſim alibi. Lex enim reſpicit ſemper
quid deceat ſecundum honeſtatem, *cap. Magnæ de voto,
cap. Erit autem lex 4. diſt. cap. Cùm non deceat de elect.
lib. 6.* cum ſuis concord. At hæc ratio minimè viget in in-
ferioribus Sacerdotibus: imò vix eſſet ſine ſcandalo, ut
quilibet ſimplex regularis dictorum Ordinum haberet uſum
altaris portatilis: præſertim quia fortè in vim communica-
tionis idem privilegium prætenderent etiam Regulares alio-
rum Ordinum. Hoc igitur caſu propriè verificantur verba
cap Sicut non alii, de conſecr. diſt. 1. quod ſatiùs ſit Miſ-
ſas non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi
fieri non oportet.
11 Reſpondetur ſecundò hoc argumentum poſſe in contra-
rium retorqueri: nam quamvis privilegium inſertum in
corpore juris faciat jus commune inter nominatos tan-
tùm, ut notat Jo. Andr. poſt Hoſtien. *in cap. Ex parte,
il primo, ſuper ver. Cæteris de decim.* & tenet gloſ. 2. *in c.
Conſtitutionem de Regul. lib. 6. & in reg. Quæ à jure in fin.
eodem lib.* & in Clemen. *Dudum in ver. De jure de ſepult.*
tamen juri communi non eſt opus expreſsè derogare,
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

quia conſtitutio poſterior tollit priorem contrariam, licet
de illa mentionem non faciat *cap. 1.* & ibi DD. *de Conſtit.
lib. 6. cap. Vaſa de Conſecr. diſt. 1. cap. 1. ſupra de cognat.
ſpiritual.* ergo ex eo quod privilegium in jure clauſum fa-
ciat jus commune, potius ſequitur ut eidem privilegio
non ſit opus derogare. Et ita per hanc rationem conclu-
dit Felin. *in cap. 1. num. 11. verſ. Tutius eſt tenere com-
munem ſupra de reſcript.*
Reſpondetur tertiò, Concilium Tridentinum quotieſ- 12
cumque ſuſtulit privilegia, ſuſtuliſſe etiam inſerta in cor-
pore juris: nullibi enim ex ſtylo Concilii in derogantibus
generalibus conſuevit fieri mentio talis inſertionis: ideò-
que *in cap. 2. ſeſſ. 5. & in cap. 15. ſeſſ.* 23. ſuſtulit privile-
gia Regularium inſerta in Clem. *Dudum de ſepult.* Item *in
cap. 8. ſeſſ. 7. & in cap. 9. ſeſſ.* 24. derogavit privilegiis exem-
ptorum, de quibus *in cap. Luminoſo* 18. *q. 2. & cap. Cùm
Epiſcopus de off. Ordin. lib. 6.* Item *in cap. 5. ſeſſ.* 14. quoad
durationem conſervatorum ſuſtulit diſpoſitionem, *cap. fin.
de off. deleg. lib. 6.* Item *in cap. 8. & 10. ſeſſ.* 23. quoad Or-
dines, & dimiſſorias, ſuſtulit privilegia inferiorum, de
quibus *in cap. Cùm ullus de tempor. ordin. lib. 6. & in cap.
Abbates de privilegiis eod. lib.* Item *in cap. 18. ſeſſ.* 24. ex
ſententia S. Congregationis ſuſtulit indultum ſtudentium
inſertum *in cap. Cùm ex eo de electione lib. 6.* & alibi ſæpè:
& tamen inſertiones hujuſmodi in jure communi nullam
mentionem fecit, & in multis aliis caſibus, quos retuli *in
cap. Nonnulli à num. 42. ſupra de reſcript.* & in ſpecie quic-
quid in contrarium ſcripſerit Suar. *tom. 3. diſp. 81. ſect. 2.
vol. 2.* & Rodriquez *de reg. tom. 3. q. 4. art. 6.* decretum
d. cap. unici ſeſſ. 22. de obſerv. & cult. in celebratione Miſſ.
abſtulit Epiſcopis facultatem concedendi etiam ex legitima
cauſa uſum altaris portatilis in ſua diœceſi, quam habebant
ex diſpoſitione juris communis, juxta tex. *in d. cap. Con-
cedimus, & cap. Miſſarum de conſecr. diſt.* 1. ut ſolidè pro-
bat Navarrus *conſ. 1. q. 37. de conſtitut.* Et propterea cùm 13
Cardinalis Paleottus olim petiiſſet, an poſſet concedere
licentiam domi celebrandi, cùm infirmus deberet pro via-
tico communicari: Sacra Congregatio reſpondit non poſ-
ſe. Quinimò cùm Cardinalis Legatus Portugalliæ petiiſ-
ſet ut poſſet concedere licentiam celebrandi Miſſam in do-
mo privata decenter accommodata, cùm infirmus aliquis
debet pro viatico communicari, & hoc quia in illis regio-
nibus ſunt multa loca adeò diſperſa, & remota à Parochiis,
ut non ſine maximo incommodo poſſit Euchariſtiæ Sacra-
mentum circumferri: Sacra Congregatio reſpondit non eſ-
ſe concedendum; ergo non eſt ambigendum, quin Conc.
ſuſtulerit privilegium Prædicatorum, & Minorum utcum-
que clauſum in corpore juris, præſertim quia *in d. c. unico* §.
Neve patiantur, dum prohibet ne in privatis Oratoriis Miſ-
ſæ ſacrificium celebretur, utitur dictione illa univerſali,
quibuſcumque, de cujus natura eſt, ut omnia includat, *c.
Solita verſ. Quandocumque ligaveris ſupra de maior. & obed.
cap. Si tibi abſenti*, ubi Archid. *n. 4. in verb. Quicumque de
præben. lib. 6.* & comprehendere etiam ea, quæ aliàs in
ſimplici diſpoſitione non comprehenderentur, gloſ. in Clem.
2. §. *Dignitatem in ver. Quodcumque de vit. & honeſt. Cle-
ric.* cum aliis allegatis per Sarnen. *in reg. de trien. q. 2. n. 3.
& 4.*
Quoad ſecundam partem dubii, an ſcilicet Fratres Præ- 14
dicatores, & Minores poſſint in clauſtro monaſterii ſui Or-
dinis Miſſam celebrare ſaltem prævia licentia, & approba-
tione Epiſcopi diœceſani, videtur ſic diſtinguendum. Aut
intendunt celebrare in altari portatili: & hodie non poſſunt
etiam de Epiſcopi licentia; aut in altari fixo in aliqua ca-
pella ad divinum cultum dedicata: & poſſunt, ſi Epiſco-
pus locum prius viſitaverit, & appprobaverit. Utriuſque 15
propoſitionis veritas dilucidè apparebit, ſi expendantur ver-
ba Concilii *in d. cap. Vnico ſeſſ. 22. de obſerv. & evit. in ce-
lebrat. Miſſar.* quæ ſic ſe habent: *Neve patiantur pri-
vatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad
divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eiſdem Or-
dinariis deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrifi-
cium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque pera-
gi.*
His verbis Concilium primò prohibet, ne Epiſcopi per-
mittant, ut Miſſa celebretur in privatis domibus. Deinde
prohibet ne id fieri permittant in locis, quæ ſunt omninò ex-
tra oratoria ad divinum tantum cultum dedicata. Tertiò
præcipit ut hujuſmodi oratoria prius deſignentur, & viſiten-

Digitized by Google

tur ab Ordinario: ex quo contextu colliguntur concluſiones infraſcriptæ.

Prima concluſio eſt, In privatis domibus nullo caſu poteſt Epiſcopus permittere, aut indulgere, ut à ſacerdotibus ſive ſæcularibus, ſive regularibus Miſſæ ſacrificium

16 celebretur. Et in hoc ſublata eſt facultas, quam Epiſcopi habebant ex diſpoſitione *cap. Miſſarum, de conſecrat. diſt.* 1. ut dictum eſt ſupra *num.* 8. Unde cùm olim dubitatum fuerit, An in domo Principis poſſit Miſſa celebrari quaſi non veniat appellatione domus privatæ: & quid de arcibus & palatiis Baronum, ubi exercent juriſdictionem, S.

17 Congregatio cenſuit comprehendi dicto decreto Concilii hujuſmodi loca. Quæ concluſio procedit etiamſi in privatis domibus conſtructum eſſet oratorium dedicatum ad divinum cultum: nam nihilominus non liceret Epiſcopo impertiri licentiam illic celebrandi. Ratio eſt, quia cùm in ſecunda prohibitione Concilium ſtatuat ne Epiſcopi permittant, ut celebretur extra Eccleſiam, & extra oratoria ad divinum cultum dicata; ſupervacanea fuiſſet prohibitio de non celebrando in privatis domibus, ſi liceret in eis celebrare in oratorio dedicato ad cultum divinum, ſatis enim fuiſſet ſimpliciter prohibere ne celebraretur in locis extra Eccleſiam & extra oratoria, ut ſupra dedicata: nam per hoc ſatis clarè fuiſſet prohibita celebratio in privatis domibus, in quibus non extarent hujuſmodi oratoria. Ut ergo verba illa aliquid operentur, dicendum eſt Concilium nullo caſu voluiſſet ut Miſſæ ſacrificium fieret in

18 privatis domibus, atque ita etiamſi in eis eſſet oratorium ad divinum cultum dedicatum. Quam interpretationem ſæpiùs ſecuta eſt S. Congregatio, cenſuit enim oratoria intra domeſticos parietes, aut in privato ſolo conſtructa, aut privatis ædibus adjacentia, utcumque ſint dedicata ad divinum cultum, cenſeri tamen privata, nec poſſe Epiſcopum indulgere, ut in eis ſanctum Miſſæ ſacrificium fiat, niſi habeant oſtium, quod immediatè reſpondeat in viam publicam, & in ipſam nullus aditus, aut proſpectus ex privatis ædibus pateat. Quinimò ſæpè declaravit oratoria ædificata in agro, aut ſolo privato licet ab omnibus diſtincta, adhuc privata cenſeri ſi oſtium reſpondeat in aream privatam utcumque omnibus patentem quamvis his caſibus aliquando reſcripſerit ad Epiſcopos, ut poſtquam Dominus ſoli per publicum inſtrumentum ſitui ante oratorium exiſtenti efficaciter, & cum effectu renuntiaverit, declarent oratorium illud eſſe publicum, itaut ſit in ipſorum facultate licentiam tribuere illic celebrandi, ubi tamen illud priùs viſitaverint, ac divino cultui peragendo aptum, ac decens eſſe compererint. In oratoriis autem, quæ omninò ſunt extra ædes privatas, reſpondit celebrandi licentias etiam ex cauſa Epiſcopos concedere non poſſe, ſed petendas eſſe à Sede Apoſtolica, prout poſtea obſervatum eſt. Olim hujuſmodi licentiæ concedebantur à S. Congregatione Concilii. Hodie expediuntur per litteras in forma Brevis.

19 Secunda concluſio, quæ deſumitur ex verbis Concilii in locis, quæ ſunt omninò extra Eccleſias, & extra oratoria ad divinum tantùm cultum dedicata, Epiſcopus permittere non poteſt, ut Miſſa celebretur a presbyteris ſæcularibus, aut regularibus quibuſcumque. Patet hæc concluſio ex littera textus, & ex ea ſatis clarè infertur, ut Diœceſanus Epiſcopus minimè poſſit tribuere licentiam Fratribus Prædicatoribus, vel minoribus celebrandi in clauſtro ſuper altari portatili: nam etſi clauſtrum non ſit domus privatata; ideòque non cadat ſub primam prohibitionem Concilii de non celebrando in privatis domibus, cadit tamen ſub ſecundam de non celebrando in locis extra Eccleſiam, & extra oratoria ad divinum cultum dedicata; verè enim clauſtrum nec eſt in Eccleſia, nec altare portatile poteſt dici oratorium ad divinum cultum dedicatum: ideòque Pariſ. *conſ.* 34. *circa reſolutionem n.* 14. *&* 15. *vol.* 4. reſpondit domum Confraternitatis non eſſe locum ſacrum, aut religioſum, etiamſi in ea ſit campanella, & altare portatile, & quandoque celebretur ibidem diebus feſtivis, ſed adhuc remanere privatum, & profanum allegat Feder. de Sen. *conſ.* 130. *Factum tale eſt*, & Abbatem *in cap. Patentibus ſupra eod.* Felin. *in c. De quarta n.* 13. *de praſcript.* & alios quamplures. Et olim S. Congregatio conſulta. Utrum Epiſcopus ſi in loco à domo privata diſtincto, adſit altare, non tamen oratorii formam habente poſſit licentiam celebrandi concedere; reſpondit oportere oratorii formam habere, & viſitari, & approbari ab Ordinario. Aliquando etiam fuit habitus recurſus ad S. Congregationem pro licentia celebrandi Miſſam in altari poſito in Eccleſia nondum conſecrata: & Congregatio conceſſit dummodo cum petra conſecrata. Unde ex verbis Con- 20

cilii apertè colligitur Epiſcopum non habere amplius facultatem concedendi uſum altaris portatilis etiam in locis publicis, ſicuti olim habebat ex indulgentia Concilii Triburienſis & Agathenſis.

Et confirmatur, quia quamvis oratoria authoritate Epiſcopi fundata aliquando veniant appellatione beneficii, ut notat Abb. *in c. fin. in fin. de cenſib.* & ideò poſſint comprehendi ſub regula de infirmis ſecundum Sarnen. *in eadem reg. q.* 23. tamen in altaribus portatilibus regulæ Cancellariæ, & jura de beneficiis loquentia locum habere non poſſunt, ut tradit Quintil. Mandoſ. *in reg. de Annal. q.* 17. *n.* 6. *verſ. In Altaribus viaticis*.

Tertia concluſio, quæ ex Concilio deducitur Epiſcopus 21

poteſt concedere licentiam ut Miſſæ ſacrificium celebretur in oratoriis publicis, ſeu ad divinum tantùm cultum dedicatis, dummodo illa non ſint in privatis domibus, quia tunc non eſſent publica, ut oſtenſum eſt ſupra in prima concluſione. Probatur hæc concluſio, quia dum Concilium prohibet ne Epiſcopi permittant ut celebretur in locis extra Eccleſiam, & extra oratoria ad divinum cultum tantum dicata; ergo permittit ut hoc fieri poſſit in eccleſia, & in oratoriis prædictis a contrario ſenſu, & ex reg. *cap. Nonne de praſumpt. & l. Cùm Prætor. ff. de iud. cum ſimil.* nam prohibitum in uno caſu, in alio cenſetur permiſſum, *l. Cùm lex*, & ibi gloſ. *ff. de leg.* Præſertim vero quia Concilium jubet ut oratoria ipſa prius deſignentur, & viſitentur ab Ordinario: ergo clarè admittit ut idem Ordinarius dare poſſit licentiam in eis celebrandi; alias enim inania eſſent illa verba ab Ordinariis deſignanda, & viſitanda.

Ex hac tertia concluſione infertur, ut ſi Fratres Prædi- 22

catores, vel Minores intendant Miſſam celebrare in clauſtro non ſuper altari portatili, ſed ſuper fixo, & in capella, ſeu oratorio occluſo, & interſecto, ſicuti aliqua cernuntur in clauſtris nonnullorum monaſteriorum Urbis, hoc eis non prohibeatur de conſenſu Epiſcopi diœceſani. Ratio eſt, quia tunc oratorium illud cùm non ſit in privatis domibus, ſed in loco religioſo cum altari fixo & auctoritate Epiſcopi deſignatum, dicitur publicum *cap. Auctoritate de privil. lib.* 6. Mandoſ. *in reg. de annal. q.* 17. *n.* 9. & fuſius oſtenſum eſt ſupra in principio. Unde ſuccedit facultas Epiſcopis per Concilium attributa, aut ſaltem non adempta concedendi licentiam ut in eo Miſſæ ſacrificium celebrari valeat. Talia ſunt oratoria Societatis Sanctiſſimi Sacramenti Beati Rochi, Battentium, & aliarum conſimilium, quæ reperiuntur erectæ auctoritate Epiſcopi, de quibus loquitur Bald. *conſ.* 162. *Quidam Franciſcus n.* 4. *vol.* 5. Bart. *in l. Sodales num.* 6. *C. de colleg. illicit.* Cardin. *conſ.* 11. *Quædam Societas num.* 1. *& ſeqq.* Item oratoria hoſpitalium, de quibus per Lap. *alleg.* 41. Calder. *conſ.* 352. *An Epiſcopus alias* 23. *de teſtam.* Rom. *conſ.* 477. *in caſu propoſita num.* 13. Paul. de Caſtr. *conſ.* 167. *Præſuppoſita lib.* 2. necnon oratoria Fraticellorum, ſeu Eremitarum. Item Pœnitentium, ſeu Jeſuatorum, ſuper quibus conſuluit Anton. de Butr. *d. conſ.* 19. *n.* 19. Quippe in his, & aliis conſimilibus tanquam in publicis oratoriis etiam hodie celebrare poteſt prævia viſitatione, & approbatione Ordinarii, & ſuper altari lapideo in forma ſicut habent Eccleſiæ, juxta text. *in c. Clericos, c. Nullus, & c. Altaria de conſecr. diſt.* 1. & declarat Rom. *d. conſ.* 477. *n.* 13.

Quem ſenſum ſimiliter ſæpiùs admiſit S. Congregatio: 23

nam olim conſulta quæ ratio tenenda ſit Nolæ, ubi in cuſtodia tenentur delinquentes in domo officialis ad hoc ut detenti poſſint Miſſam audire, ſtante decreto Concilii *in d. c. Unico*, cenſuit ſcribendum, etſi in privatis domibus non licet celebrare Miſſas; tamen ſi erigatur ad hunc uſum, & in loco decenti oratorium ab Ordinario viſitandum, & approbandum, tunc poſſe. Item Confraternitas Vallis-oleii Palentinæ diœceſis olim tranſmiſit ſuas Conſtitutiones, in quibus illud reperitur adnotatum quod cùm velint celebrare in quodam cœnaculo dictæ Societatis, S. Congregatio reſpondit oratorium tale debere ab Ordinario viſitari, & approbari.

Ac demum reſpondit oratoria exiſtentia in monaſteriis, vel hoſpitalibus ordinaria, vel Apoſtolica auctoritate fun-

fundatis, non comprehendi in prohibitione Concilii in dicto verſ. *Neve patiantur*.

Ex quibus omnibus ad propoſitam quæſtionem reſpondendum videtur Fratres Prædicatores, & Minores nequaquam poſſe in clauſtro monaſterii in altari portatili Miſſas celebrare etiam de Epiſcopi conſenſu. Cæterùm ſi ſuper altari fixo in oratorio ad divinum tantum cultum dedicato celebrare voluerint, poſſe id eis permitti ab Ordinario, ubi tamen locum prius viſitaverit, ac divino cultui aptum, ac decentem eſſe compererit.

An autem altaris viatici privilegium competat S. R. E. Cardinalibus, dixi in *cap. Quod nonnullis, à n. 5. uſque ad n. 31. ſupra eod.*

DE POENIS.

Ex Concilio Triburieñ.

CAPUT II.

PResbyteri interfecti compoſitio, Epiſcopo ad cujus parochiam pertinet, ſolvatur: ita ut medietatem utilitatibus Eccleſiæ, cui præfuit, tribuat: & alteram in ejus eleemoſynam juſtè diſpertiat: Quia nullus ejus hæres proximior videtur, quàm qui ipſum Domino ſociavit.

SUMMARIUM.

1 *POena presbyteri interfecti pars applicatur Eccleſiæ, cui præfuit, alia pars pro eius animæ diſtribuitur.*
2 *Prælatus agere poteſt pro iniuria ſuo Clerico illata.*
3 *Pœna pecuniaria non eſt vindicta.*
4 *Pœnas pecuniarias an Epiſcopus poſſit ſibi applicare, & n. ſeq. uſque ad n. 24.*
5 *Epiſcopus dicitur habere fiſcum.*
Contrarium Declaratur, n. 16. & 17.
6 *Bona Clerici damnati devolvenda ſunt in fiſcum Eccleſiæ.*
7 *Confiſcatio ex delicto Clerici fit Cameræ Epiſcopali, ubicumque ex delicto laici veniunt confiſcanda bona ipſius laici.*
8 *Bona Clerici decedenti ſine hærede ex teſtamento, vel ab inteſtato devolvuntur ad Curiam eccleſiaſticam, non autem ad Curiam Principis ſæcularis.*
9 *Pœna pecuniaria, quam iudex eccleſiaſticus imponit per ſententiam arbitrio ſuo, converti debet in utilitatem Eccleſiæ, vel in uſum pauperum.*
10 *Mulctas pecuniarias non poteſt iudex eccleſiaſticus ſibi applicare.*
11 *Statuti conditor non poteſt ſibi applicare pœnam pecuniariam à ſtatuto limitatam.*
12 *Epiſcopus ſi aliunde habeat unde vivat, non poteſt in ſuos uſus convertere pœnas pecuniarias à iure, vel ſtatuto præfinitas, & num. 21.*
13 *Intellectus huius cap.*
14 *Pœna quæ pro facinoribus iam commiſſis infliguntur, non ærario Principis, ſed publicis operibus ſunt deputanda.*
15 *Fiſci ratio non eſt habenda ubi de morum correctione agitur.*
16 *Epiſcopus nihil poteſt confiſcare ſuæ Cameræ.*
17 *Pœna pecuniaria, quæ imponitur pro damnis alteri illatis, cui ſit applicanda, & n. 29.*
18 *Epiſcopus ſi evidenter egeat, an poſſit ſibi applicare pœnas pecuniarias à iure, vel ſtatuto limitatas, & num. 21.*
19 *Eleemoſynam obſtrictus facere nomine alterius poteſt eam ſibi conferre, ſi in evidenti neceſſitate ſit conſtitutus.*
20 *Pœna Clericorum non reſidentium, & concubinariorum indiſtinctè piis locis, vel pauperibus ſunt eroganda.*
21 *Epiſcopus quas pœnas pecuniarias poſſit ſibi applicare ex ſententia Sac. Congregationis Concilii, & n. ſeqq.*
22 *Paupertas Epiſcoporum in materia applicationis pœnarum qualiter ſit æſtimanda.*
23 *Pœnæ pecuniariæ pauperibus magis egentibus ſunt conferenda.*
24 *Pœnæ pecuniariæ an poſſint pro aliqua parte applicari ab Epiſcopo procuratori fiſcali.*
Et an executoribus, & miniſtris Curiæ, num. 30. & 35.
Et an pro expenſis tribunalis, n. 37.
Et an in reparationem palatii Epiſcopalis, aut domus Vicarii, n. 38.
25 *Procuratori fiſcali, ſi ita ſe habeat conſuetudo, aſſignari poteſt ex qualibet condemnatione decima pars eius quantitatis, in qua reus cum Camera ſe compoſuerit.*
26 *Pœnæ pecuniariæ locis piis ſunt integræ applicandæ.*
27 *Eccleſia habet fiſcum, non tamen ad explendam Epiſcoporum avaritiam.*
28 *Pœnæ pecuniariæ quibus uſibus erogari debeant ex Conciliis provincialibus Ravennaten. & Mediolanen. & num. 34.*
29 *Pœnæ pecuniariæ nulla ex parte applicari poſſunt iudici ab Epiſcopo deputato ſuper damnis datis Eccleſiæ.*
30 *Miniſtri Curiæ Epiſcopalis non obſtante conſuetudine, & Eccleſiæ paupertate nihil percipere debent ex pœnis pecuniariis, & n. 35.*
31 *Pœnæ pecuniariæ non poſſunt ab Epiſcopo applicari fabricæ, vel Sacriſtiæ Eccleſiæ, ſi id directè, vel indirectè cedat in alicuius utilitatem.*
32 *Pœnæ ſive ex Conſtitutionibus ſynodalibus, ſive ex præcepto Ordinarii proveniant, ſive ex ſtipulatione prætoria piis locis tantum ſunt applicandæ.*
33 *Depoſitarius pœnarum ex Capitulo conſtitui debet, qui Epiſcopo præſente, Capitulo rationem adminiſtrationis reddat.*
34 *Pœna non obſervantium dies feſtos pro tertia parte applicari debent accuſatori.*
35 *Executoribus pro quarta.*
36 *Vicario Epiſcopali nulla portio ex pœnis pecuniariis aſſignari poteſt.*
37 *Expenſæ tribunalis ad Epiſcopum pertinent.*
39 *Pœnæ quænam indiſtinctè etiam in caſu egeſtatis Epiſcopi locis piis ſint applicandæ.*

PResbyteri. Legitur dupliciter. Primò exponendo litteram, ibi, *eius*, *ideſt presbyteri interfecti*. Et ſe- 1
cundum hanc lecturam quæ communiter tenetur, hoc dicit: Interficiens presbyterum puniendus eſt, & pœnæ pars Eccleſiæ, cui præfuit, alia pars pro ejus anima diſtribuitur. Secundò legitur exponendo verbum, *eius*, ideſt Epiſcopi: & juxta hanc lecturam Decretalis hoc intendit. Medietatem pœnæ presbyteri interfecti, Eccleſiæ, cui præfuit, applicabit Epiſcopus; aliam verò medietatem in ſuas neceſſitates diſtribuet. Et huic ſecundæ lecturæ videtur congruere ratio, quæ ponitur in fine textus, videlicet, &c. Quæ ratio inſinuat Epiſcopum aliquid commodi ſentire ex hac diſtributione, ac proinde non eſſe nudum executo-

Digitized by Google

ſcutorem ad *l. Sulpitius*, ubi gloſ. & Odofred. *ff. de donat.*
inter vir. & uxor. notant Bart. Florian. & Alber. in *l. Si*
quis Titio, de leg.2. Roman. *conſ.228. n.2.* & dixi plenius in
cap. Tua nobis, à n.21. ſupra de teſtam.

Nota primò ſecundum primam lecturam Epiſcopum
non poſſe pœnam pecuniariam ſibi applicare, ſed debere
illam diſtribuere in pios uſus, ut infra in prima, & ſecun-
da quæſtione.

Secundò nota juxta ultimam lecturam Epiſcopum,
ſi verè indigeat, poſſe pœnas pecuniarias in ſuas ne-
ceſſitates erogare; quod tamen intellige ut dicam infra
num.21.

2 Tertiò nota Prælatum agere poſſe pro injuria ſuo Cleri-
co illata; ut *hic, & in cap. In primis, in princip. 2. qu.1. & in*
cap. Ex parte, ſupra de reſcript. infertur enim injuria ne-
dum perſonæ ipſius Clerici, ſed etiam Eccleſiæ univerſali,
& in *cap. Cum deſideres, infra de ſent. excomm. & c. Paro-*
chianos eodem tit. & hic notant *gloſſa* 2. Innoc. Abb. Antiq.
& Hoſtien. omnes in princ. Joan. Andr. *num.1. in ver. Per-*
tinet, Butr. *n.2.* Anchar. & Abb. Siculus ambo *in primo*
notab.

3 Ultimò nota pro crimine ad pœnam pecuniariam
civiliter agi, quia pœna pecuniaria non eſt vindicta
ut inquit Innoc. *hic in ver. Solvatur*, cujus dictum no-
tabile reputat Joan. Andr. *num.1. in eodem ver.* & ſequitur
Butr. *num.2.*

4 QUÆRO generaliter, An Epiſcopus poſſit pœnas pe-
cuniarias ſibi applicare.

5 Difficultas inde emergit, quia Epiſcopus dicitur habere
fiſcum, ut colligitur ex gloſ. in *cap. Quia diverſitatem, in*
6 *ver. Præter, ſupra de conceſſ. præb.* quæ dicit bona Clerici
damnati devolvenda eſſe in fiſcum Eccleſiæ: quam gloſ.
aſſerit eſſe ſingularem *ibi* Ant. de Butr. *in fine*, & Imol.
7 *col.5. num.12. verſ. Et nota bene*, dicentes, ubicunque ex
delicto laici veniunt, confiſcanda bona ipſius laici, tunc
ex delicto Clerici fieri confiſcationem Cameræ diœceſani,
non autem Cameræ fiſcali laicorum; & quamvis illam
gloſſam quidam intelligant de fiſco Papæ, tamen Butr.
Imol. & Abb. intelligunt eam de fiſco Epiſcopi: & illam
approbant etiam Abb. Joan. de Anan. & Marian. Soccin.
in *cap. excommunicamus, il primo de hæret.* idem poſt alios
firmat Card. in Clem. *Nolentes, §.1. in 3. quæſt. de hæret.*
ubi latè deducit Epiſcopum habere fiſcum, Nicolaus de
Vbald. *in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in fine primi tract. ſuc-*
ceſſ. Clericor. ſæcular. & Albet. de Roſ. *in dictionar. in ver.*
Fiſcus, & eſt communis opinio teſte Covarr. *variar. re-*
ſolut. lib.2. cap.9. num.11. Julio Claro *in pract. criminal. in*
§. fin. quæſt.80. num.5. verſ. In hac autem materia, & Pere-
grin. *de iure fiſci lib.1. tit.2. num.105. verſ. Sed contra pro*
Epiſcopo: quam etiam dicit veriorem Felin. in *cap. Irre-*
fragabili, §. Cæterum, num.11. verſ. Sed nihilominus iſta ſe-
cunda opinio, ſupra de off. Ordinar. maximè propter autho-
ritatem Rotæ, quæ *deciſ.4. de teſtam. in antiq.* incip. *Mor-*
tuo Titio, decidit Eccleſiam habere fiſcum per *cap. Quiſ-*
quis, & cap. Si quis deinceps, 17. quæſt.4. & per textum *hic*,
& per gloſ. prælleg. in d. *cap. Quia diverſitatem*: & pro-
8 pterea bona Clerici decedentis ſine hærede ex teſtamento,
vel ab inteſtato devolvi ad Curiam eccleſiaſticam, non
autem ad Curiam Principis ſæcularis. Addo Rotam apud
Achil. de Graſſ. *deciſ.2. in tit. de off. Ordin.* ſed quidquid
ſit de jure, hodie de conſuetudine generali Epiſcopus ba-
bet fiſcum, ut teſtatur Joan. Franciſcus Pavinus Rotæ in
conſilio edito in cauſa Beati Simonis impreſſo poſt conſi-
lia Oldrad. *in 33. col. verſ. Circa quartum*, & Felin. poſt
eum in dict. *cap. Irrefragabili, §. Cæterum, num.11. ad*
fin. verſ. Concludendo utar verbis Franciſci Pavini de offic.
Ordinar. Joan. Bernard. Diaz *in pract. criminal. cap.132.*
aliàs 134. & latiùs *cap.124. alias* 142. & Covarr. *loco*
citato.

Sed in oppoſitum eſt littera hujus textus ſecundum com-
munem intellectum, de quo ſupra *in princ. & in primo*
notab.

9 Pro ſolutione diſtingue, Aut pœna pecuniaria impo-
nitur per ſententiam, eo quod cùm non ſit limitata à
jure, infligitur arbitrio judicantis, ut in *cap. De cau-*
ſis, de offic. deleg. cum concordantibus, de quibus per
Henr. Boich. in *cap. In Archiepiſcopatu col.2. circa med. ſu-*
pra de raptor. Aut reperitur impoſita, & limitata à jure,
vel ſtatuto.

Primò caſu concludendum eſt Epiſcopum, vel alium ju-
dicem eccleſiaſticum non debere ſuis uſibus applicare pœ-
nam pecuniariam, quam infligit per ſententiam arbitrio
ſuo, ſed debere illam convertere in utilitatem Eccleſiæ, vel
uſum pauperum, ut concludit Hoſtien. in *cap. Irrefragabi-*
li, num.21. verſ. Caveat tamen, de offic. Ordinar. & poſt
eum Joan. Andr. Bald. & alii, quos citat ibi Felin. *in §. Cæ-*
terum, num.9. verſ. Tertia concluſio. Quod præcipuam
habet rationem, licèt DD. eam non adducant, videlicet
ne propter quæſtum, & avaritiam arbitria in pœnis pecu-
niariis infligendis ſint immoderata, & exceſſiva, argum.
cap. Quatuor modis in ver. Cupiditate, & cap. Pauper, 11.
quæſt.3. & cap. Avaritiæ, de election. lib.6. Et proptereà à
pœna arbitraria datur appellatio, licèt ſecus ſit à pœ-
na expreſſa in jure, *l. antepenult. ff. de verb. ſignifi-*
cat. & tenet gloſ. in *cap. Super his, in ver. Arbitrium, de*
accuſat.

Quo fit, ut judex eccleſiaſticus non poſſit ſibi applicare 10
mulctas pecuniarias, quæ infliguntur ad arcendam contu-
maciam; tum quia cùm non ſint limitatæ à jure, impo-
nuntur arbitrio judicantis, *d. l. antepenult. ibi: quia certæ*
pœnæ ſingulorum peccatorum ſunt mulcta contra, quia eius
iudicis poteſtas eſt quantam dicat, & notat Abb. in *cap.*
prox. num.4. infra eod. & conſequenter eodem jure, cen-
ſeri debent, quo aliæ pœnæ arbitrariæ, quas Epiſcopus
non debet propriis uſibus deputare, ut ſuperiùs dictum eſt.
Tum quia Concilium Tridentinum in *cap.3. ſeſſ.25.* ejuſ-
modi mulctas locis piis applicari jubet ibi: *Per mulctas pe-*
cuniarias, quæ locis piis ibi exiſtentibus eo ipſo quod exactæ
fuerint, aſſignentur; licèt ſecus eſſet de jure civili, ut *l. pe-*
nult. C. de modo mulct. & notat Joan. Andr. poſt Hoſtien.
in dict. *cap. Irrefragabili, num.18. in ver. Pecunia, de offic.*
Ordin.

Inde etiam fit, ut quamvis pœna pecuniaria reperia- 11
tur à ſtatuto limitata; tamen ſtatuti conditor non poſſit il-
lam ſibi appropriare, ſeu imburſare, quia pœna eſt arbi-
traria reſpectu ipſius, qui potuit ſtatutum condere, vel
non condere; & ita in eo viget ratio quæſtus, & immo-
derati arbitrii ſuperiùs conſiderata, & hujus ſententiæ vi-
detur eſſe Felin. in præcit. *§. Cæterum, num.9. verſ. Etſi*
iſta eſt vera ratio.

Secundò autem caſu, ideſt cùm pœna pecuniaria reperi- 12
tur à jure, vel ſtatuto impoſita; & limitata, iterùm ſub-
diſtingue: nam aut Epiſcopus aliunde habet unde vivere
poſſit, aut non; ſi habet, dicendum eſt eum non poſſe
ſibi hanc pœnam retinere, ſed debere illam diſtribuere
in pios uſus. Quæ concluſio apertè probatur hic: nam in 13
caſu hujus Decretalis compoſitio, ideſt pœna presbyteri
interfecti erat à lege taxata, ſeu determinata, quia ſecun-
dum legem Longobardam erat ſexcentorum ſolidorum;
& eſt canonizata in *cap. Qui Subdiaconum, 17. quæſt.4.* ſe-
cundum Hoſtien. *hic in princ. in ver. Compoſitio*, & tamen
illius medietatem tenetur Epiſcopus applicare Eccleſiæ,
cui præfuit presbyter interfectus, & aliam medietatem
in eleemoſynam diſtribuere pro anima ipſius presbyte-
ri ſecundum communem intellectum, de quo ſupra in
princip.

Idem probatur in *l. penult. C. de modo mulct.* ubi patet 14
pœnas, quæ pro facinoribus jam commiſſis infliguntur,
non ærario Principis, ſed publicis operibus eſſe deputan-
das, ſicuti eſt refectio viarum, pontium, & his ſimilia:
non enim habenda eſt ratio fiſci ubi de morum correctio- 15
ne agitur, *l.1. C. de ſecundis nupt.* & poſt Goffred. notat
hic Joann. Andr. *n.2. in gloſ.2.* ibi, *aliud*, & Anchar. *in*
3. not. Quod multò magis vendicat ſibi locum in Epiſ-
copo, qui etiam redditus propriæ menſæ tenetur in utili-
tatem Eccleſiæ convertere, & egentibus diſpenſare, *cap.*
fin. 16. quæſt.1. cap. Præcipimus, & cap. ſeq. 12. quæſt.1. no-
tatur *in cap. Ratio, ſupra de præben.* & conſiderat *hic* Hoſt.
num.2. & 3. & Henric. Boich. *prope fin. verſ. & in hoc con-*
cordat. Hoſtienſis.

Et confirmatur, quia non deſunt graves auctores, qui 16
tenent Epiſcopum propriè non habere fiſcum, cujus ſen-
tentiæ in ſpecie fuit Oldrad. *conſ.17.* incipien. *Thema tale eſt*
per totum, & præſertim *n.10.* ubi dicit: [Epiſcopos non poſſe
confiſcare, quia territorium non habent:] confiſcatio
autem non poteſt fieri niſi ab habente merum imperium
ratione territorii, cùm ſit juriſdictionis, & juriſdictio co-
hæreat territorio, item Bald. *in rubr. C. de privil. fiſci in fine*,
ubi

Digitized by Google

ubi firmat Epiſcopum nihil poſſe confiſcare ſuæ Cameræ, & idem Bald. in Auth. *Bona damnatorum*, *C. de bono damnat.* ubi ait pœnam pecuniariam eſſe ab Epiſcopo applicandam fiſco Romanæ Eccleſiæ, non autem Cameræ ſuæ, quia eſſet judex in cauſa propria, Abb. in *cap. Tua num.6. verſ. Non obſtat*, *infra eod.* ubi dicit oppoſitum jure canonico non probari, & ejuſdem ſententiæ videtur eſſe Alber. *in Dictionar. in verſ. Fiſcus*; & quamvis contraria opinio ſit communis, & fortè verior, & à conſuetudine approbata, ut dixi *ſupra num.7. & 8.* tamen intelligi, ac temperari debet ſecundum ea, quæ dicam infra *num.27.*

Concludo igitur cum Henrich. Boich. *col.1. poſt medium*, *verſ. Si quaeris utrum Epiſcopus*, has pœnas teneri Epiſcopum convertere in utilitatem Eccleſiæ, vel pauperibus erogare, ſi ſuperſint ſuæ debitæ ſuſtentationi, ut *hic*, & in *cap. Dicat aliquis 23. quaeſt.5. cap. Ius militare*, *1. diſt. & cap.1. 16. quaeſt.7.* conſerendo tamen magis egenti, *cap.*
17 *Non ſatis*, *86. diſt.* Niſi ſit pœna, quæ imponitur pro damnis alteri illatis, quia hæc non applicatur judici, neque pauperibus: ſed damnum paſſo, ut videtur textus hic, quem ad hoc inducit Archid. in *cap. Si vos prope fin.* 23.q.5. ad idem textus *in cap. Si Canonici*, *§. Si autem de offic. Ordin. in 6.* & tenet Hoſtien. *in ſumma eodem tit. §. Quod pertinet verſ. Generaliter*, & Felin. *in d. cap. Irrefragabili*, *§. Caeterum*, *num.10.* Sed tu in hoc articulo latiùs diſtingue, ut *hic*, per Henric. Boich. *in princ.* & Petr. de Anchar. *num.4.* & vide infra *num.29.* ſubdit tamen Henr. contrarium hodie facere multos Prælatos, in quibus verificatum eſt illud *Matth.23.* in princ. *cap. Secundum*, *19. diſt. §. ult. 3. quaeſt.7. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribae*, *& Phariſaei*; *omnia ergo quaecumque dixerint vobis*, *facite*; *ſecundum vero opera eorum nolite facere*; *dicunt enim*, *& non faciunt*. Idem notat Joan. Andr. poſt Hoſtien. in *d. cap. Irrefragabili*, *num.18. in verb. Pecunia*, *de offic. Ordin.*

18 Sin autem Epiſcopus aliondè non habeat unde vivere poſſit, & ſic evidenter egeat; tunc tenendum eſt eum poſſe has pœnas pecuniarias à jure, vel ſtatuto limitatas ſuis neceſſitatibus applicare. Et ita intellige textum in *cap. Dilectus ſupra de offic. Ordin.* & quod notat Archid. *in d. cap. Si vos in gloſ. antepen. in fine*, 23. *quaeſt.5. & in cap. Venerabilibus*, *§. Denique de ſentent. excommunic. lib.6.* Et hoc intendunt Hoſtien. *hic*, Joan. Andr. Henric. Boich. & Butr. omnes *in fine*, dum concludunt Epiſcopum habere diſpenſationem pœnæ pecuniariæ, de qua in textu, & teneri illam partiri, & diſtribuere, ſicut facit de redditibus Eccleſiæ, de quibus vivit, ut in *cap. Cum olim*, *ſupra de elect. & cap. fin. de pecul. Clericor.* Atque ita Epiſcopum poſſe has pœnas ſibi applicare, ſi verè, & evidenter indigeat, firmant idem Hoſtien. Joann. Andr. & omnes in *cap. Irrefragabili*, *de off. Ordinar.* & ibi teſtatur Felin. *in §. Caeterum*, *num.9. verſ. Limita dupliciter*, ubi etiam allegat Imolam poſt Butr. in *d. cap. Dilectus in ultim. col. eodem tit.* & Gemin. *in cap. Quoniam*, *ad finem*, 18. *diſtin.*

19 Ratio eſt, quia ordinata Charitas, &c. *cap. niſi*, *ſupra de author. & uſu pallii*. Et qui vult eleemoſynam ordinatè dare, à ſe ipſo debet incipere, & eam ſibi primum dare, ut dicit textus *in cap. Qui vult de poenitent. diſt.3.* Dixi latiſſimè *in c. fin. à n.30. ſupra de pecul. Clericor.* Hinc obſtrictus facere eleemoſynam nomine alterius neceſſitate, poteſt illam conferre ſibi ipſi, ſi in evidenti ſit conſtitutus, ut reſolvunt Cardin. in Clement.1. *quaeſt.22. in fine de teſtam.* Calder. *conſ.31. eod. tit.* & alii plures, quos refert, & ſequitur Felin. *in dict. cap. Irrefragabili*, *§. Caeterum*, *num.9. in fine*.

20 Cæterùm pœnæ Clericorum non reſidentium; Item pœnæ concubinariorum indiſtinctè piis locis applicari debent, ut de illis cautum eſt in decretis Concilii Tridentini *c.1. ſeſſ.6.* ibi: *Fabricae Eccleſiae*, *& pauperibus loci applicandorum*, *& c.1. ſeſſ.23.* ibi, *Fabricae Eccleſiarum*, *aut pauperibus loci erogare*, & de his *in c.14. ſeſſ.25.* ibi, *Fabricae Eccleſiae*, *aut alteri pio loco*.

21 Porrò diſtinctionem ſuperiùs propoſitam an pœnæ pecuniariæ ſint arbitrariæ, vel à jure, aut ſtatuto limitatæ, & an Epiſcopus egeat necne probavit Sac. Congregatio Concilii. Sæpius enim declaravit Epiſcopum, ſi indigeat, poſſe pro ſe retinere eas tantùm pœnas pecuniarias, quæ à ſacris Canonibus, vel Synodalibus ſtatutis pro delictis ad certam quantitatem fuerint præfinitæ. Eas autem, quæ vel ab ejus arbitrio pendent, vel per ſententiam nulla præcedente Canonum, vel ſtatutorum Synodalium determinatione imponuntur, nequaquam aliis, quàm piis locis, vel uſibus applicare poſſe. Verùm pœnas Clericorum non reſidentium, item concubinariorum, ac mulctas pecuniarias ſemper piis locis eſſe applicandas, quemadmodum Tridentini Concilii decretis ſalubriter cautum eſt.

Poſteà tamen dixit ſacra Congregatio conſultius fore 22
ut Epiſcopi egentes pro his pœnis ſibi applicandis adeant Sedem Apoſtolicam; nec immeritò, ſaltem ad tollendam infamiam facti, & periculum conſcientiæ evitandum, ut verbis Hoſtienſis utar in *cap. un. num.17. verſ. Conſulimus tamen*, *de homicid. lib.6.* Nam cùm pendeat à judicis arbitrio an quis ſit pauper necne, ut notat Bart. *in l. Si conſtante*, *numer.14. ff. ſol. matrim.* & alii plures apud Menoch. *de arbitrar. iudic. lib.2. centur.1. caſu 65. num.6.* non vacat periculo ut Prælati ſint judices ſuæ paupertatis in cauſa propria, argum. *cap. Qui rectè*, *& cap. Pauper*, 11. *quaeſt.3.* Cùm præſertim non ſit tutum in hac materia appropriationis pœnarum metiri paupertatem ex decreto Concilii Tridentini in *cap.13. ſeſſ.24.* Nam ibi Cathedrales, quarum fructus non excedunt ducatos mille, æſtimantur tenues ad hunc tantum effectum ut penſionibus, & fructum reſervationibus gravari non debeant. At nemo, ni fallor, auderet affirmare Epiſcopum, cujus redditus aſcenderent ad nongentos ducatos, poſſe ſibi retinere bona, quæ ex commiſſione teſtatoris teneretur diſtri-
buere in eleemoſynam pauperum. Itaque hoc caſu pauper- 23
tas Epiſcopi preſſiùs, & ſtrictiùs accipienda eſt, cùm agatur de præjudicio pauperum, & magis egentium, quibus pœnæ ſunt diſpenſandæ, ut in *d. c. Non ſatis*, *86. diſt.* & notat *hic* Hoſtien. *n.3.*

Succeſſivè QUÆRO, An pœnæ pecuniariæ poſſint ab 24
Epiſcopo pro aliqua parte applicari procuratori fiſcali, executoribus, ac miniſtris Curiæ pro expenſis tribunalis, & palatii Epiſcopalis, ac domus Vicarii.

Hæc quæſtio, quàm meo tempore propoſuit ſacræ Congregationi Concilii Cardinalis Archiepiſcopus Ravennateñ. implicat plura dubia.

Quoad primum, etſi procuratori fiſcali actu inſervien- 25
ti, ſi ita ſe habeat conſuetudo, aſſignari poſſit ex qualibet condemnatione decima pars ejus quantitatis, in qua reus cum Camera ſe compoſuerit, quemadmodum præſcribitur in taxa fori Eccleſiarum edita à Sac. Congregatione ſuper negociis Epiſcoporum juſſu ſanctæ memoriæ Cle-
mentis VIII. Nihil tamen eidem ſolvi poteſt ex ipſa pœna 26
pecuniaria, cùm hæc ſit locis piis integrè applicanda. Primò, ex diſpoſitione juris communis, ut hic in textu, ubi id notat gloſſa Bernardi *in princip. & in ver. Utilitatibus Eccleſiae*, Gemin. *in cap. un. §. Si autem*, *in 3. notab. de off. Ordin. lib.6.* Hoſtien. Joann. Andr. & DD. *in cap. Irrefragabili*, *eod. tit.* Dec. *in rubr. de Iudic. num.66.* ubi dicit opinionem illam, quæ adſtruit pœnam pecuniariam deberi fiſco, procedere de jure civili, non autem de jure Canonico, quo hæc pœna debetur judici, qui tenetur illam in pios uſus diſtribuere, & Covarr. *variar. reſolut. cap.9. num.11.* ubi poſt Abb. in *cap.2. de ſucceſſ. ab inteſt.*
tradit eſſe quidem communem opinionem, Eccleſiam, & 27
Prælatum diœceſanum habere fiſcum; non tamen id eſſe temere permittendum ad explendam avaritiam Epiſcoporum; ſed ut ea, quæ eorum fiſco fuerint delata, in uſus pios erogentur. Et hoc, ni fallor, intendit gloſ. præallegata in *cap. Quia diverſitatem*, *in ver. Praeter*, *de conceſſ. praebend.* Cujus authoritati innituntur, DD. affirmantes Epiſcopum habere fiſcum: nam gloſſa dicit bona Clerici damnati devolvenda eſſe in fiſcum Eccleſiæ, non autem in Cameram Epiſcopi, & allegat textum in *cap. penult. de Cler. non reſidens.* ubi deciditur proventus beneficiatorum abſentium, qui ſuperſunt deductis miniſtrorum expenſis, in utilitatem Eccleſiæ eſſe convertendos; Atque ita Gloſſa nomen fiſci uſurpavit, non ad commodum Epiſcopi, ſed ad utilitatem Eccleſiarum. Et ita etiam loquitur textus in deciſione Rotæ allegatus in *cap. Si quis deinceps*, 17. *qu.4.* ut patet ibi, *& bona eorum Eccleſiae ipſius iuris perpetuo tradantur*.

Deinde ex præcitatis Decretis Concilii Tridentini *cap.1. ſeſſ.6.*

Digitized by Google

ſeſſ.6.c.1.ſeſſ.23.c.3. & 14.ſeſſ.25. Quibus pœnæ pecuniariæ, & mulctæ jubentur piis locis applicari.

Tertiò ex Conſtitutione ſecundæ Synodi provincialis Ravennaten. à Sac. Congregatione Concilii recognitæ, & emendatæ in tit. de judiciali foro Epiſcopi his verbis:
28 *Sciant Epiſcopi pœnas, & mulctas omnes ſive illæ Clericorum, ſive aliorum quorumcumque ſint, uſibus piis applicandas, attribuendas eſſe, nec licere Vicario, aut alteri Epiſcopalis fori iudici illarum partem aliquam ullo colore, prætextuve habere.*

Ac demum ex declarationibus ſæpius editis à Sac. Congregatione Concilii, & in ſpecie cùm Epiſcopus Tudertinus deputaſſet quemdam Officialem ad jus reddendum ſuper damnis bonis Eccleſiarum illatis, eique applicaſſet pœnas pecuniarias ob eam cauſam inflictas ſub certa annua reſponſione, & conſuluiſſet S. Congregationem, An id fieri potuiſſet: reſponſum eſt minimè potuiſſe.

30 Rurſus in Curia Epiſcopali Montis Alcini pœnæ pecuniariæ inter illius miniſtros diſtribui conſueverunt, cùm eis neque ſalarium ob nimiam Eccleſiæ paupertatem poſſet conſtitui, neque aliud perciperent emolumentum. Quas pœnas cùm Epiſcopus locis piis applicari juſſiſſet, eaque de cauſa vix reperiretur qui operam ſuam dictæ Curiæ præſtare vellet: petiit idem Epiſcopus ut dicti miniſtri ſaltem medietatem hujuſmodi pœnarum percipere poſſent. Die 10. Julii 1610. Sacra Congregatio cenſuit hujuſmodi miniſtros hac de cauſa nihil percipere debere, neque quidquam eſſe adverſus juſtitiam, quæ aliquid percipi vetat,
31 concedendum. Quinimò hæc applicatio non modò prohibetur fieri procuratori fiſcali, ſed etiam locis piis, ſi id cedat aliquo modo in utilitatem Epiſcopi. Unde cùm fuerit quæſitum, an Epiſcopus vigore conſuetudinis loci poſſit tuta conſcientia applicare pœnas, vel mulctas Sacriſtiæ, vel fabricæ Eccleſiæ quæ etſi aliquid habeant, non tamen poſſunt abſque auxilio impenſis neceſſariis reſpondere, Sac. Congregatio cenſuit poſſe Epiſcopum hujuſmodi pœnas applicare fabricæ, vel Sacriſtiæ Eccleſiæ, dummodo talis applicatio directè, vel indirectè non cedat in ipſius Epiſcopi utilitatem.

32 Et in caſu Archiepiſcopi Meſſanenſis cenſuit pœnas omnes ſive ex Conſtitutionibus Synodalibus, ſive ex præcepto Epiſcopi, vel Vicarii provenianr, ſive ex ſtipulatione Prætoria deſcendant, eſſe piis locis, non autem fabricæ Cathedralis Meſſanenſis, vel Sacriſtiæ, cujus redditus ſunt valdè pingues, applicandas injunxitque Archiepiſcopo, ut pœnas omnes locis piis tantùm applicaret, pœnarumque depoſitarium aliquem ex Capitulo conſtitueret, qui Archiepiſcopo quotannis præſente Capitulo rationem ſuæ ad-
33 miniſtrationis redderet. Et ſucceſſivè cùm ad Federicum Pontium Archiepiſcopi Meſſanenſis tunc defuncti Vicarium, atque Andream Maurum ad id deputatum multa aureorum millia pœnarum, ac mulctarum nomine exacta, & ex Sacræ Congregationis decreto piis uſibus diſtribuenda adhuc ſupereſſent, ad ſupplicationem Capituli Meſſanenſis datæ fuerunt litteræ ad Archiepiſcopum Rheginum, ut eas in pios uſus diſtribui faceret, atque diſtributario rationem exigeret.

Et paulò poſt, conquerentibus Sacerdotibus civitatis Meſſanen. quod Viſitatores dictæ diœceſis in ſuis viſitationibus applicarent pœnas ſpretorum præceptorum civitati Meſſanenſi, non autem locis piis prædictæ diœceſis, in maximum Eccleſiarum, Hoſpitalium, & pauperum detrimentum, Sac. Congregatio cenſuit ſcribendum ad eumdem Archiepiſcopum Rhegin. ut ſe inſtrueret, an decretum alias à S. Congregatione factum ſervatum fuiſſet, & Congregationi referret, mandaretque Congregationis nomine eidem Archiepiſcopo Meſſanen. ut decretum ipſum in futurum ſub pœna etiam ſuſpenſionis ad unguem obſervaret.

Ab hac regula fortè excipi poſſent pœnæ non obſervantium dies feſtos, & aliorum, de quibus in Conſtitutione 34
Pii V. quæ incipit, *Cum primum verſ. Cum vero dierum feſtorum*, & inferiùs, *verſ. Mulcta autem pecuniariæ*, in Bullar. *tom.2. pag.179.* Ex his enim debetur accuſatori tertia pars, ut ibi ſtatuitur. Et fortè huc reſpexit Concilium provinciale primum Mediolanenſe *in fine in tit. de pœn.* Dum decrevit ut quotieſcumque delicti cauſa Clerici mulctandi ſunt, quæ ab illis exigenda erit pecunia, nullo modo ad Epiſcopum perveniat, in ejuſve commoda quavis ratione convertatur? ſed idem Epiſcopus parte pecuniæ, quæ tertiam non ſuperet, aſſignata delatori reliquam piis operibus aut locis, quibus ei videbatur, omninò attribuat.

Quoad ſecundum dubium, aliis miniſtris, & executoribus Curiæ ſimiliter nihil videtur ſolvi poſſe ex mulctis, & pœnis pecuniariis; tum ex rationibus ſuperiùs allatis in caſu procuratoris fiſcalis; tum quia in dicta taxa fori Eccleſiarum jubetur dari his miniſtris certa quantitas ratione executionis dumtaxat; Ex condemnationibus verò nihil eis attribui jubetur, niſi in caſu ſpeciali, quo invenerint aliquem laborantem in diebus feſtis; tunc enim habere debent quartam partem pœnæ ab ipſo reo, quæ devenerit in manus depoſitarii Cameræ; quod innuit regulam eſſe in contrarium in aliis caſibus. Tum denique quia aliquando Sac. Congregatio ex gratia cenſuit concedendum alicui Epiſcopo propter Eccleſiæ paupertatem, ut pœnas pecuniarias uſque ad præfinitam ſummam in uſum Executorum erogaret. 35

In aliis officialibus longè minor eſt difficultas, & præcipuè in Vicario Epiſcopi: nam S. Congregatio conſulta, an Vicario Epiſcopalis Curiæ ex pœnis, & mulctis aliqua portio aſſignari poſſit pro ejus mercede, ut vigilantius criminibus indagandis incumbat juxta antiquum ritum ipſius Curiæ: reſpondit non poſſe. 36

Ex his conſequitur reſolutio tertii dubii, ut idem juris ſit de expenſis Tribunalis; tum quia hæc cauſa non poteſt dici pia, tum quia cùm expenſæ hujuſmodi ad Epiſcopum ſpectent, *cap. Militare 23. quæſt.1.* & notatur *in cap. Cum ab omni, de vit. & honeſt. Cler.* hæc applicatio indirectè cederet in Epiſcopi utilitatem: quo caſu nec ipſi Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ fieri poteſt applicatio, ut jam diximus in primo dubio S. Congregationem reſpondiſſe. 37

Poſtremò in reparatione palatii Epiſcopalis, aut domus Vicarii, ſimiliter nihil inſumi poſſe ex hujuſmodi pœnis pecuniariis ſæpiùs cenſuit S. Congregatio: nonnumquam etiam ex gratia Sanctiſſimus fecit Epiſcopis pauperibus facultatem eas pœnas in certa ſumma in hunc uſum erogandi, ſed plerumque eam denegavit. 38

Hæc omnia multò magis procedunt in illis pœnis pecuniariis, quæ à ſacris Canonibus, vel Synodalibus ſtatutis pro delictis ad certam quantitatem non ſunt præfinitæ, ſed vel ab Epiſcopi arbitrio pendent, vel per ſententiam, nulla præcedente Canonum, vel ſtatutorum ſynodalium determinatione imponuntur. Has enim omnes, ſicut & pœnas Clericorum non reſidentium, & concubinariorum, ac mulctas contumaciales Sac. Congregatio etiam in caſu egeſtatis Epiſcopi cenſuit indiſtinctè, nequaquam aliis, quàm piis locis, vel uſibus eſſe applicandas, non obſtante contraria conſuetudine. 39

DE

DE POENIS.

Alexander III. Cantuarieñ. Archiepiſcopo.

CAPUT III.

Licèt juxta Apoſtolum: & infrà. Accepimus, quòd Archidiaconi Conventreñ. Epiſcopatus, pro corrigendis exceſſibus & criminibus puniendis, à clericis & laicis pœnam pecuniariam exigunt, & pro annua exactione pecuniæ perſonas quandoque ſuſpendunt, Eccleſias interdicunt, à vicariis denarios, ut eos in Eccleſiis cantare permittant, exigere non formidant, & alia agunt, quæ Canonum obviant inſtitutis, & de radice cupiditatis & avaritiæ prodire videntur: & infrà. Mandamus, quatenus Archidiaconis prædicti Epiſcopatus hoc diſtrictiùs interdicas: ſi autem contravenire præſumpſerint, eos appellatione ceſſante, Eccleſiaſtica cenſura compellas.

SVMMARIVM.

1 *PRelati, qui in criminalibus diſpenſare non poſſunt, pœnam à iure ſtatutam nequeunt in pecuniariam commutare.*
Prelati nec pro criminoſis ſuſtinendis, nec correctionis cauſa ex cupiditate debent pecuniam exigere, ibid.
2 *Archidiaconi plures eſſe poſſunt in eadem Eccleſia.*
Et an omnes debeant eſſe Doctores, et ant optari non poſſint à Canonicis non Doctoribus, ibid.
3 *Prelatus, qui crebro & facile pœnas pecuniarias infligit, eſt vehementer ſuſpectus de avaritia.*
4 *Idem ſi huiuſmodi pœnas ſibi applicet, & n. ſeq.*
5 *Pœna illa infligenda eſt, quæ magis timetur, & num. 11.*
6 *Prelatus, qui mediante pecunia ſuſtinet criminoſos, iuſtitiam vendit.*
7 *Iudex eccleſiaſticus pro criminibus ad eius forum ſpectantibus poteſt punire laicum, etiam ſibi in temporalibus non ſubiectum.*
8 *Aromatarius, qui fabarum farinam miſcuit in cera candelarum, puniri poteſt à Prelato habente in loco iuriſdictionem epiſcopalem.*
9 *Iudex eccleſiaſticus in cauſis criminalibus an poſſit pœnas pecuniarias infligere.*
10 *Quid ſi pro crimine ius ſtatuat pœnam pecuniariam eſſe imponendam.*
11 *Et quid ſi ius ſtatuat certam pœnam ſpiritualem, vel corporalem, non autem pecuniariam.*
12 *Et quid ſi de pœna imponenda nihil ſit iure cautum.*
13 *Iudex, qui ſuper crimine diſpenſare non poteſt, an poſſit pœnam à iure ſtatutam in pecuniariam commutare.*
14 *Epiſcopus, vel alius iudex eccleſiaſticus in cauſis ſpiritualibus, vel mixti fori, an poſſit contra laicos ſibi in temporalibus non ſubditos pœnis pecuniariis procedere, & n. ſeq. uſque in fin.*
15 *Quid in terminis iuris communis, & n. 18.*
16 *Iudex eccleſiaſticus in criminibus ſui fori non poteſt laicos carceribus mancipare.*
Contrarium, n. 20.
17 *Iudex delegatus, vel Ordinarius an poſſit mittere in poſſeſſionem bonorum laicalium, ſuper quibus ſententiam tulit, & n. 20. in fin.*
18 *Intellectus* cap. 2. de maled. & cap. Poſtulaſti de Judæis.
19 *Pœna pecuniaria debetur iudici ſæculari, etiam quando punit laicum ad requiſitionem iudicis eccleſiaſtici.*
20 *Perſonam diſtringere magis eſt, quàm bona.*
21 *Epiſcopus ex Concilio Tridentino an poſſit procedere contra laicos in cauſis ad eius forum pertinentibus etiam pœnis pecuniariis, & num. ſeq. uſque in finem.*
22 *Epiſcopus de iure communi prius debebat uti cenſura pro executione ſuæ ſententiæ, & in ſubſidium invocare brachium ſæculare. Contra poſt Concilium.*
23 *Iudices eccleſiaſtici abſtinere debent à cenſuris, etiam contra laicos, ubi executio realis, vel perſonalis fieri poteſt.*
24 *Iudex eccleſiaſticus in cauſa reſtitutionis dotis an poſſit per ſententiam exequi in bonis laicalibus.*
25 *Ad iudicem eccleſiaſticum ſpectat tam cognitio, quàm executio in cauſis civilibus, vel criminalibus, in quibus laici forum Eccleſiæ ſortiuntur.*
26 *Concilium Tridentinum in* cap. 3. ſeſſ. 25. *expenditur.*
27 *Brachii ſæcularis invocatio eſt arbitraria Epiſcopo, etiam contra laicos.*

Licèt. Archidiaconi, & alii Prælati, qui in crimini- 1
bus diſpenſare non poſſunt, ubi alia pœna à jure
ſtatuitur, pecuniariam non poſſunt imponere. Hoc dicit ſecundùm Joan. Andr. Butr. Cardin. & Anchar. vel aliter ſervandum Abb. & Marian. Soccin. Non debent Prælati pro criminoſis ſuſtinendis pecuniam exigere, nec etiam correctionis cauſa ex cupiditate pœnam pecuniariam imponere. Sunt duæ partes. Prima ponit Archidiaconorum actus reprehenſibiles. Secunda mandat illos inhiberi, & compeſci, ibi, *Mandamus*.

Nota primò ex textu ſecundum Abb. in uno Epiſcopatu 2
eſſe poſſe plures Archidiaconatus; & ſic eamdem dignitatem eſſe multiplicabilem in eadem diœceſi, de quo in *cap. Ex parte, il primo, & cap. Quoniam*, Abb. *de offic. deleg.* Adde inferiorem dignitatem multiplicari poſſe etiam in eadem Eccleſia, ſicuti ſunt plures Archidiaconi in Eccleſia Calagurritana de quorum poteſtate & juriſdictione refert ſe conſuluiſſe Marian. Soccin. *hic in 1. notab.* Idem patet in Eccleſia Taraconen. cujus Capitulum aliàs dubitavit; An quod diſponitur *cap. 12. ſeſſ. 24. in ver. Archidiaconi*, videlicet ut Archidiaconi ſint Doctores, Magiſtri in Theologia, vel Licentiati in jure canonico habeat locum duntaxat in majori Archidiacono ubi in Eccleſia ſunt tres vel quatuor Archidiaconi, ſicut ſunt in Eccleſia Tarraconeñ. adeout ex conſuetudine Eccleſiæ, ſecundum quam antiquior Canonicus conſuevit optare dignitatem vacantem poſſit, etſi Doctor non ſit, nec licentiatus, optare Archidiaconatum, ſi caſus vacationis evenerit: Sac. Congregatio Concilii conſideravit, cùm Concilium indefinitè loquatur de Archidiaconis, eſſe intelligendum de omnibus. Tamen propter illa Concilii verba, *ubi fieri poterit*, dictum fuit cùm agatur de optione, quæ competit tantùm Canonicis antiquioribus; & non eſt ſublata à Concilio; ſi inter omnes Canonicos adſit aliquis Doctor, illi dandum eſſe Archidiaconatum vacantem, & non antiquiori: ſi autem nullus adſit Doctor, admittendum eſſe antiquiorem Canonicum, licèt non Doctorem.

Secundò nota ibi, *de radice cupiditatis, & avaritiæ pro-* 3
dire videntur; adverſus Prælatos, qui crebrò, & facilè pœnas pecuniarias infligunt, oriri vehementem præſumptionem avaritiæ, cujus ſuſpicio omnis ab eccleſiaſtico ordine abeſſe debet, ut in Concil. Trident. *c. 1. ſeſſ. 21.* Ad hoc *cap. Ea quæ ſupra, de cenſ.* & quod notatur in *cap. 1.*
de decim. Unde Hoſtien. *in cap. Ut Clericorum num. 7. in* 4
ver. Pecuniæ, de vit. & honeſt. Cleric. [delinquentes, inquit, non ſunt in pecunia puniendi] ut *hic, & ſupra, de off.*

off. Ordin. c. Irrefragabili, in fine, in Auth Vt iud. ſine quoquo ſuffrag. §. Cogitatio, verſ. Ad horum ſiquidem meritum iſtam, uſq; ad §. ſeq. in Authen. de mandat. Princip. §. Oportet, ubi dicitur, quod perſonæ delinquunt, & non res, & in Authen. Vt nullus iudex, §. Quoniam vero, ſed in talibus reprehenditur pecunia ex avaritiæ fonte levata quod ſemper præſumitur ſi imburſetur: ſecus ſi cauſa correctionis, & ex fomite charitatis hoc fiat; quod præſumam ubi judex ipſam ſibi non retinet, nec imburſat, ſed pauperibus erogat; & ſecundum hoc intellige ſupra de off. Ordin. c. Dilectus, de delict. puer. c. 2. & de raptor. c. In Archiepiſcopatu, 32. qu. 5. c. Si vos, 18. qu. ult.
5 §. ult. Sic enim locum habebit quod illa pœna infligenda eſt, quæ magis timetur, ſupra ut lit. non conteſt. c. Quoniam §. fin. & ſecundum Auguſt. ſive plectendo, ſive ignoſcendo hoc ſolum bene agitur ut vita hominum corrigatur, ut 23. qu. 5. c. Prodeſt ſeveritas; ita formaliter Hoſt. quem totidem verbis ſequuntur ibi Joan. Andr. Anchar. & alii, & Marian. Soccin. hic n. 53. facit optimus text. in c. Cognovimus, 16. q. 6. ubi ſecundum Archid. acriter reprehenduntur illi, qui prætextu correctionis gerebant curam marſupii contra l. 2. C. de ſecund. nupt. ibi, Ne fiſci videamur habere rationem.

6 Tertiò nota ibi, pro corrigendis exceſſibus, Prælatum qui mediante pœna pecuniaria ſuſtinet, & tolerat crimìnoſos, juſtitiam vendere, ut hic notat Hoſtien. in princip. in ver. Pro corrigendis, Joan. Andr. num. 1. in eod. ver. & Marian. Soccin. num. 7. in ſeptimo notab. quod inter graviora crimina computatur, c. fin. §. fin. de purgat. Canon. Unde hos meritò appellat judices ſimoniacos Bald. in c. Irrefragabili, n. 3. in fin. de off. Ordin. & ibi dixi in §. Cæterum, ad hoc c. Vt Clericorum, ibi: Prælati verò, qui tales præſumpſerint in ſuis iniquitatibus ſuſtinere, maximè obtentu pecuniæ, ſupra de vit. & honeſt. Clericor.

7 Ultimò nota ex textu juncta gloſſa, Prælatum non poſſe procedere contra laicos criminoſos, niſi ſint ſubjecti in temporalibus, vel de conſuetudine hoc illis competat: nam cùm textus dicat hos Archidiaconos exigiſſe pœnas pecuniarias à Clericis, & laicis, gloſſa quærit cur dixerit de laicis, & ſolvit, quia fortè ſunt de ſua juriſdictione temporali, vel de conſuetudine hoc habent. Sed tu dic gloſſam hoc dixiſſe per modum exempli: ſed tamen etiam extra illos caſus judex eccleſiaſticus procedit contra laicos in cauſis ad illius forum pertinentibus, ut eſt caſus in c. 1. & 2. ſupra, de adulter. & not. in c. Dilectus, de offic. Ordin. in c. Ad aures, de ſimon. & per Hoſtien. hic num. 1. in verb. A Clericis, & laicis, &
8 Abb Antiq. qui num. 1. in ver. Laicis [Iſtis, inquit, poterit imponere pœnas pro criminibus eccleſiaſticis, ut uſura, ſacrilegio, & hujuſmodi,] & in c. 1. de empt. & vendit. ubi tenet Archidiaconum habentem in loco juriſdictionem Epiſcopalem puniri e laicum aromatarium, qui fabarum farinam ceræ candelarum venalium immiſcebat: & ſequuntur ibi alii ſcribentes poſt Joan. Andr. Roman. ſingul. 139. Fuit aliàs interrogatus, & Felin. in cap. Irrefragabili, §. Cæterum, num. 5. ſupra, de offic. Ordinar. & dicam latiſſimè infrà num. 14. uſque in finem.

9 QUÆRO, An judex eccleſiaſticus poſſit in cauſis criminalibus pœnas pecuniarias infligere.

Quæſtio duas habet inſpectiones. Prima eſt an judex eccleſiaſticus his pœnis procedere poſſit contra Clericos. Secunda an poſſit ſic procedere contra laicos in cauſis ſpectantibus ad forum eccleſiaſticum.

10 Quoad primam inſpectionem Doctores quotidie in hac materia remittunt ad gloſſam hic poſitam in ver. Pœnam, quæ diſtinguit tria membra. Primum eſt, cùm jus ſtatuit pro crimine pœnam pecuniariam eſſe infligendam: & quicumque judex cognoſcit de illa cauſa, abſque dubio poteſt eam pœnam imponere: jura ſunt clara in c. In Archiepiſcopatu, ſupra de raptor. in c. Cum devotiſſimam, 12. quæſt. 2. & in
11 c. Quoniam, 18. diſt. & in l. 2. §. ult. ff. de iudic. Secundum eſt cùm jus ſuper crimine ſtatuit certam pœnam ſpiritualem, vel corporalem, non autem pecuniariam: & in hoc ſecundo membro gloſſa diſtinguit: nam aut judex poteſt ſuper crimine diſpenſare, & poteſt illam in pecuniariam commutare: & in hoc caſu ſecundum gloſſam habet locum opinio Hugonis, qui dixit eam pœnam eſſe infligendam, quæ magis timetur, arg. c. Ea vindicta, 23. qu. 4. & c. Prodeſt, qu. 5. & c. Quoniam, ſupra, ut lite non conteſtata. Aut judex diſpenſare non poteſt ſuper crimine; & tunc pœnam à jure ſtatutam non poteſt in pecuniariam commutare: & in hoc caſu ſecundum gloſ. loquitur hæc Decretalis, quia Archidiaconi, de quibus hic, ſuper crimine diſpenſare non poterant; unde non debebant pœnam pecuniariam infligere, ſed ſpiritualem, prout qualitas criminis exigebat, argum. c. At ſi Clerici, ſupra de judic. Tertium eſt cùm de pœna 12
imponenda nihil jure cautum reperitur, & tunc relinquitur judicis arbitrio an pecuniariam, vel aliam infligat, ut in c. de cauſis, ſupra de offic. deleg. In primo, & tertio membro 13
conſentiunt omnes: ſed in ſecundo maxima eſt Doctorum controverſia: nam Innoc. Abb. Antiq. Hoſtien. Jo. Andr. & alii communiter uſque ad Abbatem Siculum ſecuti ſunt diſtinctionem gloſſæ; ſed ipſe Abbas, & poſt eum Marian. Soccin. illam impugnant exiſtimantes quemlibet judicem, qui poteſt de cauſa cognoſcere, poſſe pœnam undecumque à jure ſtatutam, & determinatam in pecuniam commutare, dummodo id faciat in ſententiæ prolatione, & cauſa cognita: & hanc opinionem dicit eſſe communem idem Marian. hic n. 21. ſed tu in hac materia diſtingue plenius, ut dixi latiſſimè in c. Irrefragabili, §. Cæterum, à num. 3. uſque in fin. ſupra de offic. Ordin.

Quoad ſecundam inſpectionem de laicis quæro an Epiſ- 14
copus, vel alius judex eccleſiaſticus in cauſis criminalibus ad ejus forum pertinentibus contra laicos ſibi aliàs in temporalibus non ſubditos, pœnis pecuniariis procedere poſſit, præſertim ex decreto Concilii Tridentini in c. 3. ſeſſ. 25. de reform.

In hac quæſtione de jure communi maxima erat Docto- 15
rum diſſenſio: nam Epiſcopum non poſſe hujuſmodi pœnis animadvertere in laicos ſibi aliàs in temporalibus non ſubditos pro delictis, quæ ſunt de foro Eccleſiæ, ſcripſerunt Hoſt. & Jo. Andr. in c. 1. de homicid. lib. 6. à quibus non vi- 16
dentur diſſentire Doctores, qui tenent judicem eccleſiaſticum in criminalibus ſui fori non poſſe laicos carceribus mancipare, & punire; inter quos recenſentur idem Jo. Andr. in addit. ad Specul. tit. 4. part. 1. rub. de off. Ordin. & de maioris. & obed. Oldrad. conſ. 86. qui licèt ſubobſcurè loquatur, rectè tamen perpenſus pro hac parte debet adduci Anchar. in reg. Ea quæ, quæſt. 11. n. 17. Ubi quæſtione diligenter examinata, ſequitur opinionem Joan. Andr. Rom. ſing. 703. Bonif. de Vitalin. poſt Zenzel. in Clemen. 1. de off. Ordin. in fin. Alciat. in c. 1. n. 22. de off. Ordin. Maſſuer. in prax. tit. de Iudic. & eorum iuriſd. num. 20. Soccin. conſ. 119. n. 17. & ſeq. l. 4. Auguſtin. de Arimin. in addit. ad Angel. in tract. de malef. ſuper verb. Fama publica, n. 88. Boer. qui teſtatur variis parlamenti Pariſienſis Arreſtis ita eſſe declaratum, q. 227. n. 11. Capella Tholoſ. quæſt. 378. incip. Item fuit quæſitum, Clar. in §. fin. q. 37. verſ. Vnum ſcio, Franc. Marc. q. 449. n. 1. & 2. Joannes Lupus in repetit. c. Per veſtras, in 2. notab. §. Sed eſt pulchra dubitatio, n. 18. de donat. inter vir. & uxor. ubi prolixa diſputatione pro hac parte, & ipſe concludit. His addi poſ- 17
ſunt alii authores, qui exiſtimarunt Delegatum Papæ non poſſe mittere in poſſeſſionem bonorum laicalium, ſuper quibus ſententiam tulit; ſed executionem hujuſmodi obtinendam eſſe à judice ſæculari: atque omnes alii, qui ſcripſerunt in cauſis inter laicos ad forum eccleſiaſticum ſpectantibus, Epiſcopũ, tametſi ferre poſſit ſententiã, non poſſe tamẽ mittere in poſſeſſionem bonorum laicalium: nam hæ quoq; opiniones iiſdem oriuntur rationibus, quibus nititur hoc caſu negativa opinio, ut Epiſcopus aliis pœnis, quàm cenſuris aſtringere, vel cohibere non poſſit laicos delinquentes. Plurimi autem & graves ſunt qui prædictas duas opiniones ſequuntur, videlicet Innoc. in c. Significaſti, propè fin. de off. Delegat. Hoſtien. ibidem, & Bald. Cardin. in Clem. 1. qu. 10. de off. Deleg. Rebuff. in Comment. ad concordat. Franc. ſuper rubr. De regia, ad Prælat. nominat. facien. ſuper verb. Manibus noſtris. Quapropter ex his authoritatibus ſimul junctis evidenter conſtare videtur negativam opinionem eſſe communem, cùm de ea teſtes habeamus tam antiquos Doctores, quàm etiam recentiores, & tam eos qui illam ſequuntur, quàm illos, qui diſcrepant ab ea, videlicet Jo. Andr. in d. rubr. Bald. in d. c. Significaſti, Clar. d. q. 37. Joan. Lupus in loco ſupra citato, Michael Graſ. lib. 2. com. opin. c. 8. n. 4. Jacob Bertr. qui contrariæ opinionis fundamenta copioſè refellit, conſ. 5. per tot.

Non deſunt tamen graves Doctores, qui contrariam ſen- 18
tentiam amplectuntur, videlicet Abb. hic num. 8. ubi reprobata opinione Joan. Andr. tenet Epiſcopum poſſe imponere pœnam pecuniariam laico temporaliter ſibi non ſubjecto, quia inquit, ex quo eſt caſus, in quo etiam judex eccleſiaſticus vendicat ſibi juriſdictionem in laicos, non apparet

ratio

Digitized by Google

ratio quare in caſibus prædictis non poſſit imponere pœnam pecuniariam: & pro hac opinione inducit textum in *c. Statuimus, 16. q. 1. & in c. Quiſquis, 17. q. 4.* Licet pro faciliori expeditione judex eccleſiaſticus poſſit hoc committere judici ſæculari: & ita ſecundum eum procedunt jura in *c. 2. de maled. & in c. Poſtulaſti, de Iudæis*: quæ pro contraria ſententia allegat Jo. Andr. & ſequitur totidem verbis Marian. Soccin. *hic in fine*, & Felin. *in cap. Irrefragabili, §. Cæterum,*
19 *n. 5. ſupra de off. Ordin.* Nec diſſentit Jo. de Anan. in *d. c. 2. col. 8. de maled.* relatus à Felin. *ubi ſupra* dum tenet pœnam pecuniariam deberi judici ſæculari, etiam quando ipſe punit laicum ad requiſitionem eccleſiaſtici; ſecus ſi ipſe judex ec-
20 cleſiaſticus puniat. Quibus adſcribi poſſunt etiam illi, qui cenſent judicem eccleſiaſticum in cauſis eccleſiaſticis poſſe contra laicos procedere etiam ad capturam; & corporalem punitionem. Hi enim proculdubio ſentiunt poſſe procedere etiam ad pœnam pecuniariam, quia ſecundum Jo. Andr. & DD. in *cap. Vnico, ſupra, de oblig. ad ratiocin.* magis eſt perſonam diſtringere, quàm bona. Inter hos autem inprimis numerantur gloſſa unica in *cap. Contra idolorum, 26. q. 5.* Oldrad. *conſ. 86.* Gemin. & Franc. *in cap. Cum Epiſcopus, de offic. Ordin. lib. 6.* Jo. de Anan. *in c. Qualiter, & quando, il ſecondo §. Ad corrigendos, numer. 20. de accuſat.* Foller. *in praxi crim. canon. part. 2. iudicial. ſuper ver. Aut inquiſitione formata, num. 37.* & alii plures quos retuli in *cap. Pervenit, num. 22. ſupra de adulter.* ubi etiam à *num. 10.* de harum opinionum varietate latè diſſerui, & *n. 28.* ubi egi de opinione Innocentii ſuperiùs relata *n. 2.*

21 Cùm igitur utraque opinio graves habeat authores, & pluribus etiam rationibus muniatur: quæ recenſentur à Doctoribus in locis ſuperiùs citatis, valdè eſſet difficile tantæ concertationi ex jure communi finem ponere. Cæterùm inſpecto jure noviſſimo Tridentini Concilii *d. cap. 3. ſeſſ. 25.* ad quod principaliter reſtrictum eſt dubium, hæc quæſtio videtur ferè indubitabilis; & quod Patres Concilii ſecuti videntur opinionem affirmativam tanquam veriorem.
22 Quod, ut magis appareat, perpendendum eſt ſacrum Concilium longè diverſam habuiſſe rationem, quàm eam, quæ à ſacris Canonibus, & Doctoribus ante ipſum Concilium conſiderabatur.

Nam ipſi eò ſpectabant, ut Epiſcopus pro executione ſuæ ſententiæ, & pro ſua juriſdictione uteretur cenſura eccleſiaſtica, *cap. Dilecto, de ſentent. excomm. in 6.* & cenſura non proficiente, in defectum & ſubſidium brachium ſæculare imploraret; juxta not. in *c. 1. de off. Ordin.* & animadverterunt plerique ex DD. ſupra citatis, & in ſpecie Franc. Marc. *d. deciſ. 449. n. 2. & 3.* At ſacrum Concilium, ne contingeret cenſuras frequenter fulminatas magis contemni, quàm formidari, ordine inverſo, ubi priùs oportebat uti cenſuris, & in ſubſidium alia adhibere remedia, voluit priùs experienda eſſe alia remedia, & in ſubſidium
23 deveniendum ad cenſuras. Ac proptereà ſive approbando opinionem eorum, qui exiſtimarunt Epiſcopum poſſe has pœnas adhibere etiam quoad laicos, ſive novum jus ſtatuendo, mandavit judicibus eccleſiaſticis, ut in cauſis judicialibus quandocumque executio realis, vel perſonalis propria auctoritate fieri poterit, abſtineant à cenſuris: ſed liceat eis in cauſis civilibus ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus contra quoſcumque etiam laicos per mulctas pecuniarias, ſeu pignorum captionem, & perſonarum diſtrictionem per ſuos proprios, vel alienos executores faciendam, aliaque juris remedia procedere; & ſi executio realis, vel perſonalis hac ratione fieri non poterit, eos demum excommunicatione propter alias pœnas ferire. Idem poſteà conſtituit ipſum Concilium in cauſis criminalibus, ex quo Concilii textu ad dubii noſtri deciſionem plura notanda ſunt.

24 Primum eſt, Concilium apertè vel improbare vel corrigere opinionem Hoſtien. Joan. Andr. Bald. & aliorum, quæ habetur in d. *cap. Significaſti, de off. deleg.* tenentium in cauſis reſtitutionis dotis, quæ pertinet ad forum Eccleſiæ non poſſe judicem eccleſiaſticum, qui ſententiam tulit, eam exequi in bonis laicalibus, ſed debere requirere brachium ſæculare: nam Concilium, quod proculdubio etiam hanc cauſam complectitur in illis verbis, *in cauſis ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus*, apertè tribuit Epiſcopo poteſtatem procedendi ad executionem tam realem, quàm perſonalem per ſuos, vel alienos executores.

Ideòque cùm alias dubitatum fuerit, an Epiſcopi ſuas 25
ſententias in quibuſcumque cauſis criminalibus, & civilibus, quarum cognitio ad eoſdem noſcitur pertinere, exequi poſſint: an verò ad illos tantùm ſpectet cognoſcere, & judicare de cauſis illis: executio verò pertineat circa clericos, ad miniſtros eccleſiaſticos; circa laicos verò ad ſæculares. Sacra Congregatio cenſuit in cauſis quibuſcumque tam civilibus, quàm criminalibus, in quibus laici forum Eccleſiæ ſortiuntur, non ſolum cognitionem, verum etiam executionem ad judicem eccleſiaſticum pertinere.

Quamobrem correcta illa opinione, quæ eaſdem habebat rationes quas habet hæc, de qua agimus, & quæ à DD. promiſcuè pertractatur, adeò ut Authores illius opinionis etiam in loco dubio allegentur, tamquam unus & idem ſit articulus; conſequens eſt ut etiam in caſu noſtro Concilium voluerit licere Epiſcopo pœnas pecuniarias, atque alias laici infligere in delictis ad ſuum forum pertinentibus.

Secundò, hoc idem confirmat ratio Concilii: cùm enim velit cenſuris parcè utendum, & in ſubſidium ad eas deveniendum, neceſſe erat Epiſcopis auctoritatem tribuere alia adhibendi remedia: alioquin implicaret contradictionem, ut cenſuris contra laicos uteretur in ſubſidium, utique aliis pœnis eos coercere non poſſet, quia tunc cùm ſolæ cenſuræ ſuppeterent Epiſcopo, fruſtra juberetur eas ad extremum reſervare.

Tertiò, quia huic interpretationi congruunt alia verba 26
Concilii, quaſi cum myſterio poſita ad hanc difficultatem tollendam: nam quoad eccleſiaſticos non erat dubium quin poſſet Epiſcopus aliis pœnis procedere, quàm cenſuris, & ideò Concilium difficultati occurrens exprimit laicos cum illa dictione etiam implicativa, quia in laicis erat opinionum diverſitas. Prætereà Concilium addidit ea verba 27
per ſuos proprios, aut alienos executores, ut inſinuaret invocationem brachii ſæcularis non eſſe hoc caſu neceſſariam, niſi Epiſcopus ad eam confugere vellet: & poſt alias pœnas adjicit verba illa, *anathematis mucrone*, ut nulli dubium eſſe poſſet, ad ſolum anathema reſtrictam eſſe in laicos Epiſcopi poteſtatem. Quæ omnia etſi dicta ſint quoad caſus civiles, repetita tamen cenſentur etiam quoad criminales, ex illis verbis: *ubi executio realis, vel perſonalis,* ut ſupra.

Hæc omnia maximè confirmantur ex actis ipſius Concilii, quæ in arce S. Angeli aſſervantur: ibi enim habetur, decretum d. *c. 3.* conditum fuiſſe inſtantibus præcipuè Regis Catholici Oratoribus, qui Regis nomine conquerebantur, Epiſcopos faciles eſſe ad cenſuras laicis infligendas, poſtulabantque ut aliis pœnis Epiſcopi antea experirentur, num juſtitiæ ſatisfacere poſſent, nec niſi in ſubſidium cenſuras fulminarent. Quamobrem ſi Concilium hanc viam pœnarum temporalium Epiſcopis non aperuiſſet, nec cenſuras ad extremum reſervaſſet, nec juſtæ Regis petitioni ſatisfeciſſet. Et in hanc ſententiam ſæpius Sacra Congregatio Concilii, Epiſcopis Regni Luſitaniæ quærentibus, reſpondit; adeòut quamvis res tunc examinata non fuerit, pro clara tamen habita ſit ab omnibus; & nunc minimè ab ea ſit recedendum.

DE

DE POENIS.

Innocentius III, London. Epiſcopo,

CAPUT VI.

TUæ diſcretionis prudentiam: & infrà. Ad illud quod à nobis tertiò requiſiſti, qualiter clerici in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi puniri debeant: Reſpondemus, quòd à ſuis ordinibus degradati, detrudi debeant in arctis monaſteriis, ad pœnitentiam peragendam.

T*Va*. Clericus in magno crimine deprehenſus, depoſitus, in monaſterium detruditur. Hoc dicit ſecundùm Joannem Andream, & alios communiter. Et ſecunda pars, ibi, *reſpondemus*.

Pro intelligentia hujus textus vide quod ſcripſi in *cap. Cum non ab homine*, *n.* 100. *de iudic.*

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

Alexander Papa.

CAPUT I.

MAnifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda.

SVMMARIVM.

1 *POenitentia publica pro manifeſto peccato imponi debet, & n.* 15. *&* 17.
2 *Pœnitentia, alia ſolemnis, alia publica, alia privata.*
3 *Pœnitentia ſolemnis quæ ſit.*
In uſum revocatur à Concilio Mediolanen. II. ibid.
4 *Pœnitentium quinque ordines.*
5 *Pœnitentia ſolemnis imponitur ab Epiſcopo tantùm, vel à Sacerdote de illius mandato.*
6 *Et pro peccato graviſſimo totam civitatem commovente.*
7 *Non iteratur, niſi aliud habeat conſuetudo.*
8 *Pœnitentes ſolemniter ſunt infames non ratione pœnitentiæ, ſed ratione criminis publicati.*
9 *Non promoventur ad Ordines, nec in ſuſceptis miniſtrant.*
10 *Epiſcopus tamen cum eis diſpenſat ad Minores, ſed non ad Sacros.*
11 *Pœnitentia publica quæ ſit.*
Et pro quibus delictis ſit iniungenda, num. 12. *verſ. De iure tamen.*
12 *Pœnitentia quæ imponatur laico, qui presbyterum interfecit.*
13 *Pœnitentiam publicam qui poſſint imponere, & num.* 18. 19. *&* 20.
14 *Pœnitentia ſolemnis non eſt iniungenda Clerico niſi depoſito; & quid de pœnitentia publica.*
15 *Pœnitentia publica iniungitur pro manifeſto peccato.*
16 *Peccatum eadem qualitate purgatur, qua originatur.*
Qualitas eadem adeſſe debet in cauſa extinctiva, quæ adeſt in cauſa productiva, ibid.
17 *Peccantes publicè palam ſunt corrigendi, & num. ſeqq.*
18 *Tridentinum Concilium, & Canones iubentes pro manifeſto peccato publicam iniungi pœnitentiam, an habeat locum in foro ſacramentali, & num. ſeqq.*
Pœnitentiarii Epiſcoporum, & Sacerdotes an poſſint, ac debeant publicè, & ſcandaloſe peccantibus imponere publicas pœnitentias, ibid. & n. ſeqq.
19 *Pœnitentiam publicam ex Concilio Tridentino poteſt Epiſcopus commutare in aliam ſecretam.*
20 *Prælati Regulares ex Concilio Tridentino non poſſunt ſuis ſubditis pro manifeſtis peccatis imponere pœnitentiam publicam, ſed debent eos corrigere intra ſepta monaſterii.*

M*Anifeſta*. Breve eſt, communiter non ſummatur; 1
ſed per alia verba ſic ſummari poteſt, ſecundum Abb. & Marian. Soccin. Pro manifeſto peccato pœnitentia publica imponi debet. Hoc dicit.

Ad intelligentiam textus præmitte triplicem eſſe pœni- 2
tentiam, videlicet, ſolemnem, publicam, & privatam, de quibus per Raymundum *in ſumma de pœnit. & remiſſ.* & per Hoſtien. *in ſumma eodem tit.* §. *Vtrum, verſ. His prælibatis*, & Marian. Soccin. *hic num.* 4. & omiſſa pœnitentia privata, quæ pro peccatis ſecretis injungitur à ſacerdote in actu ſacramentalis confeſſionis, ut §. *His auctoritatibus, verſ. Secreta:* namque poſt *cap. Quis aliquando, de pœnit. diſt.* 1. & de qua hic non eſt ſermo.
Pœnitentia ſolemnis ſtrictè, & propriè dicitur illa, 3
quæ præſcribitur à Concilio Agathenſi relato *in cap.* 50. *diſt.* ſecundùm Hoſtien. *ubi ſupra*, Joannem Andream *hic in fin.* & Marian. Soccin. *num.* 5. Henric. Bolch. in *cap. Quæſitum num.* 4. *infra eodem*, & fit hoc modo: [In capite Quadrageſimæ tales pœnitentes præſentant ſe cum presbyteris ſuis Epiſcopo civitatis ante fores Eccleſiæ ſacco induti, nudis pedibus, vultibus dimiſſis, coma depoſita, & eis in Eccleſiam introductis, Epiſcopus cum omni Clero ſeptem Pſalmos Pœnitentiales dicit, & poſtmodum eis manus imponit, aquam benedictam ſpargit, & cinerem capitibus imponit, cilicio colla eorum operit, & denuntiat eis lacrymabiliter, quod ſicut Adam ejectus eſt à Paradiſo, ita ipſi de Eccleſia ejiciuntur; & jubet miniſtris, ut eos ab Eccleſia pellant, Clero eos proſequente cum hoc reſponſorio, *In ſudore vultus tui, &c.* In Cœna autem Domini quolibet anno à ſuis presbyteris in Eccleſia reducuntur, & erunt ibi uſque ad octavas Paſchæ, ita tamen quod non communicabunt, nec pacem accipient: & ſic fiat quolibet anno, quouſque aditus Eccleſiæ eſt eis interdictus.] Hæc ibi: & refertur à D. Thom. *in* 4. *ſentent. diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 3. & in uſum revocari iubetur à Concilio provinciali Mediolanen. III. *in tit. de iis, quæ ad pœnit. ſacram. pertinent tom.* 4. *Conc. part.* 2. *pag.* 418. *col.* 1. *littera F.* his verbis [Studeat Epiſcopus ad ſacrorum Canonum, & Tridentini Concilii præſcriptum pro publicorum delictorum gravitatis ratione & publicam, & ſolemnem pœnitentiam in uſum revocare; quos verò ita ſolemniter pœnitere oportet, menſe ante quadrageſimæ initium ad ſe per Parochos deferri curet, ut primum

mum ineunte quadrigeſima illi pœnitentia affici; tum die
Cœnæ Domini Eccleſiæ reconciliari poſſint ſtato ſolemni
ritu.
4 Pœnitentium autem erant quinque ordines. Primus
abiectiſſimus eorum, qui non ingrediebantur Eccleſiam,
ſed tantùm veniebant ad fores, & illic proclamabant ad
Chriſtianos, qui intra Eccleſiam erant, ut pro ſe orarent.
Qui locus propterea à Græcis vocatus eſt fletus.
Secundus eorum, qui ad Eccleſiam admittebantur, non
ad aliam rem, niſi ut audirent concionem, quam etiam au-
dire ſolebant competentes, & audientes: poſtea ejiciebantur
poſt competentes, & audientes. Hic locus à Græcis vo-
catus eſt Auditorium.
Tertius eorum, qui admittebantur non modò ad con-
cionem, ſed etiam ad orationem publicam, quæ fiebat ex-
tra ſactificium: nam ad ſacrificium, & preces illius non
admittebantur. Locus, in quo hi conſiſtebant, dicebatur
Subjectio, ſeu Subtractio.
Quartus eorum, qui admittebantur etiam ad preces ſa-
crificii, ſed non poterant communicare; propterea eorum
locus vocabatur Congregatio, quia manebant cum tota
Congregatione Chriſtianorum.
Quintus, eorum, qui jam expleverant omnem ſuam
pœnitentiam, quique non expectabant niſi reconcilia-
tionem, ot accederent ad communionem: quapropter eo-
rum locus in Eccleſia deſignatus dictus eſt Expletio.] Hæc
ſcripſit Gregorius Neocæſarienſis in Epiſtola Canonica
cap. 11. quæ conjuncta eſt Canonibus Photii, & de quibus
omnibus Pacianus *de pœnit.* De habitu verò illorum habe-
tur in *d. cap. Quadrageſima*, 50. *diſt.* & apud eoſdem Au-
ctores, & alios veteres Scriptores, ex quibus apparet quan-
tum ab illa Eccleſiaſtica politia nunc diſtamus.
5 Porrò hanc ſolemnem pœnitentiam ſolus Epiſcopus im-
ponit, vel Sacerdos de illius mandato, ut notat Hoſtien.
in ſumma eod. tit. §. *Vtrum*, & Marian. Socin. *hic num.* 6.
6 dicens hanc eſſe communem opinionem. Idque non niſi
pro peccato graviſſimo, horrendo, ut pro homicidio, *cap.
Placuit*, 50. *diſt.* & pro ſacrilegio, inceſtu, & ſimilibus,
dummodo tamen peccata ſint publica, itaut totam civita-
tem, caſtrum, vel villam commoveant, *cap. fin.* 26. *quaſt.* 6.
ut per D. Thom. *loco citato*, Hoſtien. *ubi ſupra*; Marian.
Socin. *hic d. num.* 6. *verſ.* 4. *Quæro*, & Abb. *in cap. Quæſi-
7 tum, in* 1. *notab. infra eodem*; nec imponitur niſi ſemel,
quia ſolemnis hæc pœnitentia non iteratur, niſi aliud ha-
beat conſuetudo, *cap. Reperiuntur, de pœnit. diſt.* 3. & docet
S. Thom. *in* 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 10. *ad* 2. *&* *in* 4. *ſentent.
diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 2. *in corp.* reddens triplicem ra-
tionem, primam ne ex iteratione vileſcat, ſecundum pro-
pter ſignificationem, quia figura eſt depulſionis hominis
de Paradiſo, *d. cap. In capite*, 50. *diſtinct.* quæ depulſio ſe-
mel facta fuit; tertiam, quia hujuſmodi ſolemnizatio eſt
quaſi quædam profeſſio perpetuò conſervandi ipſam pœni-
8 tentiam. Effectus autem hujus ſolemnis pœnitentiæ eſt,
quia tales pœnitentes ſunt infames non ratione pœnitentiæ,
ſed ratione criminis per rationem pœnitentiæ publicati,
cap. Infames, §. *Porro*, 3. *quæſt.* 7. & not. Hoſtien. *in cap.* 2.
num. 7. *verſ. Sed numquid tales pœnitentes ſunt infames*, *ſu-
pra de offic. Archipresbyter.* Marian. Socin. *hic num.* 7. &
Silveſt. *in verb. Pœnitentia*, *num.* 3. facit text. *in l. Illus fu-
9 ſtium*, *ff. de iis, qui notan. infam.* Et ideò tales non promo-
ventur ad Ordines, nec in ſuſceptis miniſtrant, *cap. Illud*,
10 50. *diſt.* Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare ad minores, ſed
non ad ſacros, *cap. Placuit*, 50. *diſt.*
11 Pœnitentia publica eſt illa, quæ publicè imponitur, &
ideò omnis ſolemnis pœnitentia poteſt dici publica, quia
publicè imponitur, ut in *d. cap. In capite*, 50. *diſtinct.* &
docet S. Thom. *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 5.
quæſt. 3. *in corp.* Sed propriè publica pœnitentia ad differen-
tiam ſolemnis dicitur illa, quæ fit in facie Eccleſiæ, non ta-
men cùm præſit ſolemnitate, veluti cùm injungitur pere-
grinatio per mundum cum pera, & baculo benedictis,
D. Thom. *ubi ſupra*, Hoſtien. *d.* §. *Vtrum*, *verſ. Publica ve-
12 rò pœnitentia*, Marian. Socin. *hic num.* 9. Talis quoque eſt
pœnitentia, quam ſacra Pœnitentiaria imponit laico, qui
presbyterum interfecit, videlicet: *Cæterum ſi delictum ſit
publicum, vel detegatur eidem oratori mandanti ſub debito
præſtiti iuramenti, ut cùm primum tuto poterit, per quinque
Eccleſias illius loci, ubi tantum facinus perpetravit (ſi tot
ibi fuerint) nudus, diſcalceatus, femoralibus dumtaxat te-*
Preſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

*tentis, virgam in manibus, & corrigiam circa collum deſce-
rendo incedat, ſuum publicè fatendo reatum, & ante fores
dictarum Eccleſiarum à presbyteris eumdem pſalmum pœni-
tentialem canentibus ſe faciat verberari, dum maior ibi ad
divina convenerit populi multitudo*, quæ pœnitentia ferè de-
ſumpta eſt ex *cap. Felicis*, §. *Cum autem*, *de pœnis*, *lib.* 6. &
facit Clem. *Si quis ſuadente*, *eod. tit.* De jure tamen ſi de-
lictum ſit publicum, & ſcandalizans totam civitatem, im-
ponitur pœnitentia ſolemnis, ut dictum eſt ſupra *num.* 6. ſi
verò ſit poblicum, ſed non ſcandaloſum, tunc imponitur
pœnitentia publica, ſed non ſolemnis, ut *cap. Si quis pres-
byter. de purgat. canonica*, & declarat Abb. *in cap. Quæſitum
in* 1. *notab. infra eodem*; de quo tamen dic ut ibi adno-
tavi.
Porrò pœnitentiam publicam imponit non modo Epi- 13
ſcopus, ſed etiam quilibet Sacerdos, & multò fortiùs Ge-
nerales Pœnitentiarii Epiſcoporum, cùm non reperiatur
prohibitum, argum. *cap.* 2. *ſupra de offic. Archipresbyter.*
niſi aliud habeat contraria conſuetudo, argum. *cap. De tri-
na*, 4. *diſt. & cap. Super eo*, *de cognat. ſpiritual.* ſecundum
Hoſtien. *in ſumm. de pœnit. & remiſs. d.* §. *Vtrum in fine*,
verſ. Publica verò pœnitentia, Marian. Socin. *hic nu.* 9. *verſ.
Et hanc poteſt iniungere*, & latius dicam infra *num.* 19. Sed 14
tamen Clerico nedum ſolemnis, ſed nec publica hæc pœni-
tentia eſt injungenda niſi depoſito, ut *cap. Confirmandum*,
& cap. Alienum, 50. *diſt. cap. ultim.* 26. *quæſt.* 6. & tenent
Laurentius, Raymundus, & Bernardus *hic in gloſ. unica*,
Innoc. *in verb. Occulta*, Hoſtien. *num.* 2. & Butr. *num.* 4. *in
fin.* ſed quia in hoc articulo ſunt opiniones diverſæ, tu vi-
de quæ latiùs dicam in *d. cap. Quæſitum*, *infra eodem*.
His præhabitis nota ex textu quod dictum eſt ſupra in 15
ſummario, videlicet, Pro manifeſto peccato pœnitentiam
publicam eſſe injungendam, ad idem *cap. Si peccaverit*,
2. *quæſt.* 1. *& cap. Ego Berengarius in fin. de conſecrat. di-
ſtinct.* 2. & manifeſtum hic accipitur pro notorio, ſecundum
Hoſtien. *in princip.* vel ſecundum Jo. Andr. *ibidem in princ.*
poteſt ſumi pro notorio, vel pro publico non notorio, de
quo dic ut ſcripſi in *cap. Veſtra num.* 54. *& ſeqq. de cohabit.
Cler. & mulier.* & ſic eadem qualitate peccatum purgatur, 16
qua originatur: & eadem qualitas adeſſe debet in cauſa
extinctiva, quæ adeſt in cauſa productiva, ut *hic* per Butr.
in 1. *notab.* facit *cap. Omnis res*, cum ibi notatis *infra de reg.
iuris*, & cum textu noſtro concordat Concilium Tridenti- 17
num *cap.* 8. *ſeſſ.* 24. *de reform.* ubi ſic legitur: *Apoſtolus mo-
net publicè peccantes palam eſſe corrigendos: quando igitur ab
aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum
fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit
dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam
publicè iniungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores
provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet
vitam.*
Sed hic inſurgit dubitatio, numquid textus noſter, & 18
decretum Concilii *d. cap.* 8. *ſeſſ.* 24. vendicent ſibi locum in
foro ſacramentali, itaut poſſint, ac debeant ſacerdotes,
& maximè Pœnitentiarii Epiſcoporum publicè, & ſcanda-
loſè peccantibus imponere publicas pœnitentias, Navar-
rus *in cap.* 1. §. *Sacerdos*, *num.* 87. *& ſeqq. de pœnit. diſtin.* 1.
& in Manual. cap. 8. *num.* 10. tenet hos canones habere lo-
cum in foro mixto exteriori dumtaxat, qui etiam dicitur fo-
rus conſcientiæ, vel quaſi pœnitentialis, ſeu medius; ſe-
cundum Præpoſit. *in cap. Præterea il ſecondo*, *num.* 5. *de
ſponſal.* non autem in foro ſacramentali, ſeu pœnitentiali:
tum quia non loquuntur de Confeſſoribus, ſed utuntur
verbis impersonalibus; tum quia noluerunt ſtatuere, ut
Confeſſores hoc faciant eo modo, quo percipi poſſit tales
pœnitentias ab eis fuiſſe impoſitas; hoc enim eſſet rumpe-
re indirectè ſigillum confeſſionis; tum quia Concilium 19
tribuit poteſtatem Epiſcopis mutandi pœnitentiam publi-
cam, de qua loquitur in aliam ſecretam: tum denique, quia
à jure antiquo non eſt recedendum quando jus novum ad
id nos non compellit: unde concludit Navarr. Confeſſo-
rem non debere palam facere indirectè pœnitentem ei con-
feſſum fuiſſe aliquod peccatum publicum ſcandaloſum, im-
ponendo ei pœnitentiam publicam ſic, ut credatur ab ipſo
impoſita, licet fateatur eam poſſe ſic imponere, ut
credatur pœnitentem ex ſe ipſo illam facere ad ædifica-
tionem eorum, quos ſcandalizavit: & eam non eſſe in
uſu quoad forum pœnitentialem, atteſtantur Domin. Soto
in 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 5. & Gregorius de Valentia *tom.* 4.
T *diſput.*

diſput.7.punct.3. ad fin. & de controverſiis fidei in tit. de ſatisfactione, cap.4. in fin. Addit etiam Jo. Major. *in 4. diſt. 14. quæſt.2. col. ultim.* eas parum conducere, & ratas fuiſſe in diebus ſuis; & non eſſe à Sacerdotibus imponendas, ubi eſt conſuetudo contraria, tenent ferè omnes mox allegandi.

Contrarium tamen, videlicet pro peccato publico, & ſcandaloſo poſſe quemlibet Confeſſorem imponere pœnitentiam publicam, niſi ejus Eccleſiæ conſuetudo aliud habeat, quia nullibi reperitur prohibitum, nec inde ſequitur manifeſtatio confeſſionis, tenuerunt Goffr. *in ſumma de Pœnitent. & remiſſ. num.* 5. Hoſtien. *in ſumm. eod. tit. ſub num.55. §. His prælibatis, ad fin. verſ. Publica verò*, Speculat. *in Repertorio in tit. Aureum Confeſſorium, §. Sequitur videre, in prin.* Henric. Boich. *in cap. Quæſitum, num.4. infra eodem*, Turrecrem. *in cap. poteſt, & aliter, num.4. & in cap. Pœnitentes, num.3. diſt.*50. Præpoſ. *in cap. Quamvis, eadem diſtin. num.*2. Brixien. *in repert.* in *verb. Pœnitentia, verſ. An quando imponitur, & verſ. Ex quibus cauſis, & verſ. An Sacerdos*, & ex Theologis Alexand. de Ales *in ſumma part.4. quæſt.14. memb.6. art.*1. S. Thom. *in 4. diſt. 14. art.5. quæſt.2.* Petr. de Palud. *quæſt.6. concluſ.11. in fine*, Duran. *quæſt.4.* Sot. *in 4. diſt. 19. quæſt.2. art.5.* Joan. de Friburg. *in Summa confeſſ. lib. 3. tit. 34. quæſt.* 12. Aſten. *part.2. lib.5. tit.34. quæſt.*2. Piſanella *in verb. Pœnitentia*, 3. Roſella *in verb. Confeſſor, num.1. verſ. Et pro declaratione*, Angel. *in verb. Pœnitentia, num.* 2. Silveſt. *eodem verb. quæſt.*1. Armilla *iisdem in ver. Pœnitentia, num.* 2. Tabien. *in eodem verb. quæſt.6.* Merdin. *de Pœnit. tract.2.quæſt.40. §. Aliud eſt pœnitentia publica*, Alfonſus Vivald. *in candelabro, tit. de Sacram. Pœnitent. lib.1. num.* 1. Cardin. Bellarmin. *de controv. fidei, controverſ.4. Generali, cap.*21. & noviſſimè Suarez *lib.4. qui eſt de pœnitentia, diſp. 33. ſect. 6, quæſt.*3. Id autem maximè poſſe pœnitentiarios Epiſcoporum, tenuerunt Hoſtien. & Marian. Socin. ut dixi *ſupra num.*13. Henric. Boich. Aſten. Vivald. *in locis ſupracitatis arg. cap.2. Sa de off. Archipresb.* quos etiam de conſuetudine abſente Epiſcopo imponere pœnitentias ſolemnes dixerant Petr. de Palud. *ubi ſupra*, & Turrecr. *in cap. Pœnitentes, num.2. 56. diſtin.*

Nec videtur obſtare, quod dicebatur de contraria conſuetudine; tum quia poſſet fortaſſe procedere quoad ſimplices Confeſſores, argum. *cap. De Trina, 4. diſtinct. & cap. Super eo, de cognat. ſpirit.* Sed non quoad principales Pœnitentiarios Epiſcoporum, præſertim quia peccata graviora, pro quibus ſolis imponitur pœnitentia publica ſecundum opinionem Hoſtien. & Henric. Boich. *locis citatis*, ſolent per Epiſcopos reſervari, & ſuis Pœnitentiariis concedi. Item conſuetudo, ſi quæ olim aderat in contrarium, videtur ſublata à Concilio Tridentino, antiquos Canones innovante; quod fieri optaverat Petr. Sotus *in inſtit. Sacerd. tit. de remed. privat. verſ. Quod attinet, fol.* 428. & poſt Concilium, ac in ejus executionem hujuſmodi publicas pœnitentias in uſum revocari mandant Concilia provincialia Mediolan. tertium *in tit. de iis, quæ ad Pœnitent. ſacramental. pertinent, §. Suadeat Epiſcopus*, cujus verba retulimus ſupra *num.3. & 4. eod. tit. §. Quod in Concilio*; & apertius primùm *in tit. Quæ pertinent ad Sacram. Pœniten. adminiſtration.* cujus hæc ſunt verba: *Iidem*, (ſcilicet Confeſſores) *quemadmodum à Sacra Tridentina Synodo juſſum eſt, publicè peccantibus, publicam pœnitentiam imponant, neque illud publicæ pœnitentiæ genus, niſi data ab Epiſcopo facultate, ſecretam alia pœna commutare audeant, tom.4. Concil. part.2. pag.367. col.2. littera D.*

Porrò in Sacra Congregatione Concilii propoſito dubio, an ex decreto *d. cap. 8. ſeſſ.24.* Pœnitentiarii Epiſcoporum poſſint, ac debeant publicè peccantibus publicas pœnitentias injungere: Die 22. Martii 1614. tametſi plerique ex Patribus viſi fuerint ſentire de jure communi hæſitandum non eſſe quin poſſint, ac debeant Sacerdotes, & maximè Pœnitentiarii Epiſcoporum publicè peccantibus imponere publicas pœnitentias: valdè tamen fuerunt ancipites, num id caveatur Concilii Decreto *d. cap.* 8. Ideòque tutius exiſtimarunt abſtinere à declaratione, ut Confeſſorum, & Pœnitentium quieti magis conſultum ſit.

Ulterius quæritur numquid liceat Superioribus Regu- 20
laribus publicè peccantibus publicam pœnitentiam pro modo culpæ injungere ex Concilio *d. cap. 8. ſeſſ.* 24. non obſtantibus Conſtitutionibus Ordinis, ſecundum quas intra ſepta monaſterii quicunque delinquentes puniri debent.

Die 18. Julii 1585. Sacra Congregatio Concilii cenſuit dictum decretum in principio non pertinere ad Regulares: præſertim obſtantibus Conſtitutionibus Ordinis.

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

Ex Concilio Moguntinen.

CAPUT II.

QUi Presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentia ei ſecundùm Canones imponatur: & infià. Convictus uſque ad ultimum tempus vitæ ſuæ militiæ cingulo careat, & abſque ſpe conjugii maneat.

SUMMARIUM.

1 *Militis exauthoratio fit per detractionem cinguli militaris, ſicut degradatio Clerici per ablationem inſtrumenti ad ſuum Ordinem ſpectantis, & num.* 18. & 20. & 68.

2 *Cingulum militiæ in Religione Hieroſolymitana, an ſit de ſubſtantia profeſſionis Regularis in gradu militum, ita ut illius omiſſio irritet profeſſionem expreſſam, & impediat tacitam, & num. ſeqq. uſque in fin.*

3 *Cingulum militiæ quid, & num.4.*

4 *Cinguli ſolemnitas de iure communi eſt ſubſtantialis in milite ſæculari, & num, ſeqq. uſque ad num.24.*

Contrarium, num.61.

Declaratur, num.63.

5 *Subſtantiale in quolibet gradu, & ordine dicitur eſſe illud, in cuius traditione poteſtas illius gradus, ſeu ordinis confertur.*

6 *Miles in quo actu recipiat poteſtatem iuris militaris, & num.10.*

7 *Militis ſæcularis creatio ex Pontificali Romano, & num.59.*

Miles creatur cùm cingulo circumcingitur, ibidem.

8 *Creare eſt ex nihilo aliquid facere.*

9 *Imperator adminiſtrationem Imperii non recipit ante coronationem, & num.14.*

11 *Miles præſumitur qui portat cingulum, & calcaria deaurata.*

12 *Militem, vel Doctorẽ Primates ſolo verbo creare poteſt.*

13 *Doctoratus inſignia, id eſt liber, & inſula, an ſint de ſubſtantia Doctoratus.*

14 *Imperator non dicitur graduatus, niſi poſtquam coronantem receperit infulam.*

15 *Character Ordinis non imprimitur ſine traditione inſtrumenti ad illum Ordinem ſpectantis.*

16 *Miles promovetur ad militiam ſæcularem per chlamydis, & cinguli dationem.*

17 *Miles eſſe deſinit cùm cingulum militiæ deponit.*

19 *Milites ſi cingulo ſpolientur, perdunt omne militiæ privilegium.*

20 *Degradatio Clerici fit, ut exauthoratio eius, qui militiæ deſervit armata.*

De-

Digitized by Google

Declaratur, num.68.

21 *Graduatio, & degradatio fit per inſignia.*

22 *Militis Regularis creatio ex Pontificali Romano, & num.59. & 72.*

23 *Cingulum venit appellatione habitus.*
Declaratur, num.71.

24 *Cinguli decoratio ex ſtatutis Ordinis Hieroſolymitani eſt de ſubſtantia profeſſionis in gradu militum, & num. ſeqq. uſque ad n. 46.*
Contrarium num.73. & ſeqq. uſque ad num. 99.
Item ex ordinationibus Capitularibus eiuſdem Religionis, num.46.
Contrarium, num.99.

25 *Subſtantialia actus intelliguntur eſſe illa omnia, de quibus in iure cautum invenitur, ut debeant fieri.*

26 *Forma ſubſtantialis inducitur ex verbis neceſſitatem deſignantibus.*
Declaratur quadrupliciter, à num. 74. uſque ad num.93.

27 *Neceſſarium quandoque exponitur, ideſt utile, & expediens.*

28 Debeat, *verbum, præceptum, & neceſſitatem importat, & ſi quando ſapiat honeſtatem, illud eſt ſpeciale.*

29 *Hieroſolymitana Religio à primæva illius fundatione non tantum ad hoſpitalitatem, ſed etiam ad militandum pro fide fuit inſtituta.*

30 *Neceſſarium ex proprietate deſignat præceptum, & obligationem.*

31 *Actus contra legis, vel ſtatuti prohibitionem eſt nullus, licèt non adſit decretum irritans.*

32 *Præſertim in his quæ habent perpetuam cauſam prohibitionis.*
Limitatur quatuor modis à num. 74. uſque ad num.93.

33 *Lex* Non dubium, C. de legibus, *locum habet etiam in Regularibus, & perſonis Eccleſiaſticis, etiam exemptis, contra Vaſquez.*

34 *Ius civile ab omnibus ſervari debet, ubi contrarium non reperitur ſtatutum per ius canonicum.*

35 *Ordo datus per prius, & poſterius, cenſetur datus de forma.*
Declaratur quatuor modis à num.74. uſque ad num.93.

36 *Conſtitutio diſponens aliquos non eſſe admittendos ad profeſſionem, niſi prius facta inquiſitione de eorum qualitatibus, inducit formam.*

37 *Forma in actibus humanis eſt partium ordinatio ſecundum prius, & poſterius.*

38 *Subſtantialia actus debent ſimul, & contemporaneè cum ipſo actu explicari, & num.62.*
Declaratur, num.39. & 41.

39 *Cingulum militiæ non materialiter tantùm, ſed formaliter eſt accipiendum.*

40 *Miles ſemel remanet ſemper miles, quamdiu non eſt exauthoratus.*

41 *Pro forma non eſt abſurdum, ut inducatur etiam aliquod præambulum.*

42 *Executor datus cum poteſtate limitata nullitèr procedit, ſi fines mandati non ſervat.*
Declaratur, num.93. & ſeqq. uſque ad num.101.

43 *Profeſſio facta in manibus Delegati excedentis limites ſuæ facultatis non valet.*
Declaratur, num.93. & ſeqq. uſque ad num.101.

44 *Hieroſolymitani milites non deſcripti in matricula non habentur pro Fratribus, nec privilegiis fruuntur, & num.66. & num.100.*

45 *Miles non matriculatus cenſetur tamquam privatus, ſeu paganus, & num.63.*

46 *In Hieroſolymitana Religione profeſſio fieri non poteſt, niſi in gradibus militum, Capellanorum, & ſervientium, & factis probationibus nobilitatis, aliàs non valet, & num.91. & 99.*

47 *Decretum irritans formam ſubſtantialem inducit.*

48 *Hieroſolymitani ſexdecim Capitulares facultatem non habent decernendi contra ſtatuta Ordinis.*
Sed ſolum generale Capitulum, num.54.

49 *Et eorum ordinationes ſunt temporales uſque ad novum Capitulum generale, etſi contigerit eas à Sede Apoſtolica confirmari.*
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Declaratur, num. ſeq.

50 *Conſtitutio Capituli generalis confirmata à Papa, donec revocata non fuerit per ſequens generale Capitulum, dicitur perpetua, quamdiu non revocatur.*

51 *Forma ſervari debet etiam in minimis, aliàs actus eſt nullus.*

52 *Forma à iure tradita in dubio cenſetur ſubſtantialis, & de eſſentia actus.*

53 *Profeſſioni tacitæ obſtant impedimenta omnia, quæ obſtant profeſſioni expreſſæ.*

55 *Profeſſio tacita requirit conſenſum tum Religionis, tum profitentis.*

56 *Miles præſumitur ignorare ius inducens profeſſionem tacitam ex ſuſceptione habitus, & actibus profeſſorum. Et hæc ignorantia impedit tacitam profeſſionem.*
Contrarium, num.107.

58 *Cinguli ornatus in militibus Regularibus de iure non requiritur, & num.69. uſque ad num.73.*

59 *Cinguli, ſeu ſpathæ cæremonia in creatione militis Regularis fuit prætermiſſa in Pontificali reformato iuſſu Clem. VIII. & num.72.*

60 *Cur adhibeatur in creatione militis ſæcularis, & regularis.*

61 *Proximè cingendus habetur pro cincto.*

62 *Solemnitas, quæ poteſt ſubſequi, nunquam dicitur de ſubſtantia, vel forma.*

63 *Miles non præcinctus, aut non matriculatus non gaudet militum privilegiis.*

64 *In militis creatione antiquæ cæremoniæ hodie non ſunt in uſu.*

65 *Cingulo decorari dicitur qui miles creatur, etiamſi cinguli ſolemnitas non ſervetur.*

66 *Cingulo cœleſtis militiæ præcingi dicitur Clericus.*

67 *Cingulum in iure quandoque pro dignitate ipſa uſurpatur.*

69 *Profeſſionis ſubſtantia conſiſtit in tribus votis ſolemnibus, & num.73.*

70 *Habitus Religionis non eſt de ſubſtantia monachatus.*

74 *Verba neceſſitativa, & ordo datus non inducunt formam annullativam actus, quando eadem, vel alia iura dicunt actum valere, & num.91.*
Hieroſolymitani profeſſi non ſervata forma ſtatutorum olim deiiciebantur ad gradum inferiorem, & nu. ſeq.

76 *Pœna ſpecialis tollit pœnam annullativam actus, maxime ubi pœnæ ſe ad invicem non compatiuntur, & num.118. & 124.*

77 *Ratio ſtatuti abrogati allegari poteſt ad deciſionem cauſarum.*

78 *Hieroſolymitani milites per cingulum diſtinguuntur à Capellanis, & ſervientibus, & num. ſeq.*

79 *Rubrum declarat materiam nigri eſſe illius naturæ, cuius eſt rubrum.*

80 *Forma ſtatuti circa profeſſionem regularem non cenſetur ſubſtantialis, niſi habeat decretum irritans.*

81 *Etiamſi datus ſit ordo per prius, & poſterius.*

82 Nullatenus *dictio, importat nullitatem actus ipſo iure.*

83 *Et habet vim decreti irritantis.*

84 *Profeſſio quamvis à puella fieri non debeat ante explorationem voluntatis, tamen ſi fiat, valida eſt.*

85 *Idem in profeſſione facta ante annum 18. & 22. in Religionibus Minimorum, & Redemptionis captivorum contra ſtatutorum præſcriptum.*

86 *Præpoſteratio in formalibus, & in his, quæ ſunt de ſubſtantia, vitiat actum, ſecus in aliis.*

87 *Statutum ſi in una parte apponat decretum irritans, in alia non cenſetur formam ſubſtantialem inducere; licet verba ſint apta illam importare, & num. ſeqq.*

88 *Stylus ſtatuentium maximè eſt attendendus ad intelligentiam ſtatutorum.*

89 *Miſſa non eſt de ſubſtantia electionis Papæ.*

90 *Statuta Ordinis Hieroſolymitani ubi voluerunt actum eſſe nullum, explicitè appoſuerunt decretum irritans.*

91 *Clauſula decreti in fine poſita refertur ad omnia præcedentia.*

92 *Relatio fieri debet ad proxima.*

93 *Clauſula, ſervatis ſervandis, non refertur niſi ad ſubſtantialia.*

94 *Denunciationes matrimoniales non ſunt de ſubſtantia: & ideo ſi omittantur à Delegato ad diſpenſandum cum clauſula*, ſervatis ſervandis, *actus non vitiatur.*

95 *Executor non eſt mixtus, ſed merus ubi commiſſio dirigitur parti impetranti.*

96 *Clauſula apta importare executorem mixtum, in litteris gratiæ nihil operantur, niſi adſit clauſula*, vocatis vocandis.

97 *Delegatus non ſervans formam mandati tunc demum nulliter procedit, ſi conditiones in commiſſione adiectæ ſint præter ius: ſecus ſi de iure inſint, & alias non ſint ſubſtantiales, & num. ſeq.*

98 *Clauſula*, ſervatis ſervandis, *& conſimiles non ſonant in conditionem, ſed in monitionem, nec dant novam formam mandato, ſed inſtruunt executorem.*

101 *Profeſſio in Religione Hieroſolymitana non poteſt declarari nulla à Vicecancellario; imo nec a Magno Magiſtro, niſi adhibito Ordinario.*

102 *Profeſſio in dubio valida eſt iudicanda.*

103 *Profeſſio tacita locum habet iuxta iuris diſpoſitionem, etiam in militibus Hieroſolymitanis extra Conventum degentibus.*

104 *Habitus profeſſorum in militibus Hieroſolymitanis eſt Crux alba in pallio, & n. ſeq.*

105 *Profeſſio tacita inducitur per ſuſceptionem habitus profeſſorum patenter diſtincti ab habitu Novitiorum etiam ſine actibus, qui a ſolis profeſſis fieri ſolent.*

106 *Habitus profeſſorum geſtatio in dubio cenſetur fieri potius ex cauſa neceſſaria, quàm voluntaria.*

107 *Profeſſio tacita iuxta iuris diſpoſitionem inducitur etiam in milite, qui ignoravit ſuam profeſſionem expreſſam fuiſſe irritam.*

108 *Inducitur per actus ſolis profeſſis convenientes, & num. ſeqq.*

109 *Fratris nuncupatio in Religione Hieroſolymitana non convenit niſi profeſſis.*

110 *Novitii poſſunt eſſe in iudicio abſque ſuperioris licentia.*

111 *Profeſſio tacita induci non poteſt niſi prius annus probationis fuerit completus.*

113 *Annus probationis ad validè profitendum requiritur etiam in Religione Sancti Ioannis Hieroſolymitani.*

114 *Fallit in Bohemis quibus indultum eſt, ut non teneantur eſſe in probatione, niſi per ſex menſes.*

115 *Annus probationis non ſufficit, ut ſit completus, ſed uſque ad profeſſionem continuari debet, aliàs irrita eſt profeſſio.*

Contrarium, num. ſeqq.

116 *Novitius, qui tranſacto anno exivit à Religione, ad eam reverſus, poteſt illico profiteri, niſi Religionis, aut perſonæ conditio ſit immutata.*

117 *Idem in puella, quæ, finito tempore novitiatus exivit à monaſterio ſine licentia Ordinarii.*

119 *Antianitas in militibus Hieroſolymitanis currit à die ſoluti paſſagii.*

120 *Sed ea Equites non fruuntur; niſi à die profeſſionis.*

121 *Novitius finito anno probationis arctari non poteſt à Superioribus ad alium annum novitiatus repetendum.*

Maximè ſub pœna nullitatis, num. 123. & 124.

122 *Novitiatus prorogari non poteſt à Superioribus Regularibus ultra annum, niſi ex iuſta cauſa, & ad breve tempus.*

123 *Profeſſi ſunt cenſendi in Ordine Minimorum ducentes originem à Iudæis, & Saracenis, non obſtante ſtatuto, & proteſtatione eis facta, quod eorum profeſſio foret nulla.*

125 *Peragere idem eſt, quod perficere, & ad exitum perducere.*

1 Q*Vi Presbyterum.* Ponit triplicem pœnam interficientis Presbyterum. Nota ex textu ibi, *militiæ cingulo careat*, juncta gloſ. 3. militem armatæ militiæ deponi à dignitate ſua, ſeu degradari per detractionem cinguli militaris ad inſtar militis cœleſtis militiæ, ideſt Clerici, qui degradatur per ablationem inſtrumenti ad Ordinem ſuum ſpectantis, ut eſt textus in *cap. Degradatio, de pœn. lib.6.* & notat præcit. gloſ. & Hoſtien. *num. 4.* facit *cap. Falſas, de pœnit. diſtinct. 5. & cap. Admonere, 33. quæſt. 2.* & ex hoc videtur inferri poſſe, ut ſicut inſtrumenta hujuſmodi ſunt de ſubſtantia Ordinis Clericalis, *cap. Presbyter, cum mult. cap. ſeq. 23. diſtinct.* & notatur in *cap. Unico, ſupra de ſacr. unct. & in cap. fin. de ſacram. non iter.* ita cingulum ſit de ſubſtantia Ordinis militaris: ſed de hoc latiſſimè diſſeram in ſequenti quæſtione.

Ex facto quæſitum eſt, An cingulum militiæ in ſacra Religione Hieroſolymitana ſit de ſubſtantia profeſſionis, Regularis in gradu militum, ita ut illius omiſſio irritet profeſſionem expreſſam, & impediat tacitam. 2

Emerſit nuper hæc diſcrepatio in caſu Equitis Corſini, qui anno 1640. die 12. Februarii ſolemnem profeſſionem Fratrum militum S. Joannis Hieroſolymitani emiſit Romæ in manibus Eminentiſſimi D. Cardinalis Antonii Barberini in vim facultatis eidem ſpecialiter attributæ per litteras in forma Brevis ſan. mem. Urbani VIII. ſed poſt multos annos obtenta à Sanctiſſimo D. N. Innocentio X. in integrum reſtitutione adverſus lapſum quinquennii, intentavit judicium nullitatis ſuæ profeſſionis ex pluribus cauſis; ſed præcipuè ex eo, quod ante profeſſionem 3
non fuerit ornatus cingulo militiæ, ideſt zona eum gladio, ſeu enſe, ſecundum Archidiacon. *in cap. Si quis, num. 1. 50. diſtinct.* Lucam de Pen. *in l. Is quidem num. 3. C. Qui militare poſſ. lib. 12.* & Petr. Gregor. Tholoſan. *in Syntagmat. iuris univerſ. lib. 11. cap. 3. num. 14. & 27.* Unde emanavit præinſertum dubium, ſuper quo ſcripſerunt ferè quotquot extant in Urbe magni nominis Theologi, & Advocati; idque tam variè, ut in una, & eademmet Religione non defuerint, qui in contrarias abierint opiniones, ut propterea quæſtio pleriſque viſa fuerit ardua, & difficilis.

Et quidem prima conſideratione dicendum videtur traditionem cinguli militaris eſſe ſubſtantialem, primo ex diſpoſitione juris communis; ſecundò ex forma ſtatutorum ipſius Religionis, tertiò ex ordinationibus capitularibus ejuſdem.

Circa primum, ideſt de jure communi nemini dubium 4
eſt, quin milites ſint cingulo decorandi, ſeu enſe cingendi, ut *l. Filius familias*, ibi, *cingi confeſtim iuſſus*, & *l. Titius*, ibi, *& poſtea cinctus, ff. de militar. teſtam.* & notat gloſs. *unica, in l. Milites*, ibi, *item quod ei enſis cingatur ff. Ex quibus cauſ. maior.* & in Extravagan. Joan. XXII. *Quia in futurum, in ver. Militari, de torneam.* ſed valde controverſum, qualis ſit ejuſmodi ſolemnitas, & quidem eſſe ſubſtantialem, & intrinſecam, non autem accidentalem, videtur ſuaderi poſſe ex ſequentibus.

Et primò in quolibet gradu, ſeu ordine illud eſt eſſentiale, & intrinſecum, in cujus traditione poteſtas illius gra- 5
dus, ſeu ordinis confertur, *cap. Epiſcopus cum pluribus, cap. ſeqq. 23. diſtinct.* S. Bonaventura *in 4. ſententiar. diſt. 24. part. 2. art. 1. quæſt. 4. num. 58.* Tabien. *in ver. Ordo, 2. num. 5. in fin.* Suarez. *de legib. diſputat. 5. cap. 31.* Sed poteſtas juris, de qua in *cap. Ius militare, 1. diſtinct.* confertur 6
militi in eo actu, in quo à perſona ad id auctoritatem habente cingitur cum prolatione verborum, *Eſto miles, & accipe ſanctum gladium, in quo deiicies adverſarios populi Dei, ut 2. Machabæorum cap. ult.* & tradut Pariſ. de Put. *in tractat. de re milit. lib. 7. cap. 13.* incipien. *Miles, ſeu armiger, num. 6. inter tract. communes tom. 12. fol. 149.* & Caſſan. *in Catalog. glor. mund. part. 9. conſider. 26.* & ante eos Lucas de Pen. *in l. His quidem, num. 3. in ver. Cingulo, C. Qui milit. poſſ. lib. 12. ubi num. 4.* ſubdit [Cingulo militari provida majorum inſtitutione gladium inſertum eſſe, & hoc, ut collato honore cinguli, poteſtas quoque ipſius gladii intelligatur aliqualiter eſſe collata,] & patet ex Ponti- 7
ficali Romano *lib. 1. rubr. penult. de Benedictione novi militis*, ubi Pontifex dat ei genuflexo enſem nudum, dicens, *Accipe gladium iſtum in nomine Patris, &c.* tum eum cingit enſe in vagina repoſito, dicens: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime:* poſtea ter eum leviter percutit cum enſe evaginato ſemel dicens: *Eſto miles pacificus, ſtrenuus, fidelis, & Deo devotus.* Ergo traditio cinguli eſt eſſentialis ad gradum militis adipiſcendum.

Secundò. In traditione cinguli miles creatur, ut in Pon-

Digitized by Google

Pontificali Romano *lib.* 1. *d. rubr. penult.* Patiſ. de Put. *d.*
8 *num.*6. ibi, *miles cùm creatur cingulo cingitur:* ergo ante
cinguli traditionem non eſt miles, quia nihil eſt antequam
creetur, cùm creare ſit ex nihilo aliquid facere, S. Thom.
in 1..2. *queſt.*45. *art.* 1. & conſequenter forma traditionis
cinguli eſt ſubſtantialis, cùm det eſſe rei, *l. Julianus*, §.
Si quis, *ff. ad exhibendum cum ſimil.* quo argum. Oldrad.
9 *conſ.*180. *Quæſtio eſt utrum Imperator*, *per tot.* ac præcipuè
*num.*7. concludit coronationem eſſe de ſubſtantia, ad hoc
ut Imperator poſſit ſe immiſcere adminiſtrationi Imperii,
10 quia in coronatione Imperator dicitur oriri, & ſic incipe-
re eſſe, *l. Omnes*, ibi, *Ortus Imperii protulerunt*, *&c. ff.*
de fer. juncta gloſs. *in ver. Ortus*; unde non immeritò Petrus
Antibolus *in tract. de muner.* §. 4. *num.*17. *inter tract. com-
mun. vol.*11. *fol.*66. [Dummodo, inquit, ſolemnitas con-
ſueta ſervetur, ut quia in Eccleſia ante Altare ille, qui
facit, eum oſculetur, & cùm percutiat in maxilla, &
enſem ei cingat, & calcaria ſibi calcientur, miles eſt.]
11 Quo fit, ut ſecundum Bald. *in proœm. Decretal. in verb.
Gregorius*, *num.*43. portans publicè militarem enſem, &
ſ[?]calcaria deaurata, miles præſumatur.
12 Tertiò. Speciale eſt in Principe, qui ſolutus eſt legibus,
ut ſolo verbo creare poſſit doctorem, vel militem, dicen-
do *eſto doctor*, vel, *eſto miles*, ut notat Angel. *in l.* 2. *num.*
1. *C. de crimin. ſacrileg. & in l.* 1. *num.*2. *verſ. Et eadem ra-
tione*, *Cod. de ſent. paſſ.* Ergo inferiores, qui jure commu-
ni ſunt adſtricti, hoc non poſſunt, *l. Jus ſingulare*, *& l. Quod
verò contra*, *ff. de legibus*, ſed tenentur ut ſolemnitate
cinguli ad præſcriptum dictæ legis *Filius familias*, *ff. de mi-
lit. teſtam.*
13 Quartò. In milite inermis militiæ, inſigna doctora-
lia, videlicet liber, & infula ſunt de ſubſtantia doctora-
tus; tunc enim Doctor quis efficitur, & accipit poteſta-
tem docendi, cùm à perſona legitima accipit librum, cum
verbis, *Accipe librum*, *&c.* ergo, & in milite armatæ mi-
litiæ inſignia militaria, ſcilicet cingulum, eſt de ſubſtan-
tia gradus militaris: quo argumento præclarè utitur Bald.
14 loco proximè citato *num.* 41. *&* 42. Exemplo Imperato-
ris, qui non dicitur graduatus, niſi poſtquam coronantem
receperit infulam, ut *l. Bene à Zenone*, *C. de quadriennal.
præſcription.* nam ſine corona Imperialis majeſtas non co-
ruſcat, ut *l.* 1. *C. de auro coronario*; licet Bald. in ſolutione
quæſtionis dicat [Si non eſt inſignitus, aliis inſignia trade-
re non poteſt] ad quod allego bonum textum in *cap. Dai-
bertus*, 1. *q.*7.
15 Quintò. Valet argumentum à milite cœleſtis militiæ
ad militem armatæ militiæ, gloſ. 2. *in l. Milites*, *C. de lo-
cat. & conduct.* Everard. *in loco à milite armatæ militiæ*;
ſed in milite cœleſtis militiæ, id eſt in Clerico, traditio in-
ſtrumenti ad ejus Ordinem ſpectantis: ita eſt de ſubſtan-
tia, ut ea omiſſa character Ordinis non imprimatur, ut
eſt diffinitum à Concilio Florentino in decreto fidei Euge-
nii IV. §. 5. *verſ. Sextum Sacramentum*, *tom.* 4. *Concilior.
part.* 1. *pag.*614. *col.*2. Ergo eodem modo in milite armatæ
militiæ traditio inſtrumenti, ideſt cinguli, eſt de ſubſtan-
16 tia, adeo ut ea omiſſa, ordo militaris non conferatur. Ad
hoc text. optimus *in cap. Si quis*, ibi, *militaverit*, *& chlamy-
dem ſumpſerint*, *aut cingulum*, 51. *diſtinct.* ubi Gemin. &
Præpoſ. *num.*1. notant, per quæ ſigna, & actus quis dica-
tur promoveri ad militiam ſæcularem, videlicet per chla-
mydis, & cinguli dationem.
17 Sextò. Tunc deſinit quis eſſe miles, cùm cingulum mi-
litiæ deponit, vel eo ſpoliatur. Primum patet ex Conci-
Nicæno *Can.*12. ibi, *cingulum militiæ depoſuerunt*: ideóq;
Ludovic. Lacerda *in adverſar. Sacriſ. cap.* 146. *num.* 16. *in
martyrio Marcelli Centurionis die* 30. *Octobris*, obſervat ſic
eum loquutum fuiſſe Tyranno: *Si talis eſt conditio mili-
tantium*, *ut Diis*, *& Imperatoribus ſacra facere compellan-
tur*, *ecce proiicio cingulum*, *& militare recuſo*. Hæc ille: ſe-
cundum ſimiliter patet, quia miles cùm degradatur, inſi-
18 gniis militaribus exuitur, *l.* 2. §. *Ignominia*, *ff. de iis*, *qui
notantur infam.* & præcipuè cingulo, ut in hoc cap. ibi,
ſua militia cingulo careat, ubi gloſs. *in ver. cingulo*, & Ho-
ſtien. *num.* 3. dicunt militem deponi à dignitate ſua, ſeu
19 exauthorati, ſicut Clericum: quo fit, ut ſi hoc cingu-
lo ſpolietur, perdat omne militiæ privilegium, ut dicunt
Lucas de Penna, & Caſſan. ſupracit. *num.* 3. Si igitur per
cinguli depoſitionem, ſeu ablationem miles eſſe deſinit;
eodem modo per cinguli ſuſceptionem eſſe incipit: nam

omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſ-
ſolvitur, *cap. Omnis*, 27. *queſt.*2. *cap.* 1. *infra de reg. iur.* quo
argumento in terminis noſtris utitur gloſs. *in d.* §. *Ignomi-
niæ*, *in ver. Efficit*, & Bald. *in proœm. Decretal. in verb. Gre-
gorius*, *num.*41.
Septimò. Ad prædictorum corroborationem ponderan- 20
dus eſt textus ſingularis in materia in *cap. Degradatio de
pœn. lib.*6. ubi diſertis verbis cavetur: *ut actualis*, *ſive ſo-
lemnis cœleſtis militiæ militis*, *id eſt Clerici degradatio fiat
ut exauthoratio eius*, *qui militiæ deſervit armatæ*, *cui mili-
taria detrahuntur inſignia*, & mox ſubjicitur, *ut Clericus
degradandus habeat in manibus*, *librum*, *vas*, *vel aliud
inſtrumentum*, *ſeu ornamentum ad Ordinem ſuum ſpectans*,
eique Epiſcopus ſingula ſive ſint veſtes, *calix*, *liber*, *ſeu
quævis alia*, *quæ illi in ſua ordinatione fuerint tradita*, *ſin-
gulariter auferat uſque ad primam veſtem*, *quæ datur in
collatione Tonſuræ*. Hæc ibi: ex quo textu patet in 21
gradibus conferendis, aut auferendis pari paſſu ambulare
cœleſtis, & armatæ militiæ milites, & inſignia, ſeu in-
ſtrumenta in utriſque eſſe de ſubſtantia, cùm per illorum
traditionem, & detractionem gradus conferantur, & au-
ferantur, quod clarè adnotavit Bald. *d. num.*41. dicens: *Si-
cut quis degradatur per inſignia*, *ita è converſo graduatur per
inſignia*.
Ultimò, aliis omiſſis idem ſuaderi poteſt, quia in mili- 22
te Regulari habitus videntur eſſe de ſubſtantia profeſſio-
nis, ut deducitur ex Pontificali Romano *in rubrica de
creatione militis Regularis*, quæ eſt rubrica ultima *lib.*1. ubi
ſic legitur: *Cùm Summus Pontifex committit aliquem
creari in militem Ordinis militaris*, *Pontifex*, *cui creatio
huiuſmodi commiſſa eſt*, *in primis imponit ei habitum illum*,
quo milites illius Ordinis, *quem intendit profiteri*, *uti con-
ſueverunt*: *deinde recipit ab eo adhuc genuflexo profeſſio-
nem per tales emitti ſolitam votorum*, *ſecundum illius Or-
dinis inſtituta*. Hactenus verba Pontificalis, quæ ſatis
videntur innuere, ſuſceptionem habitus eſſe ſubſtantia-
lem ad conſtituendum militem Ordinis militaris, ſicuti
eſt profeſſio, cùm per hæc duo miles creetur, & in eſſe
producatur, ſecundum ea quæ dicta ſunt ſupra in a. *argum.
num.*7. Ergo & cinguli ſuſceptio videtur eſſe ſubſtantialis; 23
cùm cingulum veniat appellatione habitus, ſeu veſtis, ut
l. Veſtis, juncta gloſ. *in verb. Præcingendi*, *ff. de aur. & ar-
gent. legat.* Hæc de jure communi.
Circa ſecundum, id eſt ex ſtatutis Religionis Hieroſoly- 24
mitanæ, multò clariùs deduci poteſt cingulum eſſe de ſub-
ſtantia profeſſionis in gradu militum: nam ſtatutum ſe-
cundum de *recept. fratr.* diſponit per hæc formalia verba,
videlicet: *Chi dimanderà d'eſſere ricevuto alla profeſſione
dell'Ordine noſtro in grado di Cavaliero*, *prima che pigli
l'habito*, *e faccia la profeſſione*, *è neceſſario*, *che ſia ornato
del cingolo della militia*; *e però ſe da alcun Principe Catto-
lico*, *ouero da altro*, *che habbia autorità di concedere il grado
di Cavalleria*, *non haurà ottenuti gl'ornamenti della militia
dal Fratello Cavaliero dell'Ordine noſtro*, *che riceverà la
ſua profeſſione*, *overo da alcun'altro Fratello Cavaliero del-
l'iſteſſa militia riceva gl'ornamenti ſecondo la conſuetudine*,
che s'oſſerva nel concederſi la militia; *e finalmente con l'or-
dine ſudetto faccia la profeſſione*. *Però i Capellani*, *i ſerven-
ti d'armi*, *e d'officio non è neceſſario ornargli di tali inſegne
militari*.
Primò enim verba illa, *è neceſſario*, videntur formam 25
ſubſtantialem inducere: nam in gradibus, ſeu Ordinibus
conferendis omnia illa, de quibus non conſtat utrum ſint
de ſubſtantia, vel non, inveniuntur tamen in jure, ut de-
beant fieri, intelliguntur eſſe de ſubſtantia, & hoc pro re-
gula conſtituit S. Raymundus *in Summa lib.* 3. *de ætat.
ordinand.* §. 11. incip. *Quid ſi aliqua*, *verſ. Ad hoc varia*,
Gofred. *in summ. tit. de ætat. & qualit.* §. *Unctionem autem*,
Hoſtien. *in ſumm. tit. de ſacr. unct.* §. *A quo*, *verſ. Conſilium
tamen eſt*, Archidiacon. *in cap. Quorundam*, *ſub num.* 3.
diſtinct. 23. Henrich. Boich. *in cap. final. num.* 3. *ſupra de
Sacram. non iterand.* Hoſtien. Joan. Andr. Butr. Cardin. &
omnes in *in cap. unico*: & ibi dixi *num.*8. *&* 9. *ſupr. de Sacr.
unct.* Et in ſpecie ex verbis neceſſitatem deſignantibus for- 26
mam ſubſtantialem induci ſcripſerunt Signorol. de Homod.
*conſ.*87. *num.*4. *&* 5. & reddens rationem, quia deficienti-
bus neceſſariis, actus evidenter corruit, Albert. Brun. *in
tract. de form. tit. Quando aliquid cenſeatur traditum pro for-
ma fol.*34. *concl.*4. *poſt med. ver. Et ſecundum Signorol.* Socin.

Digitized by Google

ſen. conſ. 283. *num.* 2. *lib.* 2. *& conſ.* 92. *num.* 14. *&* 15. *lib.* 4.
Pariſ. *conſ.* 19. *n.* 19. *lib.* 2. Bertazzol. *conſ. crimin.* 83. *n.* 1. Pe-
regrin. *conſ.* 99. *num.* 20. *&* 21. *lib.* 5.

27 Nec refert, quod neceſſarium quandoque exponatur,
ideſt utile, & expediens, gloſ. *fin. in Clem.* 1. *de procur.* gloſ.
in l. 1. *in verb. Neceſſarium, ff. ſolut. matrim. & in l.* 1. *in*
verb. Neceſſe, ff. de offic. Præfect. Prætor. & quandoque ſi-
gnificat commoditatem, & honeſtatem, gloſ. *penult. in cap.*
Omnis, 21. *quæſt.* 4.

28 Quoniam id contingit non ex proprietate vocabuli, à
qua in dubio non eſt recedendum, *l. Non aliter, de leg.* 3.
Calder. *conſil.* 24. *poſt princ. de præbend.* ſed quia hoc
verb. quandoque improprietatur propter ſubjectam mate-
riam, ut notat gloſ. in Clemen. *Attendentes, in verb. De-*
beant, de ſtat. Monach. ubi ait illud verb. *Debeant*, eſſe
præcepti, & neceſſitatem importare, & ſi quandoque
ſapiat honeſtatem, illud eſſe ſpeciale: & ſequitur Abb. *in*
cap. 1, *num.* 7. *infr. de deſponſat. impuber.* & Felin. *in cap.*
Nam concupiſcentiam, num. 6. *ſupra de conſtit.*

29 Itaque neceſſitas ſuſcipiendi cingulum, de qua loqui-
tur dictum ſtatutum ſecundum, non videtur ad benè eſ-
ſe, vel ſecundum quid, ſed ſubſtantialis, & præciſa: &
quidem meritò, quia S. Religio Hieroſolymitana à pri-
mæva ſua fundatione, non tantùm ad hoſpitalitatem, ſed
etiam ad militandum pro Fide fuit inſtituta, ut conſtat
ex ſtatuto ſecundo, tit. de reg. & cingulum inſtituit, ut eſſet
conſtitutivum gradus, & Ordinis militaris, ideòque cùm
Magnus Magiſter vult ex gratia transferre ſervientem ad
gradum militis, ſola cinguli traditione citra ullam aliam ſo-
lemnitatem id præſtat.

30 Sed quatenus verba illa ſtatuti, *è neceſſario*, formam
ſubſtantialem non inducerent, negari tamen non poteſt,
quin ex proprietate vocabuli deſignent præceptum, &
obligationem, *ut cap. Quiſquis præceptis*, 14. *quæſt.* 1. ibi,
quod imperatur neceſſe eſt fieri: nec non ibi, *ubi præceptum*
neceſſitas eſt ſervientis, cap. Domino Sancto, 50. *diſtinct.*
& ibi gloſ. *in verb. Neceſſe*, & Archidiacon. *num.* 1. Felin.
in d. cap. Nam concupiſcentiam, num. 5. *&* 6. *de conſtitut.*

31 Quotieſcumque autem lex, vel ſtatutum præcipit, aut
prohibet aliquid fieri, actus in contrarium geſtus eſt ipſo
jure nullus, etiamſi lex, vel ſtatutum non procedat ulte-
rius ad irritationem actus: caſus eſt in *l. Non dubium*, ubi
Bart. *num.* 2. Bald. *eodem num. in* 4. *notab. & num.* 11. Jaſon.
num. 4. & communiter Legiſtæ, *C. de legibus;* unde non
eſt vis. An verba ſtatuti, *è neceſſario*, importent formam,
vel præceptum, quia utroque modo irrita eſt profeſſio fa-
cta ſine prævia traditione cinguli, contra illius ſtatuti di-
32 ſpoſitionem. Quæ regula maximè procedit in his, quæ
habent perpetuam cauſam prohibitionis, ut hoc caſu gloſ.
unica, in cap. Vides, 10. *diſtinct.* Abb. *in cap. Ad Apoſto-*
licam, num. 11. *de regular.* poſt Joan. Andr. *ibidem num.* 3. *in*
verb. Obtineat: nec audiendus eſt Gabriel Vaſquez *in* 1. 2.
diſput. 165. *cap.* 2. dicens illam *l. Non dubium*, cùm ſit Ju-
ris Cæſarei non habere locum in Religioſis, & perſonis
33 Eccleſiaſticis ab eo exemptis: imò nec in Regnis Hiſpaniæ,
& Franciæ; quoniam non ita loquutus fuiſſet, ſi advertiſ-
ſet legem illam eſſe canonizatam in *cap. Imperialis* 25. *q.* 2.
ut ibi per Archidiacon. *in verb. Conſtitutione*, ad idem *cap.*
Ne nimia, de Religioſ. domibus, cap. unico in princip. eodem
tit. lib. 6. *cap. Quæ contra ius, de regul. iur. eod. lib.* Præter-
34 quamquod etiamſi *dict. l. Non dubium*, non eſſet ſpeciali-
ter canonizata, adhuc tamen obligaſſet omnes; quia jus
canonicum ſtatuit, ut in his, in quibus non eſt contrarium
expreſsè diſpoſitum per Sacros Canones, ſervetur jus civi-
le, ut *in cap.* 1. *de nov. oper. nuntiat.* & ibi omnes interpre-
tes. Suarez *de legibus lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 3.

35 Deinde ponderanda ſunt verba illa prædicti ſtatuti ſe-
cundi de *reſcript. fratr. Prima che pigli l'habito, &c.* nec
non illa, *e finalmente con l'ordine ſudetto, &c.* Nam ordo
datus per prius, & poſterius cenſetur datus de forma,
cap. Quia propter, de elect. cap. final. de reſtit. ſpoliat. &
cap. Cum dilecta, & ibi Felin. *num.* 6. *verſ. Sextum ſignum*,
ubicumque eſt prius, & poſterius, ibi eſt ordo, *de reſcript.*
& voluit Bald. *in l.* 1. *num.* 8. *verſ. Ex dicto ergo Roffredi,*
C. Ne liceat tertio provocare, Rota *deciſ.* 167. *n.* 6. *part.* 2. *rec.*
Idemque in verbis præcipientibus aliquid fore præmitten-
dum, antequam fiat actus, tradiderunt Signorol. *conſil.*
153. *num.* 3. Brun. *in tract. de forma, tit. Quando aliquid*
cenſeatur traditum pro forma, fol. 34. *concluſ.* 4. *in fin.*

Menoch. *conſ.* 695. *num.* 15. & in terminis quod conſtitutio 36
ſtatuens non aliter ad Religionem aliquos eſſe admitten-
dos, niſi prius facta diligenti inquiſitione de qualitatibus
profitentis, inducat formam, ita ut ea non ſervata actus
ſit nullus, firmavit Rota *in Toletana profeſſionis* 27. *Fe-*
bruarii 1595. coram Cardinali Panfilio ſeniore, impreſſa
apud Garziam *de beneficiis part.* 9. *cap.* 2. *num.* 330. *verſ.*
Neque obſtat. Et eſt ratio, quia forma in actibus hominum 37
nil aliud eſt, quam partium ordinatio, ſecundum prius, &
poſterius, ut dicunt Bald. *in tract. de iure Prothomiſ. nu.* 15.
in fin. Tiraquel. *de tract. lignag.* §. 36. gloſ. 2. *num.* 26. *ad*
medium.

Nec obſtat ſi dicatur: cùm traditio cinguli debeat præ- 38
cedere profeſſionem, non poteſt cenſeri de forma ſubſtan-
tiali ipſius profeſſionis, quia quæ ſunt de forma ſubſtan-
tiali actus, debent ſimul, & contemporaneè cum actu ex-
plicari, Jaſ. *in l. Univerſa num.* 10. *C. de prec. Imper. offe-*
rend. ubi quod totus mundus ſequitur hanc doctrinam
Paul. de Caſtr. *conſ.* 292. *col.* 2. *in fin. & col.* 3. *in princ. lib.* 2.
Felin. *in d. cap. Cum dilecta, num.* 4. *verſ. Quartum ſignum,*
de reſcriptis.

Id inquam non obſtat, quoniam verba illa ſtatuti, *ſia or-* 39
nato del cingolo della militia, non ſunt accipienda materia-
liter tantùm pro nuda cinguli ſuſceptione, ſed formaliter,
prout cingulum deſignat gradum militiæ, ut obſervat Fran.
Menen. *de equeſtri, ſeu militari Ordin. Symbol. in cap. De*
form. veter. & nova creandi equites, fol. 4. *verſ. Hinc cingulo;*
itaut ſi ſenſus, ut ante habitus ſuſceptionem debeat eſſe
conſtitutus in dignitate, & gradu militari, in quo quidem
gradu tunc conſtituitur, cùm enſe, vel Baltheo præcingitur.
Gradus autem militiæ per cingulum ſemel ſuſceptus ſem- 40
per durat, & ſemel miles ſemper remanet miles, quamdiu
non eſt exanthoratus, ut hic patet, & in *cap. Degradatio,*
§. *Actualis de pæn. lib* 6. atque ita dignitas militaris, de qua
loquitur ſtatutum in ſenſu formali, eſt contemporanea cum
profeſſione regulari, quia vera eſt aſſertio: hic qui profite-
tur, modo eſt actu miles; ſicut in ſimili Ordo Epiſcopalis
requirit ex neceſſitate conſecrationis ut ordinandus ſit
actu Sacerdos, ut ex communi Canoniſtarum ſententia
ſcripſi in *cap. Tuæ litteræ, n.* 6. *de Cleric. per ſalt. promot. &*
in c. 1. *Maxime n.* 81. *de ordin. ab Epiſcop.* & tamen ſatis eſt,
ut multò antè ſuſceperit Ordinem Presbyteratus, quia cha-
racter ſemel impreſſus ſemper remanet, *cap. Quod quidam*,
1. *q.* 1. Præterquamquod non eſt abſurdum ut pro forma
induci poſſit etiam aliquod præambulum, ut per Signorol. 41
conſ. 115. *n.* 3. & Roman. *conſ.* 236. *n.* 8. *verſ. Tertiò*.

Ulterius obſervandum eſt hoc caſu profeſſionem non 42
fuiſſe factam in manibus Superioris Regularis, qui de
jure communi poteſtatem habet incorporandi Religioni,
cap. Nulla, 18. *quæſt.* 2. Abb. *in cap. Cum Eccleſia Vul-*
terana, num. 9. *verſ. Prædicta procedunt, de elect.* & nota-
tur *in cap. final. de reg. lib.* 6. Sed omiſſa fuit in manibus De-
legati Apoſtolici, qui per litteras Papales habebant com-
miſſionem limitatam, & modificatam cum clauſula *ſerva-*
tis ſervandis: & cùm negari non poſſit quin ſolemnitas 43
cinguli ſervanda eſſet ex ſtatuto Religionis, utique ea non
ſervata, profeſſio nullam habuit roboris firmitatem; quia
quotieſcumque datur alicui poteſtas, ſeu mandatum ad
aliquem actum explicandum cum certis conditionibus,
ſeu modificationibus, actus geſtus illis non ſervatis eſt
ipſo jure nullus, etiam ſi conditiones illæ aliàs non eſ-
ſent ſubſtantiales: hæc eſt theorica gloſſæ notabilis in
Clement. 1. *in verb. Inhibentes, verſ. Sed quæro, de iur.*
patron. quam ſequuntur Ancharan. *in cap. Statutum*, §. *fin.*
verſ. Adverte, de reſcript. lib. 6. Abb. *in cap. Ex parte,*
num. 5. *de conſtitut.* & ibi etiam Felin. alios cumulans *n.* 1.
verſ. Secunda limitatio, Roman. *conſ.* 203. *Quoad primum,*
n. 7. & in terminis quod ubi à principio conceditur poteſtas
limitata alias non habenti recipiendi ad profeſſionem, re-
ceptio eam poteſtatem excedens ſit nulla, quamvis non ad-
ſit decretum irritans, probant noviſſimè Thomas Sanchez
ſuper Decalog. lib. 5. *cap.* 4. *num.* 26. Suarez *de Religione tom.*
3. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 4. *verſ. At vero ſi Religio*, & ante eos
Lapus *alleg.* 86. *num.* 2. *ante fin. verſ. Item ex quo Religioſi, &*
duobus ſeqq.

Quare non immeritò Vicecancellarius Religionis te- 44
nuit prædictum Equitem deſcribere inter milites profeſ-
ſos ob eam rationem, quia ex inſtrumento ejus profeſ-
ſionis non apparebat eum fuiſſe ornatum militiæ cingulo,
& Ma-

Digitized by Google

& Magnus Magiſter mandavit eidem Vicecancellario, ut fidem traderet cum expreſſione cauſarum, ob quas noluit prædictum inſtrumentum regiſtrare: & ita intrat *ſtatutum* 31. *in tit. de recept. Fratr.* quo præcipitur, ut profeſſi
45 extra Conventum deſcribantur in matricula, alioquin pro Fratribus non habeantur, nec privilegiis fruantur. Quod etiam eſt juri communi conſonum, ut *l. Ex eo tempore, ff. de militar. teſtam.* ibi: *Qui nondum in numeris ſunt, licet etiam electi tyrones ſint, & publicis expenſis iter faciant, nondum tamen milites ſunt*, & notat Alexand. plurimos cumulans in *l. Centurio, num.* 23. *ff. de vulgar.* ubi ait militem non matriculatum cenſeri tanquam privatum, ſeu paganum.

46 Circa tertium quatenus profeſſio non eſſet nulla in vim dicti ſtatuti ſecundi *de recept. fratr.* extat tamen ordinatio prima eod. tit. edita in Capitulo Generali anno 1603. cujus hæc ſunt verba: *Ne de cætero tam in conventu, quàm extra aliquis ad habitum noſtrum ſuſcipiendum alio quocumque modo, gradu, ſeu denominatione admittatur, niſi in tribus diſtinctis gradibus declaratis in ſtatut.* 2. 29. *&* 30. *de recept. fratr. Factis & exhibitis probationibus nobilitatis, & legitimitatis reſpectivè bonis, & validis, juxta dictorum, & univerſam aliorum ſtatutorum formam & tenorem, decernentes quodcumque ſecus faciendum ita nullum fore, ut ſemper de invaliditate ac nullitate profeſſionis impugnari poſſit, & juſtitia mediante non canonicè admiſſi ad habitum dimittendum, cogi poſſint, & debeant.* Hactenus verba ordinationis, quæ cùm habeant explicitè decretum irritans, & non ſolum reſpiciant admiſſionem ad profeſſionem; ſed etiam modum admiſſionis, ut patet ibi, *alio quocumque modo*, & relationem habeant ad ſtatutum ſecundum, in quo præſcribitur ſolemnitas
47 cinguli: conſequens eſt, ut hujuſmodi ſolemnitas ſit ſubſtantialis, quia nemini dubium eſt, quin decretum irritans formam ſubſtantialem inducat, Felin. *in cap. Cum dilecta, num.*6. *verſ. Quintum ſignum, de reſcript.* Rota *diverſ. deciſ.* 215. *num.* 7. *ad med. part.* 1. Card. Mantic. *deciſ.* 286. *num.* 2. *& ſeqq.* Gregor. XV. *deciſ.* 384. *num.* 9. Burat. *deciſ.* 479. *num.* 4.

48 Nec refragatur, quod prædicta ordinatio fuerit facta à 16. Capitularibus, qui facultatem non habent decernendi contra ſtatuta Ordinis, ut dictum fuit *deciſ.* 303. *nu.* 22. *& ſeqq. part.* 7. *recent.* & quod ordinationes hujuſmodi ſint
49 temporales, & durent tantum uſque ad novum Capitulum Generale, ut in *ſtatut.* 3. *de verb. ſignific. & in deciſ.* 109. *num.* 1. *part.* 7. *recent.* ubi amplius fuit dictum hoc procedere etiam ſi contingat has ordinationes à Sede Apoſtolica confirmari, quia hoc intelligitur cum eadem qualitate temporali, idemque habetur in *deciſ.* 458. *num.* 3. *part.* 3. *recent.*

50 Nam reſpondetur contrarium conſtare ex Bulla Pauli V. confirmatoria earundem ordinationum, qua ſtatutum eſt, ut vim habeant donec revocatæ, abrogatæ, vel immutatæ non fuerint per ſtatuta Capitula Generalia, quod hoc caſu factum non legitur; ideòque ſemper durant, quamdiu non revocantur, & eſt communis opinio, ut atteſtatur Felin. *in cap. Ex literis, num.* 10. *verſ. Eſt maius dubium, de Conſtitut.* & Dec. *conſ.* 108. *Iſta videtur quedam nu.* 4. *& in fin.*

51 Itaque cùm ſolemnitas cinguli ſit de forma, neceſſariò ſequitur, ut ea non ſervata, profeſſio ſit ipſo jure nulla, *l. Iulianus, §. Si quis, C. Ad exhibendum, l. Cum hic, §. Si prætor, ff. de tranſact. l. Conſtitutionibus, in fin. ff. Ad municipal. l.* 1. *C. de præd. Decurion. lib.* 10. *cum concordant.* gloſs. *in cap. Cum dilecta, in verb. Irritum*, & ibi Abb. *n.* 4. Felin. *num.* 6. & communiter DD. *de reſcript.* Forma enim etiam in minimis ſervanda eſt, alias actus eſt nullus, Butr. *in cap. Piſanis, num.* 9. *in fin. de reſtitut. ſpol.* Felin. *d. cap. Cum dilecta, num.* 10. *verſ. Amplia decimo*, Marſil. *conſ.* 65. *num.* 12. Socin. jun. *conſ.* 467. *num.* 13. *& ſeqq. lib.* 2. Dec. *conſ.* 532. *num.* 5. Roland. *conſ.* 72. *nu.* 58. *lib.* 3. Rimin. jun. *conſ.* 467. *num.* 13. quam regulam pluribus exornat Lancel-
52 lot. Gallia. *conſ.* 31. *nu.* 14. *& plurib. ſeqq.* Et in dubio omnis forma à jure tradita cenſetur ſubſtantialis, & de eſſentia actus, ut Bald. inquit in *l. Comparationes, num.* 8. *C. de fid. inſtrum.* & ſequuntur Decius *conſ.* 110. *num.* 6. *verſ. & forma tradita*, Decian. *conſ.* 72. *num.* 20. *lib.* 2. Rimin jun. *d. conſ.* 467. *num.* 8. Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 36. *gloſ.* 2. *num.* 29.

Ex prædictis conſtare videtur cinguli ſuſceptionem in Ordine Hieroſolymitano eſſe de ſubſtantia profeſſionis in gradu militum: ac proinde profeſſionem expreſſam, ut præfertur emiſſam non valere.

Ex hoc autem neceſſariò ſequitur, ut nec intret profeſ- 53
ſio tacita, quia cùm Eques prædictus militiæ cingulum nunquam ſuſceperit, ſi defectus hujuſmodi obſtitit profeſſioni expreſſæ, quæ eſt profeſſio vera, longè magis obſtitit tacitæ, quæ eſt præſumpta, cùm tacitum non poſſit operari pluſquam expreſſum, *l. Cum quid, ff. Si certum petatur*, & ita in hac materia firmant Philipp. Prob. *ad Monach. in cap.* 1. *num.* 4. *de Regular.* Socin. & alii complures, quos citat Sanchez *ſuper Decalog. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 14. *&* 18. Ideòque in Bulla declaratoria Conſtitutionis Sixti Quinti contra illegitimos, quæ incipit, *Ad Romanum*, §. 13. *in* 2. *declarat. in Bullar. tom.* 2. *pag.* 604. ſic legitur: *Sed cùm eadem ratio vigeat in tacita profeſſione emittenda, quæ militat in expreſſa, ſtatuimus, quod in quibusvis Ordinibus, & Religionibus neque etiam tacita profeſſio quorumcumque Religioſorum induci poſſit, nec inducta intelligatur, niſi in receptione Conſtitutionis forma ſervata fuerit.* Et eadem ratione decreta Clementis VIII. quæ irritant profeſſionem emiſſam in conventu non deſignato ad recipiendos Novitios, impediunt etiam profeſſionem tacitam, ut fusè probavi in *cap. Perlatum, num.* 23. *& ſeq.* ſupra de iis quæ vi, metusvè cauſa, ubi etiam poſui alia exempla his ſimilia. Et eo magis, quia hæc ſolemnitas cinguli inducta eſt ex ſtatutis ordinis à Sede 54
Apoſtolica confirmatis, ſuper quibus ſolum Generale Capitulum poteſt diſpenſare, ut expreſsè legitur in Bulla Pauli V. confirmatoria ordinationum ipſius Religionis.

Quibus accedit, quod hoc caſu videtur defuiſſe conſen- 55
ſus tum Religionis, qui ſecundum omnes neceſſariò exigitur ad inducendam tacitam profeſſionem, Card. *in cap. Porrectum in fin. de regul.* Abb. *in cap. Vidua, num.* 5. *eodem tit.* Silveſt. *in verb. Religio*, 3. *quæſt.* 19. *in princ.* Tabien. *in verb. Novitius, q.* 5. *nu.* 6. Navar. *comm.* 4. *de regul. n.* 73. *&* 74. cùm Religio integro ſexennio noluerit dictum Equitem uti profeſſum agnoſcere, nec in albo profeſſorum deſcribere: tum etiam ipſius Equitis, qui tamquam miles præſumitur ignoraſſe diſpoſitionem juris inducentis tacitam profeſſionem ex ſuſceptione habitus, & actibus profeſſorum: & hæc tacita præſumptio ſufficit ad excluden- 56
dam tacitam profeſſionem, ut noviſſimè firmavit Rota *in Vlixbonen. Profeſſionis* 10. *Decembris* 1646. *verſ. Nulla adeſt ratificatio in fine*, coram Arguelles his verbis: [Ex geſtatione habitus, & actibus ſolis profeſſis convenientibus non inducitur profeſsio, niſi ſcit per hoc tacitam profeſsionem facere, quia miles in ignorantia juris comparatur mulieri.]

Sed his minimè obſtantibus dicendum eſt, cingulum 57
nullatenus eſſe de ſubſtantia profeſſionis militaris, ſive ſpectemus jus commune, ſive ſtatuta, vel ordinationes Religionis Hieroſolymitanæ. Nam quod attinet ad jus com- 58
mune, in Templariis, Hoſpitalariis, & Hieroſolymitanis, quorum ſæpè in jure ſit mentio, ut *in cap. Canonica, infra de ſent. excomm.* & plenè notatur in *cap.* 1. *in gloſ. in verb. Perſolvant, de verbor. ſignificat. lib.* 6. nullibi cautum reperitur, ut ornari debeant cingulo militiæ; & quod non eſt Sanctorum Patrum decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus præſumendum, *cap. Conſuluiſti*, 2. *q.* 5. *cap. Inter corporalia poſt med. verſ. Vnde ſi circa de translat. Epiſcop.*

Jura autem, & argumenta ſupra in contrarium adducta à *num.* 4. non procedunt in milite regulari, ſed in milite ſæculari, qui præcingitur enſe, & calcaribus. Et hanc differentiam agnovit Pontificale Romanum; nam in Rubrica de Benedictione novi militis, quæ eſt penult. *lib.* 1. poſuit 59
hanc ſolemnitatem cinguli, & calcarium; cujus tamen non meminit in ſequenti Rubrica de creatione militis Regularis, ut dictum eſt ſupra *num.* 7. *&* 22. Quinimò cùm in antiquo Pontificali in creatione militis regularis cautum eſſet ut infra, videlicet: *Tunc imponit ei Crucem, ſive Spatham, aut aliud ſignum, ſive habitum illum, quo milites illius Ordinis, quem intendit profiteri, uti conſueverunt.* Poſtea in Pontificali emendato juſſu Clemen. VIII. hæc ſpathæ, ſeu cinguli impoſitio tanquam cæremonia omnino accidentalis, & extrinſeca ad ornatum pertinens meritò fuit prætermiſſa: ut atteſtatur Gaſpar Servantius Sanctiſſimus D. N. Cæremoniarum Magiſter in hæc verba:

*Io infraſcritto faccio fede, che ſe bene avanti la reforma del
Pontificale antico fatta à tempo della ſan. mem. di Clemente
Ottavo era uſanza nel dare l'habito à' Cavalieri regolari, o
di Malta, ò di ſan Giacomo, o di ſan Giorgio, o altri ſimili
avanti di ricevere la loro profeſſione, quando ſi faceva in ma-
no del Papa, e d'altro Delegato Apoſtolico, di crearli Ca-
valieri con le ceremonie di ſpada, e ſproni, regiſtrata nel me-
deſimo Pontificale alla rubrica penultima del lib. primo, per-
che così preſcriveva la Rubrica ultima* de creatione militis
Regularis, *all'iſteſſo lib. primo. E così in conformità ſi tro-
va notato nel libro de' giuramenti, del quale ſi ſervivano i
Maſtri delle Ceremonie di quel tempo, quanto ne i loro Dia-
rii, che ſono appreſſo di me: nondimeno doppo la reforma pre-
detta, perche nel nuovo Pontificale fu in ſpecie reformata la
rubrica* de creatione militis Regularis, *e fu riſtretto l'atto
alla ſola impoſitione dell'habito, e ricevimento di profeſſio-
ne, e fu levata la ceremonia ſudetta di creare li Cavalieri
con ſproni, e ſpada: percio nel libro de' giuramenti, che han-
no uſato da quel tempo in quà i Maſtri delle Ceremonie, o nel-
li Diarii da loro tenuti, che ſi trovano appreſſo di me, è nota-
to la formula di queſt'atto, e l'atto medeſimo ſenza queſta
Ceremonia. Et in queſta conformità ſono ſtato inſtrutto dalla
buon. mem. del Sig. Paolo Alaleona mio Zio, che fu Maſtro
delle Ceremonie ne' Pontificati di Clemente VIII. Leone XI,
Paolo V. Gregorio XV. & Vrbano VIII. e così ho doppo prat-
ticato più volte, &c. Io Gaſpare Servantio Maſtro delle Ce-
remonie di Noſtro Sig. affermo quanto di ſopra mano propria.*

60 Ratio autem differentiæ inter militem ſæcularem, &
regularem ea reddi poteſt, quia cùm miles ſæcularis nul-
lam emittat profeſſionem, neceſſe eſt, ut dignitas militaris
illi conferatur ab habente authoritatem per aliquod ſi-
gnum ſenſibile; & ſic per traditionem cinguli, & calca-
rium, ut notant omnes in *l. penult. ff. Ex quibus cauſ. maior.*
Nam ut inquit S. Thomas *in 4. ſent. diſtinct. 4. art. 2. ad 2.*
cùm qualibet poteſtate exterius datur aliquod viſibile ſi-
gnum illius poteſtatis, ſicut Regi datur corona, & ſce-
ptrum; & Pontifici mitra, & baculus, & annulus. At
verò cùm miles Regularis ſolemnem emittat profeſſionem
à militibus illius Ordinis emitti conſuetam, & per hujuſ-
modi profeſſionem cum impoſitione habitus creetur miles
Regularis, ut in Pontificali meritò ornatus cinguli, ſeu
aliud ſenſibile ſignum ad creandum militem Regularem
non exigitur.

61 Quin etiam ulterius cogitanti verius videtur nec in mi-
lite ſæculari de jure ornatum cinguli eſſe ſubſtantialem,
quod conſtat ex *l. Filius familias, ff. de milit. teſtam.* ubi
dicitur: Filius familias equeſtri militia exornatus, in
Comitatu Principis retentus, cingi confeſtim juſſus eſt:
& ſic primò fuit creatus miles, & tertio loco cingulo mi-
litari præcinctus: & ideò gloſs. *in ver. Confeſtim*, ex eo textu
deducit regulam quam multis ſimilibus exornat videlicet
ſtatim, ſeu proximè cingendus habetur pro cincto; &
Bart. in ſumma illius textus ſimiliter notat haberi pro fa-
cto quod de proximo eſt faciendum, & Lucas de Penna
in l. His quidem, num. 5. C. Qui militar. poſſ. lib. 12. ex ea-
dem lege notat militem paratum accingi, haberi pro ac-
cincto: & ita intelligunt verbum, *confeſtim*, cum aliquo
temporis intervallo, ut *l. 2. §. Confeſtim, ff. ad Tertullian.*
62 Ergo cingulum non poteſt cenſeri de forma ſubſtantiali
gradus militaris, quia tametſi ſubſtantialia actus quando-
que poſſint permitti, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra
num. 41. tamen ſolemnitas, quæ poteſt ſubſequi, nunquam
dicitur de ſubſtantia, vel forma, Bald. *in l. Vniverſa,
num. 2. verſ. Quandoque lex, C. de precib. Imper. offer.* Fe-
lin. *in cap. Cum dilecta, num. 6. verſ. Sextum*, ibi, *quando
vero ſolemnitas, de reſcript.* & latius in *cap. Quoniam in
princ. ut lit. non conteſt.* & ratio eſt evidens, quia implicat
contradictionem, ut actus ſit prius in actu productus, &
poſtea recipiat eſſe à forma, quæ dat eſſe rei, *l. Iulianus,
§. Si quis, ff. ad exhiben.* quia ſic eſſet, & non eſſet, quod
eſt impoſſibile, *l. Vbi repugnantia, ff. de regul. iur.* Itaque
63 ornatus cinguli in milite ſæculari non requiritur niſi
quoad hoc, ut tanquam miles perfectus gaudeat privi-
legiis militaribus: & ita loquitur textus in *dict. l. Filius
familias, ff. de milit. teſtam.* & notat Accurſ. *in l. penult.
ff. Ex quibus cauſ. maior.* dicens ad hoc lex neceſſaria eſſe,
& quarto loco commemorat ut enſe cingatur; & tradit
poſt alios Ripa in *l. Centurio, num. 9. verſ. Prima quia, ff.
de vulg.* & ita etiam intelligi debet ſtatutum 31. *de recep. frat.*
quod non matriculati pro fratribus non habeantur, id eſt
privilegiis non fruantur. Et ideò requiſita gloſsæ *in d. l. pe-* 64
nult. appellat Cæremonias Pariſ. de Put. ſupra citatus *nu. 6.*
nec hodie ſunt proſus in uſu, teſte Afflict. *Ad Conſtit.
Neapol. lib. 1. de illicit. port. armor. num. 29.* ubi in ſpecie
aſſerit hanc ſolemnitatem cinguli tanquam inutilem, &
accidentalem, unam cum aliis eſſe ſublatam, & ſuffice-
re ut miles vacet militiæ ad hoc ut gaudeat militum privi-
legiis. Idemque affirmant *in d. l. Centurio*, Alex. *num. 23.*
& Ripa *d. num. 9.* Ideòque ut adnotavit Franciſc. Mennen.
*de equeſt. ſeu milit. Ordin. Symbol. in cap. de forma veteri,
& nova creandi Equites, fol. 4. verſ. Hinc cingulo*, cum
priſco more in creatione militis ſolemnitas cinguli adhibe-
retur; ideò retenta eadem forma loquendi, dicitur etiam
hodie decorari cingulo qui miles creatur, etiamſi ea ſo-
lemnitas non ſervetur. Quo factum eſt, ut cingulum tranſ- 65
lativè accipiatur pro inſigni cujuslibet dignitatis, etiamſi
enſis non applicetur, ut obſervat Petr. Gregor. Tholoſan.
in ſyntagm. iuris univerſ. cap. 30. num. 13. & patet ex *cap. Ex
antiquis, in princ. 54. diſt.* ubi Clericus dicitur cœleſtis mili- 66
tiæ cingulo præcingi, & tamen Clericus nec enſe accingi-
tur, nec calcaribus, *cap. Quicunque, il ſecondo, 23. q. 8.* Ex 67
multoties in jure cingulum pro dignitate ipſa uſurpatur, ut
*l. 2. C. de metatis, & epidemicis eod. lib. & l. fin. C. de Præ-
poſit. ſacr. Cubicul. d. lib. 12.* & not. gloſſ. in Authen. *Iusiu-
randum*, quod præſtatur ab his, quæ exponit verbum *cinguli*,
id eſt dignitatis.

Nec applicatur ſimile de milite cœleſtis militiæ, quia in 68
collatione Ordinum materia, & forma ſunt de neceſſitate
ſacramenti ex inſtitutione Chriſti, ut dixi in *cap. Cum con-
tingat, num. 3. de ætat. & qualit.* Præterquamquod degra-
datio Clerici ſit etiam per ablationem ornamentorum, quæ
ad ſubſtantiam Ordinis non pertinent, ut *in d. cap. Degra-
datio*, ibi, *veſtimento, ſeu ornamento, de pæn. lib. 6.* & ex
his patet etiam ſolutio ad objecta.

Sed quidquid ſit in milite ſæculari, certè in milite regu- 69
lari, de quo nunc agimus, in jure de hac ceremonia cingu-
li, ut prædixi *num. 58.* nil cautum reperitur; & in univer-
ſis Ordinibus regularibus ſubſtantia profeſſionis conſiſtit
in tribus votis ſolemnibus Obedientiæ, Paupertatis, & Ca-
ſtitatis, *cap. Cum ad monaſterium, §. Nec æſtimet*, juncta
gloſs. *ultim. & cap. Monachi, de ſtatu Monachor.* Clemen.
1. de Religioſ. domib. Concil. Trident. *cap. 1. ſeſſ. 25. de Re-
gular.* Navar. *conſ. 12. eodem tit.* Rota *deciſ. 216. num. 3.
part. 2. diverſ.* Habitus verò ſuſceptio quamvis fiat ſimul, & 70
contemporaneè cum actu profeſſionis, & per manus ejus
qui ad Religionem accepiat, nihilominus quia accidenta-
lis, & extrinſeca eſt profeſſioni, non eſt de ſubſtantia mo-
nachatus: imò valet profeſſio ſine ſuſceptione habitus Re-
ligionis, ut eſt caſus in *cap. Porrectum*, & ibi Joan. Andr.
Butr. Cardin. & omnes *ſupra, de Regular. & in cap. Quia
ingredientibus, de teſtam.* ubi Abbatiſſa declaratur pro-
feſſa, quæ tamen nunquam induit habitum monia-
lium.

Nec refragatur, quin potius ſavet Pontificale Roma-
num ſupracitatum *num. 12.* nam verba illa, *in primis impo-
nit ei habitum, deinde recipit profeſſionem*, apertè oſtendunt
habitum eſſe quid præambulum ad profeſſionem: è con-
verſo autem in hac ipſa Religione ex ſtatuto ſecundo de
receptione Fratrum miles primùm emittit profeſſionem,
deinde recipit pallium cum Cruce, qui eſt habitus pro-
feſſorum; & ita obſervatum fuit in noſtro Equite, qui
prius emiſit tria vota ſubſtantialia, & poſtea habitum
regularem ſuſcepit, ut in inſtrumento ſuæ profeſſionis;
& conſequenter habitus ad ſubſtantiam profeſſionis perti-
nere non poteſt, ut patet ex dictis ſupra *num. 38. & 62.*
Ergo idem dicendum de cingulo, nam, aut volumus mili- 71
tiæ cingulum contineri appellatione habitus juxta textum
in *l. Veſtis, ff. de aur. & argent. legat.* & ſanè ſi habitus
non eſt de ſubſtantia, utique nec cingulum. Aut volu-
mus cingulum eſſe quid diverſum ab habitu (quod verius
videtur, ut patet ex ſtatuto ſecundo de recept. fratrum)
& tunc longè minus poteſt cenſeri ſubſtantiale, cum ſit
ceremonia magis remota, & extrinſeca, quàm habitus re-
gularis. Ideòque ex ſtatuto ſecundo de recept. fratrum or-
natus cinguli præcedere debet habitus ſuſceptionem: &
ita inter alias accidentales cæremonias profeſſionis mi-
litaris in hac ipſa Religione Hieroſolymitana recenſetur
ab Antonio Poſſevino, quem refert Franciſc. Menna in
libel-

libello, cui titulus, *Militiarum Ordinum Origines*, *fol.*
72 33. & in antiquo Pontificali Romano impoſitio Spathæ, ſeu cinguli non præſcribebatur præciſè, ſed alternativè, ut patet ex illis verbis: *Tunc imponit ei Crucem, ſive ſpatham, aut aliud ſignum, ſive habitum, &c.* quod evidenter oſtendit hanc cæremoniam ſemper fuiſſe accidentalem, quia alternativa diſpoſitio non dicitur præciſè alterum continere, §. *Huic autem*, *Inſtit. de action.* Decius in *cap. Inter ceteras*, *in* 3. *notab. de reſcript.* & ſicut habitus non eſt ſubſtantialis, ut oſtenſum eſt ſupra *nu.* 70. ita nec Spatha, cùm omnia ponantur ſub eadem oratione, & verborum ſtructura; ideòque æqualis debeat eſſe determinatio, *l. Iam hoc iure*, §. *Sed ſi*, & ibi Bart. *num.* 1. *ff. de vulgar. & pupillar. cum ſimil.* Hæc de jure communi.

73 Quod autem ſpectat ad ſtatuta hujus Religionis ſimiliter certum eſt eſſentiam profeſſionis conſiſtere in tribus votis ſubſtantialibus: ut ſatis liquet ex *ſtatuto ſecundo de regula*: & quamvis tres ſint gradus in ea profitentium, de quibus in præallegat. *ſtatut.* 2. *de recep. fratrum*, omnes tamen unica forma profeſſionem emittunt, ut *ſtatuto primo de regul.*

74 Tota igitur difficultas reſtringitur ad intellectum dicti *ſtatuti ſecundi de recep. fratrum*, in quo ſcribentes pro Equite potiſſimum ſe fundant, ut cingulum ſit de ſubſtantia profeſſionis, tum ponderando verba, *è neceſſario*, tum ponderando illud prius, & poſterius, *prima che pigli l'habito*, ex quibus contendunt formam ſubſtantialem fuiſſe inductam, ut in argumentis contrarius ſupra à *numero* 25.

Sed pro ſolutione obſervandam eſt hanc rubricam, quod verba neceſſitativa, & ordo datus per prius, & poſterius inducant formam annullativam actus in contrarium geſti, recipere quatuor notabiles limitationes, quæ caſui noſtro apertiſſimè accommodantur.

Limitatur enim primò, ut non procedat quando eadem, vel alia jura dicunt actum valere: ut poſt Tancredum declarat Joan. Andr. in *cap. Ad Apoſtolicam*, *num.* 3. *in verb. Obtinet*, *de regular.* cum quo tranſeunt communiter DD.
75 ut ibi teſtatur Abb. *num.* 11. Hoc autem caſu profeſſionem ex omiſſione cinguli non eſſe nullam ſatis conſtat ex *ſtat.* 24. *de recept. fratrum*, quo cautum eſt, ut infra videlicet: *Chi ſarà ricevuto contro la forma de gli ſtatuti, ſe ſarà Cavaliero, ſia ridotto à Fra ſervente; ſe ſarà Fra Capellano à Frate d'obedienza, e ſe ſarà Frà ſervente d'arme, ſi reduca à Frà ſervente d'officio, e ſia inhabile ad ogni amminiſtra-*
76 *tione di Commende, e beni dell'Ordine noſtro.* Pœna enim hæc ſpecialis utique tollit aliam pœnam annullativam actus, Bald. in *l. Non dubium*, *num.* 28. *C. de legib.* Cardin. in *Clem.* 1. *numer.* 2. *de reſcript.* quod proculdubio locum habet hoc caſu, in quo pœna ſpecialis non ſe compatitur cum pœna nullitatis, ut ibi per Bald. nam ſi profeſſus in gradu militis non ſervata forma ſtatutorum dejicitur non a Religione, ſed ad gradum inferiorem, & redditur inhabilis ad Commendas, utique neceſſariò ſupponitur validè profeſſus; alioquin inepta eſſet inhabilitatio ad Commendas, quæ non dantur niſi militibus profeſſis: nec talis poſſe cogi quacumque auctoritate ad permanendum in Religione in gradu inferiori, quia conſenſus liber eſt de intrinſeca ratione voti, ut dixi in *cap. Tuæ litteræ*, *nu.* 30. *de Cler. per ſalt. promot.*

77 Nec refert, quod hujuſmodi ſtatutum fuerit caſſatum, & abrogatum ab ultimis duobus Capitulis Generalibus anno 1612. & 1631. ut in ordinatione 8. *de recep. fratrum*. Quoniam abrogatio, & correctio facta fuit, quo ad pœnam dejectionis ad gradum inferiorem, ſed illius mens, quoad validitatem receptionis non fuit correcta: & adhuc durat, argum. *l. Eas*, *ff. de cap. diminut.* & notant Joan. Andr. & Gemin. in *cap.* 1. §. *Illum autem*, *in fin. de reſtit. ſpoliat. lib.* 6. nam ſi ante annum 1612. quo prædicta ordinatio edita fuit, verba illa, *e neceſſario*, non importabant formam annullativam actus; & profeſſio contra formam ſtatutorum non erat irrita: utique nec hodie irrita erit, cum nullum ſtatutum novum reperiatur, quod hanc nullitatem induxerit, ad gloſſ. in *in cap. Conſtitutionem*, *in verb. Prorogamus*, *in fin. de reg. lib.* 6.

78 Præterea in ſtatuto primo de receptione fratrum, ubi præſcribitur forma recipiendi novitios ad profeſſionem, ut patet ex rubrica, quæ inſcribitur, *Come devono eſſere ricevuti li fratelli della Religione Geroſolimitana alla profeſſione*; nec verbum quidem reperitur de ornatu cinguli. Imò in ſtatuto ſecundo de regula, ubi fit ſpecialis mentio de gradu militari, ſubſtantialia regulæ dicuntur conſiſtere in tribus votis Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis: ſed de cingulo agitur tantummodo in ſtatuto ſecundo *de recep. fratrum*, ubi tractatur de diviſione graduum, ut conſtat ex illius rubrica, *Della diviſione de' gradi de' fratelli dell'*
Ordine noſtro. Quod eſt argumentum evidens hanc cære- 79
moniam cinguli ad ſubſtantiam profeſſionis non pertinere, ſed ad ornatum, & diſtinctionem graduum dumtaxat; alioquin de illa agendum fuiſſet in ſtatuto præcedenti, qui eſt locus, ubi ſubſtantialia profeſſionis præſcribuntur, argum. *in* 1. *Conſtitut. Codicis*, §. *Quibus*, ibi, *& congruis titulis ſubdere*: ex eo enim, quod aliqua materia ponitur ſub aliquo rubro, judicatur eſſe illius naturæ, cujus eſt rubrum, gloſſ. in *cap.* 1. *in verb. Conſervatores*, *in princip.* *& in cap. Si ſuper gratia*, *in verb. Principalis*, *verſ. Sed executor*, *de offic. deleg. lib.* 6. Everard. *in loco à rubro*, *numer.* 4. *verſ. Tertio*: & ſic verba illa, *e neceſſario*, ſunt intelligenda de illa neceſſitate, quæ requiritur ad diſtinguendum gradum militarem a gradibus Capellanorum; & ſervientium, non autem de neceſſitate requiſita ad valorem profeſſionis.

Limitatur ſecundò: ſupraſcripta theorica, ut locum 80
non habeat in profeſſione, in qua propter gravitatem materiæ ſpeciale eſt, ut lex, vel ſtatutum non cenſeatur tradere formam ſubſtantialem niſi adjiciat decretum irritans, Abb. in *cap. Porrectum*, *num.* 13. *de regul.* Silveſt. *in verb. Religio*, 3. *quæſt.* 1. & 18. *in fin.* Tabiena *in eodem verbo*, *quæſt.* 11. *num.* 12. Azor. *inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 5. *quæſt.* 7. *in fin.* Sanchez alios referens *ſuper Decalog. lib.*
3. *cap.* 3. *num.* 4. Quod procedit etiamſi datus ſit ordo per 81
prius, & poſterius, ut in terminis eſt textus in *cap. Ad Apoſtolicam*, *de regular.* ubi refertur antiquum præceptum negativum ne Monachus fiat ante unius anni probationem, & ita eſt ibi prius, & poſterius; & tamen profeſſio facta in ordinibus non Mendicantium infra annum probationis valida eſt: quia, ut ibi dicitur, multa fieri prohibentur, quæ facta tenent: licèt ſecus ſit poſt Concilium Tridentinum, quia *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de regul.* habet clauſulam decreti irritantis. Ad idem textus in *cap. Si vir, & uxor*, 27.
quæſt. 1. ubi præcipitur, ut ſi vir, & uxor pro ſola religio- 82
ſa vita divertere inter ſe conſenſerint, nullatenus ſine Epiſcopi conſenſu, hoc eſt licentia, id fiat: & ſic eſt etiam ibi prius, & poſterius, cum Epiſcopi licentia debeat ingreſſum Religionis præcedere, & nihilominus ſi conjuges profiteantur hujuſmodi licentia non præmiſſa, tenet profeſſio, ut ibi firmat gloſſ. *in verb. Conſenſu*, Archidiac. *num.* 2. Bellam. & Turrecrem. *num.* 1. & tamen textus utitur dictione illa, *nullatenus*, quæ importat nullitatem actus ipſo jure, ut in *Authent. Si qua mulier*, juncta gloſſ. *in verſ. Nullatenus*, *C. Ad Senatus conſult. Velleian* *Clemen. ultim. cum gloſſ. in verb. Nullatenus*, *de ſequeſtr. poſſeſſ. & in Clem.* 1. ubi gloſſ. *in eod. verb. de ætat. & qualit.* Cardin. in *cap. Super litteris*, *num.* 5. *in fin.* & ibi etiam Andreas Siculus *num.* 82. *verſ. Item etiam*, *de reſcript.*
& habet vim decreti irritantis, Felin. in *cap. Ex litteris*, 83
num. 7. *in* 5. *caſu*, *de conſtitut.* Rota *deciſ.* 24. *num.* 4. *par.*
2. *diverſ.* Ruſus ad idem eſt Concilium Tridentinum in 84
cap. 17. *ſeſſ.* 25. *de regular.* ubi ſtatuitur per prius, & poſterius, ut puella profeſſionem non emittat, antequam Epiſcopus exploraverit ejus voluntatem; & tamen profeſſio facta non præmiſſa hujuſmodi exploratione valida eſt, ut per Menoch. *conſ.* 396. *num. ultim. vol.* 4. & alias cen-
ſuit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii Interpres. Item 85
quamvis in aliquibus Religionibus adſint ſtatuta, ut nullus admittatur ad profeſſionem, qui ſaltem decimum octavum ætatis ſuæ annum non attigerit, vel vigeſimum non expleverit, ut Ordinibus Minorum, & Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, tamen ſi quis ſtatum profiteatur in prædictis Religionibus anno decimo ſexto expleto, profeſſio ex hoc capite non eſt invalida, ut tenent complures ex modernis, argum. d. *cap. Ad Apoſtolicam*, *de regular.* & ſimiliter declaravit Sacra Congregatio Concilii.

Limitatur tertiò, Doctrina Baldi, quod præpoſteratio 86
ordinis vitiet actum, ut procedat tantum in formalibus, & in his, quæ ſunt de ſubſtantia, ut in *cap. Cum dilecta*,

de

de reſcript. l. Prolatam, & ibi Bart. *num.* 4. *C. de ſentent. l. Vt debitum, C. de heredit. act. l.* 2. §. *Si Prius, ff. de vulgar. & pupillar.* Paul. de Caſtro *conſ.* 321. *Viſis actis, numer.* 3. *verſ. Nam præpoſteratio, in his, quæ ſunt de ſubſtantia, vitiat. lib.* 1. Marant. *in proœm. prax. numer.* 5. exemplum in *cap. Quia propter, ſupra de elect.* Primò enim eligendi ſunt ſcrutatores, qui deinde ſcrutari debent vota ſingulorum, mox vota in commum ſunt publicanda, tandem ſequi debet communis electio; & hi actus omnes ſunt ſubſtantiales: unde ſi fiat præpoſteratio, electio non tenet, ut ibi firmant gloſſ. *in verb. Sanior*, Hoſt. *num.* 44. *verſ. Decimum octavum*, Abb. *nu.* 16. *eod. verſ. & nullus diſcrepat*. At verò in aliis actibus, qui ex ſui natura ſubſtantiales non ſunt, ut de ornatu cinguli probatum eſt ſupra, præpoſteratio non vitiat, quia ſi totalis illorum omiſſio actu non obeſt, longè minus præpoſteratio, ut benè per Paul. de Caſtro *conſ.* 232. *in cauſa, quæ vertitur, colum.* 1. *poſt medium, verſ. Non obſtat prædictis, & col.* 2. *lib.* 1.

87 Limitatur deinceps theorica ſuprascripta, ut non procedat quando ſtatuentes, ubi volunt actum eſſe irritum, ex ſtylo apponunt decretum irritans: tunc enim non intelligitur data forma ubi hoc decretum non reperitur, etiam
88 ſi verba ex ſui natura ſint apta formam inducere, quia ſtylus hujuſmodi maximè eſt attendendus ad intelligentiam ſtatutorum. Alex. *conſ.* 116. *n.* 7. *lib.* 6. latè Fel. in *cap.* 2. *col.* 1. *de fide inſtrum.* extat hac de re inſigne exemplum in Conſtitutione Gregorii XV. de Romani Pontificis electio-
89 ne; nam in §. *Matura itaque*, ſtatuitur electionem fieri aliter non poſſe quam in conclavi, & eo clauſo, ac poſt celebratum prima die Sacroſanctum Miſſæ ſolitum ſacrificium, & ſic non modo eſt ibi datus ordo per priùs, & poſteriùs; ſed etiam nec illa verba fieri aliter non poſſe, quæ ex ſui natura formam ſubſtantialem inducunt, ut tradit Felin. in dicto *cap. Cum dilecta, num.* 6. *verſ. Septimum ſignum*, ubi in diſpoſitione dicitur aliter fieri non poſſit, ibi eſt data forma, *de reſcript.* Decius *conſ.* 528. *numer.* 11. Pariſ. *conſ.* 19. *num.* 20. *lib.* 2. & tamen quia forma ſubſtantialis perſtringitur cum decreto irritante infrà in §. *Quod ſi electio*, ubi de Miſſa nulla fit mentio: certum eſt Miſſæ ſa-
90 crificium ad formam electionis non pertinere. Hoc autem caſu ibi ſtatuentes voluerunt actum eſſe nullum, explicitè appoſuerunt decretum irritum, ut conſtat ex *ſtatuto* 22. *&* 57. *de prohibit. & pœn. & ex ſtatut.* 5. 6. 7. 11. 12. *&* 14. *de contract. & alien. & ex ſtatut.* 19. *&* 70. *de commun. atar.* & in materia profeſſionis ex *ſtatuto* 8. *de recept. fratrum:* ubi prohibetur diſpenſatio cum deſcendentibus à Judæis, Saracenis, & Mahometanis in receptione ad habitum, & profeſſionem, & apponitur clauſula decreti. Item ex ordinatione 8. *eod. tit.* ubi ſtatuitur, ut omnes teneantur annum novitiatus peragere in conventu, ibique habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere; & ſimiliter adjicitur decretum irritans: unde ſi in aliis caſibus voluiſſent profeſſionem eſſe irritam, eodem modo id expreſſiſſent, quod cùm non fecerint in dicto ſtatuto 2. *de recept. fratrum*; ſed ſimpliciter dixerint; *è neceſſario, che ſia ornato del cingolo della militia:* utique cenſentur noluiſſe, *cap. Inter corporalia, poſt medium, verſ. Vnde ſi circa, ſu-*
91 *pra de translat. Epiſcop. cum ſimilibus*. Quinimò, quod magis eſt, ex ſtylo ſtatutorum hujus Ordinis verba, *è neceſſario*, ſine decreto irritanti, non inducere nullitatem actus, conſtat manifeſtè ex ſtatuto 17. *de recept. fratr.* ubi ſic legitur: *E neceſſario, che ſi provi autenticamente eſſer stato di Padri tali, che di nome, e d'armi ſiano nobili:* & tamen quia tranſgreſſio hujus ſtatuti tunc temporis non vitiabat profeſſionem, fuit facta ordinatio prima, *eodem tit.* in qua explicitè appoſitum fuit decretum irritans, de quo dubitari non poteſt, quin referatur ad probationes nobilitatis, cùm ſit poſitum immediatè poſt illa verba, *Factis, & exhibitis probationibus nobilitatis, & legitimitatis reſpectivè bonis, & validis*. Et clauſula decreti in fine poſita referri debeat ad omnia præcedentia, ut firmavit Rota in Toletana profeſſionis coram bon. mem. Card. Pamphi-
92 lio ſeniore apud Garziam *de beneficiis, par.* 5. *cap.* 2. *num.* 330. *poſt medium, verſ. Præſertim ſtante decreto:* & præcipuè ad proxima. Si idem cum eodem, *in fin.* & ibi gloſ. *ultim. ff. de Iuriſdict. omn. iudic.*

Ex quibus ſatis, ſuperque conſtat ornatum cinguli ex præſcripto dicti Statuti ſecundi, *de receptiom. fratrum*, non eſſe de ſubſtantia profeſſionis.

Nec relevat objectum, quod Cardinalis Delegatus cum 93
clauſula, *ſervatis ſervandis*, nulliter proceſſerit non præmiſſa cinguli ſolemnitate, ex gloſſa, & aliis ſupracitatis, *num.* 42. Nam reſpondetur primò clauſulam ſervatis ſervandis non referri niſi ad ſubſtantialia, Menoch. *conſ.* 180. *num.* 13. Conrad. *in prax. de ſponſal. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 17. ubi quod ſi Papa committat diſpenſationem ſervatis ſer- 94
vandis, omiſſio denunciationum non vitiat, quia non ſunt de ſubſtantia matrimonii: & alia exempla his ſimilia recenſet Caſtro Palao *de legib. penes tract.* 3. *diſput.* 2. *punct.* 9. *num.* 3. *fol.* 182. *par.* 1. *Oper. Moral.* Rurſus cùm Bre- 95
ve non ſit directum Cardinali, ſed ipſimet parti impetranti, non requiritur verificatio judicialis, nec executor efficitur mixtus, ſed merus, ut in *deciſ.* 302. *num.* 17. *par.* 8. *recent.* Præſertum in litteris gratiæ, in quibus clauſulæ ap- 96
tæ de ſui natura importare executorem mixtum, nihil operatur, niſi adſit clauſula, *vocatis vocandis*. Rota in Romana Primogenituræ 29. Maji 1634.

Tandem, & fortè meliùs reſpondetur, tunc demum 97
delegatum non ſervata forma mandati nulliter procedere, ſi conditiones, & modificationes adjectæ in commiſſione ſint præter jus: Puta Provideas P. in tali Eccleſia ſi de tali Vico ſit oriundus: & in hoc caſu intelligi debent gloſs. & DD. in contrarium citati. Secus verò ſi conditiones hu- 98
juſmodi: de jure in ſint, putà ſi ſit idoneus, vel ſervatis ſervandis: quia tunc non eſt intentio committentis novam formam inducere, ſed tantùm admonere, ut ſerventur ea, quæ de jure, vel ſtatuto ſervari debent: quare iis non ſervatis non irritatur actus, qui alias validus eſſet. Ad quod eſt optima gloſſ. in *Clemen.* 1. *in verb. Repererint, de offic. Delegat.* quæ dicit; clauſulam ſervatis ſervandis, & aliàs conſimiles non ſonare in conditionem, ſed in monitionem, nec dare novam formam mandato, ſed tantùm inſtruere executorem; quàm gloſſ. ſequuntur ibi Cardin. *quæſt.* 13. Imol. *num.* 20. *&* 21. Vitalin. *num.* 36. & concordant Innocent. in *cap. Prudentiam, num.* 9. *verſ. Et ſi contrarium, de offic. Delegat. & in cap. ultim. de præſumption.* & Archidiac. in *cap. Dudum, verſ. In prima gloſſ.* 18. *quæſt.* 2.

Quod demum ſpectat ad ordinationem primam *de recep-* 99
tion. fratr. conſtat evidenter in ea nullum fundamentum fieri poſſe pro invaliditate profeſſionis ex omiſſione cinguli, quia tantùm præcipit, ne quis alio quocumque modo, ſeu denominatione admittatur niſi in tribus gradibus militum, Capellanorum, & ſervientium; & quoad hoc opponit decretum irritans. Unde verba illa, *quocumque modo*, non qualificant niſi modum receptionis extra memoratos gradus, extra quos ordinatio voluit receptionem eſſe nullam, quocumque modo, gradu, vel denominatione fiat. Hoc autem caſu novitius non fuit admiſſus extra illos tres gradus, ſed fuit receptus in grado militum, ut patet ex inſtrumento profeſſionis. Nec relevat objectum, quod ordinatio ſe referat ad ſtatutum ſecundum de receptione fratrum, in quo primo diſtinguuntur gradus, in quibus ſunt fratres recipiendi, deinde ponitur ſolemnitas cinguli: nam reſpondetur hanc relationem fieri tantummodo, quoad primam partem ſtatuti de diſtinctione graduum, ſed non quoad ſecundam de ſolemnitate cinguli: quod patet manifeſtè, quia ordinatio non præcipit, ut receptio ad habitum fiat in tribus gradibus, juxta ſtatutum 2. 29. & 30. Sed dicit, *nullus recipiatur, niſi in tribus diſtinctis gradibus declaratis in ſtatut.* 2. 29. *&* 30. & ſic relationem habet ad ſolam declarationem, & diſtinctionem graduum, non autem ad modum receptionis, quia non emanavit ad præſcribendam receptionis ſolemnitatem, ſed ad determinandos gradus, ut patet ex rubrica; ita ut receptio in aliis gradibus, quam præſcriptis in tribus memoratis ſtatutis quocumque modo fuerit facta, poſſit ſemper ut nulla impugnari, quòd ob eam rationem ordinatum fuit, quia cùm fratres Commendatarii prætextu ſervitii nonnumquam reciperent in ſuis Commendis fratres ſub alio gradu, & denominatione, quàm expreſſis in eodem ſtatuto ſecundo, emanarunt prædicta ſtatuta 29. & 30. quibus prohibentur alios fratres recipere in ſuis Commendis, quàm ſub denominatione Capellanorum, & ſervientium. Sed quia ſtatuta hujuſmodi negligebantur, propterea edita fuit prædicta ordinatio cum decreto irritanti, ad hoc ut aliter recepti quocumque tempore poſſent a Religione expelli.

Non

100 Non obſtat fides Vicecancellarii, quoniam regiſtratio non tendit ad finem approbandi, vel reprobandi profeſſionem, ſed ad hoc, ut currat Antianitas. Nec Vicecancellarius negavit deſcribere in Album Religionis profeſſionem, de qua agitur, ex eo quod eſſet nulla; ſed quia in ea emittenda non fuit ſervatus mos, & ritus, ſeu cæremonia cinguli, unde non ſequitur; Profeſſio non fuit regiſtrata: Ergo Vicecancellarius declaravit eam fuiſſe invalidam, ſed tantùm ſequitur, ut ſenſerit in ea emittenda non fuiſſe obſervatum ritum à Religione præſcriptum. Præterea quatenus hoc declaraſſet, ejus declaratio fuiſſet erronea, cùm ex jam dictis liqueat profeſſionem ex hoc
101 defectu cinguli non eſſe irritam. Demum eſto irrita eſſet, tamen non ſpectabat ad Vicecancellarium hoc declarare; quinimò nec ad ſolum Magnum Magiſtrum cum Conventu, quia ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 19. *ſeſſion.* 25. *de Regular.* Cauſæ nullitatis profeſſionis ſunt deducendæ coram Superiore Regulari, & Ordinario. Et hæc forma ſervanda eſt non tantum cùm profeſſus allegat nullitatem ſuæ profeſſionis, ſed etiam cùm Religio vult eum ejicere tamquam invalidè profeſſum, ut meo tempore declaravit Sacra Congregatio.

102 Conſtat ex prædictis nec jus commune, nec ſtatuta Ordinis, nec ordinationes Capitulares ob cingulum non ſuſceptum, fuiſſe irritam hoc caſu profeſſionem expreſſam, pro cujus etiam validitate in dubio eſt judicandum, *l. Sunt perſonæ, ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* & tradunt Barbat. *conſ.* 59. *num.* 12. *poſt medium, vol.* 2. Navarr. *conſil.* 13. *numer.* 10. *de Regular.* Suarez *tom.* 3. *de Religion. lib.* 1. *cap.* 1. *numer.* 6. Sanchez *de matrimonio lib.* 7. *diſputat.* 37. *num.* 12. *in fin.* Seraphin. *deciſ.* 1361. *num.* 7. Rota in Romana Profeſſionis 23. Junii 1623. coram Remboldo.

103 Quo verò ad profeſſionem tacitam conſtanter ſupponendum eſt ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii eam habere locum etiam in Religione Hieroſolymitana, quidquid contra ſcripſerit Peregrin. *conſ.* 116. *num.* 4. *& ſeqq. lib.* 5. Nam propoſito dubio an ſit locus tacitæ profeſſioni inter milites Religionis Hieroſolymitanæ degentes extra conventum Hoſpitalis Meliten. Reſpondit indiſtinctè eſſe locum tacitæ profeſſioni, juxta juris diſpoſitionem, & comprehendi *cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de Regular.*

104 Non obſcurè autem inducta videtur in caſu præſenti, quia Eques, ut ipſemet fatetur in poſitionibus, ſuſcepit, ac detulit per aliquot menſes Crucem albam in pallio, qui in Religione Hieroſolymitana eſt habitus patenter diſtinctus ab habitu Noviciorum, ut patet in *ſtatut.* 1. *&* 3. *de recept. fratr.* ex inſtrumento profeſſionis exhibito, & ex
105 depoſitionibus teſtium. Ex ſuſceptione autem habitus hujuſmodi poſt novitiatum completum inducitur tacita profeſſio, etiam abſque exercitio actuum profeſſorum, *cap.* 1. ibi, *vel habitum Religionis ſuſcipiat, qui dari profitentibus conſuevit, de Regular. lib.* 6. *& cap. Conſtitutionem,* ibi, *Tacitè verò facta per ſuſceptionem habitus, qui profitentibus tantum datur, eodem tit. & lib.* Quod enim dicitur, habitus non facit Monachum, ut in *cap. Porrectum, de Regularibus, cum concord.* Locum habet in habitu probationis dumtaxat, non autem in habitu profeſſionis; qui illicò Monachum facit, & ſolemnizat votum, ut notant in *cap. Statuimus, de Regular.* gloſſ. 1. Abb. Antiq. *in verb. Novitios,* Hoſtien. *numer.* 1. *in verb. Religionis, & num.* 2. *in ver. Conſuevit,* & Butr. *num.* 6. Archidiac. in *cap. Beneficium, num.* 1. *eod. titul. lib.* 6. & meo tempore ſæpiùs cenſuit Sacra Congregatio Concilii, prout etiam deciſum refert Racius *deciſ.* 296. *num.* 1. Nec refert, quod teſtes deponentes in Ordine Hieroſolymitano Crucem albam in pallio eſſe habitum profeſſorum, & à ſolis profeſſis geſtari ſolitum, immediatè ſubjiciant, *ſe bene alle volte alcuno ſi piglia guſto di portarla benche non ſia profeſſo;* quoniam hæc verba ſonant potiùs in abuſum.

106 Nec prædictus Eques cenſeri poteſt Crucem albam detuliſſe ad voluptatem, ſed potiùs ut ſe gereret pro profeſſo, cùm eam ſolemniter ſuſceperit in actus profeſſionis; nam à primordio tituli poſterior formatur eventus, *l. Unica, Cod. de impon. lucr. deſcript. lib.* 10. & actu in dubio cenſetur factus in executionem obligationis præcedentis, *l.* 4. *§. Si ab ignoto, ff. de manumiſſ. cum ſimilib.* ut plenè per Alexan. *conſ.* 40. *num.* 9. *lib.* 3. & Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 49. *numer.* 4. & ex cauſa neceſſaria potiùs, quàm voluntaria, ut *l. final.* cum ibi not. per Bart. *ff. de alim. pupill. præſtan.*
& per Abb. *conſ.* 116. *in fin. lib.* 2. Porrò tacitæ profeſſioni 107
eſt locus, etiamſi præceſſiſſet expreſſa profeſſio nulla, & non obſtante ignorantia nullitatis profeſſionis, ut ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, quàm probavit Sanctiſſimus, & ſequuta eſt Rota in Cauſa Meten. profeſſionis coram Carillo, ſcripſi latiſſimè in *cap. Significatum, à num.* 1. *uſque ad num.* 49. *de Regul.* quod locum habet etiam in milite Sancti Joannis Hieroſolymitani, qui ignoravit ſuam profeſſionem expreſſam de jure fuiſſe irritam, ut probavi in *cap. Ex parte, à num.* 4. *uſque in fin. eodem tit.* adeò ut propterea non ſit habenda ratio deciſionis Ulixbonen. Profeſſionis ſuperiùs relatæ *num.* 56. quia articulum non examinat, nec prædictarum deciſionum ullam facit mentionem.

Sed præter habitum profeſſorum concurrunt hoc caſu plures actus ſolis profeſſis convenientes, ex quibus procul dubio reſultat tacita profeſſio, *cap. Vidua,* & ibi omnes *de Regular.* 108

Primus actus eſt, quia ſe nuncupavit fratrem, prout etiam Religio ipſa eum nominavit in libris publicis; & ita hujuſmodi actus fuit reciprocus, tam ex parte profeſſi, quàm ex parte Religionis: hic autem titulus, & nuncupatio in hac Religione non convenit niſi profeſſis, cùm Novitii non fratres, ſed nobiles appellentur, ut conſtat ex *ſtatuto primo, de verb. ſignific.* & deponunt teſtes, & ex hac denominatione fratris aliàs deducta fuit tacita profeſſio in præcitata *deciſione* 206. & in Melevitana Antianitatis apud Durand. *in impreſſ. deciſ.* 462. *num.* 18. *in fine.* 109

Secundus eſt actus, quia vocatus ad inſulam Melitæ à Magno Magiſtro ſub nomine fratris, & tanquam contumax inquiſitus, ſupplicavit ſub eadem nuncupatione fratris pro abſolutione, eamque obtinuit: qui quidem tractatus cum denominatione ad tacitam profeſſionem inducendam fortior eſt, quàm ſimplex denominatio, argum. *l. Non epiſtolis, & l. Non nudis, C. de probation.* dixi in *cap. Lator, ſupra, qui filii ſint legitimi.*

Tertius actus, quia bis obtinuit licentiam à Superiore Regulari comparendi in judicio, qua non indigent Novitii, cùm non ſint propriè Religioſi, *cap. Religioſi, §. Quamvis, de ſentent. excommun. lib.* 6. *cap.* 1. & ibi Gemin. & Franc. *in* 1. *notab. de Regul. eodem lib.* & tenent Placha *de delictis, cap.* 42. *in fin.* Farinac. plures cumulans, *in pract. crimin. tom.* 1. *de accuſat. quæſt.* 13. *num.* 23. & Thom. Sanchez dicens neminem contradicere *ſuper Decalog. lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 34. & hic quoque actus, ſicut & præcedens, inter profitentem, & Religionem fuit reciprocus. Vigore autem hujus licentiæ bis comparuit in judicio, duaſque fecit inſtantias, aſſerens ſe ſolemniter profeſſum, & obtinuit, ut ſibi à fratre germano, ſolverentur decem millia ſcutorum, quæ non erant ei debita non ſecuta profeſſione, ſecundùm ea, quæ ſcripſi in *cap. Statuimus, numer.* 29. *& ſeqq. ſupra de Regular.* Dantur & alii actus, quos in lectura omittere conſultius duximus. 110

Sed objicitur profeſſio tacita induci non poteſt niſi priùs annus probationis fuerit completus, ut eſt text. in *cap.* 1. ibi, *Niſi eo completo profeſſionem faciat in ſequenti, vel habitum ſuſcipiat, qui dari confitentibus conſuevit, de Regular. lib.* 6. ubi gloſſ. *in ver. Vel dicit,* repete eo completo, & ſæpiùs cenſuit Sacra Congregatio Concilii. Hoc autem 111
caſu quamvis novitius expleverit in conventu annum 112
probationis, tamen poſteà diſceſſit cum licentia Magni Magiſtri ſub conditione ad convẽtum redeundi infrà biennium ad ſui novitiatus annum peragendum, habitum Ordinis ſuſcipiendum, regularemque profeſſionem ſervatis ſervandis emittendam ſub pœna ſuam amittendi antianitatem ipſo facto incurrenda. Quem quidem annum poſteà nullatenus peregit, ſed poſt octo menſes iterùm abiit, &
Romæ infrà duos menſes profeſſionem emiſit: quare pro- 113
feſſio ex hoc capite videtur nulla, quia annus probationis ad validè profitendum exigitur etiam in Religione Hieroſolymitana *ex ſtatut.* 28. *de recept. fratr.* & declaravit Sacra Congregatio Concilii, licèt olim aliud cenſuiſſet, ſcilicet illius ſtabilimenta nondum vidiſſet, & ita etiam deciſum referunt Flamin. Pariſ. *de reſignat. benefic. lib.* 1. *num.* 120. & Stephan. Gratian. *diſceptat. foren.* 163. *num.* 27. exceptis

Bohe-

Digitized by Google

114 Bohemis, quibus indultum eſt, ut non teneantur eſſe in probatione niſi per ſex menſes, ut ordinat. 39. *de recept.*
115 *fratr. in nov.* & 36. *in antiq.* nec ſufficit ut noviciatus fuerit expletus per annum continuum; ſed continuari debet uſq; ad profeſſionem, adeò ut ſi novitius completo anno egrediatur, & iterùm redeat, profiteri nequeat, ſed denuò teneatur novitiatum inchoare, & proficere, ſecundùm opinionem Suarez *de Religion. tom. 3. lib. 5. cap. 15. à numer. 8.* cui adhærent Barthol. de Vecch. *in praxi de admiſſion. novit. diſputat. 11. dub. 3.* & Caſtro Palao *tom. 3. tractat. 16. diſputat. 12. §. 2. num. 11.* quod clariùs videtur procedere hoc caſu, in quo novitius per uſum memoratæ licentiæ videtur ſe tacitè adſtrinxiſſe ad novum annum novitiatus.

116 Verùm huic objectioni reſpondetur in oppoſitum eſſe doctrinam gloſſæ primæ circa finem in *cap. Eum qui, de regul. iuris, lib. 6.* ubi ex illa regula, quæ dicit: eum qui certus eſt, certiorari ampliùs non oportet. Sumit argumentum ad quæſtionem, An is, qui ingreſſus Religionem in fine anni exivit, ſi iterùm eandem Religionem ingrediatur, debeat habere alium annum, & reſolvit negativè per illam regulam: niſi conditio perſonæ, vel Religionis mutata eſſet: & ſubdit hoc tenere Bartholomæum Brixienſem in *quæſtionibus venerabilibus in quæſtione 68.* quæ incipit, *Aliquis intravit monaſterium*; & in fortioribus terminis Speculat. *in titul. de ſtat. Monach. §. Qualiter concipiet libellum, quæſt. 35. numer. 43.* ubi hoc ipſum firmat idem Joan. Andr. *in addit. in verb. Exivit*, & ſequuntur Lapus *allegat. 47. num. 2. & 3.* S. Anton. *in 3. part. tit. 16. cap. 3. §. 2.* Silveſt. *in verb. Religio, 5. quæſt. 4.* dicens hanc ſententiam eſſe indubitatam: quam etiam probavit Sacra Congregatio Concilii non mederi novitio, quia Religione exivit de licentia Superioris, ut in ſubjecta declaratione.

Dubitatur an is, qui habitu regulari ſuſcepto annum integrum manſit in Religione, eoque lapſo gravi morbo correptus, & propterea profeſſione nequaquam emiſſa, permiſſu Superiorum ad ſæculum rediit, poſſit inde ad triennium morbo liberatus, & ad monaſterium reverſus protinus emittere profeſſionem, vel potiùs per alium annum ſtare in probatione teneatur: Die 27. Februarii 1597. Sacra Congregatio cenſuit poſſe ſtatim emittere profeſſionem, non expectato alio probationis anno, niſi Religionis, aut perſonæ conditio ſit immutata; idque Superiores Religionis animadvertere diligenter debere.

117 Sed etiam in eo, qui exivit ſine licentia: nam propoſito dubio, An novitia, quæ finito anno probationis exivit è monaſterio abſque licentia Ordinarii iterùm reverſa, poſſit ſine nova probatione ad profeſſionem emittendam admitti. Die 12. Februarii 1598. Sacra Congregatio cenſuit poſſe, niſi conditio Religionis, aut perſonæ ſit immutata, idque à Superioribus Monaſterii diligenter eſſe diſpiciendum.

118 Nec prædictis obeſt licentia obtenta ſub conditione peragendi novitiatum, quia in ea non fuit appoſita pœna nullitatis profeſſionis; ſed amiſſionis antianitatis, quæ quidem pœna ſpecialis tollit pœnam nullitatis à jure inductam,
119 ut ex Bald. & Cardin. dixi ſuprà *num. 76.* quæ concluſio abſque dubio procedit ubi ſpecialis pœna non ſe compatitur cum nullitate actus, ut ibi dixi: & ita contigit hoc caſu, quia pœna amiſſionis antianitatis neceſſariò ſupponit novitium poſſe validè profiteri: quamquam enim in hac Religione antianitas currat à die ſoluti Paſſagii Gregorii XV. *deciſ. 341. & deciſ. 499. numer. 2.* ea tamen Equites frui nequeunt niſi à die emiſſæ profeſſionis, 120
ut fuit dictum in Melevitana antianitatis 24. Martii 1614. coram Urgellen. in ejus impreſſ. *deciſ. 439. numer. 2. & 3. verſ. Nec relevat.*

Quibus accedit, quod Superiores Regulares non poſſunt 121
arctare novitium, qui annum probationis explevit, ad alium annum ex integro repetendum non modo reluctante novitio; id enim per quam durum eſſet, argum. *cap. Ad Apoſtolicam, de regular.* ſed etiam ipſo conſentiente, quia obſtat Concilium Tridentinum *cap. 25. ſeſſ. de regular.* ibi, *Finali tempore novitiatus, Superiores, novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut è monaſterio eos eiiciant*: & in hac ipſa Religione Hieroſolymitana in ordinatione facta anno 1642. decretum fuit, ut novitii, qui poſt expletum probationis annum aſcendunt, teneantur facere de novo medium annum novitiatus, cùm tamen olim in *ordinatione 37. in novis, & 34. in antiquis, de reception. fratr.* tenerentur anno probationis peracto infra menſem profiteri ſub pœna amittendi antianitatem. Quinimò propter decretum Concilii in *dict. cap.* 122
16. verſ. Finito. Superiores Regulares non modo nequeunt arctare novitios ad novum novitiatus annum, ſed nec poſſunt tempus probationis prorogare ultrà annum, niſi ex juſta cauſa, & ad breve tempus, ut ex ſententia Sacræ Congregationis adnotavi in *cap. Ad Apoſtolicam, à num. 8. uſque ad num. 12. de regul.* Ac prætereà quatenus potuiſſet Magnus Magiſter injungere novum annum probationis, non tamen id potuiſſet ſub pœna nullitatis profeſſionis etiam conſentiente novitio, ut clarè deducitur ex ſubjecta declaratione quicquid contra ſcripſerit Navarr. *conſ. 87. de regular.*

In Congregatione Minimorum extabat ſtatutum, quod 123
originem ducentes à Judæis, vel Saracenis, ad Religionem non recipiantur, & ſi qui recipiendi fuerint, quorum progenies ignoratur, admittantur cum proteſtatione, quod ſi poſteà comperiatur eos à Judæis, vel Saracenis originem duxiſſe, eorum profeſſio ſit nulla. Quæſitum fuit, An originem trahentes à Judæis admiſſi ad Religionem cum illa proteſtatione ſint legitimè profeſſi, vel ſecus; Sanctiſſimus reſpondit habendos eſſe pro profeſſis, nec ejici debere, cùm hactenus nemo fuerit ejectus.

Quæ tamen ex abundanti dicta ſint, quia hoc caſu Ma- 124
gnus Magiſter non impoſuit pœnam nullitatis, ſed amiſſionis antianitatis, ut prædixi, & ſic annus in memorata licentia injunctus non fuit legalis, id eſt à jure, & à Concilio Tridentino requiſitus, ſed magis conventionalis, qui propterea quatenus à Magno Magiſtro injungi potuerit ex conventione ipſa legem accepit, arg. *cap. Contractus, de regul. iur. lib. 6.*

Præterquamquod formula ejuſdem licentiæ eſt pro no- 125
vitiis abſcedentibus infra annum probationis, nec congruebat prædicto Equiti, quia cùm annum novitiatus jam complevisset, impoſſibile erat eum obligare ad illum complendum, ut ſonant verba licentiæ: nam peragere idem eſt, quod complere, ſeu perficere, & ad exitum perducere, *l. Qui Procuratorem, cum gloſſ. in verb. Peragere, ff. de procurator. l. Filius, ff. de inoffic. teſt. l. Ab accuſatore, §. deſtitiſſe, ff. ad Senatus conſult. Turpillian. & l. 2. ff. de Adulter.* Briſſon. *de verb. ſignif. verb. Peragere, il ſecondo,* Rebuff. *in l. 3. ſolut. verſ. Peragenda, ff. de verb. ſignif.*

DE POENITENTIIS,
& Remiſſionibus.

Clemens III.

CAPUT VII.

QUæſitum eſt, utrùm Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet uti, pœnitentia publica ſit imponenda, ſi eam ſibi poſtulent pro filiis oppreſſis injungi? Huic igitur conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi ipſis procurantibus, vel ſtudioſè negligentibus, filii in lectis reperiantur oppreſſi, ab officio altaris debent perpetuò abſtinere; & eis gravior, quàm

quàm laicis, non tamen publica (niſi in publicum id veniat) pœnitentia debet imponi. Verùm ſi ex incuria ipſorum mortui inveniantur in cunis, & illud fuerit occultum, eis pœnitentia pro arbitrio pœnitentiarii imponatur: & in terrorem aliorum ad tempus abſtineant à celebratione Miſſarum.

S V M M A R I V M.

1 *Sacerdotes Græci procurantes, vel ſtudioſè negligentes oppreſſionem filiorum ſuorum deponuntur, & ſi eſt publicum, publicè puniuntur.*

2 *Pœnitentia ſolemnis imponitur ſi delictum eſt grave, & ſcandalizans totam urbem.*

3 *Pœnitentia publica imponitur ſi delictum ſit grave, & publicum, non tamen generans ſcandalum.*

Sed contra, num. 4.

Declaratur. num. 5.

4 *Pœnitentiæ publicæ finis eſt ſcandalum ſubmovere; & ideo imponitur laico etiam pro levibus delictis, ut vitetur ſcandalum.*

6 *Negligentia affectata æquiparatur ſcientiæ, ac dolo etiam in foro pœnitentiali.*

7 *Matrimonium contractum coram Parocho per vim adhibito, qui affectavit non intelligere, validum eſt.*

8 *Ignorantia eorum affectata eſt, qui potuerunt certiorari, & noluerunt.*

9 *Irregularitas contrahitur ex lata culpa ad homicidium commiſſa, quantumcumque crimen ſit occultum.*

10 *Idem ſi culpa ſit levis, ſecus ſi leviſſima.*

11 *Pœnitentia publica pro delicto publico an Clerico ſit imponenda, & num. ſeq. uſque in fin.*

10 *Pœnitentia ſolemnis non imponitur Clerico niſi depoſito, & num. 13.*

13 *Clericus depoſitus ſine ſpe reſtitutionis publicam, vel ſolemnem poteſt agere pœnitentiam.*

14 *Sed dum habetur ſpes reſtitutionis, nec publicè, neque ſolemniter pœnitebit.*

15 *De pœnitentia publica, & ſolemni idem eſt judicium.*

16 *Pœnitentia publica, an ex ſtylo Sacræ Pœnitentiariæ imponatur Clerico, qui Presbyterum interfecit.*

17 *Clericus presbytericida eſt irregularis, & perpetuo deponendus, & num. ſeq.*

19 *Depoſitio eſt ab Altaris miniſterio perpetua remotio.*

1 Q*Væſitum.* Sacerdotes Græci procurantes, vel ſtudioſè negligentes oppreſſionem filiorum ſuorum deponuntur; & ſi eſt publicum, publicè puniuntur. Hoc dicit, ſecundùm Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. & alios communiter. Vel ſic, & meliùs ut faciat ad titulum, ſecundùm Abb. & Marian. Socin. Sacerdoti Græco procuranti, vel ſtudioſè negligenti oppreſſionem filiorum non imponitur pœnitentia publica, ſed debet abſtinere ab altaris officio, & aliter in ſecreto agere pœnitentiam: ſed ſi delictum eſt publicum, debet publicè agere pœnitentiam. Hoc dicit. Primò quæſtio. Secundò reſponſio ibi, *Huic*.

2 Nota primò ſecundùm Abbatem hic in primo notab. argumentum, quod pœnitentia publica injungi non debet pro delicto oppreſſionis filiorum: nam ipſi Sacerdotes Græci poſtulabant eam ſibi imponi, ut in littera, quaſi de jure non eſſet imponenda. Concludit tamen ipſe Abb. ſub diſtinctione: nam aut delictum eſt grave, & ſcandalizans totam urbem, caſtrum, vel villam, & tunc laico imponitur pœnitentia publica, & ſolemnis, ut in *cap. In capite quadrageſimæ*, 30. *diſtinct. cap. final.* 26. *quæſt.* 6. Aut
3 eſt grave, non tamen generans ſcandalum; & tunc aut eſt occultum, & non imponitur pœnitentia ſolemnis, neque publica, ut dict. *cap. In capite*. Aut eſt publicum, ſed non ſcandaloſum; & tunc imponitur pœnitentia publica, ſed non ſolemnis, ut dict. *cap. final.* juncto *cap.* 1. *ſupra eodem*.

4 Tu adverte ad ultimum membrum diſtinctionis Abbatis: nam pœnitentia publica imponitur pro delicto publico, etiam ſcandaloſo, quia illius finis eſt ſcandalum ſubmovere, adeò ut propterea imponatur laico etiam pro delictis levibus, ut vitetur ſcandalum, *cap. Si quis presbyter, de purgat. Canon.* & notat gloſſ. in *cap.* 1. *ſupra eodem*: cum qua concordant ibi Hoſtien. *num.* 1. Jo. Andr. *num.* 2. & communiter Doctores, licèt Clerico non imponatur niſi depoſito, & pro delicto gravi, ut dicunt Hoſtien. in *ſumma de pœnit. & remiſſ.* §. *Verum, verſ. Publica verò pœnitentia*, & Henric. Boich. in dict. *cap.* 1. *num.* 4. unde ſeu delictum ſit grave, ſeu leve, indiſtinctè ſupponitur ſcandaloſum, & ipſemet Abb. in *cap. De his, num.* 3. *in fin. de accuſat.* dixit pœnitentiam publicam imponi ad ſedandum ſcandalum, per textum in dict. *cap. fin.* 26. *quæſt.* 6. & idem prius notaverat Archidiaconus in *cap. Confirmandum, in princip. verſ. In gloſſ.* 30. *diſtin.* Quod etiam dilucidè apparet ex Decreto Concilii Tridentini *cap.* 8. *ſeſſ.* 24. in illis verbis: *Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam.* Hæc ibi, facit text. in *cap. Ego Berengarius, in fin. de conſecrat. diſtinct.* 2. ibi: *Ut Eccleſiæ, quæ prius doluerant de averſo, atque perverſo, poſteà gauderent de reverſo, atque converſo.* Adde vix poſſe contingere, ut crimen aliquod ſit grave, & publicum, & non ſit ſcandaloſum; ad quod eſt textus optimus in *cap. De his verò*, 30. *diſtinct.* & in Clem. 1. juncta gloſſ. *in verb. Scandalum, de offic. Ordinar.* Sed ſalvando dictum Abbatis ſic poſſet diſtingui: Aut delictum 5 eſt adeò grave, & ſcandaloſum, ut commoveat totam civitatem, & imponitur pœnitentia ſolemnis: aut eſt quidem ſcandaloſum, ſed non ita, ut totam civitatem commoveat, & imponitur pœnitentia publica.

Secundò nota ibi, *vel ſtudioſe negligentibus:* affectatam 6 negligentiam æquiparari ſcientiæ, ac dolo etiam in foro pœnitentiali, prout ex hac littera deducit Anton. de Butr. *in* 1. *notab.* unde dicit lex: *Diſſoluta negligentia propè dolum eſt, l. Fidejuſſori, primo reſp. ff. Mand.* ad idem *cap. Sæpè*, 30. *diſtinct.* Idem diſſoluta negligentia habetur pro conſcientia, *l. Cum lex, ff. Ædilit. edicto.* qualis eſt ignorantia Judæorum, qui nolunt intelligere, ut benè agant, §. *ult. prima, quæſt.* 4. gloſſ. hic *in verb. Negligentibus*, Hoſtien. *in princip. & num.* 2. Hinc Sacra Congregatio Con- 7 cilii aliàs reſpondit validum eſſe matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, & per vim adhibito, quamquam nihil eorum, quæ agebantur vidit, & intellexit, ſi affectavit non intelligere. Ut in Parocho, qui obturavit 8 aures ſuas, ne audiret; quippe affectatæ ſunt eorum ignorantiæ, qui potuerunt certiorari, ſed noluerunt, *cap. Cùm inhibitio*, §. *Si quis vero, de clandeſtin. deſponſat.* §. *final. & cap. ſeq.* 37. *diſt.* Hoſt. *hic num.* 2.

Tertiò nota ibi, *ab officio altaris debent perpetuò abſtine-* 9 *re:* textum expreſſum, quòd irregularitas incurritur ex lata culpa ad homicidium commiſſa quantumcumque crimen ſit occultum, Hoſtien. hic *num.* 1. & 2. *in fin.* dicens latam culpam reddere hominem homicidam, ſecundùm Canones, ut hic & in *cap. Sicut, & cap. Tua nos*, §. *Nos igitur, ſupra de homicidio, cap. Sæpè*, 30. *diſtinct.* Abbas *in* 2. *notab.* & Marian. Socin. *num.* 4. addens idem eſſe, ſi culpa ſit levis; ſecus verò ſi ſit leviſſima, quia tunc non 10 contrahitur irregularitas, ideòque iſti Sacerdotes Græci, ex quorum injuria, & ſine facto, & tactu filii in cunis inveniuntur oppreſſi, abſtinere debeant à celebratione Miſſarum ad tempus, non in perpetuum, ut hic *in fin.* quia nec homicidæ reputantur, ſicut reputantur illi, qui in lata culpa ſunt, eo quod ipſi procurantibus, vel ſtudioſè negligentibus filii proprii non in cunis, ſed in lectis oppreſſi reperiuntur, ut in text. Reſpondeo primò, &, hic notant Innocent. & Hoſtien. *in fin.* Joan. Andr. *num.* 2. Abb. *numer.* 3. Marian. Socin. *numer.* 4. & 5. & alii communiter.

QUÆRO, An publica pœnitentia pro delicto publico 11
impo-

Digitized by Google

imponenda ſit Clerico. Gloſſatores in hoc articulo variarunt; nam Bernardus in *cap. 1. in gloſſ. unica, ſupra eo-*
12 *dem*, dixit, ſolemnem pœnitentiam Clerico imponi non debere, nec etiam publicam, niſi depoſito; & cum illa gloſſ. poſt Laurentium, & Raymundum concordant ibi Innocent. *in verb. Occulta*, Hoſt. *num. 2.* & Butr. *num. 4. in fin.* allegantes pro ſua opinione, *cap. Confirmandum, & cap. Alienum, 50. diſtinct.* Quæ tamen jura non loquuntur de pœnitentia publica, ſed de ſolemni, ut patet in dict. *cap. Confirmandum*, ibi, *non eis manus tamquam pœnitentibus imponatur, & in dict. cap. Alienum*, ubi dicitur: [Alienum eſſe à conſuetudine Eccleſiæ, ut Presbyteri, & Diaconi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi,] & ibi notat gloſſ. 1. dicens hæc omnia capitula loqui de ſolemni pœnitentia, quæ fit per manus impoſitionem, ut *cap. In capite quadrageſima, 50. diſtinct.* Et hanc certum non eſſe injungendam Clerico, niſi ſit depoſitus, ut in præcitatis juribus, & in *cap. Presbyter, 28. diſtin. in cap. Si quis Presbyter, 30. diſt. & in cap. Si quis Epiſcopus, 81. diſt.* Tales enim ſunt infames, ut dixi in dict. *cap. 1. num. 8. ſupra eodem*, poſt Hoſtienſ. in *cap. 2. num. 7. verſ. Sed numquid tales pœnitentes ſunt infames, ſupra de offic. Archipresbyteri.*

Sed gloſſ. Joannis in dict. *cap. Confirmandum*, dixit Presbyterum, vel Diaconum non poſſe facere pœnitentiam ſolemnem, niſi ſit depoſitus, immediatè ſubjungit, publicam pœnitentiam poteſt facere Sacerdos pro publico tamen crimine, non pro privato. Item gloſſa 2. in *cap. Presbyter, 28. diſtinct.* intelligit illum textum de pœnitentia publica, quam debet facere Sacerdos pro delicto publico, licet non ſolemnem: & idem repetit gloſſ. in *cap. Si quis Presbyter, in verb. Propter publicum, 30. diſtinct.* Similiter gloſſ. hic in *ver. Niſi in publicum*, dicit Sacerdotem poſſe facere publicam pœnitentiam, ſed non ſolemnem, quam Clerici facere non debent, licèt depoſitus publicè ſolemniter pœnitere poſſit: & hanc gloſſ. ſequitur, & dicit magiſtram, Abbas *num. 4. verſ. In gloſſ.* & concordat S. Thom. *in 4. ſentent. diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 5. quæſt. 3. in fin.* dicens: [publicam pœnitentiam, & non ſolemnem, quæ in facie Eccleſiæ fit, ſed non cum ſolemnitate prædicta, ſicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, poſſe iterari, & à ſimplici Sacerdote injungi, & poſſe etiam Clerico imponi.]

Et pro hac parte videtur textus apertus hic: nam præmittitur quæſtio, An Sacerdotibus Græcis pro filiis oppreſſis imponenda ſit publica pœnitentia, necne? & Papa reſpondet eis imponendam eſſe pœnitentiam graviorem, quàm laicis, non tamen publicam, niſi in publicum id veniat. Ergo à contrario, ſi publicum ſit, pœnitentiam publicam eſſe eis imponendam. Videtur tamen hic textus vitari poſſe, quia dicit ob filiorum oppreſſionem ipſos Presbyteros debere perpetuò abſtinere à miniſterio altaris, & ſic loquitur de his, qui ſunt deponendi, prout hanc litteram intelligunt Joan. Andr. & ſequaces in Summ. Dum ergo textus ſubjungit, ſi in publicum id veniat, pœnitentiam publicam eſſe eis injungendam, debet intelligi de jam depoſitis, & ſic concordat cum prima opinione: & de depoſito etiam intelligi debet, *cap. Presbyter, 28. diſt.* ut colligitur ex *cap. Si quis Epiſcopus, 81. diſt.* ibi, *Deponatur, & ab Eccleſia projectus inter laicos agat pœnitentiam.*

13 Conclude pleniùs, & clariùs ſecundùm Archidiaconum in *cap. Sacerdos, num. 7. de pœnit. diſtinct. 6.* Clericus, vel Sacerdos depoſitus ſine ſpe reſtitutionis publicam, vel ſolemnem poteſt agere pœnitentiam, ut in dict. *cap. Sacerdos*, & ibi gloſſ. 2. & in *cap. Si quis Epiſcopus, 81. diſtinct. & in cap. Presbyter, 28. diſtinct.* Sed cùm habetur 14
ſpes de reſtitutione, neque publicè, neque ſolemniter pœnitebit, ut *cap. Confirmandum, 50. diſt. & cap. Presbyter, 81. diſtin.* Quæ concluſio in effectu eſt ex mente gloſſæ 3. hic in fine, dum dicit in caſu hujus cap. Sacerdotem poſſe agere pœnitentiam etiam ſolemnem, cùm ſine ſpe reſtitutionis pro crimine oppreſſionis filiorum privatus ſit, *cap. ultim. ſupra de tempor. Ordinat.* Ergo multò fortiùs publicam, ex quo crimen venit ita in publicum. Similiter Innocent. hic *in verb. In publicum*, dicit, nec tunc, idest quando crimen oppreſſionis venit in publicum, Sacerdotes poſſe agere publicam pœnitentiam, niſi perpetuò ſine ſpe reſtitutionis manerent, & de talibus intelligi hoc capitulum, cùm propter homicidium maneant ſine ſpe reſtitutionis, quia irregularis, ut dict. *cap. ultim. de tempor. Ordinat.*

Sed & Hoſtien. *num. 5.* Primò impugnat diſtinctionem 15
eorum, qui tenuerunt Clericum poſſe agere pœnitentiam publicam, ſed non ſolemnem; quia idem judicium eſt de publica, ac de ſolemni, *cap. Alienum, 50. diſtin.* & mox ſubnectit hunc textum loqui de illo, qui factus eſt notorius, nec eſt ſpes reſtitutionis ipſius, argum. *cap. Inquiſitionis, Reſponſ. 1. de accuſ. & cap. final. de tempor. Ordin.* & concordant Joan. Andr. hic *nu. 4.* ibi, *Alias ſi eſſet ſpes reſtitutionis, nec publicè pœniteret*, Butr. *nu. 11. verſ. Dicit gloſſa*; Cardin. *num. 3.* & Abb. *num. 4.* qui tranſit cum diſtinctione gloſſæ.

Porrò pœnitentiam publicam, quæ injungitur interficien- 16
ti Presbyterum, nempe, ut per quinque Eccleſias illius loci, ubi tantum facinus perpetravit, ſi tot ibi fuerint, nudus, diſcalceatus, femoralibus dumtaxat retentis, virga in manibus, & corrigiam circa collum deferendo incedat, ſuum publicè fatendo reatum, & ante fores dictarum Eccleſiarum à Presbyteris earumdem Pſalmum Pœnitentialem canentibus ſe faciat verberari, dum major ibi ad Divina convenerit populi multitudo. S. Pœnitentiaria conſuevit olim imponere etiam Clericis Minorum Ordinum; quamvis ab aliquot annis eam non imponat, niſi laicis, de quibus loquitur formularium: tamen ſtylus antiquus eſt conformis theoricæ Archidiaconi, & communi, de
qua ſupra; quia homicida voluntarius, & maximè Pres- 17
bytericida eſt irregularis, & ſic deponendus ab Ordine ſine ulla ſpe reſtitutionis, ut dicunt Innocent. Butr. & alii proximè citati: Ad hoc *cap. fin.* ibi, *præter reos homicidii*: juncta gloſſ. 3. *de temporibus ordinat.* gloſſ. in *cap. Ex tenore, in verb. Utatur, circa medium, verſ. Si crimen eſt e-*
norme, eodem titul. & patet in textu noſtro ibi, *Ab officio* 18
altaris debent perpetuo abſtineri: nam depoſitio ab Ordine nihil eſt aliud, quàm ab altaris miniſterio perpetua remotio, ſecundùm Abb. in *cap. At ſi Clerici, in princip. num. 7. de Iudiciis*: & ibi etiam Hippolyt. de Marſil. *in Repetit. num. 58. tom. 3. Repet. fol. 68.* & in Clericis Presbytericidis eſt text. in *cap. Sicut dignum, §. ultim.* ibi, *perpetuo ab altaris miniſterio deponendos eſſe cenſemus, ſupra de homicidio.* Quare cùm Clericus, qui Presbyterum necaverit, perpetuò manere debeat ſine ſpe reſtitutionis, non videtur ambigendum, quin pœnitentia publica ſit ei injungenda, cùm etiam ſolemnis hoc caſu poſſit imponi, ſecundum magis receptam opinionem: jam enim Clericus ſic pœnitens eſt infamis non ratione pœnitentiæ, ſed ratione enormitatis criminis, ut notat Hoſtien. in *cap. 2. nu. 7. verſ. Sed numquid tales, de offic. Archipresbyt.* & Marian. Socin. in *cap. 1. num. 7. ſupra eodem.*

D P

DE POENITENTIIS, & Remiſſionibus.

Innocentius III. Sancti Laurentii in Lucina Presbyt. Cardin. Apoſt. Sed. Legato.

CAPUT IX.

OFficii: & infrà. Significaſti quamdam mulierem in pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam; quòd timens ne viri poſſeſſio devolveretur ad alios, quarumdam herbarum ſuccum potavit, & ſic venter ejus intumuit, & inde gravidam ſe oſtendens, ſibi partum ſuppoſuit alienum; timenſque maritum, non vult facinus ipſi detegere: qui prolem credit ſine dubitatione qualibet eſſe ſuam. Quoniam igitur poſtulas edoceri, utrùm ei hac fraude durante ſit pœnitentia injungenda: Reſpondemus, quòd ſicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem ſuſcepit, quamvis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt pœnitentia deneganda: ita nec illi debet pœnitentia denegari, maximè ſi per alios, intelligas alienos, ad quos timeat poſſeſſionem viri devolvi: ſed competens ſatisfactio per diſcretum Sacerdotem ei debet injungi.

SUMMARIUM.

1 *COnfeſſio mulieris auditur, quæ ſibi partum alienum ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit, & hoc marito non vult detegere.*
2 *Abſolutio non eſt deneganda non valenti ſatisfacere ſine periculo, licèt delictum videatur habere effectum continuationis.*
3 *Mulier, quæ prolem ex adulterio ſuſcepit, quid facere debeat ne legitimi heredes hinc detrimentum patiantur.*
4 *Quid ſi habet unde ſatisfaciat, & ſciat quibus ſatisfaciendum.*
5 *Et quid ſi hoc ignoret.*
6 *Quid ſi non habet unde ſatisfaciat, an teneatur fraudem revelare.*
8 *Aut famæ, & num. ſeq. uſque ad num.* 13.
9 *Metus ignominiæ viris bonis maior, quàm mortis eſſe debet.*
10 *Crimen ſuum non tenetur quis prodere cum gravi honoris detrimento.*
11 *Reſtituere quis non tenetur bona Ordinis inferioris cum iactura bonorum Ordinis altioris.*
Bona famæ altioris Ordinis ſunt, quàm rei familiaris, ibidem.
12 *Mulier non tenetur filium ex adulterio ſuſceptum revelare, ſi inde grave malum eſſet proventurum.*
13 *Scandalum utilius naſci permittitur, quàm ut veritas relinquatur. Et quomodo hoc ſit intelligendum.*
14 *Mulier non tenetur partum ſuppoſitum, vel filium ſpurium revelare, ſi de hoc non habeat probationes paratas.*
15 *Confeſſor quomodo ſe debeat gerere cum muliere, quæ prolem ſuſcepit ex adulterio.*
16 *Mulier quæ prolem adulterinam marito patefecit, eo conſentiente, an ſit abſoluta à reſtitutione.*
17 *Mater an ſuadere debeat filio ſpurio, ut religionem ingrediatur, & cuius Ordinis.*
18 *Filius, qui matri eum ſpurium aſſerenti fidem adhibuit, & Regno renunciavit, deluditur à Legiſtis, laudatur à Canoniſtis.*
19 *Dignitati non ſolùm Regiæ, ſed etiam Pontificali renunciandum eſſet, ſi ex his conſcientia non eſſet tuta.*
20 *Filius an teneatur credere matri aſſerenti eum ex adulterio ſuſceptum.*
21 *Cautela matris, quæ induxit filios ad cedendum iuri ſuo timore declarationis, quod unus eorum eſſet ſpurius, refellitur.*
22 *Confeſſor pro conſilio obtinendo poteſt peccatum ſibi confeſſum detegere ſine expreſſione perſonæ, & numer.* 25.
23 *Confeſſor an prohibeatur revelare non tantùm peccatorem, ſed etiam peccatum in Sacramento Pœnitentiæ ſibi detectum, & n. ſeqq. uſque in fin.*
24 *Sacerdos revelans peccatum ſibi confeſſum punitur tamquam ſimoniacus, & hæreticus ad fidem reverſus.*
25 *Declaratur, num.* 38.
26 *Peccata ipſa an cadant ſub ſigillo confeſſionis ſacramentalis, & nu. ſeqq. uſque ad nu.* 33.
27 *Sigillum confeſſionis, ſicut confeſſio eſt de neceſſitate Sacramenti, & de iure divino.*
28 *Papa ſuper ſigillo confeſſionis diſpenſare non poteſt, & num.* 30.
29 *Sacerdos quod ſcit in confeſſione, non ſcit ut homo, ſed ut Deus, & dicitur quaſi neſcitum.*
30 *Sacerdos in actu confeſſionis eſt Vicarius Dei ſpecialis.*
31 *Vicarius ſpecialis quoad illam ſpeciem eſt maior generali.*
32 *Sigillum confeſſionis ſine pœnitentis licentia nullus mortalium violare poteſt etiam pro ſalute totius mundi.*
33 *Revelatio peccati in confeſſione detecti an cadat ſub prohibitionem poſitivam Eccleſiæ.*
34 *Eccleſia ubi vertitur ſalutis periculum, multoties generaliter ſtatuit, aut prohibet ad cautelam eorum, quæ poſſunt contingere.*
35 *Prohibito aliquo, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud.*
36 *Intellectus* cap. Omnis, infra eod.
37 *Permiſſum in uno caſu, in aliis cenſetur prohibitum, & num.* 42.
38 *Confeſſor revelans peccatum ſine expreſſione perſonæ an ſit deponendus, & in monaſterium detrudendus.*
39 *Et an aliquo caſu poſſit illud cum fructu revelare, & num.* 42.
40. *Prælati Regulares ea notitia, quam in confeſſione habuerunt, uti non debent ad externam politiam.*
41 *Pœna lata in præſumentes requirit dolum, & temeritatem.*
42 *Exceptio in uno caſu non firmat regulam in contrarium in aliis caſibus, qui ſunt ſimiles excepto.*
43 *Etiamſi caſus fuerit exceptus per dictionem taxativam.*
44 *Confeſſor an poſſit Epiſcopo revelare caſum reſervatum in pœnitentia ſibi detectum pro obtinenda facultate abſolvendi.*

O*Fficii*. Auditur confeſſio mulieris, quæ ſibi partum alienum ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit, & hoc non vult marito detegere. Hoc dicit ſecundùm omnes. Et eſt pars *cap. Officii, de teſtam. & de ſenten. excommun.* Communis diviſio, conſultatio, & reſponſio. Secunda ibi, *Quoniam*. 1

Nota primò, mulieri, quæ partum alienum ſibi ſuppoſuit, aut proprium ex adulterio ſuſcepit, ſi timeat marito hoc revelare, non eſſe denegandam abſolutionem Sacramentalem, etiam hac fraude durante. 2

Et

Google

Et hic collige pœnitentiam non eſſe denegandam non valenti, ſatisfacere ſine periculo, quamvis delictum illud videatur habere annexum effectum, continuationis, ut hic notant Abb. & Marian. Socin, ambo in 3. *notab.*

3 Sed pro pleniori doctrina, cùm quæritur quid facere oporteat mulierem, quæ prolem ſuſcepit ex adulterio, aut partum ſuppoſuit alienum, & ita legitimi hæredes privantur hæreditate propter ſpurium, vel ſuppoſitum, qui creditur filius, vel hæres; & quomodo in hoc caſu ſe gerere debeat Confeſſor. Colligendo dicta Doctorum, ſic diſtingue.

4 Aut mulier dives eſt, & habet unde ſatisfaciat his, ad quos bona mariti pervenirent, ſi ejuſmodi partus non adeſſet; Aut non habet unde ſatisfaciat.

Primò caſu, Aut mulier ſcit, vel poteſt veriſimiliter opinari quos hæredes maritus ab inteſtato, vel ex teſtamento habuiſſet, aut quibus bona ſua reliquiſſet: & tunc debet tantumdem eis dare de propriis bonis, quantum illi hac occaſione amiſiſſent, argum. *cap. Si res*, 14. *quæſt.* 6. allegati in gloſſ. *in verb. Denegand*a. Et quod reſtituendum eſt, poterit tradere Epiſcopo in pœnitentia, qui exinde ſatisfaciat quibus oportuerit, adeò ut ignoretur unde provenit, ut hic per Hoſtien. *num.* 8. Henric. Boich. *poſt princip. verſ. In primo caſu*, & Marian. Socin. *num.* 7. *in eodem*
5 *verſ. Aut mulier ignorat, qui ſint illi*, nec poteſt hoc probabiliter opinari; & tunc debet tantumdem pauperibus erogare, ſecundùm id, quod legitur, & notatur in *cap. Cum tu*, §. 1. *ſupra de uſur.*

6 Secundò caſu, id eſt cùm mulier non habet unde ſatisfaciat, tunc aut habet probationes paratas partus ſuppoſiti, vel ex adulterio ſuſcepti, per quas poſſet ſuccedentes ab inteſtato relevare à damno, quod ex ſua occaſione, & fraude illi reciperent, aut non habet.

7 In primo caſu aut poteſt ſine periculo hanc fraudem revelare: & debet eam detegere, & de illa fidem facere. Aut non poteſt revelare ſine gravi periculo, fortè quia veriſimiliter hinc orirentur ſcandala maxima, & homicidia; & tunc contentatur, & taceat, argum. *cap. Ne quis*, 22. *q.* 2. Nam in hoc caſu cum ex una parte immineat jactura rerum dumtaxat ſi taceat; ex altera verò periculum animarum, & corporum ſi revelet; cùm utrumque evitare non poſſit, inter hæc duo mala tenetur eligere quod minus eſt, argum. *cap. Duo*, & *cap. Nervi*, 13. *diſtin.* Taceat ergo cum damno rerum, quia illud minus malum eſt, ut legitur in *cap.* 1. *de pignor.* & *in cap. Suſcepimus, de homicid.*

8 Et per hanc rationem idem arbitror dicendum ſi ex revelatione immineat mulieri, aut alteri periculum infamiæ: nam viris bonis metus ignominiæ major, quam mortis eſ-
9 ſe debet, dicit textus in *l. Iſti, ff. Quod met. cau.* Et qui famam contemnunt, crudeles ſunt, ut in *cap. Non ſunt*
10 *audiendi*, 11. *quæſt.* 3. Unde non tenetur mulier crimen ſuum prodere cum gravi honoris, & famæ detrimento, ut in §. *His auctoritatibus, verſ. Non tibi dico, poſt cap. Si quis aliquando, de pœnit. diſt.* 1. Et in hac ſpecie concludunt Sotus in 4. *diſt.* 15. *qu.* 2. *poſt art.* 4. *in reſponſione articuli*, S. Anton. *in* 2. *par. tit.* 1. *cap.* 18. §. 8. *in fine*, & *melius tit.* 2. *cap.* 7. §. 4. Cajet. *tom.* 1. *opuſculor. opuſculo* 31. *reſpon.* 14.
11 [Non enim, ut ipſe ait in 2. 2. *qu.* 62. *art.* 6. tenetur quis reſtituere bona ordinis inferioris cum jactura bonorum ordinis altioris.] Et bona famæ altioris ordinis ſunt, quàm rei familiaris, quia melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ, *Proverb. cap.* 22. & ſequitur Navarr. *in man. cap.* 16. *numer.* 44. *verſ. Imo ſufficit timor propriam famam perdendi*, & Covarr. *in reg. Peccatum, part.* 1. *in initio*, *à num.* 3. Et quamvis Doctores hic non faciant mentionem, niſi damni animæ, & corporis; hoc tamen faciunt per
12 modum exempli. Sed generaliùs loquitur Innocent. cujus mentem ſequuntur omnes, dum ait: [mulierem non teneri revelare, ſi inde grave malum eſſet proventurum.] Quæ verba proculdubio comprehendunt etiam jacturam famæ, ut advertit Navarr. *loc. cit.*

13 Nec prædictis obſtat, quod utiliùs ſcandalum naſci permittatur, quàm veritas relinquatur, *cap. Niſi cum pridem*, §. *Pro gravi, de renunciat.* & *cap.* 3. *infra de regul. iur.* quoniam, ut reſpondet Innocentius, in hac taciturnitate non perit veritas juſtitiæ, quia hæc mulier nec judex eſt, nec teſtis eſſe poteſt, in quibus & ſimilibus illa auctoritas locum habet; ſed eſt tantùm accuſatrix, vel denunciatrix.

In ſecundo autem caſu, id eſt cùm non habet probatio- 14
nes paratas, debet potiùs ſilere, quàm fraudem patefacere, *cap. Plerumque*, 2. *q.* 7. Ita in effectu diſtinguit hic Innocent. *in verb. Satisfactio*, à quo cæteri ſumpſerunt Hoſt. *nu.* 8, *in eod. verb.* Abb. Antiq. *nu.* 1. Jo. Andr. *nu.* 4. Henric. Boich. *in princ.* Card. *in* 1. & 2. *oppoſit.* Anchar. *nu.* 3. & 4. Abb. *nu.* 5. & Marian. Soc. *nu.* 7. Quibus addo Hoſt. *in ſumma eod. tit.* §. *Quibus & qualiter, verſ. Quid de muliere*, ubi ait, Sacerdotem ſuper hoc conſulendum con- 15
ſiderare debere qualitates perſonarum tam mariti, quàm mulieris, & filii putativi; nam ſi mulier dominetur viro, vel periculum ex revelatione non immineat, poterit ei conſulere, ut fraudem patefaciat marito; quo conſen- 16
tiente erit mulier à reſtitutione abſoluta, quia conceſſum eſt marito de rebus ſuis ad libitum diſponere, *l. Nemo ex-terus, C. de Iudæis, l. In re mandata, C. Mandati.* Hoc intellige dummodo non habeat deſcendentes, quibus tenetur dimittere legitimam jure naturæ debitam, ſcilicet dimidiam, vel tertiam juxta numerum liberorum, ut in *Authen. Noviſſima, C. de inoffic. teſtam.* & *in corpore*, unde ſumitur in *Auth. de Triente, & Semiſſe*, §. 1. *collat.* 3.

Si verò ex revelatione marito facienda immineat pericu- 17
lum, tunc ſi filius putativus ſit homo ſimplex, ſpiritualis, & timens Deum; recepto juramento à muliere, quod malitioſè hoc non proponat, & à filio putativo, quod ſecretum tenebit; revelabitur hoc filio, eique ſuadebit, ut intret Religionem, vel ad partes remotas, ſeu ultrà marinas ſe transferat, & de hæreditate nihil attingat; quibus peractis mulier erit in tuto: quod ſi filius non ſit talis, nec velit matri fidem adhibere, vel mulieri periculum ſit revelare; tunc nullum ſupereſt remedium, niſi ut ſi proprium habeat hæredibus ab inteſtato, vel ex teſtamento venientibus ſatisfaciat competenter; iiſque non extantibus eleemoſynam cautè faciat de Epiſcopi diœceſani conſilio, & conſenſu. Verùm ſi proprium non habeat, vel non poſſit integrè ſatisfacere, doleat de peccato cum propoſito ſatisfaciendi cum primùm poterit: ita Hoſt. cum quo concordat Raymund. *in ſumma tit. de raptor. rubr. de filio concepto per adulterium*, & *de partu ſuppoſito*, §. 11. Joan. Friburg. *in ſumma confeſſ. eodem tit.* & *rubr. qu.* 23. Henric. Boich. *hic col.* 2. *poſt princip. verſ. Et de hoc vide*, & Marian. Socin. *num.* 9. Et quod dictum eſt de inducendo filium putativum ad religionem intrandam, intelligunt Doctores de Religionibus Mendicantibus, quia de aliis Religionibus non eſſet benè proviſum cùm ſuccedant, *cap. unic.* 18. *qu.* 1. & *cap. ult.* 19. *qu.* 3. ut hic per Jo. Andr. *num.* 4. *in fine.* Hodie filius putativus eſſet inducendus ad intrandam Religionem Capuccinorum, vel Fratrum Minorum de Obſervantia, quia aliæ Religiones etiam Mendicantes ſuccedunt ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* addit Jo. Andr. ſibi conſtare aliquos propter hoc in-
ductos fuiſſe ad profeſſionem emittendam. Et ita etiam re- 18
ferunt Doctores feciſſe quemdam, qui ad aſſertionem matris renunciavit Regno: & quamvis Legiſtæ in *l. Filium, ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur.* quos refert Menoch. *de arbitr. iudic. lib.* 2. *centur.* 1. *caſu* 89. *num.* 28. dicant talem filium fuiſſe fatuum; tamen ut notabiliter ait Mar. Socin.
hic *nu.* 9. ipſi hoc dicunt ſolùm conſiderantes hanc vitam, 19
& non futuram, & æternam, ad quam ſi reſpexiſſent, illum ſummoperè laudare debuiſſent, ex quo talis habebat læſam conſcientiam; quo caſu non ſolùm Regiæ dignitati, verùm etiam Pontificali, cùm ad id induceret conſcientia indiſcreta, renunciandum eſſet, ut in *cap.* 1. *de renunciat.*
lib. 6. Et hoc intendit Hoſt. hic *nu.* 4. *in ver. Suſcepit*, dum 20
ait filium, qui aſſertioni matris credere non vult, omninò ſecutum eſſe, ſi exinde non habeat conſcientiam læſam, arg. d. *l. Filium*; alioquin ſi veniat contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, *cap. fin. ſupra de præſcript.* & mox ſubdit. Sed verè niſi acquieſcat in hac parte verbis maternis, quæ melius alio veritatem novit, arg. *ſupra de reſcrip. cap. ab Excommunicato*; & de qua non eſt veriſimile, quòd falſum dicat; argum. *cap. Afferre*, & *cap. Litteras*, §. 1. *verſ. Quamquam, ſupra de præſumption.* unde & ei omninò credendum videtur, ut *cap.* 3. §. *Qui enim melius, ſupr. qui matrim. accuſ. poſſ.* ſatis poteſt dici, quod talis eſt in conſcientia nimis fortis: ita formaliter Hoſt. cum quo tranſeunt Jo. Andr. *num.* 3. & reliqui omnes,

Refert

Digitized by Google

21 Refert Alciatus *de præſumpt. reg.3. præſumpt.37. num.6. verſ. Sed vide*. Viduam quamdam Avenionenſem hac cautelam uſam fuiſſe: cùm in extremis ageret tribus filiis, quos habebat accerſitis, dixit: Unus veſtrùm ex adulterio à me progenitus eſt, & mariti mei bona injuſtè poſſidet; ne animæ meæ detrimentum patiar, intendo hoc declarare, niſi vos invicem pacto convento jus omne veſtrum remittatis: quo audito, quilibet de ſe ipſo cœpit dubitare, unde omnes voluntati matris acquieverunt, & pacti ſunt; quare mater à declaratione abſtinuit. Et putat Alciatus matrem illam fuiſſe tutam quoad Deum per hanc Decretalem, pactumque inter fratres fuiſſe legitimum, & obſervandum. Quod minimè verum eſt, quia fratres non ſpontè juri ſuo ceſſerunt, ſed metu maternæ declarationis adacti: unde meritò hanc cautelam refellunt Covarr. *in reg. Peccatum, part.1. §.1. verſ. Nec mihi placet, de regul. iur. in 6.* Menoch. *d. caſu* 89.*n.*30.& alii recentiores.

22 Secundò nota ibi, *in pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam*, peccatum in confeſſione detectum poſſe à Sacerdote revelari pro conſilio obtinendo, concordat textus in *cap. Omnis infra eodem*, ibi: *Sed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ cautè requirat*. Unde infertur per locum à ſpeciali, ut extra hunc caſum non liceat Sacerdoti revelare peccatum etiam ſine revelatione pœnitentis. Sed quia hoc non tranſit abſque difficultate.

23 QUÆRO generaliter, utrum confeſſor prohibeatur revelare non tantùm peccatorem, ſed etiam peccatum in Sacramento Pœnitentiæ ſibi detectum.

Abbas Siculus d. *c. Omnis, n.8. in alt. notab. infra eod.* putat Sacerdotem incidere in pœnam ibi ſtatutam non ſolùm ſi revelet peccatorem, ſed etiam peccatum ſibi detectum in confeſſione. Quod ſecundum eum eſt contra ſimplices, qui aſſerunt peccatum impunè poſſe revelari, ſed non peccatorem: nam minus benè loquuntur, ut ipſe ait, quia contrarium probatur in d. *c. Omnis*, in duobus locis. Primò ibi, *qui peccatum*, ubi expreſsè probatur hoc. Secundò per locum à ſpeciali in verbis præcedentibus: nam textus permittit Sacerdoti revelationem in uno caſu dumtaxat, idest cùm indiget prudentiori conſilio; & tunc debet etiam cau-
24 tè revelare. Tertiò hoc probatur ratione: nam Sacerdos ita ſcit peccatum, ſicut peccatorem tamquam Dei miniſter: ergo non debet tamquam homo peccatum revelare, quia neſcit ut homo, ſed ut Deus, & contrafaciens graviſſimè peccat; unde punitur tamquam hæreticus reverſus ad fidem, ut ibi per eum.

Sed oppoſitum cenſet Paludanus *in 4. diſt.*21. & communiter Theologi, ut teſtatur Navarr. in *cap. Sacerdos, num.75. de pœn. diſt.7. tom.2. Commen. pag.793.* concludentes non eſſe confeſſionis revelatorem qui diceret, tale, vel tale peccatum mortale audivi in confeſſione; modo tanta cautela id faceret, ut nullatenus in notitiam peccatoris deveniri poſſet.

25 Moventur primò per hanc Decretalem, ubi Cardinalis Legatus ſignificavit Papæ peccatum ſuppoſiti partus in pœnitentia ſibi confeſſum, ut habetur in principio litteræ, nec Papa hoc factum damnavit, imò ad Legati conſultationem reſpondit: quod non feciſſet, ſi eidem Legato peccatum ſibi in confeſſione detectum revelare non licuiſſet: licet Navarr. in d. *c. Sacerdos n.78.* putet hunc textum non admodum urgere, quia cauſa revelandi hic fuit ut peteretur conſilium ſuper dubio caſu, quod ſpecialiter permittitur in *d. c. Omnis*, ut dictum eſt ſupra *in 2. notab.*

Moventur ſecundò, quia cauſa finalis cur prohibita ſit revelatio peccati in pœnitentia confeſſi eſt, ne prodatur peccator; & ſic fideles à confeſſione ſacramentali deterreantur, ut in d. *cap. Omnis*, ibi: *Caveat Sacerdos ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem*, ſed per revelationem peccati tantùm peccator ipſe non proditur, nec cognoſcitur, dummodo cautè id fiat, ſicut hic fecit Cardinalis legatus, & patet in *cap. Si ſacerdos, ſupra de offic. Ordin. & in cap. Significaſti*, ibi, *nomen adulteri celans, de adulter.* Ergo ceſſat prohibitio, arg. *cap. Etſi Chriſtus, ſupra de iureiur. cap. Cum ceſſante, de appellat. & l. Adigere, §. Quamvis, ff de iurepatr.*

Ac poſtremò ſuffragatur huic ſententiæ quod, ut Navarr. teſtatur in *eod. c. Sacerdos n.75.* frequenter audiuntur viri graves talia dicentes; & tamen nemo dixerit eos eſſe confeſſionis revelatores.

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Quid dicendum? Ego arbitror quæſtionem hac diſtin- 26
ctione ſolvendam eſſe.

Aut quæritur an peccata ipſa ſine expreſſione perſonæ cadant ſub ſigillum confeſſionis ſacramentalis; & puto negativè reſolvendum hoc validiſſimo, ni fallor, funda- 27
mento: nam hoc ſigillum, ſicut & confeſſio eſt de neceſſitate ſacramenti, & de jure divino, ut docet S. Thom. *in 4. diſt.21. qu.3. art.1. qu.1. in corp. & in reſp. ad 2.* Silveſt. *in ver. Confeſſio 3. n.2.* & paſſim Theologi, & Canoniſtæ: & conſequenter Eccleſia ſuper hoc ſigillo diſpenſare non poteſt, nam ut ibidem inquit D. Thomas, præceptum de con- 28
feſſione ſervanda conſequitur ipſum ſacramentum, & ideò ſicut præceptum de confeſſione ſacramentali facienda eſt de jure divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel juſſione humana homo ab ea abſolvi, ita nullus ad revelationem confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari. Et hoc 29
innuit Decretalis. *Si ſacerdos, de offic. Ordin.* dum determinat Ordinarium poſſe indeterminatè tantùm & non nominatim arguere, vel punire eum, quem in confeſſione novit eſſe criminis reum, quia non ſcit ut judex, vel homo, ſed ut Deus. Ad idem text. in *cap. Dilectus*, & ibi gloſ. 1. & DD. ſupra *de exceſſ. Prælator.* S. Thom. *loc. cit. in reſpon. ad primum*, ubi ait: *Illud quod ſub confeſſione ſcitur, eſt quaſi neſcitum, cùm ſacerdos neſciat ut homo, ſed ut Deus*. Aliam rationem cur Papa non poſſit ſuper ſigillo confeſſionis diſpenſare aſſignat Abb. in d. *c. Dilectus*, quia 30
ſacerdos in actu confeſſionis eſt vicarius Dei ſpecialis, Papa verò generalis. Specialis autem quoad illam ſpeciem 31
major eſt generali, *c. Studuiſti, de offic. deleg.* ſequitur Silveſt. *in ver. Confeſſio 3. n.2. verſ. Tertiò quæritur*, & eſt ex mente gloſ. primæ in *eod. c. Dilectus*, ibi: *Et in hoc maior erat ipſis Rectoribus, quia Dei legatione fungitur*.

Quæ cùm ita ſint, ſi peccata ipſa caderent ſub ſigillum 32
confeſſionis, non potuiſſet Innocentius III. & Concilium generale ſtatuere, ſicut ſtatuit in d. *cap. Omnis infra eod.* ut liceret ſacerdoti, ſi prudentiori conſilio indiguerit, revelare peccatum ſibi confeſſum; quia præter pœnitentem, nullus mortalium diſpenſare poteſt, ut liceat frangere ſigillum confeſſionis ſacramentalis, ut oſtenſum eſt ſupra, nedum pro prudentiori Conſilio exquirendo, ſed nec pro alia cauſa quamtumvis gravis; imò nec ſi ageretur de ſalute totius mundi, ut formaliter inquit Sot. *de tegen. ſecreto quæſt.7. membr.2. concluſ.4. verſ. attamen*. Quamobrem fateri oportet, aut Papam cum Concilio in dict. *cap. Omnis*, permiſiſſe revelationem peccati contra neceſſitatem ſacramenti, & divinam juriſdictionem, quod impium, & erroneum eſſet aſſerere, *cap. Sunt quidam, 25. quæſt.1.* aut revelationem peccati ſine expreſſione peccatoris ad ſigillum confeſſionis non pertinere. Et ſanè ſi Concilium ſtatuiſſet ut pro prudentiori conſilio liceret confeſſori revelare peccatorem, nemo auderet affirmare hoc ſtatutum eſſe validum. Idque non alia ratione, niſi quia per hoc violaretur ſigillum confeſſionis, quod eſt de jure divino, contra quod Eccleſia non diſpenſat, ut in *cap. Sunt quidam*: ergo eodem modo non potuiſſet Concilium ſtatuere, ut liceret pro prudentiori conſilio peccatum revelare, ſi peccatum ipſum, non ſecus ac peccator caderet ſub hoc ſigillum: unde hæc differentia evidenter convincit non eſſe confeſſionis revelatorem, ejuſque ſigilli violatorem qui peccatum revelat ita cautè, ut inde in notitiam peccatoris deveniri non poſſit. Et in hoc primo caſu ſalvari poteſt ſententia Theologorum.

Aut quæritur an revelatio peccati ſine expreſſione per- 33
ſonæ cadat ſub prohibitionem poſitivam Eccleſiæ, de qua in d. *cap. Omnis*. Et in hoc caſu magis adhæreo opinioni Abbatis; tum quia hoc probat littera d. *cap. Omnis*, ut ſupra ponderata *num.23.* Tum quia id rationabiliter ſan- 34
citum eſt propter periculum manifeſtationis pœnitentis: nam etſi non ſemper ex revelatione peccati prodatur pœnitens, præſertim ſi cautè hoc fiat, prout hic fecit Cardinalis Legatus, & præcipitur in d. *cap. Omnis, verſ. Sed ſi*, tamen poteſt multoties accidere oppoſitum. Ubi autem vertitur ſalutis periculum, non eſt novum ut Eccleſia generaliter aliquid ſtatuat, vel prohibeat ad cautelam eorum, quæ poſſunt contingere, ut ſunt jura clara in *cap. Dixit Dominus, 32. qu.1. in cap. Licet, ſupra de elect. in c. Ad aures, de tempor. ordinat. & in cap. Romana, §. In univerſitatem, de ſent. excomm. lib.6.* cum concordan. ibi adductis per gloſ. *in ver. Eſſe poteſt*, & Hoſtien. *num.5. in eod. ver.*

Digitized by Google

Io infraſcritto faccio fede, che ſe bene avanti la reforma del
Pontificale antico fatta à tempo della ſan. mem. di Clemente
Ottavo era uſanza nel dare l'habito à' Cavalieri regolari, ò
di Malta, ò di ſan Giacomo, ò di ſan Giorgio, ò altri ſimili
avanti di ricevere la loro profeſſione, quando ſi faceva in ma-
no del Papa, ò d'altro Delegato Apoſtolico, di crearli Ca-
valieri con le ceremonie di ſpada, e ſproni, regiſtrata nel me-
deſimo Pontificale alla rubrica penultima del lib. primo, per-
che così preſcriveva la Rubrica ultima de creatione militis
Regularis, *all'iſteſſo lib. primo. E così in conformità ſi tro-*
va notato nel libro de' giuramenti, del quale ſi ſervivano i
Maſtri delle Ceremonie di quel tempo, quanto ne i loro Dia-
rii, che ſono appreſſo di me: nondimeno doppo la reforma pre-
detta, perche nel nuovo Pontificale fu in ſpecie reformata la
rubrica de creatione militis Regularis, *e fu riſtretto l'atto*
alla ſola impoſitione dell'habito, e ricevimento di profeſſio-
ne, e fu levata la ceremonia ſudetta di creare li Cavalieri
con ſproni, e ſpada: percio nel libro de' giuramenti, che han-
no uſato da quel tempo in quà i Maſtri delle Ceremonie, e nel-
li Diarii da loro tenuti, che ſi trovano appreſſo di me, è nota-
to la formula di queſt'atto, e l'atto medeſimo ſenza queſta
Ceremonia. Et in queſta conformità ſono ſtato inſtrutto dalla
buon. mem. del Sig. Paolo Alaleona mio Zio, che fu Maſtro
delle Ceremonie ne' Pontificati di Clemente VIII. Leone XI.
Paolo V. Gregorio XV. & Vrbano VIII. e così ho doppo prat-
ticato più volte, &c. Io Gaſparo Servantio Maſtro delle Ce-
remonie di Noſtro Sig. affermo quanto di ſopra mano propria.

60 Ratio autem differentiæ inter militem ſæcularem, &
regularem ea reddi poteſt, quia cùm miles ſæcularis nul-
lam emittat profeſſionem, neceſſe eſt, ut dignitas militaris
illi conferatur ab habente authoritatem per aliquod ſi-
gnum ſenſibile; & ſic per traditionem cinguli, & calca-
rium, ut notant omnes *in l. penult. ff. Ex quibus cauſ. maior.*
Nam ut inquit S. Thomas *in 4. ſent. diſtinct. 4. art. 2. ad 2.*
cùm qualibet poteſtate exterius datur aliquod viſibile ſi-
gnum illius poteſtatis, ſicut Regi datur corona, & ſce-
ptrum; & Pontifici mitra, & baculus, & annulus. At
verò cùm miles Regularis ſolemnem emittat profeſſionem
à militibus illius Ordinis emitti conſuetam, & per hujuſ-
modi profeſſionem cum impoſitione habitus creetur miles
Regularis, ut in Pontificali meritò ornatus cinguli, ſeu
aliud ſenſibile ſignum ad creandum militem Regularem
non exigitur.

61 Quin etiam ulterius cogitanti verius videtur nec in mi-
lite ſæculari de jure ornatum cinguli eſſe ſubſtantialem,
quod conſtat ex *l. Filius familias, ff. de milit. teſtam.* ubi
dicitur: Filius familias equeſtri militia exornatus, in
Comitatu Principis retentus, cingi confeſtim juſſus eſt:
& ſic primò fuit creatus miles, & tertio loco cingulo mi-
litari præcinctus: & ideò gloſs. *in ver. Confeſtim*, ex eo textu
deducit regulam quam multis ſimilibus exornat videlicet
ſtatim, ſeu proximè cingendus habetur pro cincto; &
Bart. in ſumma illius textus ſimiliter notat haberi pro fa-
cto quod de proximo eſt faciendum, & Lucas de Penna
in l. His quidem, num. 5. C. Qui militar. poſſ. lib. 12. ex ea-
dem lege notat militem paratum accingi, haberi pro ac-
cincto: & ita intelligunt verbum, *confeſtim*, cum aliquo
temporis intervallo, ut *l. 2. §. Confeſtim, ff. ad Tertullian.*

62 Ergo cingulum non poteſt cenſeri de forma ſubſtantiali
gradus militaris, quia tametſi ſubſtantialia actus quando-
que poſſint permitti, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra
num. 41. tamen ſolemnitas, quæ poteſt ſubſequi, nunquam
dicitur de ſubſtantia, vel forma, Bald. *in l. Vniverſa,*
num. 2. verſ. Quandoque lex, C. de prec. b. Imper. offer. Fe-
lin. *in cap. Cum dilecta, num. 6. verſ. Sextum*, ibi, *quando*
vero ſolemnitas, de reſcript. & latius in *cap. Quoniam in*
princ. ut lit. non conteſt. & ratio eſt evidens, quia implicat
contradictionem, ut actus ſit prius in actu productus, &
poſtea recipiat eſſe à forma, quæ dat eſſe rei, *l. Iulianus,*
§. Si quis, ff. ad exhiben. quia ſic eſſet, & non eſſet, quod
eſt impoſſibile, *l. Vbi repugnantia, ff. de regul. iur.* Itaque
63 ornatus cinguli in milite ſæculari non requiritur niſi
quoad hoc, ut tanquam miles perfectus gaudeat privi-
legiis militaribus: & ita loquitur textus in *dict. l. Filius*
familias, ff. de milit. teſtam. & notat Accurſ. *in l. penult.*
ff. Ex quibus cauſ. maior. dicens ad hoc ſex neceſſaria eſſe,
& quarto loco commemorat ut enſe cingatur; & tradit
poſt alios Ripa in *l. Centurio, num. 9. verſ. Prima quia, ff.*
de vulg. & ita etiam intelligi debet *ſtatutum 31. de recep. frat.*
quod non matriculati pro fratribus non habeantur, id eſt
privilegiis non fruantur. Et ideò requiſita gloſſæ *in d. l. pe-* 64
nult. appellat Cæremonias Pariſ. de Put. ſupra citatus *num.* 6.
nec hodie ſunt prorſus in uſu, teſte Afflict. *Ad Conſtit.*
Neapol. lib. 1. de illicit. port. armor. num. 29. ubi in ſpecie
aſſerit hanc ſolemnitatem cinguli tanquam inutilem, &
accidentalem, unam cum aliis eſſe ſublatam, & ſuffice-
re ut miles vacet militiæ ad hoc ut gaudeat militum privi-
legiis. Idemque affirmant *in d. l. Centurio*, Alex. *num.* 23.
& Ripa *d. num.* 9. Ideòque ut adnotavit Franciſc. Mennen.
de equeſt. ſeu milit. Ordin. Symbol. in cap. de forma veteri,
& nova creandi Equites, fol. 4. verſ. Hinc cingulo, cum
priſco more in creatione militis ſolemnitas cinguli adhibe-
retur; ideò retenta eadem forma loquendi, dicitur, etiam
hodie decorari cingulo qui miles creatur, etiamſi ea ſo-
lemnitas non ſervetur. Quo factum eſt, ut cingulum tranſ- 65
lativè accipiatur pro inſigni cujuſlibet dignitatis, etiamſi
enſis non applicetur, ut obſervat Petr. Gregor. Tholoſan.
in ſyntagm. iuris univerſ. cap. 30. num. 13. & patet ex *cap. Ex*
antiquis, in princ. 54. diſt. ubi Clericus dicitur cœleſtis mili- 66
tiæ cingulo præcingi, & tamen Clericus nec enſe accingi-
tur, nec calcaribus, *cap. Quicunque, il ſecondo*, 23. q. 8. Et 67
multoties in jure cingulum pro dignitate ipſa uſurpatur, ut
l. 2. C. de metatis, & epidemeticis eod. lib. & l. fin. C. de Præ-
poſit. ſacr. Cubicul. d. lib. 12. & not. gloſſ. in Authen. *Iuſiu-*
randum, quod præſtatur ab his, quæ exponit verbum *cinguli*,
id eſt dignitatis.

Nec applicatur ſimile de milite cœleſtis militiæ, quia in 68
collatione Ordinum materia, & forma ſunt de neceſſitate
ſacramenti ex inſtitutione Chriſti, ut dixi in *cap. Cum con-*
tingat, num. 3. de ætat. & qualit. Præterquamquod degra-
datio Clerici fit etiam per ablationem ornamentorum, quæ
ad ſubſtantiam Ordinis non pertinent, ut *in d. cap. Degra-*
datio, ibi, *veſtimento, ſeu ornamento, de pœn. lib. 6.* & ex
his patet etiam ſolutio ad objecta.

Sed quidquid ſit in milite ſæculari, certè in milite regu- 69
lari, de quo nunc agimus, in jure de hac ceremonia cingu-
li, ut prædixi *num.* 58. nil cautum reperitur; & in univer-
ſis Ordinibus regularibus ſubſtantia profeſſionis conſiſtit
in tribus votis ſolemnibus Obedientiæ, Paupertatis, & Ca-
ſtitatis, *cap. Cum ad monaſterium, §. Nec æſtimet*, juncta
gloſs. *ultim. & cap. Monachi, de ſtatu Monachor.* Clemen.
1. de Religioſ. domib. Concil. Trident. *cap. 1. ſeſſ. 25. de Re-*
gular. Navar. *conſ. 12. eodem tit.* Rota *deciſ. 216. num. 3.*
part. 2. diverſ. Habitus verò ſuſceptio quamvis fiat ſimul, & 70
contemporaneè cum actu profeſſionis, & per manus ejus
qui ad Religionem accepiat, nihilominus quia accidenta-
lis, & extrinſeca eſt profeſſioni, non eſt de ſubſtantia mo-
nachatus: imò valet profeſſio ſine ſuſceptione habitus Re-
ligionis, ut eſt caſus in *cap. Porrectum*, & ibi Joan. Andr.
Butr. Cardin. & omnes *ſupra, de Regular. & in cap. Quia*
ingredientibus, de teſtam. ubi Abbatiſſa declaratur pro-
feſſa, quæ tamen nunquam induit habitum monia-
lium.

Nec refragatur, quin potius favet Pontificale Roma-
num ſupracitatum *num.* 12. nam verba illa, *in primis impo-*
ſuit ei habitum, deinde recepit profeſſionem, apertè oſtendunt
habitum eſſe quid præambulum ad profeſſionem: è con-
verſo autem in hac ipſa Religione ex ſtatuto ſecundo de
receptione Fratrum miles primùm emittit profeſſionem,
deinde recipit pallium cum Cruce, qui eſt habitus pro-
feſſorum; & ita obſervatum fuit in noſtro Equite, qui
prius emiſit tria vota ſubſtantialia, & poſtea habitum
regularem ſuſcepit, ut in inſtrumento ſuæ profeſſionis;
& conſequenter habitus ad ſubſtantiam profeſſionis perti-
nere non poteſt, ut patet ex dictis ſupra *num. 38. & 62.*
Ergo idem dicendum de cingulo, nam, aut volumus mili- 71
tiæ cingulum contineri appellatione habitus juxta textum
in *l. Veſtis, ff. de aur. & argent. legat.* & ſanè ſi habitus
non eſt de ſubſtantia, utique nec cingulum. Aut volu-
mus cingulum eſſe quid diverſum ab habitu (quod verius
videtur, ut patet ex ſtatuto ſecundo de recept. fratrum)
& tunc longè minus poteſt cenſeri ſubſtantiale, cum ſit
ceremonia magis remota, & extrinſeca, quàm habitus re-
gularis. Ideòque ex ſtatuto ſecundo de recept. fratrum or-
natus cinguli præcedere debet habitus ſuſceptionem: &
ita inter alias accidentales cæremonias profeſſionis mi-
litaris in hac ipſa Religione Hieroſolymitana recenſetur
ab Antonio Poſſevino, quem refert Franciſc. Menna in
libel-

libello, cui titulus, *Militiarum Ordinum Origines*, *fol.*
72 33. & in antiquo Pontificali Romano impoſitio Spathæ,
ſeu cinguli non præſcribebatur præciſè, ſed alternativè,
ut patet ex illis verbis: *Tunc imponit ei Crucem, ſive ſpa-
tham, aut aliud ſignum, ſive habitum, &c.* quod eviden-
ter oſtendit hanc cæremoniam ſemper fuiſſe accidenta-
lem, quia alternativa diſpoſitio non dicitur præciſè al-
terum continere, *§. Huic autem, Inſtit. de action.* De-
cius in *cap. Inter ceteras, in 3. notab. de reſcript.* & ſicut
habitus non eſt ſubſtantialis, ut oſtenſum eſt ſupra *nu.* 70.
ita nec Spatha, cùm omnia ponantur ſub eadem oratio-
ne, & verborum ſtructura; ideòque æqualis debeat eſſe
determinatio, *l. Iam hoc iure, §. Sed ſi*, & ibi Bart. *num.*
1. *ff. de vulgar. & pupillar. cum ſimil.* Hæc de jure com-
muni.

73 Quod autem ſpectat ad ſtatuta hujus Religionis ſimili-
ter certum eſt eſſentiam profeſſionis conſiſtere in tribus
votis ſubſtantialibus: ut ſatis liquet ex *ſtatuto ſecundo de
regula:* & quamvis tres ſint gradus in ea profitentium,
de quibus in præallegat. *ſtatut. 2. de recep. fratrum*, omnes
tamen unica forma profeſſionem emittunt, ut *ſtatuto pri-
mo de regul.*

74 Tota igitur difficultas reſtringitur ad intellectum dicti
ſtatuti ſecundi de recep. fratrum, in quo ſcribentes pro E-
quite potiſſimum ſe fundant, ut cingulum ſit de ſubſtan-
tia profeſſionis, tum ponderando verba, *e neceſſario*, tum
ponderando illud prius, & poſteriùs, *prima che pigli l'ha-
bito*, ex quibus contendunt formam ſubſtantialem fuiſſe
inductam, ut in argumentis contrariis ſuprà à *nume-
ro* 25.

Sed pro ſolutione obſervandam eſt hanc rubrìcam, quod
verba neceſſitativa, & ordo datus per priùs, & poſteriùs in-
ducant formam annullativam actus in contrarium geſti,
recipere quatuor notabiles limitationes, quæ caſui noſtro
apertiſſime accommodantur.

Limitatur enim primò, ut non procedat quando eadem,
vel alia jura dicunt actum valere: ut poſt Tancredum de-
clarat Joan. Andr. in *cap. Ad Apoſtolicam, num. 3. in verb.
Obtinet, de regular.* cum quo tranſeunt communiter DD.
75 ut ibi teſtatur Abb. *num.* 11. Hoc autem caſu profeſſionem
ex omiſſione cinguli non eſſe nullam ſatis conſtat ex *ſtat.
24. de recept. fratrum*, quo cautum eſt, ut infra videlicet:
*Chi ſarà ricevuto contro la forma degli ſtatuti, ſe ſarà Ca-
valiero, ſia ridotto à Fra ſervente; ſe ſarà Fra Capellano
à Frate d'obedienza, e ſe ſarà Frà ſervente d'arme, ſi redu-
ca à Frà ſervente d'officio, e ſia inhabile ad ogni amminiſtra-*
76 *tione di Commende, e beni dell'Ordine noſtro.* Pœna enim
hæc ſpecialis utique tollit aliam pœnam annullativam
actus, Bald. in *l. Non dubium, num. 28. C. de leg.b.* Car-
din. in *Clem. 1. numer. 2. de reſcript.* quod proculdubio lo-
cum habet hoc caſu, in quo pœna ſpecialis non ſe compa-
titur cum pœna nullitatis, ut ibi per Bald. nam ſi profeſ-
ſus in gradu militis non ſervata forma ſtatutorum dejicitur
non a Religione, ſed ad gradum inferiorem, & redditur
inhabilis ad Commendas, utique neceſſariò ſupponitur
validè profeſſus; alioquin inepta eſſet inhabilitatio ad
Commendas, quæ non dantur niſi militibus profeſſis: nec
talis poſſe cogi quacumque auctoritate ad permanendum
in Religione in gradu inferiori, quia conſenſus liber eſt
de intrinſeca ratione voti, ut dixi in *cap. Tua littera, nu.
50. de Cler. per ſalt. promot.*

77 Nec refert, quod hujuſmodi ſtatutum fuerit caſſatum,
& abrogatum ab ultimis duobus Capitulis Generalibus an-
no 1612. & 1631. ut in ordinatione 8. *de recep. fratrum.*
Quoniam abrogatio, & correctio facta fuit, quo ad pœ-
nam dejectionis ad gradum inferiorem, ſed illius mens,
quoad validitatem receptionis non fuit correcta: & adhuc
durat, argum. *l. Eas, ff. de cap. diminut.* & notant Joan.
Andr. & Gemin. in *cap. 1. §. Illum autem, in fin. de reſtit.
ſpoliat. lib. 6.* nam ſi ante annum 1612. quo prædicta or-
dinatio edita fuit, verba illa, *e neceſſario*, non importa-
bant formam annullativam actus; & profeſſio contra for-
mam ſtatutorum non erat irrita: utique nec hodie irrita
erit, cum nullum ſtatutum novum reperiatur, quod hanc
nullitatem induxerit, ad gloſſ. in *in cap. Conſtitutionem, in
verb. Prorogamus, in fin. de reg. lib. 6.*

78 Prætereà in ſtatuto primo de receptione fratrum, ubi pre-
ſcribitur forma recipiendi novitios ad profeſſionem, ut pa-
tet ex rubrica, quæ inſcribitur, *Come devono eſſere rice-
vuti li fratelli della Religione Geroſolimitana alla profeſſio-
ne*; nec verbum quidem reperitur de ornatu cinguli. Imò
in ſtatuto ſecundo de regula, ubi fit ſpecialis mentio de
gradu militari, ſubſtantialia regulæ dicuntur conſiſtere in
tribus votis Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis: ſed
de cingulo agitur tantummodo in ſtatuto ſecundo *de recep.
fratrum*, ubi tractatur de diviſione graduum, ut conſtat
ex illius rubrica, *Della diviſione de' gradi de' fratelli dell'
Ordine noſtro.* Quod eſt argumentum evidens hanc cære- 79
moniam cinguli ad ſubſtantiam profeſſionis non pertinere,
ſed ad ornatum, & diſtinctionem graduum dumtaxat; a-
lioquin de illa agendum fuiſſet in ſtatuto præcedenti, qui
eſt locus, ubi ſubſtantialia profeſſionis præſcribuntur, ar-
gum. *in 1. Conſtitut. Codicis, §. Quibus*, ibi, *& congruis
titulis ſubdere*: ex eo enim, quod aliqua materia ponitur
ſub aliquo rubro, judicatur eſſe illius naturæ, cujus eſt ru-
brum, gloſſ. in *cap. 1. in verb. Conſervatores, in princip.
& in cap. Si ſuper gratia, in verb. Principalis, verſ. Sed
executor, de offic. deleg. lib. 6.* Everard. *in loco à rubro, nu-
mer. 4. verſ. Tertio:* & ſic verba illa, *e neceſſario*, ſunt
intelligenda de illa neceſſitate, quæ requiritur ad diſtin-
guendum gradum militarem a gradibus Capellanorum; &
ſervientium, non autem de neceſſitate requiſita ad valo-
rem profeſſionis.

Limitatur ſecundò: ſupraſcripta theorica, ut locum 80
non habeat in profeſſione, in qua propter gravitatem ma-
teriæ ſpeciale eſt, ut lex, vel ſtatutum non cenſeatur tra-
dere formam ſubſtantialem niſi adjiciat decretum irritans,
Abb. in *cap. Porrectum, num. 13. de regul.* Silveſt. *in verb.
Religio, 3. quæſt. 1. & 18. in fin.* Tabiena *in eodem verbo,
quæſt. 11. num. 12.* Azor. *inſtit. moral. par. 1. lib. 12. cap.
5. quæſt. 7. in fin.* Sanchez alios referens *ſuper Decalog. lib.
3. cap. 3. num. 4.* Quod procedit etiamſi datus ſit ordo per 81
prius, & poſterius, ut in terminis eſt textus in *cap. Ad
Apoſtolicam, de regular.* ubi refertur antiquum præceptum
negativum ne Monachus fiat ante unius anni probationem,
& ita eſt ibi prius, & poſterius; & tamen profeſſio facta
in ordinibus non Mendicantium infra annum probationis
valida eſt: quia, ut ibi dicitur, multa fieri prohibentur,
quæ facta tenent: licèt ſecus ſit poſt Concilium Tridenti-
num, quia *cap. 15. ſeſſ. 25. de regul.* habet clauſulam de-
creti irritantis. Ad idem textus in *cap. Si vir, & uxor*, 27.
quæſt. 1. ubi præcipitur, ut ſi vir, & uxor pro ſola religio- 82
ſa vita divertere inter ſe conſenſerint, nullatenus ſine Epi-
ſcopi conſenſu, hoc eſt licentia, id fiat: & ſic eſt etiam
ibi prius, & poſteriùs, cùm Epiſcopi licentia debeat in-
greſſum Religionis præcedere, & nihilominus ſi conju-
ges profiteantur hujuſmodi licentia non præmiſſa, tenet
profeſſio, ut ibi firmat gloſſ. *in verb. Conſenſu*, Archidiac.
num. 2. Bellam. & Turrecrem. *num.* 1. & tamen textus u-
titur dictione illa, *nullatenus*, quæ importat nullitatem
actus ipſo jure, ut in *Authent. Si qua mulier*, juncta gloſſ.
*in verſ. Nullatenus, C. Ad Senatus conſult. Velleian. Cle-
men. ultim. cum gloſſ. in verb. Nullatenus, de ſequeſtr. poſ-
ſeſſ. & in Clem.* 1. ubi gloſſ. *in eod. verb. de ætat. & qua-
lit.* Cardin. in *cap. Super litteris, num. 5. in fin.* & ibi et-
iam Andreas Siculus *num. 82. verſ. Item etiam, de reſcript.*
& habet vim decreti irritantis, Felin. in *cap. Ex litteris*, 83
num. 7. in 5. caſu, de conſtitut. Rota *deciſ. 24. num. 4. par.
2. diverſ.* Rurſus ad idem eſt Concilium Tridentinum in 84
cap. 17. ſeſſ. 25. de regular. ubi ſtatuitur per priùs, & po-
ſteriùs, ut puella profeſſionem non emittat, antequam
Epiſcopus exploraverit ejus voluntatem; & tamen profeſ-
ſio facta non præmiſſa hujuſmodi exploratione valida eſt,
ut per Menoch. *conſ. 396. num. ultim. vol. 4* & alias cen-
ſuit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii Interpres. Item 85
quamvis in aliquibus Religionibus adſint ſtatuta, ut nul-
lus admittatur ad profeſſionem, qui ſaltem decimum o-
ctavum ætatis ſuæ annum non attigerit, vel vigeſimum
non expleverit, ut Ordinibus Minorum, & Sanctiſſimæ
Trinitatis Redemptionis Captivorum, tamen ſi quis ſtatum
profiteatur in prædictis Religionibus anno decimo ſexto
expleto, profeſſio ex hoc capite non eſt invalida, ut tenent
complures ex modernis, argum. d. *cap. Ad Apoſtolicam,
de regular.* & ſimiliter declaravit Sacra Congregatio Con-
cilii.

Limitatur tertiò, Doctrina Baldi, quod præpoſteratio 86
ordinis vitiet actum, ut procedat tantùm in formalibus,
& in his, quæ ſunt de ſubſtantia, ut in *cap. Cum dilecta*,

de

Digitized by Google

de reſcript. l. Prolatam, & ibi Bart. *num.* 4. *C. de ſentent.*
l. Vt debitum, *C. de hæredit. act. l.* 2. *§. Si Prius*, *ff. de vul-*
gar. & pupillar. Paul. de Caſtro *conſ.* 321. *Viſis actis*, *nu-*
mer. 3. *verſ. Nam præpoſteratio, in his, quæ ſunt de ſub-*
ſtantia, vitiat. lib. 1. Marant. *in proœm. prax. numer.* 5.
exemplum in *cap. Quia propter*, *ſupra de elect.* Primò e-
nim eligendi ſunt ſcrutatores, qui deinde ſcrutari debent
vota ſingulorum, mox vota in communi ſunt publican-
da, tandem ſequi debet communis electio; & hi actus
omnes ſunt ſubſtantiales: unde ſi fiat præpoſteratio, ele-
ctio non tenet, ut ibi firmant gloſſ. *in verb. Sanior*, Hoſt.
num. 44. *verſ. Decimum octavum*, Abb. *nu.* 16. *eod. verſ.*
& nullus diſcrepat. At verò in aliis actibus, qui ex ſui na-
tura ſubſtantiales non ſunt, ut de ornatu cinguli proba-
tum eſt ſupra, præpoſteratio non vitiat, quia ſi totalis il-
lorum omiſſio actui non obeſt, longè minùs præpoſtera-
tio, ut benè per Paul. de Caſtro *conſ.* 232. *in cauſa, quæ*
vertitur; *colum.* 1. *poſt medium*, *verſ. Non obſtat prædictis*,
& col. 2. *lib.* 1.

87 Limitatur deinceps theorica ſupraſcripta, ut non pro-
cedat quando ſtatuentes, ubi volunt actum eſſe irritum,
ex ſtylo apponunt decretum irritans: tunc enim non intel-
ligitur data forma ubi hoc decretum non reperitur, etiam-
88 ſi verba ex ſui natura ſint apta formam inducere, quia ſty-
lus hujuſmodi maximè eſt attendendus ad intelligentiam
ſtatutorum. Alex. *conſ.* 116. *n.* 7. *lib.* 6. latè Fel. in *cap.* 2.
col. 1. *de fide inſtrum.* extat hac de re inſigne exemplum in
Conſtitutione Gregorii XV. de Romani Pontificis electio-
89 ne; nam in §. *Matura itaque*, ſtatuitur electionem fieri ali-
ter non poſſe quam in conclavi, & eo clauſo, ac poſt cele-
bratum prima die Sacroſanctum Miſſæ ſolitum ſacrificium,
& ſic non modo eſt ibi datus ordo per priùs, & poſteriùs;
ſed etiam nec illa verba fieri aliter non poſſe, quæ ex ſui
natura formam ſubſtantialem inducunt, ut tradit Felin.
in dicto *cap. Cùm dilecta*, *num.* 6. *verſ. Septimum ſignum*,
ubi in diſpoſitione dicitur aliter fieri non poſſit, ibi eſt da-
ta forma, *de reſcript.* Decius *conſ.* 528. *numer.* 11. Pariſ.
conſ. 19. *num.* 20. *lib.* 2. & tamen quia forma ſubſtantialis
perſtringitur cum decreto irritante infrà in §. *Quod ſi ele-*
ctio, ubi de Miſſa nulla fit mentio: certum eſt Miſſæ ſa-
90 crificium ad formam electionis non pertinere. Hoc autem
caſu ibi ſtatuentes voluerunt actum eſſe nullum, explicitè
appoſuerunt decretum irritum, ut conſtat ex *ſtatuto* 22.
& 57. *de prohibit. & pœn. & ex ſtatut.* 5. 6. 7. 11. 12. *&* 14.
de contract. & alien. & ex ſtatut. 19. *&* 70. *de commun.*
ætan. & in materia profeſſionis ex *ſtatuto* 8. *de recept. fra-*
trum: ubi prohibetur diſpenſatio cum deſcendentibus à
Judæis, Saracenis, & Mahometanis in receptione ad ha-
bitum, & profeſſionem, & apponitur clauſula decreti.
Item ex ordinatione 8. *eod. tit.* ubi ſtatuitur, ut omnes
teneantur annum novitiatus peragere in conventu, ibique
habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere; & ſimiliter
adjicitur decretum irritans: unde ſi in aliis caſibus voluiſ-
ſent profeſſionem eſſe irritam, eodem modo id expreſſiſ-
ſent, quod cùm non fecerint in dicto ſtatuto 2. *de recept.*
fratrum; ſed ſimpliciter dixerint; *è neceſſario, che ſia or-*
nato del cingolo della militia: utique cenſentur noluiſſe,
cap. Inter corporalia, *poſt medium*, *verſ. Vnde ſi circa*, *ſu-*
91 *pra de translat. Epiſcop. cum ſimilibus*. Quinimò, quod
magis eſt, ex ſtylo ſtatutorum hujus Ordinis verba, *è neceſ-*
ſario, ſine decreto irritanti, non inducere nullitatem a-
ctus, conſtat manifeſtè ex ſtatuto 17. *de recept. fratr.* ubi
ſic legitur: *E neceſſario, che ſi provi autenticamente eſſer*
ſtato di Padri tali, che di nome, e d'armi ſiano nobili: &
tamen quia tranſgreſſio hujus ſtatuti tunc temporis non
vitiabat profeſſionem, fuit facta ordinatio prima, *eodem*
tit. in qua explicitè appoſitum fuit decretum irritans, de
quo dubitari non poteſt, quin referatur ad probationes no-
bilitatis. cùm ſit poſitum immediatè poſt illa verba, *Fa-*
ctis, & exhibitis probationibus nobilitatis, & legitimitatis re-
ſpectivè bonis, & validis. Et clauſula decreti in fine poſi-
ta referri debeat ad omnia præcedentia, ut firmavit Rota
in Toletana profeſſionis coram bon. mem. Card. Pamphi-
92 lio ſeniore apud Garziam *de beneficiis*, *par.* 5. *cap.* 2. *num.*
330. *poſt medium*, *verſ. Præſertim ſtante decreto*: & præ-
cipuè ad proxima. Si idem cum eodem, *in fin.* & ibi gloſ.
ultim. ff. de Iuriſdict. omn. iudic.

Ex quibus ſatis, ſuperque conſtat ornatum cinguli
ex præſcripto dicti Statuti ſecundi, *de receptiom. fra-*
trum, non eſſe de ſubſtantia profeſſionis.

Nec relevat objectum, quod Cardinalis Delegatus cum 93
clauſula, *ſervatis ſervandis*, nulliter proceſſerit non præ-
miſſa cinguli ſolemnitate, ex gloſſa, & aliis ſupracitatis,
num. 42. Nam reſpondetur primò clauſulam ſervatis ſer-
vandis non referri niſi ad ſubſtantialia, Menoch. *conſ.* 180.
num. 13. Conrad. *in prax. de ſponſal. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 17.
ubi quod ſi Papa committat diſpenſationem ſervatis ſer- 94
vandis, omiſſio denunciationum non vitiat, quia non
ſunt de ſubſtantia matrimonii: & alia exempla his ſimilia
recenſet Caſtro Palao *de legib. penes tract.* 3. *diſput.* 2. *punct.*
9. *num.* 3. *fol.* 182. *par.* 1. *Oper. Moral.* Rurſus cùm Bre- 95
ve non ſit directum Cardinali, ſed ipſimet parti impetran-
ti, non requiritur verificatio judicialis, nec executor effi-
citur mixtus, ſed merus, ut in *deciſ.* 302. *num.* 17. *par.* 8.
recent. Præſertim in litteris gratiæ, in quibus clauſulæ ap- 96
tæ de ſui natura importare executorem mixtum, nihil ope-
ratur, niſi adſit clauſula, *vocatis vocandis*. Rota in Ro-
mana Primogenituræ 29. Maji 1634.

Tandem, & fortè meliùs reſpondetur, tunc demum 97
delegatum non ſervata forma mandati nulliter procede-
re, ſi conditiones, & modificationes adjectæ in commiſ-
ſione ſint præter jus: Putà Provideas P. in tali Eccleſia ſi de
tali Vico ſit oriundus: & in hoc caſu intelligi debent gloſſ.
& DD. in contrarium citati. Secus verò ſi conditiones hu- 98
juſmodi: de jure in ſint, putà ſi ſit idoneus, vel ſervatis
ſervandis: quia tunc non eſt intentio committentis novam
formam inducere, ſed tantùm admonere, ut ſerventur
ea, quæ de jure, vel ſtatuto ſervari debent: quare iis non
ſervatis non irritatur actus, qui alias validus eſſet. Ad
quod eſt optima gloſſ. in *Clemen.* 1. *in verb. Repererint*, *de*
offic. Delegat. quæ dicit, clauſulam ſervatis ſervandis, &
aliàs conſimiles non ſonare in conditionem, ſed in moni-
tionem, nec dare novam formam mandato, ſed tantùm
inſtruere executorem; quàm gloſſ. ſequuntur *ibi* Cardin.
quæſt. 13. Imol. *num.* 20. *&* 21. Vitalin. *num.* 36. & con-
cordant Innocent. in *cap. Prudentiam*, *num.* 9. *verſ. Et ſi*
contrarium, *de offic. Delegat. & in cap. ultim. de præſum-*
ption. & Archidiac. in *cap. Dudum*, *verſ. In prima gloſſ.* 18.
quæſt. 2.

Quod demum ſpectat ad ordinationem primam *de rece-* 99
ption. fratr. conſtat evidenter in ea nullum fundamentum
fieri poſſe pro invaliditate profeſſionis ex omiſſione cingu-
li, quia tantùm præcipit, ne quis alio quocumque mo-
do, ſeu denominatione admittatur niſi in tribus gradibus
militum, Capellanorum, & ſervientium; & quoad hoc
opponit decretum irritans. Unde verba illa, *quocumque*
modo, non qualificant niſi modum receptionis extra me-
moratos gradus, extra quos ordinatio voluit receptionem
eſſe nullam, quocumque modo, gradu, vel denomina-
tione fiat. Hoc autem caſu novitius non fuit admiſſus ex-
tra illos tres gradus, ſed fuit receptus in gradu militum, ut
patet ex inſtrumento profeſſionis. Nec relevat objectum,
quod ordinatio ſe referat ad ſtatutum ſecundum de recep-
tione fratrum, in quo primo diſtinguuntur gradus, in
quibus ſunt fratres recipiendi, deinde ponitur ſolemnitas
cinguli: nam reſpondetur hanc relationem fieri tantum-
modo, quoad primam partem ſtatuti de diſtinctione gra-
duum, ſed non quoad ſecundam de ſolemnitate cinguli:
quod patet manifeſtè, quia ordinatio non præcipit, ut
receptio ad habitum fiat in tribus gradibus, juxta ſtatutum
2. 29. & 30. Sed dicit, *nullus recipiatur, niſi in tribus diſtin-*
ctis gradibus declaratis in ſtatut. 2. 29. *&* 30. & ſic relatio-
nem habet ad ſolam declarationem, & diſtinctionem gra-
duum, non autem ad modum receptionis, quia non ema-
navit ad præſcribendam receptionis ſolemnitatem, ſed ad
determinandos gradus, ut patet ex rubrica; itaut receptio
in aliis gradibus, quam præſcriptis in tribus memoratis ſta-
tutis quocumque modo fuerit facta, poſſit ſemper ut nulla
impugnari, quòd ob eam rationem ordinatum fuit, quia
cùm fratres Commendatarii prætextu ſervitii nonnum-
quam reciperent in ſuis Commendis fratres ſub alio gradu,
& denominatione, quàm expreſſis in eodem ſtatuto ſecun-
do, emanarunt prædicta ſtatuta 29. & 30. quibus prohi-
bentur alios fratres recipere in ſuis Commendis, quàm ſub
denominatione Capellanorum, & ſervientium. Sed quia
ſtatuta hujuſmodi negligebantur, propterea edita fuit præ-
dicta ordinatio cum decreto irritanti, ad hoc ut aliter rece-
pti quocumque tempore poſſent a Religione expelli.

Non

Digitized by Google

100 Non obſtat fides Vicecancellarii, quoniam regiſtratio non tendit ad finem approbandi, vel reprobandi profeſſionem, ſed ad hoc, ut currat Antianitas. Nec Vicecancellarius negavit deſcribere in Album Religionis profeſſionem, de qua agitur, ex eo quod eſſet nulla; ſed quia in ea emittenda non fuit ſervatus mos, & ritus, ſeu cæremonia cinguli, unde non ſequitur; Profeſſio non fuit regiſtrata: Ergo Vicecancellarius declaravit eam fuiſſe invalidam, ſed tantùm ſequitur, ut ſenſerit in ea emittenda non fuiſſe obſervatum ritum à Religione præſcriptum. Præterea quatenus hoc declaraſſet, ejus declaratio fuiſſet erronea, cùm ex jam dictis liqueat profeſſionem ex hoc
101 defectu cinguli non eſſe irritam. Demum eſto irrita eſſet, tamen non ſpectabat ad Vicecancellarium hoc declarare; quinimò nec ad ſolum Magnum Magiſtrum cum Conventu, quia ex decreto Concilii Tridentini *cap. 19. ſeſſion. 25. de Regular.* Cauſæ nullitatis profeſſionis ſunt deducendæ coram Superiore Regulari, & Ordinario. Et hæc forma ſervanda eſt non tantum cùm profeſſus allegat nullitatem ſuæ profeſſionis, ſed etiam cùm Religio vult eum ejicere tamquam invalidè profeſſum, ut meo tempore declaravit Sacra Congregatio.

102 Conſtat ex prædictis nec jus commune, nec ſtatuta Ordinis, nec ordinationes Capitulares ob cingulum non ſuſceptum, fuiſſe irritam hoc caſu profeſſionem expreſſam, pro cujus etiam validitate in dubio eſt judicandum, *l. Sunt perſonæ, ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* & tradunt Barbat. *conſ. 59. num. 12. poſt medium, vol. 2.* Navarr. *conſil. 13. numer.* 10. *de Regular.* Suarez *tom.* 3. *de Religion. lib. 1. cap. 1. numer.* 6. Sanchez *de matrimonio lib. 7. diſputat. 37. num. 12. in fin.* Seraphin. *deciſ.* 1361. *num.* 7. Rota in Romana Profeſſionis 23. Junii 1623. coram Remboldo.

103 Quo verò ad profeſſionem tacitam conſtanter ſupponendum eſt ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii eam habere locum etiam in Religione Hieroſolymitana, quidquid contra ſcripſerit Peregrin. *conſ. 116. num. 4. & ſeqq. lib.* 5. Nam propoſito dubio an ſit locus tacitæ profeſſioni inter milites Religionis Hieroſolymitanæ degentes extra conventum Hoſpitalis Meliten. Reſpondit indiſtinctè eſſe locum tacitæ profeſſioni, juxta juris diſpoſitionem, & comprehendi *cap. 19. ſeſſ. 25. de Regular.*

104 Non obſcurè autem inducta videtur in caſu præſenti, quia Eques, ut ipſemet fatetur in poſitionibus, ſuſcepit, ac detulit per aliquot menſes Crucem albam in pallio, qui in Religione Hieroſolymitana eſt habitus patenter diſtinctus ab habitu Novitiorum, ut patet in *ſtatut. 1. & 3. de recept. fratr.* ex inſtrumento profeſſionis exhibito, & ex
105 depoſitionibus teſtium. Ex ſuſceptione autem habitus hujuſmodi poſt novitiatum completum inducitur tacita profeſſio, etiam abſque exercitio actuum profeſſorum, *cap.* 1. ibi, *vel habitum Religionis ſuſcipiat, qui dari profitentibus conſuevit, de Regular. lib. 6. & cap. Conſtitutionem,* ibi, *Tacitè verò facta per ſuſceptionem habitus, qui profitentibus tantum datur, eodem tit. & lib.* Quod enim dicitur, habitus non facit Monachum, ut in *cap. Porrectum, de Regularibus, cum concord.* Locum habet in habitu probationis duntaxat, non autem in habitu profeſſionis; qui illicò Monachum facit, & ſolemnizat votum, ut notant in *cap. Statuimus, de Regular.* gloſſ. 1. Abb. Antiq. *in verb. Novitius,* Hoſtien. *numer. 1. in verb. Religionis, & num. 2. in ver. Conſuevit,* & Butr. *num.* 6. Archidiac. in *cap. Beneficium, num. 1. eod. titul. lib.* 6. & meo tempore ſæpiùs cenſuit Sacra Congregatio Concilii, prout etiam deciſum refert Raccius *deciſ.* 206. *num.* 1. Nec refert, quod teſtes deponentes in Ordine Hieroſolymitano Crucem albam in pallio eſſe habitum profeſſorum, & à ſolis profeſſis geſtari ſolitum, immediatè ſubjiciant, *ſe bene alle volte alcuno ſi piglia guſto di portarla benche non ſia profeſſo*; quoniam hæc verba ſonant potiùs in abuſum.
106 Nec prædictus Eques cenſeri poteſt Crucem albam detuliſſe ad voluptatem, ſed potiùs ut ſe gereret pro profeſſo, cùm eam ſolenniter ſuſceperit in actus profeſſionis: nam à primordio tituli poſterior formatur eventus, *l. Unica, Cod. de impon. lucr. deſcript. lib.* 10. & actu in dubio cenſetur factus in executionem obligationis præcedentis, *l. 4. §. Si ab ignoto, ff. de manumiſſ. cum ſimilib.* ut plenè per Alexan. *conſ. 40. num. 9. lib.* 3. & Menoch. *lib. 3. præſumpt. 49. numer.* 4. & ex cauſa neceſſaria potiùs, quàm voluntaria, ut *l. final.* cum ibi not. per Bart. *ff. de alim. pupill. præſtan.*
& per Abb. *conſ. 116. in fin. lib.* 2. Porrò tacitæ profeſſioni 107
eſt locus, etiamſi præceſſiſſet expreſſa profeſſio nulla, & non obſtante ignorantia nullitatis profeſſionis, ut ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, quàm probavit Sanctiſſimus, & ſequuta eſt Rota in Cauſa Meten. profeſſionis coram Carillo, ſcripſi latiſſimè in *cap. Significatum, à num. 1. uſque ad num. 49. de Regul.* quod locum habet etiam in milite Sancti Joannis Hieroſolymitani, qui ignoravit ſuam profeſſionem expreſſam de jure fuiſſe irritam, ut probavi in *cap. Ex parte, à num. 4. uſque in fin. eodem tit.* adeò ut propterea non ſit habenda ratio deciſionis Ulixbonen. Profeſſionis ſuperiùs relatæ *num.* 56. quia articulum non examinat, nec prædictarum deciſionum ullam facit mentionem.

Sed præter habitum profeſſorum concurrunt hoc ca- 108
ſu plures actus ſolis profeſſis convenientes, ex quibus proculdubio reſultat tacita profeſſio, *cap. Vidua,* & ibi omnes *de Regular.*

Primus actus eſt, quia ſe nuncupavit fratrem, prout 109
etiam Religio ipſa eum nominavit in libris publicis; & ita hujuſmodi actus fuit reciprocus, tam ex parte profeſſi, quàm ex parte Religionis: hic autem titulus, & nuncupatio in hac Religione non convenit niſi profeſſis, cùm Novitii non fratres, ſed nobiles appellentur, ut conſtat ex *ſtatuto primo, de verb. ſignific.* & deponunt teſtes, & ex hac denominatione fratris aliàs deducta fuit tacita profeſſio in præcitata *deciſione* 206. & in Melevitana Antianitatis apud Durand. *in impreſſ. deciſ. 462. num. 18. in fine.*

Secundus eſt actus, quia vocatus ad inſulam Melitæ à Magno Magiſtro ſub nomine fratris, & tanquam contumax inquiſitus, ſupplicavit ſub eadem nuncupatione fratris pro abſolutione, eamque obtinuit: qui quidem tractatus cum denominatione ad tacitam profeſſionem inducendam fortior eſt, quàm ſimplex denominatio, argum. *l. Non epiſtolas, & l. Non nudis, C. de probation.* dixi in *cap. Lator, ſupra, qui filii ſint legitimi.*

Tertius actus, quia bis obtinuit licentiam à Superio- 110
re Regulari comparendi in judicio, qua non indigent Novitii, cùm non ſint propriè Religioſi, *cap. Religioſi, §. Quamvis, de ſentent. excommun. lib. 6. cap.* 1. & ibi Gemin. & Franc. *in 1. notab. de Regul. eodem lib.* & tenent Placha *de delictis, cap. 42. in fin.* Farinac. plures cumulans, *in pract. crimin. tom. 1. de accuſat. quæſt. 13. num.* 23. & Thom. Sanchez dicens neminem contradicere *ſuper Decalog. lib. 6. cap. 12. num.* 34. & hic quoque actus, ſicut & præcedens, inter profitentem, & Religionem fuit reciprocus. Vigore autem hujus licentiæ bis comparuit in judicio, duaſque fecit inſtantias, aſſerens ſe ſolemniter profeſſum, & obtinuit, ut ſibi à fratre germano, ſolverentur decem millia ſcutorum, quæ non erant ei debita non ſecuta profeſſione, ſecundùm ea, quæ ſcripſi in *cap. Statuimus, numer. 29. & ſeqq. ſupra de Regular.* Dantur & alii actus, quos in lectura omittere conſultius duximus.

Sed objicitur profeſſio tacita induci non poteſt niſi priùs 111
annus probationis fuerit completus, ut eſt text. in *cap.* 1. ibi, *Niſi eo completo profeſſionem faciat in ſequenti, vel habitum ſuſcipiat, qui dari confitentibus conſuevit, de Regular. lib.* 6. ubi gloſſ. *in ver. Vel dicit,* repete eo completo, & ſæpiùs cenſuit Sacra Congregatio Concilii. Hoc autem
caſu quamvis novitius expleverit in conventu annum 112
probationis, tamen poſteà diſceſſit cum licentia Magni Magiſtri ſub conditione ad convétum redeundi infrà biennium ad ſui novitiatus annum peragendum, habitum Ordinis ſuſcipiendum, regularemque profeſſionem ſervatis ſervandis emittendam ſub pœna ſuam amittendi antianitatem ipſo facto incurrenda. Quem quidem annum poſteà nullatenus peregit, ſed poſt octo menſes iterùm abiit, &
Romæ infrà duos menſes profeſſionem emiſit: quare pro- 113
feſſio ex hoc capite videtur nulla, quia annus probationis ad validè profitendum exigitur etiam in Religione Hieroſolymitana *ex ſtatut. 28. de recept. fratr.* & declaravit Sacra Congregatio Concilii, licèt olim aliud cenſuiſſet, cùm illius ſtabilimenta nondum vidiſſet, & ita etiam deciſum referunt Flamin. Pariſ. *de reſignat. benefic. lib. 1. num.* 120. & Stephan. Gratian. *diſceptat. foren. 163. num.* 27. exceptis

Bohe-

114 Bohemis, quibus indultum eſt, ut non teneantur eſſe
in probatione niſi per ſex menſes, ut ordinat. 39. *de recept.*
115 *fratr. in nov.* & 36. *in antiq.* nec ſufficit ut noviriatus fuerit
expletus per annum continuum; ſed continuari debet uſq;
ad profeſſionem, adeò ut ſi novitius completo anno egre-
diatur, & iterùm redeat, profiteri nequeat, ſed denuò
teneatur noviriatum inchoare, & proficere; ſecundùm
opinionem Suarez *de Religion. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 15. *à nu-*
mer. 8. cui adhærent Barthol. de Vecch. *in praxi de admit-*
ten. novit. diſputat. 11. *dub.* 3. & Caſtro Palao *tom.* 3. *tra-*
ctat. 16. *diſputat.* 12. §. 2. *num.* 11. quod clariùs videtur
procedere hoc caſu; in quo novitius per uſum memoratæ
licentiæ videtur ſe tacitè adſtrinxiſſe ad novum annum
noviriatus.

116 Verùm huic objectioni reſpondetur in oppoſitum eſſe
doctrinam gloſſæ primæ circa finem in *cap. Eum qui, de re-*
gul. juris, lib. 6. uti ex illa regula, quæ dicit: eum qui
certus eſt, certiorari ampliùs non oportet. Sumit argumen-
tum ad quæſtionem; An is, qui ingreſſus Religionem in
fine anni exivit, ſi iterùm eandem Religionem ingredia-
tur, debeat habere alium annum, & reſolvit negativè per
illam regulam: niſi conditio perſonæ, vel Religionis mu-
tata eſſet: & ſubdit hoc tenere Bartholomæum Brixien-
ſem in *quæſtionibus venerabilibus in quæſtione* 68. quæ inci-
pit, *Aliquis intravit monaſterium*; & in fortioribus ter-
minis Speculat. *in titul. de ſtat. Monach.* §. *Qualiter con-*
cipiet libellum, quæſt. 35. *numer.* 43. ubi hoc ipſum firmat
idem Joan. Andr. *in addit. in verb. Exivit*, & ſequuntur
Lapus *allegat.* 47. *num.* 2. & 3. S. Anton. *in* 3. *part. tit.* 16.
cap. 3. §. 2. Silveſt. *in verb. Religio*, 5. *quæſt.* 4. dicens
hanc ſententiam eſſe indubitatam: quam etiam proba-
vit Sacra Congregatio Concilii non mederi novitio,
quia Religione exivit de licentia Superioris, ut in
ſubjecta declaratione.

Dubitatur an is, qui habitu regulari ſuſcepto annum
integrum manſit in Religione, eoque lapſo gravi morbo
correptus, & propterea profeſſione nequaquam emiſſa
permiſſu Superiorum ad ſæculum rediit, poſſit inde ad
triennium morbo liberatus, & ad monaſterium reverſus
protinus emittere profeſſionem, vel potiùs per alium an-
num ſtare in probatione teneatur: Die 27. Februarii 1597.
Sacra Congregatio cenſuit poſſe ſtatim emittere profeſſio-
nem, non expectato alio probationis anno, niſi Religio-
nis, aut perſonæ conditio ſit immutata; idque Superiores
Religionis animadvertere diligenter debere.

117 Sed etiam in eo, qui exivit ſine licentia: nam propoſi-
to dubio, An novitia, quæ finito anno probationis exivit
è monaſterio abſque licentia Ordinarii iterùm reverſa,
poſſit ſine nova probatione ad profeſſionem emittendam
admitti. Die 12. Februarii 1598. Sacra Congregatio cen-
ſuit poſſe, niſi conditio Religionis, aut perſonæ ſit im-
mutata, idque à Superioribus Monaſterii diligenter eſſe
diſpiciendum.

118 Nec prædictis obeſt licentia obtenta ſub conditione
peragendi noviriatum, quia in ea non fuit appoſita pœna
nullitatis profeſſionis; ſed amiſſionis antianitatis, quæ
quidem pœna ſpecialis tollit pœnam nullitatis à jure indu-
119 ctam, ut ex Bald. & Cardin. dixi ſuprà *num.* 76. quæ con-
cluſio abſque dubio procedit ubi ſpecialis pœna non ſe
compatitur cum nullitate actus, ut ibi dixi: & ita conti-
git hoc caſu, quia pœna amiſſionis antianitatis neceſſariò
ſupponit novitium poſſe validè profiteri: quamquam
enim in hac Religione antianitas curtat à die ſoluti Paſſa-
gii Gregorii XV. *deciſ.* 341. & *deciſ.* 499. *numer.* 2. ea ta-
men Equites frui nequeunt niſi à die emiſſæ profeſſionis, 120
ut fuit dictum in Melevitana antianitatis 24. Martii 1614.
coram Urgellen. in ejus impreſſ. *deciſ.* 439. *numer.* 2. & 3.
verſ. Nec relevat.

Quibus accedit, quod Superiores Regulares non poſſunt 121
arctare novitium, qui annum probationis explevit, ad a-
lium annum ex integro repetendum non modo reluctante
novitio; id enim per quam durum eſſet, argum. *cap. Ad*
Apoſtolicam, de regular. ſed etiam ipſo conſentiente,
quia obſtat Concilium Tridentinum *cap.* 25. *ſeſſ. de regu-*
lar. ibi, *Finali tempore novitiatus, Superiores, novitios,*
quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut
e monaſterio eos eiiciant: & in hac ipſa Religione Hiero-
ſolymitana in ordinatione facta anno 1642. decretum fuit,
ut novitii, qui poſt expletum probationis annum aſcen-
dunt, teneantur facere de novo medium annum novitia-
tus, cùm tamen olim in *ordinatione* 37. *in novis*, & 34. *in*
antiquis, de reception. fratr. tenerentur anno probationis
peracto infra menſem profiteri ſub pœna amittendi antia-
nitatem. Quinimò propter decretum Concilii in dict. *cap.* 122
16. *verſ. Finito.* Superiores Regulares non modo neque-
unt arctare novitios ad novum novitiatus annum, ſed nec
poſſunt tempus probationis prorogare ultrà annum, niſi ex
juſta cauſa, & ad breve tempus, ut ex ſententia Sacræ
Congregationis adnotavi in *cap. Ad Apoſtolicam, à num.*
8. *uſque ad num.* 12. *de regul.* Ac præterea quatenus potuiſ-
ſet Magnus Magiſter injungere novum annum probatio-
nis, non tamen id potuiſſet ſub pœna nullitatis profeſſio-
nis etiam conſentiente novitio, ut clarè deducitur ex ſub-
jecta declaratione quicquid contra ſcripſerit Navarr. *conſ.*
87. *de regular.*

In Congregatione Minimorum extabat ſtatutum, quod 123
originem ducentes à Judæis, vel Saracenis, ad Religionem
non recipiantur, & ſi qui recipiendi fuerint, quorum
progenies ignoratur, admittantur cum proteſtatione,
quod ſi poſteà comperiatur eos à Judæis, vel Saracenis ori-
ginem duxiſſe, eorum profeſſio ſit nulla. Quæſitum fuit,
An originem trahentes à Judæis admiſſi ad Religionem
cum illa proteſtatione ſint legitimè profeſſi, vel ſecus; San-
ctiſſimus reſpondit habendos eſſe pro profeſſis, nec ejici de-
bere, cùm hactenus nemo fuerit ejectus.

Quæ tamen ex abundanti dicta ſint, quia hoc caſu Ma- 124
gnus Magiſter non impoſuit pœnam nullitatis, ſed amiſ-
ſionis antianitatis, ut prædixi, & ſic annus in memorata
licentia injunctus non fuit legalis, id eſt à jure, & à Con-
cilio Tridentino requiſitus, ſed magis conventionalis, qui
propterea quatenus à Magno Magiſtro injungi potuerit ex
conventione ipſa legem accepit, arg. *cap. Contractus, de*
regul. jur. lib. 6.

Præterquamquod formula ejuſdem licentiæ eſt pro no- 125
vitiis abſcedentibus infra annum probationis, nec con-
gruebat prædicto Equiti, quia cùm annum novitiatus jam
complevisset, impoſſibile erat eum obligare ad illum com-
plendum, ut ſonant verba licentiæ: nam peragere idem
eſt, quod complere, ſeu perficere, & ad exitum perdu-
cere, *l. Qui Procuratorem, cum gloſſ. in verb. Peragere, ff.*
de procurator. l. Filius, ff. de inoffic. teſt. l. Ab accuſatore,
§. *deſtitiſſe, ff. ad Senatus conſult. Turpillian.* & *l.* 2. *ff. de*
Adulter. Briſſon. *de verb. ſignif. verb. Peragere, al ſecondo;*
Rebuff. *in l.* 3. *col.* 2. *verſ. Peragenda, ff. de verb. ſignif.*

DE POENITENTIIS, & Remiſſionibus.

Clemens III.

CAPUT VII.

QUæſitum eſt, utrùm Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet uti, pœniten-
tia publica ſit imponenda, ſi eam ſibi poſtulent pro filiis oppreſſis injungi? Huic igitur con-
ſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi ipſis procurantibus, vel ſtudioſè negligentibus, fi-
lii in lectis reperiuntur oppreſſi, ab officio altaris debent perpetuò abſtinere; & eis gravior,
quàm

quàm laicis, non tamen publica (niſi in publicum id veniat) pœnitentia debet imponi. Verùm ſi ex incuria ipſorum mortui inveniantur in cunis, & illud fuerit occultum, eis pœnitentia pro arbitrio pœnitentiarli imponatur : & in terrorem aliorum ad tempus abſtineant à celebratione Miſſarum.

S V M M A R I V M.

1 *SAcerdotes Graci procurantes, vel ſtudiosè negligentes oppreſſionem filiorum ſuorum deponuntur, & ſi eſt publicum, publice puniuntur.*

2 *Pœnitentia ſolemnis imponitur ſi delictum eſt grave, & ſcandalizans totam urbem.*

3 *Pœnitentia publica imponitur ſi delictum ſit grave, & publicum, non tamen generans ſcandalum.*
Sed contra, num. 4.
Declaratur. num. 5.

4 *Pœnitentia publica finis eſt ſcandalum ſubmovere; & ideo imponitur laico etiam pro levibus delictis, ut vitetur ſcandalum.*

6 *Negligentia affectata æquiparatur ſcientiæ, ac dolo etiam in foro pœnitentiali.*

7 *Matrimonium contractum coram Parocho per vim adhibito, qui affectavit non intelligere, validum eſt.*

8 *Ignorantia eorum affectata eſt, qui potuerunt certiorari, & noluerunt.*

9 *Irregularitas contrahitur ex lata culpa ad homicidium commiſſa, quantumcumque crimen ſit occultum.*

10 *Idem ſi culpa ſit levis, ſecus ſi leviſſima.*

11 *Pœnitentia publica pro delicto publico an Clerico ſit imponenda, & num. ſeq. uſque in fin.*

10 *Pœnitentia ſolemnis non imponitur Clerico niſi depoſito, & num. 13.*

13 *Clericus depoſitus ſine ſpe reſtitutionis publicam, vel ſolemnem poteſt agere pœnitentiam.*

14 *Sed dum habetur ſpes reſtitutionis, nec publicè, neque ſolemniter pœnitebit.*

15 *De pœnitentia publica, & ſolemni idem eſt iudicium.*

16 *Pœnitentia publica, an ex ſtylo Sacræ Pœnitentiariæ imponatur Clerico, qui Presbyterum interfecit.*

17 *Clericus presbytericida eſt irregularis, & perpetuo deponendus, & num. ſeq.*

19 *Depoſitio eſt ab Altaris miniſterio perpetua remotio.*

1 Q*Væſitum*. Sacerdotes Græci procurantes, vel ſtudioſè negligentes oppreſſionem filiorum ſuorum deponuntur; & ſi eſt publicum, publicè puniuntur. Hoc dicit, ſecundùm Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. & alios communiter. Vel ſic, & meliùs ut faciat ad titulum, ſecundùm Abb. & Marian. Socin. Sacerdoti Græco procuranti, vel ſtudioſè negligenti oppreſſionem filiorum non imponitur pœnitentia publica, ſed debet abſtinere ab altaris officio, & aliter in ſecreto agere pœnitentiam : ſed ſi delictum eſt publicum, debet publicè agere pœnitentiam. Hoc dicit. Primò quæſtio. Secundò reſponſio ibi, *Hoc*.

2 Nota primò ſecundùm Abbatem hic in primo notab. argumentum, quod pœnitentia publica injungi non debet pro delicto oppreſſionis filiorum : nam ipſi Sacerdotes Græci poſtulabant eam ſibi imponi, ut in littera, quaſi de jure non eſſet imponenda. Concludit tamen ipſe Abb. ſub diſtinctione : nam aut delictum eſt grave, & ſcandalizans totam urbem, caſtrum, vel villam, & tunc laico imponitur pœnitentia publica, & ſolemnis, ut in *cap. In capite quadrageſima*, 50. *diſtinct. cap. final.* 26. *quæſt.* 6. Aut
3 eſt grave, non tamen generans ſcandalum; & tunc aut eſt occultum, & non imponitur pœnitentia ſolemnis, neque publica, ut dict. *cap. In capite*. Aut eſt publicum, ſed non ſcandaloſum; & tunc imponitur pœnitentia publica, ſed non ſolemnis, ut dict. *cap. final.* juncto *cap.* 1. *ſupra eodem*.

4 Tu adverte ad ultimum membrum diſtinctionis Abbatis : nam pœnitentia publica imponitur pro delicto publico, etiam ſcandaloſo, quia illius finis eſt ſcandalum ſubmovere, adeò ut propterea imponatur laico etiam pro delictis levibus, ut vitetur ſcandalum, *cap. Si quis presbyter, de purgat. Canon.* & notat gloſſ. in *cap.* 1. *ſupra eodem* : cum qua concordant ibi Hoſtien. *num.* 1. Jo. Andr. *num.* 2. & communiter Doctores, licèt Clerico non imponatur niſi depoſito, & pro delicto gravi, ut dicunt Hoſtien. in *ſumma de pœnit. & remiſſ.* §. *Verum*, *verſ. Publica verò pœnitentia*, & Henric. Boich. in dict. *cap.* 1. *num.* 4. unde ſeu delictum ſit grave, ſeu leve, indiſtinctè ſupponitur ſcandaloſum, & ipſemet Abb. in *cap. De his*, *num.* 3. *in fin. de accuſat.* dixit pœnitentiam publicam imponi ad ſedandum ſcandalum, per textum in dict. *cap. fin.* 26. *quæſt.* 6. & idem prius notaverat Archidiaconus in *cap. Confirmandum*, *in princip. verſ. In gloſſ.* 50. *diſtin.* Quod etiam dilucidè apparet ex Decreto Concilii Tridentini *cap.* 8. *ſeſſ.* 24. in illis verbis : *Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice iniungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam.* Hæc ibi, facit text. in *cap. Ego Berengarius*, *in fin. de conſecrat. diſtinct.* 2. ibi : *Ut Eccleſiæ, quæ prius doluerant de averſo, atque perverſo, poſteà gauderent de reverſo, atque converſo*. Adde vix poſſe contingere, ut crimen aliquod ſit grave, & publicum, & non ſit ſcandaloſum; ad quod eſt textus optimus in *cap. De his verò*, 50. *diſtinct.* & in Clem. 1. juncta gloſſ. *in verb. Scandalum*, *de offic. Ordinar.* Sed
ſalvando dictum Abbatis ſic poſſet diſtingui : Aut delictum 5
eſt adeò grave, & ſcandaloſum, ut commoveat totam civitatem, & imponitur pœnitentia ſolemnis : aut eſt quidem ſcandaloſum, ſed non ita, ut totam civitatem commoveat, & imponitur pœnitentia publica.

Secundò nota ibi, *vel ſtudioſe negligentibus* : affectatam 6
negligentiam æquiparari ſcientiæ, ac dolo etiam in foro pœnitentiali, prout ex hac littera deducit Anton. de Butr. *in* 1. *notab.* unde dicit lex : *Diſſoluta negligentia propè dolum eſt*, *l. Fideiuſſori*, *primo reſp. ff. Mand.* ad idem *cap. Sæpè*, 50. *diſtinct.* Idem diſſoluta negligentia habetur pro conſcientia, *l. Cum lex*, *ff. Aedilit. edicto.* qualis eſt ignorantia Judæorum, qui nolunt intelligere, ut benè agant, §. *ult. prima*, *quæſt.* 4. gloſſ. hic *in verb. Negligentibus*, Ho-
ſtien. *in princip. & num.* 2. Hinc Sacra Congregatio Con- 7
cilii aliàs reſpondit validum eſſe matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, & per vim adhibito, quamquam nihil eorum, quæ agebantur vidit, & intellexit, ſi
affectavit non intelligere. Ut in Parocho, qui obturavit 8
aures ſuas, ne audiret; quippe affectatæ ſunt eorum ignorantiæ, qui potuerunt certiorari, ſed noluerunt, *cap. Cum inhibitio*, §. *Si quis verò*, *de clandeſtin. deſponſat.* §. *final.* & *cap. ſeq.* 37. *diſt.* Hoſt. *hic num.* 2.

Tertiò nota ibi, *ab officio altaris debent perpetuò abſtine-* 9
re : textum expreſſum, quòd irregularitas incurritur ex lata culpa ad homicidium commiſſa quantumcumque crimen ſit occultum, Hoſtien. hic *num.* 1. & 2. *in fin.* dicens latam culpam reddere hominem homicidam, ſecundùm Canones, ut hic & in *cap. Sicut*, & *cap. Tua nos*, §. *Nos igitur*, *ſupra de homicidio*, *cap. Sæpè*, 50. *diſtinct.* Abbas *in* 2. *notab.* & Marian. Socin. *num.* 4. addens idem eſſe,
ſi culpa ſit levis; ſecus verò ſi ſit leviſſima, quia tunc non 10
contrahitur irregularitas, ideòque iſti Sacerdotes Græci, ex quorum injuria, & ſine facto, & tactu filii in cunis inveniuntur oppreſſi, abſtinere debeant à celebratione Miſſarum ad tempus, non in perpetuum, ut hic *in fin.* quia nec homicidæ reputantur, ſicut reputantur illi, qui in lata culpa ſunt, eo quod ipſi procurantibus, vel ſtudioſè negligentibus filii proprii non in cunis, ſed in lectis oppreſſi reperiuntur, ut in text. Reſpondeo primò, &. hic notant Innocent. & Hoſtien. *in fin.* Joan. Andr. *num.* 2. Abb. *numer.* 3. Marian. Socin. *numer.* 4. & 5. & alii communiter.

QUÆRO, An publica pœnitentia pro delicto publico 11
impo-

Google

imponenda ſit Clerico. Gloſſatores in hoc articulo varia-
runt; nam Bernardus in *cap. 1. in gloſſ. unica, ſupra eo-*
12 *dem*, dixit, ſolemnem pœnitentiam Clerico imponi non
debere, nec etiam publicam, niſi depoſito; & cum illa
gloſſ. poſt Laurentium, & Raymundum concordant ibi
Innocent. *in verb. Occulta*, Hoſt. *num.* 2. & Butr. *num.* 4.
in fin. allegantes pro ſua opinione, *cap. Confirmandum*,
& cap. Alienum, 50. *diſtinct.* Quæ tamen jura non lo-
quuntur de pœnitentia publica, ſed de ſolemni, ut patet
in dict. *cap. Confirmandum*, ibi, *non eis manus tamquam
pœnitentibus imponatur*, *& in dict. cap. Alienum*, ubi di-
citur: [Alienum eſſe à conſuetudine Eccleſiæ, ut Presby-
teri, & Diaconi pro crimine aliquo ſuo per manus impo-
ſitionem remedium accipiant pœnitendi,] & ibi notat
gloſſ. 1. dicens hæc omnia capitula loqui de ſolemni pœni-
tentia, quæ fit per manus impoſitionem, ut *cap. In capite
quadrageſimæ*, 50. *diſtinct.* Et hanc certum non eſſe in-
jungendam Clerico, niſi ſit depoſitus, ut in præcitatis ju-
ribus, & in *cap. Presbyter*, 28. *diſtin. in cap. Si quis Pres-
byter*, 30. *diſt. & in cap. Si quis Epiſcopus*, 81. *diſt.* Ta-
les enim ſunt infames, ut dixi in dict. *cap. 1. num.* 8. *ſupra
eodem*, poſt Hoſtienſ. in *cap. 2. num. 7. verſ. Sed numquid
tales pœnitentes ſunt infames, ſupra de offic. Archipresby-
teri.*

Sed gloſſ. Joannis in dict. *cap. Confirmandum*, dixit Pres-
byterum, vel Diaconum non poſſe facere pœnitentiam
ſolemnem, niſi ſit depoſitus, immediatè ſubjungit, publi-
cam pœnitentiam poteſt facere Sacerdos pro publico tamen
crimine, non pro privato. Item gloſſa 2. in *cap. Presby-
ter*, 28. *diſtinct.* intelligit illum textum de pœnitentia
publica, quam debet facere Sacerdos pro delicto publico,
licet non ſolemnem: & idem repetit gloſſ. in *cap. Si quis
Presbyter, in verb. Propter publicum*, 30. *diſtinct.* Simili-
ter gloſſ. hic in *ver. Niſi in publicum*, dicit Sacerdotem
poſſe facere publicam pœnitentiam, ſed non ſolemnem,
quam Clerici facere non debent, licèt depoſitus publicè
ſolemniter pœnitere poſſit: & hanc gloſſ. ſequitur, & di-
cit magiſtram, Abbas *num. 4. verſ. In gloſſ.* & concordat S.
Thom. *in 4. ſentent. diſtinct.* 14. *quæſt. 1. art. 5. quæſt. 3. in
fin.* dicens: [publicam pœnitentiam, & non ſolemnem,
quæ in facie Eccleſiæ fit, ſed non cum ſolemnitate prædi-
cta, ſicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali,
poſſe iterari, & à ſimplici Sacerdote injungi, & poſſe
etiam Clerico imponi.]

Et pro hac parte videtur textus apertus hic: nam præ-
mittitur quæſtio, An Sacerdotibus Græcis pro filiis oppreſ-
ſis imponenda ſit publica pœnitentia, necne? & Papa re-
ſpondet eis imponendam eſſe pœnitentiam graviorem,
quàm laicis, non tamen publicam, niſi in publicum id
veniat. Ergo à contrario, ſi publicum ſit, pœnitentiam pu-
blicam eſſe eis imponendam. Videtur tamen hic textus vi-
tari poſſe, quia dicit ob filiorum oppreſſionem ipſos Pres-
byteros debere perpetuò abſtinere à miniſterio altaris, &
ſic loquitur de his, qui ſunt deponendi, prout hanc litte-
ram intelligunt Joan. Andr. & ſequaces in Summ. Dum
ergo textus ſubjungit, ſi in publicum id veniat, pœniten-
tiam publicam eſſe eis injungendam, debet intelligi de jam
depoſitis, & ſic concordat cum prima opinione: & de de-
poſito etiam intelligi debet, *cap. Presbyter*, 28. *diſt.* ut col-
ligitur ex *cap. Si quis Epiſcopus*, 81. *diſt.* ibi, *Deponа-
tur, & ab Eccleſia projectus inter laicos agat pœniten-
tiam.*

13 Conclude pleniùs, & clariùs ſecundùm Archidiaconum
in *cap. Sacerdos, num. 7. de pœnit. diſtinct.* 6. Clericus,
vel Sacerdos depoſitus ſine ſpe reſtitutionis publicam, vel
ſolemnem poteſt agere pœnitentiam, ut in dict. *cap. Sa-
cerdos*, & ibi gloſſ. 2. & in *cap. Si quis Epiſcopus*, 81. *di-
ſtinct. & in cap. Presbyter*, 28. *diſtinct.* Sed cùm habetur 14
ſpes de reſtitutione, neque publicè, neque ſolemniter pœni-
tebit, ut *cap. Confirmandum*, 50. *diſt. & cap. Presbyter*, 81.
diſtin. Quæ concluſio in effectu eſt ex mente gloſſæ 3. hic
in fine, dum dicit in caſu hujus cap. Sacerdotem poſſe
agere pœnitentiam etiam ſolemnem, cùm ſine ſpe reſtitu-
tionis pro crimine oppreſſionis filiorum privatus ſit, *cap.
ultim. ſupra de tempor. Ordinat.* Ergo multò fortiùs publi-
cam, ex quo crimen venit ita in publicum. Similiter In-
nocent. hic *in verb. In publicum*, dicit, nec tunc, ideſt
quando crimen oppreſſionis venit in publicum, Sacerdo-
tes poſſe agere publicam pœnitentiam, niſi perpetuò ſine
ſpe reſtitutionis manerent, & de talibus intelligi hoc capi-
tulum, cùm propter homicidium maneant ſine ſpe reſti-
tutionis, quia irregularis, ut dict. *cap. ultim. de tempor.
Ordinat.*

Sed & Hoſtien. *num.* 5. Primò impugnat diſtinctionem 15
eorum, qui tenuerunt Clericum poſſe agere pœnitentiam
publicam, ſed non ſolemnem; quia idem judicium eſt de
publica, ac de ſolemni, *cap. Alienum*, 50. *diſtin.* & mox
ſubnectit hunc textum loqui de illo, qui factus eſt noto-
rios, nec eſt ſpes reſtitutionis ipſius, argum. *cap. Inquiſi-
tionis, Reſponſ. 1. de accuſ. & cap. final. de tempor. Ordin.*
& concordant Joan. Andr. hic *nu.* 4. ibi, *Aliàs ſi eſſet ſpes
reſtitutionis, nec publicè pœniteret*, Butr. *nu.* 11. *verſ. Di-
cit gloſſa*, Cardin. *num.* 3. & Abb. *num.* 4. qui tranſit cum
diſtinctione gloſſæ.

Porrò pœnitentiam publicam, quæ injungitur Interficien- 16
ti Presbyterum, nempe, ut per quinque Eccleſias illius
loci, ubi tantum facinus perpetravit, ſi tot ibi fuerint,
nudus, diſcalceatus, femoralibus dumtaxat retentis, vir-
ga in manibus, & corrigiam circa collum deferendo incedat,
ſuum publicè fatendo reatum, & ante fores dictarum Ec-
cleſiarum à Presbyteris earumdem Pſalmum Pœnitentia-
lem canentibus ſe faciat verberari, dum major ibi ad Di-
vina convenerit populi multitudo. S. Pœnitentiaria con-
ſuevit olim imponere etiam Clericis Minorum Ordinum;
quamvis ab aliquot annis eam non imponat, niſi laicis, de
quibus loquitur formularium: tamen ſtylus antiquus eſt
conformis theoricæ Archidiaconi, & communi, de
qua ſupra; quia homicida voluntarius, & maximè Pres- 17
bytericida eſt irregularis, & ſic deponendus ab Ordine
ſine ulla ſpe reſtitutionis, ut dicunt Innocent. Butr. & alii
proximè citati: Ad hoc *cap. fin.* ibi, *præter reos homicidii:*
juncta gloſſ. 3. *de temporibus ordinat.* gloſſ. in *cap. Ex teno-
re, in verb. Vtatur, circa medium, verſ. Si crimen eſt e-
norme, eodem titul.* & patet in textu noſtro ibi, *Ab officio* 18
altaris debent perpetuò abſtineri: nam depoſitio ab Ordine
nihil eſt aliud, quàm ab altaris miniſterio perpetua remo-
tio, ſecundùm Abb. in *cap. At ſi Clerici, in princip. num.
7. de Iudiciis:* & ibi etiam Hippolyt. de Marſil. *in Repetit.
num. 58. tom. 3. Repet. fol. 68.* & in Clericis Presbyterici-
dis eſt text. in *cap. Sicut dignum, §. ultim.* ibi, *perpetuò ab
altaris miniſterio deponendos eſſe cenſemus, ſupra de homici-
dio.* Quare cùm Clericus, qui Presbyterum necaverit,
perpetuò manere debeat ſine ſpe reſtitutionis, non videtur
ambigendum, quin pœnitentia publica ſit ei injungenda,
cùm etiam ſolemnis hoc caſu poſſit imponi, ſecundùm
magis receptam opinionem: jam enim Clericus ſic pœni-
tens eſt infamis non ratione pœnitentiæ, ſed ratione enor-
mitatis criminis, ut notat Hoſtien. in *cap. 2. nu. 7. verſ. Sed
numquid tales, de offic. Archipresbyt.* & Marian. Socin. in
cap. 1. num. 7. ſupra eodem.

D E P OE N I T E N T I I S, & Remiſſionibus.

Innocentius III. Sancti Laurentii in Lucina Presbyt. Cardin. Apoſt. Sed. Legato.

C A P U T IX.

OFficii: & infrà. Significaſti quamdam mulierem in pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam; quòd timens ne viri poſſeſſio devolveretur ad alios, quarumdam herbarum ſuccum potavit, & ſic venter ejus intumuit, & inde gravidam ſe oſtendens, ſibi partum ſuppoſuit alienum; timenſque maritum, non vult facinus ipſi detegere: qui prolem credit ſine dubitatione qualibet eſſe ſuam. Quoniam igitur poſtulas edoceri, utrùm ei hac fraude durante ſit pœnitentia injungenda: Reſpondemus, quòd ſicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem ſuſcepit, quamvis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt pœnitentia deneganda: ita nec illi debet pœnitentia denegari, maximè ſi per alios, intelligas alienos, ad quos timeat poſſeſſionem viri devolvi: ſed competens ſatisfactio per diſcretum Sacerdotem ei debet injungi.

S V M M A R I V M.

1 *COnfeſſio mulieris auditur, quæ ſibi partum alienum ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit, & hoc marito non vult detegere.*

2 *Abſolutio non eſt deneganda non valenti ſatisfacere ſine periculo, licèt delictum videatur habere effectum continuationis.*

3 *Mulier, quæ prolem ex adulterio ſuſcepit, quid facere debeat ne legitimi hæredes hinc detrimentum patiantur.*

4 *Quid ſi habet unde ſatisfaciat, & ſciat quibus ſatisfaciendum.*

5 *Et quid ſi hoc ignoret.*

6 *Quid ſi non habet unde ſatisfaciat, an teneatur fraudem revelare.*

8 *Aut famæ, & num. ſeq. uſque ad num. 13.*

9 *Metus ignominiæ viris bonis maior, quàm mortis eſſe debet.*

10 *Crimen ſuum non tenetur quis prodere cum gravi honoris detrimento.*

11 *Reſtituere quis non tenetur bona Ordinis inferioris cum iactura bonorum Ordinis altioris.*

Bona famæ altioris Ordinis ſunt, quàm rei familiaris, ibidem.

12 *Mulier non tenetur filium ex adulterio ſuſceptum revelare, ſi inde grave malum eſſet proventurum.*

13 *Scandalum utilius naſci permittitur, quàm ut veritas relinquatur. Et quomodo hoc ſit intelligendum.*

14 *Mulier non tenetur partum ſuppoſitum, vel filium ſpurium revelare, ſi de hoc non habeat probationes paratas.*

15 *Confeſſor quomodo ſe debeat gerere cum muliere, quæ prolem ſuſcepit ex adulterio.*

16 *Mulier quæ prolem adulterinam marito patefecit, eo conſentiente, an ſit abſoluta à reſtitutione.*

17 *Mater an ſuadere debeat filio ſpurio, ut religionem ingrediatur, & cuius Ordinis.*

18 *Filius, qui matri eum ſpurium aſſerenti fidem adhibuit, & Regno renunciavit, deluditur à Legiſtis, laudatur à Canoniſtis.*

19 *Dignitati non ſolùm Regiæ, ſed etiam Pontificali renunciandum eſſe, ſi ex his conſcientia non eſſet tuta.*

20 *Filius an teneatur credere matri aſſerenti eum ex adulterio ſuſceptum.*

21 *Cautela matris, quæ induxit filios ad cedendum iuri ſuo timore declarationis, quod unus eorum eſſet ſpurius, refellitur.*

22 *Confeſſor pro conſilio obtinendo poteſt peccatum ſibi confeſſum detegere ſine expreſſione perſonæ, & numer. 25.*

23 *Confeſſor an prohibeatur revelare non tantùm peccatorem, ſed etiam peccatum in Sacramento Pœnitentiæ ſibi detectum, & n. ſeqq. uſque in fin.*

24 *Sacerdos revelans peccatum ſibi confeſſum punitur tamquam ſimoniacus, & hæreticus ad fidem reverſus.*

25 *Declaratur, num. 38.*

26 *Peccata ipſa an cadant ſub ſigillo confeſſionis ſacramentalis, & nu. ſeqq. uſque ad nu. 33.*

27 *Sigillum confeſſionis, ſicut confeſſio eſt de neceſſitate Sacramenti, & de iure divino.*

28 *Papa ſuper ſigillo confeſſionis diſpenſare non poteſt, & num. 30.*

29 *Sacerdos quod ſcit in confeſſione, non ſcit ut homo, ſed ut Deus, & dicitur quaſi neſcitum.*

30 *Sacerdos in actu confeſſionis eſt Vicarius Dei ſpecialis.*

31 *Vicarius ſpecialis quoad illam ſpeciem eſt maior generali.*

32 *Sigillum confeſſionis ſine pœnitentis licentia nullus mortalium violare poteſt etiam pro ſalute totius mundi.*

33 *Revelatio peccati in confeſſione detecti an cadat ſub prohibitionem poſitivam Eccleſiæ.*

34 *Eccleſia ubi veretur ſalutis periculum, multoties generaliter ſtatuit, aut prohibet ad cautelam eorum, quæ poſſunt contingere.*

35 *Prohibito aliquo, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud.*

36 *Intellectus* cap. Omnis, infra eod.

37 *Permiſſum in uno caſu, in aliis cenſetur prohibitum, & num. 42.*

38 *Confeſſor revelans peccatum ſine expreſſione perſonæ an ſit deponendus, & in monaſterium detrudendus.*

39 *Et an aliquo caſu poſſit illud cum fructu revelare, & num. 42.*

40\. *Prælati Regulares ea notitia, quam in confeſſione habuerunt, uti non debent ad externam politiam.*

41 *Pœna lata in præſumentes requirit dolum, & temeritatem.*

42 *Exceptio in uno caſu non firmat regulam in contrarium in aliis caſibus, qui ſunt ſimiles excepto.*

43 *Etiamſi caſus fuerit exceptus per dictionem taxativam.*

44 *Confeſſor an poſſit Epiſcopo revelare caſum reſervatum in pœnitentia ſibi detectum pro obtinenda facultate abſolvendi.*

OFficii. Auditur confeſſio mulieris, quæ ſibi partum alienum ſuppoſuit, vel proprium ex adulterio ſuſcepit, & hoc non vult marito detegere. Hoc dicit ſecundùm omnes. Et eſt pars *cap. Officii, de teſtam. & de ſenten. excommun.* Communis diviſio, conſultatio, & reſponſio. Secunda ibi, *Quoniam.* 1

Nota primò, mulieri, quæ partum alienum ſibi ſuppoſuit, aut proprium ex adulterio ſuſcepit, ſi timeat marito hoc revelare, non eſſe denegandam abſolutionem Sacramentalem, etiam hac fraude durante. 2

Et

Et ſic collige pœnitentiam non eſſe denegandam non valenti, ſatisfacere ſine periculo, quamvis delictum illud videatur habere annexum effectum continuationis, ut hic notaut Abb. & Marian. Socin, ambo in 3. notab.

3 Sed pro pleniori doctrina, cùm quæritur quid facere oporteat mulierem, quæ prolem ſuſcepit ex adulterio, aut partum ſuppoſuit alienum, & ita legitimi hæredes privantur hæreditate propter ſpurium, vel ſuppoſitum, qui creditur filius, vel hæres; & quomodo in hoc caſu ſe gerere debeat Confeſſor, Colligendo dicta Doctorum, ſic diſtingue.

4 Aut mulier dives eſt, & habet unde ſatisfaciat his, ad quos bona mariti pervenirent, ſi ejuſmodi partus non adeſſet; Aut non habet unde ſatisfaciat.

Primò caſu, Aut mulier ſcit, vel poteſt veriſimiliter opinari quos hæredes maritus ab inteſtato, vel ex teſtamento habuiſſet, aut quibus bona ſua reliquiſſet: & tunc debet tantumdem eis dare de propriis bonis, quantum illi hac occaſione amiſiſſent, argum. *cap. Si res*, 14. *quæſt.* 6. allegati in gloſſ. *in verb. Deneganda*. Et quod reſtituendum eſt, poterit tradere Epiſcopo in pœnitentia, qui exinde ſatisfaciat quibus oportuerit, adeò ut ignoretur unde provenit, ut hic per Hoſtien. *num.* 8. Henric. Boich. *poſt princip verſ. In primo caſu*, & Marian. Socin. *num.* 7. *in eodem*
5 *verſ. Aut mulier ignorat, qui ſint illi*, nec poteſt hoc probabiliter opinari; & tunc debet tantundem pauperibus erogare, ſecundùm id, quod legitur, & notatur in *cap. Cum tu*, §. 1. *ſupra de uſur.*

6 Secundò caſu, id eſt cùm mulier non habet unde ſatisfaciat, tunc aut habet probationes paratas partus ſuppoſiti, vel ex adulterio ſuſcepti, per quas poſſet ſuccedentes ab inteſtato relevare à damno, quod ex ſua occaſione, & fraude illi reciperent, aut non habet.

7 In primo caſu aut poteſt ſine periculo hanc fraudem revelare: & debet eam detegere, & de illa fidem facere. Aut non poteſt revelare ſine gravi periculo, fortè quia veriſimiliter hinc orirentur ſcandala maxima, & homicidia; & tunc conteratur, & taceat, argum. *cap. Ne quis*, 22, *q.* 2. Nam in hoc caſu cum ex una parte immineat jactura rerum dumtaxat ſi taceat; ex altera verò periculum animarum, & corporum ſi reveler; cùm utrumque evitare non poſſit, inter hæc duo mala tenetur eligere quod minus eſt, argum. *cap. Duo, & cap. Nervi*, 13. *diſtin.* Taceat ergo cum damno rerum, quia illud minus malum eſt, ut legitur in *cap.* 1. *de pignor. & in cap. Suſcepimus, de homicid.*

8 Et per hanc rationem idem arbitror dicendum ſi ex revelatione immineat mulieri, aut alteri periculum infamiæ: nam viris bonis metus ignominiæ major, quam mortis eſ-
9 ſe debet, dicit textus in *l. Iſti*, *ff. Quod met. cau.* Et qui famam contemnunt, crudeles ſunt, ut in *cap. Non ſunt*
10 *audiendi*, 11. *quæſt.* 3. Unde non tenetur mulier crimen ſuum prodere cum gravi honoris, & famæ detrimento, ut in §. *His auctoritatibus, verſ. Non tibi dico, poſt cap. Si quis aliquando, de pœnit. diſt.* 1. Et in hac ſpecie concludunt Sotus in 4. *diſt.* 15. *qu.* 2. *poſt art.* 4. *in reſponſione articuli*, S. Anton. *in* 2. *par. tit.* 1. *cap.* 18. §. 8. *in fine, & melius tit.* 2. *cap.* 7. §. 4. Cajet. *tom.* 1. *opuſculor. opuſculo* 31. *reſpon.* 14.
11 [Non enim, ut ipſe ait in 2. 2. *qu.* 62. *art.* 6. tenetur quis reſtituere bona ordinis inferioris cum jactura bonorum ordinis altioris.] Et bona famæ altioris ordinis ſunt, quàm rei familiaris, quia melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ, *Proverb. cap.* 22. & ſequitur Navarr. *in man. cap.* 16. *numer.* 44. *verſ. Imo ſufficit timor propriam famam perdendi*, & Covarr. *in reg. Peccatum, part.* 1. *in initio, à num.* 3. Et quamvis Doctores hic non faciant mentionem, niſi damni animæ, & corporis; hoc tamen faciunt per
12 modum exempli. Sed generaliùs loquitur Innocent. cujus mentem ſequuntur omnes, dum ait: [mulierem non teneri revelare, ſi inde grave malum eſſet proventurum.] Quæ verba proculdubio comprehendunt etiam jacturam famæ, ut advertit Navarr. *loc. cit.*

13 Nec prædictis obſtat, quod utiliùs ſcandalum naſci permittatur, quàm veritas relinquatur, *cap. Niſi cum pridem*, §. *Pro gravi, de renunciat. & cap.* 3. *infra de regul. iur.* quoniam, ut reſpondet Innocentius, in hac taciturnitate non perit veritas juſtitiæ, quia hæc mulier nec judex eſt, nec teſtis eſſe poteſt, in quibus & ſimilibus illa auctoritas locum habet; ſed eſt tantùm accuſatrix, vel denunciatrix.

In ſecundo autem caſu, id eſt cùm non habet probationes paratas, debet potiùs ſilere, quàm fraudem patefacere, *cap. Plerumque*, 2. *q.* 7. Ita in effectu diſtinguit hic Innocent. *in verb. Satisfactio*, à quo cæteri ſumpſerunt Hoſt. *nu.* 8, *in eod, verb.* Abb. Antiq. *nu.* 1. Jo. Andr. *nu.* 4. Henric. Boich. *in princ.* Card. *in* 1. & 2. *oppoſit.* Anchar. *nu.* 3. & 4. Abb. *nu.* 5. & Marian. Soc. *nu.* 7. Quibus addo Hoſt. *in ſumma eod. tit.* §. *Quibus & qualiter, verſ. Quid de muliere*, ubi ait, Sacerdotem ſuper hoc conſulendum conſiderare debere qualitates perſonarum tam mariti, quàm mulieris, & filii putativi; nam ſi mulier dominetur viro, vel periculum ex revelatione non immineat, poterit ei conſulere, ut fraudem patefaciat marito; quo conſentiente erit mulier à reſtitutione abſoluta, quia conceſſum eſt marito de rebus ſuis ad libitum diſponere, *l. Nemo exterus, C. de Iudæis, l. In re mandata, C. Mandati*. Hoc intellige dummodo non habeat deſcendentes, quibus tenetur dimittere legitimam jure naturæ debitam, ſcilicet dimidiam, vel tertiam juxta numerum liberorum, ut in *Authen. Noviſſima, C. de inoffic. teſtam. & in corpore*. unde ſumitur in *Auth. de Triente, & Semiſſe*, §. 1. *collat.* 3. 14 15 16

Si verò ex revelatione marito facienda immineat periculum, tunc ſi filius putativus ſit homo ſimplex, ſpiritualis, & timens Deum; recepto juramento à muliere, quod malitioſè hoc non proponat, & à filio putativo, quod ſecretum tenebit; revelabitur hoc filio, eique ſuadebit, ut intret Religionem, vel ad partes remotas, ſeu ultrà marinas ſe transferat, & de hæreditate nihil attingat; quibus peractis mulier erit in tuto: quod ſi filius non ſit talis, nec velit matri fidem adhibere, vel mulieri periculum ſit revelare; tunc nullum ſupereſt remedium, niſi ut ſi proprium habeat hæredibus ab inteſtato, vel ex teſtamento venientibus ſatisfaciat competenter; iiſque non extantibus eleemoſynam cautè faciat de Epiſcopi diœceſani conſilio, & conſenſu. Verùm ſi proprium non habeat, vel non poſſit integrè ſatisfacere, doleat de peccato cum propoſito ſatisfaciendi cum primùm poterit: ita Hoſt. cum quo concordat Raymund. *in ſumma tit. de raptor. rubr. de filio concepto per adulterium, & de partu ſumpto*, §. 11. Joan. Friburg. *in ſumma confeſſ. eodem tit. & rubr. qu.* 23. Henric. Boich. *hic col.* 2. *poſt princip. verſ. Et de hoc vide*, & Marian. Socin. *num.* 9. Et quod dictum eſt de inducendo filium putativum ad religionem intrandam, intelligunt Doctores de Religionibus Mendicantibus, quia de aliis Religionibus non eſſet benè proviſum cùm ſuccedant, *cap. unic.* 28. *qu.* 1. & *cap. ult.* 19. *qu.* 3. ut hic per Jo. Andr. *num.* 4. *in fine*. Hodie filius putativus eſſet inducendus ad intrandam Religionem Capuccinorum, vel Fratrum Minorum de Obſervantia, quia aliæ Religiones etiam Mendicantes ſuccedunt ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* addit Jo. Andr. ſibi conſtare aliquos propter hoc inductos fuiſſe ad profeſſionem emittendam. Et ita etiam referunt Doctores feciſſe quemdam, qui ad aſſertionem matris renunciavit Regno: & quamvis Legiſtæ in *l. Filium, ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur.* quos refert Menoch. *de arbitr. iudic. lib.* 2. *centur.* 1. *caſu* 89. *num.* 28. di ant talem filium fuiſſe fatuum; tamen ut notabiliter ait Mar. Socin. hic *nu.* 9. ipſi hoc dicunt ſolùm conſiderantes hanc vitam, & non futuram, & æternam, ad quam ſi reſpexiſſent, illum ſummoperè laudare debuiſſent, ex quo talis habebat læſam conſcientiam; quo caſu non ſolùm Regiæ dignitati, verùm etiam Pontificali, cùm ad id induceret conſcientia indiſcreta, renunciandum eſſet, ut in *cap.* 1. *de renunciat. lib.* 6. Et hoc intendit Hoſt. hic *nu.* 4. *in ver. Suſcepit*, dum ait filium, qui aſſertioni matris credere non vult, omninò ſecurum eſſe, ſi exinde non habeat conſcientiam læſam, arg. d. *l. Filium*; alioquin ſi veniat contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, *cap. fin. ſupra de præſcript.* & mox ſubdit. Sed verè niſi acquieſcat in hac parte verbis maternis, quæ melius alio veritatem novit, arg. *ſupra de reſcrip. cap. ab Excommunicato*; & de qua non eſt veriſimile, quòd falſum dicat; argum. *cap. Afferre, & cap. Litteras*, §. 1. *verſ. Quamquam, ſupra de præſumption.* unde & ei omninò credendum videtur, ut *cap.* 3. §. *Qui enim melius, ſupr. qui matrim. accuſ. poſſ.* ſatis poteſt dici, quod talis eſt in conſcientia nimis fortis: ita formaliter Hoſt. cum quo tranſeunt Jo. Andr. *num.* 3. & reliqui omnes. 17 18 19 20

Refert

21 Refert Alciatus *de præſumpt. reg.3. præſumpt.37. num.6.*
verſ. Sed vide. Viduam quamdam Avenionenſem hac
cautelam oſam fuiſſe: cùm in extremis ageret tribus filiis,
quos habebat accerſitis, dixit: Uous veſtrûm ex adulterio
à me progenitus eſt, & mariti mei bona injuſtè poſſidet;
ne animæ meæ detrimentum patiar, intendo hoc declarare,
niſi vos invicem pacto conveoto jus omne veſtrum remit-
tatis: quo audito, quilibet de ſe ipſo cœpit dubitare, unde
omnes voluntati matris acquieverunt, & pacti ſunt; qua-
re mater à declaratione abſtinuit. Et putat Alciatus ma-
trem illam fuiſſe tutam quoad Deum per hanc Decretalem,
pactumque inter fratres fuiſſe legitimum, & obſervan-
dum. Quod minimè verum eſt, quia fratres non ſpontè
juri ſuo ceſſerunt, ſed metu maternæ declarationis adacti:
unde meritò hanc cautelam refellunt Covarr. *in reg. Pecca-*
tum, part.1. §.1. verſ. Nec mihi placet, de regul. iur. in 6.
Menocb. *d. caſu 89.n.*30.& alii recentiores.
22 Secundò nota ibi, *in pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam*, pec-
catum in confeſſione detectum poſſe à Sacerdote revelari
pro conſilio obtinendo, concordat textus in *cap. Omnis*
infra eodem, ibi: *Sed ſi prudentiori conſilio indiguerit, il-*
lud abſque ulla expreſſione perſonæ cautè requirat. Uode
infertur per locum à ſpeciali, ut extra hunc caſum non
liceat Sacerdoti revelare peccatum etiam ſine revelatio-
oe pœnitentis. Sed quia hoc non tranſit abſque diffi-
cultate.
23 QUÆRO generaliter, utrum confeſſor prohibeatur
revelare non tantùm peccatorem, ſed etiam peccatum in
Sacramento Pœnitentiæ ſibi detectum.
Abbas Siculus d. *c. Omnis, n.8. in ult. notab. infra eod.* putat
Sacerdotem incidere in pœnam ibi ſtatutam noo ſolùm ſi
revelet peccatorem, ſed etiam peccatum ſibi detectum in
confeſſione. Quod ſecundum eum eſt contra ſimplices, qui
aſſerunt peccatum impunè poſſe revelari, ſed non peccato-
rem: nam minus benè loquuotur, ut ipſe ait, quia con-
trarium probatur in d. *c. Omnis*, in duobus locis. Primò
ibi, *qui peccatum*, ubi expreſsè probatur hoo. Secundò per
locum à ſpeciali in verbis præcedentibus: nam textus per-
mittit Sacerdoti revelationem in uno caſu dumtaxat, ideſt
cùm indiget prudentiori conſilio; & tunc debet etiam cau-
24 tè revelare. Tertiò hoc probatur ratione: nam Sacerdos
ita ſcit peccatum, ſicut peccatorem tamquam Dei mini-
ſter: ergo non debet tamquam homo peccatum revelare,
quia neſcit ut homo, ſed ut Deus, & contrafaciens gra-
viſſimè peccat; unde punitur tamquam hæreticus reverſus
ad fidem, ut ibi per eum.
Sed oppoſitum cenſet Paludanus *in 4. diſt.21.* & com-
muniter Theologi, ut teſtatur Navarr. in *cap. Sacerdos*,
num.75. de pœn. diſt.7. tom.2. Commen. pag.793. concluden-
tes non eſſe confeſſionis revelatorem qui diceret, tale,
vel tale peccatum mortale audivi in confeſſione; modo
tanta cautela id faceret, ut oullatenus in notitiam peccato-
ris deveniri poſſet.
25 Moventur primò per hanc Decretalem, ubi Cardinalis
Legatus ſignificavit Papæ peccatum ſuppoſiti partus in
pœnitentia ſibi confeſſum, ut habetur in principio litteræ,
nec Papa hoc factum damnavit, imò ad Legati conſulta-
tionem reſpondit: quod non feciſſet, ſi eidem Legato pec-
catum ſibi in confeſſione detectum revelare noo licuiſſet:
licet Navarr. in d. *c. Sacerdos n.78.* putet hunc textum noo
admodum urgere, quia cauſa revelaodi hic fuit ut peteretur
conſiliom ſuper dubio caſu, quod ſpecialiter permittitur in
d. c. Omnis, ut dictum eſt ſupra *in 2. notab.*
Moventur ſecundò, quia cauſa finalis cur prohibita ſit
revelatio peccati in pœnitentia confeſſi eſt, ne prodatur
peccator; & ſic fideles à confeſſione ſacramentali deter-
reantur, ut in d. *cap. Omnis*, ibi: *Caveat Sacerdos ne ver-*
bo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus pec-
catorem, ſed per revelationem peccati tantùm peccator
ipſe non proditur, nec cognoſcitur, dummodo cautè id
fiat, ſicut hic fecit Cardinalis legatus, & patet in *cap. Si*
ſacerdos, ſupra de offic. Ordin. & in cap. Significaſti, ibi,
nomen adulteri celans, de adulter. Ergo ceſſat prohibitio,
arg. *cap. Etſi Chriſtus, ſupra de iureiur. cap. Cum ceſſante, de*
appellat. & l. Adigere, §. Quamvis, ff de iurepatr.
Ac poſtremò ſuffragatur huic ſententiæ quod, ut Navarr.
teſtatur in *eod. c. Sacerdos n.75.* frequenter audiuntur viri
graves talia dicentes; & tamen nemo dixerit eos eſſe con-
feſſionis revelatores.
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

Quid dicendum? Ego arbitror quæſtionem hac diſtin- 26
ctione ſolvendam eſſe.
Aut quæritur an peccata ipſa ſine expreſſione perſonæ
cadant ſub ſigillum confeſſionis ſacramentalis; & puto ne-
gativè reſolvendum hoc validiſſimo, ni fallor, funda- 27
mento: nam hoc ſigillum, ſicut & confeſſio eſt de neceſ-
ſitate ſacramenti, & de jure divino, ut docet S. Thom.
in 4. diſt.21. qu.3. art.1. qu.1. in corp. & in reſp. ad 2. Silveſt.
in ver. Confeſſio 3. n.2. & paſſim Theologi, & Canoniſtæ: &
conſequenter Eccleſia ſuper hoc ſigillo diſpenſare non po-
teſt, nam ut ibidem inquit D. Thomas, præceptum de con- 28
feſſione ſervanda conſequitur ipſum ſacramentum, & ideò
ſicut præceptum de confeſſione ſacramentali facienda eſt de
jure divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel juſſio-
ne humana homo ab ea abſolvi, ita nullus ad revelationem
confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari. Et hoc 29
innuit Decretalis. *Si ſacerdos, de offic. Ordin.* dum deter-
minat Ordinarium poſſe indeterminatè tantùm & non no-
minatim arguere, vel punire eum, quem in confeſſione
novit eſſe criminis reum, quia non ſcit ut judex, vel ho-
mo, ſed ut Deus. Ad idem text. in *cap. Dilectus*, & ibi
gloſ.1. & DD. ſupra *de exceſſ. Prælator.* S. Thom. *loc. cit.*
in reſpon. ad primum, ubi ait: *Illud quod ſub confeſſione ſci-*
tur, eſt quaſi neſcitum, cùm ſacerdos neſciat ut homo, ſed ut
Deus. Aliam rationem cur Papa non poſſit ſuper ſigillo
confeſſionis diſpenſare aſſignat Abb. in d. *c. Dilectus*, quia 30
ſacerdos in actu confeſſionis eſt vicarius Dei ſpecialis, Pa-
pa verò generalis. Specialis autem quoad illam ſpeciem 31
major eſt generali; *c. Studuiſti, de offic. deleg.* ſequitur Sil-
veſt. *in ver. Confeſſio 3. n.2. verſ. Tertiò quæritur*, & eſt ex
mente gloſ. primæ in *eod. c. Dilectus*, ibi: *Et in hoc maior*
erat ipſis Rectoribus, quia Dei legatione fungitur.
Quæ cùm ita ſiot, ſi peccata ipſa caderent ſub ſigillum 32
confeſſionis, non potuiſſet Innocentius III. & Concilium
generale ſtatuere, ſicut ſtatuit in d. *cap. Omnis infra eod.* ut
liceret ſacerdoti, ſi prudentiori conſilio indiguerit, reve-
lare peccatum ſibi confeſſum; quia præter pœnitentem,
nullus mortalium diſpenſare poteſt, ut liceat frangere ſi-
gillum confeſſionis ſacramentalis, ut oſtenſum eſt ſupra,
nedum pro prudentiori Conſilio exquirendo, ſed nec pro
alia cauſa quamtumvis gravis; imò nec ſi ageretur de ſa-
lute totius mundi, ut formaliter inquit Sot. *de tegen. ſe-*
creto quæſt.7. membr.2. concluſ.4. verſ. attamen. Quamo-
brem fateri oportet, aut Papam cum Concilio in dict. *cap.*
Omnis, permiſiſſe revelationem peccati contra neceſſita-
tem ſacramenti, & divinam juriſdictionem, quod im-
pium, & erroneum eſſet aſſerere, *cap. Sunt quidam, 25.*
quæſt.1. aut revelationem peccati ſine expreſſione peccato-
ris ad ſigillum confeſſionis non pertinere. Et ſanè ſi Con-
cilium ſtatuiſſet ut pro prudentiori conſilio liceret confeſ-
ſori revelare peccatorem, nemo auderet affirmare hoc ſta-
tutum eſſe validum. Idque non alia ratione, niſi quia per
hoc violaretur ſigillum confeſſionis, quod eſt de jure divi-
no, contra qood Eccleſia non diſpenſat, ut in *cap. Sunt*
quidam: ergo eodem modo oon potuiſſet Concilium ſta-
tuere, ut liceret pro prudentiori conſilio peccatum revela-
re, ſi peccatum ipſum, non ſecus ac peccator caderet ſub
hoc ſigillum: unde hæc differentia evidenter convincit
non eſſe confeſſionis revelatorem, ejuſque ſigilli violato-
rem qui peccatum revelat ita cautè, ut inde in notitiam
peccatoris deveniri non poſſit. Et in hoc primo caſo ſalva-
ri poteſt ſententia Theologorum.
Aut quæritur an revelatio peccati ſine expreſſione per- 33
ſonæ cadat ſub prohibitionem poſitivam Eccleſiæ, de
qua in d. *cap. Omnis*. Et in hoc caſu magis adhæreo opi-
nioni Abbatis; tum quia hoc probat littera d. *cap. Omnis*,
ut ſupra ponderata *num.23.* Tum quia id rationabiliter ſan- 34
citum eſt propter periculum manifeſtationis pœnitentis:
nam etſi non ſemper ex revelatione peccati prodatur pœni-
tens, præſertim ſi cautè hoc fiat, prout hic fecit Cardinalis
Legatus, & præcipitur in d. *cap. Omnis, verſ. Sed ſi*, tamen
poteſt multoties accidere oppoſitom. Ubi autem vertitur
ſalutis periculum, non eſt novum ut Eccleſia generaliter
aliquid ſtatuat, vel prohibeat ad cautelam eorum, quæ poſ-
ſunt contingere, ut ſunt jura clara in *cap. Dixit Dominus*,
32. qu.1. in cap. Licet, ſupra de elect. in c. Ad aures, de tem-
por. ordinat. & in cap. Romana, §. In univerſitatem, de ſent.
excomm. lib.6. cum concordan. ibi adductis per gloſ. *in ver.*
Eſſe poteſt, & Hoſtien. *num.5. in eod. ver.*

Digitized by Google

35 Præterea aliquo prohibito, omne id prohibetur, per
quod pervenitur ad illud, *l. Oratio*, *ff. de ſponſal. l. Cum
lex*, *ff. de fidejuſſ. l. Legem*, *in fine*, *C. de natural. liber.*
Quæ regula loquitur de conſequentia prohibitionis me-
diorum, per quæ pervenitur ad extremum, ut dicunt
Dyn. & Joan. Andr. in *cap. Cum quid prohibetur*, *in princ.
de reg. iur. lib. 6.* Sicut prohibito matrimonio, prohibita
ſunt etiam ſponſalia, per quæ pervenitur ad matrimo-
nium, ut in dict. *l. Oratio*. Nemo autem negaverit ex
revelatione peccati multoties deveniri in cognitionem
ejus, qui confeſſus eſt. Haud enim eſt difficile facta
aliena ſubtiliter indagantibus, conjungendo tempus,
locum, ſpeciem peccati, qualitatem perſonarum, &
alia id genus, pervenire in notitiam, aut ſaltem in
ſuſpicionem Pœnitentis. Et ipſemet Navarr. in dict.
cap. Sacerdos, *num. 83. de pœnit. diſt. 6.* fatetur non pau-
cos apud eum erraſſe, ac proinde raro id faciendum
eſſe à viro graviſſimo, rarius à viro gravi, rariſſimè à vi-
ro levi, & opinionem Abbatis ferè ſemper ſervandam eſſe.
Ergo providè ſanxit Concilium generale, ut nec peccatum
ipſum liceat revelare.

Et per hæc ceſſat conſideratio Navarri, & aliorum
Theologorum, videlicet quod revelatio peccati prohibea-
tur quidem in dict. *cap. Omnis*, ſed in ordine ad confiten-
tem, quando ſcilicet ita peccatum revelatur, ut exinde
cognoſcatur is, qui peccavit. Siquidem hæc conſideratio
retorqueri poteſt: nam cùm ſæpè ex hac revelatione per-
veniatur, aut ſaltem perveniri poſſit in cognitionem pec-
catoris: hinc conſequitur ut prohibito uno, & aliud pro-
hibitum cenſeatur per ſupradicta. Quinimò ſi accuratè
36 expendatur textus in dict. *cap. Omnis*, apparebit prohibi-
tam eſſe revelationem peccati etiamſi exinde non ſequatur
manifeſtatio confitentis: nam ibi permittitur revelatio
peccati in caſu ſpeciali dumtaxat, videlicet cùm Sacerdos
indiget prudentiori conſilio; Et nunc ita demum ſi cautè
hoc fiat, & ſine ulla expreſſione perſonæ, ut patet ex lit-
tera in *verſ. Sed Si*. Ergo per locum à ſpeciali extra illum
caſum prohibita eſt revelatio peccati etiamſi fiat cum cau-
tela Navarri, & ſine ulla expreſſione perſonæ, alioquin
ſi in omnibus caſibus liceret indiſtinctè revelare peccatum
cautè, & perſona pœnitentis non expreſſa; ineptè Con-
cilium permiſiſſet ut liceret revelare peccatum cautè, &
ſine expreſſione perſonæ in uno caſu dumtaxat, ideſt cùm
37 Sacerdos eget prudentiori conſilio. Ergo in illo caſu, in
aliis cenſetur prohibitum, *cap. Ex tuarum*, & ibi gloſ. *fi-
nal. de author. & uſu pall.* gloſ. *ultim. in fin.* & DD. *in cap.
Nonne*, *de præſumpt.* Et per has conſiderationes puto ſal-
vari poſſe opinionem Abbatis, non autem per illam,
quam ipſe ponit tertio loco, videlicet, quia Sacerdos ſcit
peccatum, ſicut peccatorem tamquam Dei miniſter: hæc
enim ratio congruit tantummodo violationi ſigilli Sacra-
mentalis jure divino prohibitæ. At revelatio peccati ſine
expreſſione perſonæ non jure divino, ſed eccleſiaſtico tan-
38 tum interdicta eſt, ut ex dictis conſtat. Et ex hoc fœdere
diſtinctionis puto Conciliari poſſe diſſidentes opiniones.
Cæterùm quoad pœnam depoſitionis ab Ordine Sacerdo-
tali, & perpetuæ detruſionis in monaſterium, quæ in
prædicta Decretali, *Omnis*, imponitur Sacerdoti, qui
peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſump-
ſerit revelare; nimius eſſet rigor ut in eam indiſtinctè inci-
deret quilibet Sacerdos, qui diceret ſe peccatum aliquod
audiviſſe in confeſſione, licet nullo modo proderet pec-
39 catorem. Imò Navarr. in d. *cap. Sacerdos*, *num. 80. de pœ-
nit. diſt. 6.* opinatur hoc nonnumquam fieri poſſe cum fru-
ctu, puta ſi aliquis in ſui excuſationem, vel aliorum ac-
cuſationem contenderet talia, vel talia peccata, vel tales
circumſtantias ab aliquibus non ſolere in confeſſione ape-
riri, tunc enim Sacerdos, qui aſſereret imò id ſolitum eſſe,
ſibique illa frequenter in pœnitentia aperta fuiſſe, cùm
fructu loqueretur ſecundum Navarrum. Et quamvis hæc
theorica mihi non probetur, quia Sacerdos pro errore pro-
ximi confutando, aliis mediis uti debet, quam revelatio-
ne circumſtantiæ ſibi detectæ in Sacramento Pœnitentiæ,
ſicut Clemens VIII. in Decreto edito ſuper caſuum reſer-
vatione dixit diligentiſſimè cavendum eſſe à Superioribus 40
regularibus, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in
confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem
utantur: tamen Sacerdos, qui Navarri doctrinam ſerva-
ret, utique plectendus non eſſet graviſſima illa pœna de-
poſitionis, & detruſionis ad modum pœnitentis ſimonia-
ci, & hæretici, ut in *cap. Quoniam*, *de ſimon. cap. penult.
de hæret.* & notat in prædicta Decretali, *Omnis*, Joan.
Andr. in extremis verbis. Cùm præſertim Concilium ibi 41
utatur verbo illo, *præſumpſerit*, quod includit eos, tan-
tum, qui dolo, & temeritate, non autem eos, qui per
ſimplicitatem, & aliqua probabili ratione ducti in legem
committunt, ut tenet Cardin. in Clement. 1. *quæſt. 39. de
privileg.* ad quod plura de more cumulat Tiraquell. *de pœn.
conſ. 43.* Quare exiſtimo ex hoc relinquendum eſſe arbi-
trio judicis, qui facti circumſtantiis maturè perpenſis dju-
dicet, an hujuſmodi pœna ſit exequenda, vel potius
temperanda; ſecundum ea, quæ generaliter adnotavit
Henr. Boich. in *cap. In Archiepiſcopatu*, *col. 2. verſ. Et in
hac cauſa conſideratione de raptor.* & fuſius Marian. Soc-
cin. in *cap. Licet a num. 22. de pœnit.* Præcipua autem ra- 42
tio habenda eſſet cauſæ revelationis: præſertim quia Con-
cilium in prædicta Decretali, *Omnis*, *infr. eod.* quamvis
exprimat tantummodo caſum, cùm Sacerdos prudentiori
conſilio indiguerit; per hoc tamen non videtur excludere
alios caſus ſimiles: nam exceptio in uno caſu non firmat
regulam in contrarium in aliis caſibus, qui ſunt ſimiles
exceptis, etiamſi alibi non reperiantur ſpecificè excepti,
textus eſt in *cap. cum dilecta*, ubi hoc notat Abb. *num. 6. de
confirmat. util. vel inutil.* gloſ. *in l. fin. in verb. Voluerit*,
C. de revocan. donat. Alexand. *conſ. 130. In cauſa*, *numer. 6.* 43
verſ. Nec obſtat ſi dicatur, *lib. 4.* Ubi ampliat hoc proce-
dere, etiamſi exceptioni adjecta ſit dictio taxativa. Unde 44
ſi pœnitens confiteretur caſum Epiſcopo reſervatum, &
Sacerdos non haberet facultatem abſolvendi ab illo caſu,
nec Epiſcopus vellet eam generaliter impertiri, ſed in caſi-
bus particularibus dumtaxat; utique non eſſet violator
prohibitionis Concilii Sacerdos qui in illo ſpeciali caſu
peteret ab Epiſcopo hanc ſibi facultatem fieri. Maximè
quia in præcitato decreto Clementis VIII. inter cætera
cautum eſt, ut Confeſſariis Regularibus in ſingulis domi-
bus per Superiores deputatis reſervatorum abſolutio com-
mittatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere
committi ipſe in primis Confeſſarius judicaverit. Quod
certè ad practicam deduci non poteſt ſine manifeſtatione
illius caſus in pœnitentia detecti. Quod ſi urgens peten-
dam eſſe licentiam revelandi illum caſum à Pœnitente;
replicabimus idipſum fieri poſſe cùm Sacerdos indiget pru-
dentiori conſilio. Et tamen eo caſu Concilium non
tactavit Confeſſorem ad petendam hujuſmodi licen-
tiam, neque ex hac Decretali apparet Cardinalem
Legatum ſignificaſſe Papæ de licentia mulieris pœ-
nitentis caſum ſuppoſiti partus in confeſſione ſibi dete-
ctum.

Digitized by Google

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

CAPUT XII.

OMnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti: & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum: niſi fortè de proprii ſacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur: ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit juſtâ de cauſâ, ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote: cùm aliter ipſe illum non poſſit abſolvere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperfundat vinum & oleum vulneribus ſaucitati; diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo aut ſigno aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori conſillo indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ, cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolùm à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.

SVMMARIVM.

1 *COnfiteri ſacramentaliter ſemel in anno, ut quis teneatur, quæ requiſita ſint neceſſaria.*
2 *Baptiſmus eſt ianua, & fundamentum omnium Sacramentorum.*
3 *Eccleſia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus.*
4 *Pœnitentia ante adventum Chriſti non erat Sacramentum, nec eſt poſt adventum illius cuiquam ante Baptiſmum.*
5 *Infans, furioſus, vel mentecaptus non habens dilucida intervalla, non ligantur hoc Edicto.*
6 *Peccatum originale per Baptiſmum deletur in infantibus indiſtinctè; in adultis per contritionem cordis.*
7 *Pœnitentia Sacramentum dicitur ſecunda poſt naufragium deperdita gratia tabula.*
8 *Peccatum an oporteat eſſe mortale ad hoc ut Pœnitentia Sacramentum ſit ad ſalutem neceſſarium, & num. ſeqq.*
9 *Peccata venialia tantùm habens, non tenetur confiteri iure divino ad obtinendam iuſtificationis gratiam.*
10 *Iuſtificatio quid ſit.*
11 *Peccata venialia à gratia Dei non excludunt.*
12 *Et quamvis utiliter in confeſſione dicantur, tamen citra culpam taceri, & multis aliis remediis expiari poſſunt.*
13 *Fallit in duobus caſibus.*
14 *Peccata venialia tantùm habens an teneatur iure poſitivo ſemel in anno confiteri ut ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, & n. ſeqq.*
15 *Chriſtianus, qui ſaltem ſemel in anno non confitetur, eſt ſuſpectus de hæreſi.*
16 *Confiteri ſemel in anno ex præcepto Eccleſiæ non tenentur illi, quibus ex gratia collatum eſt, ut ſint immunes à peccato veniali.*
17 *Peccata venialia non tenetur quis confiteri ſemel in anno ſpecialiter, & enumeraliter, ſed in generali.*
18 *Hermaphroditus an teneatur confiteri ſemel in anno.*
19 *Hermaphroditus, qui in ſexu fœmineo incaleſcit, non recipit Ordinis characterem, nec poteſt cum fœmina matrimonium contrahere.*
20 *Papa an adſtringatur edicto de confitendo ſemel in anno, & communicando in Paſchate, & n. ſeqq. uſque ad n. 26.*
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.
21 *Papa poteſt ligari à Sacerdote, cui ſe ſubiicit in confeſſione.*
22 *Confeſſio Sacramentalis ubi, quando, & à quo inſtituta.*
23 *Confeſſio peccatorum omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure divino neceſſaria exiſtit.*
24 *Papa ius divinum uſque ad animam, & ſanguinem ſervare debet.*
25 *Papa non adſtringitur Conſtitutionibus Prædeceſſorum etiam in generali Concilio editis vi compulſiva, ſed vi directiva rationis.*
26 *Confeſſio debet eſſe integra.*
27 *Peccata propria dumtaxat ſunt in confeſſione aperienda, non autem aliena.*
28 *Circumſtantia, quæ exprimi non poteſt ſine manifeſtatione peccati alterius, an neceſſariò ſit confitenda.*
29 *Ius divinum poſitivum in concurſu cedit iuri divino naturali.*
30 *Pœnitens debet tacere peccatum, quod in confeſſione detectum ſibi, vel confeſſori probabile damnum animæ, vel corporis, vel famæ inferret.*
31 *Clauſula una ſecundum diverſos reſpectus diverſimodè accipitur.*
32 *Pueri tenentur ſemel in anno confiteri cùm ſunt doli capaces, quod ut plurimum contingit circa ſeptennium.*
33 *Euchariſtia in qua ætate ſit pueris exhibenda.*
34 *Annorum diſcretionis tres gradus conſtituuntur. Euchariſtia an amentibus, & phreneticis exhiberi poſſit ibid. verſ. An autem non habentibus.*
35 *Pœnitens debet confiteri ſolus.*
36 *Mutus, vel ita æger ut loqui non poſſit ſine periculo, aut exiſtens alterius linguæ, quàm Confeſſor, per ſcripturam, vel per alium confiteri poſſunt.*
37 *Declaratur.*
38 *Confeſſario abſenti non licet confiteri per Epiſtolam, vel internuncium; & contrariam propoſitionem ut temerariam, & ſcandaloſam damnavit Clemens VIII.*
39 *Confeſſor non poteſt validè abſentem abſolvere, etiamſi prius præſens illius confeſſionem audiverit.*
40 *Euchariſtia ſemel tantum in anno, ideſt in Paſchate ſumenda eſt ex neceſſitate præcepti.*
41 *Communicantes in hebdomada ſancta, vel infra*

Digitized by Google

octavam Paſcha ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ ex declaratione Eugenii IV.
42 Regulares poſſunt miniſtrare Eucharistiam intra Dominicam Palmarum, & Dominicam in Albis; ſed ita communicantes non ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ.
43 Communicare non licet in ipſa die Reſurrectionis de manu Regularium etiam devotionis cauſa.
44 Eucharistiam ad minus in Paſchate non ſumere eſt ſignum hæreſis, & malæ credentiæ.
45 Epiſcopus non poteſt certa tempora præſcribere quibus viris coniugatis, negociatoribus, & mulieribus liceat Euchariſtiam ſumere.
46 Paſchale tempus ad Euchariſtiam ſuſcipiendam poteſt à proprio Sacerdote ex cauſa prorogari.
Epiſcopus poteſt procedere ad excommunicationem in eos, qui negligunt adimplere præceptum huius cap. ac eleemoſynas pio loco applicandas iniungere, ſed non impedire, ut ſibi abſolutionem reſervet, ibid.
47 Communicantes quolibet anni die in Inſulis Philippinis ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ.
48 Circumſtantiæ notabiliter aggravantes an ſint in confeſſione aperiendæ.
49 Circumſtantiæ, quæ mutant ſpeciem peccati, ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione.
50 Et quæ ſint eiuſmodi circumſtantiæ.
51 Confeſſori an liceat revelare peccatum ſine revelatione peccatoris.
52 Confiteri quis debet proprio Sacerdoti, non alieno, niſi de proprii licentia petita, & obtenta.
53 Confeſſio Sacramentalis eſt actus iudicialis.
54 Ligari nemo poteſt, vel abſolvi à non ſuo iudice.
55 Sacerdos proprius quis dicatur, & n. ſeq.
56 Cura quid ſit.
57 Confeſſi Sacerdotibus Regularibus ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, nec tenentur iterum confiteri parochiali Presbytero, & n. 73.
58 Regulares poſſunt audire confeſſiones ſæcularium etiam tempore Paſchatis.
59 Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum ex Concilio Tridentino nullus Presbyter audire poteſt, niſi aut parochiale beneficium, aut Epiſcopi approbationem obtineat.
60 Parochi licentia hodie non ſufficit ut quis confiteri poſſit alieno Sacerdoti non Parocho, aut non approbato.
61 Regulares ſine licentia Epiſcopi hodie nequeunt audire confeſſiones ſæcularium, etiamſi Epiſcopus ſine iuſta cauſa licentiam denegaverit.
62 Poſſunt tamen ſine Epiſcopi approbatione audire confeſſiones ſuorum ſubditorum Regularium.
63 Item ſæcularium, qui ſunt de familia, & continuò commenſales, non autem deſervientium in eorum monaſteriis.
64 Tertiariis viris, & mulieribus non poſſunt Regulares miniſtrare Sacramenta Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ in Paſchate, Viatici, vel Extremæ Vnctionis, & n. ſeqq.
65 Tertiarii S. Dominici eodem iure cenſentur cum Tertiariis S. Franciſci.
66 Tertiariorum non eſt aliqua Religio, ſed modus vivendi à Sede Apoſtolica approbatus.
67 Tertiarii ſuſcipere debent Sacramenta à Parocho, de cuius parochia exiſtunt.
68 Regulares miniſtrantes Laicis, aut Clericis Extremam Vnctionem, Euchariſtiam, vel Matrimonium ſine Parochi licentia ſunt excommunicati.
69 Monachi ad confeſſiones ſæcularium à ſuis Abbatibus approbati in locis ubi dicti Abbates utramque iuriſdictionem exercent an poſſint audire confeſſiones confluentium ex aliena diœceſi, & num. ſeqq. uſque ad num. 78.
70 Sacerdos ſæcularis etiam in diœceſi ubi eſt approbatus non poteſt audire confeſſiones confluentium ex diœceſibus alienis.
71 Conſuetudo etiam immemorabilis eligendi ſibi Confeſſorem ſine ſui Superioris licentia non valet.
72 Monachi poſſunt audire confeſſiones confluentium ad diœceſim, in qua ſunt ab Epiſcopo approbati.
73 Papa poteſt concedere privilegium audiendi confeſſiones alterius Diœceſani etiam Epiſcopo invito, & contraria opinio damnatur ut periculoſa in fide.
75 Privilegium ſibi eligendi Confeſſorem in aliena diœceſi, in qua eſt approbatus ab Ordinario, non eſt ſublatum à Concilio Tridentino.
76 Confeſſores in locis exemptis approbandi ſunt ab Epiſcopo diœceſano.
77 Regulares in locis ſibi ſubiectis utramque iuriſdictionem exercentes ſicut non ſubſunt Epiſcopo in concernentibus curam animarum; ita nec ſubſunt eidem quoad examen pro confeſſionibus audiendis.
78 Regulares ab Epiſcopo approbati cum facultate abſolvendi à caſibus illi reſervatis, an poſſint abſolvere confluentes ex aliena diœceſi à reſervatis in diœceſi Pœnitentium dumtaxat, & num. ſeq. uſque in finem.
79 Regulares in diœceſi, in qua ſunt approbati, poſſint audire confeſſiones Pœnitentium etiam alterius diœceſis.
80 Excommunicatus à ſuo Epiſcopo, non poteſt abſolvi ab alieno.
81 Iuriſdictio ſive voluntaria, ſive contentioſa non poteſt exerceri in non ſubditum.
82 Epiſcopus etiam quoad ſuos ſubditos non poteſt limitare iuriſdictionem Sacerdotis ſibi non ſubditi.
83 Caſuum reſervatio an afficiat Sacerdotes, vel Pœnitentes.
84 Caſus reſervare quid ſit.
85 Epiſcopus non poteſt concedere ſuo ſubdito ut abſolvatur in aliena diœceſi à Sacerdote iuriſdictionem non habente.
86 Reſervationis actus eſt localis.
87 Decretum Clementis VIII quoad caſuum reſervationem ſubiicit Regulares Epiſcopo, in cuius diœceſi morantur, non autem alieno.
88 Confeſſorem oportet ſcire à quibus caſibus non poſſit abſolvere.
89 Ordinarii debent paucos, & neceſſarios caſus ſibi reſervare.
90 Reſervationis cauſa eſt etiam ſacerdotis imperitia.
91 Reſervatio unius Epiſcopi non afficit alium.
92 Epiſcopus, vel Delegatus ab eo poteſt abſolvere pœnitentem non obſtante prohibitione Prælati vel inferioris, vel æqualis.
93 Scholares, peregrini, & vagabundi abſolvi poſſunt à quolibet Sacerdote approbato à caſibus eorum Epiſcopo reſervatis.
94 Itidem ſortiuntur forum pœnitentialem, ubi moram trahunt.
95 Conſuetudo abſolvendi confluentes à caſibus in aliena diœceſi reſervatis quoad Sacerdotes ſæculares an valeat.
96 Reſervatio caſuum eſt ſtrictè accipienda.
97 Pœnitentes, qui in diœceſi aliena impetrant abſolutionem à reſervatis in propria diœceſi, an cenſeantur hoc facere in fraudem reſervationis.
98 Ordinari poteſt Clericus prima tonſura ab Epiſcopo beneficii etiam tenuiſſimi.
99 Niſi beneficium illud ſibi in fraudem conferri curaverit.
100 Clericus ordinatus poſt commiſſum delictum, & cauſam præventam in foro laicali non gaudet fori privilegio.

OMnis. Famoſum eſt, & clavis in materia Sacramenti Pœnitentiæ. Et quia multa habet dicta, communiter non ſummatur; ſed pro aliquali ipſius intellectu ſic ſummari poteſt ſecundum Abb. & Marian. Soccin.

Quilibet doli capax tenetur ſaltem ſemel in anno confiteri proprio ſacerdoti, vel alteri de ipſius licentia, & Euchariſtiæ Sacramentum ad minus in Paſcha recipere. Et ſacerdos revelans confeſſionem, deponendus eſt, & in monaſterium ad agendum perpetuam pœnitentiam detrudendus. Dividitur in tres partes principales. Primò ſtatuit de confeſſione ſemel in anno facienda, & Euchariſtia recipienda, niſi ex cauſa, & de pœna contrafacientium, & de publicatione ſtatu-

Digitized by Google

ſtatuti. Secundò, de confeſſione facienda ex cauſa alieno ſacerdoti. Tertiò, inſtruit confeſſorem in tribus, videlicet in circumſtantiis inquirendis, in variis pœnitentiis imponendis, & in peccatis occultandis, & in ultimo pœnam adjicit. Secunda ibi, *ſi quis*. Tertia ibi, *ſi ſacerdos*.

1 Nota primò ex principio litteræ tria requiſita ad hoc ut quis teneatur ſacramentaliter confiteri. Primò, enim exigitur ut ſit fidelis, ideſt baptizatus, alioquin non eſt ca- 2 pax Sacramenti Pœnitentiæ, cùm Baptiſmus ſit janua, & fundamentum omnium Sacramentorum, *c. Præter*, §. *Ve-* 3 *rum*, 32. *diſt. c. fin. de Presb. non bapt.* Et Eccleſia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus, ut legitur in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœniten. cap. 2. Quid enim mihi*, inquit Apoſtol. 1. *Corinth.* 5. in fine, *de iis qui foris ſunt indicare? cap. Multi, 2. qu. 1. c. Gaudemus, de divort.* Unde nec an- 4 te adventum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt adventum illius cuiquam ante Baptiſmum, ut ha- 5 betur *ead. ſeſſ. 14. cap. 1.* Deinde exigitur ut ad annos diſcretionis pervenerit, ideſt ut ſit doli capax, & ſciat diſcernere inter bonum, & malum ſecundum gloſ. 1. *hic*, Hoſt. *in princ.* & alios communiter, Silveſt. *in ver. Confeſſio*, 2. *num. 4. quæſt. 5.* Unde infans hac Conſtitutione non ligatur, *cap. Eos, de conſecr. diſt. 4. l. 1. C. de falſ. mon.* ſecundum Hoſtien. & omnes; & idem in furioſo, & mentecapto non habente dilucida intervalla, ut per Marian. Soccin. *n. 23. &* 6 24. Tertiò, exigitur ut aliquod peccatum actuale commiſerit: nam originale deletur per Baptiſmum, in infantibus indiſtinctè; *cap. Maiores, de Baptiſm.* in aliis verò per contritionem. Neque enim ad ſuſcipiendum Baptiſmum in adultis confeſſio eſt neceſſaria, ſed ſufficit ſola cordis contritio, *cap. Tres ſunt, de pœnit. diſt. 1. & c. Omnis qui, de conſecr. diſt. 4.* ſecundum Hoſtien. *in ſumma tit. de Baptiſ. §. Quis ſit effectus*, Abb. Antiq. *hic n. 2.* Jo. Andr. *n. 4.* Henric. *col. 2. verſ. Aut quæris de tertio*, & Marian. Soccin. *n. 17.* & hodie patet ex decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. c. 1.* & ex dictis ſupra *n. 2.* Requiritur er- 7 go peccatum actuale: nam lapſis tantum poſt Baptiſmum Sacramentum Pœnitentiæ eſt ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus, ut in d. *cap. 2. ſeſſ. 14.* Hic enim juſtificationis modus eſt lapſis reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt, *cap. Secunda poſt naufragium, de pœnit. diſt. 1.* Concil. Trident. *ſeſſ. 6. de juſtificat.* 8 *cap. 14.* Et quidem oportet ut peccatum ſit mortale, ut confeſſio ſacramentalis ſit ad ſalutem neceſſaria: nam venialia peccata aliis remediis deleri poſſunt, ut hic in gloſ. 2. cum qua tranſeunt alii.

9 Sed tu adverte, quia aut quæritur an habens peccata venialia duntaxat teneatur illa jure divino confiteri ad ob- 10 tinendam juſtificationis gratiam: & manifeſtum eſt non teneri, quia juſtificatio eſt tranſlatio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, ut in præalleg. decreto de juſtificatione, *ſeſſ. 6.* 11 *c. 4.* & probat S. Thom. 1. 2. *qu. 113. art. 6.* At per venialia peccata à gratia Dei non excludimur, *c. Quotidianis, de pœnit. diſt. 3.* In hac enim mortali vita quantumvis ſancti, & juſti in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadunt, ut habetur *ead. ſeſſ. 6. cap. 11. Dominus autem non venit vocare juſtos, ſed peccatores.* Joan. 1. *cap. Libenter, de pœnit. diſt. 1. Nec eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus*, Matth. 9. Lucæ 5. *cap. Eccleſia Chriſti, eadem diſt.* Unde Auguſt. *Ideo*, inquit, *do tibi pœnitentiam, quia neſcio; ſi te non eſſe peccatorem ſcirem, nihil tibi prodeſſem, cap. Si quis autem, de pœniten. diſt. 7.* refert Collectar *hic num. 13.* Qua- 12 re peccata venialia quamquam rectè, & utiliter citra omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum uſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſq; aliis remediis expiari poſſunt: quæ ſunt formalia verba Concilii Tridentini *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. c. 5.* Atque ita non tenemur jure divino illa confiteri ut juſtificemur, quia non obligamur de iis pœnitere, aut conteri, per quæ naufragari non poſſumus, ideſt damnari ſecundum D. Th. Scotum, Palud. & alios communiter teſte Silveſtr. *in* 13 *verb. Confeſſio, n. 14.* niſi fortè dubitetur an aliquod veniale ſit mortale, arg. *cap. Si quis autem, de pœnit. diſt. 7.* aut tantò affectu quis eſſet in illa, ut timeret fore ut per illa ad aliquod mortale induceretur, niſi frænum confeſſionis adhiberet, ſecundum D. Bonavent. *in 4. diſt. 16. in fine*, Silveſt. *ubi ſupra verſ. Tenetur tamen*, & Navarr. *in man. cap. 21.* *num. 39.* Aut quæritur an habens peccata venialia tantum 14 adſtringatur præcepto poſitivo Concilii Generalis de confitendo ſemel in anno, & arbitror adſtringi; quoniam etſi per culpam mortalem juſtificationis gratiam non amiſerit; tamen nihil proponitur cur non teneatur præcepto Eccleſiæ obedire cùm poſſit, & peccata venialia ſint materia ſufficiens ad obtinendam abſolutionem ſacramentalem, ut in dict. *cap. 5.* alias eſſet in poteſtate cujuſque declinare Eccleſiæ præceptum aſſerendo ſe non habere peccatum mortale; & ita aperiretur via figmentis, & hoc edictum redderetur eluſorium, quod eſſe non debet, ut dicunt *hic* Hoſtien. *num. 22. verſ. Alioquin daretur via figmentis*, & Jo. Andr. *num. 12.* Cùm præſertim quilibet Chriſtianus, qui 15 ſaltem ſemel in anno non confitetur, reddat ſe ſuſpectum de hæreſi, ut idem Hoſt. inquit *n. 11.* & Joan. Andr. *n. 3.* & Card. *in 1. notab.* Non me latet Innocentium *num. 4. in ver. Semel*; conſulere his, qui pœnitentiam egerunt, & iterum non peccaverunt mortaliter, ut quamvis non ſint in peccato, nihilominus ſemel in anno confiteantur; quia, inquit, non debent ſe nimis aſſecurare, ut *c. Ad eius, 5. diſt.* vel hic textus ſecundum eum loquitur de illis, qui peccant, qui ad minus ſemel in anno confiteri debent. Atque ita Innocentius videtur ſentire non eſſe in præcepto, ſed in conſilio, ut qui mortaliter non peccaverunt, ſemel in anno confiteantur: & cum eo tranſit Joan. Andr. *n. 6.* & fuit opinio Scoti *in 4. diſt. 17.* ubi tenet habentem ſolum peccata venialia nec vigore hujus Decretalis teneri illa confiteri: imò ſecundum Petr. de Palude apud Silveſtr. *in ver. Confeſſio 1. n. 14.* Papa non poſſent talem obligare ad confitendum. Sed nihilominus adhæreo ſupradictæ diſtinctioni, quam poſteà reperi conſentire cum doctrina D. Thomæ *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. q. 3.* ait enim: *Ad confeſſionem dupliciter obligamur; uno modo ex iure divino, ex hoc ipſo quod eſt medicina: & ſecundum hoc non omnes tenentur ad confeſſionem, ſed illi tantum, qui mortale peccatum incurrunt poſt Baptiſmum. Alio modo ex præcepto iuris poſitivi; & ſic tenentur omnes ex iſta inſtitutione Eccleſiæ edita in Concilio generali ſub Innocentio III. tum ut quilibet ſe peccatorem recognoſceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei, tum ut cum maiori reverentia ad Euchariſtiam accedant, tum ut Eccleſiarum Rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus inter gregem lateat.* Hæc ille.

Neque obſtat, quòd oppoſitum videatur ſentire *in 4. diſt. 16. quæſt. 2. art. 2. qu. 3. ad 3.* ubi ait: *Alii vero dicunt, quod ſufficit quod ſe repræſentet ſacerdoti, & ſe immunem à peccato mortali oſtendat, ut ad communionem admitti poſſit:* præceptum enim Eccleſiæ eſt ad obligandum, illos, qui 16 habent aliqua, quæ confiteri debeant, cadit enim ſub præceptum magis taxatio temporis, quam ipſe confeſſionis actus, unde ſi alicui per gratiam collatum eſſet, ut à peccato veniali immunis eſſet, ſicut Beatæ Virgini eſt collatum, non teneretur ad illud præceptum: & in præalleg. *quæſt. 3. ad 3.* dicens: *Vel poteſt dici ſecundum quoſdam, quod ex Decretali prædicta non obligantur niſi illi, qui habent peccata mortalia, quod patet ex hoc quod dicit, quod debet omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non poteſt, quia nullus omnia confiteri poteſt. Et ſecundum hoc etiam ille, qui non habet mortalia non tenetur ad confeſſionem venialium, ſed ſufficit ad præceptum Eccleſiæ implendum ut ſe ſacerdoti repræſentet, & ſe oſtendat abſque conſcientia mortalis eſſe, & hoc ei pro confeſſione reputatur*, & idem innuit *ead. diſt. 17. qu. 3. art. 3. quæſt. 3. ad 4.*

Id, inquam non obſtat; quia in omnibus his locis S. Doctor loquitur ex aliorum ſententia, ut oſtendunt verba illa, *Alii dicunt*, ſecundum quoſdam, *Vt quidam dicunt*; ſed in primo loco loquitur ex ſententia propria, & eum ſequitur, licet locum non alleget, Collectar. *hic num. 3. & 6.* vel 17 certè ſecundum Silveſt. *in ver. Confeſſio primo, n. 14.* hujuſmodi opiniones in veritate non ſunt contrariæ, ſed veræ; nam opinio Scoti, & Paludani intendit ut non teneamur confiteri venialia, ſcilicet omnia, & ſpecialiter, & numeraliter; hoc enim eſſet impoſſibile. Alia vero opinio intendit ut ratione hujus edicti teneamur illa confiteri in generali dicendo: Nos quidem immunes ſumus à peccato mortali ſecundum conſcientiam noſtram; in multis tamen aliis deliquimus, & petimus abſolutionem: & ita ſalvatur littera hujus Decretalis in *ver. Omnia*, ideſt in generali: & hæc

Digitized by Google

ſecundum Silveſt. eſt mens S. Thomæ, licet videatur ſolum recitare aliorum ſententias.

Secundò, nota dictionem univerſalem, *Omnis*, quæ oſtendit ab hoc præcepto neminem prorſus excuſari, dummodò habeat tria requiſita, de quibus *in preced. notab.* argum. *cap. Si Romanorum, 19. diſt. & l. 3. ff. de off. Præſid.* ſive ſit maſculus, ſive fœmina, ſive in dignitate conſtitutus, ſive privatus, religioſus, clericus, vel laicus, Prælatus vel ſubditus, pauper vel dives, nobilis vel ignobilis, ſenex, vel juvenis, ut per Henr. Boich. *poſt princip.* Marian. Soccin. *n. 17.*

18 Quærunt Doctores quid in hermaphrodito, Jo. Andr. *num. 1. in ver. Sexus*, Butr. *num. 19.* Cardin. & Anchar. *in 1. notab.* & Soccin. *num. 17.* concludunt teneri, cùm in eo vigeat eadem ratio. Adde verba illa, *utriuſque ſexus*, magis propriè verificari in hermaphrodito, quia in aliis intelliguntur diſtributivè, idest ſive maſculi, ſive fœminæ; at in hermaphrodito verificantur copulativè, cùm
19 habeat utrumque ſexum. Nec ad rem pertinent in quo ſenſu magis incaleſcat, juxta *l. Quæritur, ff. de ſtat. homin.* quia hæc conſideratio habetur in Sacramento Ordinis, & Matrimonii duntaxat: nam ſi incaleſceret in ſexu fœmineo, characterem non reciperet, nec poſſet cum fœmina Matrimonium contrahere, ut per Silveſt. *in ver. Hermaphroditus*, non autem in aliis Sacramentis, in quibus non admittitur diſtinctio ſexus.

20 Deinde quærunt Doctores an Papa adſtringatur huic præcepto de confitendo ſemel in anno, & communicando in Paſchate. Gloſſa videtur tenere partem affirmativam *in cap. Sane, il ſecondo, in ver. Terminandam, de offic.*
21 *deleg.* dum aſſerit Papam ligari poſſe à Sacerdote, cui ſe ſubjicit in confeſſione, Jo. Andr. *hic*, & latiùs *in cap. Significaſti, ſupra de foro competen.* dicit mentem hujus Conſtitutionis ligare etiam Papam, cùm & ipſe peccare poſſit, *c. Si Papa, 40. diſt.* & Cardin. *in 1. notab.* ſimpliciter dicit hanc litteram *in ver. Omnis*, comprehendere etiam Papam; ſed Abb. *hic num. 19.* & Marian. Soccin. *num. 17. & ſeq.* putant deciſionem hujus quæſtionis pendere ab alia, videli-
22 cet, an confeſſio ſacramentalis ſit de jure divino, necne: in quo recitant opiniones, de quibus per gloſ. *in ſumma de pœnit. diſt. 5.* nam quidam tenent confeſſionem in Paradiſo fuiſſe inſtitutam quando Deus compulit Adam ad confitendum peccatum. Alii in lege veteri quando Joſue præcepit Achor ut crimen ſuum confiteretur. Alii fuiſſe inſtitutam in novo teſtamento auctoritate Jacobi Apoſtoli, dixit, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Demum gloſſa illa concludit fuiſſe inſtitutam ex generali Conſtitutione Eccleſiæ; & ſic de jure poſitivo: & propterea Græcos, qui non confitentur ſacerdoti, ſed Deo in ſecreto, non peccare. Et ſecundum hanc opinionem, quæ magis placet Abbati, & Mariano Soccin. Papa non ligaretur hac Conſtitutione.

Verum hodie omnes hujuſmodi opiniones ſapiunt hæreſim, quia à Tridentina Synodo *ſeſſ. 7. de Sacram. Can. 1.* diffinitum eſt: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, &c. anathema ſit.* Et in ſpecie de Sacramento Pœnitentiæ *ſeſſ. 14. can. 1. Si quis dixerit in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur ipſi Deo reconciliandis à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, anathema ſit.* A Jacobo autem Apoſtolo ſacramentalis confeſſio non fuit inſtituta, ſed promulgata, ut docet S. Thom. *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 5. ad 2.* Erronea etiam eſt alia opinio, cujus meminit gloſ. præallegata, & Marian. Soccin. dict. *num. 18.* videlicet confeſſionem fuiſſe inſtitutam quando Chriſtus ſanavit leproſos, & poſteà dixit: *Ite, & oſtendite vos Sacerdotibus.* Imò enim Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit cùm à morte excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens; *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*; ut ſimiliter eſt diffinitum in d. *cap. 1. ſeſſ. 14. & can. 3.* In miſſione autem leproſorum ad Sacerdotes fuit tantummodo figuram, ut per D. Thom.
23 *loc. cit.* Itaque quoad quæſtionem propoſitam arbitror ſic diſtinguendum: Aut quæritur an Papa poſt Baptiſmum lapſus teneatur jure divino peccata ſua confiteri in Sacramento Pœnitentiæ: Aut quæritur an teneatur confiteri ſemel in anno. Primò caſu dicendum eſt indubiè teneri, quia peccatorum confeſſio omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſaria exiſtit, ut legitur in *eadem ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 5.* Cui quidem jure divino etiam 24
Romanus Pontifex ſubjectus eſt; imò illud uſque ad animam, & ſanguinem ſervare debet, *cap. Sunt quidam, 25. quæſt. 1.*

In ſecundò autem caſu concludendum eſt Papam vi com- 25
pulſiva non ligari hoc præcepto de confitendo ſemel in anno, & communicando in Paſchate, quia hæc formalitas, & præfinitio temporis eſt ex conſtitutione Eccleſiæ, & de jure poſitivo Concilii generalis, ut hic patet, juncto *cap. Etſi non frequentius, de conſecr. diſt. 2.* & apertius ex Tridentina Synodo *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœniten. cap. 5.* ubi declarans hanc ipſam Decretalem: *Neque enim*, inquit, *per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod iure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.* Juri autem poſitivo eccleſiaſtico Romanus Pontifex non ſubjicitur, *c. Propoſuit, de conceſſ. præben.* & eſt textus formalis in *cap. Innotuit verſ. Quamvis autem Canon. Lateranenſis Concilii, de elect.* tenetur tamen illud ſervare ex vi directiva, & dictamine rationis, *§. His ita 25. qu. 1.* & ſcripſi plenè poſt D. Thomam, & alios in *cap. 1. ſupra de conſtitut.* & hoc intendit Jo. Andr. *hic num. 1.* dum dicit: iſtud, *omnis* de mente Papam includit; quia ſcilicet ſubeſt in eo ratio, quæ ſubeſt in aliis, cùm ſit homo, ut inquit Collectar. *n. 16.* Et quia, licet non habeat ſuperiorem in quantum Papa, habet tamen in quantum peccator. Quæ ſunt verba Silveſtri in *verb. Confeſſio, 2. n. 5.*

Tertiò nota ibi, *omnia*. Confeſſionem ſacramentalem 26
oportere eſſe integram: concordat decretum Concilii Tridentini *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. c. 5. & can. 7.* de hoc notatur in *c. Quod quidam, ſupra eod.*

Quartò nota ibi, *ſua*, peccata propria duntaxat eſſe 27
aperienda in confeſſione ſacramentali, non autem aliena. Dicitur enim in Pſalmo 31. *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino*, ubi gloſſa exponit, idest peccata mea, non aliena, ut hic per Henric. Boich. *col. 4. circa med. verſ. Si poteſt*: unde non debet pœnitens eum, cum quo peccavit aliquo modo revelare, vel detegere, ut faciunt mulieres impudicæ, quæ manifeſtant participes, ſecundum Abbatem *hic numer. 2.* & Marian. Soccin. *numer. 5. in tertio notab.*

Quod tamen limitant Hoſt. *n. 5. in ver. Sua*, Jo. Andr. 28
num. 4. in eod. ver. Collectar. *n. 3. in fine ver. Fallit tamen*, Henrich. Boich. *col. 4. poſt med. verſ. Aut non imminet*, & Anchar. *n. 3. in 3. notab.* ut non procedat ſi proprium peccatum non poſſit benè detegi abſque manifeſtatione complicis, ut ſi quis cognoverit matrem, filiam, vel ſororem; nam hujuſmodi circumſtantiæ ſunt neceſſariò in confeſſione aperiendæ, ut *de Pœnitent. diſt. 5. in princip.* & hæc eſt communis Theologorum ſententia *in 4. diſt. 16.* ut teſtatur Navarr. *in Manual. c. 7. n. 3.*

Sed contrariam opinionem aſſerit eſſe veriorem Navarr. ibidem, & latiùs in *c. Sacerdos n. 95. & 96. de Pœnit. diſt. 6.*
Præcipuum hujus ſententiæ fundamentum eſt, quia lex de 29
non infamando proximum divina naturalis eſt: lex autem, quæ jubet confeſſionis integritatem, eſt divina poſitiva. Ergo pœnitens debet potius circumſtantiam tacere, quod ad integritatem confeſſionis pertinet, quàm famæ proximi detrahere, quando alterum de duobus fieri oportet; quia jus divinum poſitivum in concurſu cedit juri divino naturali, ut notatur *in §. fin. 6. diſt.*

Alterum fundamentum eſt, quia ſecundum communem 30
opinionem, de qua itidem Navarr. teſtatur in d. *cap. 7. n. 3. verſ. Deinde quia*, pœnitens debet tacere peccatum, quod in confeſſione detectum ſibi, vel confeſſori probabile damnum animæ, vel corporis, vel famæ inferret; veluti, ſi pœnitens confeſſoris fratrem occidiſſet, & ſi confiteretur in genere ſe homicidium perpetraſſe, illicò ſacerdos exiſtimaret fratrem ſuum ab illo interfectum fuiſſe; aut ſi cognatam ſuam, quæ filia eſſet confeſſoris carnaliter cognoviſſet, & ſi circumſtantiam cognationis exprimeret, confeſſor ſuam eſſe filiam ſuſpicaretur. His enim caſibus pœnitens curare debet ut ſibi tribuatur facultas confitendi alteri; ſed ſi eam impetrare non poſſit, reliqua omnia peccata debet in confeſſione aperire, & unum illud reti-

ſcere

cere eum propoſito illud confitendi cùm impedimentum
ceſſaverit, ſecundùm D. Thom. in *4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4.*
& Altiſiodoren. probatum à Majore *d. diſt. 17. qu. 15.* idem
ſentiunt Hoſtien. *hic n. 22. in ver. Obtineat*. Jo. Andr. *n. 32.*
& plerique alii.

Cave tamen quia Navarr. citat pro ſua opinione Inno-
cent. & Hoſtien. *hic*, ſed ego nuſquam reperi Innocentium
hoc tenere in hac Decretali, & Hoſtienſis tenet manifeſtè
oppoſitum d. *n. 5.* imò fuit auctor contrariæ ſententiæ, prout
illi eam tribuunt Joan. Andr. Collectar. & alii præallegati:
unde contra Navarrum eſt communis ſententia non tan-
tùm Theologorum, ſed etiam Canoniſtarum. Ejus ta-
men fundamenta valdè urgent.

31 Quintò nota unam, & eamdem clauſulam ſecundum
diverſos reſpectus diverſimodè eſſe accipiendam: ſimile in
c. Cum capella, & ibi gloſ. 1. *de privil.* & notat gloſ. *in cap.*
Capitulum Sanctæ Crucis, in ver. Relaxetis, ſupra, de re-
ſcript. & Marian. Soccin. *in cap. 2. in 4. notab. de foro*
32 *compet.* Nam verba illa *poſtquam ad annos diſcretionis*
pervenerit, reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ intelliguntur
de doli capace, ut dictum eſt ſupra *in 1. notab.* quod ut
plurimum contingit circa ſeptennium, in qua ætate mul-
ta peccata perpetrantur, ut in *cap. 1. & 2. de delict. puer.*
ſecundùm Abb. *hic num. 9.* Silveſt. *in verb. Confeſſio, 2.*
num. 4. quæſt. 5. & fuſiùs explicat Navarr. *in Man. cap. 21.*
num. 33.

33 Reſpectu verò Eucharistiæ ea verba intelligit Abb. de
pubere; obſervatur enim ut Euchariſtia non exhibeatur
pueris ante pubertatem, quæ obſervantia non eſt mala
propter reverentiam tanti Sacramenti, ut *hic* per eum *n. 9.*
verſ. Et adverte. Sed Navarr. *ubi ſupra* poſt Majorem *in*
4. diſt. 17. q. 2. aſſerit decentem conſuetudinem eſſe, ut pue-
ri uno, aut altero anno priùs incipiant confiteri, quàm
communicent, quò majori cum reverentia id faciant.
Atque ita ex mente ipſorum Euchariſtia pueris exhibetur
circa nonum ætatis annum, S. Thom. *in 3. part. q. 8. art. 9. ad*
3. Simpliciter docet hoc Sacramentum poſſe pueris confer-
ri quando jam incipiunt aliqualem uſum rationis habere
ut poſſint devotionem concipere hujus Sacramenti. Sed
ibi Cajet. primò advertit circa communionem puerorum,
& puellarum cùm ad annos diſcretionis pervenerint juxta
cap. Omnis utriuſque. Judicium de initio diſcretionis debe-
re à parentibus, & confeſſore fieri: A parentibus quidem
quoniam continua converſatione experiuntur an filius, ſeu
filia ſciat diſcernere panem ſpiritualem à materiali; & tunc
præparare ſe ad Sacramentum: A Confeſſore verò, quo-
niam in ipſa confeſſione poteſt advertere quantum diſcre-
tionis, aut devotionis poſſit ineſſe. Et mox ſubdit, ni-
miam cautelam à parentibus adhiberi, qui non exponunt
puellas decem annorum ad communionem. Et quamvis
pueri, ac puellæ ipſæ excuſari videantur ob parentum im-
perium, Confeſſore non præcipiente; parentes tamen non
excuſari. Verùm Silveſt. *in ver. Euchariſtia 3. num. 7. verſ.*
Septimum, poſt Petr. & Aureolum, dicit ſacram Commu-
nionem dari poſſe pueris incipientibus habere diſcretio-
nem ante perfectam ætatem puta cùm ſunt decem, vel
undecim annorum, ſi in eis ſigna diſcretionis, & devo-
tionis appareant; & in hoc ſtandum eſſe arbitrio boni
viri.

34 Itaque anni diſcretionis, de quibus hic loquitur Conci-
lium, recipiunt latitudinem, & extenſionem à ſubjecta
materia, ſicut ad contrahendum matrimonium, & pro-
feſſionem emittendam de jure communi intelliguntur poſt
pubertatem, *c. 2. ſupra de ſponſ. impub. & c. 1. de regul. lib. 6.*
Et quoad bonorum adminiſtrationem poſt annum ætatis
vigeſimum quintum, ut *ff. de minor. per totum*, ſecundum
Hoſtien. *hic n. 2.* Jo. Andr. *n. 3.* & Abb. *n. 9.* qui conſtituunt
tres gradus annorum diſcretionis.

An autem non habentibus totaliter uſum rationis Eu-
chariſtia exhiberi poſſit, diſtingue ſecundum D. Thom. *in*
3. part. qu. 80. art. 9. Aut numquam habuerunt uſum ratio-
nis, ſed ſic à nativitate permanſerunt: & talibus non eſt
hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo
præceſſit hujus Sacramenti devotio. Aut non ſemper ca-
ruerunt uſu rationis; Et tunc ſe prius dum erant mentis
compotes apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, de-
bet eis in articulo mortis exhiberi, niſi fortè timeatur pe-
riculum vomitus, vel expuitionis. Sequitur Silveſt. *in*
verb. Confeſſor, 3. num. 16. & fuſiùs *in ver. Euchariſtia, 3.*

num. 7. verſ. Nonum, & probatur *in cap. Is qui, 26. qu. 6.*
quod eſt Concilii Carthaginenſis *cap. 76.* ubi ſic legitur;
Is, qui infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu dum Sacer-
dos ad eum invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit,
vel in phreneſim converſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum
audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuò creditur
moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infun-
datur ori ejus Euchariſtia. Ubi Archidiaconus hoc am-
pliat etiamſi prius Euchariſtiam non petiiſſet: & con-
cordat Silveſt. dict. *verſ. Nonum*, & Navarr. *in Ma-*
nual. cap. 26. num. 27. facit textus in *cap. Qui recedunt, de*
conſecr. diſt. 2.

Sextò, nota ibi, *ſolus*. Pœnitentem debere peccata ſua 35
confiteri ſolum. Unde plures ad confeſſionem non ſunt
ſimul recipiendi: nec pœnitens debet alium ſecum adhi-
bere, ut *hic* notant Hoſtien. *n. 7.* Anton. de Butr. *n. 3.* Petr.
de Anchar. *n. 4.* & Marian. Soccin. *n. 5.* Imò Joan. Andr.
n. 5. poſt Goffred. appellat peſſimam conſuetudinem, ſe-
cundum quam plures ad pœnitentiam accedebant, ut in
cap. Quamvis, de pœnit. diſt. 1. Quòd tamen limitat Innoc. 36
in princ. niſi eſſet ſurdus, vel mutus, vel ita æger ut ſine
periculo loqui non poſſet, vel niſi eſſet alterius linguæ,
quàm Confeſſor; quia tunc per ſcripturam, vel per alium
confiteri poſſet; & ſequitur Abb. Antiq. *in princ.* Joan.
Andr. *n. 7.* Henr. Boich. *poſt princ.* Card. *n. 1.* Anchar. *in 6.*
notab. & Marian. Soccin. *n. 25.* Intellige dummodo coram 37
Sacerdote corporaliter ſe ſiſtat, & præſens abſolvatur,
alioquin nec muto liceret in abſentia per epiſtolam, vel
nuncium confiteri, aut abſolutionem obtinere. Ad hoc
cap. Quem pœniteret, de pœnitent. diſt. 1. ubi Leo Papa:
Quem pœnitet omnino pœniteat, & dolorem lachrymis oſten-
dat, repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præve-
niat judicium Dei per confeſſionem; præcipit enim Dominus
mundandis ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corpora-
li præſentia confitenda peccata, non per nuncium, non per
ſcriptum manifeſtanda: Dixit enim ora monſtrate: & om-
nes, non unus pro vobis; non alium ſtatuatis nuncium, qui
pro nobis offerat munus à Moyſe ſtatutum; ſed qui per vos
peccaſtis, per vos erubeſcatis. Pondera illa verba, *Corpo-*
rali præſentia, ora monſtrate, & *per vos erubeſcatis*: quæ
etiam a muto per ſeipſum impleri poſſunt, ac debent.
Præterea Clemens VIII. auditis votis Patrum Theologo- 38
rum, & te cum S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam
pravitatem generalibus Inquiſitoribus maturè, ac dili-
genter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet licere
per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti pecca-
ta ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolu-
tionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, &
ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit; præcepitque ne
quis deinceps eamdem propoſitionem publicis, privatiſque
lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceat: neve
unquam tamquam aliquo caſu probabilem defendat, im-
primat, aut ad praxim quovis modo deducat; alioquin
præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo
facto incurrat, & à qua non poſſit (præterquam in arti-
culo mortis) ab alio quoquam etiam majori Pœnitentia-
rio, niſi à Romano Pontifice abſolvi; aliis etiam pœnis
arbitrio infligendis ſubjaceat, ut in litteris publicatis die
19. Julii 1602. quæ habentur in Bullar. *tom. 3. pag. 135.*
Pondera illa verba, *neve unquam tamquam aliquo caſu pro-* 39
babilem, quæ oſtendunt nullum prorſus caſum dari poſſe,
in quo aliquis ſive mutus, ſive æger, ſive alterius idioma-
tis in abſentia ſacramentaliter confiteri poſſit, aut à Sa-
cerdote abſente abſolutionem validè obtinere, etiamſi
prius præſens confeſſus fuiſſet, ut per Cardin. Tolet.
in Summ. lib. 3. cap. 6. Gregor. de Valen. *part. 3. diſput. 7.*
quæſt. 1. pun. 1. §. Quod autem, & Suarez *tom. 4. diſput. 19.*
ſect. 3. num. 7.

Septimò nota ibi, *ad minus in Paſcha*. Sacram. Eucha- 40
riſtiam non eſſe ſumendam pluries in anno ex neceſſitate
præcepti, ſed ſemel tantùm, atque ita ſublata eſt diſpoſitio
cap. Etſi non frequentius, de conſecrat. diſt. 2. quo unuſ-
quiſque tenebatur ter ſaltem in anno recipere Corpus
Chriſti, videlicet in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini.
Hodie enim non tenetur niſi in Paſcha. Et pro Paſcha in- 41
tellige octo dies ante, vel poſt Dominicam Reſurrectionis.
Declaravit enim Eugenius IV. ſatisfactum eſſe huic Ca-
noni ſi in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paſchæ
Reſurrectionis Dominicæ ſecundum meliorem diſpoſitio-

Digitized by Google

nem conſcientiæ, & aptiorem mentis devotionem fideles Sanctum Euchariſtiæ pignus ſuſcipiant, ut in Conſtitutione, quæ incipit, *Fide digna, edita die 8. Junii 1440.* & habetur in Bullar. *tom. 1. pag. 200.*

42 Porrò Regulares habentes facultatem miniſtrandi Euchariſtiam præterquam in die Paſchatis, ſicut in ſpecie habent fratres Minores, non prohibentur illam miniſtrare intra Dominicam Palmarum, & Dominicam in Albis. Sed ita communicantes non ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ.

43 Ipſa verò die Reſurrectionis nec ipſi ſiquidem, qui die Jovis Sancti de manu Parochi Euchariſtiam ſumpſerunt devotionis cauſa, poſſunt illam ſumere de manu Regularium, ut S. Congregatio Concilii declaravit *die 23. Januarii 1586.*

44 Omittentes verò huic præcepto ſatisfacere non tantum peccant mortaliter, ut per Navarr. *in Manual. c. 21. n. 45.* Sed etiam ſunt de hæreſi ſuſpecti ſecundùm Hoſtien. *hic in princ.* & Joan. Andr. *num. 3.* Hoc enim eſt ſignum hæreſis, & malæ credentiæ, ut per Franc. Peniam *in direct. Inquiſit. p. 3. Comm. 24.* & Monach. *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 6. num. 27.*

45 Cæterùm quamvis ex neceſſitate præcepti ſemel tantum in anno ſit communicandum; tamen ut legitur in decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ c. 6.* Optaret ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quoad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret. Et hoc eſt, quod innuit hic Concilium Lateranenſe in *verb. Ad minus:* quaſi dicat bonum eſt pluries recipere, ſed ad minus in feſto Paſchatis, ut explicat Abb. *n. 2. in 3. notat.*

An autem Epiſcopo præſcribere volenti certa tempora, nempè dies Dominicos, quartam, & ſextam feriam, quibus liceat viris laicis, conjugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non conjugatis ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere ob irreverentiam, quam poſſet quotidiana hujus Sacramenti ſumptio in ſua diœceſi parere, obſtet decretum *d. cap. 6. ſeſſ. 22.* Die 9. Januarii 1587. Sacra Congregatio Concilii reſpondit non obſtare abſolutè doctrinam Concilii; ſed Epiſcopum non poſſe dicta tempora præſcribere.

46 Octavò nota, ibi, *de proprii Sacerdotis conſilio*, tempus Paſchale hic præfixum ad ſacram Communionem ſuſcipiendam poſſe à proprio Sacerdote ex cauſa prorogari.

Hinc Sac. Congregatio Concilii conſulta, An adverſus eos; qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta accedere negligunt, & pœnas *juris utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* contemnunt, liceat Epiſcopo etiam ad excommunicationem procedere, & pro ſatisfactione pœnas pecuniarias pio loco applicandas injungere; & an expediat talem abſolutionem Epiſcopum ſibi reſervare: Ad primum reſpondit licere, niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio ex rationabili cauſa hujuſmodi perceptio ad tempus dilata ſit. Ad ſecundum reſpondit poſſe injungi eleemoſynas pio loco applicandas: Ad tertium non expedire.

Sed cùm Epiſcopus petiiſſet à S. Congregatione Concilii ut tempus communicandi intra Dominicam Palmarum, & in Albis prorogaretur à die Cinerum ad Dominicam in Albis ob populi frequentiam, exiguum numerum Sacerdotum, & neceſſitatem agricolarum poſt Paſcha: S. Congregatio cenſuit nihil novi decernendum, cùm ipſe poſſit id tempus ex cauſa prorogare.

47 Porrò ex conſuetudine in aliquibus diœceſibus tempus Paſchale extenditur ab initio Quadrageſimæ uſque ad decimum quintum diem poſt Paſcha, ut teſtatur Henriquez in *Summa lib. 8. cap. 5. §. 1.* Et in inſulis Philippinis fideles ex indulto Apoſtolico ob Sacerdotum paucitatem, & populi frequentiam quolibet anni die præcepto Eccleſiæ ſatisfaciunt ad viginti annos, & durante neceſſitate judicio Epiſcopi, ut reperi adnotatum in libris publicis S. Congregationis *tom. 23. poſt pag. 546.*

48 Nonò nota ibi, *diligenter inquirens, peccatoris circumſtantias, & peccati:* non tantùm peccata ipſa, ſed etiam illorum circumſtantias eſſe in confeſſione aperiendas, ut hic, & in *c. Deus qui, ſupra eod. c. Sicut dignum, de homicid. & c. Conſideret de pœnit. diſt. 5.* Sed inſignis eſt controverſia de quibus circumſtantiis hoc intelligitur: multi enim exiſtimant eſſe in confeſſione exprimendas non tantùm circumſtantias, quæ mutant ſpeciem peccati, ſed etiam illas, quæ notabilem quantitatem peccato addunt, ſeu, ut alii explicant, quæ notabiliter peccatum aggravant. Cujus ſententiæ ſunt Altiſiodorenſis, Alexander de Ales, Marſilius, Cajetanus, Victoria, Sotus, Suarez, & alii. Et ex Canoniſtis Innocen. *hic ſub num. 1.* ibi, *cum omnibus circumſtantiis, quæ peccatum aggravant*, Henrich. Boich. *col. 3 in princ. verſ. Aut quæris de quinto*, poſt Hoſtien. *in Summa hoc tit. §. Qualis debet, ſub §. Integra*, & Jo. de Friburgo *in Summa Confeſſ. eod. tit. qu. 81. Utrum teneamur confiteri, & quæſt. ſeq.*

Sed contra plerique arbitrantur eſſe aperienda in confeſ- 49
ſione illas tantum circumſtantias, quæ mutant ſpeciem peccati. Quod cenſent S. Thom. S. Bonavent. S. Antonin. Scotus, Durand. Palud. Gabr. Hadr. Turrecrem. Silveſt. Covarr. & alii complures. Et hanc opinionem teſtatur eſſe probabiliorem S. Thomas *in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 5.* & S. Bonavent. *diſt. 17. art. 2. quæſt. 3. num. 133.* veriorem Silveſt. *in ver. Confeſſio, 1. num. 10.* Item veriorem Collect. *hic num. 12. in fine*, communiorem, & probabiliorem Navarr. *in Man. cap. 6. num. 6. verſ. Infertur octavo*, ubi oſtendit oppoſitam ſententiam eſſe multis difficultatibus, ſcrupulis, & periculis obnoxiam; & pluribus hanc partem tuetur. Cui hodie apertè ſuffragatur Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. de Pœnit. Sacram. cap. 5.* ubi S. Synodus docet eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere: *& can. 7. Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, &c. & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, anathema ſit.* Quo decreto non obſcurè docuit Concilium circumſtantias notabiliter aggravantes non eſſe ex neceſſitate exprimendas; tum quia includendo circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, videtur omnes alias ab hujuſmodi obligatione excludere, arg. *l. Cum ita legatum, ff. de condit. & demonſtrat. l. Cum lex, ff. de legib. & l. Maritus, C. de procur.* tum quia cùm ibi tradat doctrinam de integritate confeſſionis ſacramentalis, doceatque neceſſarium eſſe confiteri omnia, & ſingula peccata, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; utique ſuppoſuit alias circumſtantias ad integritatem confeſſionis non pertinere; alioquin doctrinam non integram tradidiſſet, & reliquiſſet indefinitum articulum tantoperè neceſſarium unicuique fidelium ad remiſſionem peccatorum obtinendam, quod non eſt dicendum. Cæterùm ſub 50
nomine circumſtantiarum, quæ peccati ſpeciem mutant, Concilium videtur intelligendum etiam de illis circumſtantiis, quæ de bono, vel indifferenti faciunt mortiferum, vel de veniali mortale, vel ſpeciem unius mortalis in aliam mutant, ut fusè explicat Navarr. *in Man. d. c. 6. n. 2. verſ. Et quamvis prædictum Concilium.*

Decimò nota ibi, *qui peccatum*, ſacerdotem incidere in 51
pœnam hic ſtatutam non tantùm revelando peccatorem, ſed etiam peccatum in confeſſione ſibi detectum: quod ſecundùm Abb. *hic n. 8. in ultimo notab.* eſt contra ſimplices, qui aſſerunt peccatum impunè poſſe revelari, ſed non peccatorem. Hunc articulum plenè examinavi in *c. Officii ſupra eod.* ubi videas.

Ultimò nota confeſſionem ſacramentalem eſſe facien- 52
dam proprio ſacerdoti dumtaxat, non autem alieno, niſi de proprii ſacerdotis licentia petita, & obtenta, concordat *cap. 2. infra eod. lib. 6.* & dicunt DD. hoc eſſe intelligendum non ſolùm cùm quis confitetur ſemel in anno ut ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, ſed etiamſi pluries, ut hic
per Abb. *in 7. notab.* Et benè, quia confeſſio Sacramentalis 53
eſt actus judicialis, non autem nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata, ut eſt diffinitum à Concilio Trident. *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. can. 9.*
Natura autem, & ratio judicii poſtulat ut ſententia in ſub- 54
ditos dumtaxat feratur, cùm non à ſuo judice ligari nullus valeat, vel abſolvi, *cap. Quod autem, ſupra eod. cap. At ſi Clerici, de judic. l. 1. C. Si non à compet. jud.* cum ſuis concordan. unde perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & Tridentina Synodus veriſſimum eſſe confirmavit dicta *ſeſſ. 14. cap. 7.* nullius momenti abſolutionem eam eſſe debe-

Digitized by Google

debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.

55 Dicitur autem proprius Sacerdos, cui cura Parochialis Eccleſia eſt commiſſa ſive ſit Rector, ſive Vicarius, *cap.* 1. *& fin. ſupra de offic. Vicar. c. Quia nonnulli, de Cleric. non reſident.* ſecundùm Hoſtien. *hic num.* 12. *in verb. Proprio;*
56 & cura eſt vigil, & oneroſa, ac ſollicita cuſtodia animarum commiſſa alicui ut curet ne pereant, ſed ſalventur, quæ competit ex lege, vel commiſſione Canonica, aut conſuetudine, ſeu præſcriptione per Sedem Apoſtolicam non improbata, *cap. Intelleximus*, §. *fin. ſupra de ætat. & qualit. cap.* 1. *de offic. Archidiac. & de offic. Archipresbyt. cap. unico, de offic. Primicer. cap. Pro humani, de homicid. lib.* 6. *cap. Qui Epiſcopatum*, 8. *qu.* 1. & ita curam magiſtraliter diffiniunt, & per partes explicant Hoſt. *nu.* 53. & Jo. Andr. *nu.* 8. *circa fin. verſ. Aut quæris de ſecundo*, Cardin. *nu.* 5. Mar. Soc. *num.* 28.

In ſpecie autem proprii ſacerdotis nomine præter Presbyterum Parochialem intelliguntur Papa, qui eſt Maximus, & Summus Sacerdos, Legatus in Provincia, & ejus Pœnitentiarius, Epiſcopus, & illius Vicarius Generalis, & Archipresbyter Majoris Eccleſiæ: nam unuſquiſque ex prædictis ſacerdos proprius immediatè dicitur; & ſic ſi ab altero ipſorum obtineat quis licentiam ſufficit, ut hic notant Hoſtien. *num.* 25. *in verb. A proprio ſacerdote*, Joan. Andr. *numer.* 12. *in eodem verb.* Henric. Boich. & Cardin. *loco cit.* Ancharan. *in* 7. *notab.* & Marian. Socin. *num.* 30. pleniùs idem Hoſtienſ. *in ſumma eodem titul.* §. *Cui confitendum*, Joan. Andr. & DD. in *cap.* 3. §. *Confeſſiones, ſupra de offic. Archipresbyt.*

57 Regulares verò habent licentiam audiendi confeſſiones ſæcularium à Papa, & ſic à proprio, & ſummo Sacerdote, ut in *Clemen. Dudum*, §. *Statuimus, de ſepultur.* & conſequenter qui illis confitentur, ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ; de quo hic, nec tenentur iterùm confiteri parochiali Presbytero, ut eſt text. in Extravag. *Vas electionis, de hæret.* ubi damnatur error Joannis de Poliaco Doctoris Pariſienſis, qui oppoſitum adſtruebat,

58 Imò cùm Archiepiſcopus Salernitanus dubitaſſet an poſſet Epiſcopus mandare ne quis tempore Paſchatis confiteatur Fratribus Mendicantibus, niſi de proprii Parochi licentia, juxta textum hic attenta Conſtitutione Sixti IV. quæ incipit, *Vices illius de treug. & pace*, in Extravag. *Commun.* 1. vocati fuerunt Fratres Obſervantes S. Franciſci, & cùm exhibuiſſent compendium privilegiorum ſuorum *pag.* 2. *ver. Ioannes XXII.* à tergo apparuit Regularibus iſtis datam facultatem audiendi confeſſiones etiam tempore Paſchatis; & ita cenſuit Sacra Congregatio Concilii ex eo loco neceſſario inferri.

59 Hodie ex decreto Concilii Tridentini *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. nullus Presbyter etiam Regularis poteſt confeſſiones ſæcularium etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneus reputatur, niſi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab Epi-
60 ſcopo idoneus judicetur. Unde eo decreto ſublata eſt diſpoſitio textus noſtri in ea parte, in qua ſtatuit ut ſacerdos alienus poſſit audire confeſſiones de licentia parochialis presbyteri: hodie enim in ſacerdote non parocho hujuſmodi licentia, non ſufficit, ſed requiritur licentia, &
61 approbatio Epiſcopi. Item eo Decreto ex ſententia S. Congregationis reſtringitur, quod ſtatutum fuerat *in d. Clem. Dudum* §. *Statuimus*, nempè ut Regulares approbati ad audiendas confeſſiones à ſuis ſuperioribus poſſent audire confeſſiones ſæcularium, etiam ſine licentia Ordinariorum, ſi tamen illam petiiſſent, & ſine juſta cauſa ab ipſis non obtinuiſſent.

62 Verumtamen decreto *d. cap.* 15. non comprehenduntur Regulares ratione ſuorum ſubditorum Regularium, ut S.
63 Congregatio reſpondit; ex cujus etiam ſententia Prælati regulares, ſive alii Religioſorum confeſſores audire poſſunt confeſſiones ſæcularium, qui ſunt de familia, & continui commenſales; non item eorum, qui deſerviunt in eorum monaſteriis: ad hoc *cap.* 11. *in princip. ſeſſ.* 25. *de Regular.*

64 Et cùm Fratres monaſterii S. Dominici de Lugo Imolen. diœceſis declarari poſtulaſſent, An ipſis liceret, præſertim ex ſuis privilegiis, audire confeſſiones virorum, & mulierum profeſſorum Tertii Ordinis S. Dominici, eiſque in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, Viaticum præbere, atque extremam Unctionem miniſtrare. S. Congregatio conſideravit, præſuppoſito quod hujuſmo- 65
di profeſſi eodem jure cenſeantur cum aliis profeſſis tertii Ordinis S. Franciſci, de quibus in gloſ. in Clem. *Cum ex eo de ſentent. excomm.* eorum non eſſe aliquam Religionem, ſed 66
modum quemdam vivendi approbatum à Sede Apoſtolica, nec dici plenè translatos ad Ordinem, itaut deſinant eſſe de ſæculo, Card. in Clem. *Per litteras num.* 9. *de præben.* Quod cùm ita ſit, non magis horum, quà aliorum ſæcularium confeſſiones prædictos religioſos audire poſſe, juxta *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. ubi privilegiis quibuſcumque derogatum eſt, & amplior derogatio habetur in Bulla Pii IV. revocatoria omnium privilegiorum ſub quibuſvis formulis in his, quæ Sacro Tridentino Concilio ſunt contraria: ex quo ſequitur tales Religioſos non eſſe proprios ſacerdotes horum profeſſorum; ac proinde non poſſe eiſdem Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ in Paſchate miniſtrare, juxta *cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* idemque juris eſſe de Viatico: ſiquidem præcedente confeſſione exhiberi debet, *c.* 7. *de præpar. qua adhibenda eſt, &c. ſeſſ.* 13. in decreto de Sanctiſſimo Euchar. Sacramento de extrema Unctione non eſſe judicium Congregationis, 67
ſed tamen conſtare ejus adminiſtrationem ſicut aliorum Sacramentorum pertinere ad parochum, de cujus parochia dicuntur eſſe tales profeſſi, niſi ſpeciali privilegio ſint exempti.

Portò Regulares, qui Clericis, aut laicis Sacramentum 68
Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, Matrimoniave ſolemnizare præſumunt, non habita ſuper his parochialis presbyteri licentia ſpeciali, ſunt ipſo facto excommunicati per Clem. *Religioſi de privileg.*

QUÆRO, An Monachi ad confeſſiones perſonarum 69
ſæcularium audiendas à ſuis tantùm ſuperioribus Regularibus approbati in locis, in quibus iidem ſuperiores utramque juriſdictionem in parochos, & parochianos exercent, poſſint audire confeſſiones confluentium ex aliena diœceſi.

Ad hoc dubium, quod adverſus Monachos Caſſinenſes propoſuit S. Congregationi Concilii D. Vulpius Archiepiſcopus Theatinus, videtur affirmativè reſpondendum: nam aut Archiepiſcopus contendit Regulares etiam legitimè ab Ordinario approbatos ad confeſſiones ſæcularium audiendas non poſſe in loco, ubi ſunt approbati, audire confeſſiones alterius diœceſani. Aut contendit Monachos Caſſinenſes non poſſe approbari ad confeſſiones ſæcularium audiendas à ſuis ſuperioribus Regularibus, ſed debere à ſeipſis approbari, cùm intra ſuæ diœceſis fines exiſtant.

Si primum, videtur reſpondendum dictos Regulares poſ- 70
ſe audire confeſſiones etiam diœceſanorum Archiepiſcopi: quia etiamſi de jure communi nullus ſacerdos poſſit abſolvere pœnitentem ſibi non ſubditum, etiam in illa diœceſi, in qua eſt approbatus, ut per DD. in Clem. *Dudum de ſepult.* ubi in ſpecie poſt Paul. not. Card. *num.* 2. *verſ. quinto nota*, & Anchar. *num.* 2. *verſ. Tertio dubitatur*: imò nulla poſſit conſuetudine introduci, ut aliquis 71
præter ſui ſuperioris licentiam confeſſorem ſibi eligere valeat, ut legitur *in cap.* 2. *de pœnit. & remiſſ. lib.* 6. etiamſi ſit tanti temporis, cujus initii non extet memoria, ut ibi tradit Gemin. *col.* 1. *verſ. Quæro circa ſecundum*, & Franc. *col.* 1. *verſ. Tertio nota*.

Aliud tamen videtur dicendum in caſu præſenti, cùm 72
Monachi Congregationis Caſſinen. ab Ordinario approbati ex privilegio Eugenii IV. poſſint audire confeſſiones alterius diœceſani, etiam invito Epiſcopo. Potuiſſet au- 73
tem Summum Pontificem tribuere hanc facultatem, admittunt omnes ſine delectu in hac Decretali: & dicit Franch. *in d. cap.* 2. *verſ. Tertiò nota*, in hoc eſſe majoris potentiæ privilegium, quàm conſuetudinem: & probatur apertè *in c. fin. infra eod.* imò contrariam opinionem uti erroneam, & periculoſam in fide damnavit Joannes XXII. in extravag. *Vas electionis de hæret.* ut dixi ſupra *n.* 57.

Neque verò dicto privilegio Eugenii IV. quidquam obſtat Concilium Tridentinum *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. nam ibi tantùm diſponitur non poſſe Regulares ſæcularium etiam ſacerdotum confeſſiones audire, niſi fuerint legitimè approbati. An autem quando ſunt legitimè approbati poſ- 74
ſint in loco, ubi approbati ſunt, audire confeſſiones alterius diœceſani necne, hoc ibi Concilium non declarat.

Atque

Digitized by Google

Atque ita Concilium *d. c.* 15. nihil ſtatuiſſe de hoc caſu ſupponit clarè Navarr. *in repet. c. Placuit n.43. de pœnit. diſt. 6. ubi dicit per d. c.* 15. non adimi ſecularibus poteſtatem deligendi
75 confeſſarium probatum, quamvis alioqui eſſet alienus: ideòque & aliàs cùm in S. Congreg. fuiſſet diſputatum, an exempti, qui ex privilegio *c. fin. de pœnit. & remiſſ.* poſſint etiam in aliena diœceſi confiteri ſacerdoti ſibi non ſubdito, poſſent poſt Concilium eligere quemcumque ſacerdotem etiam à ſuo Ordinario nnn approbatum: Congregatio cenſuit referendum Sanctiſſimo. Et Sanctitas ſua audita relatione Congregationis non revocavit in dubium, an poſſent confiteri ſacerdoti non ſubdito; ſed tantum reſpondit hujuſmodi ſacerdotem oportere eſſe ab illius Ordinario approbatum. Atque ita Sanctiſſimus probavit privilegium ante Concilium obtentum de confitendo ſacerdoti extra diœceſim non fuiſſe à Concilin ſublatum, dummodo idem confeſſarius fuerit aliàs legitimè approbatus à ſuo Ordinario.

Obſervandum eſt enim ante Concilium unicum fuiſſe impedimentum, quia nemo poterat confiteri alieno ſacerdoti ſine proprii ſacerdotis licentia, ut patet in hac Decretali: ſed hodie ex Concilio additum eſt alterum *in d. c.* 15. *ſeſſ.* 23. ideſt ut nemo ſit idoneus ad confeſſiones ſæcularium audiendas, niſi parochiale beneficium habeat, vel ſit approbatus ab Epiſcopo. Et quidem primum impedimentum de non eligendo ſacerdote alieno remanſit in diſpoſitione juris communis: ideòque potuit tolli per privilegium ante Concilium, quia Concilium non ſuſtulit niſi privilegia, quæ adverſantur impedimento à ſe impoſito, non autem quæ adverſantur diſpoſitioni juris communis. Quare ut Monachi Caſſinen. non approbati ab Ordinario audiant confeſſiones, repugnat Concilium *in d. cap.* 15. Ut approbati audiant confeſſiones ſibi non ſubditi, non Concilium, ſed jus commune repugnat. Impedimentum Concilii non adeſt, quia Monachi Caſſinen. hoc caſu poſſunt apprnbari à ſuis ſuperioribus regularibus ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nec eſt opus apprnbatione Epiſcopi, ut inferius dicetur. Impedimentum juris communis eſt ſublatum privilegio Eugenii IV. ergo nihil eis obſtat qunminus poſſint pœnitentes ſibi non ſubditi confeſſiones audire.

76 Sin autem Archiepiſcopus contendat dictos Regulares non poſſe approbari ad confeſſiones audiendas à ſuis ſuperioribus regularibus, ſed debere à ſeipſo uti diœceſano, approbari; adhuc nihil videtur obſtare, quin Monachi prædicti in locis, ut ſupra, ſibi ſubjectis poſſint audire confeſſiones alterius diœceſani: quamvis enim etiam ſubditi inferiorum exemptorum licentiam audiendi confeſſiones petere ab Epiſcnpo debeant, ut ſæpiùs cenſuit S. Congregatio, & præcipuè in cauſa Feretrana: hoc tamen non
77 procedit in illis monaſteriis Congregationis Caſſinen. quorum Abbates in locis ſibi ſubjectis utramque juriſdictionem exercent in parochos, & parochianos, ut probatur apertè *in cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regular.* ubi in monaſteriis, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, tam ſæculares, quàm regulares hujuſmodi curam exercentes, ſubjiciuntur immediatè juriſdictioni Epiſcopi diœceſani in his; quæ ad dictam curam, & ſacramentorum adminiſtrationem pertinent: & ſtatuitur, ne aliqui etiam ad nutum amovibiles ad dictam curam deputentur, niſi de conſenſu Epiſcopi, & prævio illius examine. Ac deinde in verſ. *Excepto* à dicta regula excipiuntur ſpecialiter monaſteria, ſeu loca, in quibus Abbates Epiſcopalem, ac temporalem juriſdictionem in parochos, & in parochianos exercent.

Quamobrem ſi Monachi in prædictis locis non ſubſunt Epiſcopo in concernentibus omnium ſacramentorum adminiſtrationem, & deputari poſſunt ad totam curam animarum exercendam ſine illius conſenſu, & examine: ergo nec eidem ſubſunt, nec egent illius approbatione pro adminiſtratione ſolius Sacramenti pœnitentiæ: nam à quocumque remnvetur genus, removetur quælibet ejus ſpecies, juxta textum in cap. nam concupiſcentiam, quem ad hoc ponderat Jo. de Imola *de conſtitut. & in l. Si cauſa cognita*, juncta gloſ. *in ver. Peremiſti Cod. de tranſact.* & quod juris eſt de toto quoad totum, *&c. l. Quæ de tota in princip. ff. de rei vendic. & cap. Paſtoralis §. Item cùm totum*, ubi gloſ. & DD. notant *de præſcription.* cum concord.

Et confirmatur, quia ſtrictiùs ſubjiciuntur Epiſcopo regulares curam animarum adminiſtrantes, quàm adminiſtrantes ſolùm Sacramentum Pœnitentiæ.

Siquidem primò caſu puniri poſſunt ab Epiſcopo ſi delinquant in concernentibus curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, ut conſtat *ex d. cap.* 11. At in ſecundo regulares non curati delinquentes in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, puniri non poſſunt ab Epiſcopo in vim Concilii, ut ſæpiùs Sacra Congregatio declaravit, licet hodie puniri poſſint in vim Conſtitutionis Gregorii XV. *de exemptor. privileg.* Ergo ſi Monachi in caſu in quo magis ſubſunt Epiſcopo, pro exercenda cura animarum in locis, ubi utramque juriſdictionem exercent, non egent illius approbatione; longè minus dicendi ſunt egere hujuſmodi approbatione in caſu, in quo minus ſubſunt pro confeſſionibus audiendis, atque ita *c.* 15. *ſeſſ.* 23. limitatur *ex d. c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regular.*

Unde tempore Cardinalis Alciati, cùm Abbas Monaſterii S. Eliæ de Carbono Anglonen. Diœceſis exercens utramque juriſdictionem in Parochos, & Parochianos dicti oppidi dubitaſſet an presbyteri ejuſdem oppidi ab Epiſcopo Anglonen. approban. deberent ad confeſſiones audiendas *ex cap.* 15. *ſeſſ.* 23. An verò ab ipſo Abbate *ex cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de regular.* S. Congregatio cenſuit mittendum ſupplicem libellum ad Epiſcopum, contra quem tamen inclinavit. Tempore verò Cardinalis Caraſæ, cùm Milites S. Joannis Hieroſolymitani habentes in oppido Maruggii juriſdictionem temporalem, & ſpiritualem, dubitarent, an ipſis prohibitum eſſet in eodem oppido ſacerdotes ad confeſſiones audiendas approbare, S. Congregatio reſpondit non eſſe prohibitum.

Non obſtat, quòd *in d. cap.* 11. in fine præſervetur jus illorum Epiſcoporum, qui majorem in prædicta loca, vel perſonas juriſdictionem exercent; quia de exercitio hujus majoris juriſdictionis hactenus non docuit Archiepiſcopus.

Succeſſivè QUÆRO, An regulares in aliqua diœceſi 78
ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas ab Epiſcopo approbati cum facultate abſolvendi etiam à caſibus illi reſervatis, abſolvere poſſint pœnitentes ex aliena diœceſi confluentes à caſibus reſervatis in diœceſi pœnitentium, non autem in qua confeſſinnes audiunt.

Jam Sacra Congregatio Concilii declaravit Regulares 79
intra diœceſim Epiſcopi approbantis poſſe etiam abſolvere pœnitentem alterius diœceſis, cùm habeant juriſdictionem à Papa ex Clem. *Dudum de ſepultur.* ut not. gloſ. *in cap.* 2. *Ante figurationem caſus de pœnit. & remiſſ. lib.* 6. cujus juriſdictio non reſtringitur ad limites alicujus Territorii, *c. Cuncta per mundum* 9. *q.* 3. Socin. *conſ.* 237. *col. fin. lib.* 2. Cravett. *conſ.* 128. *n.* 2. ſed univerſus orbis eſt ſua diœceſis, *c. Per principalem ead. cauſ. & quæſt.* Thomas Campeg. *in tract. de Annatar. inſtitutione n.* 9.

Nunc dubitatur. An ſimiliter poſſint eum abſolvere à caſibus in diœceſi pœnitentis tantùm reſervatis: In qua dubitatione non controvertitur, quominus decretum Clementis VIII. ſuſtulerit regularibus facultatem abſolvendi à reſervatis ab Ordinariis locorum, quàm habent ex privilegio. Sed quæritur an reſervatio obſtet regularibus alterius diœceſis quoad ſubditos reſervantis. Id autem pendet ab inſpectione, an actus reſervationis afficiat pœnitentes, an verò ſacerdotes: nam ſi afficiat pœnitentes, non poterunt regulares abſolvere alterius diœceſanos habentes illud vinculum reſervationis; quod ubique
inhæret perſonæ; idque ſatis patet exemplo excommu- 80
nicationis, quam ſibi Epiſcopus reſervavit, quæ cùm feratur in ſubditum, ejuſque animam liget, *cap. Si quis Presbyterorum de reb. Eccleſ. non alienan.* Hoſtien. *in cap. Romana num.* 5. *de ſentent. excomm. lib.* 6. Tolli non poteſt ab alieno Epiſcopo, non ob juriſdictionis defectum in ſua diœceſi, ſed propter obicem in perſona excommunicati injectum, qui reddit illum incapacem abſolutionis ab omni alio quam ab alio Epiſcopo, qui ſententiam tulit, Hoſtien. *in Summ. de ſent. excomm. num.* 12. *§. Quis poſſit & §. Et qualiter*, Covarr. *in cap. Alma Mater par.* 1. *§.* 12. *num.* 4. *in princ. eod. tit. lib.* 6. Doctores *in cap.*
Nuper eod. tit. Si autem actus reſervationis non afficiat 81
Sacerdotes, clarum erit reſervationem hujuſmodi non obſtare Confeſſoribus non ſubditis Epiſcopo reſervanti, quia ſive hic actus reſervationis ſit juriſdictionis contentioſæ,

Digitized by Google

tioſæ, ſive voluntariæ; neutro caſu ferri poteſt in non ſubditum, *cap. Vt animarum de Conſt. in 6. cap. At ſi Clerici ſupra de iudic. & cap. A nobis il primo de ſentent.*
82 *excommun.* Et Epiſcopum etiam quoad ſuos ſubditos non poſſe in hac materia limitare juriſdictionem Sacerdotis ſibi non ſubditi not. Raymun. *in Summ. de pœnit. & remiſſ. lib. 3. §. 15. verſ. Item proprius Sacerdos.* Et Card. Zabarell. *in d. Clem. Dudum §. Etſi iidem poſt num. 2. verſ. Et hoc videtur de ſepult.*

83 Ex his verò quæ à ſcriptoribus traduntur, ſatis manifeſtum videtur actum reſervationis caſuum non afficere niſi perſonam Sacerdotis confeſſionem audientis, licet indirectè obſtet etiam pœnitentibus, in quorum utilitatem inſtitutus fuit juxta decretum Concilii Trident. *ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 7. de Caſ. reſerv.* non quod ipſi ex ſe ſint incapaces abſolutionis, ſed quia Sacerdotem non
84 habent, à quo legitimè abſolvantur. Qua in re ſatis erit recenſere loca, è quibus educitur caſus reſervare nihil aliud eſſe, quàm juriſdictionem inferiorum Sacerdotum reſtringere, ſeu limitare.

Et primò ita decidit Specul. *in repert. §. Vt autem ſcias col. penult.* relatus à Steph. de Gaet. *in repet. cap. Ad limina num. 35. 30. quæſt. 1.* [Caſus ponere, inquit, nihil aliud eſt, quàm poteſtatem Sacerdotum reſtringere,] & ſequitur Joan. Friburg. *in Summ. Confeſſ. tit. de Confeſſ. & abſol. q. 50. verſ. Guiliel. Paul.* in Clem. *Dudum*, relatus ibi à Card. *in §. Si vere num.* 8. ubi ait: [Regulares prohibentur abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis non ex defectu poteſtatis ordinis, ſed ex ordinatione canonica juriſdictionis exercitium reſtringente:] & eum ſequitur Imol. *ibi n. 69. verſ. Fatetur tamen.*

Joan. Monach. in eadem Clemen. relatus per gloſ. *in §. Per huiuſmodi in ver. Conceſſa.* Sicut, inquit, Epiſcopus caſus ſibi reſervando poteſt arctare poteſtatem Ordinariam Curatorum, ita etiam extraordinariam Regularium.

Guiliel. de Monte Laudun. *in Sacramentali in ver. De Baptiſmo col.* 3. Poſſunt Superiores inferiorum Presbyterorum poteſtatem reſtringere ſubtrahendo, & caſus ſibi ſervando; quem ſequitur Stephan. de Gaet. *in repet. d. c. Ad limina n. 259. verſ. Et licet tantæ virtutis*, & Beatus Antonin. *in Summ. par. 2. tit. 17. cap. 11. col. 3.* Vitalin. *in d. §. Per huiuſmodi num.* 8. In reſervatione, inquit, poteſt Epiſcopus poteſtatem Curatorum ordinariam reſtringere, & ibi *num. 7.* pluribus probat reſervationem Epiſcopi obſtare quidem Curatis, quominus abſolvere poſſint, ſed non Regularibus, ſecundum formam dictæ Clement. Quod planè verum non eſſet, ſi reſervatio afficeret pœnitentem, quia tunc, etiamſi is ad Regulares confugeret, eſſet incapax abſolutionis, Silveſt. *in ver. caſus ſub n. 3. verſ. Hæc ille valde bene*, dicens, Sacerdotalis clavis omnia crimina poteſt abſolvere, niſi ipſa a ſuperiori Prælato quantum ad uſum ligetur, Navarr. *in Manual. c. 27. n. 259.* Caſus, inquit, reſervatus dicitur, cujus abſolutio adimitur inferiori Sacerdoti.

Atque ex his patet reſervationem, ut initio diximus, nihil eſſe aliud, quam limitationem juriſdictionis in inferiori Sacerdote.

Id quod ratione etiam ſuaderi poteſt: nam etſi Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, ut in decreto Concil. Trid. *cap. 15. in princ. ſeſſ. 23.* Illam tamen accipiunt in habitu tantum, non autem in actu, ſeu quantum ad uſum. In inſtitutione verò, ſeu collatione beneficii Curati tribuitur eis executio illius poteſtatis: textus eſt apertus *in cap. Generaliter §. Ecce ſufficienter, & in cap. ſeq. 16. quæſt. 1.* & not. Abb. *in cap. Extirpanda §. Qui verò num. 53. ſupra de præben.* & Præpoſ. *in cap. Latorem num. 17. verſ. Panormitanus vero 1. quæſt. 1.* Et hodie executionem illius poteſtatis, ſeu juriſdictionem in actu accipiunt Presbyteri, vel cùm Parochiale beneficium obtinent, vel cùm ab Epiſcopo ad confeſſiones audiendas approbantur, ut eſt expreſſum *in d. cap. 15. ſeſſ. 23.* Et ita quilibet Sacerdos Curatus, vel approbatus poteſt ab omnibus caſibus generaliter, & indiſtinctè abſolvere. Sed ab hac generali regula èxcipiuntur caſus, quos Superior ſibi retinuit, ſeu reſervavit, *ut in c. Nuper ſupra de ſent. excomm. & in d. cap. 7. de caſuum reſervat.* Ergo per reſervationem quantum ad uſum limitatur generalis illa Sacerdotum poteſtas ad abſolvendum: hæc enim eſt natura exceptionis ut regulam reſtringat, & vitiet in caſibus exceptis, *l. 1. ff. de regul. iur. l. In his, l. Quod vero, & l. Ius ſingulare ff. de legib. cum ſimil.* Et conſequenter actus reſervationis principaliter, & directè non afficit niſi Sacerdotes, quorum poteſtas reſtringitur. Et inde fit, *ut in dict. Clement. Dudum §. Per huiuſmodi de ſepultur.* in Extravag. Benedicti XI. *Inter cunctas §. Sicque de privileg.* Et in decreto Clemen. VIII. prohibitio abſolutionis à reſervatis non in pœnitentes, ſed in Confeſſores derogatur. Ad idem *d. cap. Nuper verſ. Quia tamen conditor, & d. cap. 2. de pœnit. & remiſſ. lib. 6.*

Ex his conſequitur ut actus reſervationis minimè afficiat regulares extra diœceſim Epiſcopi reſervantis, cùm ut initio diximus, nequeat Epiſcopus etiam quoad ſuos ſubditos limitare juriſdictionem Sacerdotis ſibi non ſubditi.

Secundò, non poteſt Epiſcopus concedere; ut ſuus ſub- 85
ditus abſolvatur in alia diœceſi à Sacerdote, qui à ſuo Epiſcopo juriſdictionem non habeat: ut hic notat gloſ. communiter approbata *in ver. Alieno Sacerdoti*, in Clem. 1. *de Privileg.* Et utrobique notat Abb. Ergo nec poteſt prohibere quominus ſuus ſubditus abſolvatur in aliena diœceſi à Sacerdote à ſuo Epiſcopo juriſdictionem habente, ex regula *l. Nemo qui condemnare ff. de reg. iur. & c. Non poteſt ſupra de re iudic.*

Tertiò actus reſervationis eſt localis, & reſtrictus ad 86
ſuam cujuſque Epiſcopi diœceſim ex decreto *d. cap. 7. ſeſſ. 14. de caſuum reſerv.* ibi. Nec dubitandum eſt quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cujuſque diœceſis liceat. Ergo non extenditur ad Regulares degentes extra 87
diœceſim Epiſcopi reſervantis. Et quamvis decretum Clementis quoad Regulares ſuſtulerit privilegia, & exemptiones quaſcumque, non tamen fecit ut ſubjicerentur Epiſcopo, qui etiam ceſſante exemptione eidem ſubditi non erant; neque enim prodiit ad ampliationem, ſed ad declarationem Concilii, ideòque non ſubjecit Epiſcopo reſervanti Sacerdotes alterius diœceſis, quos nec Concilium ſubjecit; ac propterea impedit ſolum, quominus Regulares poſſint abſolvere à reſervatis Epiſcopo, in cujus diœceſi morantur, ſed non à reſervatis alieno, cui non ſubjiciuntur.

Quartò, non eſt dubium quin regulares poſſint abſolvere à caſibus reſervatis de Epiſcopi licentia. Pone igitur ſubditum Epiſcopi reſervantis reperiri in aliena diœceſi, atque habere caſus aliquot reſervatos, quos neceſſe habeat confiteri. Quæro cujus Epiſcopi licentia ſit requirenda, ut Sacerdos à dictis caſibus abſolvere valeat. Non Epiſcopi, in cujus diœceſi pœnitens reperitur; quia ipſe, ut ſupponimus, eos caſus non reſervavit, *cap. Verbum de pœnit. diſt. 1. cap. Cum inferior de maior. & obed.* Federic. de Sen. *conſ. 14.* Monach. *num. 4. verſ. In ſecunda quæſt.* Item non Epiſcopi reſervantis, quia is non poteſt licentiare Sacerdotes non ſubditos ad confeſſiones ſuorum ſubditorum audiendas, ſecundum gloſ. hic *in ver. Alieno Sacerdoti*, quæ communiter recipitur. Ergo nullius Epiſcopi licentia requiritur, ac proinde licebit Regularibus approbatis à prædictis caſibus abſolvere, quocumque Epiſcopo inconſulto, ne alioquin pœnitentes neceſſario careant beneficio abſolutionis.

Quibus accedit, quod eſſet nimis grave indiſtinctè pœnitentes remittere ad Epiſcopum reſervantem: numquid enim Italus in Galliam, aut Germaniam profectus, rejici debeat ad ſuum Ordinarium pro abſolutione à reſervatis obtinenda?

Quintò, ſi regulares non poſſent abſolvere pœniten- 88
tem a caſibus in aliena diœceſi reſervatis, tenerentur habere notitiam caſuum illic reſervatorum: Oportet enim ſcire Sacerdotem à quibus caſibus abſolvere non poſſit, Clem. *Religioſi de privil.* Silveſt. *in verb. Confeſſor. 3. n. 2.* Tolet. *inſtruct. Sacerd. lib. 3. cap. 15. verſ. Tertio.* Sed conſequens eſt abſurdum, quia impoſſibile eſt, ut Sacerdotes noverint caſus ubique locorum reſervatos. Ergo & antece- 89
dens; præſertim verò quod ex eodem decreto Clementis locorum Ordinarii jubentur paucos tantùm, & neceſſarios ſibi reſervare, ne ſubditis aut Confeſſoribus in animarum ſalute procuranda ſint oneroſi.

Sextò inter alias cauſas, ob quas Epiſcopi caſus ſibi re- 90
ſervant, una eſt Sacerdotum imperitia, propter quam in

arduis

arduis caſibus volunt ad ſe haberi recurſum, ut poſt Laud.
inquit Steph. de Gaeta *in d. repet. cap. Ad limina num.* 359.
verſ. Quare autem. Hæc autem ratio poteſt non vigere
in ea diœceſi, ad quam pœnitens divertit: Ergo illuc
non habebit locum reſervatio ex defectu non ſolùm po-
teſtatis, verùm etiam voluntatis reſervantis. Neque
enim eſt veriſimile, ut exempli gratia Epiſcopus Cattaren.
qui fortè caſus graviores ſibi reſervavit ob ruditatem Sa-
cerdotum illius diœceſis, intendat hujuſmodi reſervatio-
nem afficere etiam Sacerdotes in urbe, aut Mediolani ad
confeſſiones audiendas cum facultate caſuum reſervatorum
approbatos.
91 Septimò, ex decreto Clem. Epiſcopus non prohibetur
abſolvere pœnitentem alterius diœceſis à caſibus illic re-
ſervatis, quia unius Epiſcopi reſervatio ex defectu juriſ-
dictionis non afficit alium, Tolet. *inſtruct. Sacerd. lib.* 3.
cap. 14. Ergo nec debet cenſeri prohibitus Regularis ab
Epiſcopo Delegatus ad caſus Epiſcopales: nam ſicut Epi-
ſcopus non habet in alium Epiſcopum juriſdictionem,
ita nec in delegatum ab eo. Ideoque Silveſter *in ver. Con-*
92 *feſſor*, 2. *num.* 4. *verſ. Secundus eſt*, docuit eum cui hu-
juſmodi facultas abſolvendi committitur poſſe abſolvere
contra prohibitionem alterius Prælati, vel inferioris, vel
æqualis.
93 Octavò, quilibet Sacerdos approbatus poteſt abſolvere
peregrinos, ſcholares, & vagabundos à caſibus reſerva-
tis ab illorum Epiſcopis gl. *ad Sum. Raymun. de pœnit.*
& remiſs. §. 15. *in ver. Longum*, Cajet. *in Sum verb. Ab-*
ſolutio cap. 3. ubi teſtatur Eugenium Papam ita ore expreſ-
ſiſſe, licet hujuſmodi viatores abſque licentia proprii Sa-
cerdotis viam fecerint: & ſequitur Tolet. *inſtruct. Sacerd.*
94 *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. *verſ. Tertius caſus*. Id autem nul-
la alia ratione procedit, niſi quia ſcholares, & alii ſupra-
dicti ſortiuntur forum pœnitentialem ubi moram trahunt,
gloſ. in Clem. 2. *in ver. Presbyteri de privil.* quam dicit no-
tandam Card. *num.* 8. & tradunt DD. proximè relati. Sed
ratio eadem, quæ in ſcholaribus, & peregrinis militat reſ-
pectu omnium Sacerdotum, viget etiam in aliis omnibus
reſpectu Regularium, quia illis tanquam Delegatis Sedis
Apoſtolicæ ſimiliter ſubjiciuntur pœnitentes ex alienis diœ-
ceſibus convolantes, & illorum forum ſortiuntur, ut
jam cenſuit Sac. Congregatio. Ergo ſicut reſervatio Epi-
ſcopi non obſtat peregrinis, quominus abſolvi poſſint à Sa-
cerdotibus approbatis ab Epiſcopo, in cujus diœceſi repe-
riuntur; ita etiam non obſtabit cæteris aliis, quo minus ab-
ſolvi poſſint à Regularibus ſimiliter approbatis ab Epiſcopo,
in cujus diœceſi morantur.
95 Poſtremò hanc ſententiam probavit in ſpecie Navarr.
conſ. 21. *de pœnit. & remiſs. & in man. cap.* 27. *num.* 261.
verſ. Ad quæſtionem; ubi etiam reſpondit non modo re-
gularem, ſed etiam parochum habentem facultatem ab-
ſolvendi à caſibus reſervatis Epiſcopo ſuo, poſſe abſolve-
re pœnitentem alterius Epiſcopatus. Atque ibi etiam aſ-
ſerit ita ſe habere conſuetudinem: nunquam enim, in-
quit, intellexi ullum confeſſorem legitimum, cui eſſet
prædicta facultas, remiſiſſe quem ad Epiſcopum alterius
Epiſcopatus, & conſuetudo ampliare poteſt juriſdictio-
nem, imò & dare non habenti, *cap. Duo ſimul, cum gloſ.*
de offic. ordin. eamdem opinionem ſecutus eſt Tolet. *inſtruct.*
ſacerd. lib. 3. *c.* 14. *in fin.* Jacob Graff. *deciſ. canon. par.* 1. *lib.*
1. *c.* 13. *n.* 48. Henriq. *lib.* 3. *de pœnit. Sacram. c.* 8. §. 5. *&*
c. 14. § 8. & nonnulli alii ex recentioribus; qui omnes ſimi-
liter teſtantur ita obſervari ex conſuetudine.

Quæ tamen opinio quoad ſacerdotes ſæculares maxi-
mam patitur difficultatem, imò vera non videtur, quia
nulla poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis præter
ſui ſuperioris licentiam confeſſorem ſibi eligere valeat,
qui eum poſſit ſolvere, vel ligare: quæ ſunt formalia ver-
ba text. *in cap.* 2. §. *Nulla quoque de pœnit. & remiſſ. lib.* 6.
ubi gloſ. *in verb. Conſuet.* reddit rationem cur hujuſmodi
conſuetudo non valeat, quia, inquit, eſſet oneroſa Eccle-
ſiis, *c.* 2. *de Conſuet.* & ex ea frangitur eccleſiaſticæ diſcipli-
næ nervus, *cap. Cum venerabilis eod. tit.* & etiam eſſet con-
tra obedientiam Principis præſcribere, *cap. Cum non liceat*
de præſcript. quod procedit etiamſi conſuetudo eſſet imme-
morabilis, *ut in d. cap.* 2. adnotarunt Gemin. *col.* 1. *verſ.*
Tertiò nota.

Et cùm d. textus non ſimpliciter tollat conſuetudinem,
ſed dicat nullam poſſe conſuetudinem introduci, atque
ita reſiſtat principiis introductionis illius; per ea verba re-
probatur, ac tollitur tam præterita, quàm futura conſue-
tudo ſecundum communem Canoniſtarum opinionem *in*
cap. Uni de Cler. non reſid. in 6. & patet ex quamplutibus
congeſtis à Tiraq. *in Proœm. de utroque retract. num.* 17. *&*
ſeq. Sed quia hæc quæſtio non eſt præſentis indaginis, in ea
diutius immorandum non duximus: ſatis eſt, quod pertinet
ad dubium, de quo nunc agitur regulares in ea diœceſi, in
qua ſunt approbati, poſſe abſolvere confluentes etiam à
caſibus in aliena diœceſi reſervatis: in hoc enim plus ope-
ratur Apoſtolicum privilegium, quam conſuetudo, ut pa-
tet *in cap. fin. hoc tit.* & in Extravagant. *Vas electionis de hæ-*
ret. ubi damnatur error Joannis de Poliaco aſſerentis Sum-
mum Pontificem non poſſe concedere regularibus generale
privilegium audiendi confeſſiones ſine licentia proprii ſace-
rdotis, quem dicebant eſſe parochialem curatum.

In dubiis autem favendum eſt abſolutioni, quia reſerva- 96
tio eſt ſtrictè intelligenda, & ut minus lædat facultatem re-
gularium, quam fieri poſſit, Vital. in d. Clem. *Dudum* §.
Per hujuſmodi n. 7. *de ſepult.*

Nec obſtat, quod in fraudem reſervationis ſæpè pœni- 97
tentes confluant ad propinquas diœceſes pro abſolutione
impetranda. Nam reſpondetur hanc objectionem petere
principium: quia ſi licet pœnitenti confiteri reſervata in
aliena diœceſi: ergo nullam fraudem committit confiten-
do: neque enim videtur dolo facere, cùm jure ſuo uta-
tur, ut in regula Digeſtorum *Nullus*: nam, ut ait Ulpia-
nus *in l. Injuriarum* §. 1. *ff. de injur.* Is qui jure publico
utitur, non dicitur injuriæ faciendæ cauſa hoc facere; ju-
ris enim executio non habet injuriam. Præterquamquod 98
poſſet fieri deciſio cum limitatione, dummodo id non fiat
in fraudem reſervationis: idque verius, ac tutius videtur
exemplo Clerici primæ tonſuræ, qui beneficium obtinet
in aliena diœceſi: nam etſi promoveri poſſit ad minores
Ordines ab Epiſcopo beneficii quantumvis tenuiſſimi, ad
præſcriptum *cap. Cum nullus de tempor. ordin. lib.* 6. tamen 99
ſi illud beneficium ſibi in fraudem conferri curaverit, ut
eludat examen, ac judicium ſui Ordinarii; cenſetur malè
promotus, & remanet ſuſpenſus ab executione Ordinum
tanquam ordinatus à non ſuo Epiſcopo; juxta *cap.* 8. *ſeſſ.*
23. ut S. Congregatio declaravit, quæ idem etiam reſpon- 100
dit in laico ordinato poſt commiſſum delictum: nam quam-
vis crimen non habens cenſuram annexam, ſi de illo pœni-
tentiam egerit, non impediat illius promotionem, ut no-
tatur per DD. *in cap. Si pro Clericis de præben. in* 6. tamen ſi
promoveri ſe fecerit in fraudem judicis laici, ut quia cau-
ſa eſt præventa in Curia ſæculari; in ea cauſa fori privile-
gio non gaudet. In quo S. Congregatio ſecuta eſt opinio-
nem Jo. Andr. quæ communis eſt *in cap. unico de oblig. ad*
ration. Et in hac materia cavendum eſſe ne quid fiat
in fraudem vel præjudicium proprii ſacerdotis, advertit
Silveſt. *in ver. Confeſſ.* 1. *n.* 10. *verſ. Niſi fortè ſit Epiſco-*
po reſervatum.

DE

Digitized by Google

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

Idem Innocentius III. in eodem Concilio Generali.

CAPUT XIV.

Cum ex eo: & infrà. Eleemoſynarum quoque quæſtores, quorum quidam ſe alios mentiendo, abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponunt, admitti (niſi Apoſtolicas vel diœceſani Epiſcopi litteras veras exhibeant) prohibemus: & tunc præter id, quod in ipſis continebitur litteris, nihil populo proponere permittantur. Formam verò, quam communiter talibus Apoſtolica Sedes indulget, duximus exprimendam, ut ſecundùm eam diœceſani Epiſcopi ſuas litteras moderentur: Ea ſiquidem talis eſt: Quoniam (ut ait Apoſtolus) omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuerit, ſive malum: oportet nos diem meſſionis extremæ miſericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis: firmam ſpem, fiduciamque rectam tenentes: quoniam qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cùm igitur ad ſuſtentationem fratrum, & egenorum ad tale confluentium hoſpitale, propriæ non ſuppetant facultates, univerſitatem veſtram monemus, & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis vobis à Deo collatis, pias eleemoſynas, & grata eis charitatis ſubſidia erogetis: ut per ſubventionem veſtram ipſorum inopiæ conſulatur; & vos per hæc bona & alia, quæ Domino inſpirante feceritis, ad æterna poſſitis gaudia pervenire. Qui autem ad quærendas eleemoſynas deſtinantur, modeſti ſint, & diſcreti, nec in tabernis aut in aliis locis incongruis hoſpitentur, nec inutiles faciant aut ſumptuoſas expenſas, caventes omninò ne falſæ Religionis habitum geſtent. Ad hæc, quia per indiſcretas & ſupeſluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur; & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur: Decernimus, ut cùm dedicatur baſilica, non extendatur indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive à pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deinde in anniverſario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat: & infrà. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet caſibus aliquoties conceduntur: cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueverit obſervare.

SUMMARIUM.

1 *Quæſtores eleemoſynarum ſine Apoſtolicis vel Diœceſanorum litteris admitti non debent, & n.4.*

2 *Et debent eſſe modeſti & diſcreti, & à locis & expenſis incongruis abſtinere, & n.9.*

3 *Indulgentias Epiſcopi concedere non poſſunt in dedicatione Baſilicæ ultra annum, & in anniverſario dedicationis, & pro quibuslibet aliis caſibus ultra 40. dies, & num. 14.*

5 *Quæſtores eleemoſynarum indigent litteris Papæ, vel Epiſcopi, ſi eleemoſynas quærant nomine alieno; ſecus ſi propriè.*

6 *Quæſtores non poſſunt pro eleemoſynis colligendis aliud populo proponere, vel prædicare, quàm in eorum litteris continetur.*

Et quid poſt Concilium Tridentinum, n.18. & n.22.

7 *Quæſtorum abuſus corrigere ad officium Epiſcoporum pertinet non obſtante exemptione, & n.24.*

8 *Litterarum forma pro colligendis eleemoſynis, qua uti ſolet Sedes Apoſtolica, & ſecundum quam Epiſcopi debent ſuas litteras moderari, refertur in textu.*

10 *Beguinarum fictarum hoſpitia ſunt quaſi proſtibula, à quibus modis omnibus eſt cavendum.*

11 *Indulgentia per Prælatos concedenda debet eſſe moderata, & ſecundum quantitatem, & qualitatem cauſæ.*

12 *Per indulgentias indiſcretas, & immoderatas claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur.*

13 *Indulgentiæ proſunt nedum in Purgatorio, ſed etiam quoad pœnitentiam hic injunctam.*

14 *Papa poteſt reſtringere poteſtatem Epiſcoporum in concedendis indulgentiis.*

15 *Indulgentiæ, quæ ab Epiſcopis conceduntur ultra annum in dedicatione Eccleſiæ, & ultra 40. dies in aliis caſibus, ſunt ipſo iure nullæ in ea parte in qua excedunt.*

16 *Epiſcopi habent poteſtatem concedendi indulgentias à Papa: ipſe vero à ſolo Deo.*

17 *Indulgentias ultra numerum dierum hic taxatum non prohibentur Epiſcopi concedere in foro pœnitentiali.*

18 *Quæſtores eleemoſynarum, qui per ſe vel per alios prædicare præſumunt, ab Ordinariis locorum ſunt puniendi, non obſtantibus Privilegiis, & n.24.*

19 *Quæſtorum nomen, atque uſum aboleri iuſſit Concilium Tridentinum.*

20 *Indulgentiæ adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus ab Epiſcopo ſunt publicandæ.*

Epiſcopi eleemoſynas, & oblata ſibi charitatis ſubſidia colligere, nulla tamen mercede accepta, ibid.

21 *Formula litterarum in S. Congregatione Concilii compilata ad colligendas eleemoſynas pro hoſpitalibus actu hoſpitalitatem exercentibus refertur.*

22 *Eleemoſynarum collectores hodie quas qualitates habere, & quæ obſervare debeant in quærendis eleemoſynis.*

23 *Campanellæ uſus in eleemoſynis colligendis ſoli Religioni Sancti Antonii à Sede Apoſtolica fuit conceſſus.*

24 *Eleemoſynarum collectores non obſervantes leges ſibi præſcriptas publicè ſunt puniendi, & ſtatim removendi ab Epiſcopo diœceſano.*

25 *Monachis Sancti Antonii non eſt prohibita à Concilio Tridentino eleemoſynarum collectio, quam faciunt tempore æſtatis.*

26 *Presbyteri non prohibentur à Concilio Tridentino accedere ad accipiendas primitias frugum, ſive animalium.*

27 *Fratres Ordinum Mendicantium non prohibentur eleemoſynas quærere, & eorum nomine triticum, & vinum tempore meſſium & vindemiarum, & alias res colligere.*

Dummodo id non faciant per alios, ſed per ſeipſos, n.30. & num.32.

28 *Cruciata non obſtat quominus Religioni S. Antonii liceat colligere eleemoſynas forma à Sacra Con-*

Congregatione Concilii præſcripta.
29 *Indulgentias quæſtuandi facultatem quomodolibet continentes revocavit Pius V. prætextu indulgentiarum, & facultatum quæſtas fieri prohibuit.*
31 *Eleemoſynas colligere pro piorum locorum neceſſitatibus non eſt prohibitum.*
32 *Regulares quærentes eleemoſynas extra diœceſim, in qua ſitum eſt monaſterium tenentur ſuorum ſuperiorum licentiam Ordinario oſtendere, & illius conſenſum obtinere.*
33 *Epiſcopus poteſt tam in ſua diœceſi, quàm in aliena de Diœceſani conſenſu per perſonas ſpectatæ probitatis, ac fidei eleemoſynas quærere pro Eccleſiis, & piis locis ſuæ diœceſis.*

1 C*Um ex eo*. Eleemoſynarum quæſtores ſine Apoſtolicis, vel Diœceſanorum litteris admitti non debent;
nec tunc proponant ultra id, quod in ipſis litteris conti-
2 netur. Hoc primò: & communis forma litterarum inſeritur. Hoc ſecundò: & debent eſſe modeſti, & à locis,
& expenſis incongruis abſtinere. Hoc tertiò; in dedica-
3 tione Baſilicæ ultra annum, & in anniverſario dedicationis, & in litteris indulgentiarum conceſſis ab alio, quàm
à Papa, ultra 40. dies remiſſio excedere non debet. Hoc
quartò, & ſic patet quatuor eſſe partes principales: Secunda
ibi, *formam*. Tertia ibi, *qui autem*. Quarta ibi, *ad hæc*. Jo.
Andr. cum quo cæteri concordant.
4 Nota primò ibi, *Apoſtolicas, vel diœceſani litteras*.
Eleemoſynarum quæſtores, quales ſunt quæſtores hoſpitalium Sancti Antonii, & Sancti Spiritus in Saxia, &
5 conſimiles, non eſſe admittendos, niſi litteras apoſtolicas, vel Epiſcopi diœceſani oſtendant; & altera iſtarum
litterarum ſufficit, ut innuit disjunctiva, *vel, cap. Inter
cæteras ſupra de reſcriptis, & cap. Inter alternativis de
regul. iuris lib. 6. ſic cap. Excommunicamus §. Quia vero nonnulli de hæretic.* ſecundum Hoſtien. *hic n. 1. in verb. Niſi
Apoſtolicas*, & Jo. Andr. *eodem num. & verb.* & hoc verum
ſecundum eos, ſi apparent litteræ non ſuſpectæ, alias contra, *ut c. Quod ſuper de fid. inſtrumentor.* nec tales excuſantur ab hac Conſtitutione ex eo, quòd ſint exempti ut in
Clem. 2. *de pænit. & remiſſ.* & hoc juſta de cauſa fuit conſtitutum, ut dignoſceretur an eſſent tales, quales ſe aſſerunt. Plerumque enim contingebat, atque contingit, ut
aſſumpto falſæ Religionis habitu, ſe fingant alios, quàm
ſint, ut paret in textu ibi, *ſe alios mentiendo*, necnon ibi,
ne falſæ religionis habitum geſtent, & propterea antequam
admittantur, debent diligenter ab Epiſcopis examinari.
Hoc tamen obtinet in his tantum quæſtoribus, qui eleemoſynas quærunt nomine alicujus hoſpitalis, vel pii loci,
& ſic nomine alieno: ſecus verò ſi proprio nomine pro ſeipſis eleemoſynas quærerent; quia tales nullis indigent litteris, *c. Quieſcamus* 42. *diſt. c. Non ſatis* 82. *diſt.* ſecundum
Mar. Socin. *hic n.* 4.
6 Secundò nota ibi, *præter id, quod in ipſis continetur*, tales quæſtores non poſſe pro eleemoſynis colligendis aliud
populo proponere, vel prædicare, quàm in eorum litteris
contineatur: quod provide ſancitum fuit, quia tales conſueverant multas proponere abuſiones, & mendacia; &
plures illorum fraudes recitat Hoſtien. *in cap. Cum ex eo n.
11. ſupra de reliq. & veneration. SS.* nam plerumque, & vota commutabant, & abſolvebant à pœna, ut ibi per eum.
7 Ad officium autem prælatorum pertinet pravos illorum
abuſus corrigere, ne fidelis populus variis illorum figmentis, & falſis documentis decipiatur, ut habetur *in d. cap.
Cum ex eo*, & excedentes ab eiſdem Prælatis puniri poſſunt,
non obſtante exemptione, ut in d. Clem. 2. *in fin. de pænit.
& remiſſ.* ubi ratio ſubjicitur, ut à ſuis temerariis auſibus,
qui ubique (ut communis habet aſſertio) nimium exercuerunt pœnæ formidine propenſius compeſcantur.
8 Tertiò nota formam, qua communiter uti ſolet Sedes
Apoſtolica in indultis quęſtuandi pro hoſpitalibus, ac locis
piis, & ſecundum quam Epiſcopi diœceſani debent & ipſi
ſuas litteras moderari, ut hic dicitur in verb. *Formam*: ſed
hodie qualis eſſe debeat iſta forma, patebit infra *n.* 21.
9 Quartò nota in verſ. *Qui autem*, quales eſſe debent iſti
quæſtuarii; debent enim eſſe modeſti, & diſcreti, & non
divertere in tabernis, & aliis locis incongruis: & notandum eſt, ut dicunt Hoſt. *n.* 12. Jo. Andr. & Marian. Socin.
10 *eod. n.* quia textus non dicit, proſtibulis, quæ omninò prohibentur: nam & cavendum eſt à quaſi proſtibulis, ſicut
ſunt hoſpitia quarumdam Beguinarum fictarum, quod perniciosum genus eſt mulierum, nec de facili alios, quàm religioſos admittunt, à quibus modis omnibus eſt cavendum,
c. Pernicioſam, & cap. Diffinimus 18. *q.* 2. Hodie iſtarum
ſtatus damnatus eſt per Concilium Viennenſe, ut in Clem.
Cum de quibuſdam de religioſ. domib. & in Clem. *fin. de hæretic.* & de iſtis Beguinis vide quod ſcripſi *in c. Nullus n.* 56.
ſupra de for. competen. Item iſti quæſtores abſtinere debent ab
inutilibus, & ſumptuoſis expenſis, ut in littera, ſic ſupra
de cenſibus, c. Cum Apoſtolus §. 1. nec geſtare debent falſæ
religionis habitum; *ſic ſupra de privileg. c. Tuarum*, & excedentes in talibus, ab Epiſcopo puniri poſſunt, ut dixi ſupra *n.* 7.
Quintò nota in verſ. *Ad hæc*, indulgentiam per Prælatorum concedendam non debere eſſe indiſcretam, ſed moderatam, & ſecundum quantitatem, & qualitatem cau- 11
ſæ: & ſigna rationem in textu expreſſam, quia per indiſcretas, & immoderatas indulgentias claves Eccleſiæ conte- 12
mnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur: & ex his 13
ultimis verbis collige ſingulariter ſecundum Marian. Socin.
in 8. notab. quod indulgentiæ proſunt nedum in Purgatorio,
ſed etiam quoad pœnitentiam hic injunctam: quare ſi aliquis tenetur quindecim diebus jejunare, habita ſuper talibus indulgentia, non tenebitur, ſecundum eum.
Ultimò nota ibi, *decernimus*, Papam poſſe reſtringere, 14
& moderari poteſtatem Epiſcoporum in concedendis indulgentiis, prout hic fecit Innocentius III. in Concilio
generali reſtringendo eorum poteſtatem ad annum in dedicatione Baſilicæ, & ad quadraginta dies in anniverſario
dedicationis, & in litteris indulgentiarum, quæ conceduntur pro quibuslibet aliis caſibus, id eſt piis cauſis, veluti pro
ædificatione, vel reparatione Eccleſiarum, vel ſuſtentatione hoſpitalium, & aliis ſimilibus ſecundum Hoſt. *n.* 20. *in* 15
verb. Pro quibuslibet concordat c. fin. eod. tit. lib. 6. ubi indulgentiæ ab Epiſcopis conceſſæ ultra numerum hic taxatum
irritæ decernuntur, ſcilicet in ea parte, in qua excedunt,
ut ibi declarat gloſ. *in verb. Non obtinent*, & gloſ. *ultim. hic
in addit.* & perpetuò commenda memoriæ rationem, quam 16
reddit Innoc. *hic n.* 2. quia minores Prælati omnes habent
hanc poteſtatem à Papa, & ipſe à ſolo Deo, *c. Quamquam*
21. *diſt. & c.* 1. 22. *diſt.* Item hoc poteſt Papa ratione principatus, & juriſdictionis, quam habet ſuper omnes, *c. In novo*
21. *diſt.* & hoc facit ex juſta cauſa, quia hac poteſtate abutebantur: ita formaliter Innoc. quem totidem verbis ſequitur Jo. Andr. *n.* 13. & pondera has auctoritates contra eos,
qui contendunt Epiſcopos habere juriſdictionem immediatè à Deo; de quo articulo dic ut plenè ſcripſi *in c. 1. à n. 29.
uſque ad n. 55. ſupra de offic. Ordin.* ſubdit tamen notabiliter 17
Innocen. ubi ſupra poteſtatem Epiſcoporum hic reſtrictam
eſſe, quoad illas tantum indulgentias, quæ fiunt publicè;
ſed non intelligitur reſtricta in foro pœnitentiali, quin Epiſcopus poſſit annos, & dies prout vult indulgere, dummodo diſcretè faciat.
QUÆRO, An ea quæ diſponuntur in hac Decretali circa 18
eleemoſynarum quæſtores, & forma litterarum in eleemoſynis quærendis ſint correcta, vel aliqua ex parte modificata
ex jure noviſſimo Concilii Tridentini.
Solutio. Statuit S. Synodus *in c. ultim. in fin. ſeſſ.* 5. ſub
Paulo III. ut quæſtores eleemoſynarii, qui etiam quæſtuarii vulgò dicuntur, nullo modo nec per ſe, nec per alium
prædicare præſumant, & contrafacientes ab Epiſcopis, &
Ordinariis locorum, privilegiis quibuſcumque non obſtantibus, opportunis remediis omninò arceantur. Quod &
prius interdixerat Urbanus IV. *in Conſtitut. 2. incip. Licet
ex omnibus* §. 14. ut in Bullar. *tom. 1. pag.* 96. & Clem. IV. *in
c. Ut officii §. Compeſcentes de hæret. lib.* 6. Deinde ſub Pio
IV. *c. 9. ſeſſ.* 21. ſtatuit Concilium, ut quæſtorum nomen, 19
atque uſus in quibuſcomque Chriſtianæ Religionis locis
penitus aboleatur, nec ad officium hujuſmodi exercendum
ullatenus admittantur, quia remedia, quæ ſtatuta fuerant
adverſus pravos illorum abuſus tam in Concilio Lateranenſi, ut in text. noſtro, ac Lugdunenſi, *ut in c. fin. de pænit.
& remiſſ. lib.* 6. quàm Viennenſi, ut in Clem. *Abuſionibus
eod. tit.* poſterioribus temporibus reddita fuerunt inania,
& eorum malitia ita quotidie excrevit, ut de eorum emendatione nulla ſpes relicta videatur. Indulgentias verò per Or- 20
dinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo debitis temporibus publicandas eſſe decernit; quibus etiam datur facul-
tas

tas eleemoſynas, atque oblata ſibi charitatis ſubſidia fideliter colligendi, nulla prorſus mercede accepta.

21 Porrò ſan. mem. Pius V. & Gregor. XIII. ex ſententia S.
Congregationis Concilii ſtatuerunt ſcribendas litteras in hanc ſententiam locorum Ordinariis, in quorum diœceſi hoſpitalia reperiuntur, ut eas eleemoſynas, quæ pro uſu dd. hoſpitalium, in quibus hoſpitalitas actu exercetur, dabuntur infra fines civitatis, & ejus diœceſis tantum colligi permittant, petita tamē ab ipſo, & obtenta in ſcriptis, & gratis licentia, quæ ſanè danda videtur, cùm in eodem hoſpitali, ſicut aſſerit, curari ſoleant pauperes omnes, & morbo laborantes, utpote S. Antonii, qui ex tota iſta diœceſi adducuntur;
22 dummodo perſonæ, quæ colligent, honeſtæ vitæ, & ſpectatæ religionis ſiot, ſuoque judicio approbatæ, ac minimè propter hanc operam participes dictarum eleemoſynarum, atque hoc munere citra ullum dolum, etiam omni modeſtia, & dexteritate fungantur; quæſtorumque nomen nullo modo gerant, ſed ſimpliciter eleemoſynarum collectores nuncupentur, non ſecum ferant ſua privilegia nec reliquias; noo
23 minis, aut infucationibus inducant fideles ad eleemoſynas, non campanellam, aliaque ſimilia inſtrumenta quorumdam quæſtorum inſignia ad excitandas perſonas pulſent (collectoribus tamen S. Antonii fuit campanella conceſſa, cujus uſus ſoli Religioni S. Antonii à Sede Apoſtolica fuit conceſſus) non petant tamquam debitum, aut ſolitum, neque ulla arte, etiam prætextu dicendi orationem S. Antonii, vel cujuſvis alterius Sancti, aut aliter extorqueant pecunias, vel alia bona, ſed ſimpliciter, piè & modeſtè petendo eleemoſynam pro ſuſtentatione dictorum hoſpitalium, accipiant tantùm, quod ſibi ſpontè offertur, vel ſuper iis eleemoſynis ullam quovis nomine conventionem faciant, etiam in uti-
24 litatem ipſorum hoſpitalium. Mox adjungebatur, ut diligenter Epiſcopus animadverteret, ut hæc omnia præciſè obſervenrut, atque noo ſolùm ad delationem aliorum, ſed ex ſuo etiam miro officio inquireret ſi qua fraus præſertim adverſus leges præſcriptas in eis committeretur ab ipſis collectoribus, quos ſi verè reos compererit, puniret publicè pro modo culpæ arbitrio ſuo, eoſque ſtatim amoveret; atque alios, qui boni, & idonei ſint ab eiſdem ſuperioribus ſufficiendos curaret.

25 Ad hæc cenſuit S. Congregatio decretum *d. cap.* 9. *ſeſſ.* 21.
Non prohibere collectionem eleemoſynarum quam Monachi Eccleſiæ ſub invocatione S. Antonii quotannis tempore
26 æſtatis faciunt pro ipſorum ſubventione, nec etiam Presbyteros, qui accedunt ad accipiendas primitias frugum, ſive animalium, quæ offerri ſpontè ſolent devotionis ergo. Itèm
27 nec fratres Ordinum Mendicantium, quominus mendicent, & eleemoſynas quærant, eleemoſynarumque nomine triticum, & vinum tempore meſſium, & vindemiarum quærant; ſic etiam dicendum de aliis rebus. Et hic junge quæ ſcripſi *in c. Tuarum in* 2. *notab. ſupra de privileg.*

28 Rurſus cùm fuerit quæſitum, an Cruciata obſtaret, quominus Religioni Sancti Antonii liceret colligere eleemoſynas forma à Sacra Congregatione præſcripta: Reſponſum eſt non obſtare, ſed referendum Sanctiſſimo, qui probavit Congregationis ſententiam, dum agatur de ſimplici collectione eleemoſynarum pro illis hoſpitalibus, in quibus actu exercetur hoſpitalitas.

29 Cæterùm Indulgentias à Sede Apoſtolica conceſſas, pro quibus conſequendis manus ſunt porrigendæ adjutrices, & quæ quæſtuandi facultatem quomodolibet continent, generaliter, ac perpetuò revocavit Pius V. & prætextu Indulgentiarum, & facultatum ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ quæſtas fieri prohibuit, ut in ſua Conſtitut. 30. quæ incipit. *Et ſi Dominici* in Bullar. *tom.* 2. *pag.* 214. & in propoſito vide aliam ejuſdem Pontificis Conſtitutionem, *Quam plenum ſit*, quæ in ordine eſt 99. *eod. tom.* 2. *pag.* 304.

30 Fratres Conventuales Sancti Franciſci eam degentes in Abbatia, ſeu monaſterio Sancti Viti Polignanenſis diœceſis, quæ quidem Abbatia Conventui SS. Apoſtolorum Urbis unita eſt, conſueverunt per quodcumque perſonarum genus colligere eleemoſynas non modo in civitate, ac diœceſi Polignanenſi, ſed in univerſa ferè Apulia, atque hujuſmodi eleemoſynæ non cedunt ſolum beneficio Eccleſiæ Sancti Viti, ſed in augmentum quoque reddituum dicti Conventus SS. Apoſtolorum.

Quærit Epiſcopus Polignanenſis an poſſit tuta conſcientia permittere, ut dicti Regulares pergant in hac quaſi poſſeſſione quæſtuandi. Et quoad hoc jam cenſuit S. Congregatio fratres Mendicantes ex decreto Concilii *c.* 9. *ſeſſ.* 21. non prohiberi quidem eleemoſynas quærere, ſed tamen non poſſe alios eorum nomine, & authoritate quoquomodo quæritare, & in caſibus contingentibus ſæpius reſpondit dictos regulares per ſeipſos tantum poſſe eleemoſynas colligere, & probatur *in c. Tuarum ſupra de privileg.* & ibi dixi *in* 2. *notab.* poſt Butr. *n.* 2. & Anchar. *n.* 1.

Verùm quia Regulares dicti Conventus objiciunt, quod ſine dictis eleemoſynis per alios conquiſitis vivere non poſſunt, cùm Abbatiæ redditus non excedant valorem quadringentorum ducatorum, & omnes applicentur Conventui Sanctorum Apoſtolorum, deliberandum videtur, an ſit illis concedenda facultas quærendi eleemoſynas per alias diœceſes ad aliquod tempus de Ordinariorum licentia, & cum conditionibus ſolitis præſcribi in litteris S. Congregationis.

Ad hæc ex piorum eleemoſynis in Cathedrali Polignanenſi jamdiu conſtructa eſt Capella in honorem Sancti Viti, in qua brachium ejuſdem Sancti aſſervatur.

Pro conſervatione, & uſibus neceſſariis dictæ Capellæ Presbyteri Eccleſiæ de Epiſcopi conſenſu, & authoritate ſoliti fuerunt hucuſque colligere eleemoſynas.

Regulares vero negant id eis licere, tum quia illud Brachium Sancti Viti ad ipſorum monaſterium ſpectat, & in d. Capella non aſſervatur niſi gratia depoſiti, vel cuſtodiæ. Super quo lis pendet propediem expedienda. Tum quia id cedit in grave præjudicium dicti monaſterii, quod majori parte eleemoſynis ſuſtentatur.

Tum denique quia ipſi intendunt ſuppeditare neceſſaria ad uſum dictæ Capellæ, quamdiu in ipſa dicta reliquia aſſervabitur, dicuntque hanc quæſtorum multiplicitatem in diverſis diœceſibus eſſe nō poſſe abſque cōfuſione, & ſcandalo.

Epiſcopus, qui aſſerit hanc eleemoſynarum collectionem eſſe neceſſariam pro dictæ Capellæ manutentione, itidem conſulit Sacram Congregationem, an ſibi liceat in dicta quaſi poſſeſſione perſeverare, & ſaltem petit facultatem pro aliis diœceſibus juxta formulam litterarum Sacræ Congregationis. Alias cenſuit Sacra Congregatio omneo, & uſum 31
quæſtorum eſſe penitus à Concilio ſublatum, ſed tamen pro piorum locorum neceſſitatibus non eſſe prohibitum eleemoſynas colligere. Sed quia quærentes, facilè hac facultate abutuntur, poſſent fortaſſe concedi Epiſcopo litteræ in forma conſueta ad aliquot annos pro aliquibus diœceſibus, ac de Ordinariorum conſenſu.

Itaque ad primum dubium videtur reſpondendum prædi- 32
ctos fratres tanquam Mendicantes nequaquam eſſe prohibendos eleemoſynas colligere, dum tamen ſi extra diœceſim Polignanenſem quæritare voluerint, ſuorum Superiorum licentiam oſtendant loci ordinario, atque illius conſenſum obtineant, quemadmodum & alias Congregatio reſpondit. Cæterùm nullibi eſſe permittendum, ut eleemoſynas quærant per alios, quam ſui Ordinis fratres.

Ad ſecundum, Epiſcopo licere quidem in ſua diœceſi, 33
atque etiam in aliena de Diœceſani conſenſu per perſonas ſpectatæ probitatis, ac fidei, ſuoque judicio delegandas eleemoſynas quærere pro Eccleſiis, Capellis, ac locis piis ſuæ diœceſis, quæ ipſe pro ſua prudentia, & paſtorali ſollicitudine ejuſmodi eleemoſynarum præſidio magis indigere arbitrabitur. Et ita meo tempore ad utrumque dubium fuit reſponſum.

DE

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

Gregorius IX.

CAPUT XVI.

NE pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum : Permittimus Epiſcopis & aliis ſuperioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter ſui ſuperioris licentiam, providum & diſcretum ſibi poſſint eligere confeſſorem.

SUMMARIUM.

1 *EPiſcopi, & alii Superiores, & minores Prælati exempti poſſunt ſine alia licentia ſibi eligere Confeſſorem.*

2 *Epiſcopi poſſunt ſibi eligere Confeſſorem etiamſi exempti non ſint.*

3 *Prælatus inferior non exemptus, aut exemptus non Prælatus non gaudet privilegio ſibi eligendi confeſſorem.*

4 *Rectores Eccleſiarum, item Scholares Epiſcopo, vel eius Pœnitentiario, aut Archipresbytero civitatis confiteri debent.*

5 *Epiſcopus an hodie poſſit eligere confeſſorem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus ad præſcriptum Concilii Tridentini in c.15. ſeſſ. 23. & n. ſeq. uſque ad n. 31. & n. 62.*

6 *Confeſſor eligendus ex privilegio huius c. debet eſſe habilis ad confeſſiones audiendas, & n. 13.*

7 *Impedimento uno ex duobus ſublato actus expediri non poteſt.*

8 *Sacerdos, ut validè à peccatis abſolvat, debet non ſolum eſſe approbatus ab Ordinario, ſed etiam habere iuriſdictionem in pœnitentes.*

9 *Regulares habentes privilegium abſolvendi alienos Parochianos an poſſint illos abſolvere ſine proprii Sacerdotis licentia, & n. 28.*

10 *Privilegium habens eligendi Confeſſorem, non poteſt eligere niſi eum, qui habet executionem, & n. 53.*

11 *Confeſſorem eligere eſt iuriſdictionem prorogare.*

12 *Sacerdos ab ordinario non approbatus habet iuriſdictionem habitu, ſed non actu.*

14 *Sacerdos de iure communi ſatis eſt ut habeat poteſtatem abſolvendi habitu, ad hoc ut illius executio per electionem prorogetur; ſecus poſt Concilium Tridentinum.*

15 *Epiſcopus eligendo Confeſſorem ſibi ſubditum videtur illum approbare.*

16 *Confeſſor electus in vim huius capituli an cenſeatur ordinarius.*

17 *Conſuetudo, ac privilegium eligendi Sacerdotem non approbatum ad confeſſiones audiendas ſublata ſunt à Concilio Tridentino.*

18 *Confeſſor eligendus in vim Bullæ Cruciatæ debet eſſe approbatus ab Ordinario ipſius Confeſſoris, licet in Bulla id non exprimatur.*

19 *Confeſſio Sacramentalis an ſit nulla, ſi fiat Sacerdoti in aliena diœceſi commoranti etiam ibi approbato ab Ordinario.*

20 *Prælati inferiores exempti an poſſint ſibi eligere Confeſſorem ab Ordinario non approbatum.*

21 *Et an poſſint approbare ad confeſſiones audiendas.*

22 *Privilegium eligendi Confeſſorem quid operetur poſt Concilium Tridentinum, & n. ſeqq.*

23 *Sacerdotes ſæculares non curati non poſſunt audire confeſſiones confluentium de alienis diœceſibus etiam in diœceſi, in qua ſunt approbati, & n. 27.*

Secus eſt in Regularibus ſecluſa fraude, n. 28.

24 *Parochus poteſt confeſſiones ſuorum Parochianorum ubique locorum audire, aliorum non poteſt etiam in propria parochia, & n. 29.*

25 *Confeſſor ab Epiſcopo electus poteſt illius confeſſiones audire etiam extra diœceſim Epiſcopi approbantis.*

26 *Sacerdotes non curati ſive ſæculares, ſive regulares non poſſunt audire confeſſiones etiam ſubditorum Epiſcopi approbantis extra diœceſim, in qua ſunt approbati.*

30 *Actus voluntariæ iuriſdictionis poſſunt etiam in alieno territorio exerceri.*

Epiſcopum iter agentem non decet eligere ſibi Confeſſorem in ſingulis diœceſibus, ibid.

31 *Cardinales in vim huius cap. an poſſint ſibi eligere Confeſſorem non curatum, nec approbatum ab Ordinario iuxta Concilium Tridentinum in cap. 15. ſeſſ. 23. & n. ſeq. uſque in finem.*

32 *Cardinalis Epiſcopus, aut Legatus de latere indubie habet privilegium ſibi eligendi Confeſſorem, ibidem.*

Privilegia non extenduntur de perſona ad perſonam, etiam ex maioritate rationis.

Declaratur, n. 40. & 47.

33 *Prælatus quantumcumque maximus de iure communi non poteſt ſibi eligere Confeſſorem.*

34 *Epiſcopus de iure communi confiteri debet Archiepiſcopo, Archiepiſcopus Patriarchæ, Patriarcha Papæ, & n. ſeq. & 39.*

35 *Prælati exempti, qui immediatè non ſubſunt Papæ, non habent privilegium ſibi eligendi confeſſorem, & num. 38.*

36 *Cardinales non poſſunt recedere à curia ſine licentia Papæ.*

37 *Tenentur reſidere in ſuis titulis.*

38 *Privilegii cauſa ceſſante, ceſſat privilegium.*

Declaratur, n. 48.

39 *Cardinales de iure communi confiteri debent Papæ, vel maiori eius Pœnitentiario, & n. 50.*

40 *Cardinales dignitate, & officio ſunt ſuperiores Epiſcopis.*

41 *Prælatorum appellatione qui comprehendantur.*

42 *Cardinales etiam non Epiſcopi in ſuis titulis habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & minores Ordines conferunt; non tamen uti poſſunt facultatibus, quæ à Concilio Tridentino Epiſcopis tribuuntur.*

Cardinalis Regni Protector poteſt inquirere ſuper qualitatibus promovendi, & examen ſuper aliquo articulo ſubdelegare. Sed proceſſum Nuntii prævenientis per ſe, vel per alium impinguere non poteſt, ibid. verſ. Et per prædicta.

43 *Cardinales ſunt Papæ immediatè ſubiecti tamquam ipſorum iudici Ordinario, & n. ſeq.*

44 *Familiares Cardinalium à ſolis Cardinalibus iudicantur.*

46 *Cardinales gaudent privilegio Altaris portatilis.*

47 *Privilegium ſibi eligendi confeſſorem tamquam favorabile, & nulli noxium eſt latiſſime interpretandum.*

48 *Privilegium eligendi confeſſorem quam ob cauſam Epiſcopis, & Prælatis exemptis conceſſum fuerit, & num. ſeq.*

49 *Cauſa in dubio an præſumatur finalis, vel impulſiva.*

50 *Privilegiatus an poſſit ſibi eligere Confeſſorem non curatum, nec approbatum ab Ordinario, & numer. 52.*

51 *Sacerdotes ſimplices an habeant privilegium ſibi eligendi confeſſorem, & n. 54.*

52 *Cardinalium privilegia non comprehenduntur in generа-*

Digitized by Google

nerali privilegiorum derogatione.
Contrarium, num. 55.
Declaratur, nu. 58. *&* 60.
53 *Privilegium habens eligendi confeſſorem, tenetur eligere Sacerdotem habentem executionem ab Ordinario.*
55 *Cardinalium prærogativa, quamvis multum attendantur in honoribus deferendis, non tamen eximunt eos à vinculis Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum.*
56 *Auguſta quamvis gaudeat privilegiis Auguſti, tamen ſub generali legum vinculo comprehenditur.*
57 *Princeps non eſt ſub lege fori, ſed ſub lege poli, naturæ, & rationis.*
58 *Cardinales comprehenduntur in generali derogatione reſpiciente favorem publicum, & ſalutem animæ.*
59 *Ideoque comprehenduntur in* cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.
60 *Item in generali derogatione habente clauſulas prægnantes.*
61 *Lex corrigens in uno ex correlativis, corrigit etiam in alio.*
62 *Epiſcopi poſſunt ſibi eligere confeſſorem, ſed tenentur eligere Curatum ſeu approbatum ab Ordinario.*
63 *Privilegium eligendi confeſſorem Curatum, vel approbatum in quo proſit Cardinalibus.*
64 *Parochus etiam intra limites Parochiæ ſuæ non poteſt audire confeſſiones alterius Parochiani ſine proprii Sacerdotis licentia.*
Sed ſuos Parochianos abſolvere poteſt etiam extra propriam Parochiam, num. 66.
65 *Confeſſor ſive Sæcularis, ſive Regularis in una diœceſi approbatus non poteſt extra illam audire confeſſiones etiam perſonarum illius diœceſis, in qua eſt approbatus, & num. ſeq.*
67 *Sacerdos ſæcularis etiam in illa diœceſi, in qua eſt approbatus, non poteſt audire confeſſiones confitentium ex alia diœceſi.*
68 *Conſuetudo etiam immemorabilis, ut quis præter ſui Superioris licentia confeſſorem ſibi eligere valeat, reprobatur.*

1 NE *pro dilatione.* Epiſcopi, & alii ſuperiores, & minores Prælati exempti poſſunt ſine alia licentia ſibi eligere confeſſorem. Hoc dicit.
2 Nota primò, Epiſcopos etiam non exemptos poſſe ſibi confeſſorem eligere, prout ex littera ſubtiliter, & accuratè deducit Hoſt. hic *num. 6. verſ. Sed numquid*, cui ſubſcribunt Jo. Andr. Cardinal. & Ancharan. omnes *in princ.* Butr. *nu.* 5. & Abb. *nu. 3. verſ. Sed quæro.*
3 Secundò nota ibi, *minoribus Prælatis exemptis*, inferiores Epiſcopo non gaudere hoc privilegio ſibi eligendi
confeſſorem, niſi duobus concurrentibus. Alterum eſt,
ut ſint Prælati, putà Abbates, Præpoſiti, Priores, ut in
cap. In ſingulis, ſupra de ſtatu Monach. de Presbytero Pa-
rochiali dicam infra *num.* 41. Alterum ut ſint exempti, id-
eſt Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, ſecundum Ho-
ſtienſ. *num. 7. verſ. Inferiores vero*, & latius patebit infra
num. 35. Quapropter exemptus non Prælatus, aut Præla-
tus inferior non exemptus hac permiſſione non utitur, ut
per Hoſt. *eodem num. 7. in verb. Minoribus*, & Abb. Sicu-
4 lum *num. 3. in ultimo notab.* Quod ſecundùm Abb. Antiq.
facit contra ſcholares, qui ſibi eligunt confeſſorem,
quem maluerint; & ſecundùm Petrum de Sampſone fa-
cit contra Rectores capellarum, qui ſibi eligunt confeſſo-
res, cùm tamen Epiſcopo, vel ejus Pœnitentiario, aut
Archipresbytero civitatis debeant confiteri, *cap. 1. de offic.*
Archipresbyt. & ſequuntur hic Joan. Andr. & Butr. ambo
in fine, Cardin. & Anchar. ambo *in princip.*
5 QUÆRO, An Epiſcopus in vim hujus Decretalis hodie poſſit eligere confeſſorem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus ad confeſſiones audiendas ad præſcriptum Concilii Tridentini in *cap. 15. ſeſſ.* 23.
6 Videtur reſpondendum non poſſe.
Primò, quia hic textus exigit, ut eligatur confeſſor providus, & diſcretus: ſed talis non videtur poſſe intelligi is, qui ab ipſo Concilio in d. *cap.* 15. declaratur non idoneus ad audiendas confeſſiones. Ergo neque in vim hujus Decretalis eſt eligibilis.

Secundò de duobus impedimentis ad actum, uno ſub- 7
lato, & altero remanente, actus expediri non poteſt,
cap. Ex tuarum, ſupra de uſu pall. & cap. Paſtoralis, de
privileg. Sed duo impediunt quominus ſacerdotes, quam- 8
vis in ſui ordinatione abſolvendi poteſtatem receperint,
abſolvere pœnitentes poſſint; quorum unum perſonam
reſpicit ipſorum ſacerdotum, videlicet ſi non ſint appro-
bati ab Ordinario, vel parochiale beneficium non obti-
neant, dict. *cap.* 15. Alterum quod pœnitentes reſpicit,
ideſt ſi in eos juriſdictionem non habeant, *cap. Placuit,*
diſtinct. 6. cap. Omnis, ubi notatur, *ſupra eodem.* Ergo
quamvis ex privilegio hujus textus ſublatum ſit impedi-
mentum ex defectu juriſdictionis; quia tamen remanet al-
terum ex inhabilitate perſonæ confeſſoris, non poterit a-
ctus abſolutionis expediri. Atque hoc argumento in hac
materia utitur gloſſa in dicto *cap. Omnis, in verb. Alie-*
ne ſacerdoti.
Confirmatur argumentum, quia ſicut non ſufficit pri- 9
vilegium Regularium, ut poſſint alienos Parochianos re-
cipere ad pœnitentiam, ſed requiritur licentia proprii ſa-
cerdotis, gloſſ. in dict. *cap. Omnis, in eodem verb. Alieno*
ſacerdoti, niſi ſint ſuper hoc ſpecialiter privilegiati, in
quibus terminis procedit Extravagans *Vas electionis, de*
heretic. ut declarat in prædicta Decretali, *Omnis*, Joan.
Andr. & poſt eum Abb. *num. 14. verſ. Sed Ioan. Andr.*
Ita non ſufficit licentia proprii ſacerdotis, cui æqui-
valet licentia ex privilegio juris, niſi ille qui audire
debet confeſſiones aliàs idoneus ſit, ut poſſit abſolvere
pœnitentes.
Tertiò, quando ſimpliciter datur licentia Parochiano 10
eligendi confeſſorem, non poteſt eligi niſi is, qui habet
executionem, ut putà Curatus, gloſſ. præalleg. & Abb.
in dict. *cap. Omnis, num.* 14. gloſſ. in *Clemen. 1. in verb.*
Speciali, de privileg. & ibidem Cardin. *quæſt.* 33. & idem
Cardin. in *Clement: 1. quæſt. 14. de offic. Vicar.* & latius di-
cam infrà *num.* 53. ergo idem quando à jure hujuſmodi li-
centia tribuitur, ut hic.
Quartò facit ratio, qua movetur gloſſa, & Abb. ubi 11
ſupra: eligere enim confeſſorem eſt prorogare ejus juriſdi-
ctionem, unde judex prorogatus cognoſcit jure proprio.
At ſacerdos non approbatus juxta decretum Concilii, li- 12
cèt habeat juriſdictionem illam, ideſt potentiam; non
tamen habet actum. Ergo non poterit illius juriſdictio-
nis executio per eligentem prorogari. Nec applicatur re-
ſponſio Abbatis in Clem. 1. *num. 16. de privileg.* poſt Hoſt.
in Summa, de pœnit. verſ. Cui confitendum, num. 14. poſt
med. quod executio impeditur ex defectu ſubditorum,
quod ceſſat quando aliquis alicui ſacerdoti ſe legitimè ſub-
jicit, ut putà per licentiam legitimam: nam hoc procede- 13
ret niſi aliud ſubeſſet impedimentum in perſona confeſſo-
ris proveniens ex eo, quod non eſt approbatus. Sicut er-
go non poteſt eligi excommunicatus, ut per Hoſtienſ. *ubi*
ſupra in §. Cui Patriarcha, num. 18. ita nec iſte à Concilio
inhabilitatus.
Ex quibus concludendum cum Abb. hic *in fine*, & Capell. Tholoſ. *deciſ.* 222. talem eligendum per Epiſcopos, & Prælatos debere eſſe Curatum, vel aliàs habere poteſtatem ligandi, & ſolvendi in actu, quod multò magis tenendum eſt poſt Concilium, quo expreſsè in d. *cap.* 15. inhabilitati ſunt omnes, qui aut parochiale beneficium non obtinent, aut aliàs approbati non ſunt.
Non obſtat ratio, ob quam præcipuè Hoſt. *ubi ſupra*, & 14
Abb. in dict. *Clemen. 1. de privileg.* & plerique alii ante
Concilium tenuerunt ſufficere, ut ſolus ſacerdos habitu
habeat poteſtatem abſolvendi ad hoc, ut illius executio per
electionem prorogetur, ad notata *l. 1. de iudic.* quia, ut
dictum eſt, procederet, niſi ſubeſſet aliud impedimen-
tum, quàm ex defectu ſubditorum.
Non obſtat, ſi dicatur cum Hoſtienſ. *ubi ſupra in §. Cui* 15
Patriarcha, confeſſorem electum ab Epiſcopo habere
illam poteſtatem, quam habet Epiſcopus in ſubditum
ſuum; habet poteſtatem abſolvendi: ergo, &c. Quia re-
ſpondetur argumentum tunc habiturum locum, quan-
do Epiſcopus eligeret ſacerdotem ſibi ſubditum: Ex
hoc enim quoniam illum eligeret, tacitè videretur ap-
probaſſe.
Non obſtat, quod talis confeſſor videatur Ordinarius ex 16
eo, quod à lege accipiat poteſtatem facta electione per
Epiſcopum, ut per Hoſtien. *ubi ſupra*; confeſſor autem

ordinarius tali approbatione non indigeat: quia reſpondetur legem ſupponere ſacerdotem idoneum, & eligibilem ex ſe quando dat facultatem perſonæ, ut poſſit illum eligere; & illi ſubjici: at talis non eſt ſacerdos non approbatus, cùm ex Concilio ſit inhabilis ad confeſſiones audiendas.

17 Non obſtat, quod fortè conſuetudo interpretata ſit aliter hanc licentiam, pro ut apparet in S. R. E. Cardinalibus, qui cùm habeant ſimile privilegium a Papa, eligunt in confeſſorem ſacerdotem etſi non approbatum juxta Concilium. Etenim omiſſo privilegio Cardinalium, de quo in præſenti non quæritur: Reſpondert poteſt, conſuetudinem quamvis alias tribuat juriſdictionem, non prodeſſe quicquam contra prædictum decretum Concilii, quod privilegia, & conſuetudines etiam immemorabiles ſuſtulit.

18 Melior interpretatio ad hujuſmodi privilegium ſumitur ex ipſis litteris Jubilæi, in quibus cùm tribuitur licentia eligendi confeſſorem, adjicitur ut ſit approbatus ab Ordinario: ſed etſi expreſſe non eſſet adjectum, haberetur pro adjecto, pro ut ſentiebat S. Congregatio Concilii interpretando Bullam Cruciatæ.

19 Sed an talis confeſſor debeat eſſe approbatus ab Ordinario ipſius confeſſoris, vel ab Ordinario pœnitentis, Sacra Congregatio interpretando Bullam Jubilæi, & ex ejus ſententia Sanctiſſimus declaravit Bullam eſſe intelligendam de Ordinariis eorum, qui audiunt confeſſiones, non autem de Ordinariis pœnitentium.

In contrarium induci poſſet decretum provinciæ Mediolanen. recognitum à Sacra Congregatione, & emendatum, quod relatum eſt inter ſcripturas, *cap. 15. ſeſſ. 23.* his verbis: *Qui ad confeſſarium etiam Regularem in aliena diœceſi commorantem dedita opera ſe conferens peccata ſua ſit confeſſus, niſi confeſſarius ille ab Epiſcopo loci, & à confitentis Ordinario ad audiendas confeſſiones probatus erit, ei tamquam inconfeſſo Parochus Euchariſtia Sacramentum nemini præbeat.* Sed reſponderi poteſt decretum illud loqui de pœnitentibus non habentibus facultatem ſibi eligendi confeſſorem, qui ad eludendum proprii ſacerdotis judicium ad exteros ſacerdotes confugiunt.

20 Eadem dubitatio propoſita de Epiſcopis procedit etiam reſpectu minorum Prælatorum, qui ſi ſint exempti ſimili privilegio gaudent, ut hic, in quibus par etiam reſolutio
21 fieri poterit; præterquam in eo, quod dictum eſt Epiſcopum eligere poſſe ſuum ſubditum, licèt priùs non approbatum ab ipſo ad audiendas confeſſiones, quia ipſum eligendo tacitè, & ipſo facto videtur approbare, inferiores enim Prælati confeſſorem approbare non poſſunt, niſi proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, ut S. Congregatio cenſuit.

22 Sed objicies, quid ergo prodeſt privilegium eligendi confeſſorem à Concilio Epiſcopis non ademptum, ſi in aliena diœceſi eum eligere non poſſunt niſi ab illius Ordinario approbatum, & in diœceſi propria nullo egent privilegio, cùm ſicut pro aliis, & pro ſe poſſint ſacerdotes approbare.

At reſpondetur privilegium operari duos effectus. Primus eſt, quia Epiſcopi poterunt ſibi eligere exterum ſacerdotem Curatum, vel ab ejus Ordinario approbatum,
23 quem alias eligere non poſſent ſine privilegio. Nam quidquid ſit in regularibus, Presbyteri ſæculares parochiale beneficium non habentes non poſſunt audire confeſſiones confluentium ex alienis diœceſibus, etiam in illa diœceſi, in qua ſunt approbati: etenim cùm illorum juriſdictio non ſit ordinaria, ſed delegata non extenditur ad eos, qui non ſubſunt Epiſcopo deleganti; ac propterea nulla eſt abſolutionis ſententia, quam iidem ſacerdotes in eos proferunt, in quos ordinariam, aut delegatam juriſdictionem non habent, ut diffinitur a Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. de Sa-*
24 *cramen. Pœniten. cap. 7. de caſ. reſervat.* Habentes verò parochiale beneficium, certum eſt audire non poſſe confeſſiones alienorum Parochianorum, ut omnes notant in dict. *cap. Omnis utriuſque, ſupra eodem.* In hoc ergo prodeſt privilegium, quod ſacerdoti alterius diœceſis ſive Curato, ſive approbato, qui alioquin reſpectu exteri Epiſcopi eſſet alienus, poterit Epiſcopus ſe ſubjicere illum eligendo, ejuſque juriſdictionem prorogare.

25 Secundus effectus eſt, quia Epiſcopi à ſacerdote, ut præfertur, electo abſolvi poterunt ubique locorum, etiam extra diœceſim Epiſcopi approbantis, quod ſine privilegio
non liceret: nam presbyteri non habentes parochiale be- 26
neficium ſive ſint ſæculares, ſive regulares non poſſunt audire confeſſiones etiam ſubditorum Epiſcopi approbantis extra diœceſim, in qua ſunt approbati, ut ſæpius S. Congregatio declaravit.

Porrò conſueverunt in hac materia ex ſententia ipſius 27
Sacræ Congregationis conſtitui regulæ infraſcriptæ, videlicet: Sacerdotes ſæculares non Parochi ad audiendas confeſſiones ab Epiſcopo approbati non poſſunt illas audire extra diœceſim, in qua ſunt approbati; ſacerdotes verò regulares poſſunt ſecluſa fraude aliorum diœceſanorum confeſſiones audire in ea diœceſi, in qua ſunt approbati, qui ab Epiſcopo ſolam approbationem recipiunt, & juriſdictionem habent ex privilegio Summi Pontificis, ut in *Clement. Dudum, de ſepultur.* cujus auctoritas non reſtringitur ad limites alicujus territorii, *cap. Cuncta per mun-*
dum, 9. quæſt. 3. Et in hoc diſcrepant à confeſſoribus ſæ- 28
cularibus; ſed tamen cùm iis conveniunt in hoc quod non poſſunt illas audire etiam quoad ſubditos Epiſcopi appro-
bantis extra diœceſim, in qua ſunt approbati. At Paro- 29
chi è converſo alienorum quidem Parochianorum confeſſiones audire non poſſunt etiam in propria Parochia, cùm in eos nullam habeant juriſdictionem, ſed ſuos Parochianos poſſunt ubique locorum abſolvere, quia in eos ordinariam habent juriſdictionem, & cùm actus audiendi con-
feſſiones ſit juriſdictionis voluntariæ, poteſt etiam in alie- 30
no territorio exerceri, *l. 1. ff. de offic. Proconſ.* gloſſa in *cap. Novit, de off. Legati,* Calder in. *conſ. 468. circa princ. verſ. Secundo pondero, alias 3. Qui fil. ſint legit.* Ob quam rationem ita concludit Hoſtien. *in Summa in tit. de pœniten. §. Cui confitendum, numer. 54. verſ. Et numquid extra,* Aſten. *in Summa lib. 5. titul. 14. §. Cui Presbytero eſt confitendum, quæſt. 4.* Navarr. in *cap. Placuit, num. 64. de pœnit. diſtin. 6.* Capyc. *deciſ. 203. num. 14. & ſeqq.* & in hoc diſcrepant ab aliis Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus, quorum auctoritas circumſcribitur finibus, diœceſis, in qua ſunt approbati.

Quæcumque autem de Parocho dicta ſunt, eadem habent locum etiam in confeſſore ab Epiſcopo electo in vim textus noſtri. Siquidem tamquam habens juriſdictionem à lege, cenſetur ipſius eligentis proprius, & Ordinarius Sacerdos, ut docent in dict. *cap Omnis,* Hoſt. *nu. 22.* & Abb. *nu. 14.* Mandoſ. *in tract. de ſignat. grat. in ver. Confeſſionale, verſ. Advertendum eſt ad gloſſam:* ac proinde instar Parochi poteſt audire confeſſiones Epiſcopi tamquam ſubjecti ſuæ ordinariæ juriſdictioni in quacumque diœceſi, quod non liceret ſecluſo privilegio, ut dictum eſt. Hoc autem plurimum prodeſſe poterit Epiſcopis præſertim in itinere celebrantibus, juxta *cap. fin. de privileg. in 6.* ne transeundo per alienas diœceſes dimiſſo ſolito, & proprio Confeſſore, cogantur in ſingulis diœceſibus diverſos ſacerdotes eligere. Quod conſiderat Hoſt. in d. §. *Cui Patriarcha;* Reſolutionem habes infra *nu. 62.*

Vlterius QUÆRO. Poſito decreto Concilii Tridenti- 31
ni in d. *cap. 15. ſeſſ. 23.* An S. R. E. Cardinales in vim illius Decreti poſſint ſibi eligere Confeſſorem non Curatum, nec approbatum ab Ordinario. Quæſtio videtur dividenda in duos articulos. Primus eſt, an Cardinalis habeat privilegium ſibi eligendi Confeſſorem juxta hoc capitulum. Secundus eſt, quatenus habeat an poſſit eligere non curatum, nec approbatum.

Quoad primum articulum ſi Cardinalis ſit Epiſcopus, nulla eſt difficultas, quin gaudeat hoc privilegio. Et idem dicendum de Cardinali Legato de Latere, quia procul dubio comprehenditur ſub illis verbis, *& aliis Superioribus,* & in ratione expreſſa in littera. Et hoc tenent poſt alios Moderni in inſtitutione canonica *lib. 5. in tit. de Sacramen. Pœniten. nu. 172.*

Sed in Cardinali non Epiſcopo, aut Legato de Latere 32
dubium facit, quod cum hæc Decretalis contineat privilegium, ut notant hic Anchar. & Abb. non videtur extendenda ad Cardinales in ea non expreſſos ex notatis per Archidiac. *in cap. fin. in verb. Indulgemus, de privileg. lib. 6.* Generaliter enim in privilegiis non fit extenſio de perſona ad perſonam etiam ex majoritate rationis, *cap. Ne aliqui,* ubi Gemin. *in 4. notab. de privil. in 6.* Anton. de Butr. in *cap. Sanè, ſupra eod. tit.*

Præterea de jure communi nullus Prælatus quantum- 33

cum-

Digitized by Google

eumque maximus poteſt ſibi eligere Confeſſorem, ut hic
notat Abb. *num. 2. in 2. notab.* & probat littera textus pon-
derando illud verbum, *permittimus*, quod indicat ante
hanc permiſſionem Epiſcopos, & alios de quibus hic non
potuiſſe ſe ſubjicere alicui Confeſſori ſine ſui Superioris li-
centia. Et eſt ratio; quia nemo poteſt ligari niſi à ſuo ju-
dice, ut in *cap. Omnis utriuſque*, & *in cap. Quod autem*,
ſupra eodem, & cùm nullus Clericus ſine licentia ſui Epi-
ſcopi poſſit eligere judicium non ſui judicis, perſonæ, vel
rerum, *cap. Si diligenti*, & *cap. Significaſti*, *de fore com-
pet.* & *cap. Non liceat*, 3. *qu.* 6. Multò minus judicium
animæ, quod majus eſt, ut arguit gloſ. hic *in verb. Per-*
34 *mittimus*, & Hoſt. *nu. 5. in eod. verb.* Unde ex juris com-
munis diſpoſitione Epiſcopus debet confiteri Archiepiſco-
po, Archiepiſcopus Patriarchæ, Patriarcha Papæ, ut ple-
nè per Hoſtien. *in Summa*, *eodem tit.* §. *Cui confitendum*.
Sed quia hujuſmodi Prælati habent ſuperiores nimis diſtan-
tes, propterea fuit eis conceſſum privilegium, de quo in
35 textu noſtro, ut hic advertit Abb. *num.* 2. Similiter Prælati
exempti, de quibus loquitur littera hujus textus de jure
confiteri debent ſoli Papæ, cui ſubſunt immediatè: de his
enim intelligitur hæc Decretalis, & non de aliis Prælatis
exemptis habentibus ſupra ſe alium Superiorem; ut Prior
Abbatem generalem ſecundùm Hoſtien. in dict. §. *Cui con-
fitendum*, *verſ. Cui Abbas*, & Abb. *hic num. 2. in fin.* Sed
quia prædicti exempti Papæ immediatè ſubjecti itidem ni-
mis diſtabant à Curia Romana, idcircò fuit eis conceſſum
privilegium ſibi eligendi Confeſſorem, ne pro dilatione
pœnitentiæ periculum immineat animarum, quæ eſt ratio
hic expreſſa: & hanc diſtantiam à ſuis ſuperioribus, & à
Curia Romana fuiſſe cauſam, & rationem hujus privile-
gii dicit Hoſtien. *hic num. 7. in fin. verſ. Niſi exempti ſint*,
& Abb. *eod. num.* 2.

36 At hæc ratio ceſſat in Cardinalibus non Epiſcopis, aut
Legatis de Latere, quia tenentur in Romana Curia reſi-
dere, ut eis diſtrictè præcipitur à Leone X. in Conſtitu-
tione edita ſuper reformatione Prælat. Eccleſ. tertio nonas
Maji 1514. nec poſſunt recedere à Curia ſine licentia Pa-
pæ, cùm habeant alas ligatas, ut inquit Hoſtien. in *cap.
Eccleſia veſtra*, *il ſecondo*, *de elect.* Sarnen. *in regul. de
impetr. benef. vacan. per obit. famil. Cardin. quæſt. ... num.*
37 4. Et ut ait Bald. in *cap. Bona*, *il ſecondo*, *de poſtulat. Præ-
lat.* æquiparantur ſtellis fixis, quæ non moventur niſi mo-
tu orbis, ſicut & Cardinales non moventur niſi motu Pa-
pæ. Et de jure communi tenentur reſidere in ſuis titulis,
alias debent deponi, *cap. 2. de Cleric. non reſid.* Ubi à Leo-
ne III. refertur Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem titu-
lum Beati Marcelli in Synodo depoſitum fuiſſe, eò quod
parochiam ſuam per annos quinque contra Canonum in-
ſtituta deſeruerat, de quo per Joan. Andr. *in addit. ad Spe-
culat. eod. tit. circa fin.* & Oldrad. *conſ.* 48. *Ius commune*,
38 & arguit in ſimili Jo. Andr. poſt Hoſtien. in *cap. In his*, *cir-
ca med. in verb. Conſecuti*, *ſupra de privileg.* ubi concludit
privilegium Altaris viatici, de quo ibi, cùm fuerit conceſ-
ſum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus in novitate
ſua quando carebant propriis Eccleſiis, & habebant Ora-
toria ſimplicia, non habere amplius locum, cùm hodie
habeant Eccleſias conſecratas, & ſic ceſſat ratio privile-
gii: & ſequuntur ibi Anton. de Butr. *num.* 8. & Abb. *num.*
3. & magis ad rem noſtram privilegium ut Epiſcopi, eo-
rumque Superiores nullam interdicti, vel ſuſpenſionis pœ-
nam incurrant, niſi in ſententia ſint expreſſi, de quo in
cap. Quia periculoſum, *de ſent. excomm. in* 6. Non com-
petit Cardinalibus, cùm in eis ceſſet ratio illius Decretalis,
ſcilicet impediendi officium Epiſcopale, ſecundùm Joann.
de Anan. *in rubr. de Cler. excomm. in ult. col.* & Felin. in
cap. Quod ſuper his, *num.* 12. *verſ. Secundo quia etiam*, *de
fide inſtr.* & in terminis privilegii, de quo agitur, quam-
vis littera hujus textus indiſtinctè loquatur de Prælatis ex-
emptis; tamen quia in exemptis, qui non ſubſunt Papæ,
ſed aliis Superioribus, ceſſat ratio diſtantiæ ab Urbe, &
dilationis in textu conſiderata: ceſſat etiam privilegium
ſecundùm Hoſtien. & Abb. *locis citatis*.

39 Quamobrem ceſſante privilegio, Cardinales confiteri
debent Papæ, vel Majori ejus pœnitentiario, quibus in
foro pœnitentiali ſubjiciuntur. Martinus Laudenſis *in tra-
ctat. de Cardin. par. 2. qu. 28. & 29.* & Lancell. Corrad. *in
Templo omn. judic. lib. 2. cap. 2. de Cardinal.* §. 2. *num.* 10.
Videtur enim in eis ſervandum, quod de jure communi
ſtatuitur in aliis Prælatis exemptis, qui ante conceſſionem,
de qua in textu noſtro, ſimpliciter tenebantur confiteri Pa-
pæ, vel Majori Pœnitentiario ſecundùm Abb. *ibid. verſ.
Nota quod Prælatus exemptus*.

Atque ita Cardinales in Curia non habere hoc privile-
gium ſibi eligendi Confeſſorem, ſed ſolere illis per Papam
concedi, tradit Marcus Antonius Cuccus *in Inſtit. Canon.
lib. 5. in tit. de Sacram. Pœnit. nu.* 173. Neque obſtant ver-
ba prædictæ Decretalis, *Et aliis Superioribus*, quia verifi-
cantur in Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis, ut
notat ibi Jo. Andr. *in princ.*

Quibus tamen minimè obſtantibus, videtur reſpon- 40
dendum hoc privilegium competere Cardinalibus etiam
non Epiſcopis, aut de latere Legatis. Primò ponderando
litteram textus in illis verbis, *& aliis Superioribus*: nam
poſthabitis Doctorum altercationibus, Cardinales digni-
tate, & officio ſunt Superiores, & eminentiores Epi-
ſcopis, ut validiſſimis rationibus diffinitur in epiſtola
Decretali Eugenii Quarti ad Archiepiſcopum Cantua-
rienſem ſcripta Florentiæ, ubi Eugenius præſidebat in
Concilio Florentino anno ſui Pontificatus octavo, quæ
incipit, *non mediocri*, & eſt in Bullario 15. inter Con-
ſtitutiones Eugenii.

Unde cùm Cardinales ſecundùm latitudinem eorum-
dem verborum includantur in dicta Decretali, non dicitur
fieri extenſio de uno caſu ad alium, ſed potiùs declaratio,
& expreſſio ejus quod tacitè ineſt: atque ita ceſſat ratio ſu-
periùs conſiderata in prima oppoſitione: nam & in privi-
legiis fit lata interpretatio, quatenus patiatur verborum
proprietas, ut poſt alios tradit Decius *conſ.* 115. *Viſo teno-
re*, *num.* 6. *verſ. Et ideo cum multis*.

Præſertim verò quia, ut inquit Abb. hic *num.* 3. cùm
in indulto eligendi Confeſſorem tractemus de favore, &
ſit beneficium Principis nulli nocens, debet fieri latiſſima
interpretatio, ut *cap. Olim*, *infra de verbor. ſignif.* & *in l.
fin. ff. de Conſtitut. Princ.*

Ad hæc privilegium electionis Confeſſoris conceditur
hic, non ſolum Epiſcopis, & aliis Superioribus, ſed et-
iam minoribus Prælatis exemptis. Unde quatenus hoc ca-
ſu ſpectanda non eſſet prærogativa dignitatis, ſed gradi-
bus ſecundùm quam Presbyteri Cardinales ſunt minores
Epiſcopis, ut notatur per gloſſam, & Doctores in *cap.
Quamquam*, 2. *q.* 7. & habetur in prædicta Decretali Eu-
genii IV. Atque ita quatenus Cardinales hoc reſpectu non
comprehenderentur in illis verbis, *& aliis Superiori-
bus*; comprehenduntur tamen in ſequentibus, *necnon
minoribus Prælatis exemptis*: utraque enim qualitas Præ- 41
lationis, & exemptionis propriè verificatur in Cardina-
libus: nam ſive Prælatorum verbum accipiamus in ſtri-
ctiori ſignificatione pro eis, qui habent jurisdictionem
fori contentioſi, juxta textum in *cap.* 2. & ibi gloſſa *in ver.
Prælati*, *de ſepult.* ſive accipiamus largè, ut etiam com-
prehendat habentes juriſdictionem fori pœnitentialis, ut
ſunt Rectores Parochialium Eccleſiarum, qui largo modò
dicuntur Prælati, *cap. Tua*, *de Cler. ægrot.* prout ſecun-
dùm Abb. hic *num.* 3. Accipi debet hoc caſu, in quo agitur 42
de favore, & beneficio Principis nulli noxio: dubium
non eſt quin comprehendantur Cardinales, qui in ſuis ti-
tulis, & in Eccleſiis, quæ ipſis titulis ſunt ſubjectæ, facul-
tatem habent corrigendi, cenſuras eccleſiaſticas fulminan-
di, & cætera faciendi, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis,
cap. His quæ, ubi omnes notant *de maior. & obed. cap. Que-
relam*, *de elect.* Extravag. Clem. VII. *Sanctiſſ. in Chriſto
Pater*, *&c.* & eſt communis opinio, ut teſtatur Roman.
ſermone ſuo poſt conſilia *num. 19. in fine*, & propterea con-
ferunt minores Ordines, utuntur Epiſcopalibus inſigniis, &
benedicunt ſolemniter, licèt non habeant conſecrationem
aliquam, ſed nudos Ordines ſacros, Felin. in *cap. Inter
monaſterium*, *num. 2. de re iudic.* Et quamvis cùm olim
dubitatum eſſet in Sac. Congregatione Concilii an Cardi-
nales, qui habent titulos Eccleſiarum Urbis, poſſent in ſuis
Eccleſiis titularibus, & earum ſubditis uti illis facultatibus,
quæ à Concilio Tridentino tributæ ſunt Epiſcopis in ſuis
civitatibus, & diœceſibus, & ſpecialiter illis, quæ com-
prehenduntur *ſeſſ. 24. cap.* 6. Facta relatione Sanctiſſimo,
Sanctitas ſua dixerit ſe nolle ea, ut quæ Epiſcopis conceſſa
ſunt à Concilio, competant Cardinalibus in ſuis titulis,
quia licèt habeant quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ibi
tamen verè, & propriè non ſunt Epiſcopi: Nihilominus

hæc deciſio, ut in libris Sacræ Congregationis eſt adnotatum, intelligenda eſt quoad facultates conceſſas à Concilio. Extra illas autem ſalva manet juriſdictio Cardinalium in titulis ſuis, juxta notata in dict. *cap. His quæ, de maior. & obed.* & propterea Cardinales prælaturam, ſeu prælationem Eccleſiarum habere patet clare ex *cap. unico*, ibi, *Prælaturis perpetuò privantes*, & infrà: *Prælatione, dignitate, ſtatu, & honore Eccleſiaſticis omnino privamus, de Schiſmat. lib. 6.* & tradit gloſſ. in *cap. 2. in 1. notab. de Cler. non reſid.* & in dict. *cap. His quæ, in verb. Obedientiam*. Et per prædicta cùm in Conſtitutione 6. Gregorii XIV. de forma conficiendi proceſſus ſuper qualitatibus promovendorum ad Cathedrales Eccleſias, §. 7. Cautum ſit, ut Prælatus inquirens ſi per ſe non poſſit ob locorum diſtantiam teſtes examinare circa articulum aliquem, ut legitimos natales, vel ætatem, aut aliquid ejuſmodi, liceat ei articulum illum alteri perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſubdelegare. In Sacra Congregatione rerum Conſiſtorialium habita die 6. Auguſti 1649. dictum fuit Prælatorum appellatione comprehendi etiam Cardinales Provinciæ, vel Regni apud Sedem Apoſtolicam Protectores, qui ex eadem Conſtitutione §. 6. & ex Inſtructione Urbani VIII. §. 4. Facultatem habent hujuſmodi inquiſitiones faciendi. Licèt in ſpeciali caſu Eccleſiæ Archimandritatus Meſſanen. in quo Cardinalis Siciliæ Protector pro impinguatione proceſſus confecti à Nuncio Hiſpaniarum ſuper ſtatu dicti Archimandritatus commiſerat Archiepiſcopo Meſſanen. ut teſtes reciperet ſuper valore illius Eccleſiæ, dictum fuerit id ei minimè licuiſſe, quia ſtante præventione Nuncii in inquiſitione, Cardinalis Protector non erat Prælatus inquirens, de quo Conſtitutio loquitur, nec poterat proceſſum illius impinguare, aut ſupplere.

43 Indubiè etiam verificatur in Cardinalibus, ſecunda qualitas, id eſt exemptio; quoniam Papæ immediatè ſubjiciuntur, dict. *cap. 1. de ſchiſmat. lib. 6.* Anchar. *conſ. 295. Pro clariori, num. 7. verſ. Sexto probatur*: & tamquam Senatores lateri Principis aſſiſtunt, & dicuntur pars corporis illius, gloſſ. in Extravag. *Execrabilis, in verb. Circa nos, de præb.* Jo. Monach. Jo. Andr. & DD. in d. *cap. unico, de ſchiſm. lib. 6.* & dicuntur liberi primi gradus, & membra capitis; cùm tamen reliqui Prælati ſint membra corporis, ut ait gloſſ. in Extravag. *Dudum, de ſchiſmat. inter commun.* liteſque & cauſæ inter Cardinales quomodolibet vertentes Summi Pontificis deciſioni reſervantur in Extravag. Pauli IV. quæ incipit, *Cum ſæpius*; adeò ut propterea ab Oldrado *conſ. 48. Ius commune, numer. 48.* tamquam collaterales, & pars corporis Papæ dicantur magis illius familiares, quàm cæteri commenſales, & ſervientes: & Cardinalium exemptio redundet etiam in familiares ipſorum, ut in *cap. 11. in fin. ſeſſ. 24.* Tridentini Con-
44 cilii, ut tradit Clar. *in §. fin. qu. 35. num. 17.* ubi ait familiares Cardinalium judicari ab ipſis ſolis Cardinalibus, ita ut nec Vicarius Papæ eos judicet, ſed remittat ad ſuos Cardinales, qui propterea habent privatum carcerem; & teſtatur ita de ſtylo Curiæ obſervari.

45 Nec dicatur, Cardinales non videri exemptos, cùm ſubſint ſuo immediato ſuperiori, ac judici Ordinario, qui eſt Papa, Anchar. dict. *conſ. 295. num. 7. verſ. Sexto probatur*: nam reſpondetur textum noſtrum, dum loquitur de Prælatis exemptis nullo modo eſſe intelligendum de Prælatis exemptis à juriſdictione Papæ, à quo nullus eccleſiaſticus exemptus eſt, nec eximi poteſt, *cap. Cuncta per mundum, 9. quæſt. 3. cap. 1. cum plurib. ſeqq. 93. diſtinct.* Extravag. *Unam Sanctam, de maior. & obed. cum concord.* Innocent. in *cap. Cum dilecti, de foro compet.* latè Felin. in *cap. 1. num. 6. & ſeqq. de Conſtitut.* alias lex lata eſſet ſuper impoſſibili contra textum in *cap. Erit autem lex, 4. diſtin.* ſed eſſe intelligendum de exemptis ab Ordinariis locorum; imò de illis tantùm, qui immediatè ſubjecti ſunt Papæ, ſecundùm Hoſt. & Abb. hic quales dubitari non poteſt, quin ſint Cardinales, ut oſtenſum eſt ſupra.

46 Confirmantur prædicta, & quia S. Congregatio Concilii jam declaravit Cardinales gaudere privilegio altaris viatici, de quo in *cap. fin. de privil. in 6.* & tamen illa Decretalis non loquitur niſi de Epiſcopis, & eorum ſuperioribus: ergo multò magis gaudere debent Privilegio electionis confeſſoris in terminis hujus Decretalis, cùm nec non ſolùm loquatur de Epiſcopis, & aliis ſuperioribus, ſed etiam de minoribus Prælatis exemptis; atque ita magis latè pateat, quàm illa, & ſit etiam favorabilior propter rationem periculi animarum in ea expreſſam, *cap. Præcipimus, 12. quæſt. 1.* Abb. *conſ. 63. Videtur primo, num. 3. verſ. Item quis debet magis diligere, lib. 1.*

Et ex his patet reſponſio ad objecta: nam quoad pri- 47
mum, cùm litera textus ibi, *& aliis ſuperioribus*, & ibi, *Prælatis exemptis*, propè conveniat Cardinalibus; hæc non dicitur extenſio privilegii de perſona ad perſonam, ſed declaratio, *cap. Ad audientiam*, & ibi gloſſ. 1. *& fin. de decim.* In quacumque autem materia etiam odioſa, & ſtrictè accipienda ſit lata interpretatio quatenus patitur proprietas verborum, ut eſt textus in *l. Cum lege*, & ibi Aretin. notat. *ff. de teſtam.* & quatenus verba hujus privilegii eſſent dubia, deberent tamen largiſſimè interpretari, *cap. Olim, de verb. ſignif. cap. Cum dilecti, de dolo, & contum.* gloſſ. in d. *cap. Ad audientiam, in ver. Aſſerunt*, & de hoc privilegio eligendi confeſſorem tradit Abb. hic *nu. 3.*

Ad ſecundum motivum reſpondetur diſtantiam à ſupe- 48
rioribus, vel à Curia Romana non fuiſſe cauſam finalem hujus conceſſionis, ſed potiùs impulſivam; quod patet ex eo, quod Epiſcopus non prohiberetur ſibi eligere confeſſorem, ſi Archiepiſcopus eſſet præſens, puta ex cauſa viſitationis provinciæ, vel acceſſus Epiſcopi ad Synodum provincialem, vel alia occaſione; nec alius exemptus eſſet prohibendus in Curia uti hoc privilegio ex eo, quod patere poſſet acceſſus ad Papam, vel majorem Pœnitentiarium. Ergo ſignum eſt hujuſmodi diſtantiam fuiſſe cauſam motivam privilegii, qua ceſſante non ceſſat privilegium, ut plenè notatur per Bartol. in Extravag. *Ad reprimendam, in verb. Nec ex eorum abſentia, in princ. num. 12. & ſeq.* quod colligitur etiam ex dictione illa, *pro*, de qua in textu, quæ cauſam impulſivam importat quando adjicitur verbis prolatis ad favorem privilegiati, ut hoc caſu Bald. *conſ. 337. Et præmiſſo, in princ. numer. 2. lib. 3.*
Præſertim quia in privilegiis cauſa in dubio præſumitur 49
impulſiva, Joan. de Imola *conſ. 33. nu. 2. & ſeq.* Ideòque videmus privilegium altaris viatici fuiſſe conceſſum Epiſcopis, & aliis ſuperioribus ob cauſam expreſſam in *cap. fin. de privileg. in 6.* videlicet quoniam Epiſcopi ſe habent diverſis ex cauſis à ſuis Eccleſiis, & diœceſibus abſentare frequenter: & nihilominus quia cauſa illa fuit impulſiva, Epiſcopi uti poſſunt privilegio illo etiam in propria diœceſi, & extra caſum abſentiæ, ut notatur ibi Archidiac. *in verb. Ubicumque*, & declaravit Sacra Congregatio Concilii: Ergo ſimiliter uti poterunt privilegio electionis confeſſoris conceſſo propter diſtantiam ſuperiorum etiam extra caſum diſtantiæ.

Deinde reſpondetur non ſimplicem diſtantiam ſuperiorum fuiſſe cauſam dicti privilegii, ſed periculum animarum, quod imminet ex dilatione confeſſionis, ut legitur in textu: quæ quidem cauſa magis latè patet, quia poteſt provenire ex aliis cauſis, & impedimentis, quam ex ſuperioris diſtantia, puta ſi ſuperior ſit infirmus, vel aliàs impeditus, aut ad eum difficilis pateat acceſſus. Hæc autem cauſa ſatis verificatur in Cardinalibus in urbe exiſtentibus, quia experientia docuit Summum Pontificem graviſſimis negociis præpeditum, & Majorem ejus Pœnitentiarium vacare vix poſſe confeſſionibus Cardinalium audiendis; nec facilem ad eos aditum patere omnibus diebus, & horis, quibus Cardinales volunt confiteri, præſertim illis, qui ſingulis ferè diebus in ſuis capellis Miſſam celebrant. Ergo quatenus cauſa illa tamquam pia, & reſpiciens favorem animæ eſſet finalis, juxta notata per Roman. *conſ. 438. In caſu conſultationis, nu. 5. verſ. Ultimo*, hæc eſt, tamen ſi illa recto judicio expendatur, non ceſſat in Cardinalibus in Romana Curia reſidentibus; verè enim ſi pro abſolutione ſacramentali obtinenda ſemper oporteret eos perſonaliter accedere ad Papam, vel Majorem Pœnitentiarium; profectò neceſſe eſſet, ut ſæpiſſimè confeſſionem differrent. Et propterea Victoria *in ſumma in tit. de confeſſ. num. 154.* atteſtatur quemlibet Cardinalem de conſuetudine habere privilegium prædictum; idemque de jure generaliter ſentit Joan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de legato, §. Sequitur, in fine addit.* ubi ait: Cardinalibus etiam non Legatis competere ſex privilegia Epiſcoporum notata in Decretali ultima, *de privileg. lib. 6. in gloſſ. penultim.* Inter quæ privilegia gloſſa ſecundo loco recenſet privilegium hujus cap.

Quoad

Digitized by Google

50 Quoad ſecundum articulum, videlicet an Cardinales, quatenus habeant privilegium ſibi elegendi confeſſorem, poſſint eligere non curatum, nec approbatum ab Ordinario.

Pro ſententia affirmativa affertur, quod quilibet ſacerdos in collatione Ordinis recipit poteſtatem, ſeu juriſdictionem fori pœnitentialis habitu, licèt illam non conſequatur actu, niſi quando habet perſonam, ſuper qua liceat juriſdictionem, quam habitu habet, exercere actu. Quam juriſdictionem actu recipit, quando quis vigore privilegii illum eligit in confeſſorem, & illi ſe ſubjicit. Et ideò Theologi communiter tenent privilegiatum poſſe eligere ſacerdotem non Curatum, nec ab Ordinario approbatum, Sot. *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 4. artic. 3.* Navarr. in *cap. Placuit*, *nu. 40. cum pluribus ſeqq. diſtin. 6.* ubi hanc partem acerrimè tuetur, & Jacob Graff. *in deciſ. caſ. conſcien. lib. 4. cap. 15. nu. 11.*

51 Quod validiùs confirmari poteſt in privilegio Cardinalis; quia ante Concilium Tridentinum quilibet ſacerdos ſaltem de conſuetudine habebat privilegium eligendi ſibi confeſſorem ſacerdotem tametſi non Curatum, nec approbatum, ut tradunt Sot. Navarr. & Graff. *in locis prællegatis*: quare ſi Cardinalis poſt Concilium teneretur eligere approbatum, non operaretur aliquid ſuum privilegium ultra illud ſimplicis ſacerdotis, contra *cap. In his, de privileg.*

52 Nec videtur obſtare Concilium Tridentinum *cap. 15. ſeſſ. 23.* quia in generali privilegiorum derogatione non venit privilegium Cardinalis, Jo. Monach. in *cap. 1. nu. 1. de ſchiſmat. in 6.* ubi tenet Cardinales, cùm ob dignitatis prærogativam, qua cæteris præſtant, ſint ſpeciali nota digni, in clauſulis generalibus non comprehendi, niſi ſpecialiter exprimantur, ut factum fuit d. *cap. 1.* & teſtatur ita fuiſſe obtentum in terminis revocationis expectantium præbendas, quam fecit Bonifacius VIII. in *cap. final. de conceſſ. præben. eod. lib.* & ſequitur in dict. *cap. 1.* Jo. And. ubi dicit ſub generali diſpoſitione quamvis comprehendantur Epiſcopi, non tamen comprehendi Cardinales, quia major eſt ratio in Cardinalibus, cùm ſint viciniores Papæ. Et hanc partem tuetur Abb. in *Clem. 1. in princip. de exceſſ. Prælator.* Roman. *conſ. 498. In caſu quo quæritur*, Anchar. latiſſimè *conſ. 295. Pro clariori*, *& conſ. 297. Efficacibus*, Fel. in *cap. Cùm in iure peritus*, *in 3. col. de off. delegat.* Bartholom. Belen. olim Rotæ Auditor in *cap. Super his*, *de fid. inſtrumen.* & quamplurimos recenſet Quintil. Mandoſ. *reg. 19. de infirm. qu. 2.* Præterea conſiderandum eſt verba Concilii eſſe directa ad ſacerdotes audientes confeſſiones, non autem ad pœnitentes, maximè habentes privilegium eligendi confeſſorem; qui propterea non videntur comprehenſi, & ex hujuſmodi conſideratione oritur reſponſio ad verba derogatoria privilegiorum: nam illa verba derogatoria, & executiva non extenduntur ad non expreſſa in diſpoſitiva, nec alterant diſpoſitionem, *Clem. 1. §. Ad hoc ſi alicui*, *de præben.*

53 Cæterùm his non obſtantibus verior videtur contraria opinio, quia habens privilegium eligendi confeſſorem, tenetur eligere illum, qui ab Ordinario habet executionem, qualis eſt Curatus, ſeu ab eodem Ordinario approbatus, gloſſa in *cap. Omnis utriuſque*, *§. Si quis autem*, *in verb. Alieno ſacerdote*, & ibidem Cardin. Zabar. *colum. 2.* Butr. *numer. 39.* Abb. *num. 14.* & alii communiter *ſupra eodem*, Petr. Bavenn. *in compend. iur. canon. part. 2. in eodem titul. lib. 6.* & Vivald. *in Candelabr. aur. in titul. de Confeſſ. num. 26. in fine*. Et nimis rigoroſa reprehenſio Navarri viri alioquin modeſti contra prædictam gloſſam, quæ eſt communiter approbata à Canoniſtis, non videtur rationabilis; ſiquidem duæ rationes ab eo allegatæ contra gloſſam, quæ mihi viſæ ſunt magis urgere, tolluntur.

Prima quippe ratio eſt Navarri, & aliorum Theologorum, quod ſacerdos habens juriſdictionem fori pœnitentialis ſolum habitu, illam recipiat actu quando eligitur vigore privilegii. Quæ tamen ratio ultra particulares, quas recipit, reſponſiones diluitur uno verbo, quod petat principium, quod controvertitur. An ſcilicet per electionem ſimplex ſacerdos conſequatur juriſdictionem fori pœnitentialis: & ideò in eo, de quo diſputatur, non eſt faciendum fundamentum pro deciſione diſputationis, Ripa *in rubr. ſolut. matrim. num. 58.*

Secunda ratio eſt ſumpta à ſimili de judice Cartulario; de quo tamquam à diverſis non poteſt argui, quia juriſdictio, quam judex Cartularius habet ſuper eo, qui illud adit, non dicitur conceſſa ab eo privato illum adeunte, qui non poteſt illam concedere, ſed à Principe, qui eam illi judici dedit, & dare potuit. Nos autem non verſamur in juriſdictione à ſuperiore data ipſi confeſſario, ſed in facultate eligendi confeſſorem conceſſa pœnitenti, quæ facultas eligendi judicem fori pœnitentialis intelligitur de judice competenti, non autem de incompetenti, & illam actu non habente, ad Afflict. *deciſ. 257. num. 4.* & Marcabr. *conſ. 84. num. 43. & 44.*

Non obſtat, quod privilegium Cardinalium eſſet ſupervacaneum, conſiderato privilegio cujuslibet Presbyteri; 54
quia ſtant ſimul, ut Presbyter habeat privilegium eligendi, & Cardinalis habeat idem privilegium, quod non propterea dicitur ſupervacuum, & inane, ſed ſatis operatur, quia Presbyter habet illud ut Presbyter, & Cardinalis habet ut Cardinalis, licèt non ſit ſacerdos, quia ſacerdotium non eſt de eſſentia, & ſubſtantia Cardinalatus, ut in Conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *Religioſa*, 13. *Aprilis* 1587. Accedit, quod cùm ſimplices ſacerdotes non ſint ſuper hoc ſpecialiter privilegiati, conſuetudo eligendi confeſſorem illis non ſuffragatur tamquam ſublata in *cap. 2. infra eod. lib. 6.* ut inferiùs dicetur, & verba illa, *etiam ſacerdotum*, in *cap. 15. ſeſſ. 23.* videntur appoſita ad omne dubium removendum.

Minus obſtat, quod Cardinales non veniant in genera- 55
li privilegiorum derogatione: ſiquidem contrariam ſententiam, eo quod generalis legis diſpoſitio comprehendat non ſolùm cauſas, ſed etiam perſonas privilegiatas, & Cardinalium prærogativæ, quamvis multùm attendantur in honoribus deferendis; non tamen eximunt eos à vinculis ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum, ut per Sarnen. *in proœm. regular. Cancell. quæſt. 4. nu. 5.* ubi pluribus rationibus utrimque adductis concludit ſententiam affirmativam eſſe firmiorem, & veriorem, quam etiam pluribus fundamentis comprobat Felin. in dict. *cap. Quod ſuper his*, *num. 12. verſ. Et quando dicitur quod in lege*, *de fide inſtrum.* & idem ante ipſum ſcripſerunt Archidiac. & Jo. Andr. in *cap. Nemo deinceps*, *de elect. in 6.* dum dixerunt illum textum in *verb. Nemo*, comprehendere etiam Cardinales, de quibus non opportuit fieri ſpecialem mentionem, cùm indefinita æquipolleat univerſali: quod etiam tenet ibi Gemin. & in dict. *cap. 1. de ſchiſmat. in 6.* ubi reprobata opinione Jo. Monachi dicit in hoc non eſſe illi credendum tamquam Cardinali, ut refert Felin. loco citato; & pro hac parte ſæpiùs judicavit Rota, ut teſtatur Sarnen. d. *quæſt. 4. num. 7.*

Inter fundamenta verò, quibus hæc poſterior ſententia fulcitur, duo ſunt præcipua. Alterum eſt, quod conſiderat ibi Felin. quia alias ſequeretur, ut ferè nulla lex canonica ligaret Cardinales, cùm rariſſimè de illis fiat mentio; quod eſſet maximè abſurdum, cùm ſtatuta Canonum ab omnibus ſint cuſtodienda, *cap. 1. de Conſt.* & maximè ab iis, qui in eminentiori gradu conſtituti, reliquis inferioribus exemplo eſſe debent, *cap. Cùm quidam*, *de iureiur. cap. Principium*, *de pœnit. diſtinct. 2. l. Presbyteri*, *C. de Epiſc. & Cler. gloſſ. in cap. 2. §. fin. in verb. Tamquam*, *de translat. Epiſc.*

Alterum eſt fundamentum, quod adducit Sarnen. *ubi* 56
ſupra, quia etiam ipſa Auguſta, quæ alioquin irradiatur radiis Auguſti, & gaudet illius privilegiis, ut in *l. Fiſcus*, *§. fin. ff. de iure fiſci*, & una, & eadem caro cum Principe reputatur, ſub generali legum vinculo comprehenditur, ut eſt textus notab. in dict. *l. Princeps*, *ff. de legib.* niſi ſpecialiter excipiatur, in quibus terminis procedunt *l. penult. C. de donat. inter vir. & uxor. & in l. Bene à Zenone*, *C. de quadrien. præſcript.* quas in contrarium adducit Andr. Barbat. in *cap. In noſtra*, *in 2. col. de reſcript.* ergo idem dicendum in Cardinalibus licèt eodem modo ſint pars corporis Papæ, ſicut Auguſta Imperatoris: præſertim quia Cardinales nil aliud ſint, quàm Papæ Conſiliarii, *cap. Fundamenta*, *§. Decet*, *de elect. lib. 6. & c. In parochia*, *16. q. 1. cum concord.* Item Patritii, Conſules, & Senatores, *c. Conſtantinus*, *96. diſt. c. Eccleſia*, *16. q. 1.* Innoc. in *c. Cùm te*, *nu. 1. de re iudic.* At nemo dixerit Senatores, aut Conſilia- 57
rios legũ vinculis non arctari, à quibus ſolus Princeps ſolutus dicitur in d. *l. Princeps*, *ff. de legib.* qui tamen à natura-

Digitized by Google

li illarum ratione immunis non eſt, ut *l. Digna vox*, *C. eod.* ubi Bald. *in princ.* ait Principem non eſſe ſub lege fori, ſed tamen eſſe ſub lege poli, naturæ, rationis: de quo per Felin. *in cap. 1. num. 31. & ſeqq. de Conſt.*

58 Sed quidquid ſit de veritate harum opinionum, quas fœdere diſtinctionis nititur conciliare Sarnen. *in proœm. reg. d. qu. num. 5. in fin.* quatenus pro regula admittenda ſit opinio negativa; illa tamen communiter à Doctoribus limitatur, ut non procedat quando derogatoria diſpoſitio reſpicit favorem publicum, & animæ utilitatem, vel periculum, quia tunc complectitur etiam Cardinales, ut tradit Præpoſ. in *cap. Non licet*, *in princ. 10. diſt.* Bartholom. Belenzin. *in tractat. de charit. ſubſid. qu. 66. num. 16. & 17.* idque per viam regulæ tradit Jo. Monach. in Extravagant. Bonifacii VIII. quæ eſt prima in ordine ſuo, *tit. de ſent. excomm.* in extravagan. commun. gloſſatis per eundem in verb. *Clericos*, & ſequitur Sarnen. *in proœm. regul. q. 4. nu. 6. & in reg. de infirm. q. 3. num. 4.* ubi teſtatur hanc videri communem reſolutionem, ſive de commodo, ſive de præjudicio eorum agatur.

Ratio eſt, quia in his, quæ concernunt ſalutem animæ, Cardinalis non differt à quolibet populari, ut poſt Roman. & alios, quos refert, tradit Belen. *loco citato*, & Sarnen. *in reg. de publ. reſin. q. 13. nu. 3.* ubi præterea tenet illam regulam comprehendere etiam Cardinales, cùm ſit fundata in bono animæ, ut fraudes, & doli evitentur, & idem cenſet quoad regulam de infirmis *in qu. 3. num. 3.* at Concilium Tridentinum in dict. *cap. 15. ſeſſ. 23.* concernit publicum favorem, & ſalutem animæ, dum committit Ordinarius cognitionem, & approbationem ſacerdotum

59 ad confeſſiones audiendas; ad D. Th. *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. q. 4.* & propterea videmus decretum Concilii generalis in *cap. Omnis utriuſque*, *ſupra eod.* comprehendere etiam Cardinales, licèt de illis mentionem non faciat per ea, quæ dicit Abb. in *cap. Omnes*, *de maior. & obed. & in cap. Novit*, *in 3. col. de iudic.* & firmat Sarnen. *in proœm. d. q. 4. nu. 6.* Et ſanè nemo dixerit Cardinales non teneri ſemel in anno peccata ſua confiteri, & ſacram Communionem ſuſcipere, cùm ſanctiores cæteris eſſe debeant, ut per Sarnen. in *reg. de impetr. benef. viven. q. 6. nu. 1.* Et quemadmodum Cardinales ſunt ſubjecti peccato, quia nulla dignitas à peccato excuſat, *cap. Magnæ*, *de voto*: ita & juri tractanti de remiſſione peccati, ut in Papa arguit Anton. de Butr. in dict. *cap. Omnis utriuſque*, *num. 28.* Ergo idem dicendum de Concilio Tridentino; & eò magis, quia in

60 d. *cap. 15. ſeſſ. 23.* derogatur privilegiis, & conſuetudinibus quibuſcumque etiam immemorabilibus, quæ tamen derogatio non legitur in dict. *cap. Omnis utriuſq.* unde quatenus etiam hoc caſu ageretur de diſpoſitione pœnali, & odioſa odio irrationabili, & exorbitanti, quo caſu communis opinio videtur, ut non includat Cardinales ſecundùm Sarnen. *in reg. de infirm. q. 3. & 4. & in proœmio q. 4. num. 8. verſ. Tertius caſus*: tamen ſuccederet doctrina Felini in *cap. Cum iuris peritus*, *de offic. deleg. & in rubr. de maior. & obed.* ubi ait defendi non poſſe opinionem illam, quod Cardinales non comprehendantur in diſpoſitione generali habente clauſulas prægnantes: cujus dictum refert, & ſequitur Sarnen. *in reg. de valore*, *q. 1. nu. 6.*

61 Similiter non obſtat, quod verba Concilii ſint directa ad audientes confeſſiones, non autem ad pœnitentes: quia confeſſor, & pœnitens, item audire confeſſiones, & confiteri ſunt relativa; & ita decretum Concilii loquens de uno comprehendit aliud: nam lex corrigens in uno ex correlativis: corrigit etiam in alio, *l. fin.* ubi hoc tenent Bart. Angel. & Doct. *C. de indic. viduit. tollen.*

62 Poſtremò jam Sacra Congregatio declaravit privilegium eligendi confeſſorem, quod competit Epiſcopis in vim hujus Decretalis non eſſe quidem à Concilio ſublatum; ſed tamen non poſſe ſibi eligere ſacerdotem ſibi non ſubditum, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut à ſuo Ordinario approbatus fuerit ad confeſſiones audiendas, ad præſcriptum dict. *cap. 15. ſeſſ. 23.* idemque declaravit Gregorius XIII. audita relatione Congregationis; cujus reſolutionis fundamenta habentur in præcedenti quæſtione *à num. 6. uſque ad num. 30.* Ergo idem dicendum in Cardinalibus per ea, quæ tradit Sarnen. *in reg. de valore*, *quæſt. 1. num. 6.* Præſertim verò, quia in diſputatione illius articuli multas rationes perpendit S. Congregatio, quæ plurimum hanc ſententiam confirmant.

Quod ſi objicias, ſi Cardinales in curia reſidentes tenentur confiteri ſacerdotibus approbatis, ergo nihil eis prodeſt privilegium, contra *cap. In his*, *de privileg.* quia ſacerdotibus approbatis omnis utriuſque ſexus in Curia degens poteſt confiteri, juxta dict. *cap. 15. ſeſſ. 23.* neque hac in parte eſt opus privilegio. 63

Reſpondetur, privilegium prodeſſe Cardinalibus in quatuor. Primò, quia poſſunt eligere alienum ſacerdotem Curatum, quem circumſcripto privilegio eligere non poſſunt, cùm non ſit proprius eorum ſacerdos, juxta *cap. Omnis*, *ſupra eodem*, ibi enim omnes notant, & eſt ex mente Sacræ Congregationis Parochum non poſſe audire confeſſiones alterius Parochiani ſine proprii ſacerdotis licentia etiam infrà limites propriæ parochiæ, cùm confeſſio ſacramentalis ſit actus judicialis, qui exerceri non poteſt in eum, in quem ſacerdos ordinariam, vel delegatam non habet juriſdictionem, ut eſt diffinitum in *cap. 7. de caſ. reſerv. ſeſſ. 14.* Concilii Tridentini. 64

Secundò, quia ſtante privilegio, Cardinales in urbe poterunt confiteri cuicumque ſacerdoti etiam extra urbem ab Ordinario loci approbato, cui ſine privilegio confiteri non poſſent, cùm ſacerdos ſive ſæcularis, ſive regularis approbatus in una diœceſi non poſſit audire confeſſiones extra illam diœceſim, ut ſimiliter alias reſolvit Sacra Congregatio. 65

Tertiò prodeſt privilegium, quia Cardinalis extra Curiam poterit ſecum ducere confeſſorem in urbe approbatum, & illi confiteri in quacumque diœceſi, quod non liceret circumſcripto privilegio, quia ſacerdos in una diœceſi approbatus ex ſententia Sacræ Congregationis non poteſt in alia diœceſi audire confeſſiones etiam perſonarum illius diœceſis, in qua eſt approbatus, licèt Parochus, qui juriſdictionem habet ordinariam poſſit audire confeſſiones ſuorum Parochianorum in quacumque diœceſi. 66

Quartò, & ultimò prodeſſe poteſt privilegium, quia Cardinalis extra Curiam poterit confiteri cuicumque ſacerdoti etiam ſæculari ab Ordinario loci approbato, aut ibi parochiale beneficium habenti, quod abſque privilegio non liceret; quia quidquid ſit in regularibus, ſacerdos ſæcularis in una diœceſi approbatus, ex ſententia ejuſdem Sacræ Congregationis non poteſt audire confeſſiones ſibi non ſubditi, ut oſtenſum eſt ſupra in *1. caſu*. 67

Neque in ſupradictis quatuor caſibus ſuffragatur quævis contraria conſuetudo: quia ut legitur in *cap. 2. de pœnit. & remiſſ. lib. 6.* nulla poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis præter ſui ſuperioris licentiam confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere, vel ligare; idque etiamſi conſuetudo ſit longiſſimi temporis, ut ibi per Jo. Andr. qui ad hoc ponderat illam dictionem univerſalem negativam, *nulla*: imò etiamſi ſit immemorabilis, ſecundùm Gemin. *colum. 1. verſ. Quæro circa ſecundum*, & Franc. *col. 1. n. 3. verſ. Tertio nota*, atque ita in hoc majoris eſt potentiæ privilegium, quàm conſuetudo, ut ibi per Franc. 68

DE

Digitized by Google

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Clemens III.

C A P U T XIV.

CUm non ab homine: & infrà. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd à communione illius, qui pro ſacrilega manuum injectione in Clericum, in edictum excommunicationis incidit, licèt denuntiatus non ſit, debes abſtinere: niſi fortè id tibi ſoli pateret: in quo caſu ipſum privatim tantummodo evitabis, quamdiu ab Eccleſia toleratur: ut ſaltem verecundiæ rubore ſuffuſus, pro latenti exceſſu ſatisfacere compellatur. In articulo verò ſecundæ quæſtionis reſpondemus, quòd occiſores Clericorum aut Presbyterorum, qui contempto Clericali habitu tyrannidi & enormitati ſe inverecundè immiſcent, in odium clericalis exceſſus, & terrorem atque correctionem ſimilium, Canone latæ ſententiæ minimè coercentur: injungatur tamen eis pœnitentia competens, aliquantulum aſperior, quàm ſi in laicos talia commiſiſſent.

S V M M A R I V M.

1 *EXcommunicatus pro violenta manuum iniectione in Clericos ante denunciationem vitandus eſt, niſi ſit occultus.*

2 *Excommunicatus non eſt interficiens Clericum, qui contempto Clericali habitu ſe enormitatibus immiſcuit.*

C*Vm non ab homine*. Ante denunciationem vitandus eſt excommunicatus pro violenta manuum injectione in Clericos, niſi ſit occultus. Hoc primo. Interficiens Clericum, qui contempto clericali habitu ſe enormitatibus immiſcuit, excommunicatus non eſt. Hoc dicit ſecundò Jo. Andr. Quoad primam partem Decretalis hodie ex Conſtitutione Martini V. in Concilio Conſtantienſi edita, quæ incipit, *ad evitanda*. Excommunicati ante denunciationem non ſunt vitandi, niſi ſint notorii Clericorum percuſſores; de quo dic ut plenè ſcripſi in *cap. Quod à prædeceſſore*, *à nu. 39. ſupra de ſchiſmat.* Quo verò ad ſecundam partem, ſi quæris an Clericus, qui dimiſſo clericali habitu, & tonſura ingerit ſe enormitatibus, perdat privilegium Canonis, vel fori, diſtingue, ut dixi in *cap. Perpendimus*, *infra eod.* præſertim à *nu. 12. uſque in fin.*

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Clemens III.

C A P U T XVII.

PErvenit ad nos: & infrà. De his abſolvendis, qui Clericis non enormem, ſed modicam & levem injuriam irrogarunt, tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.

S V M M A R I V M.

1 *EPiſcopus non poteſt abſolvere eum, qui leviter percuſſit Clericum, ſine ſpeciali commiſſione, iuxta unum intellectum, & num. ſeqq.*

Qui reprobatur, num. 4. & ſeqq.

3 *Epiſcopus abſolvit pro leviſſima iniuria Clerico illata.*

5 *Lecturæ fugiendæ ſunt, per quas Decretales reducuntur ad gratiam.*

6 *Diſpoſitio reſpiciens duo determinabilia debet utrumque pariformiter determinare.*

7 *Dictio*, etiam, *eſt implicativa caſus præcedentis cum eiſdem qualitatibus.*

8 *Excommunicati pro levi manuum iniectione in Clericum poſſunt per Epiſcopum abſolvi.*

9 *Excommunicati ob percuſſionem Clericorũ quibus caſibus per Epiſcopum abſolvi poſſint, compendioſa diſtinctio.*

10 *Prælatus inferior habens iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem an poſſit abſolvere ſubditos ab excommunicatione ob levem Clerici percuſſionem, & nu. ſeqq. uſq. in fin.*

11 *Abſolutio ab excommunicatione ob levem clerici percuſſionem regulariter ſpectat ad ſolum Epiſcopum.*

12 *Declaratur.*

13 *Prælatis inferioribus habentibus iura Epiſcopalia competunt ea omnia, quæ ad Epiſcopalem iuriſdictionem pertinent.*

14 *Prælatus inferior habens iura Epiſcopalia poteſt abſolvere ab excommunicatione Canonis, quando Canon eam non reſervat.*

15 *Canones loquentes de Epiſcopis, & Diœceſanis verificantur etiam in inferioribus habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in his, quæ iuriſdictionis ſunt.*

16 *Vicarius Epiſcopi, & Vicarius Capituli ſede vacante abſolvunt ab excommunicatione Canonis ſi levis ſit percuſſio.*

Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

P*Ervenit*. Plures habet intellectus. Quidam enim 1
opinati ſunt, quod hic dicitur de abſolutione ob levem manuum injectionem in Clericum vendicare ſibi locum ex ſpeciali gratia, & indulgentia: & in hac opinione fuerunt Vincentius, Alanus, Philippus, Tancredus, & Innoc. hic *num. 1.* & Abb. Antiq. *num. 1. & 2.* ponderantes hanc litteram ibi, *Tuæ fraternitatis arbitrio duximus* 2
committendum: quaſi dicat non alterius, niſi & ſpecialiter ei committeretur: & pro hac opinione facit textus in *cap. Si vero*, *il ſecondo*, *infra eod.* ubi in caſu ſpeciali abſolvit Epiſcopus quando injuria non eſt enormis. Ad idem etiam facit *cap. Quoniam*, *ſupra de vita*, *& honeſt. Cleric.* ubi ex privilegio ſpeciali Clerici communiter viventes abſolvuntur ab Epiſcopo ſi injuria non eſt enormis. Si eſt ſpeciale in illis caſibus, ergo in contrarium eſt jus commune, *l. Ius ſingulare*, *& l. Quod vero contra*, *ff. de legib.* Et juxta hunc intellectum Decretalis ſic ſummari poteſt. Epiſcopus poteſt abſolvere injicientem manus in Clericum leviter, ſi hoc ſibi ſpecialiter committatur.

Goffredus verò in *Summa hoc tit. §. Qui poſſit ab hac*, *in* 3
2. col. & ſeq. diſtinguit in hæc verba: [Ut Decretalis hæc ſanè intelligatur, puto inter perſonarum conditionem, injuriamque gravem, levem, & leviſſimam arbitrio boni viri

fore perſpicaciter diſtinguendum.] Deinde unumquodque membrum declarat concludens hanc literam non intelligi de gravi percuſſione, quia illam excludat. Si de levi intelligatur, procedit de gratia, & commiſſione ſpeciali juxta primam opinionem Vincentii, & ſequacium. Si verò intelligatur de leviſſima, tunc omninò continet jus commune. Facit text. *in l. Item apud Labeonem*, §. *Prætor ait ſi quid aliud*, *ff. de injuriis*, ubi cavetur, ut qui percutit ſervum leviter, vel maledicit, non teneatur injuriarum. Et hanc Goffredi diſtinctionem in effectu approbat Hoſt. hic *in princ.* & latius in *Summa hujus tituli*, §. *Quis poſſit ab hac ſententia abſolvere*, *verſ. Sed ut dicunt quidam*, niſi quod à ſecundo membro de levi percuſſione excludit perſonas privilegiatas, quas Epiſcopus poteſt abſolvere de jure communi, ut notat ibid. Hoſt. in §. *Quis poſſit excommunicare*, *verſ. Super illo autem canone*: & juxta hanc diſtinctionem Goffredi, & Hoſtien. intelligendo hanc litteram de leviſſima, Decretalis ſummatur ſic: Pro leviſſima injuria Clerico illata abſolvit Epiſcopus.

4 Verùm prædictos intellectus meritò refellit Joan. Andr. hic *nu.* 3. *verſ. Et ibi conſuetude*: Nam tu, qui dicis Epiſcopum in leviſſima tantùm poſſe abſolvere, indica jus ſuper hoc, ſed non habes aliud, quam iſtud, quod de levi loquitur; aut ergo neges de qualibet, aut de levi conce-
5 das. Item fugiendæ ſunt lecturæ per quas reducuntur Decretales ad gratiam, ut inquit idem Joann. Andr. in *cap. Ex parte Adæ*, *num.* 29. *de teſtibus*, quem ſequuntur Doctores, ut dicit Felin. *hic in fine*. Et ſanè ſi hæc Decretalis procederet de ſpeciali commiſſione, nec egrederetur perſonam illius Epiſcopi, cui facta fuit commiſſio, ut quid occuparet membranas? & ad quid inſerta eſſet in volumine Decretalium, contra id, quod legitur, & notatur ſupra *in proœmio*, §. *Sanè*, *& in cap. Canonum ſtatu-*
6 *ta*, *de Conſtitut.* Pro hac parte inducitur etiam integra relata ab Anton. Auguſt. *collect.* 2. *Decretal. lib.* 5. *titul.* 18. *cap.* 6. In cujus principio cautum erat, ut Epiſcopi poſſent liberè abſolvere mulieres, ſenes, & pueros, qui in canonem inciderent; poſteà ſequebatur, *De iis etiam, qui Clericis non enormem, ſed modicam, vel levem injuriam irrogarunt*, *Tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum*. Qua ſi dicat ſicut illis poterat Epiſcopus jure ordinario, & communi abſolutionis beneficium impendere, ita & in iſtis, quia ubi una diſpoſitio reſpicit duo determinabilia, debet utrumque pariformiter determinare, *l. Iam hoc iure*, §. *Si autem*, & ibi Bart. *num.* 1. *ff. de vul-*
7 *gar. & pupillar.* *cum ſimil.* præſertim ponderando particulam, *etiam*, quæ eſt implicativa caſus præcedentis cum ejuſdem qualitatibus, ut notant omnes in *l. Etiam*, *ff. ſolut. matrim. C. Si tutor*, *vel Curator*, *& in l. Qui ſe Patris*, *C. Unde liber.* Decian. *conſ.* 17. *Quæſtio iſta*, *nu.* 9.
8 *lib.* 1. Communis igitur lectura eſt hanc Decretalem continere jus commune, ut atteſtatur Abb. hic *in princ.* & Mar. Soc. *nu.* 4. & juxta hanc lecturam communiter ſic ſummatur, Excommunicati pro levi manuum injectione in Clericum poſſunt per Epiſcopum abſolvi. Hoc dicit Jo. And. Butr. Cardin. Anchar. Abb. Jo. de Anan. Mar. Soc. & Felin. & tenent Lapus *allegat.* 76. *Quidam Presbyter*, Roman. *ſingul.* 16. Card. *conſ.* 42. *Reverendiſſime Pater ſuper caſu ſuprascripto*, & paſſim Doctores, & hic intellectus eſt amplectendus, tum quia benignior eſt, tum quia continet aliquam dubitationem, & utilius providet; tum quia conſuetudo eum approbavit, ut hic per Abb. *num.* 1. & Marian. Socin. *nu.* 5. 6. *&* 7.

9 Non obſtant allegata in contrarium pro prima opinione: nam ad hunc textum, dum dicit, *duximus committendum*: poteſt reſponderi, ſcilicet de jure communi juriſdictionem ſuam exequendo, ut *cap. Licet*, *ſupra de offic. Ordinar.* Ad ſecundum argumentum deſumptum ex juribus ſupracitatis *n.* 2. Reſponderi poteſt diſtinguendo tres caſus, ſecundùm Jo. Andr. hic *num.* 3. *verſ. Et ad contrariorum ſolutionem*: nam aut injuria eſt levis, & pro iſta abſolvit Epiſcopus de jure communi, ut hic: aut injuria eſt mediocris, & ab iſta non poteſt abſolvere Epiſcopus niſi privilegiatos, ut Oſtiarium, officialem, ſervum, Clericum, communiter viventes, & profeſſor: & ita procedunt *cap. Si vere*, *& cap. Quoniam*, in contrarium allegata, & alia ſimilia jura. Aut injuria eſt gravis, ſeu enormis, & Epiſcopus ſine ſpeciali commiſſione non abſolvit niſi eos, qui Papam non poſſunt adire, ut ſenes, & mulieres, pueros, valetudinarios, & hujuſmodi, de quibus hic in integra, & in *cap. Eam ſcitur*, *cap. Mulieres*, *ſupra eod. & infra*, *cap. Quamvis*, *et cap. fin.* Et hanc diſtinctionem Jo. Andr. ſequitur hic Abbas *num.* 2. Mar. Soc. à *num.* 7. & communiter Doctores.

Nunc QUÆRO, An Prælatus inferior habens juriſdi- 10
ctionem quaſi Epiſcopalem poſſit abſolvere ſubditos ab excommunicatione ob levem Clerici percuſſionem.

Et ſi facultas abſolvendi ab excommunicatione Cano- 11
nis, *Si quis ſuadente*, ubi levis eſt percuſſio, ſolis Epiſcopis competat, non autem inferioribus Prælatis, per hanc Decretalem, quæ dirigitur dumtaxat Epiſcopo, ut patet ibi, *fraternitatis tuæ*, juncto *cap. Quam gravi*, *ſupra de crimin. falſ.* & hic notat Abb. *num.* 1. *in verb. Fraternitatis tuæ*, & Marian. Socin. *num.* 8. Felin. in *cap. Paſtoralis*, *numer.* 10. *verſ. Limita hanc primam fallentiam*, *de offic. Ordinar.* Tolet. *in Summa lib.* 1. *cap.* 32. Hoc tamen 12
non habet locum in Prælatis jura Epiſcopalia habentibus, ut declarat Abbas in *cap. Monachi*, *ſub num.* 3. *verſ. Hoc verum*, *ſupra eodem*, poſt Fder. de Senis *conſ.* 14. Monachus Peruſinus *num.* 4. *verſ. Si tamen dictus Abbas*: quos refert, & ſequitur Franc. in *cap. Religioſo*, *in ultim. notab. verſ. Et ita determinat*, *de ſentent. excommun. lib.* 6. Felin. qui alios plures allegat in dict. *cap. Monachi*, *num.* 4. *verſ. Primò limita*, Tabien. *in Summa*, *ver. Abſolutio*, 2. *num.* 4.

Ratio eſt, quia inferioribus Prælatis habentibus jura 13
Epiſcopalia competunt ea omnia, quæ ad Epiſcopalem juriſdictionem pertinent, licèt non competant ea, quæ Ordinis ſunt Epiſcopalis, gloſſ. in *Clemen.* 1. *in verb. Proprii*, *de reb. Eccleſ. non alienan.* Innocent. relatus à Cardin. in *cap. Ex ore*, *in fin. de privileg.* *& in cap. At ſi Clerici*, §. *De adulteriis*, *num.* 13. *de Iudic.* Feder. de Senis dict. *conſ.* 14. *num.* 4. Abb. in *cap. Sicut unire*, *num.* 3. *verſ. Et circa hoc do regulam*, *de exceſſ. Prælat.* & idem Abb. poſt Jo. Andr. in *cap. Ioannes*, *nu.* 2. *de teſtam.* Gloſſ. *pragm. Sanct. par.* 2. *tit. de concub.* §. *Et nihilominus*, *ver. Superiores*; Abſolutio autem ab excommunicatione cap. *Si quis ſuadente*, non eſt Ordinis Epiſcopalis, ſed juriſdictionis, Card. *conſ.* 42. *Reverende Pater*, *numer.* 3. *in fin.* Ergo hæc facultas 14
competit etiam inferioribus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus: ideòque eos poſſe indiſtinctè abſolvere excommunicatum à Canone, quando Canon non reſervat abſolutionem, ſcripſit Cader. *conſ.* 538. *alias* 6. *de ſent. excomm.*

Neque obſtat, quod Clemens III. in hoc cap. reſcribat Epiſcopo, ibi: *Tuæ fraternitatis in arbitrio duximus committendum*, cùm inferiores ab Epiſcopo Papa non appellat fratres, ſicut Epiſcopos, ſed filios, ut in dict. *cap. Quam grave*, *de crimine falſ.* & quod propterea Silveſt. *in verb. Abſolutio*, *num.* 5. dixerit hanc facultatem non competere Abbati juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habenti, ea ratione, quia non eſt Epiſcopus. Reſpondetur 15
enim etſi Canones loquatur de Epiſcopis, & Diœceſanis: tamen in his, quæ juriſdictionis ſunt, verificari etiam in inferioribus Prælatis juriſdictionem Epiſcopalem habentibus, excluſis Epiſcopis, ut tradit gloſſ. not. in *Clemen.* 1. *in verb. Diœceſanis*, *de foro competent.* quam illic ſequuntur communiter DD. Rota *deciſ.* 297. *in fin. par.* 2. *diverſ.*

Ideòque quamvis Concilii Tridentini decretis dicatur ad Epiſcopum pertinere Sacerdotes approbare ad confeſſiones audiendas, licentias prædicandi concedere, Virginum Deo dicandarum voluntates explorare, pias diſpoſitiones, litteras Apoſtolicas exequi, caſus ſibi reſervare, & alia quamplura id genus: tamen hæc omnia competunt etiam inferioribus Prælatis, de quibus loquimur, ut in caſibus contingentibus ſæpiùs reſolvit S. Congregatio. Quinimò in *cap.* 20. §. *Ad hæc*, *ſeſſ.* 24. decernitur, ut cauſæ matrimoniales, & criminales non inferiorum judicio, ſed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquantur; & ſic Concilium loquitur taxativè: & tamen per ea verba non excluduntur inferiores Prælati proprium territorium, & juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, ut ſimiliter S. Congregatio declaravit.

Et eodem modo inferiores Prælati juriſdictionem ordinariam habentes ex ſententia ipſius Congregationis non excluduntur à cognitione cauſarum contra Clericos concubinarios, quamvis Concilium in *cap.* 14. *ſeſſ.* 25. decernat,

ut

ut illarum cognitio ad Epiſcopos ipſos pertineat; ponderando dictionem, *ipſos*, quæ cùm ſit perſonaliſſima, habet vim taxativæ, Bald. *conſ.* 304. *Nobilis vir*, *num.* 1. *lib.* 5. Quod eam præcipuè habet rationem, quia hujuſmodi Prælati in his, quæ ſunt juriſdictionis, ſimiles ſunt Epiſcopis, Abb. & DD. *in cap. Dilectis*, *de appellat.* & alii ſupra citati *num.* 13. Dictio autem taxativa in diſpoſitione legis non includit cauſas ſimiles, & eamdem rationem habentes, Gloſs. *in l. Ob æs*, *C. de Præd. Minor.* Abb. *conſ.* 63. *Vt veritas*, *col. penult. in fin. verſ. Nec obſtat*, *lib.* 2. Jaſ. *in l.* 1. *verſ. Secundò limita*, *ff. Si qui ius dicenti non obtemper.*

16 Et in hac ipſa materia abſolutionis ob levem percuſſionem videmus abſolvendi facultatem competere etiam Vicario Epiſcopi, ſecundum Cardin. *d. conſ.* 42. *num.* 3. *verſ. Vel eius Vicarii Generalis*. Et tamen idem Vicarius non eſt Epiſcopus, licet utriuſque ſit idem tribunal, & Auditorium, *cap. Non putamus*, *de conſuet. lib.* 6. Geminian. *conſ.* 114. *Si Procurator Epiſcopi*, *num.* 5. *in fin. verſ. Non obſtat ratio*, Abb. *conſ.* 21. *Viſo dubio*, *num.* 2. *lib.* 1.

Similiter videmus eamdem facultatem competere Vicario Capitulari per Gloſſam *in cap. un. in verb. Iuris*, *de maior. & obed. lib.* 6. & tamen nec ipſe eſt Epiſcopus, ſed Epiſcopi ſucceſſor in his, quæ juriſdictionis ſunt, ut per DD. *in dicto cap. unico*.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Clemens III.

CAPUT XXI.

A Nobis fuit ex parte tua quæſitum, utrùm ſi quis ita pronuntiaverit: Quiſquis furtum fecerit, excommunicatus ſit: hæc generalis clauſula ad ipſius excommunicatoris ſubditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non ſunt de juriſdictione illius? Ad quod dicimus, quòd hac ſententia nonniſi ſubditi obligantur: niſi fortè plus contulerit major, & largior auctoritas delegantis.

SUMMARIUM.

1 *EXcommunicatio generalis non ligat niſi ſubditos proferentis.*
2 *Verba generalia ſtatuentis, vel ſententiam proferentis reſtringuntur ad limites poteſtatis ſuæ.*
3 *Diſpoſitio generalis commenſuratur agentis poteſtati.*
4 *Verborum larga prolatio commenſuratur organizantis potentiæ.*
5 *Exercitium non excedit metas habitus, à quo ut à cauſa dependet exercitii vires.*
6 *Statutum laicorum puniens declinantes iuriſdictionem poteſtatis, ad Clericos non extenditur.*
7 *Statutum laicorum prohibens alienationem ſtabilium in non ſubditos, non includit clericos.*
8 *Statutum imponens pœnam excommunicationis an liget ſubditos delinquentes extra territorium ſtatuentis.*
9 *Statutum eſt lex territorii.*
10 *Conſtitutio ſynodalis regni Poloniæ inhabilitans dimiſſos a Societate Ieſu ad Prælaturas, & Canonicatus Cathedralium Eccleſiarum, an obſtet quominus ſic dimiſſus poſſit eſſe Epiſcopus ſuffraganeus, & num. ſeqq. uſque ad num.* 22.
11 *Synodus provincialis non poteſt inhabilitare ſubditos ad Epiſcopatus in partibus infidelium.*
12 *Statutum non porrigit vires extra territorium ſtatuentis.*
13 *Synodi provincialis ſtatuta non obligant extra provinciam.*
14 *Epiſcopatus clero, & populo carentes ſunt ad liberam proviſionem Papæ.*
15 *Eiecti extra Religionem degentes ſunt perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum.*
16 *Societatis Ieſu Religioſi, qui vota ſubſtantialia ſimplicia emiſerunt, non comprehenduntur in decretis de apoſtatis, & eiectis.*
17 *Poſſunt à Societate dimitti à Præpoſito Generali, & ſic dimiſſi non ſunt apoſtatæ, & ſunt liberi ab omni obligatione dictorum votorum.*
18 *Statuta laicorum quantumvis generalia non extenduntur ad Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas.*
19 *Statutum excludens a minoribus dignitatibus, multò magis cenſetur excludere à maioribus.*
20 *Niſi quoad maiores ſit defectus in poteſtate.*
21 *Suffraganeatus non eſt Prælatura, ſed officium.*
22 *Statutum imponens certam pœnam, puta excommunicationis an liget forenſem delinquentem in territorio ſtatuentis, diſtinguitur ut num. ſeqq. uſque ad n.* 45.
23 *Statutum generaliter loquens, data illius ſcientia, ligat etiam forenſem in loco ſtatuti delinquentem, & num. ſeq.*
24 *Forum quis ſortitur ratione delicti.*
Et pluribus aliis modis, & num. 26.
25 *Indulgentia conceſſa ab Epiſcopo non prodeſt non ſubditis, & num. ſeq.*
27 *Archiepiſcopus non poteſt deputare officiales in diœceſibus ſuorum ſuffraganeorum pro appellationibus ad eum interponendis.*
28 *Statutum, & ſententia in quo differant, & num.* 51. *& ſeqq. uſque in fin.*
29 *Statutum eſt quædam lex, quæ ſemper loquitur, & niſi expreſſe revocetur, ſemper durat, & num.* 44. *&* 51.
30 *Habet tractum ſucceſſivum, & incipit ligare tempore patrati delicti, & num.* 51. *& num. ſeqq.*
31 *Statutum Epiſcopi excommunicans ludentes ad Azardum in ſua diœceſi an liget Metropolitanum ibi ludentem.*
32 *Statutum puniens factum à iure damnatum ligat forenſes etiam data ignorantia.*
Contrarium, num. 36.
Sed primum verius, num. 37.
Niſi quoad pœnam excommunicationis, num. 38.
33 *Statutum puniens factum non damnatum à iure non ligat ignorantes, & num.* 35.
Niſi ignorantia ſit craſſa, vel ſupina.
39 *Excommunicatio regulariter non ligat niſi ex contemptu.*
40 *Ignorans non dicitur contemnere.*
41 *Forenſis an in dubio præſumatur ignorare pœnam ſtatuti.*
42 *Statutum Patriarchæ excommunicans Archiepiſcopos ſuffraganeos in ſua provincia delinquentes valet.*
43 *Statutum Archiepiſcopi imponens pœnam excommunicationis Archiepiſcopis, qui in provincia ſua fecerint ante ſe Crucem ferri, an valeat.*
44 *Statutum durat etiam poſt mortem, vel receſſum ſtatuentis, & num.* 51. *& ſeq. uſque ad num.* 57.
45 *Capitulum ſede vacante an poſſit præcipere Sacriſtæ ſub pœna ſuſpenſionis, ne aſportet ſacram ſupellectilem extra Eccleſiam abſque Capituli licentia, & n. ſeq.*
46 *An hoc præceptum expiret per ingreſſum Epiſcopi, & num.* 50. *& ſeq. uſque in finem.*
47 *In Capitulum ſede vacante tranſit omnis iuriſdictio, & ſic etiam poteſtas ſuſpendendi.*
48 *Vicario ſede vacante per Capitulum conſtituto non abdicatur iuriſdictio ab ipſo Capitulo.*

49 *Nec*

49 *Nec in eum tranſeunt quæ requirunt ſpeciale mandatum.*
50 *Licentia, vel præceptum an expiret morte concedentis, vel præcipientis.*
51 *Statutum Capituli ſede vacante etiamſi imponat pœnam pro futuro delicto, non expirat ſede plena.*
52 *Præceptum per modum ſententiæ, vel interdicti expirat per mortem præcipientis.*
53 *Sententia ſimpliciter lata non durat poſt obitum, vel remotionem proferentis, niſi ſucceſſor eam confirmet, & ratam habeat, & num. ſeqq. uſque in finem.*
54 *Sed ſi lata ſit ſub conditione, expirat per mortem proferentis ante conditionis implementum, & num. 59. & 61.*
55 *Sententia excommunicationis à Delegato prolata in contradictores expirat mortuo, vel revocato Delegato.*
56 *Sententia, quæ tempore proferentis iniecit vinculum, durat ultra tempus proferentis.*
57 *Excommunicatus per Epiſcopum, remanet excommunicatus etiam poſt mortem Epiſcopi.*
58 *Sententia reſpectu proceſſus, vel effectus producendi in futurum, tollitur per remotionem proferentis.*
60 *Interdictum magiſtratus ne quis exerceat certam artem, expirat ipſo facto finito magiſtratu.*

1 A *Nobis, il primo.* Generalis excommunicatio non
ligat niſi ſubditos proferentis. Hoc dicit ſecundum
Jo. Andr. & omnes: & ſunt duæ partes. In prima ponitur
quæſtio. In ſecunda ſolutio, ibi, *ad quod.*
2 Nota ex textu ibi, *nonniſi ſubditi obligantur:* juncto
themate quæſtionis: verba generalia ſtatuentis, vel ſen-
tentiam proferentis reſtringi ad limites poteſtatis ſuæ, ita
ut quamvis ex propria ſignificatione ſint apta comprehen-
dere etiam non ſubditos, tamen ob defectum poteſtatis re-
ſtringuntur, ut non comprehendant niſi ſubjectos, ut hic
eſt caſus apertus: Nam quæſtio proponitur, de ſententia
excommunicationis prolata per hæc verba generalia:
Quisquis furtum ſecerint excommunicatus ſit, & Papa
determinat hac ſententia non niſi ſubditos obligari: & ita
hic notat Cardin. *num. 1. verſ. Ex quo nota,* Ancharan. *in
5. notab.* Abb. *num. 4.* & Marian. Socin. *in 3. notab.* & con-
cordat Butr. *num. 2. & 3.* qui ex textu colligit tria pulchra
3 notabilia idem importantia. Primum ſcilicet, generalis
4 diſpoſitio commenſuratur agentis poteſtati. Secundum,
verborum larga prolatio commenſuratur organizantis po-
5 tentiæ. Tertium, exercitium non excedit metas habitus,
6 à quo, ut à cauſa, dependent exercitii vires. Quod ſecun-
dum Abb. & Marian. Socin. multum confert ad intelle-
ctum ſtatutorum generaliter loquentium, ut non exten-
7 dantur ad non ſubditos; unde ſtatutum laicorum puniens
declinantes juriſdictionem poteſtatis non extenditur ad
Clericos: de quo vide plenius per eumdem Marian. Socin.
in cap. Si Clericus laicum num. 10. de foro competen. & idem
dicendum ſecundum Abb. *hic num. 5.* & Marian. Socin. *n. 7.*
in ſtatuto laicorum prohibente alienationem bonorum ſta-
bilium in non ſubditos, quia ad Clericos non extenditur
ob generale privilegium, quod habent in acquirendo, de
quo in *cap. fin. de immunit. Eccleſiaſt. lib. 6.* & ita in hac
ſpecie ibi determinat Joan. Andr. *num. 4. verſ. Cum tamen
de Eccleſia,* cum quo concordant *ibi* Ancharan. *num. 1. q. 1.
verſ. Quæro,* poſt Joan. Andr. Geminian. *num. 3. verſ. Sed
pono,* & Franc. *num. 2. verſ. Et ultra etiam,* & alii plurimi,
quos cumulavi *in cap. Eccleſia Sancta Maria, num. 2. ſupra
de Conſtitut.* ubi plenè videas.
8 In gloſſa ſecunda pro declaratione materiæ QUÆRO,
An ſubditus delinquens extra territorium ſtatuentis inci-
dat in pœnam excommunicationis à ſtatuto impoſitam.
Innocentius *hic in princ.* diſtinguit an ſententia excom-
municationis proferatur per hæc verba: *quiſquis in diœceſi
mea furtum fecerit, excommunicatus ſit.* An verò indeter-
minatè juxta verba Decretalis, videlicet, *Quiſquis furtum
fecerit ſit excommunicatus.* In primo caſu delinquens extra
diœceſim non ligatur ex defectu voluntatis ſtatuentis, quia
verba ſententiæ ſunt reſtricta ad delinquentes in diœceſi,
& hoc planum. In ſecundo autem caſu putat Innocentius
ſubditum ſtatuentis ligari, etiam ſi delinquat in alia diœ-
ceſi, vel territorio. Sed hoc ſecundum membrum eſt
extra textum *in cap. Ut animarum, de Conſtitution. lib. 6.*
Bartol. verò aliter diſtinguit *in l. Cunctos populos, in 8. quæſt.
num. 45. verſ. Aliquando civis delinquit, & num. 47. C. de
Summ. Trinit. & fid. Cathol.* videlicet quod aut ſtatuens
expreſſit ſe velle ligare etiam delinquentes extra territo-
rium, veluti ſi dicat: quicumque commiſerit furtum ubi-
vis locorum, ſit excommunicatus, & hoc caſu ligantur
ſubditi etiamſi extra territorium delinquant. Aut verba
ſtatuti ſunt generalia, & tunc reſtringuntur ad territorium
ſtatuentis; & Bartoli diſtinctionem ſequitur Marian. So-
cin. *in conſ. 302. Videbatur, num. 1. lib. 1.* ſed Bartoli diſtin-
ctionem reprobat Angel. *in l. fin. num. 8. verſ. Sed valde
miror de dicta diſtinctione, ff. de iuriſd. omn. iudic.* & in ſua
diſputatione incip. *Bononienſis à ſua civitate bannitus, in 1.
dubio,* ſimiliter Abbas *hic. num. 11.* his diſtinctionibus re-
jectis dicit verius eſſe, ut nullo caſu delinquentes extra
territorium afficiantur pœna ſtatuti per rationem *l. finalis
ff. de iuriſd. omn. iudic. & d. cap. Ut animarum:* quia extra
territorium jus dicenti impunè non paretur, & quia ſta- 9
tutum propriè eſt lex territorii, *l. Omnes populi, ff. de iuſtit.
& iur.* unde non poteſt extra limites territorii vires ſuas ex-
tendere, aliàs ibi legem dicere videretur, de quo plenius
idem Abb. diſſerit *in cap. 2. de foro competenti,* eandem
opinionem pluribus tuetur Federic. de Senis *in conſ. 16. Ca-
pitulum Eccleſiæ, num. 10. verſ. Quidam vero ſcriptor,* ubi
latè firmat ſtatutum Epiſcopi excommunicans malefacto-
rem non porrigere vires contra ſubditum delinquentem
extra diœceſim ſtatuentis, Fulgoſ. *conſ. 156. Viſis themate,
in princip.* & hanc latè tuetur Alexand. *conſ. 11. Ponderatis
verbis, in princip. & per tot.* ubi *col. 3. in fin.* dicit commu-
nem *lib. 1.*
Et ex hoc etiam textu cùm in Sac. Congregatione rerum 10
conſiſtorialium propoſitum fuerit dubium an conſtitutio
ſynodalis in Regno Poloniæ edita, qua cautum eſt ne eje-
ctis, vel dimiſſis è Societate Jeſu ad Cathedralium Eccle-
ſiarum Prælaturas, & Canonicatus ſine ſpeciali Sedis Apo-
ſtolicæ gratia aditus pateat: obſtet quominus Joannes Ra-
koviski è dicta Societate jam pridem dimiſſus, nunc ad
ſuffraganeatum Culmen. cujus præconium in ipſius perſo-
na jam fuit factum, promoveri poſſit: Die prima Aprilis 11
1652. reſolutum fuit non obſtare, quia aut conſideramus
titulum Epiſcopatus in partibus infidelium, ad quem ſic
dimiſſus debet aſſumi pro exercitio Pontificalium, aut con-
ſideramus ipſum ſuffraganeatum Eccleſiæ Culmen. Si pri- 12
mum, Conſtitutio non obſtat, quia non porrigit vires
ſuas extra territorium ſtatuentium, ut *hic, & in cap. Ani-
marum, de Conſtitutionib. lib. 6. & in l. fin. ff. de iuriſdiction.
omn. iud.* & dictum eſt ſupra *num. 8.* Sed Epiſcopatus Titu-
lares ſunt in partibus infidelium, & ſic extra provinciam,
& territorium ſtatuentium: ergo Conſtitutio ad hujuſmo-
di Epiſcopatus non porrigitur, cum præſertim illius ver-
ba ſint generalia, nec ſpecificè loquantur de Prælaturis ex-
tra provinciam; unde etiam ex veriſimili mente ſtatuen-
tium reſtringi debent ad Prælaturas provinciæ, juxta ſe-
cundum membrum diſtinctionis, Bartol. *in l. Cunctos popu-
los in 8. quæſt. nu. 47. C. de Summa Trinitat.* quem ſequun-
tur ibi Bald. & Salic. Joan. de Lignan. & Abb. *in cap. 1. ſu-
pra de raptor.* & alii apud Marian. Socin. *d. conſ. 302. nu. 1.
lib. 1.* & quemadmodum ſi ſubditus ſtatuentis delinquat ex-
tra territorium, non ligatur pœna ſtatuti, ut ex commu-
ni oſtenſum eſt ſupra *num. 8. & 9.* Simili modo ſubditus
non ligatur ſtatuto, ſi contra illius prohibitionem extra ter-
ritorium Prælaturam accipiat, idque tum ex defectu in-
tentionis, quia, ut prædixi, verba ſunt generalia, tum ex
defectu poteſtatis, ad cujus limites verba ſtatutorum ſem-
per reſtringuntur, ut eſt caſus expreſſus in hac Decretali
ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra in *ultim. notab.* Et in 13
ſpecie ſtatuta Synodi provincialis non habere vim obligan-
di extra provinciam, probant jura in *cap. 1. 5. quæſt. 2. in
cap. Decernimus 3. quæſt. 9.* & ſcripſi in *cap. Canonum ſtatu-
ta, num. 14. ſupra de Conſtit.*
Rurſus proviſiones Epiſcopatuum titularium clero, & 14
populo carentium ſunt ad liberam proviſionem Romani
Pontificis, ut eſt text. in Clemen. *In pleriſque, de electiun.*
& conſequenter non eſt in poteſtate Synodi provincialis
quemquam excludere ab hujuſmodi Epiſcopatibus novam
inhabilitatem inducendo, quia ſic per indirectum re-
ſtringeret poteſtatem Papæ contra textum in *cap. In-
ferior, 21. diſtinct.* & Clemen. *Ne Romani, in prin-
cip. de election. cum concordantibus,* ut pulchrè per Joan.
Andr.

Andr. *in cap. Cui licet*, *num.* 3. *de reg. iur. lib.* 6. *in Mer-*
curial.
15 Quamquam enim ex decretis de apoſtatis, & ejectis,
§. *Item ut eiecti*, ſtatutum ſit, ut ejecti extra religionem
degentes ſint perpetuo ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſub-
lata Ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem re-
16 laxandi, aut moderandi: tamen hæc decreta non afficiunt
Religioſos, qui vota ſubſtantialia ſimplicia in Societate
Jeſu emiſerunt, ut alias cenſuit S. Congregatio Concilii:
17 tales enim poſſunt à Præpoſito generali rejici, ſeu dimitti
è Societate, & à votis liberari ex rationabili cauſa, ut in
Conſtitutione Gregorii XIII. *Quante fructuoſius*, & ſic
dimiſſi non ſunt apoſtatæ, & remanent liberi ab omni obli-
gatione prædictorum votorum, ut in Conſtitutione to.
Gregorii XIV. *Eccleſia Catholica:* quamobrem Conſtitu-
tio ſynodalis injicit ſic dimiſſis novam inhabilitatem:
ideòque verba ipſius Conſtitutionis utcumque generalia
ad Epiſcopatus titulares non extenduntur ex utroque defe-
18 ctu poteſtatis, & voluntatis, juxta text. hic. Et quem-
admodum ſtatuta laicorum quantumvis generalia non ex-
tenduntur ad Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, quæ
ſunt omninò extra poteſtatem ſtatuentium, ut declarat
Antonius de Butr. *in cap. Eccleſia Sancta Maria*, *prope fin.*
verſ. Vnum tamen adverte, & ibi dixi *num.* 2. *ſupra de Con-*
ſtitution. & patet ex dictis ſupra *n.* 6. & 7. Ita nec Conſti-
tutio hæc ſynodalis extenditur ad Prælaturas, ſeu dignitates
Epiſcopales, quæ ſunt extra omnem poteſtatem ipſorum
ſtatuentium, cùm utroque caſu ſit defectus in juriſdictio-
ne, à qua poteſtas ſtatuendi dependet, ut notat Bartol. in
l. Omnes populi in 1. *quæſt. in princip. ff. de iuſt. & iur.* Abb.
in cap. Eccleſia Sancta Maria num. 10. & ibi etiam Decius
num. 8. *de Conſtitut.* Præterea dum conſtitutio ſynodalis ex-
cludit dimiſſos è Societate Jeſu à Prælaturis Cathedralium
Eccleſiarum, non debet intelligi de ipſis Cathedralibus,
argum. *cap. fin. ſupra de praben.* ſed debet intelligi de digni-
tatibus in Cathedralibus, putà Præpoſituris, & Archi-
diaconatibus, quæ appellantur Prælaturæ tam ex conſue-
tudine Regni Poloniæ, quam de jure communi, ut eſt text.
in cap. 1. *de ætat. & qualit.* & ibi dixi *in* 4. *notab.* poſt Hoſtien.
& Joan. Andr. *num.* 3. *in verb. Prælationes*, & Butr. *in ul-*
19 *tim. notab.* Non obſtat, quod dum Conſtitutio inhabilitat
ad Prælaturas inferiores, multò fortiùs videatur inhabili-
tare ad Prælaturas, & dignitates ſuperiores, quales ſunt
Epiſcopatus, per text. *in l. Relegatorum*, §. *Solet*, *ff. de in-*
terdictis, *& relegatis*, ibi: *Si tamen ut ſi cui honore uno in-*
terdictum ſit, *non tantum eum honorem petere non poſſit*, *ve-*
rum nec eos quoque, *qui eo honore maiores ſunt:* eſt enim per
quam rediculum eum, qui minoribus pœnæ cauſa prohi-
20 bitus, ad majores aſpirare: quoniam reſpondetur non
eſſe licitum arguere à minori ad majus ubi eſt defectus in
poteſtate, & in radice juriſdictionis, quia majoritas ratio-
nis, & cauſa graviſſima defectum poteſtatis non ſupplet,
ut notat Bald. *in l. Cunctos populos*, *num.* 55. *verſ. Iſta ratio*
non valet, *C. de Summa Trinit. & fide Cathol.* Butr. *in cap.*
Eccleſia Sancta Mariæ, *num.* 20. & ibi etiam Felin. *nu.* 39.
verſ. Dicuntur iuſta, *de conſtitutionib.* & fuſiùs dixi *in cap.*
Quæ in Eccleſiarum, *num.* 44. *eod. tit.* Neque obſtat, quod
d. Conſtitutio Synodalis fuerit confirmata à Sede Apoſto-
lica, quia confirmatio dat robur actui confirmato, ſed il-
lum non extendit, *l. Aurelius*, §. *Teſtamentum*, *ff. de li-*
berat. legat. Bald. *in l.* 1. *in fin. C. Si adverſ. rem indicat.*
Paul. de Caſtro *in conſ.* 187. *Notandum in princ. lib.* 2. Rota
deciſ. 301. *num.* 1. *part.* 1. *recent.* & aliàs paſsim.
21 Si verò conſideramus Suffraganeatum, ſimiliter dicta
Conſtitutio non obſtat, quia Suffraganeatus non eſt Præ-
latura, nec titulus, ſed officium, ut ex ſententia Sacræ
Congregationis Concilii dixi in *cap. Epiſcopalem*, *num.* 55.
de privileg. & *in cap. Ad hæc*, *num.* 34. *de praben.* nec ſuffra-
ganeus intrat Capitulum, ſed tantùm exercet ea quæ ſunt
ordinis Epiſcopalis; unde cùm Suffraganeatui non ada-
ptentur verba Conſtitutionis, quæ de Prælaturis, & Ca-
nonicatibus loquitur, conſequenter nec illius diſpoſitio
adaptari debet, *l.* 4. §. *Tertius*, *ff. de damno infecto*, *cum*
ſimilib.
22 Secundò QUÆRO, An ſtatutum imponens certam
pœnam, puta excommunicationis, liget forenſem delin-
quentem in territorio ſtatuentis.
23 Hæc quæſtio eſt ſatis involuta, ſed pro faciliori ſolutio-
ne conſtituenda ſunt duo membra principalia.

Primum eſt quando ſtatutum generaliter loquitur, ita
ut ſit aptum comprehendere non ſolum ſubditos, ſed
etiam non ſubditos, ut ſi dicat: quiſquis furtum fecerit in
territorio meo ſit excommunicatus. Et in hoc primo mem-
bro duo caſus ſunt diſtinguendi: nam aut forenſis delin-
quens in territorio ſtatuentis habet ſcientiam ſtatuti, aut
illud ignorat. In primo caſu, ideſt data ſcientia ſtatuti, 24
extra dubium eſt forenſem ligari, quia forum ſortitur ra-
tione delicti, *cap. ultim. de foro competen. cap. Tuarum*, *de*
privileg. Authen. *Qua in provincia*, *C. Vbi de crim. agi opor.*
cum concord. de quibus hic in gloſ. 2. *in princip.* & forum
ſortiri, & ſtatutis ligari à pari procedunt, *cap. Vt anima-*
rum, *de Conſtitut. lib.* 6. Archid. *in cap. Quo iure*, *num.* 16.
8. *diſtinct.* Butr. poſt Innocen. *in rubr. de Conſuetudin. n.* 7.
verſ. Nam regulam habetis, Seraphin. *deciſ.* 1018. *num.* 6.
& ita in hoc primo membro determinat gloſs. 2. *hic* Hoſt.
ante num. primum, *verſ. Si vero non ſubditus*, Henr. Boich.
num. 15. *verſ. Aut ſcientes*, Butr. *num.* 19. Cardin. *num.* 2.
poſt med. verſ. Dic ergo, Anchar. *num.* 7. *verſ. Quandoque*
non ſubditus, Abb. *num.* 7. *verſ. Concludo*, Felin. *num.* 4.
verſ. Circa primam quæſtionem, ubi alios refert, & Marian.
Socin. *num.* 13. dicens poſt Abb. *num.* 6. hanc eſſe commu-
nem opinionem Legiſtarum *in l.* 1. *C. de Summa Trinit. &*
fid. Cathol. Calder. *in cap.* 1. *in* 9. *col. verſ. Quinto quæro*,
ſupra de raptor. & nullus diſcrepat.
Sed objicies: Indulgentia conceſſa ab Epiſcopo non 25
prodeſt in non ſubditis, ut eſt caſus in *cap. Quod autem*,
ſupra de pœnit. & remiſs. & tamen eſt favorabilis: ergo &
longè minus debet eis obeſſe pœna ſtatuto Epiſcopi impo-
ſita, quæ odioſa eſt, *argum. l. Cum quidam*, *ff. de liber. &*
poſth. & *cap. Odia*, *de reg. iur. lib.* 6. At reſpondetur cum Ho-
ſtien. *hic num.* 3. & Henric. Boich. *num.* 15. *verſ. Nec obſtat*,
hæc fieri propter ſalutem animarum: idcircò enim indul-
gentia non prodeſt non ſubditis, ne pœnitentiæ ener-
ventur, quod expedit animabus, *cap. Cum ex eo*, §. *Ad*
hæc, *ſupra de pœnit. & remiſſ.* Sed pœna ſtatuti afficit non
ſubditos, ut medicina percepta de delicto, quod commi-
ſerunt, citiùs pœnitentiam agant, quod ſimiliter expedit
animabus, ut legitur, & notatur *in cap. Cum medicinalis*,
infra eod. lib. 6. Quare, ut inquit Hoſtien. *d. num.* 30. Hanc
pœnam dilatamus, quia ipſam non odioſam, ſed favora-
bilem judicamus, ut patet in eo, quod leg. & notat. *in*
cap. Si quem, *infra eodem*, vel dic forenſem ligari pœna
ſtatuti, quia ratione delicti ſortitur forum in territorio ſta-
tuentis; & ſic de non ſubdito efficitur ſubditus, ut in ju-
ribus ſupracitatis *num.* 24. Sed ratione indulgentiæ non ef- 26
ficitur ſubditus, cùm hoc non reperiatur jure cautum:
nam ſubditus quis dicitur tantummodo, vel ratione domi-
cilii, vel ratione originis, vel ratione delicti, vel contra-
ctus, aut rei ſitæ, ut *in cap. Volentes*, *de privileg. lib.* 6. &
in cap. Nullus, *de tempor. ordin. eodem lib.* & *hic* notat Hen-
rich. Boich. *num.* 15. *verſ. Aut quæris*, & quia à non ſuo
judice nullus ligari poteſt, vel abſolvi; meritò non ſubdi-
tis indulgentiæ non ſuffragantur, ut dicitur in prædicta
Decretali, *Quod autem*.
Sed urgebis: tempore, quo fit ſtatutum, ſtatuens non 27
habet juriſdictionem in actu in non ſubditos; unde cùm
ſtatutum aſſumat vires tempore promulgationis, non eſt
potens ad comprehendendum non ſubditos, cùm ante-
quam veniat caſus juriſdictionem tribuens, ideſt patratum
delictum in loco ſtatuti nequeat ſtatuens ſuam juriſdictio-
nem actualiter exercere, argum. *cap.* 1. *de offic. Ordinar.*
lib. 6. ubi deciditur Archiepiſcopum non poſſe deputare
officiales in diœceſibus ſuorum Suffraganeorum pro appel-
lationibus ad eum interponendis, quia ex quo appellatio-
nes non ſunt interpoſitæ, juriſdictionem actu exercere
non debet. Verùm reſpondetur objectum non obtinere in 28
ſtatuto, ſed in ſententia, quæ regulariter jus præſens re-
ſpicit, & ſuper certis præteritis, vel præſentibus benè ri-
matis eſt tantum ferenda, non autem ſuper futuris, ut
§. *Curare*, *Inſtitut. de action.* & *cap. Iudicantem*, 30. *qu.* 5.
At ſecus eſt in ſtatuto, quia fertur ſuper futuris, & ſic in- 29
certis, ut *cap. Cognoſcentes*, & *cap. fin. ſupra de Conſtitut.*
cùm enim ſtatutum ſit quædam lex, quæ ſemper loquitur,
l. Arianus, *C. de heret. & Manich.* niſi expreſsè revocetur,
ſemper durat, *cap. fin. ſupra de offic. Delegat.* & ſic cùm ha- 30
beat tractum ſucceſſivum injicit vinculum tempore deli-
cti. Et hanc rationem differentiæ inter ſententiam, &
ſtatutum aſſignat Joan. Andr. & Cardin. *in cap. Sacro*
§. *Ca-*

§. *Caveant*, *ſuper verb. Profuturis*, *infra eodem*, Guil. de
Monte Laudun. & Gemin. *in cap. 1. ſuper verb. A ſenten-
tiis*, *de privileg. lib.6.* quos hic refert, & ſequitur Hen-
rich. Boich. *num.5.* ubi etiam *num. 6. & 7.* ponit alias octo
differencias inter ſtatutum, & ſententiam quoad pœnam
excommunicationis, quas non refero, quia ad rem præ-
ſentem non faciunt. Item propoſitam rationem diverſi-
tatis reddit etiam Marian. Socin. *hic num.29.* & plerique
alii, & eodem modo reſponderi poteſt ad *l. Obſervandum*,
ff. de offic. Proconſul. ubi Procooſul non poteſt cauſam de-
legare, antequam ingrediatur provinciam, quia adhuc
non habet juriſdictionem in actu, licèt habeat in habitu,
& ad *l. Vſus fructus*, *ff. de ſtipulat. ſervor.*

31 Ampliant nonnulli concluſionem ſuperiùs firmatam, ut
locum habeat etiamſi forenſis delinquens in territorio ſta-
tuentis ſit ei ſuperior, quia nihilominus data ſcientia li-
gatur pœna ſtatuti generaliter loquentis, quod ſenſit In-
nocen. *hic poſt med.* ibi, *quia non eſt generalis*, *à contrario
ſenſu:* necnon ibi, *licèt Archiepiſcopi alias legem in ſubdi-
tos factam ſervare teneantur.* Unde ſi ſtatuto Epiſcopi ca-
veatur: quiſquis in diœceſi mea luſerit ad Azardum ſit
excommunicatus, ſi Metropolitanus ludat in diœceſi Epi-
ſcopi data ſcientia ligatur pœna ſtatuti, ut tenuerunt Hu-
go, & Barthol. Brixien. relati à Joan. Audr. *in reg. Cui licet*,
num.9. de regul. iur. lib.6. Archid. *in cap. Vt animarum*, *n. 2.
verſ. Ego credo*, *de conſtit. eod. lib.* Et hanc partem ſequu-
tus fuit Paulus de Biaſuciis diſputando in civitate Senenſi,
ut refert Marian. Socin. *hic num.15.*

Sed contrariam opinionem probarunt Laurentius, Joan-
nes, & Bernardus Bovincialis relati à Joan. Andr. *in d. reg.
Cui licet num.8.* Hoſtien. *in Summa huius tituli*, §. *Quis va-
leat excommunicari*, *verſ. Quid ergo*, ubi air: certò certius
teneas, quod ſicut ſententia, vel canon proferentem non
ligat, ita nec proferentis Superiorem, Joan. Calder. *in
cap. 1. ſupra de raptor.* Gaſpar. de Calder. *in repetit. cap. No-
ſtro*, *de pœnit. & remiſſ.* Petr. de Anchar. *in cap. 1. in 12.
quæſt. principali de conſtitution.* Demum pro hac opinione
poſt prolixam diſputationem concludit Joan. Andr. *in dict.
regula Cui licet à num.2.* Et idem tenet ſuccinctè *in cap. Cum
inferior*, *num.2. de maior. & obedient.*

In hoc opinionum conflictu Henrich. Boich. *in eod. cap.
Cum inferior num. 9.* credit ſecundam opinionem eſſe ve-
riorem in foro judiciali, ſed in foro pœnitentiali primam
eſſe tenendam, quia tutior, & ſecurior pro anima, argum.
cap. Iuvenes, *de ſponſalib. cum concordantib.* per eum alle-
gatis. Similiter Marian. Socin. *hic num. 17.* dicit in foro
judiciali communiorem, & veriorem eſſe ſecundam opi-
nionem, ſed in foro animæ ſibi magis placere primam per
rationem Henrich. Boich. Hoc tamen eſt optimum conſi-
lium, ſed non præceptum, quia ubi in aliquo articulo
utrinque ſunt opiniones, etiam in foro pœnitentiali lici-
tum eſt ſequi opinionem veriorem, ſeu probabiliorem, li-
cèt contraria ſit tutior, *cap. Placet*, *in fine*, *de converſ.
coniugat. & can. Nicæna*, *31. diſtinct.* & fuſiùs probavi *in
cap. Ne innitaris*, *num. 169. & ſeqq. & num. 236. de Con-
ſtitution.*

32 In ſecundo caſu, ideſt data ignorantia ſtatuti, ſubdi-
ſtingue: nam aut ſtatutum punit factum à jure communi
damnatum, puta homicidium, furtum, ſacrilegium, &
hujuſmodi: & tunc forenſis utcumque ignorans ligatur
pœna ſtatuti, quia in facto generaliter damnato non po-
33 teſt allegari juſta ignorantia. Aut punit factum alias non
damnatum à jure, puta ſal vendere, extra civitatem vel
provinciam frumentum aſportare, vel mercimonia de-
ferre non ſolutis vectigalibus: & hoc caſu forenſis contra-
veniens pœna ſtatuti non ligatur. Ita notabiliter diſtinguit
gloſſ.2. *hic*, cum quo concordat Butr. *n.7. verſ. Ideo ego pon-
dero*, Aochar. Bart. & alii quos citat, & ſequitur Marian.
34 Socin. *num. 36.* Quod tamen procedit ſi ignorantia ſit pro-
babilis, ſecus verò ſi ſit craſſa, vel ſupina, ut notat. gloſſ.
in cap. 2. in ver. Supina, *de conſtitut. lib. 6.* Veluti ſi foren-
ſis in loco ſtatuti traxerit tantam moram, ut veriſimiliter
debeat eſſe informatus de illius pœna, vel ſi in partibus
circumſtantibus id communiter ſtatutum reperiatur, juxta
notata per Bart. *in l. Cunctos populos*, *C. de ſumm. Trinit.
& fide Cathol.* & per Joan. Andr. *in d. cap.2.* quos refert, &
ſequitur Butr. *hic num.9.*

35 Tu verò adverte, quia quoad ſecundam partem hujus
diſtinctionis, ſcilicet ignorantes non ligari pœna ſtatuti
punientis factum à jure alias non damnatum, conveniunt
unanimiter omnes, prout hanc eſſe communem opinio-
nem omnium Doctorum atteſtatur Marian. Socin. *hic
num.49.* Sed quoad primam partem ſcilicet, quando ſtatu- 36
tum punit factum aliàs damnatum, Joan. Andr. *hic n. 5.
verſ. Imo dic*, *& in cap.2. in gloſ. Ordinaria*, *in verb. Igno-
rantes*, *de Conſtitut. lib.6.* contra gloſſ. noſtram tenet igno-
rantes non ligari, quia licèt ſciant factum damnatum à ju-
re, tamen ignorant novam pœnam à ſtatuto impoſitam.
In hac varietate Butr. *hic num.9. verſ. Si vero ignorat*, putat 37
primam opinionem gloſſæ eſſe veram, & Abb. *num. 9.
verſ. Et hæc opinio videtur*, affirmat eam eſſe veriorem de
rigore juris: opinionem verò Joan. Andr. eſſe æquiorem,
& ſic reſidet Marian. Socin. luculenter diſputat hunc ar-
ticulum in utramque partem *à num.26. uſque ad num.47. &
num.36.* concludit ſibi placere primam opinionem gloſſæ,
licèt fateatur eſſe ſatis dubiam: & præcipuè movetur quia
cùm delinquens non ignoraverit factum à jure damnatum,
videtur conſenſiſſe in omni genere pœnæ, argumen. *l. 1.
§. Beſtias*, *ff. de poſtul. & l. fin. ff. de crim. expil. hæred. cum
ſimilib.* ut per eum.

Opinioni gloſſæ ego etiam adhæreo, tum per ratione
Marian. Socin. quæ multum ſtringunt, tum quia eam ſe-
quuntur ferè omnes Doctores: & multos refert idem Ma-
rian. Socin. *ad num.36.* Sed eam limito in pœna excommu- 38
nicationis, prout limitat Anton. de Butr. *hic num. 9. verſ.
Sed quidquid ſit*, ubi ait ſe credere opinionem gloſſæ eſſe
veram in aliis pęnis præterquam excommunicationis, &
paulò infra rationem reddit, quia ſententia excommuni- 39
cationis regulariter non ligat niſi ex contemptu, ut *cap. Sa-
cro*, *infra eod. cum ſimilib.* Sed ille, qui ignorat, non dici- 40
tur contemnere, ut inquit gloſſ. *notab. in l. Si ignorans*, *in
verb. Contemnit*, *ff. Locati:* ergo nec ligari poteſt cùm in
ignorantem non ſit dare contemptum: quod non contin-
git in aliis pęnis: & hoc idem probat text. noſter non vio-
lando litteram, ſecundum eum.

In dubio autem an delinquens præſumatur habere ſcien- 41
tiam, vel ignorantiam ſtatuti, bonus judex arbitrabitur ex
conjecturis, puta ex mora, quam ibi traxit, modica, vel
magna, ut tetigi ſupra *num. 34.* & in dubio ſtandum eſſet
illius juramento, *cap. Si vero il ſecondo*, *ſupra eod.* ſecun-
dum Hoſtien. *hic num. 1. verſ. Tu autem dicas*, Henrich.
Boich. *num.15. verſ. Vtrum quis præſumatur*, Cardin. *n. 2.
prope fin. verſ. Dic ergo arbitrandum*, Abb. *num.10.* & Ma-
rian. Socin. *num.49. & 50.* ubi plenius declarat quando de-
linquens præſumatur ſcire, vel ignorare pęnam Statuti.

Secundum membrum principale eſt, quando Statutum 42
eſt particulare, & comprehendens certas perſonas dumta-
xat; & tunc refert: nam aut ſtatutum loquitur de non
ſubditis, qui ſunt inferiores ipſi ſtatuenti, puta ſi Patriar-
cha habens Archiepiſcopos ſuffraganeos ſic ſtatuat: Qui-
cumque Archiepiſcoporum fecerit ante ſe Crucem ferri in
provincia mea, ſit excommunicatus: & tunc Innocen.
hic poſt med. verſ. Si autem Patriarcha, tenet ſtatutum va-
lere, quia in ſubditos, & Archiepiſcopos ligari: & eum
ſequitur Hoſtien. *num. 3.* argum. *cap. Quæ contra mores*, *8.
diſtinct.* & Anchar. *num.7. verſ. Tertia eſt opinio;* Aut ſta- 43
tutum loquitur de non ſubditis, qui ſunt pares ipſi ſtatuen-
ti, ut ſi Archiepiſcopus ſtatuat: Quicumque Archiepiſco-
porum fecerit ante ſe Crucem ferri in provincia mea, ſit
excommunicatus: & tunc ſunt opiniones Innocentius *hic
circa med. verſ. Vnde ſi aliquis*, tenet ſtatutum non valere,
quia non eſt generale, & quia non comprehendit ſubdi-
tos, cùm nullus Archiepiſcopus habeat ſubditos Archie-
piſcopos, contra quos non licet facere legem. Sed Hoſtien.
hic num.3. verſ. Quod autem Archiepiſcopus, tenet contra-
rium, ideſt Archiepiſcopum ligari, & movetur per text.
in cap. Ex tuarum, *in fin. de auth. & uſu pall.* Item quia ex
opinione Innocentii ſequeretur, ut quis non poſſet facere
ſtatutum contra peregrinos delinquentes in loco juriſdi-
ctionis ſuæ: quod eſt falſum. Similiter Abb. *hic num. 7.
verſ. Articulus iſte:* quamvis fateatur hunc articulum eſſe
dubium, tamen dicit poſſe teneri opinionem Hoſtien. quia
cùm ſtatutum habeat tractum futurum, & ſic lex territo-
rii feratur in tempus habile, videtur ſtatutum valere, cùm
dicat juriſdictionem in territorio ſuo, & ſequitur Marian.
Socin. *num.27.*

Ultimò quærunt hic DD. cum gloſſ. 2. an Statutum, 44
vel ſententia duret ultra tempus ſtatuentis, vel ſententiam
pro-

proferentis, & concludunt ſtatutum durare, quia cùm ſit
lex quædam, perpetuò durat, niſi revocetur expreſsè. In
ſententia verò diſtinguunt, ut hic per Abb. *num.* 12. Hanc
differentiam tetigi ſupra *num.* 28. *&* 29. Sed latius pro-
ſequar in quæſt. ſequenti in 2. *parte à num.* 50. *uſque in
finem*.
45 Ex facto quæſitum eſt an Capitulum ſede vacante potue-
rit præcipere Sacriſtæ ſub pœna ſuſpenſionis, ne aſportare,
ſacram ſupellectilem extra Eccleſiam abſque Capituli li-
46 centia: An verò bujuſmodi præceptum per ingreſſum
Epiſcopi expiraverit.
47 Prima pars quæſtionis eſt clara, quia in Capitulum ſede
vacante tranſit omnis juriſdictio, *cap.* 1. *& cap. Cum olim*,
ubi omnes notant, *de maior. & obedien. tum concord.* Ideò-
que etiam poteſtas ſuſpendendi, Bellamer. *concl.* 244. Joan.
Franciſ. Pavin. *de offic. & poteſt. Cap. Sed. vacant. in 2. part.
prin. quæſt.6. in fin.*
Et eo magis hoc caſu, quia ſtatuit circa res ad cuſtodiam
ipſius Capituli pertinentes, ut notat Archid. & Joan. Andr.
in cap. Generalem, de elect. lib.6.
48 Quod procedit etiam conſtitutum Vicario juxta formam
Concilii Tridentini *cap.* 16. *ſeſſ.* 24. quia Vicarius exercet
juriſdictionem nomine Capituli, & propterea non abdica-
49 tur ab ipſo Capitulo juriſdictio; imò in Vicarium non
tranſeunt quæ requirunt ſpeciale mandatum, ut ſæpius re-
ſpondit Sacra Congregatio Concilii.]
50 Quoad ſecundam partem dubia eſt quæſtio, an licentia,
vel præceptum expiret per mortem concedentis, vel præci-
pientis, quam tractant DD. in Clem. *fin. de elect.* & com-
muniter recipitur opinio negativa, quæ eſt Cardin. ibi *in
5. quæſt.* ſed quia res eſt controverſa, & multi aliter ſen-
tiunt, ideò quod pertinet ad hanc quæſtionem, videtur ve-
51 ra diſtinctio gloſſæ 2. hic: nam aut Capitulum ſede vacan-
te procedit per modum ſtatuti; & tunc etiam ſi ſtatutum
imponat pœnam pro futuro delicto, non expirat ſede
plena. In hoc celebris eſt præallegata quæſtio Feder. de
Senis 16. *num.* 1. quæ incipit, *Capitulum Eccleſiæ Cathedra-
lis*, & dicit Pavin. *quæſt.6. prima partis principalis*, *num.4.
verſ. Et fateor*, ſe non reperiſſe aliquem famoſum Docto-
rem contrarium tenentem; & in Epiſcopis eſt text. *in cap.
Clericos* 3. *quæſt.*4. & hic non eſt caſus noſter, quia Capi-
52 tulum non proceſſit ſtatuendo generaliter. Aut Capitulum
procedit per modum ſententiæ, vel interdicit, qui eſt ca-
ſus noſter; & tunc præceptum expirat per mortem præci-
pientis: ad hoc eſt text. expreſſus in *l. final. ff. de pœn.*
53 Hæc diſtinctio in effectu eſt gloſſæ magnæ hic, cujus hæc
ſunt verba: [Quid ſi moriatur, vel transferatur ad aliam
Eccleſiam qui tulit illam ſententiam, numquid tenet poſt
mortem, vel receſſum, ut qui contrafaciant ſint excom-
municati?] videtur quod ſic, quia ſcripta Epiſcoporum
anathematizant etiam poſt mortem, & facere poſſunt de-
cre tum; ita ut qui contrafaciat, puniatur, 3. *quæſt.* 4. *nul-
lus*, *&c.* argum. contra: dicit lex, quod interdictum non
durat ultra juriſdictionem interdicentis, *l. ult. ff. de pœn.*
Dici poteſt quod interdictum, ſive ſententia excommuni-
cationis ſimpliciter lata non durat ultra tempus proferen-
tis, niſi ſucceſſor etiam confirmet, & ratam habeat; ſed
cùm diffiniendo ſtatutum, ſeu decretum aliquod facit, li-
gat etiam poſt receſſum, quia ſtatuta bujuſmodi perpetua
ſunt, *de offic. deleg. cap. ult.* niſi expreſſim per ſucceſſorem
revocantur. Sequitur Anton. de Butr. *hic num.* 10. ubi ait:
[Dic quod ſtatuta, quæ ut edicta dependentiam non ha-
bent perpendiculariter ſuper potentia ſtatuentis, & ſic
ipſam non aſſumit pro cauſa permanendi, ſed producendi,
ex eo quod prodita à ſe vires ſumunt, durant, & non ex-
tinguuntur extinctione juriſdictionis: ſententia verò, quæ
perpendiculariter habuit ſuum effectum, & vim promo-
vendi à pronuntiatione, & ab ejus poteſtate perpendiculari-
ter dependent, prout ſententia eſt in fieri, quia nondum
ex contraventione laqueum injecit, extinguitur, hæc Butr.
Item Anchar. *num.*9. [Tu dic quod quædam emanant per
viam ſtatuti: & tunc mortuo, vel tranſlato ſtatuente, vel
aliter ejus juriſdictione finita ligabitur qui poſtea contrafe- 54
cit, *cap. ult. de offic. Leg.* Quædam emanant per viam ſen-
tentiæ; & tunc aut ſententia fuit purè lata, & perpetuò
ligat: ſi verò ſententia non fertur pura, ſed ſub conditio-
ne; & tunc ſi exiſtat conditio poſt mortem judicantis, vel
extinctam juriſdictionem: & non ligat: & pro tanto di-
cit Innocent. *in cap. Pro illorum, de præbend.* quod ſi dele- 55
gatus profert excommunicationis ſententiam generalem
in contradictores, & rebelles, non erit illa perpetua, ſed
expirat mortuo, vel revocato delegato: & idem dicit Joan.
Andr. *ne ſede vacant. cap.*1, *lib.*6. In Ordinario mortuo, vel
tranſlato, quod ejus ſententia conditionalis non ligabit
contrafacientem ſede vacante, vel in tempus ſucceſſoris.]
Item Abb. *hic num.* 12. dicens; [Nunquid ſtatutum, ſeu 56
ſententia durat ultra tempus diſponentis? Conclude, quod
ſtatutum cùm ſit lex quædam perpetuò durat, niſi revoce-
tur expreſsè: unde dicit Federic. quod ſi Capitulum ſede
vacante fecit ſtatutum, durat etiam creato Epiſcopo, niſi
expreſsè revocetur per Epiſcopum. In ſententia dic con-
cludendo notabiliter, quod aut ſententia injecit vinculum
tempore proferentis, aut non. Primo caſu durat ultra 57
tempus proferentis, exemplum in excommunicatione:
unde excommunicatus per Epiſcopum remanet excommu-
nicatus poſt mortem Epiſcopi, *cap. Paſtoralis*, §. 1. *de of-
fic. Ordin.* ſed reſpectu proceſſus, vel effectus producendi 58
in futurum, ſententia tollitur per remotionem judicis, qui
ſententiam tulit,] & idem Abb. *in cap. Cum ad hoc de
Cleric. non reſiden. ſub num.9.* Idem eſt in qualibet alia ſen- 59
tentia lata generaliter ſub conditione, quæ expirat per mor-
tem proferentis, ex quo non habuit in vita effectum con-
ſummatum. Ad idem poteſt adduci textum in *l. fin. ff. de pœn.* 60
ibi diſponitur, ut ſi aliquis magiſtratus interdicit alicui ob
novum delictum ne exerceat certam artem, tollitur hoc
interdictum, ſeu prohibitio ipſo facto finito magiſtratu il-
lius. Item Federic. *d. quæſt.*16. *num.*6. poſteaquam conclu-
ſit Capitulum poſſe facere ſtatuta pœnalia duratura etiam
in tempus Epiſcopi. [Non obſtat, inquit, *ff. de pœn. l. ul-
tim. cum ſimilib.* cum ibi notat, nam illud locum habet cùm
interloquendo, vel ſine cognitione alicui interdictum eſt
uti arte ſua: ſecus ſi diffiniendo, vel legem condendo,
quod cum magna ſolemnitate fit.]
Contrarium cenſuit Joan. de Deo in hac quæſt. Si Epi- 61
ſcopus excommunicavit Clericum, qui in proprio fundo
ædificavit Eccleſiam, ſi Eccleſiam illam in aliquos religio-
ſos ſine ſuo conſenſu transferret, quam eo mortuo, & ſe-
de vacante religioſo loco univit; clericus eſt excommuni-
catus, quia ſententia juſta a ſuo judice lata, nec fuit appel-
latum, licèt lata ſub conditione, *cap. Romana*, §. *caveant*,
de appell. lib.6.

Verumtamen ejus opinio reprobatur ab Ægidio de Sou-
ſa, ut per Pavin. *de off. & poteſt. cap. ſed. vacan. quæſt.6.
1. part. princ. num.*10.

Confirmantur prædicta in caſu præſenti, quia Capitu-
lum prohibuit aſportationem ſine ſua licentia: ſed hanc li-
centiam non poteſt Capitulum concedere aſſumpto Epi-
ſcopo: ergo ejus mens fuit ligare tantùm per tempus,
quoad eum pertinebat licentiam concedere; & ſic aſſum-
pto Epiſcopo interdictum non ligat ex defectu volunta-
tis interdicentis ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſupra
*num.*8. *&* 12.

Digitized by Google

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Clemens III.

C A P U T XXIII.

PErpendimus ex litteris tuis, quòd quidam ſacerdos pro eo, quòd ſe filium regis falsò nominare præſumpſit, & armis acceptis ſeditionem fecit & guerram, à B. comite juſſus eſt fuſtigari: qui poſteà ejus mandato traditus patibulo expiravit: & infrà. Fraternitati tuæ duximus reſpondendum, quòd ſi memoratus ſacerdos tali modo exceſſit, & non propulſando, ſed inferendo injuriam fuit occiſus: non videtur nobis quòd interfectores ejus propter hoc ad obtinendam abſolutionem, Apoſtolicam ſedem adire cogantur. Tu verò qui merita perſonarum benè noſti, pœnitentiam eis competentem injungas.

S V M M A R I V M.

1 *EXcommunicati ob violentam manuum iniectionem in Clericum non tenentur in multis caſibus adire Sedem Apoſtolicam.*

2 *Clericus dimiſſo habitu ſe enormitatibus ingerere perdit privilegium Canonis, & num.* 13.
*Sed non privilegium fori, num.*4. 5. 8. *&* 17.
*Et quid poſt Concilium Tridentinum, num.*15.

3 *Percutiens, ſeu interficiens Clericum, qui dimiſſo habitu ſævis enormitatibus ſe immiſcuit, non eſt excommunicatus, & num.*13.

4 *Clericus, qui dimiſſo habitu ingreditur bellum, vel aggreſſiones, captus, debet reſtitui Eccleſiaſtico iudici.*

5 *Clericus, qui dimiſſo habitu, & tonſura commiſcet ſe enormitatibus, poteſt puniri per iudicem ſæcularem, licet non fuerit ter monitus, ſecundum unam opinionem.*

7 *Saltem ſi in enormitatibus diu perſeveravit, ſecundum aliam opinionem.*

8 *Contrarium.*

9 *Privilegium Canonis quo iure interdictum fuerit.*
Facilius perditur, quam privilegium fori, ibid.
*Et quid poſt Concilium Tridentinum, num.*16.

10 *Extenſio de caſu ad caſum fieri non debet, etiam ex maioritate rationis ubicumque poteſtas conceditur laicis ſuper iuribus, & perſonis Eccleſiaſticis.*

11 *De privilegio clericali ſecundum Canones eſt iudicandum, nec ſuper his ſtandum eſt legibus, ſtatutis, vel conſuetudinibus laicorum.*

12 *Clerici, qui dimiſſo habitu, & tonſura ingerunt ſe enormitatibus, an, & quando perdant privilegium clericale, & num. ſeqq. uſque in finem.*

13 *Quid de privilegio Canonis.*
Et quid de privilegio fori, num. 15. *&* 16.

14 *Clerici habitum clericalem dimittentes ex vanitate, vel negligentia non perdunt privilegium Canonis ante trinam monitionem: ſecus ſi ex iniquitate, vel malitia.*

P*Erpendimus.* Difficilis eſt hæc Decretalis quoad caſus poſitionem; ſed difficillima, & maximè intricata in materia quoad conciliationem, & extricationem jurium, quæ illi contradicere videntur, ut inquit Cardinalis Zabarella in ſua ſolemni repetitione in principio.

1 Ad faciliorem intelligentiam præmitte Canonem, *Si quis ſuadente*, 17. *quæſt.*4. continere duas regulas. Prima eſt, quod injiciens manus violentas in Clericum, excommunicatus eſt. Secunda, quod pro abſolutione obtinenda tenetur Sedem Apoſtolicam adire; & quamvis hæ duæ regulæ ita ſe habeant ad invicem, ut una veniat in conſequentiam alterius: hoc tamen non eſt perpetuum, quia multi excipiuntur caſus, in quibus percuſſores Clericorum ſunt excommunicati, & tamen non ſunt mittendi ad Curiam pro abſolutione, ut *cap. Mulieres, cap. De cætero, ſupra eod. & cap. Cum illorum, cap. Quamvis*, ubi complures caſus exprimuntur, *& cap. ultim. infra eod.* unde non ſequitur pernecеſſe. Percutiens Clericum eſt excommunicatus: ergo eſt cogendus adire Sedem Apoſtolicam. Sicut non ſequitur; Non eſt cogendus adire Sedem Apoſtolicam, ergo excommunicatus non eſt, cùm multi incidant in hujuſmodi excommunicationem, qui tamen ad Curiam non ſint mittendi, ut in præcitatis juribus, & in aliis concordantibus.

Hoc præmiſſo, cùm in hoc cap. dicatur interfectores iſtius ſacerdotis non eſſe cogendos ire ad Curiam pro abſolutione: hinc emerſerunt duo principales intellectus ad hanc Decretalem. Primus eſt, quod iſte ſacerdos gaudebat privilegio clericali, & ideò illius interfectores inciderent in excommunicationem, quæ eſt prima regula prædicti Canonis, *Si quis ſuadente*; ſed tamen in odium dicti Sacerdotis, qui dimiſſo habitu ſeditionem fecerat, relevabantur ab onere adeundi Sedem Apoſtolicam, quæ eſt ſecunda regula ejuſdem Canonis, & juxta hanc lecturam Cardinalis, & Marian. Socin. ſummant ſic: Percutiens Clericum, qui habitu clericali dimiſſo ſævis enormitatibus ſe immiſcuit, pro abſolutione ab excommunicatione, quam incurrit, non eſt ad Sedem Apoſtolicam mittendus. Hoc dicit, & ſecundum hunc intellectum, quem Joan. Andr. *hic num.* 3. dicit eſſe ſatis amicum litteræ, Abbas Antiquus ſic ponebat caſum: non eſt mittendus ad Curiam interfector Clerici in ſeditione occiſi, & Abbas Siculus: Percutiens, vel interficiens clericum ſe dimiſſo habitu clericali ſævis enormitatibus immiſcentem non tenetur ire pro abſolutione ad Sedem Apoſtolicam, licèt iſti caſus utriuſque Abbatis ſint generales ad utramque lecturam, ut mox patebit.

Secundus intellectus eſt, quod iſte ſacerdos non gaudebat privilegio clericali, & illius interfectores propterea 2
non tenebantur ire ad curiam pro abſolutione, quia non erant excommunicati: & ſecundum hanc lecturam Decretalis communiter ſic ſummatur: Clericus dimiſſo habitu ſe enormitatibus ingerens perdit privilegium clericale, ſcilicet Canonis. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Card. Anchar. & Felin. vel aliter ſecundum Marian. Socin.

Percutiens, ſeu interficiens clericum, qui dimiſſo habi- 3
tu ſævis enormitatibus ſe immiſcuit, non eſt excommunicatus: Loquitur ergo hæc Decretalis de privilegio Ca- 4
nonis, & ſic facit ad titulum; non autem de privilegio fori, quod non amittit Clericus, qui dimiſſo habitu, & tonſura ſe immiſcet enormitatibus ante trinam monitionem, ut *cap. Contingit, il ſecondo*, & ibi dixi *num. 6. &*
num.9. infra eod. & hunc intellectum amplectitur hic Jo. 5
Andr. *num.*5. dicens. Si clericus ſumptis armis, & dimiſſo habitu ingreditur bellum, vel aggreſſiones, quoad illos, qui tunc eum percutiunt, perdit privilegium, ſed non quoad forum: unde tunc captus debet reſtitui Eccleſiaſtico judici: & eumdem intellectum dicit eſſe veriorem, & magis communem Alex. *in conſ.* 8. *Videtur ſuper primo num.* 3. *lib.*1. & ſecundum hoc conſ. Alex. millies, imò ſemper fuiſſe judicatum per Curiam, & Conſilia Neapolitana, atteſtatur Grammaticus *ſuper Conſtitutionibus Regni fol.*29. *col.* 1. *verſ. Decimo utique.*

Non diffiteor tamen multos intelligere hoc cap. etiam 6
in privilegio fori, adeo ut clericus, qui dimiſſo habitu, & tonſura immiſcuit ſe enormitatibus, puniendus ſit per judicem ſæcularem, etiamſi non fuerit ter monitus à Prælato ſuo; & hanc opinionem tamquam magis communem pluries ſervatam fuiſſe atteſtantur Boer. *dec.*69.*n.*16.*& ſeq.*

, & Gui-

& Guilelm. de Benedict. *in 2. part. repet. cap. Raynutius, fol. 81. num. 149. & ſeq.* ſecundum quam etiam deciſum fuit per Parlamentum Tholoſanum teſte Guido Pap. *deciſ.* 138. *In Camera Conſilii*, quos refert, & ſequitur Julius Clarus *in practic. crim. §. fin. quæſt. 36. verſ. Quarenondo*, concludens ſecundum magis communes deciſiones, & conſuetudine approbatas; Clericum ſive in ſacris, ſive in minoribus conſtitutum, qui dimiſſo habitu clericali aliquod enorme delictum committit etiam nulla monitione præcedente amittere privilegium fori, & poſſe à judice laico puniri, & putat ab hac opinione non eſſe conſulendo, aut judicando recedendum.

7 Alii verò eamdem opinionem ſequuntur in eo tantùm caſu, in quo tales clerici in enormitatibus diu perſeverant, & deprehenduntur in illis; ita Hoſtien *hic ante num. 1. in ver. Non propulſando*, ubi ait ſpeciale eſſe in illis Clericis, qui non ex vanitate, vel negligentia, ſed ex iniquitate, & malitia habitum clericalem dimittunt, & contra Deum, & juſtitiam, & honeſtatem cleri, inverecundè tyrannidi, & enormitati ſcelerum ſe immiſcent, & deprehenduntur, ut ipſo facto privilegium abjiciant clericale, ut hic, & in *cap. Cum non ab homine, §. In articulo, ſupra eodem, & in cap. 2. Ne Cler. vel Monach.* & hanc opinionem tamquam magis communem obſervari, & ſuo tempore obſervatam fuiſſe affirmat Stephanus Aufret. *in tractat. de poteſt. ſæcular. ſuper Eccleſ. & perſon. Eccleſiaſt. in 1. reg. num. 27. tom. 14. Tractatuum fol.* 392. quem refert Covat. *pract. quæſt. 32. poſt num. 2. verſ. Tertio hic erit*, ſubdens ſe credere eam moribus receptam in Clericis primæ tonſuræ, ſed & Caſſan. *ſuper Conſuetud. Burgund. fol. 50. num. 55.* ait ſe vidiſſe hanc opinionem communiter ſervari.

8 Sed certè hæc opinio non probatur in hoc cap. quia loquitur de privilegio Canonis, ſecundum magis communem intellectum, cui multum applaudit littera, dum dicit interfectores dicti ſacerdotis non eſſe cogendos Apoſtolicam Sedem adire pro abſolutione obtinenda: quæ verba videntur magis congruè excommunicationi, quæ incurritur ex dicto Canone *Si quis ſuadente*, quàm illi, quæ incurritur propter violatum privilegium fori, per *cap. final. de immunit. Eccleſ. lib. 6.* Nec refragatur, quod iſte Comes violaverit etiam fori privilegium, ex quo de ipſius mandato ſacerdos fuit fuſtigatus, & patibulo traditus: & tamen tenendo ſecundam lecturam non incidit in excommunicationem: nam reſpondetur Comitem hæc mandaſſe uti perſonam privatam; & ita communiter intelligitur hoc capitulum, ut inquit Cardin. *hic num. 5. in prima oppoſit. & num. 8. in 3. oppoſit.* Nec repugnant verba illa textus *à d. B. Comite juſſus eſt fuſtigari, qui poſtea de eius mandato traditus patibulo expiravit*, quia poſſunt congruere etiam privato, quicquid contra ſenſerit Alex. de Nævo, & ideò textus hos appellat interfectores; quod verbum propriè convenit privatis perſonis, & interfectores vocat non ſolum eos, qui presbyterum duxerunt ad patibulum, ſed etiam Comitem, qui hæc fieri mandavit, ut inquit Hoſtien. *hic ante num. 1. in verb. Interfectores*; unde Comes non fuit excommunicatus ut violator privilegii Canonis, quia hoc privilegium ſacerdos amiſerat dimittendo habitum, & ſævis ſe immiſcendo.

9 Ratio autem cur facilius amittatur privilegium Canonis, quam fori eſt, quia privilegium Canonis eſt inductum ex conſuetudine Eccleſiæ, nempè ex decreto Innocentii II. edito in Concilio Lateranen. II. *cap.* 15. licèt aliud videatur innuere Concilium Triburienſe *cap.* 20. ut dixi in *cap. Cum contingat, num. 81. de ætat. & qualit.* At privilegium fori eſt de jure divino, *cap. Si Imperator, 96. diſtin.* & Conſtitutiones eximentes Clericos à ſæculari poteſtate non continent jus novum, ſed ſunt juris divini declarationes, ut ibi ait gloſſ. *penult.* & nos fusè probavimus in *cap. Eccleſia Sancta Maria, num. 10. de Conſtitut.*

Non obſtat *cap. Cum non ab homine, §. In articulo ſupra eodem, & cap. 1. de Apoſtat.* quia loquuntur expreſsè de privilegio Canonis, nec debent extendi ad privilegium fori, quod difficilius perditur, ut prædiximus.

Item non obſtat *cap. Ex parte il terzo, de privileg.* quia ibi non conſtabat eos, qui habitum Clericorum in fraudem reaſſumpſerunt, verè eſſe Clericos, licèt pro talibus reputarentur, ut ibi notat gloſ. *final.* & dixi *in cap. Contingit, il ſecondo, n. 12. infra eodem*, poſt Alex. *conſ. 8. n. 3. lib. 1.*

Non etiam obſtat *cap. 2. Ne Cler. vel Monach.* ubi Clericis in fraudem deprehenſis non ſubvenitur ab Eccleſia: nam reſpondetur dupliciter, ut ibi in gloſs. ultim.

Rurſus non obſtat *cap. 1. de vita, & honeſt. Cler. lib. 6.* 10
quia loquitur de Clericis joculatoribus, & hiſtrionibus, quia artem illam ignominioſam per annum exercent, & cùm ſit pœnale, & exorbitans, non debet extendi ad alios caſus, etiam ex majoritate rationis, ut eſt text. notabilis in *l. Sciendum, ff. ad l. Pompeiam, de parricid.* quem ad hoc ponderat Aretin. *in c. Cum non ab homine nu. 60. & 61. ſupra de judiciis*. Præterea ubicumque poteſtas concedatur laicis ſuper juribus, & perſonis Eccleſiaſticis, etiam ex majoritate rationis extenſio fieri non debet, ut in *cap. Tua, il primo, ſupra de decimis, juncto cap. Cum in tua, eodem tit.* ſecundum Aretin. *ubi ſupra*.

Demum non obſtat contraria conſuetudo, quæ viget in 11
aliquibus tribunalibus, ut dicunt DD. ſupracitati *num. 6. & 7.* nam ut reſpondet Guilel. de Monte Laudun. & poſt eum Steph. Auſter. *in repet. Clem. 1. num. 64. & 65. de off. Ordinar. tom. 6. repeten. fol. 41*, de privilegio clericali ſecundum Canones eſt judicandum, nec ſuper his ſtandum eſt legibus, ſtatutis, vel conſuetudinibus laicorum; ſolus enim Papa generalia cleri, & clericorum privilegia poteſt interpretari, ampliare, vel declarare, & ex cauſa reſtringere, ut patet in *cap. Altercationis, de bigamis lib. 6.* & cùm non reperiantur limitata in hoc ſpeciali caſu niſi quoad privilegium Canonis, in aliis ſtandum erit eorum exemptioni à poteſtate laicali, argum. *l. Sancimus, C. de teſtament. & l. Præcipimus, in fin. C. de appellat. cum ſimilibus*.

Cæterum in hac materia ut planè intelligas quid certò 12
ſit tenendum, cùm quæritur an Clerici, qui depoſito habitu, & tonſura immiſcent ſe enormitatibus, perdant privilegium clericale, diſtingue latius: aut tales Clerici fuerunt ter moniti à Prælato ſuo, aut non: ſi fuerunt ter moniti, perdunt eo ipſo privilegium clericale, ut de privilegio fori eſt text. *in cap. Contingit, il ſecondo, infra eodem*, de privilegio Canonis in *cap. In audientia, infra eod. tit.* & de privilegio exemptionis ab oneribus laicalibus in *cap. ultim. de vit. & honeſt. Cleric.* & in Clement. 1, *eodem tit.* & in hoc primo membro concordant omnes. Si verò 13
non fuerunt ter moniti, tunc ſubdiſtingue; nam aut quæris de privilegio Canonis, aut de privilegio fori: ſi de privilegio Canonis dic hujuſmodi Clericos ſive in minoribus, ſive in ſacris ordinibus conſtitutos perdere hoc privilegium eo ipſo, ut eſt caſus expreſſus in *dict. cap. Cum non ab homine, §. In articulo, ſupra eodem*, ibi: *Occiſores Clericorum, aut Presbyterorum, qui contempto clericali habitu tyrannidi, & enormitati ſe inverecundè immiſcent, in odium clericalis exceſſus, & terrorem, atque correctionem ſimilium canone latæ ſententiæ minimè coercentur*. Idem probatur in hoc textu intelligendo eum de privilegio Canonis, prout communiter a DD. intelligitur. Nec 14
obſtant jura, quæ dicunt Clericum non perdere privilegium Canonis per dimiſſionem habitus, & tonſuræ ante trinam monitionem, ut *cap. In audientia, & cap. Contingit, il ſecondo, infra eodem*. Quoniam hæc jura loquuntur de clericis, qui ex vanitate, vel negligentia dimittunt habitum, non autem in illis, qui eum dimittunt ex iniquitate, & malitia, ut in caſu hujus Decretalis ſecundum Hoſtien. *hic ante num. 1. in ver. Non propulſando*: & eſt gloſſ. *notab. in dict. cap. Cum non ab homine, in verb. Minimè coercentur, ſupra eodem*. Si verò quæris de privi- 15
legio fori: tunc refert an agatur de Clericis minorum Ordinum, an verò de Clericis in ſacris. Si de Clericis minorum Ordinum, ceſſat omnis difficultas, quia ex jure noviſſimo Concilii Trident. *cap. 6. ſeſſ. 23.* nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus gaudet privilegio fori, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate de licentia Epiſcopi verſetur. Neque ad hoc requiritur, ut præcedat aliqua admonitio, ſed eo ipſo quod caret aliquo ex prædictis requiſitis, perdit privilegium fori, ut ex ſententia Sacræ Congregationis dixi *in cap. Si quis, num. 21. de foro competent.* Quarè minores 16
Clerici hodie Ordine inverſo difficilius perdunt privilegium Canonis, quam fori: nam illud non perdunt per ſolam dimiſſionem habitus, & tonſuræ, niſi, vel præceſſerit trina monitio, ut in *dict. cap. Contingit, il ſecondo,*

Digitized by Google

do, *infra eodem*, vel ſævis enormitatibus ſe immiſcuerint, ut *hic*, & in *dict. cap. Cum non ab homine*, §. *in articulo*, *ſupra eodem*. At privilegium fori perdunt per ſolam dimiſſionem habitus, vel tonſuræ, vel ſervitii Eccleſiæ, licèt non fuerint tertiò moniti, nec ſe immiſcuerunt enormitatibus, ut *in d. cap. 6.* de cujus materia vide quod plenè ſcripſi in *d. cap. Si quis*, *à n. 19. uſque ad num. 72. de foro compet.* Si verò agitur de Clericis in ſacris, tunc ſunt opiniones, ſed verior, & communior ſententia eſt eos non perdere privilegium fori, 17 ut oſtenſum eſt ſupra *à num 4. uſque ad num. 12.* & hoc ſervat Curia, ut dixi in *cap. Cum non ab homine*, *num. 106. ſupra de iudicis*,

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Clemens III.

CAPUT XXV.

IN audientia noſtra talis fuit ex parte tua propoſita conſultatio, utrùm Clerici, qui arma militaria relicto habitu clericali, geſtare nullatenus erubeſcunt: ſi eis fuerit injuria corporalis illata, vel ſe à captione redemerint, illa Clericorum debeant immunitate gaudere, qua pro temeraria manuum injectione facta in Clericum, excommunicatus quis ipſo jure notatur? Ad hæc tibi breviter reſpondemus, quòd cùm fruſtrà Eccleſiæ imploret auxilium, qui committit in ipſam, & lex ſæcularium Principum huic reſponſo ſatis efficax afferat argumentum, qua manifeſtè cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non poſſe injuriarum agere, ſi in veſte meretricali fuerit deprehenſa: hujuſmodi Clerici ſi à Prælatis ſuis tertiò commoniti, militaria noluerint arma deponere, de privilegio Clericorum ſubſidium aliquod habere non debent.

SUMMARIUM.

1 *CLericus ut laicus incedens tertiò monitus non reſipiſcens perdit privilegium clericale.*

2 *Clericus, qui depoſito habitu arma militaria geſtat, non perdit privilegium clericale ante trinam monitionem, niſi etiam ſævis enormitatibus ſe immiſceat.*

3 *Talis quis eſſe præſumitur in quali habitu reperitur.*

4 *Matrona pudicitiam attentans in habitu meretricali deprehenſa non tenetur de iniuria.*

1 IN *audientia*. Clericus, qui à Prælato ſuo tertiò monitus arma militaria non deponit, perdit privilegium clericale. Hoc dicit ſecundum Joan. Andr. cum quo Butr. Card. & cæteri concordant: vel generalius ſecundum Abb. Clericus ut laicus incedens, tertiò monitus non reſipiſcens, perdit privilegium clericale. Hoc dicit, & loquitur ſpecificè de privilegio Canonis. Idem tamen juris eſt in privilegio fori, ut *cap. Contingit*, *il ſecondo infra eodem*, & in privilegio immunitatis ab oneribus laicalibus, ut in *cap. ult. ſupra*, *de vit. & boneſt. Clericor.* & in Clem. 1. *eod. tit.*

2 Nota primò ibi, *Qui arma militaria relicto habitu clericali geſtare nullatenus erubeſcunt*. Clericos non amittere privilegium clericale ex eo, quod in habitu laicali arma militaria geſtant, niſi ter moniti non deſiſtant; & ita hic eſt caſus apertus ſecundum omnes. Sed tu hoc limita, niſi ſimul arma militaria aſſumant, & enormitatibus ſe immiſceant, quia tunc cùm aſſumant actum omnino contrarium ordini clericali, ſtatim perdunt privilegium ſine ulla admonitione, ut hic à contrario ſentit gloſſa Bernardi poſt caſum, & firmat Innoc. *in cap. 1. num. 3. verſ. Sed alii contradicunt*, *de Apoſtat.* & Alex. *conſ. 8. Videtur ſuper primo*, *num. 3. lib. 1.* Aliàs declarationes ad regulam hujus Decretalis poſui in *dict. cap. Contingit*, *il ſecondo infra eod.* ubi plenè videas à *num. 6. uſque ad num. 25.* & ad jura, quæ videntur oppoſitum innuere videlicet *cap. Perpendimus*, *ſupra eodem*, & *cap. Ex parte*, *il terzo de privileg.* reſpondi in prædicta Decretali *Contingit*, *num. 12. & 13.*

Secundò nota ibi; *Si in veſte*: quod talis quis eſſe præ- 3 ſumitur in quali habitu reperitur, ad hoc *cap. Si iudex laicus*, *de ſentent. excommun. lib. 6.* ibi: *Iuſtum eſt enim*, *ut ipſe talis*, *quem geſtat ex habitu quouſque appareat aliud*, *præſumatur qualis is eſſe*, *cuius fert habitum*, comprobatur *cap. Ut Apoſtolica*, *de privileg. eodem lib. cap. Si vero*, *ſupra eodem*, & *l. Item apud*, §. *Si quis virgines*, *ff. de ritu nupt.* ubi eſt caſus ſecundum Bart. *in ſumm. text.* Quo fit, 4 ut ſi quis attentaverit pudicitiam matronæ in veſte meretricali deprehenſæ, de injuria non teneatur, ut hic in littera, & in *d.* §. *Si quis virgines*: non enim injuriatur matrimonio qui ipſum ignoravit, *l. Si ea*, *C. de adul.* ut *hic in* gloſſ. *in ver. iniuriarum*, ubi habes alia ſimilia. An autem percutiens laicum credens percutere Clericum incidat in Canonem, conclude ut in eadem gloſ. quæ communiter tenetur: & quid ſi credidit percutere Titium laicum, & in perſona errans percuſſit Martinum Clericum, vide gloſ. *in cap. Si verò*, *in ver. Ignoraverit*, & ibi Doctores, *ſupra eod.* & quod plenè ſcripſi *in cap. Ad audientiam*, *ſupra de homicid. in quæſt.* An mandans committi homicidium in perſonam unius, ſi ſequatur in perſonam alterius, irregularis ſit ex homicidio voluntario *à n. 53. uſque ad num. 72.*

Digitized by Google

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Innocentius III. Archiepiſcopo, Decano, & Præcentori Lugduneñ.

CAPUT XXVII.

CUm pro cauſa, quæ inter G. & F. Cabiloneñ. Eccleſiæ Archidiaconos vertebatur, eis conceſſerimus auditorem; procurator G. allegavit, quòd cùm F. Archidiaconus in ſuccentorem in communi dormitorio manus injeciſſet temerè violentas, & eum traxiſſet verberando per clauſtrum: tu frater Archiepiſcope eum, ob violentam manuum injectionem, & violationem immunitatis Eccleſiæ, feciſti excommunicatum publicè nuntiari: & infrà. Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit dictum F. Archidiaconum ob duplicem cauſam excommunicatum fuiſſe, & expreſſiſſe tantùm alteram in litteris, quas ſuper abſolutione ſua impetravit: ipſum tamquam excommunicatum ſatisfacere Eccleſiæ ſuæ pro altera, monitione præmiſſa, cogatis.

SUMMARIUM.

1 *EXcommunicatus ex pluribus cauſis, ſi in abſolutione omnes non expreſſit, non habetur pro abſoluto.*

2 *Excommunicatione una, vel pluribus ligatus, & ex pluribus cauſis, an poſſit abſolvi unica abſolutione.*

3 *Clauſtrum Eccleſiæ violans dicitur violare immunitatem ipſius Eccleſiæ.*

4 *Immunitatis privilegium non reſtringitur ad portas, vel parietes Eccleſiæ tantum; ſed extenditur circumquaque per 40. vel 30. paſſus.*

5 *Abſolutio à cenſuris ob violatam immunitatem eccleſiaſticam in terminis Bullæ Gregorii XIV. an ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata, & num. ſeqq. uſque in fin.*

6 *Immunitatem Eccleſiæ violantes inde extrahendo perſonas, vel res de iure veteri non erant excommunicati, ſed excommunicandi.*

7 *Incendiarii, & effractores eccleſiarum incidunt in excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervatam.*

8 *Immunitatem Eccleſiæ violans in clauſtro laicum verberando an ſit excommunicatus, & n. ſeqq.*

9 *Denuntiatio non addit vinculum.*

10 *Violentia corporum maior eſt quàm rerum.*

11 *Caſus violationis immunitatis Eccleſiæ à DD. qui ſcripſerunt ante Paulum II. recenſentur inter caſus Epiſcopales ex conſuetudine, & n. 34.*

12 *Violantes libertatem eccleſiæ in terminis Bullæ Cœnæ non incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam, niſi id fecerint per viam ſtatuti, vel conſuetudinis, & n. 14. & 34.*

13 *Opinio Epiſcopi Montis Marani ſententis abſolutionem in terminis Bullæ Gregorii XIV. non eſſe reſervatam expenditur.*

15 *Refellitur & n. ſeqq. uſque in fin.*

16 *Libertatis eccleſiaſticæ offenſa eſt caſus Papæ reſervatus in Extravag. Pauli II. & Sixti IV.*

17 *Iuramentum præſtari non poteſt per relationem ad ſcripturam iuratam.*

18 *Pro forma exigit ſpecificam mentionem, & formalitatem verborum.*

Præſtari debet corporaliter, & requirit pro forma tactum ſcripturarum, n. 20.

Sub dictione, & cætera, *non includitur, n. 22.*

Nec ſub obligatione Camerali, n. 23.

19 *Relativa diſpoſitio non ſufficit in iis, quæ ſunt formalia, ut in guarentigia.*

21 *Forma impleri debet in ſpecie, & non per æquipollens.*

24 *Caſuum reſervatio non requirit formalitatem verborum, & poteſt fieri per relationem ad aliud, & n. ſeqq.*

25 *Conſtitutio nova per relationem ad ius commune perinde operatur, ac ſi ius commune eſſet in ea inſertum.*

26 *Relatum verè, & propriè dicitur eſſe in referente.*

Imò dicitur pars referentis, n. 30.

Profp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

27 *Iuramentum eſt vinculum perſonale, nec tranſit in ſucceſſorem.*

28 *Reſervatio afficit etiam ſucceſſorem, ſi fiat per modum legis, ſeu ſtatuti.*

29 *Expreſſio per relationem ad aliud ſufficit etiam in his quæ ſpecificam mentionem requirunt.*

31 *Reſervatio abſolutionis poteſt dici pœna.*

32 *Immunitas, & libertas eccleſiaſtica an, & in quo differant.*

33. *Immunitas Eccleſiæ quid ſit.*

35 *Extravagans,* Inter cunctas, de Privilegiis, *quæ violationem immunitatis Eccleſiaſticæ ponit inter caſus reſervatos ex conſuetudine fuit revocata in Concilio Viennenſi.*

36 *Abſolutio à cenſuris ob violatam immunitatem in terminis Bullæ Gregorianæ recenſetur inter caſus Papales in decretis Clementis VIII.*

1 C*Um pro cauſa*. Excommunicatus ex pluribus cauſis, ſi in abſolutione omnes non expreſſit, non habetur pro abſoluto. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Card. & Anchar. vel aliter ſecundum Abbatem, Felinum, & Marian. Socin. ligatus pluribus excommunicationibus, licet ex eodem facto, obtinens abſolutionem expreſſa una cauſa, ſeu una excommunicatione, non habetur pro abſoluto quoad aliam. Hoc dicit. Generaliter autem an ligatus una, 2
vel pluribus excommunicationibus, & ex pluribus cauſis abſolvi poſſit unica abſolutione, an verò ſint neceſſariæ plures, Doctores non conveniunt, ut hic in gloſ. 2. Sed placet magiſtralis diſtinctio Abbatis *num. 6. verſ. Sed concludo, vel latius diſtingue*, ut per Henric. Boich. *in princ.* & Covarr. *in cap. Alma mater, hoc tit. lib. 6. par. 1. §. 11. num. 13. verſ. Quid autem de illo*, ubi hunc articulum explicat dilucidè per ſeptem concluſiones, quas per te videas. Decretalis dividitur in duas partes. Prima narrat caſum. Secunda dat judicem ibi, *Diſcretioni*.

Nota primò, ibi, *& eum traxiſſe verberando per clauſtrum*: 3
quod violans clauſtrum alicujus Eccleſiæ, dicitur violare immunitatem ipſius Eccleſiæ, & eſt ratio, quia privilegium 4
immunitatis non reſtringitur ad portas, vel parietes Eccleſiæ tantùm, ſed per quadraginta, vel ſaltem per triginta paſſus extenditur circumquaque, *ut c. Sicut antiquitus, & c. Quiſquis 17. q. 4.* & hic notant Hoſtien. *n. 2.* Jo. Andr. *n. 7.* Abb. *in ult. notab.* Felin. *n. 2.* & Marian. Socin. *n. 10.* Turrecrem. *in cap. Cùm devotiſſimam num. 4.* & ibi etiam Præpoſit. *num. 2. 12. quæſt. 2.* Meritò clauſtrum Eccleſiæ inhærens gaudet immunitate ipſius Eccleſiæ: ex quo infertur, ut ſicut non poteſt quis capi in Eccleſia, ita nec in clauſtro Eccleſiæ, ut per Abb. & Felin. *ubi ſupra*, facit text. *in l. Præſentis*, & quod ibi notat Bart. *n. 2. C. de his, qui ad Eccl. confug.*

Secundò nota ex textu argum. pro, & contra, quòd violans Eccleſiæ immunitatem eſt ipſo jure excommunicatus: ſed hoc latius examinabitur infra *num. 6.* Hodie hoc eſt expeditum per jura extravagantium, & per Conſtitutionem Gregorii XIV. hac de re editam, ut mox dicitur.

5 QUÆRO, utrum abſolutio à cenſuris ob violatam immunitatem eccleſiaſticam juxta terminos Conſtitutionis Gregorii XIV. quæ incipit, *Cum alias nonnulli*; ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata, necne.

In vim prædictæ Conſtitutionis qui extrahunt reos ab Eccleſiis contra formam ibi præſcriptam, ipſo facto incidunt in cenſuras, & pœnas, quæ contra libertatis juris, & immunitatis eccleſiaſticæ violatores per ſacros Canones, & Concilia generalia, Pontificumque Conſtitutiones ſunt promulgatæ; idque certum eſt & citra controverſiam. Sed quænam ſint ejuſmodi cenſuræ, ac pœnæ, quoniam ex Conſtitutio non aperit, inſpiciendum erit; an ex ſacris Canonibus, Conciliis, vel Conſtitutionibus Apoſtolicis, ad quæ omnia ſe refert Conſtitutio ſtatuta ſit cenſura aliqua Sedi Apoſtolicæ reſervata contra hujuſmodi violatores.

6 Porrò *in cap. Sicut antiquitus* 17. q. 4. ſtatuitur, ut qui confinia Eccleſiarum confringere tentaverit, aut perſonam hominis, vel bona ejus inde ſubtraxerit, niſi publicus latro fuerit, quouſque emendet, & quod rapuerit reddat, excommunicetur. In canone *frater eadem cauſ. & quæſt.* Gelaſius jubet arceri ab ingreſſu Eccleſiæ, qui aliquem ab Eccleſia violenter abſtraxerit. Joannes VIII. *in c. Quiſquis ead. quæſt.* [Si quis, inquit, Domum Dei violaverit, & aliqua inde abſtulerit, donec in Conventu admonitus legitimè ſatisfaciat, ſciat ſe communione privatum,] alias legitur, [ſciat ſe fore communione privatum,] ut ibi notatur in margine, & infra: [qui Eccleſias infringunt, & depoſita vel alia quælibet exinde abſtrahunt, damnum novies componant, & immunitatem tripliciter, & veluti ſacrilegi Canonicæ ſententiæ ſubigantur,] Alex. II. *ibid. in c. Si quis deinceps*: eum, qui clericum ab Eccleſia expulerit, jubet Canonicæ pœnitentiæ, atque depoſitioni ſubjacere, ac ſi contumax fuerit, excommunicari, Auguſt. *Epiſt.* 187. *ad Boniſac.* eum qui hominem ab Eccleſia rapuit, communione interdici, ut refertur loco citato *in cap. Miror* Concilium Toletanum duodecimum *cap.* 10. Diffinivit, ut nullus audeat confugientes ad Eccleſiam, vel reſidentes inde abſtrahere; ac deinde ſtatuit, ſi quis hoc decretum tentaverit violare, eccleſiaſticæ excommunicationi ſubjaceat, & ſeveritatis Regiæ feriatur ſententia, *cap. Diffinivit ead. cauſ. & quæſt.* Concilium Aurelianenſe relatum ibi cap. ſeq. idipſum decrevit, & violatores Eccleſiæ immunitatis non ſolum à communione Eccleſiæ, verùm etiam Catholicorum convivio juſſit ſeparari. Concilium Tridentinum *c.* 20. *ſeſſ.* 25. tantum innovat Canones, & Concilia generalia omnia, necnon alias Apoſtolicas ſanctiones in favorem Eccleſiarum, libertatis eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores editas.

7 Ex his patet violatores immunitatis eccleſiaſticæ ex veterum Canonum ſententia eſſe excommunicandos, ſed non eſſe ipſo facto excommunicatos, exceptis incendiariis, & effractoribus Eccleſiarum, qui ipſo facto incurrunt excommunicationis ſententiam Sedi Apoſtolicæ reſervatam, *ut cap. In litteris*, & ibi gloſ. *in verb. Anathematis ſupra de raptoribus*, *& cap. Tua nos*, *& cap. Conqueſti ſupra eodem*, & de incendiariis, & effractoribus intelliguntur duo Capitula quæ in oppoſitum conſuetum eſt allegari, videlicet *cap. Canonica* 11. q. 3. *& cap. Omnes* 17. q. 4. alii verò non ſunt excommunicati ipſo jure, ſed excommunicandi, ut not. gloſ. *in d. cap. Conqueſti in verb. Excommunicatos nuntietis*, *& in dict. cap. Tua nos in verb. Publicati*, *ſupra eodem*.

8 Sed prædictis multum videtur obſtare hæc Decretalis: nam iſte Archiepiſcopus fecit publicè denunciari excommunicatum Archidiaconum ob duplicem cauſam videlicet, quia in Clericum manus injecerat violentas, & quia eum traxerat verberando per clauſtrum, ut in littera. Ergo etiam ex hac ſecunda cauſa violationis clauſtri prius erat
9 excommunicatus à jure, quoniam denunciatio non addit vinculum *cap. Paſtoralis de appellat. gloſ.* 3. *in d. cap. Tua nos*, *ſupra eodem*, & ſecundum hoc idem eſſet ſi in clauſtro laicum verberaſſet, arg. *d. cap. Omnes* 17. q. 4. & hunc intellectum approbat Hoſt. *hic n.* 2. quia inferentes vim in Eccleſia, & quæ intus ſunt ſpoliantes ſunt excommunicati.
10 Ergo multò fortiùs in ipſa homines verberantes, quia major eſt violentia corporum quam rerum, argum. *cap. Præcipimus* 12. *quæſt.* 1. *cap. Cùm infirmitas in fin. ſupra de pœnit. & remiſſ. l. Sancimus*, *la prima C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Huic objectioni ita reſpondetur: Papa hic narrat factum Archiepiſcopi, ſed illud non approbat, quin potius in dubium revocat, dum dicit: [ſi vobis conſtiterit dictum Archidiaconum ob duplicem cauſam excommunicatum fuiſſe] ex his enim verbis apparet Papam dubitaſſe de excommunicatione; hoc autem verificari non poteſt in excommunicatione lata à jure, quia in Papam, qui habet omnia jura in ſcrinio pectoris non cadit juris ignorantia, *ut cap.* 1. *de conſtitut. lib.* 6. Tantùm ergo dubitavit, num Archidiaconus incidiſſet in excommunicationem latam ab homine, quia fortè lata fuit ſententia ab Archiepiſcopo, ut quicumque violaret Eccleſiæ immunitatem, eſſet excommunicatus, ut notat gloſ. 1. *hic in fin.* Innoc. *in princip. in verb. Violationem*, & Archid. *in cap. Omnes num.* 1. 17. q. 4. Argumentum verò à rebus ad perſonas, quo utitur Hoſtien. aſſumit pro fundamento id, de quo diſputatur, quia ſupponit abſtrahentes res ab Eccleſia eſſe excommunicatos, quod eſt falſum, ut ex dictis conſtat, & in oppoſitum eſt text. clarus *in c. fin. ſupra de furtis*, ubi etiam rapiens ſacra vaſa non eſt excommunicatus ipſo facto, & ita tenet hic gloſ. 1. Innoc. *in princ. in verb. Violationem*, *& num.* 2. ubi exponit verbum, *duplicem*, ideſt ob injectionem manuum ipſo jure, & violationem clauſtri ab Epiſcopo latam, Joann. Andr. *n.* 7. ubi concludit cum gloſ. contra Hoſtien. Butr. *num.* 13. *verſ. Prædicta vera*, dicens ſacrilegum eſſe excommunicatum ipſo jure ubi Clericus verberatur; Si verò Laicus in Eccleſia verberatur, ſic verberantem ratione loci non incurrere ipſo jure excommunicationem majorem, Cardin. *in princ. verſ. Item colligunt aliqui*, dicens hoc verius, *& num.* 1. *in fin. in* 4. *oppoſition.* ubi dicit gloſſam veram, Anchar. *num.* 4. *verſ. Sed opponitur*, & Abb. *n.* 5. & hoc teneas.

Itaque hoc veteri jure inſpecto nulla cenſura (nedum 11
Sedi Apoſtolicæ reſervata) ſtatuta erat ipſo jure in eos, qui aliquem ab Eccleſia extraherent. Ideò Doctores quotquot ante Paulum II. ſcripſerunt, vel qui notitiam non habuerunt conſtitutionis ab ipſo editæ unanimes tradiderunt, violantes hoc modo immunitatem Eccleſiæ præter incendiarios, & effractores non eſſe ipſo jure excommunicatos, ſed excommunicandos. Inter quos recenſentur Goffred. & Hoſtien. ſibi contrarius *in Summ. de Immunit. Eccleſ. in fin.* Aſten. *ibidem art.* 7. Silveſt. *in verb. Immunitas* 3. *in fin.* Joan. Faber. *in l.* 2. *Cod. de his, qui ad eccleſ. confug.* Abb. *in cap. pen. in fin. de immunit. eccleſ.* & alii plures apud Renugium *in tract. hac de re edito quæſt.* 9.

Qua etiam ratione qui caſus reſervatos collegerunt, violationem eccleſiaſticæ immunitatis poſuerunt inter caſus Epiſcopales ex conſuetudine, ut Silveſt. *in verb. Caſus ſub num.* 4. & Armill. *ibid. n.* 6. Habita ſcilicet ratione veterum Canonum, & in ſpecie Conſtitutionis Benedicti
XI. quæ incipit, *Inter cunctas*, quæ tamen fuit poſtea 12
revocata, ut inferiùs dicetur & Cajetan. *in Summ. in verb. Excommunicatio cap.* 31. Scripſit non omnes violatores eccleſiaſticæ libertatis incidere in cenſuras reſervatas Papæ, ſed ſolum, qui illas violant ſtatutis, vel conſuetudine: quod etiam ſcripſit Navarr. *in Manuali cap.* 27. *n.* 117. Verùm uterque ipſorum loquitur in terminis Bullæ Cœnæ, quæ revera non afficit niſi violantes immunitatem eccleſiæ per viam ſtatuti, vel conſuetudinis, ut in §. 15. neuter tamen exprimit an in aliis caſibus violatio hujuſ-
modi ſit reſervata per ſacros Canones, vel Apoſtolicas 13
Conſtitutiones. Epiſcopus tamen Montis Marani, quem noviſſimè ſequutus eſt Stephanus Gratianus *d. ſceptat. forenſ. tom.* 3. *cap.* 414. & alii nonnulli ex modernioribus *in ſua praxi Archiepiſcopali*, *cap.* 18. *num.* 4. interpretans hanc ipſam Gregorii XIV. Conſtitutionem opinatus eſt abſolutionem hoc caſu non eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervatam, ſed ad Ordinarium pertinere. Movetur primò per regulam *cap. Nuper infra eodem*, ibi: quia tamen conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem
aliis relaxandi. Deinde quia in Bulla Cœnæ non om- 14
nes violatores immunitatis Eccleſiæ excommunicantur, ſed ſtatuentes dumtaxat, *ut in cap. unic. de his quæ vi met. cauſ. lib.* 6. Ultimò quia Gregorius decrevit violantes immunitatem incidere in cenſuras, nulla facta mentione reſervationis; quæ tamen qualitas,

cum

Digitized by Google

cùm requirat ſpecialem mentionem *per dict. cap. Nuper*,
non includitur in diſpoſitione referente per text. *in cap.
penult. de iureiur.*
15 Quibus tamen non obſtantibus verius videtur abſolu-
tionem ab his cenſuris eſſe reſervatam Summo Pontifici ex
infraſcriptis.
16 Primò per text. ad litteram *in cap. Etſi Dominici de pœ-
nit. & remiſſ.* in Extravag. *com.* ubi Paulus II. ſtatuit, ut
in quibuſcumque conceſſionibus, & facultatibus abſolven-
di certi caſus tamquam ſpecialiter Sedi Apoſtolicæ reſerva-
ti ſemper intelligerentur excepti: & inter hoc primo loco
enumerat offenſam eccleſiaſticæ libertatis. Quod ſimili-
ter & Sixtus IV. poſtea decrevit in Extravagant. ejuſdem
initii ſub eodem tit. ubi ſub pœna excommunicationis latæ
ſententiæ prohibet quibuſcumque ſacerdotibus, ne præ-
textu cujuſvis facultatis quemquam abſolvant à caſibus ibi
expreſſis abſque ſpeciali ejus licentia: & inter hos caſus im-
mediatè recenſet offenſam eccleſiaſticæ libertatis. Cujus
quidem Conſtitutionis meminit Cajet. *in ſum. verb. Excom-
municatio c. 77.* oſtendens excommunicationem in caſibus
ibi expreſſis eſſe Papalem.

Quamobrem cùm per Conſtitutionem Gregorii XIV.
extrahentes aliquem ab Eccleſiis incidant in cenſuras à
Conſtitutionibus Apoſtolicis promulgatas contra violato-
res eccleſiaſticæ immunitatis, quinimò & libertatis, ut
inferius dicetur, & per Conſtitutiones Apoſtolicas Pauli,
& Sixti excommunicatio ob violatam libertatem Eccleſiæ
ſit Pontifici reſervata, apertè ſequitur, ut ex Conſtitu-
tione Gregorii abſolutio ad alium non ſpectet, quàm
ad Summum Pontificem. Atque ita eliditur primum
motivum Epiſcopi Montis Marani, quòd hoc caſu ab-
ſolutio non reperiatur expreſsè reſervata: nam contra-
rium colligitur ex dictis Extravagantibus, quas fortè ipſe
non vidit.
17 Ideòque nec urget ſecundum illius motivum, quòd
Gregorius etſi cenſuras irrogaverit, nullam tamen expreſ-
ſam mentionem fecerit reſervationis, ut requirebatur per
text. *in d. cap. Nuper, iuncto cap. penult. de iureiuran.* nam
reſpondetur diſpoſitionem *d. cap. pen.* eſſe ſpecialem in ju-
ramento, quòd per relationem ad aliud præſtari non po-
18 teſt; tum quia pro forma exigit ſpecificam mentionem,
& formalitatem verborum, quemadmodum declarat An-
ton. de Butr. *in d. cap. penult. num.* 1. & Socin. *conſ. 99. Se-
reniſſimus Rex num. 52. verſ. Septimò dicitur lib.* 3. In iis au-
19 tem, quæ ſunt formalia, ut in guarentigia, non ſufficit
relativa diſpoſitio, Cravett. *conſ. 668. num. 6. & ſeqq.* & ita
intelligendus eſt Dec. *in cap. Conſuluit, il ſecondo, col. 2. n.* 10.
20 *verſ. Sed tamen non videtur, de appellat.* Tum quia præſta-
ri debet corporaliter, & requirit pro forma tactum ſcriptu-
rarum *cap. Hortamur 3. q. 9.* & tradit gloſ. *in cap. Ut circa
in ver. Corporali de elect. lib. 6.* & Abb. poſt Hoſt. *in d. cap.
21 penult. num. 10. de iureiur.* forma autem impleri debet in ſpe-
cie, & non per æquipollens ut in juramento, eſt text. *in l. Qui
per ſalutem ff. de iureiur.* & notat gloſ. prǣalleg. & genera-
liter tradunt Bald. & DD. *in l. 1. ff. de liber. & poſthum.* Oldr.
*conſ. 304. Infraſcriptæ concluſiones in princip. num. 2. verſ.
Circa hoc namque*, plenè Alex. *conſ. 212. Ponderatis iis in
princ. lib. 6.* & in his terminis Dec. *in d. cap. Conſuluit n.* 11.
22 Ideòque ſub dictione, *&c.* juramentum non includitur,
ſecundum Butrium *in d. cap. penult. num.* 2. quod Abb. ibi
dicit eſſe notabile *col. penult.* & ſequitur Dec. *in cap. Nam
concupiſcentia in 2. lectur. num. 5. de Conſtitut.* & eodem
23 modo, ſi quis ſe obliget in forma Cameræ, quamvis obli-
gatio Cameralis de conſuetudine habeat juramentum; ta-
men non cenſetur jurata niſi expreſsè ſit dictum; & ita
juravit, Galleſ. *de obligat. Camer. tit. de inſtrum. q. 2. n.* 17.
24 *verſ. Sed diligenter, cum ſeqq.* At reſervatio non eſt hujuſ-
modi, quia licet caſus intelligatur alteri conceſſus, niſi
illum Pontifex ſpecialiter ſibi reſervaverit; tamen cùm id
nullam formalitatem requirat, ut juramentum, nihil pro-
hibet quominus fieri poſſit per relationem ad ſacros Cano-
25 nes, in quibus reſervatus reperitur, ut Gregorius fecit;
nova enim Conſtitutio per relationem ad jus commune
eſſet in ea inſertum, & incorporatum, ut ait Angel. Aret.
26 *conſ. 36. Videtur num.* 18. & relatum verè & propriè dici-
tur eſſe in referente, *l. Aſſe toto ff. de hered. inſtituen.* Bald.
conſ. 212. Ea, quæ veniunt lib. 5. Dec. *conſ. 647. Requiſitus
num.* 3. Cravett. *conſ. 45. Quidam homines n.* 4.
27 Præterea ut Bald. inquit *conſ. 347. Imperator in princip.
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.*

lib. 1. Juramentum eſt character, cujus forma, & figura
ſubſtantiæ eſt in anima jurantis; ideò eſt perſonale, nec
tranſit ad ſucceſſorem. At reſervatio etiam ſucceſſorem af- 28
ficit, ſaltem ſi fiat per modum legis, ſeu ſtatuti, ut patet
in prædicta Extravag. *Etſi Dominici de pœnit. & remiſſ.* &
in omnibus reſervationibus clauſis in corpore juris, de
quibus per Sylveſt. & Summiſtas *in verb. Caſus*: unde pa-
tet non benè in hac materia inferri à juramento ad reſerva-
tionem, quæ nec formalitatem verborum, nec actum cor-
poralem requirit, nec perſonalis eſt. Et quamvis debeat 29
fieri expreſsè, tamen paria ſunt aliquid nominatim expri-
mi, vel per relationem, *l. Ait Prætor, §. 1.* & ibi notat Bart.
in princip. ff. de re iudic. Paul. de Caſtro *conſ. 91. In cauſa
appellationis in fin. lib.* 1. Pariſ. *conſ. 122. Clariſſimus col. 2.
num. 3. & ſeq. lib.* 1. Quinimò relatum dicitur pars refe- 30
rentis, *cap. Cùm venerabilis de exceſſ. Prælat.* Alex. *conſ.
35. Viſo proceſſu n. 8. lib.* 4. quod procedit etiam in materia
pœnali ſecundum Bald. *conſ. 13. Magnifico lib.* 5. Natt.
conſ. 204. num. 12. Surd. *conſ. 288. num.* 14. Atque ita idem
fuit ſtatuere, ut violatores immunitatis incidant in cenſu-
ras Conſtitutionum Apoſtolicarum, atque ſtatuere, ut inci-
dant in cenſuras reſervatas, cùm cenſuræ contra violatores
hujuſmodi ſint Papæ reſervatæ per Apoſtolicas Conſtitutio-
nes Pauli II. & Sixti IV.

Quod eò magis procedit, quia Conſtitutio Gregorii ex- 31
trahentibus aliquem ab Eccleſiis imponit non modo cen-
ſuras, ſed etiam pœnas à Conſtitutionibus Apoſtolicis pro-
mulgatas contra violatores eccleſiaſticæ immunitatis, &c.
reſervatio autem, de qua in dictis Extravagantibus pœna
dici poteſt, tum ob difficultatem adeundi Summum Pon-
tificem, ac veniæ impetrandæ; tum quia reſervationis idem
eſt finis, ac pœnę, ut colligitur ex iiſdemmet Extravagan-
tibus; *Ne cuiuſvis remiſſionis, vel facultatis obtentu Chri-
ſti fideles procliviores ad illicita impoſterum committenda
reddantur, aut venia facilitas peccandi ei tribuat incenti-
vum.* Imò reſervatio ſive Apoſtolica, ſive Epiſcopalis tam-
quam gravis ſubditis adjici non debet, niſi atrocioribus
quibuſdam, & gravioribus criminibus, ut habetur in
Concil. Trident. *cap. 7. ſeſſ. 14. de caſ. reſervat.* unde Sua-
rez *de pœnit. diſt. 30. ſect. 4. n. 2. in fin.* appellat reſervationem
onus pœnitentium, ut à peccatis arceantur. Ergo Conſti-
tutio Gregoriana hanc quoque pœnam reſervationis impo-
nit extrahentibus aliquem ab Eccleſiis.

Rurſus non obſtat, quod Conſtitit. Gregorii innovet 32
cenſuras promulgatas contra violantes immunitatem eccle-
ſiaſticam; Conſtitutiones autem Pauli & Sixti reſervent Se-
di Apoſtolicæ offenſam libertatis, non autem immunitatis
eccleſiaſticæ. Nam etſi Cajet. *in ſumm. de immunit. Eccleſ.
verſ. 6.* dixerit, ad diſcernendum cenſuras Canonum, &
caſus reſervatos diſtinguendum eſſe inter eccleſiaſticam
immunitatem, & libertatem, & per immunitatem in-
telligendam loci ſacri exemptionem, per libertatem verò
exemptionem perſonæ eccleſiaſticæ, itaut propterea reus
violatæ immunitatis non incidat in pœnas violatæ liber-
tatis.

In hoc tamen Cajetan. reprobatur à Covar. *lib. 2. var.
reſolut. cap. 20. num.* 1. ubi oſtendit etiam ad cenſuras
diſcernendas unum, & idem eſſe immunitatem, ac li-
bertatem eccleſiaſticam, quòd etiam docuit Cardin. *in
cap. Perpendimus num. 12. ſupra eod.* Felin. *in cap. Ec-
cleſia Sanctæ Mariæ num. 69. verſ. Et ideo de Conſtitut.*
Sylveſt. *in verb. Immunitas 1. num. 1. in fin.* Aſten. Angel.
& alii Summiſtæ *ibid.* unde Goffred. *eodem tit.* Immu-
nitatem diffinit eſſe libertatem, quæ competit eccleſia-
ſticis perſonis, & rebus ad eas ſpectantibus; & ſecun-
dum Archidiaconum *in cap. Cùm devotiſſimam num.* 3.
12. *quæſt.* 2. Immunitas, & libertas, vel ſecuritas ipſius 33
Eccleſiæ; & conſentiunt ibi Bellam. *num.* 5. & Gemin.
num. 2.

Deinde quod omnem tollit difficultatem, Gregorius
innovat pœnas à ſacris Canonibus promulgatas non ſo-
lum contra violatores immunitatis, ſed etiam libertatis
eccleſiaſticæ ibi: *Declaramus eum ipſo facto cenſuras, &
pœnas eccleſiaſticas incurrere, quæ contra libertatis, iuris,
& immunitatis eccleſiaſticæ violatores per ſacros Cano-
nes, & Conciliorum generalium, noſtrorumque prædeceſſo-
rum Conſtitutiones ſunt promulgatæ.* Quod cùm ita
ſit hunc caſum eſſe Papalem videtur probari hoc argu-
mento.

Ex Conſtitutione Gregorii extrahentes reos ab Eccleſiis incidunt in cenſuras à Conſtitutionibus Apoſtolicis promulgatas contra violatores libertatis eccleſiaſticæ: ſed cenſuræ à Conſtitutionibus Apoſtolicis promulgatæ contra violatores libertatis eccleſiaſticę ſunt Sedi Apoſtolicæ reſervatæ in dictis Extravag. ergo ex Conſtitutione Gregorii extrahentes reos ab eccleſiis incidunt in cenſuras Sedi Apoſtolicę reſervatas.

Ad hæc eccleſiaſticam violare immunitatem, ut ait Cajet. *in ſumm. eodem tit. in princ.* eſt tamquam generale peccatum ad omnes ſacrilegii ſpecies; violatur ſiquidem eccleſiaſtica libertas injuriam inferendo, & perſonis, & locis, & rebus ſacris. Et Gregorius in d. Conſtitutione innovavit pœnas omnes contra ſingulas ſacrilegii ſpecies à ſacris Canonibus inflictas, ut indicant verba illa Conſtitutionis: *Declaramus enim cenſuras & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis eccleſiaſticæ violatores, &c.* verbum enim libertatis ad perſonas refertur, verbum juris ad bona, verbum immunitatis ad loca: ſed violantes, ſeu offendentes perſonas, bona, & loca in certis caſibus incidunt in pœnas, & cenſuras Sedi Apoſtolicæ reſervatas, ut de perſonis eſt expreſſum *in c. Si quis ſuadente 17. q. 4. in c. Non dubium, cap. Porro, & cap. Ea noſcitur ſupra eod. & in hoc c. cum multis concordan.* De bonis patet in caſibus *c. Clericis §. Nos igitur de immunit. Eccleſ. l. 6. & c. Quicumque de ſent. excomm. eod. lib. de locis* juxta terminos *c. Conqueſti, & c. Tua nos ſupra eod.* ergo & violantes immunitatem in terminis prædictæ Conſtitutionis.

34 Et hac ratione tollitur aliud fundamentum praxis Archiepiſcopalis, quod in Bulla Cœnæ excommunicentur ſolum ſtatuentes contra libertatem Eccleſiæ: nam cùm Gregorius generaliter innovaverit pœnas, & cenſuras à Conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatutas pro qualibet ſpecie violationis, libertatis, ſeu juris, ſive loci materialis Eccleſiæ, ut probatum eſt, non incongruè dici poteſt innovaſſe etiam cenſuras per Bullam Cœnæ ſtatutas contra illam ſpeciem violationis Eccleſiæ, quæ fit per viam ſtatuti, vel conſuetudinis. Atque ita eum, qui reos inconſulto Epiſcopo, extrahit ab Eccleſia incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ſentit, licet id aliàs non probet, Anton. Faber. *in ſuo Codic. diffinit. forenſ. tit. de his, qui ad Eccleſ. confug. n. 17.*

Præterquamquod etſi Bulla Cœnæ ad hunc caſum non pertineret, ſatis eſt tamen ut per alios Canones, & Conſtitutiones cenſuræ impoſitæ propter offenſam libertatis Eccleſiæ ſint reſervatæ Sedi Apoſtolicæ. Quinimò etſi Gregorius ſuam Conſtitutionem non edidiſſet, adhuc tamen excommunicatio extrahentium reos ab Eccleſiis in caſibus non exceptis eſſet reſervata per dictas Extravagantes: quæ cùm caſum offenſæ libertatis eccleſiaſticæ recenſeant tamquam reſervatum, nec diſtinguant ſpeciem offenſionis, certè non minus intelligi debent de offenſione libertatis eccleſiaſticæ, quæ fit extrahendo aliquem ab Eccleſia, quam de alia offenſionis ſpecie, & qualitate: utroque enim modo dicitur offendi, ac violari Eccleſiæ libertas, ut patet *in c. Reum, in c. Frater, & in c. Diffinivit 17. q. 4.* & dictum eſt ſupra.

Neque his obſtat Extravag. *Inter cunctas*, quæ eſt prima in tit. de privil. inter communes, ubi Benedictus XI. ponit violationem immunitatis, & libertatis. Eccleſiæ inter caſus reſervatos ex conſuetudine. 35

Reſpondetur, enim dict. Extravagant. fuiſſe poſtea revocatam à Clem. V. in Concil. Vien. ut patet in Clem. *Dudum in princ. de ſepultur.* ut illic advertit gloſ. *in verb. Aliam, & in d.* Extravag. *Inter cunctas, in verb. Conſtitutionem,* & Ang. *in verb. Caſus.*

Poſtremò in confirmationem hujus ſententiæ afferuntur duo decreta Clementis VIII. ex voto Sacræ Congregationis Epiſcoporum edita, quæ ſatis apertè dirimunt hanc controverſiam: etenim in primo Decreto prohibetur quibuſcumque confeſſariis, ne quemquam abſolvant à caſibus quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis. In ſecundo declaratur, quinam ſint hi caſus; & inter alios commemoratur violatio immunitatis eccleſiaſticę in terminis Conſtitutionis Gregorii XIV. Quare manifeſtum eſt hodie hunc caſum eſſe reſervatum Pontifici. Quod autem in ſecundo Decreto Clementis in prima parte agatur de caſibus Papæ, non autem Epiſcopo reſervatis, ex eo patet, quia de reſervatis Epiſcopo ſpecialiter agitur paulò inferius in verſ. *Item omnes caſus.* 36

Neque obſtat, ut notatur in praxi Archiepiſcopali Montis Marani in addit. quod Decretum Clem. præſervet poteſtatem Epiſcoporum, & non afficiat niſi confeſſarios: nam reſpondi tur dictum Decretum, qua parte prohibet abſolutionem à reſervatis, non comprehendere quidem Ordinarios locorum; ſed ubi docet caſum violatæ immunitatis eſſe reſervatum Pontifici, neceſſariò inſinuat illius abſolutionem ad Ordinarios non pertinere. Hæc enim importat reſervatio, *ut cap. Nuper infra eod. cap. 2. de pœnit. & remiſſ. lib. 6. cap. ult. de offic. Vic. eod. lib. cap. Quod tranſlationem,* cum ibi not. *ſupra de off. leg. cum ſimilib.* Atque ita quamvis de novo non prohibeat, indicat tamen hanc eſſe juris prohibitionem, quæ adimit Epiſcopis abſolvendi facultatem.

Propoſito ſupraſcripto dubio in Sacra Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum, videlicet: An abſolutio à cenſuris ob violatam immunitatem eccleſiaſticã juxta terminos Conſtitutionis Gregorii XIV. quæ incipit, *Cum alias nonnulli*, ſit Sedi Apoſtolicæ reſervata, necne? Sacra Congregatio cenſuit eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervatam.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III. Abbati Sancti Andreæ.

C A P U T XXVIII.

A Nobis eſt ſæpè quæſitum, utrùm ſi aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifeſta, nec per eum ſteterit, quo minus reconciliaretur Eccleſiaſticæ unitati, non ſuſcepto beneficio abſolutionis deceſſerit, pro abſoluto ab Eccleſia ſit habendus? & utrùm pro tali recipienda ſit eleemoſyna, & à fidelibus ſit orandum? & infrà. Nos igitur conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quòd judicium Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quàm & fallere ſæpè contingit: & falli: propter quòd contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus eſt apud Deum, in culpæ remiſſione diſſolvitur: illud autem, quo ligatus eſt apud Eccleſiam, cùm ſententia remittitur, relaxatur: Quòd in ſuſcitatione Lazari ſermo Euangelicus manifeſtat: quem priùs Dominus ſuſcitavit, & Apoſtolis præcepit poſtmodum ſolvere ſuſcitatum. Unde quantumcumque ſe quis juramento præſtito, quòd Eccleſiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantumcùmque pœnitentiæ ſigna præceſſerint, ſi tamen morte præventus abſolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis abſolutus apud Deum fuiſſe credatur, nondum tamen haben-

Digitized by Google

habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus: Poteſt tamen & debet ei Eccleſiæ beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur. Nec obſtat, quòd Eccleſiæ legitur attributa poteſtas ligandi atque ſolvendi homines ſuper terram, tamquam non poſſit ſolvere, & ligare ſub terra ſepultos: & quod legitur; non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum & vivo: cùm & ſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit, & in certis caſibus à Canonibus denotatis, ligaſſe legatur Eccleſia mortuos, & ſolviſſe. Ut autem in uno pariter & eodem negotio, & ſervemus rigorem, & manſuetudinem oſtendamus: ſtatuimus, ut illius mortui abſolutio à Sede Apoſtolica requiratur, qui cùm viveret, ab ea fuerat abſolvendus: aliorum autem abſolutionem ex præmiſſa cauſa cæteris indulgemus, à quibus dum viverent, fuerant abſolvendi. Abſolutionis autem forma ſervetur, ut fiat cum pœnitentiali Pſalmo, & tam oratione Dominica, quàm alia conſueta. Hæredes quoque ipſius ad ſatisfaciendum pro ipſo, ſi monitione præmiſſa noluerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam compellantur.

S V M M A R I V M.

1 *Excommunicatus, in quo apparuerunt in morte contritionis evidentia ſigna, poſt mortem abſolvitur ab eo, à quo vivens fuerat abſolvendus, & n. 14. & 30.*
2 *Et heredes ab Eccleſia pro eo ſatisfacere compelluntur, & n. 3. & n. 31.*
3 *Excommunicato defuncto non eſt communicandum ante abſolutionem, nec pro ipſo orandum, licet ſit quoad Deum abſolutus.*
4 *Veritas & opinio in quo differant, & n. ſeqq.*
5 *Vero omnia conſonant.*
6 *Veritas eſt ſolidiſſima res, & murus inexpugnabilis.*
7 *Opinio poteſt ſe habere ad verum, & ad falſum.*
8 *Eccleſia quandoque errat ligando non ligandum.*
9 *Et quid in Eccleſia univerſali.*
10 *Contritus eſt abſolutus quoad Deum etiam ante abſolutionem ſacramentalem.*
11 *In contritione tamen ſacramenti votum includitur.*
12 *Pœnitentia, & ea quæ conſiſtunt in animo, probantur per ſigna exteriora.*
13 *Pœnitentiæ ſigna quæ ſint.*
14 *Abſolutionis formula pro excommunicato, qui in excommunicatione deceſſit.*
15 *Mortuus poteſt creari miles.*
16 *Mortuus an poſſit fieri Doctor.*
17 *Mortuo poteſt iniuria inferri, & n. ſeq. ficte tamen, ſed non verè, n. 21.*
18 *Legatarius carnaliter cognoſcens uxorem teſtatoris poſt eius mortem, indignus eſt legato.*
19 *Mortuum ſpolians dicitur eum offendere.*
20 *Mortuos exterrantes, membratim concidentes, aut aquis coquentes, excommunicati ſunt.*
21 *Exanimatum corpus vulnerans non punitur tamquam de vulnere.*
22 *Irregularis an ſit Clericus, qui volens occidere hominem, eidem mortuo caput amputavit, & n. ſeq.*
23 *Irregularis non eſt dans cauſam aborti fœtus inanimati.*
24 *Irregularitas non contrahitur niſi in caſibus in iure expreſſis.*
25 *Mortuum Clericum percutiens an ſit excommunicatus, & n. ſeqq.*
26 *Mortuus poteſt tradi eccleſiaſticæ ſepulturæ tempore interdicti, ſi vivens habebat privilegium de ingrediendo in Eccleſiam.*
27 *Privilegium Canonis an datum fuerit in favorem Ordinis Clericalis, & n. 29.*
28 *Mortuus non poteſt tradi ſepulturæ in civitate, in qua vivens morari non poterat.*
31 *Heredes eius, qui poſt mortem debet abſolvi, compelluntur ab Eccleſia ſatisfacere iniuriam paſſo, quamvis ſint laici.*
32 *Heredes an teneantur ſatisfacere pro excommunicato abſolvendo, licet ad eos nihil pervenerit ex bonis defuncti, & n. ſeqq.*
33 *Quid ſi defunctus dederit ſigna contritionis.*
34 *Et quid ſi non dederit huiuſmodi ſigna.*
35 *Votum defuncti tenetur hæres adimplere.*

1 A *Nobis, il ſecondo.* Excommunicatus, in quo apparuerunt in morte contritionis evidentia ſigna, poſt
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.

mortem abſolvitur ab eo, à quo vivens fuerat abſolven-
dus. Ad ſatisfactionem verò ad quam tenebatur compel- 2
luntur hæredes. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Cardin. & An-
charan. vel plenius ſecundum Abbatem, Felin. & Marian. 3
Socin. excommunicato decedenti in excommunicatione
quantumcumque contritus deceſſerit, non eſt communi-
candum ante abſolutionem, nec pro eo orandum, licet ſit
quoad Deum abſolutus: ſed ſi conſtet Eccleſiæ de contritio-
ne præcedenti abſolvetur etiam poſt mortem ab eo, à quo
vivus fuerat abſolvendus; & hæredes ejus compelluntur
per Eccleſiam ad ſatisfactionem pro eo. Hoc dicunt. Divi-
ditur in duas partes principales, & ſecunda ſubdividitur in
ſeptem, ut per Jo. Andr.

Nota primò ibi, *veritati qua non fallit &c.* differentiam 4
eſſe inter veritatem, & opinionem: nam veritas nec fal-
lere, nec falli poteſt, quia, ut dixit Philoſophus *in 1. Ethicor.*
vero omnia conſonant & veritas eſt perpetuæ exiſtentis rei 5
tanta ſoliditas, ut cæteris defluentibus, ipſa in ſuo eſſe
maneat inconcuſſa, ſecundum Jo. Andr. *in c. Damnamus*
n. 11. de Summ. Trinit. & fid. Cathol. & eſt ſolidiſſima res, 6
& murus inexpugnabilis, ut legitur *Eſdra 3. c. 4.* & notat
Bald. *in c. Sicut n. 11. verſ. Quia veritas de probation. cum*
ſimilib. ut per Afflict. *deciſ. 253. n. 7.* Opinio verò poteſt ſe
habere ad falſum, & ad verum: & à Philoſophis diffinitur 7
eſſe aſſenſus pro una parte cum formidine alterius, ut dixi *in*
c. Ne innitaris n. 44. ſupra de Conſtitut. & ideò falli, & falle-
re poteſt, ut hic.

Secundò nota ibi, *Iudicium autem Eccleſiæ*, quandoque 8
Eccleſiam errare ligando non ligandum, vel abſolvendo
non abſolvendum: & rationem habes in textu, quia illius
judicium nonnumquam innititur opinioni, ſecundum
quam judicat de iis, quæ prorſus manifeſta non ſunt: me-
ritò falli, ac fallere poteſt, & ſic errare; cùm errare aliud
non ſit, quàm unum pro alio putare, *cap. In quibus 22. q. 2.*
c. Quamvis 28. diſtinct. quod tamen intelligit Hoſt. *hic n. 3.* 9
de eccleſia particulari, non autem de generali ſimul congre-
gata quia illa numquam errare poteſt, *c. A recta 24. q. 1.*
ſecundum eum, ſed Abb. *hic n. 2.* dicit hoc verum eſſe in
his, quæ pertinent ad fidem, ſeu articulos fidei. In reliquis
verò ſecundum eum Eccleſia univerſalis poteſt errare, cùm
ducatur opinione, quam fallere ſæpè contingit, & falli, ut
hic dicitur: quemadmodum & generale Concilium univer-
ſalem Eccleſiam repræſentans errare poteſt excommuni-
cando fortè Præfatum, qui non erat excommunican-
dus: & hoc magis placet etiam Marian. Socin. *hic n. 10.* Sed
de hac materia tu vide omninò quod ſcripſi *in c. Maiores à*
n. 3. uſque ad n. 37. ſupra de Baptiſm. ubi latiſſimè examinavi
an, & quando judicium Eccleſiæ, & Concilii ſit infallibile.

Tertiò nota ibi, *quamvis abſolutus apud Deum fuiſſe cre-* 10
datur, arg. quod eo ipſo quod quis eſt de peccato contritus,
eſt abſolutus quoad Deum etiam ante abſolutionem ſacra-
mentalem; & ſic contritio peccatum remittit, dummodo ſit
in actu, vel fide, ſeu ſpe ſuſcipiendæ abſolutionis, Marian. 11
Socin. *hic n. 13.* Hodie hoc diffinitum eſt à Tridentin. Synodo
ſeſſ. 14. in doctrina de Sacramen. Pœnit. c. 4. de contrit. ibi: *Do-*
cet præterea etſi contritionem hanc aliquando charitatem per-
fectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam
hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconci-
liationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa in-
cluditur non eſſe adſcribendam.

Quartò nota ibi, *per evidentia ſigna conſtiterit:* Pœni- 12
tentiam, & ea, quæ conſiſtunt in animo, probari per ſigna

13 contritio. Sunt autem pœnitentiæ ſigna verbalis detesta-
tio delicti, petitio abſolutionis, oblatio Sacramenti de
parendo mandatis Eccleſiæ, elevatio oculorum, & manuum
ad cœlum, percuſſio oris, & pectoris, quia forte loqui non
poteſt, & his ſimilia, c. *Quæ inceduntur*, c. *Præceden*, *& tribus*
ſeqq. 26. q. 6. Hoſtien. hic n. 1. Jo. Andr. n. 2. & alii commu-
niter: & adde quod ſcripſi *in c. Ad abolendam an.* 15. *ſupra*
de hæretic.

14 Quintò nota ibi, *Defuncto etiam abſolutionis beneficium*
impendatur: non tantum vivum, ſed etiam mortuum, qui
ante obitum dedit evidentia ſigna pœnitentiæ, abſolvi
poſſe ab excommunicatione: & ita fuiſſe practicatum in
perſona incliti Capitanei Domini de Forte Brachio, re-
fert hic Marian. Socin. *in* 8. *notab.* & ego ſæpius vidi ob-
ſervatum in Sac. Pœnitentiaria. Formalia autem pro ab-
ſolutione illius, qui in excommunicatione deceſſit, eſt hu-
juſmodi videlicet; *Quare ſi ſic vobis viſum fuerit, vobiſ-*
que de prædictis N. viventis pœnitentia per evidentia ſigna
conſtiterit, ut eundem ſic defunctum, dummodo illius hæ-
redes injuriam paſſis, quibus ille, ſi viveret, occaſione præ-
miſſorum ſatisfacere teneretur, prius competenter ſatisfa-
ciant, vel per eos non ſtet, quominus arbitrio veſtro ſatiſ-
faciant competenter in eo, in quo tenentur, ab excommuni-
cationis ſententia, quam propter præmiſſa incurrit, abſol-
vere in forma Eccleſiæ conſueta, & in foro conſcientiæ tantum
licitè valeatis ad effectum dumtaxat, ut pro illius anima pu-
blicæ, & privatæ orationes, ac preces fieri, ejuſque corpus ec-
cleſiaſticæ tradi ſepulturæ poſſint, facultatem, & auctoritatem
vobis concedimus. Dat. &c.

15 Ex prædictis infertur, ut poſt mortem poſſit quis nobi-
litari, & creari miles, ut hic firmat Abb. *n.* 7. dicens hoc
voluiſſe Bartol. *in l.* 1. *C. de dignitat. lib.* 12. licet Bart. *ibi n.*
72. non loquatur de mortuo, ſed tantùm dicat poſſe quem
effici militem in puncto mortis; tamen cum Abbate con-
tendit Felin. *hic n.* 2.

16 Et per prædicta in publicis concluſionibus, quas tridui
defendi Peruſiæ in Aula Palatii, dum eſſem Scholaris,
diſputandum ſuſtinui mortuum poſſe Doctoratus laurea
inſigniri, ut in meo libello Typis excuſo, qui inſcribitur,
Problemata cum methodo juris univerſi, in 132. *Problema-*
te. Oppoſitum tamen tenet Abbas *hic num.* 8. dicens ſe
aliàs in facto fuiſſe de hoc interrogatum, & reſpondiſſe
poſt mortem non poſſe quem doctorari, quia hæc dignitas
confertur ad docendum alios, *l. Magiſtros C. de profeſſor.*
& medicis lib. 12. quod non poteſt mortuus: & eum ſe-
17 quitur Felin. *d. num.* 2. Et tenendo hanc opinionem non
obſtat, quod mortuus videatur poſſe honoribus, & inſigniis
decorari, quia etiam poteſt injuria affici, ut notat Bart.
18 *in l.* 1. *num.* 3. *ff. de his quibus ut indign.* qui ex hoc deducit
verum eſſe, quod dicit gloſ. *in l. Sororem in fin. C. eod.* vide-
licet quod ille, qui concubuit cum uxore teſtatoris poſt
ejus mortem, indignus eſt legato, & ſic applicatur fiſco;
quia ſi vivo defuncto hoc feciſſet, ipſum ad iracundiam
19 provocaſſet: ergo idem poſt mortem. Unde & qui mor-
tuum ſpoliat dicitur eum offendere, *ut l. Qui ſepulchra C. de*
20 *ſepulchr. violat.* Facit ad hoc Extravag. Bonif. VIII. *Deteſtan-*
da de ſepult. ubi excommunicantur exterrantes mortuos,
aut eos in fruſtra concidentes, aut aquis coquentes. Cu-
21 jus Canonis materia, ut inquit Cardin. Cajet. *in Summ.*
in verb. Excommunicatio c. 70. eſt crudelitas, & immani-
tas in cadavera humana. Id, inquam, non obſtat, quia
dictum Bartol. procedit fictè, ſed non verè, ut declarat
Bald. *in d. l. Sororem n.* 2. *&* 3. *C. de his quib. ut indignis*: un-
de ſecundum eum qui exanimatum corpus vulnerat, non
punitur tamquam de vulnere, quia corpus mortuum inju-
riam non ſentit, *ut l.* 1. *C. Qui accuſari non poſſ.* ſequitur
Felin. *ubi ſupra*.

22 Et per hoc infertur ad aliam quæſtionem quam ſic for-
mat Archid. *in cap. Si quis*, *il ſecondo num.* 2. 15. *q.* 1. vide-
licet. Pone quod Clericus animo deliberato iter arripuit
ad interficiendum hominem, ſed non potuit, quia cum
invenit mortuum, nihilominus iræ ſuæ ſatisfacere volens,
eidem mortuo caput amputavit: quæritur an ſit irregula-
ris.

Quidam dicunt hunc Clericum irregularem propter
intentionem cum opere ſubſequuto, arg. *cap. Nuper*, *&*
cap. ult. ſupra de Bigam. pro quibus facit quod notatur *in c.*
Si quis 51. *diſtinct. & in c. fin.* 23. *quæſt. ult.* & melius *in cap.*
23 *Perniciose in fin. de pœniten. diſt.* 1. Contrarium determinat
ibi Archidiac. quia hic non erat homo, ſed mortuus: nam
cadaver non eſt homo, ut patet *in cap. In quadam de cele-*
brat. Miſſ. ubi dicitur ad eſſe hominis duo eſſe principa-
liter neceſſaria, ſcilicet corpus, & animam, Item *cap.*
Charitas, *verſ. Item corpus de pœnit. diſt.* 2. & lex promo-
tionis factum requirit, *ut in d. cap. Si quis*, idest ut homo
jam animatus actu interficiatur, ut patet expreſsè *in cap.*
Sicut, *il ſecondo*, *de homicid. & in cap. Quod vero* 32. *q.* 2.
In quibus juribus patet dantem cauſam abortioni non eſſe
homicidam, neque irregularem, ſi conceptus nondum
erat vivificatus anima rationali. Item irregularitas non 24
contrahitur niſi in caſibus in jure expreſſis, *ut in cap. Is*
qui, *de ſent. excomm. lib.* 6. Nec iſto caſu invenitur im-
poſita, ſecundum Archidiacon. qui dicit idem notaſſe
Alanum, Vincent. & Bernard. *in cap. Si aliquis de ho-*
micid.

Et per hanc poteſt decidi alia quæſtio, numquid percutiens 25
Clericum mortuum incidat in excommunicationem Cano-
nis, *Si quis ſuadente* 17. *q.* 4.

Et quidem Felin. *hic num.* 4. putat hunc eſſe excommu- 26
nicatum. Movetur primò per text. *in ſimil. in cap. Quod*
in te de pœnit. & remiſſ. ubi privilegium datum Clericis
de ingrediendo eccleſiam tempore interdicti habet locum,
ut mortuus ibi tradatur eccleſiaſticæ ſepulturæ. Deinde 27
movetur quia privilegium Canonis non eſt datum ratione
ordinis, cùm ſit datum etiam converſis, laicis, & novi-
tiis, *cap. Non dubium ſupra eodem*, *cap. Religioſo eod. tit.*
lib. 6. qui tamen non habent Ordines. Pro hac parte facit 28
text. *in l. Si quis in inſulam ff. de cadaverib. punitor.* ubi Bart.
[Nota inquit hanc litteram, quia non reperies alibi, &
habes quod ille, qui in vita non poteſt morari in civitate,
poſt mortem non poteſt duci ad civitatem ad ſepulturam,]
& eum ſequitur Card. in Clem. 1. *in fin. de pœnitent. &*
remiſſ.

Contrarium puto verum, quia negari non poteſt, quin 29
privilegium Canonis datum ſit in favorem Ordinis Cleri-
calis: nam quicquid dicat Felin. de hoc eſt text. rotundus
in cap. Contingit, *il primo*, *infra eodem*, ibi: *Cum ille Ca-*
non non tam in favorem clerici ordinati, quàm in favorem
ordinis clericalis fuerit promulgatus, *& in cap. unico de Cle-*
ric. coniugat. lib. 6. ibi: *Privilegium retineant Canonis ab*
Innocentio Papa II. editi in favorem totius Ordinis Clerica-
lis. Mortuus autem non habet Ordines *cap. Licet* 32. *q.* 2.
Nec refert, quod privilegium hoc datum ſit etiam conver-
ſis, & novitiis non ordinatis: quoniam datur eis dum
vivunt, non autem poſt mortem: & Canon. *Si quis ſua-*
dente, loquitur de Clericis. Mortuum autem non eſt Cle-
ricus, quia characterem non habet, cùm character non
imprimatur corpori, ſed animæ, ut in Concilio Tridenti-
no *ſeſſ.* 7. *de Sacram. can.* 7. Item prædictus Canon, excom-
municat injicientem manus violentas in Clericum: at mor-
tuo non poteſt inferri violentia, ut ex Bald. dictum eſt ſu-
pra *num.* 21. Item ſicut præcidens caput mortui non inci-
dit in irregularitatem, ut dictum eſt in præcedenti quæſtio-
ne, ita nec percutiens Clericum mortuum incidit in ex-
communicationem, quia ſicut irregularitas non contrahi-
tur niſi in caſibus in jure expreſſis, ut dictum eſt ſupra *n.* 24.
ita nec pœna excommunicationis, gloſ. 1. *in Clem.* 1. *de*
conſang. & affinit. facit gloſ. penult. in c. fin. ſupra de iurepatr.

Sextò, nota ibi: *A quibus dum viverent fuerant abſol-* 30
vendi. In caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis decedenti in
excommunicatione impendendam eſſe abſolutionem à Sum-
mo Pontifice dumtaxat: In aliis verò non reſervatis poſ-
ſe impendi etiam ab inferiore, qui poterat viventem ab-
ſolvere, ut in littera: & hoc non ex indulgentia hujus
Decretalis, ſed de jure communi, ut hic in gloſ. *in verb.*
Cæteris.

Ultimò nota ex fine textus caſum notabilem in 31
quo Eccleſia exercet juriſdictionem in laicos, compel-
lendo ſcilicet hæredes ejus, qui poſt mortem debet ab-
ſolvi, ut pro eo ſatisfaciant injuriam paſſo, licet ipſe
dum viveret expreſsè hoc non mandaverit: nam ex
quo dedit ſigna exteriora contritionis, ſatis videtur de-
bitam ſatisfactionem tacitè injunxiſſe, ut hic in gloſ.
final. unde cùm iſte actus reſpiciat favorem animæ de-
functi, & hæredis, & piam cauſam, meritò Eccleſia
vendicat ſibi juriſdictionem ſecundum Abb. *hic num.* 5.
& Marian. Socin. *num.* 24. concordat text. *in cap. ult.*
ſupra de ſepultur. & in cap. In litteris de raptor. ibi:
Hæc-

Digitized by Google

Hæredes eius moneas, & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra iuſtitiam irrogaverat iuxta facultates ſuas condigne ſatisfaciant, ut ſic à peccato valeat liberari, alias legitur, *valeant*, ideſt hæredes ſecundum Vincen. & Jo. Andr. *ibi in fin.*

32 Sed hic inſurgit quæſtio an hæredes excommunicati teneantur pro eo ſatisfacere injuriam paſſo, etiamſi ad eos nihil pervenerit ex bonis defuncti.

33 Pro ſolutione breviter ſic diſtingue, aut excommunicatus præbuit ante obitum ſigna pœnitentiæ, ſeu contritionis, aut non præbuit. Primò caſu hæredes tenentur etiamſi nihil ad eos pervenerit: & in hoc caſu intelligi debet hoc cap. & gloſ. *fin. in cap. ult. de ſepultur.* dum ex eo text. colligit de jure canonico hæredes teneri ad ſatisfactionem pro delicto defuncti, etiamſi ad eos nihil pervenerit, & lis cum defuncto non fuerit conteſtata: nam ex quo deceſſit contritus, & ſic voluit iſtud conſequens ſcilicet abſolutionem, meritò videtur voluiſſe antecedens neceſſarium ad ipſum
34 conſequens, quod eſt ſatisfactio, argum. *cap. Cum ſuper ſupra de off. Delegat.* quòd perpetuò ſingulariter notabis ad limitationem eorum, quæ ſemper dicuntur, quod ſingulariter hæres non tenetur ex delicto defuncti, niſi quatenus ad eum pervenit, quia iſtud procedit ſi ſine contritione mortuus eſt, ut mox dicetur, alias ſecus. Quod eſt ſingulari nota dignum, & quotidie poteſt contingere, & multi falluntur, ut dicit Marian. Socin. *hic n. 29.* Secundò autem caſu cum ſcilicet defunctus ſigna contritionis non dedit, dicendum eſt hæredes non teneri, niſi quatenus ad eos pervenit ex bonis illius; & ita intelligi debet text. *in d. cap. ult. de ſepultur.* ibi: [Sed ejus hæredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipſius, ut pro eodem ſatisfaciant, cenſura ſunt eccleſiaſtica compellendi.] Et ſic cogendi ſunt tantummodo reſtituere rem illicitè acquiſitam, quia res tranſivit cum onere ſuo, *ut cap. Ex litteris ſupra de contrahen. empt. cap. Sæpè de reſtitut. ſpoliat.* nam & votum defuncti tenetur hæres adimplere, ut 35
legitur, & notatur *in cap. Licet* §. 1. *& 2. ſupra de voto*; ita formaliter diſtinguit Hoſtien. *hic num.* 21. *&* 22. cujus diſtinctionem poſtea probat Joan. Andr. *num.* 18. Butr. *num.* 30. Cardin. *num.* 5. Anchar. *n.* 8. Abb. *num.* 5. Felin. *circa finem*, *verſ. Nota ſingulariter hanc gloſ.* & Marian. Socin. *n.* 25.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS,

Idem Innocentius III. Vvratislavien. Epiſcopo.

CAPUT XXIX.

NUper à nobis tua diſcretio requiſivit, quid de illis laicis ſit faciendum, qui clericos (ſine læſione tamen) in cuſtodia detinent publica vel privata, vel etiam detrudunt in vincula? Et utrùm, qui nominatim excommunicatis ſcienter communicant, abſolvi ab excommunicatione poſſint per confeſſionem à ſimplici Sacerdote; vel Epiſcopi ſeu Archiepiſcopi ſit ab eis abſolutio expetenda? Nos igitur inquiſitioni tuæ ex ordine reſpondemus, quòd in primo conſultationis articulo non credimus laicos pœnam excommunicationis evadere, quamvis per eorum factum corporalis læſio non fuerit ſubſecuta, citra quam violentia ſæpiùs circa clericos nequiter perpetratur. In ſecunda verò quæſtione credimus diſtinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, ſcienter in crimine communicet criminoſo, ei conſilium impendendo, auxilium vel favorem: aut aliàs in oratione, vel oſculo, aut orando ſecum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cùm talis communicet crimini, & participet criminoſo, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo, vel ejus ſuperiore, meritò delicti, tunc erit abſolutio requirenda: cum facientem, & conſentientem par pœna conſtringat. In ſecundo verò caſu à ſuo Epiſcopo, vel à proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere: quamvis enim, & tunc non judicis, ſed juris ſententia excommunicato communicans ſit ligatus: quia tamen conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi. Is autem; qui juxta primum modum excommunicato communicat, cum juramento debet abſolvi, qui verò juxta ſecundum modum, reconciliari poterit ſine juratoria cautione. Verùm ſi difficile ſit, ex aliqua juſta cauſa, quod ad ipſum excommunicatorem abſolvendus accedat: concedimus indulgendo, ut præſtita juxta formam Eccleſiæ, cautione, quòd excommunicatoris mandato parebit, à ſuo abſolvatur Epiſcopo, vel proprio Sacerdote.

SUMMARIUM.

1 *EXcommunicatus eſt qui Clericum detinet in cuſtodia publica, vel privata, aut in vinculis etiam ſine corporali læſione, & n. 4.*
Declaratur procedere ſi hoc faciat animo inferendi iniuriam, ſeu violentiam Clerico. Secus ſi aliam ob cauſam, n. 12.

2 *Communicans excommunicato ſcienter in crimine excommunicatus eſt, & non poteſt abſolvi niſi ab excommunicatore, vel ipſius ſuperiore, & cum iuramento, & n. 14.*

3 *Communicans excommunicatum extra crimen incurrit minorem excommunicationem, & reconciliari poteſt ſine iuramento per ſimplicem ſacerdotem, & n. 14.*
Et quid poſt Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, n. 15. verſ. Cæterùm adverte.

5 *In carcere, vel in vinculis detinere an differant.*

6 *Carceratus, vel detentus in vincula non dicitur lædi corporaliter.*

7 *Carcer, & vincula principaliter non ſunt ad pœnam, Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal. ſed ad cuſtodiam.*

8 *Violentia in Clericum perpetratur etiam citra iniectionem manuum, ſeu corporalem læſionem, quod pluribus exemplis oſtenditur.*

9 *Excommunicatus eſt qui rem de manu Clerici rapit, vel quæ illius corpori adhærent, aut eum per veſtem tenet, aut per frænum equi.*
Equum occidens, cui Clericus inſidet, non incidit in Canonem, ibid.

10 *Caſtrum obſidens non animo detinendi in cuſtodia Clericum ibi exiſtentem, ſed capiendi caſtrum, vel faciendi Clerico verecundiam, non eſt excommunicatus.*

11 *Clericum cogens per metum ad ſe redimendum, vel exeundum è domo ut ipſam occupet, excommunicationem non incurrit.*

12 *Communicans criminoſo, in crimine præſtando illi conſilium, auxilium, vel favorem, tenetur eadem pœna cum principali.*

13 *Communicare excommunicato quis dicitur non ſolum comedendo, loquendo, vel deoſculando, ſed etiam cum ipſo orando.*

15 *Communicans ſcienter excommunicato extra crimen an peccet mortaliter, remiſſivè.*

16 *Abſolvere poteſt inferior ab omni excommunicatione lata à Canone, quoties Conditor Canonis ſibi non reſervavit abſolutionem, & n. 29.*

Quod habet locum nedum in Canone Papæ, ſed etiam in ſtatu Epiſcopi, vel Prælati, ibid.

17 *Ingrediens ſepta monaſterii Monialium abſque licentia Ordinarii, vel alterius ſuperioris an incurrat excommunicationem Papæ reſervatam ex Bulla Gregorii XIII. & n. ſeqq. uſque ad n. 37.*

18 *Cauſa etiam injuſta excuſat quem à contumacia.*

19 *Culpa ubi eſt maior, ibi debet eſſe maior vindicta.*

20 *Diſpoſitio pœnalis injungens pœnam excommunicationis non reſtringitur, ſed extenditur.*

Contrarium, n. 30.

21 *Proœmii verba denotant cauſam finalem Conſtitutionis.*

22 *Lex non imprimit effectum ſuum, niſi in illas perſonas, quibus verba legis congruunt.*

23 *Ingredient ſepta monaſterii Monialium prætextu licentiæ revocata, aut Ordinarii licentia abutentes, magis delinquunt, quàm ingredientes ſine licentia, & n. ſeq.*

24 *Frequentia delicti eſt juſta cauſa reſervationis abſolutionis.*

25 *Epiſcopi non debent promiſcuè ſibi reſervare caſus, quibus à iure annexa eſt excommunicatio, niſi fortè propter frequentiam, ſcandalum, vel aliam neceſſariam cauſam.*

Statuens contra libertatem Eccleſiæ magis punitur, quàm ſtatuens contra ius Eccleſia, licet minus delinquat, & cur? ibidem verſ. Hinc etſi ſtatuens.

26 *Eccleſiarum fructus, & bona ſurripientes non incidunt in excommunicationem, niſi id faciant authoritate uſurpata, & ſub ratione bonorum Eccleſiæ.*

27 *Domini temporales, & magiſtratus quicumque impedientes libertatem matrimonii, incidunt in excommunicationem* cap. 9. ſeſſ. 24. de reformat. matrimon. *Concilii Tridentini, non autem privata perſona.*

28 *Caſus omiſſus in lege nova remanet in diſpoſitione iuris antiqui.*

29 *Monaſterium Monialium ingredientes ſine licentia ex Concilio Tridentino incidunt in excommunicationem, non tamen Sedi Apoſtolicæ reſervatam.*

30 *Pœna nulla eſt maior in Eccleſia, quàm excommunicatio; ideoque in illa non debet fieri extenſio, ſed potius reſtrictio.*

31 *Clericum pedibus percutiens, vel perfundens aqua, aut in eum ſpuens, vel eius veſtem frangens excommunicatus eſt.*

32 *Reſervatio caſus non inducitur ex eo quod Summus Pontifex abſolutionem ab illo caſu impertitus fuerit, & n. ſeq.*

33 *Pœnitentes habent tres iudices, qui nomine proprii ſacerdotis comprehenduntur, Papam, Epiſcopum, & Parochum.*

34 *Papa ſi aliquid faciat de plenitudine poteſtatis, non præiudicat inferioribus, nec contra eos præſcribit.*

35 *Mulieres abſque licentia monaſteria virorum ingredientes, ex declaratione Pii V. incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam.*

36 *Excommunicatio propter ingreſſum in Monaſteria Monialium ad malum finem, eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata.*

37 *Abſolutio à cenſuris, in quas incidunt Prælati ingredientes monaſteria Monialium contra formam Conſtitutionis Gregorii XIII. an ſit Papæ reſervata, & n. ſeq.*

38 Statuimus, & decernimus *ſunt verba novi iuris inductiva.*

39 *Prælati ingredientes monaſteria Monialium in caſibus non neceſſariis, vel cum magno comitatu quas pœnas incurrant.*

N*Uper*. Detinens Clericum in cuſtodia, vel vinculis, 1
etiam ſine læſione corporali, excommunicatus eſt:
& communicans excommunicato ſcienter in crimine eſt 2
excommunicandus, & niſi difficultas impediat, abſolvi
debet ab excommunicatore, vel ipſius ſuperiore, & cum
juramento. Communicans extra crimen reconciliari po- 3
teſt per ſimplicem ſacerdotem ſine juramento. Hoc dicit. Dividitur in duas partes. In prima ponitur bimembris conſultatio. In ſecunda bimembris reſponſio ibi, *nos igitur*.: & utraque ſubdividitur, ut per ſe patet.

Nota primò quoad incurrendam excommunicationem 4
Can. *Si quis ſuadente*, paria eſſe Clericum percutere, aut eum in cuſtodia publica, vel privata, aut in vinculis detinere etiam ſine læſione corporali, ut hic eſt caſus ſecundum omnes: quod tamen declara, ut dicam infra *n.* 12.

Secundò nota ibi, *vel etiam detrudunt in vincula:* aliud 5
eſſe in carcere, & aliud in vinculis detinere, ut hic per Butr. *n.* 2. quod nota pro ſtatutis ſecundum Marian. Socin. *num.* 5.

Tertiò nota ibi, *corporalis læſio non fuerit ſubſequuta:* 6
ex ſola detruſione in carcerem, vel in vincula non dici quem corporaliter lædi, ſecundum Joan. Andr. *hic n.* 1. *in ver. Læſione*, & Butr. *eodem num. & ver. & in 4. notab.* Abb. *n.*
3. & Marian. Soc. *num.* 6. Ratio eſt, quia conſiderari debet 7
quod principaliter agitur, *cap. Cum voluntate infra eodem*, carcer autem, & vincula principaliter non ſunt ad pœnam, ſed ad cuſtodiam, *ut l. Aut damna §. Solent ff. de pœn.* quod ſimiliter nota pro ſtatutis, ut hic per Anchar. *n.* 5. nam quoad effectum incurrendi excommunicationem latæ ſententiæ ob violentam manuum injectionem in Clericum, hæc non differunt, ut dixi ſupra *in* 1. *notab.*

Quartò nota ibi, *citra quam violentia ſæpius circa Cle-* 8
ricos nequiter perpetratur, violentiam Clerico inferri poſſe etiam ſine manus injectione, ſeu corporis læſione. Ratio eſt, quia debemus in his magis attendere injuriam, & violentiam, quæ ſapiunt cauſam finalem, quàm manus, quæ ſapiunt demonſtrationem, ut hic per Cardin. *num.* 3. & plenius dicam infra *num.* 30. *in fin.* exemplum ponit Innoc. *num.* 1. & 2. velut, ſi quis enſem vibret, vel aliter necem comminetur, niſi carcerem ingrediatur. Vel ſi Clerico in domo propria, vel aliena exiſtenti clauſis foribus, vel poſitis cuſtodibus adimatur libertas exeundi: neque enim, ut Innocen. ait videtur vis eſſe an clauſus ſit carcere, an ligatus funibus, an cuſtodibus vallatus, omnes enim iſti in cuſtodia ſunt, & in perſonam violentiam patiuntur, quia detinentur ne quo velint abire poſſint: nec multum differt à ſpecie ſervitutis, cui libertas recedendi non datur,
l. 3. *ff. de liber. hom. exhiben.* Eodem modo violentia eſt ſi res 9
de manu Clerici rapiatur, vel quæ aliàs ipſius corpori adhærent; aut ſi Clericus detineatur per veſtem, qua induitur, vel per frenum equi, cui inſidet, licet ſecus eſſet ſi equus interficeretur: ita Innoc. cum quo tranſeunt hic Hoſt. & Abb. Antiq. ambo *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 2. *in ver. Detrudunt*, Card. *n.* 4. Anch. *n.* 2. & 3. & reliqui omnes.

Hæc tamen notabiliter limitant Doctores, ut procedant 10
dummodo fiunt animo inferendi injuriam, ſeu violentiam Clerico, ſecus ſi aliam ob cauſam. Unde ſi quis Clericum in caſtro obſideret non animo detinendi eum in cuſtodia, ſed capiendi caſtrum, vel faciendi Clerico verecundiam utique in Canonem non incideret, ſecundum Innoc.
n. 1. *verſ. Sed quando*, & Card. *n.* 4. *verſ. Hoc procedit*. Et 11
idem eſſe ſi quis citra manuum injectionem, vel detentionem corporalem per metum cogeret Clericum ad ſe redimendum, vel exeundum è domo ſua, quam poſtea occuparet: non enim eſſet excommunicatus, quia hæc perpetravit potius animo lucrandi, quàm inferendi injuriam, nec in perſonam manus injecit, vel quaſi injecit violentas, ut dicunt Hoſt. *hic n.* 1. *verſ. Quid enim ſi quis*, Jo. Andr. *n.* 2. *verſ. Dicimus ergo*, & Card. *n.* 4. *verſ. Per hoc etiam infertur*, ubi tandem concludit excommunicationem incurri quandocumque fit violentia Clerico, per quam ſcilicet impeditur ei libertas præciſè, non cauſativè, & quando fit hoc animo ut impediatur aliàs ſecus.

Quintò nota ibi, *ei Conſilium impendendo*. Communican- 12
tem criminoſo in crimine, ideſt præſtando illi conſilium, auxilium, vel favorem, teneri eadem pœna cum principali. Rationem habes in littera, quia facientem, & conſentientem pari pœna conſtringit, de quo *in l. Is qui opem ff. de furt.*

& in

& in cap.1. ſupra de offic. deleg. & latiſſimè per Marian. Soc-
cin. *in cap. Ad audientiam, ſupra de homicid. in 7. principa-
li artic. à quæſt. quinquageſima uſque ad centeſimam.*

13 Sextò nota ibi, *aut alias in oratione*, intelligi, quem
participare cum excommunicato non ſolum comedendo,
loquendo, aut deoſculando, ſed etiam ſecum orando,
concordat *cap. Cum excommunicato, & cap. Qui communi-
caverit, 11. quæſt.3. cap. Significavit, ſupra eod.* & notat
gloſ. *in cap. Statuimus, in ver. Conſtitutionibus, infra eod.
lib.6.* de quo plenè per eumdem Marian. Soccin. *in c. Satis,
in 19. principali artic. infra eod.*

14 Septimò nota in *verſ. Secundo vere caſu*: & ſigna diffe-
rentiam inter communicantem in crimine, & communi-
cantem extra crimen: ille enim incidit in excommuni-
cationem majorem, & abſolvi non poteſt niſi ab excom-
municatore, vel ejus ſuperiore, & cum juramento de pa-
rendo illius mandato: hic verò ligatur minori tantùm ex-
communicatione, & abſolvi poteſt à ſimplici ſacerdote ſine
15 juratoria cautione, ut in fin. textus. An autem ſcienter com-
municans excommunicato extra crimen peccet mortaliter,
examinat Archidiac. *in cap. Rogo, 11. quæſt.3.* & Jo. Andr.
in cap. Sacris, num.20. ſupra de his quæ vi met. cau. Cæte-
rùm adverte ne decipiaris, quia hodie ex Conſtitutione
Martini V. in Concilio Conſtantienſi edita, quæ incipit,
Ad evitandum, permiſſum eſt communicare cum excom-
municatis à Canone, vel ab homine, etiam in admini-
ſtratione, & receptione ſacramentorum, vel aliis divinis,
præterquam in duobus caſibus, videlicet ſi excommunica-
ti ſint publicè denunciati, aut notorii Clericorum percuſ-
ſores, qui dicuntur excommunicati non tolerati. Et in
his duobus caſibus dumtaxat, non autem in excommuni-
catis toleratis locum habet, quod hic dicitur de incurſu
excommunicationis majoris propter participationem cum
excommunicatis in oratione, & de incurſu excommuni-
cationis minoris propter participationem cum excommu-
nicatis extra crimen: quod benè notabis ad limitationem
hujus textus. De intellectu autem illius Conſtitutionis
ſcripſi latiſſimè in *cap. Quod à Prædeceſſore, à num.39. ſu-
pra de Schiſmat.* ubi etiam *num.56.* dixi an eidem Conſti-
tutioni fuerit derogatum quoad notoriè excommunicatos
per aliam Conſtitutionem Concilii Lateranen. Noviſſimi
ſub Leone X.

16 Ultimò nota ibi, *quia tamen conditor Canonis*, textum
optimum, & notabilem, ut hic ait Felin. *n.1. in ultim. no-
tab* quod ab omni excommunicatione lata à Canone po-
teſt inferior abſolvere quotieſcumque conditor Canonis
abſolutionem ſibi non reſervavit: & ad hoc quotidie alle-
gatur hic textus, & locum habet nedum in Canone Papæ,
ſed etiam in Canone, ſeu ſtatuto cujuslibet Epiſcopi vel
Prælati eccleſiaſtici, ut excommunicatus per illius ſtatu-
tum abſolvi poſſit à proprio Sacerdote, ex quo conditor
Canonis ſibi non reſervavit abſolutionem: & hoc nota,
quia quotidie occurrit in practica ſecundum Abb. *hic num.*
5. Locum tamen habet in abſolutione prout loquitur, non
autem in diſpenſatione, ut ſcripſi plenè aſſignando ratio-
nem differentiæ in *cap. Dilectus, à num.10. uſque ad num.
16. ſupra de tempor. ordin.*

17 Ex prædicta regula infero ad quæſtionem an ingrediens
ſepta monaſterii Monialium abſque licentia Ordinarii, vel
alterius Superioris incurrat excommunicationem Sedi
Apoſtolicæ reſervatam ex Conſtitutione Gregorii XIII. edi-
ta *idibus Junii* 1575. quæ incipit, *Ubi gratia.*

Ex iis, qui poſt Gregorianam Conſtitutionem ſcripſe-
runt; nonnulli opinati ſunt non eſſe conſtituendam diffe-
rentiam an quis prætextu licentiarum, an verò ſine illis
clauſuram monaſterii Monialium ingrediatur, ſed utroq;
caſu abſolutionem eſſe ſummo Pontifici reſervatam ob
18 identitatem, ſeu potius majoritatem rationis ne deterio-
ris ſit conditionis qui temere, ac proprio auſu ingreditur,
quàm qui aliqua cauſa, licèt injuſta ſe excuſat, arg. *cap.
illud, verſ. Licet autem, de Cler. excommun. miniſtr.* Hoc
enim eſt, quod dicunt gloſſæ ordinariæ, *in l. Ex conſenſu,
§ fin. ff. de appell. & l.1. §. Si quis iudic. non obtemp.* non
ſolam juſtam cauſam, & rationabilem quem à contuma-
cia excuſare, ſed etiam injuſtam, & quod legitur in
*l.1. in fin. ff. de abigeis, & in l. Plagii, ff. ad leg. Flau. de
Plagiar.* in quibus eſt expreſſum non ſolum legitimam,
ſed & illegitimam cauſam excuſare à dolo; quam regulam
dixit communem Dec. *conſ.170. Viſo themate, col. ult. in
princ.* Item ubi eſt culpa major, ibi debet eſſe major vin- 19
dicta, *cap. Excommunicamus, §. credentes, de hæretic.*
& ubi magis exceditur, ibi eſt ſeveriùs vindicandum, *cap.
fin. ad fin. de exceſſ. Prælat.* Collectar. *in cap.1. num.2. ſu-
pra de Schiſmat.* pœna enim debet commenſurari delicto
cap. Non afferamus, 23. quæſt.1. & notat gloſ.2. *in cap. Pro-
poſito, 27. quæſt.1.* Bart. *in l. Levia in princ. ff. de accuſat.*
Bald. in Auth. *Clericus, col.2. C. de Epiſc. & Cler.* Dec. *in
cap. Eccleſia S. Mariæ, num.1. de Conſtit.* Et confirmatur, 20
quia, ut inquit Cardin. in 1. *notab.* diſpoſitio pœnalis in-
jungens pœnam excommunicationis non reſtringitur, ſed
extenditur: Papa enim hic extendit Can. *Si quis ſuadente,
17. quæſt.4.* ut comprehendat non ſolum injicientem ma-
nus, ſed etiam aliàs turbantem libertatem Clerici.

Et primò inter hos Authores adducitur Martinus Al-
phonſus de Vivaldo *in ſuo Candelabro Aureo in tract. de ex-
commun.* Ex extravaganti, & Concilio *fol.*31. in ſeptuage-
ſima, & ultima excommunicatione ubi inter excommu-
nicatos excommunicatione ſoli Papæ reſervata virtute
Gregorianæ Conſtitutionis enumerat ingredientes ſepta
Monialium ſine licentia Superioris: & idem confirmat *fol.*
36. loquens de excommunicatione ex Concilio Trident. ibi,
Sexageſima quarta eſt, dum dicit: nunc verò eſt reſervata
Papæ per Gregorium.

Secundò adducitur Ludovicus de Beja *in ſuo tract. reſol.
caſ. Conſcien. Caſu* 3. incipien. *Urſula*, quem ſequitur Le-
lius Zecchius in *Elucidatione caſuum Epiſcopis reſervato-
rum, in caſu 10. fol.625.* Et eorum opinioni videtur ſuf-
fragari quod ſummus Pontifex aliàs ad ſupplicationem pœ-
nitentium, & etiam Epiſcoporum conceſſit abſolutionem
prædicti caſus tamquam ſibi reſervatam; per quod videtur
inductus uſus reſervationis ejuſdem caſus.

Ultimò affertur authoritas Navarri in *cap. Statuimus,
ſub num.62. in 7. notab. 19. quæſt.3. Comment.4. de Regular.
& in Man. cap.27. ſub num.*150. ubi affirmat dictam Con-
ſtitutionem includere etiam intrantes ſepta monaſterii non
habentes licentiam, & ſe credere hanc fuiſſe mentem ejuſ-
dem Gregorii.

His tamen non obſtantibus contrarium verius videtur:
Nam Conſtitutio Gregorii expreſsè loquitur de ingredien-
tibus prætextu licentiarum revocatarum, & de his, qui
habent licentiam ab Ordinariis in caſibus permiſſis, eaque
abutuntur, ut patet ex rubrica, & ex verbis Conſtitutio- 21
nis, præſertim in proœmio, à quo cauſa finalis colligitur,
*l.1. ff. ad Macedon. l.1. ff. de hered. inſtit. l. Titia, §. Idem
reſpondit, ff. de verb. oblig.* Oldrad. *conſ.*103. *Quæſtio eſt,
verſ. Secundo ex hoc*, & ad cujus limites reſtringitur gene-
ralitas diſpoſitionis, Bald. *conſ.159. Eleganter, & copioſè
numer.4. verſ. Niſi dicamus, lib.2.* Roman. *conſ.16. Viſo
themate, num.4. & ſeq.* in quo quidem proœmio verbum
nullum legitur de excommunicatione contra ingredientes
abſque licentia. Unde cùm eis non conveniant verba 22
Conſtitutionis, conſequens eſt, ut nec conveniat illius
diſpoſitio *l.4. §. Toties, ff. de dam. infect.* quia lex non
imprimit effectum ſuum niſi in illas perſonas, quibus ver-
ba legis congruunt, & adaptantur, ut inquit Gemin.
*conſ.*68. Innocentius *ſub num.4. verſ. Cum ergo concurrant*,
& ſi Gregorius voluiſſet comprehendere ingredientes abſq;
licentia, expreſſiſſet, ſicut expreſſit de ingredientibus præ-
textu licentiarum, &c. *cap 2. de translat. Epiſc. cap. Ad
audientiam, de decim.* & in materia excommunicationis
eſt bona gloſ. *in cap. Prudentiam, §. Sexta, in ver. Vincu-
lo excommunicationis, de off. deleg.*

Et eo magis, quia conſideratur etiam diverſitas rationis 23
inter eos, qui abſque licentia ingrediuntur, & eos, qui
ingrediuntur prætextu licentiæ revocatæ, aut abutuntur
licentia Ordinarii. Siquidem licentia præbet ingredienti- 24
bus anſam multò liberiùs, & frequentiùs delinquendi,
exemplo tutoris ſuſpecti fidejuſſionem præſtantis, quo ve-
lamine datur ei occaſio diutius graſſandi in re pupillari,
§. fin. inſtit. de ſuſpect. tutor. juncta gloſ. *in verb. Præſtat
l. Suſpectus, & l. Quia ſatiſdatio, ff. eodem.* At verò ibi
deficiente licentia, ingrediens non ſolum ſe exponit pœnæ à
Concilio Tridentino inflictæ *in cap.5. ſeſſ.25. de Regular.*
Sed etiam temporali, quæ conſuevit imponi per Magiſtra-
tus ſæculares; ideòque metu utriuſque pœnæ magis retra-
hitur à delinquendo, *cap.1.* & ibi gloſ. *in ver. A Domino,
de homicid. lib.6. cap.1. §. Superior, de ſent. excomm. eod. lib.*
Frequentia autem, & libertas ſecuriùs delinquendi fuit
juſta

Digitized by Google

juſta cauſa cur Gregorius potius reſervaverit Sedi Apoſtolicæ abſolutionem eorum, qui prætextu licentiæ delin-
25 quunt, quàm eorum, qui omnino carent licentia. Unde quamvis Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium negociis præpoſita olim admonuerit locorum Ordinarios ne ſibi illos caſus promiſcuè reſervarent, quibos annexa eſt excommunicatio major à jure impoſita: illicò tamen adjecit hanc limitationem, niſi fortè propter frequentiam, ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſam aliqui hujuſmodi caſus nominatim reſervandi viderentur, ut in litteris ſcriptis ad Cardinalem Archiepiſcopum Neapolitanum ſub *die 26. Novembris* 1602. quam quidem frequentiam, & ſcandalum conſideraſſe Gregorium in reſervatione hujus caſus, ſatiſ conſtat ex verbis Conſtitutionis, ibi: *Ac omnia quæ illas* (ideſt Moniales) *à ſpiritualium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque, & ſcandala ab eis removere cupientes, &c.*

Hinc etſi magis delinquat ſtatuens contra jus Eccleſiæ, quàm contra libertatem Eccleſiæ, quia in primo caſu tollit jus commune, in ſecundo autem tollit privilegium, argum. *l. Eius militis, §. Militia miſſus, ff. de teſtam. milit.* & tradit Dec. *in cap. Eccleſia S. Mariæ, num. 1. de conſtit.* Tamen magis punitur ſtatuens contra libertatem, quam contra jus Eccleſiæ, ſecundum Bald. *in rubr. eod. tit. in princ. verſ. Quæro an ſit differentia*, quia, ut inquit Dec. *ubi ſupra*, non ſemper pro majori delicto major pœna imponitur; nam propter delicti frequentiam, vel propter majorem inclinationem ad delinquendum major pœna quandoque pro minori delicto imponitur, ut per gloſ. 2. *in cap. Propoſito, 27. quæſt. 1. & in cap. Admonere, in ver. Exiſtimes, 33. quæſt. 2.* per illum textum, ubi major pœnitentia imponitur interficienti uxorem, quàm matrem, quia, ut gloſ. ibi dicit, homines proniores ſunt ad interficiendum uxores, Laici verò Clericos oppido infeſtos habent, ut legitur in *cap. Laicos, 2. quæſt. 7.* Maximè propter libertatem eccleſiaſticam, in qua Clerici ſunt melioris conditionis, quam ſæculares, & propterea major concitatur invidia. Unde cùm ſint procliviores Laici ad ſtatuendum contra libertatem eccleſiaſticam, & ſic contra privilegia Eccleſiarum, vel Clericorum: meritò ut retrahantur ab eo in quo magis inclinantur, majori pœna afficiuntur.

26 Præterea gravius videntur delinquere, & magis contemnere legiſlatorem qui ingrediuntur palam, & authoritativè prætextu licentiarum, quam qui ingrediuntur clam, & nulla ſuffulti licentia, exemplo eorum, qui fructus, & redditus ad Sedem Apoſtolicam, & eccleſiaſticas perſonas ratione eccleſiarum pertinentes uſurpant: neque enim incidunt in excommunicationem decimamſeptimam Bullæ Cœnæ niſi qui id faciunt authoritate, & poteſtate uſurpata, ſecundum Cajetan. *in Summa, in ver. Excommunicatio, num. 27. verſ. Deinde circa ſecundam materiam*, & Navarr. *in Man. cap. 27. num. 70. verſ. Sexta*, quod per illa verba, ſicut ex decreto Concilii Tridentini *cap. 11. ſeſſ. 22. de reformat.* non incidunt in excommunicationem qui res, & bona Eccleſiæ ſurripiunt tamquam fures; ſed tantùm qui illa authoritativè, & ſub ratione bonorum Eccleſiæ uſurpant, ut aliàs Sacra Congregatio declaravit.

27 Et idem modò cùm aliàs dubitatum fuerit an prohibitio *cap. 9. ſeſſ. 24. de reformat. matrim.* Circa matrimonii libertatem comprehendat privatas perſonas Sac. Congregatio cenſuit non comprehendere, ſed tantùm dominos temporales, & magiſtratus cujuſcumque gradus, conditionis, &c. Ingredientibus ergo ſepta monaſterii monialium abſque licentia, nec verba, nec rationes Gregorianæ Conſtitutionis conveniunt; & conſequenter nec illius reſervatio, gloſ. *magna in fin. in Clem. 1. de ſent. excommun.*
28 unde hic caſus tamquam omiſſus remanſit in eo ſtatu, in quo prius erat, *l. Commodiſſime, ff. de liber. & poſthum.* gloſ. *in cap. Si pater, in verb. Trebellianica, de teſtam. lib. 6.* Conſentaneum eſt enim jura juribus concordare ad correctionem vitandam, *l. Præcipimus, in fin. C. de appellat. & l. Sancimus, C. de teſtam. cum ſimil.*

29 Aote ipſam verò Conſtitutionem ex decreto Concilii Tridentini *in cap. 5. ſeſſ. 25. de regular.* ingredientibus ſepta monaſterii Monialium abſque legitima licentia imponitur ſimpliciter pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, nec illius abſolutio expreſſè reſervatur ſummo Pontifici. Ergo cenſetur aliis conceſſa per hanc Decretalem, ubi quando conditor Canonis abſolutionem excommunicationis ſibi non retinet, cenſetur aliis relaxaſſe. Et eſt præcipua regula in materia abſolutionis à cenſuris latis à Canone: patet ex dictis ſupra *in ult. not.* Et hanc ſententiam ſequuntur Moderni *in Praxi Archiepiſcopi, cap. 6. num 3. lib. 3.* ubi agentes de materia prædictæ Gregorianæ Conſtitutionis affirmant in ea non comprehendi niſi qui prætextu licentiarum revocatarum ingrediuntur, non autem qui ſine licentia, licèt incurrant excommunicationem latæ ſententiæ à Concil. Trident. inflictam d. *cap. 5.* Nec etiam Moniales in illum ingreſſum prohibitum conſentientes incidere in excommunicationem, ſed tantùm peccare mortaliter. Idipſum cenſent Rodriq. *de Regular. tom. 1. quæſt. 48. art. 2.* & Suar. *de Cenſur. diſput. 22. ſect. 6. excommun. 6.*

Quibus non obſtant adducta in contrarium: nam ad primum patet reſponſio ex dictis: cùm enim Gregoriana Conſtitutio nec in rubro, nec in nigro, nec in verbis narrativis, nec diſpoſitivis loquatur niſi de ingredientibus prætextu licentiarum revocatarum, aut abotentibus Ordinarii licentia, non debet extendi ad alium caſum non expreſſum, præſertim habentem rationes diverſas, & in materia pœnali.

Neque obſtat, quòd ſecundum Cardin. diſpoſitio pœnalis injungens pœnam excommunicationis non reſtringatur, ſed extendatur: imò enim cùm nulla pœna ſit major in Eccleſia, quàm excommunicationis, *cap. Corripiantur, 24. quæſt. 3. cap. Abſit, 11. quæſt. 3. cap. Sacro, ſupra eod.* non debet in ea fieri extenſio, ſed potius reſtrictio, *cap. Quæſivit de his quæ fiunt a maior. part. Cap.* & notat gloſ. *in cap. Prudentiam, in ver. Vinculo excommunicationis, de off. deleg.* & Innoc. *hic num. 2. verſ. Et in excommunicatione*. In hoc textu autem ſit potius declaratio, quam extenſio ſecundum Anchar. *hic in princ.* quia debemus magis conſiderare injuriam, ſeu violentiam, quæ ſapit cauſam finalem, quàm manus, quæ ſapiunt demonſtrationem. Unde eodem modo in excommunicationem 31
incideret qui Clericum non manibus, ſed pedibus percuteret, vel perfunderet aqua, aut in eum ſpueret, vel ejus veſtem frangeret, quia violentia fit perſonæ, ut notatur in *d. cap. Si quis ſuadente, 17. quæſt. 4. in gloſ. in ver. Manus*, & per Innoc. & DD. *hic*, & ita videtur ſeipſum declarare Cardin. *hic in 1. oppoſit. num. 4.* licèt hoc caſo non agatur de illius reſervatione.

Ad id, quod dictum eſt de abſolutionibus, quas Sum- 32
mus Pontifex impertitus eſt à prædicto caſu, reſpondetur hinc non rectè inferri ad generalem reſervationem: nam ſi Papa vellet caſum eſſe ſibi reſervatum, expreſſè declararet per Conſtitutionem generalem, non autem per articularem proviſionem ad petitionem unius, vel alterius Ordinarii, vel ſacerdotis. Præſertim verò quia cùm pœniten- 33
tes habeant tres judices, videlicet Parochum, Epiſcopum, & Papam, qui omnes comprehenduntur ſub nomine proprii ſacerdotis *in cap. Omnis utriuſque, de pœnit. & remiſſ.* ut ibi notatur, & in Extravag. *Vas electionis, de hæret.* utiq; procurando ſibi abſolutionem à Papa tamquam à fonte 34
habente plenitudinem poteſtatis, *cap. Qui ſe ſcit, 2. qu. 6. cap. Præceptis, 1. 2. diſt. cap. Quamvis, cap. Dudum, & cap. Multum, 3. quæſt. 6.* nullum intulerunt præjudicium aliis inferioribus, nec contra eos ex hoc induci potuit uſus, vel conſuetudo: ad hoc quod notat Innocent. *in cap. Bonæ, il ſecondo, num. 2. in fin. de poſtul. Prælat.* ubi determinat, quod ſi Papa aliquid facit de plenitudine poteſtatis, non præjudicat inferioribus, quia cùm ſit abſolutè dominus non indiget aliqua acquiſitione juris. Idem tenet Specul. *in tit. de præſcript. verſ. Illud*, dicens Papam non præſcribere contra inferiores, cùm ipſe jam ſine præſcriptione ſit univerſalis dominus: & ſequitur Abb. *conſ. 101. in quæſtione, n. 6. verſ. Nec Papa exercendo hoc ius lib. 1.* Et propterea ex eo, quod in *cap. Litteras, ſupra de fil. Preſbyt.* Papa diſpenſaverit, non benè infertur ut prohibita ſit diſpenſatio, quia hæc ab ipſo fuit petita, ut notabiliter dicit gloſ. *unic. in cap. fin.* & ibi etiam Butr. *numer. 5. verſ. Non obſtat quod ſolus Papa diſpenſat, eod. tit.*

Ad ultimum reſpondetur de declaratione Gregorii nul- 35
libi conſtare, & eam negari à Rodriquez *tom. 1. quæſt. regular. art. 2.* & à Suar. *de cenſ. diſp. 22. ſect. 6. excommun. 6.* Nec Navarr. de hujuſmodi declaratione atteſtatur, ut ei

impo-

Digitized by Google

imponitur à quibuſdam, ſed tantùm ait credendum eſſe hanc fuiſſe mentem conditoris: quo verò ad ingredientes monaſteria virorum, quia negari non poteſt quin Pius V. declaraverit Conſtitutionem comprehendere etiam illas, quæ abſque litteris Apoſtolicis ingrediuntur, ſtandum erit huic declarationi in ſuo ſpeciali caſu dumtaxat.

36 Unde rejectis contrariis, concludendum videtur caſum propoſitum non eſſe Sedi Apoſtolicæ reſervatum, niſi ingreſſus, ſeu violatio clauſuræ monaſterii Monialium fieret ad malum finem, juxta Decretum S. Congregationis Epiſcoporum Clementis VIII. juſſu editum ſuper abſolutione à caſibus reſervatis: & ita declaravit Gregorius XIII. Conſtitutionis conditor, ut in ſubjecta declaratione, Epiſcopus Comen. declarari petiit, an Bulla Sanctiſſimi imponens pœnam excommunicationis ingredientibus monaſteria vigore facultatum Apoſtolicarum, etiam eos comprehendat, qui abſque talibus facultatibus ingrediuntur; ut ſciri poſſit an abſolutio ſit reſervata Summo Pontifici, Sac. Congregatio cenſuit agendum cum Sanctiſſimo, quia Concilium non reſervavit Papæ, & non videtur adeſſe majoritas rationis, quia abutentes litteris Apoſtolicis majori pœna digni ſunt Sanctiſſimus declaravit Bullam non comprehendere eas perſonas, quæ ingrediuntur propria auctoritate abſque licentiis. Sedis Apoſtolicæ: & quod attinet ad Bullam Pii V. de ingredientibus monaſteria virorum, ex quo idem Pius V. declaravit comprehendere etiam illos, qui abſque litteris Apoſtolicis ingrediuntur, ſtat firma declaratio.

37 Juxta prædicta QUÆRO, An abſolutio à cenſuris, in quas incidunt Epiſcopi, & ſuperiores regulares, qui ſui auctoritate officii ſepta monaſterii Monialium ingrediuntur non ſervata forma Conſtitutionis Gregorii XIII. ſit Papæ reſervata.

Ad partem affirmativam facit, quia Gregorius in Conſtitutione, quæ incipit, *Ubi gratiæ*, primum ſanxit, ut ingredientes clauſuram monaſterii Monialium prætextu licentiarum revocatarum incidant in excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervatam. Ac deinde ſuborta dubitatione an ead. Conſtitutio comprehendat eos, qui ad ingrediendum alterius licentia non indigent, ſed ſui auctoritate officii utuntur: declaravit Prælatos omnes tam ſæculares, quàm regulares, quibus cura, & regimen monaſteriorum Monialium incumbit, ita demum uti poſſe facultate ingrediendi illorum ſepta ſibi ex officio attributa, ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & à paucis, iiſque ſenioribus, & religioſis perſonis comitati, ut in Declaratoria incip. *Dubiis*, quæ emergunt in Bullar. *tom. 2. pag. 394.* ſi igitur Epiſcopi, & Prælati regulares in 1. Conſtitutione comprehenduntur, & excommunicatio in illa Conſtitutione inflicta eſt Papæ reſervata; videtur conſequens, ut etiam excommunicatio contra ipſos impoſita in Conſtitutione declaratoria ſit reſervata: nam qualitates omnes, quæ inſunt legi declaratæ, cenſentur ineſſe illius declarationi, ut eſt text. in *l. nihil*, & ibi Bart. *in princip. ff. de coniungen. cum emancip. liber.* & in Authen. *de filiis ante dotal. inſtrumentis, ad fin.* Roman. *conſ. 93. n. 4. verſ. Quia in lege nova*, Paul. de Caſtr. *conſ. 339. col. fin. n. 5. verſ. Quinto quæritur lib. 1.*

Contrarium puto verum, quia ſecunda Conſtitutio Gregorii non ſtat in puris finibus declaratoriæ, ſed in ea parte, in qua pœnas imponit, inducit naturam novæ Conſtitutionis, & idcircò non utitur *ver. Declaramus*, ut fecit *in 1. parte, ſed ver. Statuimus*, atque *decernimus*, *ut in §. Quod ſi contrafecerint*: quæ quidem verba non Conſtitutionem declaratoriam juris præexiſtentis, ſed novi juris promulgatoriam ſignificant, Clem. *ult. §. fin. de reſcript.* gloſ. in Extravag. *Suſcepti. Ioannis XXII. in ver. Statuimus*, Clem. 2. & ibi gloſ. *in ver. Decernimus, de præben.* & gloſ. in Clem. *Eos, in verb. Deinceps, de regular.* Cùm igitur Gregorius de novo ſtatuat, atque decernat, ut ingredientes clauſuram monaſterii Monialium non ſervata forma ibi præſcripta, ſi Epiſcopi ſint, pro prima vice ſint ingreſſu Eccleſiæ interdicti, pro ſecunda, à munere Pontificali, & à divinis ſuſpenſi; ac deinceps excommunicati: Regulares verò omni officio, & miniſterio privati, ac pariter excommunicati: & abſolutionem ab hujuſmodi pœnis ſibi, & Sedi Apoſtolicæ non reſervaverit: utique ſuccedit regula textus noſtri, videlicet ut ab his cenſuris latis à Canone poſſit inferior abſolvere, cùm conditor Canonis abſolutionem ſibi non retinuerit, ut dixi ſupra in *ult. not. & in præced. qu. n. 29.* 38

Præterea manifeſtum eſt quantum ad pœnas interdicti, & ſuſpenſionis Epiſcopos non comprehendi in 1. Conſtitutione, cùm illa Conſtitutio has pœnas non imponat: ergo non comprehenduntur quoad pœnam excommunicationis, quia una determinatio reſpiciens plura determinabilia debet intelligi ut omnia æqualiter determinet, *l. Iam hoc iure §. Sed ſi*, & ibi Bart. *n. 1. ff. de vulgar. & pupillar. & l. fin. C. de ſent. cum ſimil.* & conſequenter nulla ex his pœnis eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata: & circa prædictam Conſtitutionem Gregorii vide quod ſcripſi in *c. Ut juxta, n. 29.* & ſequitur ſupra, *de offic. Ordinar.*

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III.

CAPUT XXXII.

CUm illorum abſolutio, qui pro violenta manuum injectione in clericos, labem excommunicationis incurrunt, (quibuſdam caſibus à prædeceſſore noſtro exceptis) ſedi dumtaxat Apoſtolicæ reſervetur: nonnulli Eccleſiaſticam ſententiam negligentes, in excommunicatione poſiti, Eccleſiaſticos ordines accipere non formidant: quid autem de his fieri debeat, Apoſtolicum ſæpius oraculum imploratur. Circa quos credimus diſtinguendum, quòd tales vel ſciunt excommunicationis ſe vinculo irretitos, vel non recolunt factum, pro quo in latæ ſententiæ canonem inciderunt, vel factum quidem ſcientes, juris ignari neſciunt exinde ſe teneri. Primos ſi fuerint ſæculares clerici, à ſuſceptis ordinibus cenſemus in perpetuum deponendos: in reliquis caſibus tàm Archiepiſcopi, quàm Epiſcopi, abſque mandato ſedis Apoſtolicæ ſpeciali, diſpenſandi facultatem ſe noverint non habere: quibus etiam eſt abſolutio talium interdicta: cùm majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora. Poterunt tamen hujuſmodi Romani Pontificis auribus intimari, ut ab eo ſecundùm rigorem vel æquitatem reſponſum prodeat, prout diſcretio ſua viderit faciendum. Qui ſi clauſtrales hujuſmodi fuerint, licèt ab Alexandro Papa fuerit conſtitutum, quòd Monachi & Canonici regulares, quocumque modo ſe in clauſtro percuſſerint, non ſunt ad Apoſtolicam ſedem mittendi, ſed ſecundùm providentiam ſui Abbatis, diſciplinæ ſubdantur, & ſi Abbatis diſcretio ad eorum correctionem non ſufficit, providentia eſt diœceſani Epiſcopi adhibenda: & alibi dicatur, quòd de ſæculo fugientes, qui religionis habitum in monaſterio receperunt, & inter cætera poſtmodum confitentur, ſe tale commiſiſſe delictum, per quod ipſo actu excommunicationis ſententiam incurrerunt, ſine licentia Romani Pontificis Abbas non poteſt nec debet eos abſolvere, quamvis præſumptionem delinquentium debita

bita

bita poſſit animadverſione punire. Nos tamen in religionis favorem, & ut evagandi materia ſubtrahatur, majorem eis gratiam exhibere volentes: eorum Prælatis, quòd etiam talibus abſolutionis beneficium impertiri valeant, indulgemus: niſi exceſſus ipſorum extiterit difficilis & enormis: utpotè ſi ad mutilationem membri, vel effuſionem ſanguinis eſt proceſſum: aut in Epiſcopum, aut Abbatem violenta manus injecta: cùm exceſſus tales & ſimiles nequeant ſine ſcandalo præteriri. Si verò clauſtralis aliquis in religioſam perſonam alterius clauſtri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, & ejus, qui paſſus eſt injuriam, abſolvatur. Quòd ſi clericum percuſſerit ſæcularem, nonniſi per Apoſtolicam ſedem (ut ſcandalum evitetur) abſolutionis gratiam poterit promereri. Si autem hos ad ordines promoveri contingit, juxta præmiſſam diſtinctionem, qui ſcienter in contemptum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſe fecerint ordinari, ab executione ſuſcepti ordinis, & officii decernimus manere ſuſpenſos. Circa reliquos verò facti memoriam, vel juris peritiam non habentes, monaſteriorum utilitate penſata, poſt injunctam regularem pœnitentiam & peractam, Abbates ipſorum poterunt diſpenſare: niſi grave fuerit & notabile factum: aut is, qui fecit, adultus fuerit & diſcretus, ut violenter contra oblivionem vel ignorantiam præſumatur. Præcipimus autem Abbatibus, ut formam iſtam diligenter obſervent, ne privilegium mereantur amittere, qui ſibi permiſſa abutitur poteſtate.

SVMMARIVM.

1 *EXcommunicatus, qui ſcienter recipit Ordines, deponendus, ſi eſt Clericus ſecularis; ſi regularis, ab executione Ordinum eſt ſuſpenſus, & n. 8.*
2 *Diſpenſat ſolus Papa cum Clerico ſeculari, qui ignorans ius, vel factum in excommunicatione recipit Ordines.*
3 *Sed cum regulari diſpenſat Abbas, ſi ignorantia eſt probabilis, & factum non eſt grave, & n. 26.*
4 *Excommunicatus pro violenta manuum iniectione in Clericum regulariter non abſolvitur niſi à Papa.*
5 *Fallit in caſibus hic enumeratis, & num. ſeq.*
6 *Religioſi ab excommunicatione Canonis;* Si quis ſuadente, *abſolvi poſſunt per proprium Prælatum, ſi ipſum habeant, & ſit Presbyter; alioquin per diœceſanum, & num. 41.*
7 *De labario dubiorum in iure conſiſtentium à Sede Apoſtolica petenda eſt.*
8 *Diſpenſat ſolus Papa cum Clerico ſæculari, qui in excommunicatione recipit Ordines, etiamſi ab illa excommunicatione Epiſcopus poſſit abſolvere.*
9 *Diſpenſandi poteſtas maior eſt, quàm poteſtas abſolvendi ab excommunicatione.*
10 *Argumentum à minori ad maius non procedit affirmative, ſed negative.*
11 *Abbas poteſt abſolvere Monachos ſuos ab excommunicatione ob violentam manuum iniectionem, dummodo exceſſus non ſit enormis.*
12 *Sive in excommunicationem inciderint poſt ingreſſum Religionis, ſive ante.*
13 *Sed ab aliis excommunicationibus eos tantum, qui inciderunt poſt ingreſſum.*
14 *Diſpenſandi poteſtatem habens cum ſubdito delinquente non poteſt diſpenſare cum eo qui deliquit antequam eſſet ſubditus.*
15 *Qualitas adiecta verbo intelligitur ſecundum tempus verbi.*
16 *Enormis exceſſus dicitur reſpectu quantitatis facti.*
Item reſpectu qualitatis perſonæ, n. 20.
Item reſpectu ſcandali, n. 22.
Item reſpectu loci, n. 23.
17 *Membri appellatione quæ intelligantur.*
18 *Percuſſio cum ſanguinis effuſione an, & quando dicatur enormis.*
19 *Iniuria atrox reſpectu quantitatis facti quando dicatur.*
20 *Enormis ſemper dicitur exceſſus in Epiſcopum, vel Abbatem, vel alium Superiorem.*
21 *Et idem ſi in patrem, vel in magiſtrum.*
23 *Iniuria atrox æſtimatur ſi in theatro, in foro, vel in conſpectu Prætoris facta ſit.*
24 *Idem ſi in Eccleſia, vel Cœmeterio.*
25 *Circumſtantiæ, quæ aggravant, vel extenuant delictum, remiſſivè.*
27 *Prælati regulares an poſſint diſpenſare ſuper irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus in vim Concilii Trident. c. 6. ſeſſ. 24. & n. ſeqq. uſque in fin.*
28 *Irregularitas eſt impedimentum canonicum, quo prohibetur promotio ad Ordines, & illorum executio.*
29 *Prælatis in inferioribus non competunt ea, quæ ſacris Ordinibus annexa ſunt, vel illos concernunt.*
30 *Diſpenſatio in irregularitate eſt diſpenſatio circa Ordines.*
31 *Epiſcopi appellatione in materia exorbitanti non venit non conſecratus etiamſi ageretur de exercenda iuriſdictione.*
32 *Epiſcopus electus ante conſecrationem non poteſt concedere indulgentias.*
33 *Prælatis inferioribus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus in locis ſuæ iuriſdictionis uti non licet facultate Epiſcopi attributa decreto Concilii Tridentini c. 6. ſeſſ. 24.*

CVm illorum. Qui excommunicatus pro manuum injectione ſcienter recepit Ordines, deponendus, ſi eſt Clericus ſecularis; ſi Regularis, ab executione Ordinum eſt ſuſpenſus. Qui ignorans jus, vel factum ſic excommunicatus recipit Ordines; ſi eſt Clericus ſæcularis, diſpenſat cum eo ſolus Papa: Si Regularis, Abbas cum eo diſpenſat, ſi ignorantia eſt probabilis, & factum non eſt grave. Hoc dicit ſecundum Jo. Andr. cum quo Butr. Cardin. & cæteri concordant. Dividitur ut per Marian. Soccin. 1 2 3

Nota primò ex principio textus; excommunicatum pro violenta manuum injectione in Clericum regulariter abſolvi non poſſe niſi à Sede Apoſtolica, quia Papa ſibi reſervavit abſolutionem, ut *hic & in c. Porro, in c. Non dubium, in c. Ea noſcitur, in c. Tua nos, & in c. Quamvis, infra eodem,* & originaliter in *c. Si quis ſuadente,* 17. q. 4. Fallit tamen hæc regula in multis caſibus, qui comprehenduntur his verſibus. 4 5

Regula, mors, ſexus, hoſtis, puer, officialis,
Delicioſus, inops, æger, ſenexque, ſodalis,
Ianitor, aſtrictus, dubius cauſa, levis ictus.
Debilis abſolvi ſine ſumma ſede merentur,
Atroces verò ſoli Papæ retinentur.

Regula. Hic comprehenduntur omnes Religioſi, qui abſolvi poſſunt per proprium Prælatum, ſi ipſum habeant, ut *hic in §. Nos tamen dummodo ſacerdos ſit, cap. Canonica, infra eod. c. Nuper, §. penul. ſup. eod.* ubi de hoc, alioquin per Diœceſanum de monialibus, *infra eodem, c. Monachi ſupra eodem, mors, ut in c. Non dubium ſupra eod. ſexus, ut in c. Mulieres, ſupra eod. hoſtis, ut c. De cætero, ſupra eod. puer, cap. Quamvis, & c. fin. infra eod. & ſupra cap. 1. officialis, cap. 3. §. 1. ſupra eod. delicioſus,* ſed in iſto prius conſulitur Romanus Pontifex, *cap. Mulieres, ſupra eod. inopſque,* & nobilis, cui oſtiatim ire verecundum eſt, de quod dic, ut plenè notatur in *cap. Quod de his, ſupra eod.* & infra in *cap. Ea noſcitur, ſenexque in d. cap. Quod de his, & c. Ea noſcitur, æger,* ægerque incurabilis, vel de cujus morte dubitatur, vel morbus chronicus eſt, & longus; de quo dic, ut in juribus proximè citatis, *ſodalis, ut cap. Quoniam, §. fin. ſupra de vita, & honeſtat. Cler. c. & cap. Ex tenore, in fin. ſupra eod. ianitor, ut cap. 3. in 1 reſponſ. ſupra eod. aſtrictus* patriæ poteſtati, vel dominicæ, ut in *cap. Mulieres, ſupra eodem,* & infra *cap. Relatum,* de quo dic, ut plenè legitur, & notatur in *cap. Cum deſideres, §. 2. & c. Si verò aliquis, ſupra eodem cauſa,* ſcilicet juſtæ, quodcumque præſtent impedimentum Sedem Apoſtolicam non adeundi, *cap. De his,* ubi de hoc, *& c. De cætera ſupra, & infra c. Quamvis, levis ictus, ut c. Pervenit, ſupra eod. debilis, ut cap. Ea noſcitur, ſupra eodem. Abſolvi ſine ſumma Sede merentur, atroces* verò ſoli 6

Papæ

Papæ retinentur, ut *c. Relatum, & cap. Canonica, infra eod.*
Hos verſus recitat, & ut ſupra exponit Hoſt. *hic num.1.* &
in ſumma hujus tituli, §. *Quis poſſit excommunicare, num.4.*
ſub verſ. Secunda regula, dicens fuiſſe Jacobi Serenæ Ebre-
dunenſis, & concordant *hic* Jonn. Andr. *n.2.* Henric. Boich.
eodem num. Butr. *num.26.* Anchar. *num.1.* & Abb. *in 1. notab.*
& latiùs proſequitur Marian. Soccin. *in c. Officii, infra eod.*
ubi ponit regulam cum tribus declarationibus, ſeu amplia-
tionibus, *n.30. cum tribus ſeqq.* & viginti quatuor fallentias
à num.34. uſque ad n.58. & prædictis adde compendioſam
diſtinctionem, quam poſui in *cap. Pervenit, n.9. infra eod.*
poſt Jo. Andr. *ibi n.3. verſ. Et ad contrariorum ſolutionem.*
7 Secundò nota ibi, *Apoſtolicum ſæpius oraculum implora-*
tur. Pro declaratione dubiorum conſiſtentium in jure ad
Sedem Apoſtolicam eſſe recurrendum, de quo dic, ut ſcripſi
plenè in *c. Cum veniſſent, ſupra de judic.*
8 Tertiò, nota in *verſ. Circa quos*, qua pœna ſit punien-
dus Clericus ſæcularis ſuſcipiens Ordines dum exiſtit in ex-
communicatione: debet enim deponi ab illo Ordine, nec
poteſt cum eo alius citra Papam diſpenſare: quod locum
ſibi vendicat non ſolum in excommunicatis, quorum abſo-
lutio eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata, ut in caſu hujus cap. ſed
etiam in aliis excommunicatis, quos Epiſcopi poſſunt ab-
ſolvere, quia nihilominus non poterunt Epiſcopi diſpen-
ſare cum ſic ordinatis, quia effecti ſunt irregulares & in-
diſpenſabiles ab alio, quam à Romano Pontifice, ut *hic*
firmat Jo. Andr. *n.6.* cum quo concordant Henrich. Boich.
n.14. Anton. de Butr. *n.18.* Abb. *in 2. notab.* & alii commu-
niter; & videtur probari in *c.1. & 3. de eo, qui furtiv. or-*
din. recep. ubi cum recipiente Ordinem poſt excommuni-
cationem ſolus Papa diſpenſat.
9 Quartò nota ibi, *Cum maiora intelligantur illis prohibi-*
ta, &c. poteſtatem diſpenſandi majorem eſſe, quàm pote-
ſtatem abſolvendi ab excommunicatione; unde non valet
10 conſequentia. Poteſt quis abſolvere; ergo & diſpenſare,
quia non procedit arg. à minori ad majus affirmativè, vi-
delicet, ſi poſſum id quod minus eſt: ergo & id quod majus
eſt, ſed è converſo valet conſequentia, qui non poteſt ab-
ſolvere, nec poteſt diſpenſare, quia procedit argumentum
à minori negativè ſumptum; unde ſequitur: qui non po-
teſt id, quod minus eſt; nec poteſt id, quod majus eſt, ut
notatur in *c. Cum in cunctis, de elect.* cùm majora intelligan-
tur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora, ut dicitur
in littera; & ita hic notant Jo. Andr. *n.6. verſ. Nec obſtat*
iſta littera, Henric. Boich. *n.14. eodem verſ.* Butr. *n.18. verſ.*
Non hac littera, Abbas *in 3. notab.* Marian. Soccin. *n.6.* & Fe-
lin. *n.1. in 4. notab.*
11 Quintò nota *in §. Quod ſi clauſtrales*, Abbatem poſſe
abſolvere Monachos ſuos ab excommunicatione inflicta à
Canone pro violenta manuum injectione, dummodo ex-
12 ceſſus non ſit enormis, ſive in excommunicationem inci-
derint poſt ingreſſum Religionis, ſive ante; & in hoc exten-
ditur *c. Monachi, ſupra eod.* ubi dabatur Abbati poteſtas ab-
ſolvendi Monachos ſuos in eo tantùm caſu, in quo incide-
13 rant in excommunicationem poſt ingreſſum. Diſpoſitio
tamen hujus Decretalis reſtringitur ad ſolam excommuni-
cationem pro violenta manuum injectione, cùm Papa hic
procedat per modum indulgentiæ, ut patet ibi, *maiorem*
eis gratiam exhibere volentes: necnon ibi, *indulgemus*, un-
de in aliis caſibus Abbas non poterit abſolvere excommu-
nicatos ante Religionis ingreſſum; ſed cum eis ſervabimus
jus præcedens, de quo in d. *c. Monachi*, cùm non reperia-
tur immutatum, niſi in hoc ſpeciali caſu injectionis ma-
nuum in Clericum, *l. Sancimus, C. de teſtam. l. Præcipimus*
in fin. C. de appell. & hic tenet Abb. *in 4. notab. & in d. c. Mo-*
14 *nachi*, qui ex hoc notabiliter infert, ut habens poteſtatem
diſpenſandi cum ſubdito delinquente in certo caſu, non in-
telligatur habere poteſtatem diſpenſandi cum eo, qui deli-
ctum illud commiſit antequam eſſet ſubditus, niſi ſpecifi-
cè hoc fuerit conceſſum, quod dicit eſſe ſingulare, Marian.
Soccin. *hic in 13. notab.* & ſequitur Felin. *n.1. poſt med. verſ.*
15 *Nota ſecundum D. Abbatem*, adducens rationem, quia qua-
litas adjecta verbo intelligitur ſecundum tempus verbi, ut
eſt caſus in *l. In delictis, §. Si extraneus, ff. de noxalibus*, de
quo latè per Bart. *in l. Ex facto, n.1. ff. de vulgar. & pupill.*
16 Sextò nota ibi, *Niſi exceſſus ipſorum*: quis dicatur exceſ-
ſus enormis: nam hic conſideratur enormitas triplici re-
ſpectu. Primò ſcilicet reſpectu quantitatis facti: & de hoc
habes in textu duo exempla: unum eſt ſi membrum fuerit
mutilatum, ut patet in textu ibi, *utpotè ſi ad mutilationem*
membri eſt proceſſum: quod intelligas de quolibet membro
magno, vel parvo: Non enim hic diſtinguitur inter hæc, ſi-
cut aliàs, ut in *c. penult. de corpor. vitiat. & in c.2. de Cleric.*
ægr. ſecundum gloſ. *hic in verb. Mutilationem membri*, quam 17
approbant DD. ut inquit Felin. *n.3.* qui etiam proſequitur
an membri appellatione veniant ungula, digitus, caput,
barba, mammilla, dens, à d. *n.3. uſque ad n.12.* Alterum 18
exemplum eſt quando fuit proceſſum ad effuſionem ſangui-
nis, quod dicunt DD. intelligendum ratione illius membri,
de quo facilè ſanguis exire non conſuevit; unde non intel-
ligitur ſi modica, & levis fuit percuſſio in naſu, & ſanguis
exivit ab eo maximè, cui exire conſuevit, præſertim in
æſtate. Ita poſt Innoc. *hic poſt med. in verb. Effuſionem*, de-
clarat Hoſtienſ. *n.10. in verb. Vel Effuſionem*, Joan. Andr.
n.19. & communiter Doctores, Marian. Soccin. *in c. Officii,*
n.59. infra eodem. Rurſus hoc primo reſpectu quantitatis 19
facti dicitur exceſſus enormis, ſeu atrox, ſi oculus effodiatur,
c. Si evangelica, 55. diſt. Si quis vulneretur, ſi fuſtibus cæda-
tur, ut in §. *Atrox, inſtit. de iniuriis*, ſecundum Hoſtien. *hic*
n.10. & Marian. Soccin. *loco cit.* Secundò principali dicitur 20
exceſſus enormis reſpectu qualitatis perſonæ, veluti ſi in
Epiſcopum, vel Abbatem ſit violenta manus injecta, ut hic
in littera. Talis enim exceſſus ſemper gravis eſt, & enor-
mis, ut patet in *c. Ille proculdubio, 93. diſt.* ſecundum Hoſt.
hic n.10. in fin. in verb. Aut in Epiſcopum: & idem eſt ſecun-
dum eum ſi in Priorem ſuum locum Abbatis tenentem, ar-
gum. *c. Cum in Eccleſiis, ſupra de maiorit. & obed.* & idem in-
telligas quando inferior, & ſubditus in Superiorem ſuum
manus injicit violentas, ſecundum Hoſtien. *ubi ſupra*, & 21
idem ſi filius in patrem, vel diſcipulus in magiſtrum, ſe-
cundum Marian. Soccin. *d. n.59. circa med. verſ. Et idem ar-*
bitror. Tertiò principaliter exceſſus æſtimatur enormis reſ- 22
pectu ſcandali, ſcilicet ubicumque ſcandalum imminet, ut
patet in textu ibi, *Cum Exceſſus tales nequeant ſine ſcandalo*
præteriri. Nihil enim faciendum eſt cum ſcandalo, ut pa-
tet in eo, quod legitur & notatur in *c. Nihil, ſupra de præ-*
ſcript. & in c. Niſi cum pridem, §. Pro gravi quoque ſcandalo, de
renunc. Sed & reſpectu loci injuria dicitur atrox, veluti ſi in 23
theatro, in foro, vel in conſpectu Prætoris facta ſit, dicit
text. in d. §. *Atrox, inſtitut. de iniur.* Fortius ergo ſi in Eccle- 24
ſia, vel Cœmeterio, *c. Cum pro cauſa, ſupra eodem, cap. Quiſ-*
quis, & §. Qui autem, 17. qu.4. ſecundum Hoſtien. *in Summa*
huius tit. §. Quis poſſit ab hac abſolvere, verſ. Sed quæ dicatur
atrox, de quibus dic pleniùs ut per Marian. Soccin. in dict.
c. Officii, n.59. infra eodem, & quæ circumſtantiæ aggravent, 25
vel extenuent delictum, ſeu injuriam, dic ut per eumdem
Marian. in *c. Licet, n.21. in fin. ver. in cauſ. autem cognitione*
ſeptem veniunt principaliter conſideranda, & num. ſeqq. uſque
in fin. ſupra de pæn.
Septimò nota in *verſ. Circa reliquos verò*, Abbatem quan- 26
doque poſſe diſpenſare ſuper irregularitate, ſcilicet cum
Monacho ſuo, qui exiſtens in excommunicatione propter
exceſſum non gravem ex ignorantia probabili ſuſcipit Or-
dines, ut *hic* per Abb. *in 7. & 8. not.* Marian. Soccin. *n.20. &*
21. & quod dictum eſt de Abbate, intelligas etiam de quo-
libet Priore Conventuali, vel Prælato Regulari, ſecundum
Innoc. *hic n.1. in verb. Abbatis*, quod latiùs proſequitur Ho-
ſtien. *n.13.* & 14.
QUÆRO, an facultas diſpenſandi ſuper irregularitati- 27
bus ex delicto occulto provenientibus attributa Epiſcopis
ex decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.24. c.6.* Prælatis Regula-
ribus competat.
Circa intellectum *d. c.6.* videtur conſiderari poſſe irre- 28
gularitatem eſſe impedimentum canonicum, quo prohi-
betur promotio ad eccleſiaſticos Ordines, vel eorumdem
executio, ut patet ex deſcriptione, quam ponit Specul. *in*
titul. delegat. §. Iuxta, in princ. Archid. & Joan. Andr. *in c.1. de*
reg. iur. lib.6. Hoſtien. in *c.2. n.5. ſupra de Cler. excomm. mini-*
ſtr. & Marian. Soccin. *in c. Ad audientiam, n.12. ſupra de ho-*
micid. Unde diſpenſatio ſuper irregularitate non videtur 29
ſimplicis juriſdictionis Epiſcopalis, cujus capaces ſint infe-
riores habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem: Nam ad
ea, quæ ſacris Ordinibus annexa ſunt, vel illos concernunt,
non refertur generalis illa adæquatio, de qua per Abbatem
in *c. At ſi Clerici, §. De adulteriis, n.13. de iudic. & in c. Sicut*
unire, num.3. verſ. Et circa hoc do regulam, ſupra de exceſſi-
bus Prælat. Ita Anton. de Butr. in ſuo celebri *conſ.19. nu-*
mer.10. & patet ex Concil. Trident. in *cap.10. ſeſſ.23.* &
alibi

Digitized by Google

alibi in materia Ordinum, & dimiſſoriarum ad ordines.

Poſſet tamen fortè dici Abbates regulares, quibus de jure competit facultas minores ordines conferendi, ut *cap. Quoniam, 69. diſt. & cap. Cum contingat, ſupra de ætat. & qualit.* Subditis tamen ſuis regularibus, & Concil. dict. *cap.* 10. poſſe cum eis ſuper irregularitate diſpenſare, ut non impediant ſuſcipere minores Ordines, aut in eiſdem ſuſceptis miniſtrare, Pro quo facit iſte textus, ubi patet Abbatem poſſe diſpenſare cum Monacho irregulari quoad Ordines: & intelligitur communiter etiamſi irregularitas eſſet contracta poſt ingreſſum, ut patet in §. *Quod ſi clauſtra-*
30 *les*, & dixi ſupra in 5. *notab.* ex quo textu juncta gloſ. *in verb. Diſpenſare*, & Innoc. *circa fin. in verb. Abbatis*, colligitur diſpenſationem in irregularitate eſſe diſpenſationem circa Ordines.

31 Quod autem generaliter decretum Concil. Trident. in *d. cap. 6. ſeſſ.* 24. Non ſit intelligendum, ut comprehendat omnes juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, ſuadetur ex verb. Epiſcopis quod in materia ſtrictè, & propriè interpretanda, ut puta exorbitanti, plerique dixerunt interpretandum eſſe pro conſecratis tantum, etiam ubi ageretur de exercenda juriſdictione, ut per Felin. in *cap. Eam*
32 *te, num. 5. de reſcript.* Hinc etiam communiter tenetur Epiſcopos electos ante conſecrationem non poſſe concedere indulgentias, quamvis id videatur eſſe actus juriſdictionis, text. in *cap. Quod autem, ſupra de pœnit. & remiſſ.* ita Felin. ubi ſupra *num.* 1, & Ant. de Butr. *in prealleg. conſ.* 19. *num.* 21. ubi diſtinguit, ut quædam ſint fori pœnitentialis naturalis pertinentia ad Ordinem Epiſcopalem, ut eſt abſolvere à peccatis quibuſcumque in quibus aliqua ſunt reſervata Epiſcopis: & talia ſunt communicabilia cum inferioribus, quia ſui origine pertinent etiam ad inferiores; quædam verò non naturaliter, ſed per accidens inhærent Ordini Epiſcopali, ut eſt indulgentias concedere: & talia, licèt ſint de foro pœnitentiali, non tamen adaptantur inferioribus.

Ad hæc ſi paſſim omnia epiſcopalia eſſent communicanda iſtis inferioribus, paulatim introduceretur uſus Corepiſcoporum, ut ad propoſitum dicit Butr. *ubi ſupra*, & auctoritas Epiſcopalis vileſceret.

Huc etiam pertinet quod cùm aliàs dubitatum fuerit in Congregatione Concilii, an Cardinales, qui habent titulos Eccleſiarum Vrbis, poſſint in ſuis Eccleſiis titularibus, & eorum ſubditis uti illis facultatibus, quæ à Concilio Tridentino tributæ ſunt Epiſcopis in ſuis civitatibus, & diœceſibus, & ſpecialiter illis, quæ comprehenduntur *ſeſſ. 24. cap. 6.* facta relatione Gregorio XIII. Sanctitas ſua dixit nolle, ut ea, quæ Epiſcopis conceſſa ſunt à Concilio, competant Cardinalibus in ſuis titulis, quia licèt habeant quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ibi tamen verè, & propriè non ſunt Epiſcopi: & in ſpecie cùm aliàs quæſitum eſſet, an facultate conceſſa Epiſcopis decreto Concilii *ſeſſ. 24. cap. 6.* etiam inferioribus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus in locis ſuæ juriſdictionis uti liceat: *Die 9. Decembris* 1582. Sacra Congregatio cenſuit non licere.

Ac poſtremò cùm Abbas Aquiſaneten. Sedi Apoſtolicæ 33
immediatè ſubjectus, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens in ſubditos declarari poſtulaſſet, an facultas tributa Epiſcopis à Concilio decreto *cap. 6. ſeſſ.* 24. ipſum comprehenderet: Sacra Congregatio cenſuit non comprehendere.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III. London. Archiepiſcopo.

C A P U T XXXV.

UT famæ tuæ; & infrà. Sanè conſuluiſti nos, utrùm Clerici graviter excedentes, qui tutè non poſſunt monaſteriis ad agendam pœnitentiam deputari, quoniam cùm non pœniteant de commiſsis opportunitate fugiendi captata, carcerem fugerent clauſtri, & prioribus ſe ſceleribus ſceleſtius immiſcerent: à te vel aliis Prælatis ſuis arctæ poſsint cuſtodiæ mancipari? & infrà. Reſpondemus, quòd cùm Prælati exceſſus corrigere debeant ſubditorum, & publicæ utilitatis interſit, ne crimina remaneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores: non ſolùm poſſunt, ſed debent etiam Clericos, poſtquam fuerint de crimine canonicè condemnati, ſub arcta cuſtodia detinere: qui cùm ſint incorrigibiles, nec in Monaſteriis valeant cuſtodiri, ad ſimilia vel pejora facilè laberentur. Laici verò citra excommunicationis ſententiam capere Clericos, & ad judicium trahere poſſunt, ſi oporteat etiam violenter: dum tamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi ſunt juriſdictioni ſubjecti, & quorum eſt corrigere criminoſos; cùm hoc non ipſi, ſed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur: dum tamen non amplius eorum violentia ſe extendat, quàm defenſio vel rebellio exigit Clericorum.

UT *famæ*. Prælatus Clericum ſuum incorrigibilem incarcerare debet, & poteſt. Hoc dicit primò. Laici de Prælatorum licentia capere poſſunt Clericos, & ad judicium ducere, Joan. Andr. ſecunda pars ibi, *Laici*,

Pro intellectu hujus Decretalis vide quod ſcripſi, in *c. Cum non ab homine, n. 103. de iudic.*

Digitized by Google

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III. Senoneñ. Archiepiſcopo.

C A P U T XL.

PEr tuas litteras: & infrà. Videtur aliquibus, quòd cùm ad Metropolitanum per appellationem quæſtio non defertur, excommunicatus autem vocem non habeat appellandi, utpotè ab Eccleſia ſeparatus, ſive appellaverit ſive non, Metropolitanus ei non debet abſolutionis beneficium exhibere. Verùm ex verbis cujuſdam epiſtolæ, quam ſcholaſtici ab Alexandro Papa emanaſſe proponunt, habetur, quòd ſi ante appellationem, in aliquem excommunicationis ſententia fuerit promulgata, Metropolitanus ante litis ingreſſum, ab eo juramento recepto, ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem, debet ipſum abſolvere, niſi voluerit Epiſcopo diœceſano deferre, ipſumque ad eum remittere abſolvendum: ubi etiam conſequenter infertur, quòd nec excommunicati ſunt audiendi, priuſquam fuerint abſoluti, nec ſunt ad illos, à quibus appellaverant remittendi. In Sardiceñ. autem Concilio reperitur, ut is qui ab Epiſcopo eſt abjectus, finitimos Epiſcopos interpellet, & cauſa ejus audiatur, & diligentiùs pertractetur: Epiſcopus autem, qui juſtè vel injuſtè abjecit eumdem, patienter accipiat, ut diſcutiatur negotium, quatenus vel probetur ejus à pluribus ſententia, vel etiam emendetur: prius tamen quàm omnia diligenter examinata fuerint, nullus ante cauſæ cognitionem communioni eum ſociare præſumat, qui fuerat communione privatus. Nos igitur credimus diſtinguendum, utrùm quis proponat ſe poſt appellationem legitimè interpoſitam, excommunicatione fuiſſe notatum, vel in forma excommunicationis intolerabilem errorem fuiſſe patenter expreſſum: in quibus caſibus ad probationem eorum, etiam ſi abſolutionem non petat, debet admitti: ſed donec de ipſis conſtiterit, in aliis evitari debet: quamquam Apoſtolica ſedes etiam tales conſueverit abſolvere ad cautelam. Verùm in aliis, niſi gratiam abſolutionis imploret, non debet audiri: ne ſententiam Eccleſiaſticam contemnere videatur, & per hoc amplius ex ſuo contemptu ligetur. Quòd ſi abſolutionis beneficium humiliter poſtulaverit, Metropolitanus eum debet abſolvere, niſi ſuo duxerit ſuffraganeo deferendum: cui tamen, ſi ſuffraganeus abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ noluerit exhibere, ipſe nihilominus illum abſolvat, cautione recepta, quòd ſuo debeat parere mandato, ac deinde cauſam audiant, & quòd canonicum fuerit (juſtitia mediante) decernat. Quòd ſi forſan Epiſcopus ſubditum ſuum, propter manifeſtum excommunicaſſet exceſſum, Metropolitanus non debet ipſum abſolvere, niſi ſuffraganeus requiſitus malitioſè ſibi abſolutionis beneficium denegaret.

S V M M A R I V M.

1 *EXcommunicatus ab Epiſcopo, ſi ad Metropolitanum appellet, poteſt ab illo abſolvi.*
2 *Metropolitanus tamen Suffraganeo deferens poteſt eum remittere abſolvendum.*
3 *Et tenetur remittere ſi eius exceſſus fuerit manifeſtus.*
4 *Excommunicatus appellans ab iniuſtitia excommunicationis non auditur, niſi prius petat abſolutionem, & num.10.*
5 *Secus ſi dicat ſententiam nullam, & n.8.*
6 *Opinioni, vel magiſtro cuilibet non eſt credendum.*
7 *Nullitas & iniuſtitia excommunicationis in quibus differant, & n.ſeqq.uſque ad n.26.*
8 *Excommunicationem qui dicit nullam, auditur licèt non petat abſolutionem purè, vel ad cautelam, & numer.44.*
Et quid ſi fuerit excommunicatus propter notorium exceſſum, n.47.& 48.
9 *Exempla non reſtringunt regulam, vel illius rationem.*
10 *Excommunicationem qui dicit iniuſtam, volens probare eius iniuſtitiam, non auditur, niſi ante omnia petat abſolutionem.*
11 *Excommunicatio etiam iniuſta ligat quoad Eccleſiam militantem.*
12 *Eventus nihil operaturus non eſt expectandus.*
13 *Excommunicatus iniuſtè non petendo abſolutionem, videtur contemnere ſententiam eccleſiaſticam; & ex huiuſmodi contemptu ligatur etiam quoad Deum.*
Excommunicatus poteſt appellare, & appellationem proſequi, licèt abſolutionem non petat, n.14.& 35.
Declaratur, n.16.& 40.
15 *Appellatio eſt ſpecies defenſionis, quæ excommunicato non denegatur.*
17 *Excommunicationem dicens iniuſtam abſolvitur purè, ſed dicens eam nullam, quamvis non egeat abſolutione, tamen ſolet abſolvi ad cautelam.*
18 *Niſi diceretur, & infra octo dies probaretur excommunicatus pro manifeſta offenſa.*
19 *Appellatio ab excommunicatione operatur effectum devolutivum, non ſuſpenſivum.*
20 *Excommunicatio trahit ſecum executionem.*
21 *Excommunicationem ubi quis dicit nullam non modo iuriſdictio ad ſuperiorem devolvitur, ſed etiam ſuſpenditur effectus ſententia.*
22 *Appellatio à comminatione excommunicationis datur ad utrumque effectum.*
23 *Secus à comminatione declaratoria.*
24 *Appellatio à declaratoria excommunicationis datur ad effectum devolutivum, & ſuſpenſivum, & n.45. cum duobus ſeqq.*
25 *Appellatio non datur à gravamine, quod reparari poteſt per appellationem à diffinitiva.*
26 *Appellare quis poteſt à declaratoria excommunicationis, & appellationem proſequi abſque eo, quod petat abſolutionem.*
27 *Abſolutionem petens fatetur ſe excommunicatum, niſi proteſtetur.*
28 *Appellans à declaratoria excommunicationis quamvis non egeat abſolutione, tamen ad cautelam poteſt abſolvi à metropolitano.*
30 *Niſi abſolutio ſit Sedi Apoſtolica reſervata.*
31 *Auditor Cameræ eſt iudex ordinarius appellationum à ſententiis per Ordinarios latis etiam extra ſtatum eccleſiaſticum.*
32 *Non tamen poteſt abſolvere etiam cum reincidentia, vel ad cautelam excommunicatos ob violatam libertatem, vel immunitatem eccleſiaſticam, & n.33.*
Declaratur, n.43.
33 *Auditor Cameræ in cauſis pendentibus in ſuo tribunali debet ſuperſedere, ſi partes recurrant ad S.Congregationem immunitatis pro alicuius dubii declaratione, & illam exequi.*

Mini-

Digitized by Google

34 *Monitoria, & inhibitiones in tribunali Auditoris Cameræ perdari poſſunt excommunicatis ob violatam immunitatem eccleſiaſticam.*

36 *Fine permiſſo videntur permiſſa illa omnia, per quæ pervenitur ad illum, & excluſus à medio, excluditur à fine.*

37 *Exceptio excommunicationis repellit à limine iudicii, & impedit litis ingreſſum.*

38 *Et poteſt opponi in qualibet parte iudicii.*

39 *Excommunicatus eſt officio iudicis repellendus, licèt excommunicationis exceptio non opponatur.*

40 *Appellare quis poteſt à gravamine, & appellationem proſequi non obſtante exceptione excommunicationis.*

41 *Etiamſi fuerit excommunicatus pro eadem cauſa, pro qua eſt in iudicio.*

42 *Auditor Cameræ poteſt appellantem ab iniuſtitia excommunicationis per ſeipſum abſolvere, vel eum remittere ad excommunicatorem.*

43 *Excommunicatio ab homine non fertur niſi pro contumacia.*

44 *Auditor Cameræ poteſt audire excommunicatum ab Epiſcopo dicentem excommunicationem eſſe nullam.*

45 *Item poteſt audire appellantem a declaratoria excommunicationis ab Epiſcopo lata.*

46 *Non tamen poteſt eum abſolvere ad cautelam, vel cum reincidentia, ſi excommunicatio ſit Papæ reſervata, & n.47.*

Appellans à declaratoria excommunicationis non auditur ſi exceſſus ſit notorius, ibid. n.48.

1 PEr tuas. Si excommunicatus ab Epiſcopo ad Metropolitanum appellat, ab illo poteſt abſolvi; ille tamen
2 Suffraganeo deferens poteſt eum remittere abſolvendum.
3 Tenetur etiam remittere, ſi ejus exceſſus fuerit manife-
4 ſtus. Ante abſolutionem verò non audietur volens proba-
5 re ſe excommunicatum injuſtè, ſecus ſi vellet probare ſententiam eſſe nullam. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Abb. Jo. de Anan. Felin. & Marian. Soccin. Dividitur in quatuor partes principales. In prima, ſuper caſu ponit falſam opinionem. In ſecunda allegat pro Archiepiſcopo. In tertia contra ipſum. In quarta ſolvit diſtinguendo. Secunda ibi, *verum*. Tertia ibi, *in Sardicen.* Quarta ibi, *nos igitur*.

6 Nota primò ibi, *videtur aliquibus*. Non eſſe credendum cuilibet opinioni, neque cuilibet magiſtro, ad idem *cap. Neque quorumlibet*, & *cap. Ego ſolis*, 9. *diſt.* & *hic* notat Hoſtien. *num.* 1. quod facit contra modernos, qui dicunt ſolam auctoritatem alicuius probati Authoris reddere opinionem probabilem, de quo dic latiùs, ut ſcripſi in *cap. Ne innitaris*, *a num.* 403. *uſque ad num.* 449. *ſupra de Conſtit.* & vide quæ in propoſito idem Hoſtien. notat in *c.* 1. *n.* 10. & *ſeqq. de decim.* & pleniùs *in c. unico*, *n.* 51. *cum ſeptem ſeqq. de ſacra unct.*

7 Secundò nota ex textu, & menti commenda plures differentias inter nullitatem, & injuſtitiam excommunicationis.

8 Prima differentia eſt, quia dicens excommunicatorem nullum auditur, licèt non petat abſolutionem purè, vel ad cautelam, ut in text. ibi, *Ad probationem earum, etiamſi abſolutionem non petat, debet admitti*, & notant Abb. *n.* 3. & Marian. Soccin. *in* 1. *not.* Jo. Andr. & omnes in *ſummar. text.* in extremis verbis: quod locùm habet non ſolum in duobus caſibus hic expreſſis in *verſ. Nos igitur*, videlicet, cùm ſententia excommunicationis eſt nulla, quia lata fuit poſt appellationem interpoſitam, ſecundum ea, quæ leguntur, & notantur in *cap. Paſtoralis*, §. *Verum*, *de appellat.* & *in cap. Licet*, *de ſent. excomm. lib.* 6. & per Lap. *alleg.* 47. *alias* 48. incip. *Magiſter Hoſpitalis*, *num.* 3. Vel quia in ea fuerit expreſſus intolerabilis error, ſcilicet juris, ut hic notat gloſ. *in verb. Intolerabilem errorem*, ſed etiam in omnibus aliis caſibus, in quibus allegaretur nullitas, de quibus *in cap. Cum contingat*, *ſupra de offic. delegat.* per Abb. Antiq. *hic in fin. verſ. Ad gloſ. duobus*, & per Marian. Soccin. *in c. Perpendimus*, *in decimo principali ar-*
9 *ticulo*, *q.* 19. *ſupra eodem*. Iſti enim duo caſus hic ponuntur exempli gratia, & ideò non reſtringunt Regulam, vel ejus rationem: Ad hoc *c.* 1. & quod ibi not. in gloſ. 1. *ſupra Ne Cler. vel Monach.* & tenent Doctores, *hic* præſertim Abb. *num.* 3. *verſ. Et ex prædictis infertur*, & Marian. Soccin. *num.* 10. *circa fin. verſ. Et adverte*, & ante eos Jo. Andr. *in c. Solet*, *n.* 15. *de ſent. excomm. lib.* 6. At verò dicens ſen- 10
tentiam excommunicationis injuſtam non auditur, volens probare ejus injuſtitiam, niſi ante omnia petat abſolutionem, ut patet in textu ad finem, ibi, *verum in aliis* (id eſt ubi non proponitur excommunicationis nullitas, ſed injuſtitia) *niſi gratiam abſolutionis imploret*, *non debet audiri*: & tenet gloſ. *in ver. In aliis*, Jo. Andr. & ſequentes *ſupra in ſumm.* Butr. *n.* 14. Abb. & Marian. Soccin. *locis citatis*, Oldrad. *conſ.* 93. *Magiſter Ordinis*, *n.* 19. *verſ. Non obſtat*, & ad hoc quotidie allegatur hoc cap. concordat textus in *cap. Cum contingat*, *ſupra de offic. delegat.* ubi qui dicit ſententiam nullam, admittitur ad probationem antequam abſolvatur; ſed qui dicit eam injuſtam, ante abſolutionem
non admittitur. Ratio differentiæ eſt, quia excommuni- 11
catio etiam injuſta ligat quoad Eccleſiam militantem, *c.* 1. & *c. Si Epiſcopus forte*, 11. *q.* 3. *c. A nobis, il ſecondo*, *ſupra eodem*, & cum ſit in omnem eventum neceſſaria abſolutio, 12
ne fruſtra expectetur eventus nihil operaturus, juxta notata in *l. Si quis ita ſcripſerit hered. inſtituen. ff. de petit. hered.* & *in l. Aliquando*, §. *final. ff. ad Velleian.* merito ante omnia debet peti abſolutio. Creſcit enim homo per meritum obedientiæ parendo iniquæ ſententiæ, *cap. Sciendum*, 8. *quæſt.* 1. *cap. Quid*, 11. *quæſt.* 3. gloſ. *in cap. Cum medicinalis*, *in verb. Non contemnat*, *infra eod. lib.* 6. Quinimò ex- 13
communicatus non petendo abſolutionem videtur contemnere ſententiam eccleſiaſticam: & ex hujuſmodi contemptu magis ligatur, ut hic dicitur in littera, & notat præcitata gloſ. addit tunc incipiat ligari etiam quoad Deum, Feder. de Sen. *conſ.* 11. *Quæritur*, *An excommunicatio*, *in princ.* Sed cùm proponitur nullitas, tunc effectus eſt maximus, quia probata nullitate non erit opus abſolutione, ut declarant hinc Butr. *n.* 14. Abb. d. *n.* 3. & Marian. Soccin. *n.* 10. *ante medium*, *verſ. Et ratio*.

Sed propoſitæ diſtinctioni videntur apertè obſtare multa 14
jura, quæ dicunt excommunicatum poſſe appellare, & appellationem proſequi, licèt abſolutionem non petat; quia 15
appellatio eſt ſpecies defenſionis, quæ excommunicato non denegatur, prout hæc probantur in *c. Cum inter Priorem*, *in c. Significarunt*, & *in c. ult.* ubi eſt caſus, *ſupra de except.* *in cap. Intelleximus*, *de iudic.* cum multis concordan. Fruſtra igitur diſtinguitur inter injuſtitiam, & nullitatem ſententiæ cum utroque caſu excommunicatus ſit audiendus in ſuis defenſionibus, ut *hic* per Butr. *in* 2. *not.* Pro 16
ſolutione breviter ſic diſtingue: nam aut quis appellat ab ipſamet excommunicatione, quam dicit injuſtam, & ſic litigium eſt ſuper juſtitia, vel injuſtitia ipſius excommunicationis; & habet locum hæc Decretalis, quia ex quo fatetur ſe ligatum, licèt injuſtè, debet ante omnia petere abſolutionem præſtita cautione, cùm nullus ſit effectus hujus dilationis: nam ſive probetur injuſtitia, ſive non, in omnem eventum eſt petenda abſolutio, ut in *c. Cum contingat*, *de offic. deleg.* aut excommunicatus appellat ſuper alio articulo, & adverſarius excipit contra eum de excommunicatione, & tunc quia appellans non fatetur ſe excommunicatum, non eſt neceſſe, ut petat abſolutionem; imò ſi ſibi opponatur de excommunicatione, poterit replicare de hoc non eſſe diſputandum, quia tenet locum rei, & in aliud tempus poterit differri quæſtio ſuper nullitate, vel injuſtitia; ex hoc enim non impugnatur excommunicatio, & in hoc caſu loquuntur jura contraria, ut benè declarat Abbas *hic num.* 7. & in d. *c. fin.* *num.* 6. *de except.*

Secunda eſt differentia inter injuſtitiam, & nullitatem 17
excommunicationis, quia appellans ab injuſtitia abſolvitur purè, & ſimpliciter. Ratio eſt, quia excommunicatio etiam injuſta ligat quoad Eccleſiam, ut dictum eſt ſupra *n.* 12. & ſi contemnitur ligat etiam quoad Deum, ut *n.* 13. & ideò abſolutio eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed proponens nullitatem excommunicationis, & intendens eam probare, quamvis ſit audiendus, licèt abſolutionem non petat purè, vel ad cautelam, ut oſtenſum eſt ſupra *num.* 8 tamen ad cautelam abſolvi poteſt, quia etiam tales, id eſt qui dicunt ſententiam excommunicationis nullam, Sedes Apoſtolica ad cautelam conſuevit abſolvere, ut hic dicitur & in concordantibus allegatis in gloſ. in
ver. Ad cautelam: idque non obſtante contradictione 18
excommunicationis, vel adverſarii, niſi ab eis diceretur, & infra octo dies probaretur excommunicatus pro mani-

Digitized by Google

manifeſta offenſa, ut *in cap. Solet*, & ibi Jo. Andr. & DD.
de ſent. excomm. lib.6.
19 Tertia eſt differentia inter injuſtitiam, & nullitatem ex-
communicationis, quia ubi appellatur ab injuſtitia de-
volvitur juriſdictio ad Superiorem, *cap. Revera*, 3. *qu.* 9.
& cap. Cum in Eccleſia, ſupra de appellat. Sed effectus
excommunicationis non ſuſpenditur, & ſic appellatio
operatur effectum devolutivum, ſed non ſuſpenſivum,
ut in princip. textus ibi, *Vocem non habent appellan-
di: & in cap. Is cui, de ſentent. excommunic. lib.6. & in cap.
Paſtoralis, §. Verum, ſupra de appellat.* ubi redditur ratio,
20 quia executionem excommunicatio ſecum trahit. Item
non eſt homo, qui ligat, ſed Deus, *cap. Nemo, il primo*,
11. *quæſt.*3. item nemo excommunicatur niſi præcedente
culpa mortali, & pro contumacia, *cap. Nemo, il ſecondo*,
ead. cauſ. & quæſt. & contumax non auditur appellans,
cap. Sunt quorum, 2. *quæſt.*6. & ità hic notant gloſ. 2. Innoc.
*num.*1. *verſ. ſed decepti fuerint, num.*3. *in fin. verſ. Sed hoc
non placet:* dicens appellationem nihil valere quoad ex-
communicatorem, quia ſemper excommunicatio ſecum
trahit executorem: ſed facere quoad principale negocium,
quia ſi juſta cauſa eſt appellatum, illud trahit ad cognitio-
nem Superioris, Hoſtien. *num.*2. *in ver. Vocem non habeat
appellandi*, Joan. Andr. *num.*12. *in gloſſ.*2. Abb. *in* 1. *notab.*
Marian. Socin. *num.*3. & alii communiter, Capel. Tholoſ.
21 *deciſ.*298. At verò ubi quis dicit ſententiam excommuni-
cationis nullam, non modo cauſa, & juriſdictio ad Supe-
riorem defertur, ſed etiam ſuſpenditur effectus ſententiæ;
& ſic dictio, *nullitatis*, operatur utrumque effectum devo-
lutivum, & ſuſpenſivum ex notatis per Innoc. *in cap. Pa-
ſtoralis, num.*3. *ſupra de offic. Delegat.* & tenet Lapus *allegat.*
2. *diſputat. hic num.*4. *verſ. Et hæc concludit vera.*
22 Et hinc reſultat quarta differentia: nam ſi judex
citet aliquem ad dicendum cauſam quare non debet
excommunicari, à tali excommunicatione datur appel-
latio ad utrumque effectum, quia cùm cenſura ſe-
cum trahat executionem, & ſic inferat gravamen
irreparabile, ut in *dict. cap. Paſtoralis*, §. *Verum de
appellat.* Ratio poſtulat, ut citatus à tali gravamine ſe
tueri poſſit præſidio appellationis, ut *l.*2. *ff. de appellat. recip.*
23 At verò ſi judex citet ad dicendum cauſam quare non
debeat declarari incidiſſe in excommunicationem à com-
24 minatione talis declaratoriæ non datur appellatio. Ratio
eſt, quia à declaratoria poſtea lata poterit appellari, &
appellatio operabitur utrumque effectum devolutivum,
& ſuſpenſivum, ut per Rotam *deciſ.*2. *num.* 5. *de dolo, &
contum. in novis*, & ſcripſi in *cap. Super eo, il ſecondo, num.*
25 49. *&* 50. *ſupra de appellat.* Unde cùm gravamen declara-
toriæ reparari poſſit remedio appellationis, conſequens eſt,
ut à comminatione talis declaratoriæ appellare non liceat;
ut in Concilio Tridentino *ſeſſ.*24. *cap.*20. *in princ.* ibi, *Ne-
que appellationes recipiantur, niſi à diffinitiva, vel à diffini-
tiva vim habente, & cuius gravamen per appellationem à
diffinitiva reparari nequeat*; quod etiam prius jure civili
ſancitum fuerat, ut in l.2. *ff. de appellat. recipien.*; & notat
gloſs. in Clem. 1. *in ver. ipſo iure, de heret.* & ita aliàs de-
claravit Sac. Congregatio Cardinalium ejuſdem Concilii
Interpretum.
26 Sed hic inſurgit pulchra dubitatio à DD. non excitata.
Pone, Epiſcopus declaravit aliquem excommunicatum,
numquid talis ab hujuſmodi declaratoria poſſit appellare,
& appellationem proſequi abſque eo, quod prius petat
abſolutionem. Videtur reſpondendum poſſe, nec indi-
gere abſolutione, quia hoc caſu appellans non fatetur ſe
excommunicatione ligatum, nec contemnit cenſuram
Eccleſiaſticam non petendo abſolutionem, quæ eſt ra-
tio, qua propter quam dicens excommunicationem inju-
ſtam non auditur, niſi prius abſolutionem petat, ut pa-
tet ex dictis ſupra *num.* 10. nec vertitur litigium ſuper ju-
ſtitia, vel injuſtitia excommunicationis, ſed ſolum ſuper
facto, quia appellans negat ſe commiſiſſe delictum, pro
quo à jure pœna excommunicationis infligitur: nam per
declarationem, ſeu denunciationem non ligatur, ut *dict.
cap. Paſtoralis, §. Verum, ſupra de appellat.* & cùm ſuper fa-
cto Epiſcopus potuerit decipi ex falſis teſtibus, judex appel-
lationis poterit pronunciare benè appellatum, quo caſu
nulla indigebit abſolutione, nec appellationis effectus erit
fruſtratorius, *cap. Solicitudinem, de appellat.* & notat In-
nocen. *hic in fin.* & conſequenter in appellatione à decla-
ratoria non militat ratio, quæ militat in excommunica-
tione injuſta, à qua in quocumque eventu neceſſaria eſt
abſolutio, ut conſtat ex dictis ſupra *num.* 10. *& duobus ſeqq.*
Item cùm appellans à declaratoria neget ſe excommunica- 27
tum, & in hoc conſiſtat ſubſtantia defenſionis ſuæ in ju-
dicio appellationis, utique ſi teneretur petere abſolu-
tionem, per indirectum cogeretur ſuæ defenſioni renun-
ciare contra ea, quæ leguntur, & notantur in *cap. Cum
inter Priorem, in gloſ.*1. *cap. Dilecti filii, cap. Dilecte, &
cap. Significaverunt, de except.* quia petens abſolutionem
fatetur ſe excommunicatum, ut *cap. Venerabilem, §. Sunt
enim notoria:* & ibi notat gloſ. *in verb. Poſtulavit*, & com-
muniter DD. *ſupra de elect.* niſi proteſtetur, ut hic per In-
nocen. *num.*3. *verſ. Alii dicunt contrarium*, item cùm à de-
claratoria excommunicationis detur appellatio ad utrum-
que effectum, ut oſtenſum eſt ſupra *num.*24. Ergo appellans
non debet interim ſe habere pro excommunicato, prout ſe
haberet ſi abſolutionem peteret, ut *in d. cap. Venerabilem*,
item in hoc eſſet ſibi contrarius, quia appellando à decla-
ratoria diceret ſe non excommunicatum, & petendo abſo-
lutionem diceret ſe excommunicatum: unde tamquam
præponens contraria non eſſet audiendus, *d. cap. Solicitu-
dinem de appellat.* Itaq; in effectu idem ſunt dicere excom-
municationem nullam, ac dicere declaratoriam injuſtam,
quia qui dicit declaratoriam injuſtam, conſequenter dicit
ſe non ligatum, & ſic nullam ibi eſſe excommunicationem.
Undè ſicut dicens excommunicationem nullam non tene-
tur petere abſolutionem, ut hic deciditur, ita nec dicens
declaratoriam injuſtam, & appellans ab illius injuſtitia:
quod benè nota.
Cæterùm adverte, quia & ſi appellans à declaratoria 28
excommunicationis, ut prædixi, non eget abſolutione,
poteſt tamen à Metropolitano abſolvi ad cautelam, nam 29
& nulliter excommunicati, qui abſolutione non indigent,
à Sede Apoſtolica conſueruot ad cautelam abſolvi, ut
oſtenſum eſt ſupra *num.*17. Et quod dicitur de Sede Apoſto-
lica, intelligunt DD. etiam cùm nullitas excommunica-
tionis proponitur coram aliis judicibus, ut hic per Butr.
*num.*23. Sed hoc limitabis, niſi appellans declaratus fuerit 30
incidiſſe in excommunicationem Papæ reſervatam, puta
ex Canone, *Si quis ſuadente*, 17. *quæſt.*4. quia tunc Metro-
politanus nullo modo poteſt eum abſolvere, *cap. Porro, ſu-
pra eodem*, etiam ad cautelam, ſicut aliàs poſſet ceſſante
reſervatione, *cap. Solet*, & ibi gloſſ. 2. & communiter DD.
*de ſentent. excommunic. lib.*6. Quemadmodum & Auditor 31
Cameræ, quamvis ſit judex Ordinarius appellationum,
quæ à ſententiis per quoſcumque Ordinarios etiam extra
ſtatum Eccleſiaſticum latis ad Sedem Apoſtolicam inter-
ponuntur, ut in Conſtitutione 28. alias 20. Pauli V. incip.
Eximiæ fidelitatis, §. 10. Tamen non poteſt appellantes 32
abſolvere etiam ad cautelam, vel cum reincidentia ab ex-
communicatione inflicta ex cauſa violentæ libertatis, vel
immunitatis Eccleſiaſticæ, cùm caſus ſit Papæ reſervatus
in Extravag. *Et ſi Dominici, de pœnitent. & remiſſ.* & in
Bulla Cœnæ Domini, §. 15. *iuncto* §. 22. ſecundum ea, quæ
pleniùs adnotavi in *cap. Cum pro cauſa, à num.*5. *uſque in fi-
nem ſupra eodem*, ut in ſubjecta declaratione Sac. Congre-
gationis Cardinalium, & Prælatorum à ſan. mem. Urba-
no VIII. alias deputatæ, & à ſanctiſſimo D. noſtro Inno-
centio X. renovatæ ſuper appellationibus, & inhibitioni-
bus tribunalis Auditoris Cameræ, & aliorum tribunalium
Curiæ Romanæ in præjudicium Nunciorum, Epiſcopo-
rum, ac Superiorum Regularium tenoris infraſcripti, vi-
delicet.
Dubitatum fuit, an in tribunali Auditoris Cameræ, 33
& in aliis tribunalibus Curiæ Romanæ poſſint concedi in-
hibitiones, ſeu monitoria cum abſolutione etiam cum
reincidentia, vel ad cautelam excommunicatis per Epi-
ſcopos, & alios Ordinarios ex cauſa violatæ juriſdictionis
immunitatis, vel libertatis Eccleſiaſticæ appellantibus,
vel aliàs recurrentibus ad ſupradicta tribunalia. Secundò,
an in cauſis quæ agitantur in ſupradictis, tribunalibus Cu-
riæ Romanæ poſſit recurſus haberi ad Sacram Congre-
gationem ſuper immunitate, & controverſiis juriſdi-
ctionalibus pro reſolutione, vel declaratione an ſit, vel
non ſit commiſſa violatio juriſdictionis, immunitatis,
vel libertatis Eccleſiaſticæ, & an ſit locus reintegrationi
hujuſmodi violationis, & interim debeant dicta tribu-
nalia ſuperſedere uſque ad reſolutionem, ſeu declara-

tionem ejuſdem Sacræ Congregationis, illamque ſequi, & exequi.

Die 4. & 11. Auguſti 1626. Dubiis ſupradictis cum interventu omnium illuſtriſſimorum DD. Cardinalium, & Reverendiſſimorum Prælatorum deputatorum maturè diſcuſſis, ac rationibus hinc inde deductis diligenter ponderatis, unanimi conſenſu cenſuit, quoad primum tribunal Auditoris Cameræ, nec non alia tribunalia ſupradicta non poſſe hujuſmodi abſolutiones concedere, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam. Quo verò ad ſecundum licere partibus ad dictam Congregationem ut ſupra recurrere, & interim ſupradicta tribunalia expectare debere reſolutionem, ſeu declarationem, & illam omninò ſequi, & exequi.

Quibus quidem decretis eidem Sanctiſſimo die 5. Septembris ejuſdem anni 1626. plenè relatis unà cum rationibus, & auctoritatibus ſua Sanctitas approbavit, & confirmavit, illamque omninò exequi juſſit, & ad hunc effectum notificata fuerunt. Et ſubinde cùm de ſupradictis dubiis iterum actum eſſet in Congregat. habita die 27. Aprilis 1650. nemine diſſentiente, reſolutum fuit. Auditorem Cameræ debere decreta ut ſupra edita omnino obſervare, ac præcipere, ut à ſuis Miniſtris, & officialibus exactè obſerventur.

34 Circa primam declarationem in eadem Congregatione hæſitatum eſt, numquid in tribunali Auditoris Cameræ poſſint concedi inhibitiones, ſeu monitoria excommunicatis ex cauſa violatæ libertatis, vel immunitatis Eccleſiaſticæ. Ratio dubitandi fuit, quia ad propoſitum dubium, An monitoria, & inhibitiones hujuſmodi poſſint concedi cum abſolutione à cenſuris. Congregatio nihil dixit de monitoriis, & inhibitionibus, ſed reſpondit ſimpliciter tribunal Auditoris Cameræ non poſſe hujuſmodi abſolutiones concedere etiam cum reincidentia, vel ad cautelam. Unde quod negavit de abſolutionibus, videtur de monitoriis, & inhibitionibus conceſſiſſe, argum. *cap. Nonne de præſumpt. cum ſimilibus*, & cùm Auditor Cameræ ſit judex Ordinarius quarumcumque appellationum, ut dictum eſt ſupra *num.* 31. Dubitandum non videtur, quin in cauſis ad ſuum tribunal per appellationem devolutis poſſit inhibitiones concedere, ut *cap. Non ſolum, §. Illa vero, de appell. lib.6. cum concordant.*

35 Nec refert, quod non poſſit excommunicatum abſolvere etiam ad cautelam, ubi caſus eſt Sedi Apoſtolicæ reſervatus; quoniam hoc caſu non videtur neceſſaria abſolutio, quia excommunicatus poteſt non modo appellare, cùm hæc ſit ſpecies defenſionis, quæ excommunicato non denegatur, *cap. Cum inter Priorem, de except.* Innocent. *hic num.* 1. *verſ. Non enim eſt verum*, ſed etiam appellationem proſequi, ut *cap. ult. eodem tit.* & notat gloſ. *in d. cap. Cum inter, in ver. Legitima defenſio.* Nihil enim excommunicato appellare prodeſſet, ſi non poſſet appellationem ſuam proſequi, ut dicitur in *dict. cap. ult. in fin.* & ſic Auditor Cameræ poterit uti ſuis facultatibus, & appellantem audire abſque eo, quod eum abſolvat ad effectum agendi, quia in cauſa appellationis non agit, ſed ſe defendit, licet aliud ſit in reconventione, ne quod in defenſionis remedium ſuſtinetur ad impugnationis materiam exten-
36 datur, ut *in dict. cap. Cum inter in fin.* Adde quod cum Auditor Cameræ poſſit cognoſcere cauſas appellationum, conſequenter videtur poſſe facere illa omnia, quæ ad hanc cognitionem ſunt neceſſaria, quia permiſſo fine omnia videntur permiſſa, per quæ pervenitur ad illum, ut hic probatur in verſ. *Verum*, & notat Butr. *num.* 8. & Marian. Socin. *in 6. notab.* facit *cap. Præterea, ſupra de offic. Deleg.* & text. *in l. Ad Legatum, & in l. Ad rem mobilem, ff. de procurat.* alioquin facultas cognoſcendi eſſet fruſtratoria, quia, ut inquit Butrius *hic in* 1. *notab.* excluſus a medio juriſdictionis delativo, excluditur à fine juriſdictionis deferendæ: ad quod vide bonam gloſ. in Clem. *Religioſus, in ver. Suſtinere de procur.*

37 In contrarium facit, quia appellans ab injuſtitia excommunicationis non debet audiri, niſi prius petat abſolutionem, ut eſt caſus in hac Decretali, & fuſiùs dictum eſt ſupra *num.* 10. Sed Auditor Cameræ non poteſt ſic appellantem abſolvere etiam cum reincidentia, & ad cautelam, ut in declaratione Sac. Congregationis: ergo nec poteſt eum in cauſa appellationis audire, quia exceptio excommunicationis repellit appellantem à limine judicii, ut hic, & in *cap. Cum contingat, ſupra de off. Deleg.* & impedit litis ingreſſum *cap. Intelleximus cum materia, ſupra de judiciis*, Federic. de Senis *conſil.* 116. *Mirandum eſt, in princip.* Et poteſt opponi in qualibet parte judicii ne quiſ- 38
quam in periculum animæ ſuæ excommunicato communicare cogatur, *cap. Exceptionem, de except.* Sed etſi hu- 39
juſmodi exceptio non opponatur, tamen excommunicatus eſt judicis officio repellendus, ut ibi dicitur *in fin. & in cap. Pia itidem in fin. eodem tit. lib.6.* quomodo ergo Auditor Cameræ poterit uti ſuis facultatibus in judicio appellationis, ſi non poteſt excommunicatum abſolvere, etiam cum reincidentia, vel ad cautelam, & antè abſolutionem debet eum etiam ex officio repellere.

Pro ſolutione quæſtionis diſtingue: Nam quandoque 40
reus appellat non ab ipſa excommunicatione, ſed ab alio gravamine, & in judicio appellationis opponitur ei exceptio excommunicationis: & tunc Auditor Cameræ proculdubio poteſt eum audire, etiamſi abſolutionem non petat, eique inhibitionem concedere, quia hæc eſt ſpecies defenſionis, quæ ut prædixi, excommunicato non interdicitur: & in hoc caſu loquuntur inducta ad partem negativam *num.* 37. Et quamvis textus in *d. cap. ultim. de except.* 41
loquatur quando appellans fuerat excommunicatus ex aliis cauſis, tamen procedit, etiamſi fuerit excommunicatus pro eadem cauſa, pro qua eſt in judicio, & ſatis eſt, ut appellaverit ab indebito gravamine, ut ibi, & in *cap. Cum inter Priorem, eodem tit.* & pro hoc allegatur *cap.* 1. *de reſcript. lib.6.* & ita intelligunt DD. *d. cap. ult.* ut ibi notat Abbas *num.* 7.

Quandoque autem reus appellat à ſententia excommu- 42
nicationis, quam dicit injuſtam; & tunc Auditor Cameræ poteſt talem abſolvere per ſeipſum, vel eum remittere abſolvendum ad Epiſcopum excommunicatorem, ſicut poteſt Metropolitanus ad Suffraganeum ut hic patet; & conſequenter, poſt impertitam abſolutionem poterit eum in judicio appellationis audire, & Epiſcopo inhibere.

Neque hoc caſu obſtabit declaratio Sac. Congregatio- 43
nis, quia loquitur in terminis excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ ex cauſa violatæ libertatis Eccleſiaſticæ: & quamvis dubium fuerit conceptum de excommunicatis ab Epiſcopo, tamen videtur intelligendum de declaratis, ſeu denunciatis; aliàs enim non video quomodo excommunicatio lata ab Epiſcopo poſſit eſſe reſervata Sedi Apoſtolicæ, cùm ſit excommunicatio ab homine, & non à jure, & conditor Canonis abſolutionem conceſſerit excommunicatori, cùm eam ſibi non retinuerit, ut *cap. Nuper, ſupra eod.* nec Epiſcopus poſſit quemquam excommunicare ob violatam immunitatem; ſed tantum denunciare, cùm excommunicatio ab homine ferri non poſſit niſi pro contumacia, *cap. Nemo, il ſecondo,* 11. *quæſt.* 3. & ibi Præpoſ. *num.* 3. *verſ. Item nota*, quod nemo eſt excommunicandus niſi pro contumacia, Abb. *ſupra in hac Rubrica, num.* 1. Capell. Tholoſ. *deciſ.* 298. Quandoque 44
excommunicatus non appellat ab injuſtitia, ſed dicit ſententiam excommunicationis nullam: & hoc caſu abſque dubio poteſt audiri in Tribunali Auditoris Cameræ, & inhibitionem obtinere, quia non indiget abſolutione, ut decidit in hoc cap. & dictum eſt ſupra *num.* 8.

Quandoque demum reus appellat non à ſententia ex- 45
communicationis, ſed ab illius declaratoria: & tunc ſimiliter Auditor Cameræ non prohibetur in cauſa procedere, & inhibitionem decernere, etiam ſi agatur de declaratoria excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ putà ex cauſa violatæ libertatis, vel immunitatis Eccleſiaſticæ. Ratio eſt, quia à tali declaratoria, niſi exceſſus ſit notorius, datur appellatio tam ad effectum devolutivum, quàm ſuſpenſivum, & interim appellans non debet ſe habere pro excommunicato, nec tenetur petere abſolutionem, ut probatum eſt ſupra *num.* 24. unde nihil obſtat quominus audiri poſſit, & inhibitionem obtinere in tribunali Auditoris Cameræ: dummodo tamen ſic declara- 46
tum ex cauſa violatæ libertatis, vel immunitatis Auditor Cameræ non abſolvet etiam ad cautelam, vel cum reincidentia: obſtat enim reſervatio Apoſtolica, & declaratio Sac. Congregationis ſecundum ea quæ dicta ſunt ſupra *num.* 31. 32. & 33.

Atque ita die 27. Aprilis 1650. in Sac. Congregatione 47
ſuper hujuſmodi appellationibus, & inhibitionibus dictum

fuit

fuit in Tribunali Auditoris Cameræ poſſe quidem concedi monitoria, & inhibitiones iis, qui ab Epiſcopis, vel aliis Ordinariis declarati fuerint excommunicati ob violatam juriſdictionem, libertatem, vel immunitatem Eccleſiaſticam, & ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, cùm ab hujuſmodi declaratoria, niſi exceſſus ſit notorius, detur appellatio ad utrumque effectum devolutivum, & ſuſpenſivum, & Auditor Cameræ ſit judex ordinarius quarumcumque appellationum, quæ à ſententiis per Ordinarios latis etiam extra ſtatum Eccleſiaſticum ad eamdem Sedem interponuntur; ſed non poſſe eos abſolvere etiam cum re incidentia, vel ad cautelam, obſtante decreto hac de re edito, & à ſan. mem. Urbano VIII. approbato, quod Sacra Congregatio obſervari mandavit.

Dictum eſt, niſi exceſſus ſit notorius, quia talis non au- 48
ditur appellans *cap. Cum ſit Romana*, §. *Præterea*, *cap. Pervenit*, *il primo*, *cap. Conſuluit*, *cap. Propoſuit*, *ſupra de appellationibus*, & hic notat Abb. Antiq. *num. 2. circa finem*, *in verb. Non debet*, poſt Innocen. *in cap. Tua nos*, *num. 4. ſupra de cohabitat. Clericor. & mulier.* & hic junge quæ in propoſito ſcripſi in *cap. Cum ex iniuncto*, *num. 5. & ſeqq. de nov. oper. nunciat.*

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III.

C A P U T XLI.

SI aliquando fortè contigerit, quòd eis, qui auctoritate Apoſtolica ſunt excommunicationi ſubjecti, noſtræ litteræ cum ſalutationis alloquio deſtinentur, non propter hoc excommunicationis credatur ſententia relaxata: Cùm per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per ſubreptionem contingat hujuſmodi litteras impetrari.

S V M M A R I V M.

1 *PApa ſi ſuis litteris excommunicatum ſalutet, non propter hoc cenſetur eum abſolvere.*
2 *Sive excommunicatio lata fuerit à iudicibus inferioribus, ſive à Sede Apoſtolica.*
3 *Excommunicatus etiam per litteras ſalutari non debet.*
4 *Pœna gravis eſt inter homines verſari, & eorum carere ſuffragiis.*
5 *Certa ſcientia excluditur ab actu ex negligentia, multiplici occupatione agendorum, & ſubreptione.*
6 *Vitii remiſſio, ſeu approbatio ex ſola communione non inducitur, niſi data ſcientia in communicante.*
7 *Papa an cenſeatur excommunicatum abſolvere ſi eum ſalutet ex certa ſcientia, & num. ſeqq. uſq; ad nu. 15.*
8 *Abſolutionis forma non ſervata excommunicatus non intelligitur abſolutus.*
9 *Litteras ſcribens ſervo tamquam Decurioni, vel ancillæ tamquam ſorori non cenſetur eis tribuere libertatem. Declaratur num. 14.*
10 *Excommunicatus non præſumitur quem Papa ad oſculum ſcienter admiſit.*
11 *Papa nullis ſubiacet formis iuris poſitivi.*
12 *Excommunicati vigore Conſtitutionis, quam Papa vult haberi pro infecta, non indigent abſolutione.*
13 *Prælati inferiores, quamvis per ſalutationem remittant iniuriam, tamen pœnam non relaxant, niſi formiter abſolvant.*
15 *Papa participando cum excommunicato, quem nolit eſſe abſolutum, non incidit in Canonem.*
16 *Penſionarius, qui per epiſtolam interpellavit Titularem excommunicatum ut penſionem ſolveret, eumque in fine epiſtolæ ſalutavit an inciderit in excommunicationem, & num. ſeq. uſque in finem.*
17 *Excommunicato licitum eſt communicare in his, quæ pertinent ad ſalutem animæ.*
18 *Non tamen ſalutando eum, aut cohabitando, vel erando cum eo.*
Contrarium num. 21. & ſeq.
19 *Excommunicato licitum eſt communicare etiam per litteras in ſpectantibus ad ſalutem.*
Epiſtola quid ſit, ibidem.
20 *Verba ſuperflua ſtipulationem non vitiant.*
21 *Excommunicatum alloquens correctionis cauſa poteſt etiam interſerere verba placentia, & ſigna dilectionis oſtendere.*
22 *Imò & cum eo participare in menſa, & cohabitatione, dummodo hoc faciat principaliter ut eum ad pœnitentiam inducat.*

SI *aliquando*. Si Papa ſuis litteris excommunicatum ſa- 1
lutet, non propter hoc intelligitur eum abſolvere. Hoc dicit. Primò dictum ponit. Secundò cauſam reddit ibi, *Cum per ignorantiam*.

Nota primò excommunicatum etiam ab Apoſtolica 2
Sede non cenſeri abſolutum ex eo quod Papa ſuis litteris eum ſalutet: dum enim loquitur hæc Decretalis de excommunicato à Papa, exprimit caſum magis dubitabilem: unde idem & fortiùs dicendum in excommunicato à judicibus inferioribus, ſecundum intellectum Joan. Andr. *in princip.* qui ſupplet verbum, *maxime*, Butr. *in 1. notab.* Anchar. *num. 1.* Marian. Socin. *in 2. notab.* & aliorum communiter. Ratio autem dubitandi in excommunicato auctoritate Apoſtolica potuit eſſe duplex. Primò, quia cùm Papa illi communicet in ſalutatione, & communicare non debeat, niſi prævia abſolutione, videbatur eum velle abſolvere ut neceſſarium antecedens. Deinde quia cum ei ſalutem impertiatur, ipſique ſalus eſſe non poſſit ſine abſolutione; idcircò videbatur velle ipſi abſolutionis beneficium impertiri. Cujus tamen contrarium hic deciditur, & rationes decidendi habet in textu, quia per ignorantiam, vel negligentiam, vel occupationem nimiam, aut etiam ſubreptionem contingit hujuſmodi litteras impetrari. Neque verò vis fieri debet in formula verborum ſalutationis: nam ſive Papa eum ſalutet ſimpliciter, ſive per illa verba, *Salutem in Domino, & Apoſtolicam benedictionem*, vel conſimilia, non intelligitur excommunicationis vinculum relaxare, ſecundum Joan. Andr. *in princip. in ver. Alloquio*, & Marian. Socin. *num. 2. verſ. Item procedit niſi tamen*.

Secundo nota ex eo quod Papa hic videatur ſe excuſare, 3
quod excommunicatum ſuis litteris ſalutaverit ignoranter, argumentum optimum, quod excommunicatus, etiam per litteras ſalutari non debet, ut hinc deducit gloſ. 1. Hoſtien. *in princip.* Cardin. *num. 1.* Butrius, & Abb. ambo *in primo not.* quod duplicem habet rationem. Altera 4
reſpicit ſalutantem, ne ſcilicet per ſalutationem videatur excommunicato conſentire, ſecundum eos, & Marian. Socin. *in cap. Inter alia*, *num. 42. verſ. Et quod dictum eſt de ſalutatione*, *ſupra eodem argum. cap. Cum Hadrianus, in fine*, & ibi gloſs. *ultima*, 63. *diſtinct.* & probatur in *d. cap. Omnis*, 24. *quæſt. 1.* ibi, *Nec, ave ei dixeritis, qui enim dixerit illi, Ave, communicat eius malignis operibus*. Altera ratio reſpicit ipſum excommunicatum, ut ſcilicet facilius reſipiſcat cùm viderit ſe contemni, *cap. Pia*, *de exception. lib. 6.* gravis enim pœna eſt inter homines verſari, & eorum carere ſuffragiis, *l. His qui, C. de Apoſt.*

Tertiò nota tria, quæ excludunt certam ſcientiam ab actu, 5
& ex quibus probatur, & præſumitur ignorantia, videlicet negligentiam, multiplicem occupationem agendorum, & ſubreptionem, ſecundum Anton. de Butr. *num. 4.* &

Marian. Socin. *num.* 3. Et quod dixit negligentiam, intellige Officialium ad hoc deputatorum: nam, ut inquiunt Hoſtien, *num.* 3. & Joan. Andr. *in princ. in verb. Negligentiam*, abſit ut Papam de negligentia publicè arguamus, argum. *cap. Aliorum*, 9. *quæſt.* 3. & *cap. Si quis Abbas*, 18. *quæſt.* 2.

6 Ultimò nota ex ſola communione non induci approbationem, vel remiſſionem vitii, niſi detur ipſius vitii ſcientia in communicante. Quod ſecundum Anton. de Butr. *num.* 3. nota pro eo, qui ex aliquo actu vult probare vitii purgationem, ſeu approbationem, ut illius vitii atticulet ſcientiam.

7 In gloſſa prima ibi, *ſed pone*, QUÆRO, an Papa ſalutando excommunicatum ex certa ſcientia cenſeatur illum abſolvere.

8 Pru parte negativa facit primò, quia in abſolvendo præſcripta eſt certa forma, qua prætermiſſa excommunicatus non videtur abſolutus, *cap. Cum deſideres*, *cap. Quod in dubiis*, *in princip.* & *cap. Sacris*, *ſupra eodem*.

9 Deinde pro hac parte facit, quia ſcribens litteras ſervo tanquam Decurioni, vel Ancillæ tanquam ſorori, non exinde cenſetur eis tribuere libertatem, *leg. Jubemus*, *Cod. de liberal. cauſ.* & *leg. Non Epiſtolas*, *Cod. de probation.*

10 In contrarium facit, quia ut legitur in *cap. Cum olim*, *il primo ſupra de privilegiis*, non præſumitur excommunicatione ligatus quem Papa ad oſculum ſcienter admiſit. Ergo in dubio cenſetur eum abſolvere. Præterea Summus Pontifex nullis ſubjacet formis juris poſitivi, ſed quod vult, lex eſt, ſi de illius ſcientia appareat, cùm legibus ſit ſolutus, *leg. Digna vox*, *Cod. de legibus*, & *leg.*

11 *Princeps*, *ff. eodem*. Poſita ergo licentia Papæ, & voluntate, excommunicatus intelligitur abſolutus, licet Papa non dicat: *Abſolvo te Pater*, quoniam Papa tribuit poteſtatem Canonibus, ipſique ab eo vigorem ſumunt, & non è converſo, *cap. Significaſti*, *ſupra de elect.* Quidquid ergo vult Pontifex, ſervetur, conſtito de illius voluntate, quidquid dicant jura. Demum hoc probatur hic à contrario ſenſu: Nam dum textus dicit: *Cum per ignorantiam*, *&c.* utique contrarium innuit ſi per ſcientiam: alioquin ſi Papa non poſſet excommunicatum abſolvere, niſi ſervata juris forma, non eſſet major poteſtas Papæ, quam inferiorum judicum. Et pro hac parte concludit gloſſa, & conſentiunt Goffred. *in proœmio Decretalium*; Vincent. Philipp. Tancr. & Hoſtienſis hic relati à Joann. Andr. *num.* 4. & Ancharan. *eodem num.* Idem notat gloſſ. *in cap. Si inimicus*, *in ver. Expectare* 93. *diſtinct.* ubi ait: [Si Papa excommunicato communicaret intendendo eum abſolvere, facto, etiam ſi non verbo, habendus eſſet pro abſoluto, cùm Princeps ſola voluntate libertatem concedat] *l. Apud ff. de manumiſſ.*

Tu dic excommunicatum per hujuſmodi ſalutationem intelligi abſolutum, ſi conſtet de certa ſcientia Papæ, de qua conſtare dicitur, ſi hoc exprimat; alias ſecus; Caſus eſt in Clement. *Si ſumus*, *de ſentent. excommunicat.* & firmat *hic* Joann. Andr. *num.* 4. *verſic. Judic.* Butr. *num.* 6. Cardinal. *num.* 1. *verſic. Quæro ſi Papa*, & *verſic. Quæro quomodo conſtabit*, Ancharan. *num.* 4. *verſic. Oportet ergo*, Abb. *num.* 3. & 4. Marian. Socin. *num.* 2. *ad finem*.

12 Non obſtat, quod in abſolutione forma Eccleſiæ non fuerit ſervata; quia Papa ejuſmodi forma non adſtringitur, ut dictum eſt *num. præcedenti*. Et propterea ſi Papa revocet aliquam Conſtitutionem, & velit eam haberi pro infecta excommunicati vigore illius Conſtitutionis non indigent abſolutione, ut notabiliter tenet gloſ. in Clem. 1. *in ver. Pro infectis*, *de Immunitate Eccleſiarum*: maxima enim eſt Papæ poteſtas circa jus poſitivum, ut ibi notatur, & probatur in *c. Propoſuit*, *de conceſſ. præbend.* Et eam gloſſam ſequitur Abb. *hic num.* 4.

13 Et hinc collige aliud eſſe in inferioribus Prælatis, quia cùm forma ſint adſtricti, quamvis per ſalutationem videantur injuriam remittere, ut *inſtit. de injur.* §. *fin.* pœnam tamen non relaxant niſi formiter abſolvant, ut dicunt hic Doctores, præſertim Petr. de Ancbar. *num.* 1.

14 Item non obſtat, quod dictum eſt de litteris ad ſervum tanquam liberum: quoniam leges illæ loquuntur quando libertas in litteris enunciativè narratur. Quo caſu non conſtat de ſcientia Domini, ſed ſi conſtaret eum ex certa ſcientia nuncupaſſe ſervum liberum, animo tribuendi libertatem, & hoc exprimeret, dubium non eſſet quin ſervus libertatem conſequeretur, cùm datio libertatis pendeat ex libera voluntate Domini, ſecundum Ant. de Butr. *in fine*.

15 In eadem gloſſa in fine. QUÆRO numquid Papa incidat in excommunicationem minorem ſi participet cum excommunicato, quem ex tali participatione nolit eſſe abſolutum.

Non, quia abſolutus eſt legibus. Ita concludit gloſſ. *hic*, & in *cap. Si inimicus*, *in ver. Expectare* 93. *diſtinct.* dicens Papam non incidere in Canonem, quia non ligatur à Canone; ut *cap. Innotuit*, *ſupra de elect.* & *l. penult. ff. de Arbitris*. Idem notat gloſſ. *unica*, *in cap. Nulli ſupra eodem*, & ſequuntur *hic* Hoſtien. *num.* 2. *verſ. Sed numquid incideret*, Joann. Andr. *in fine*, & alii communiter. Subdit tamen Abbas *num.* 5. Papam non debere cum excommunicatis communicare, ut notatur in *dict. cap. Nulli*, & ideò ſervari ut cùm legati Principum, ſeu ut vocant Ambaſciatores petunt audientiam, Pontifex faciat eos abſolvi, & explicata ambaſciata, ut verbis Abbatis utar, reducit eos in priſtinam excommunicationem.

16 QUÆRO, Penſionarius quidam ſcripſit epiſtolam ad Titularem excommunicatum ob penſionem non ſolutam, eumque interpellavit, ut ſolveret, & in fine epiſtolæ, ut moris eſt, ſalutavit, numquid propterea in excommunicatione inciderit.

17 Hoſtien. *in cap. Cum voluntate*, *num.* 2. *in verſ. In locutione infra eodem*, tenet illam Decretalem dum decidit licitum eſſe excommunicato participare in locutione in his, quæ pertinent ad ſalutem animæ, non habere locum in
18 oratione, in menſa, & in aliis, de quibus *in cap. Nuper* §. *In ſecunda*, *ſupra eodem*, & mox ſubdit: Sed & caveat participans à ſalutatione, & cohabitatione, *cap. Omnis*, 24. *quæſt.* 1. videtur ergo Hoſtien. ſentire in locutione poſſe quidem cum excommunicato aliquem participare in ſpectantibus ad ſalutem animæ, dummodo tamen à ſalutatione, & cohabitatione abſtineant, quod etiam innuit ibidem Henric. Boich. *col.* 4. *poſt princip.* dicens poſſe aliquem participare cum excommunicato in locutione, inducendo ipſum ut ad Eccleſiam revertatur, non autem ſalutando eum, vel orando cum eo. Idem videtur ſentire gloſ. 1. *hic circa medium*, dum ait: quamvis non debeamus excommunicatos ſalutare, poſſumus tamen cum eis loqui de rebus pertinentibus ad ſalutem animæ: & ita vult gloſ. ut converſionis cauſa fas ſit excommunicatum alloqui, ſed non ſalutare.

19 Contrarium videtur verius, quia quod dicitur de locutione in *d. cap. Cum voluntate*, habet locum etiam in ſcriptione, cùm epiſtola nihil ſit aliud, quam abſentium colloquium, ut hic probatur ibi, *noſtræ litteræ cum ſalutationis alloquio*; & in *l. Si procuratorem*, *ff. de procurator.* & ſcripſit *Cic.* 2. *Philippicarum*: *Amicorum*, inquit, *abſentium colloquia epiſtolæ*, & *ad Attic.* 7. *Litterarum aliquid ad te darem ut loquerer tecum abſens*, unde Bart. *in l. Nuda*, *num.* 4. *verſic. Hic verò fuit ſcriptura*, *ff. de donat.* dicit epiſtolam loqui cum eo, ad quem mittitur: quamobrem ſi licet excommunicatum alloqui in pertinentibus ad ſalutem animæ, & alia verba interponere, ut eſt caſus in *dict. cap. Cum voluntate*. Ergo etiam licet ad eum
20 litteras mittere cum ſalutatione. Et quidem hoc de plano procedit, ſi ſequamur opinionem Innocentii *in dict. cap. Cum voluntate*, *in princ. in ver. Incidenter*, exiſtimantis licitum eſſe excommunicatum alloqui converſionis cauſa, & alia verba interſerere, etiamſi verba hujuſmodi nec ad abſolutionem, nec ad ſalutem faciant: nam & verba ſuperflua ſtipulationem non vitiant, *l. Quæ extrinſecus*, *ff. de verb. obligat.* ſecundum Hoſtien. & Joan. Andr. *ibi nu.* 2. & Butr. *num.* 11. *in fine*, ſed etſi ſequamur opinionem Hoſtienſis *num.* 2. *in eod. ver.* requirentis ut talia verba aliquo modo, licèt non principaliter, proficiant ad ſalutem, nihilominus talis videtur ſalutatio, quia benevolentiam captat; & ſic diſponit, ut ex familiaritate ſalutis verba facilius recipiantur, ut conſiderat D. Thom. *in* 4. *ſent. diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 4. *in corpore*: alioquin verendum eſſet ne debitor inſalutatus, ac veluti contemptus, & correctionis acrimonia exaſperatus obſtinatior fieret: ad hoc *cap. Cum beatus*, 45. *diſt.* ibi, *Aſperitatis autem nimia increpatio nec correctionem recipit, nec ſalutem*, & Conc. Trid. *in cap.* 1. *ſeſſ.* 13.

ibi:

Digitized by Google

ibi: *Cùm ſæpè erga corrigendos agat benevolentia, quàm*
21 *auſteritas, &c.* Ob quam rationem, ut inquit Hoſtienſ. *loco cit.* alloquens excommunicatum in tendentibus ad ſalutem, non ut illi faveat, ſed ut eum magis attrahat, poterit etiam dicere verba placentia, & oſtendere ſigna dilectionis, quam ad ipſum, & ejus genus habuit: unde non apparet cur etiam non poſſit ſalutationem interſerere, & cum Hoſtien. tranſeunt ibidem Jo. Andr. *num. 2. in eodem ver.* Butr. *n.* 11. & Cardin. *n.* 2.

Neque verò hoc caſu vigent rationes cur excommunicati ſalutari non debeant, quarum ſuperiùs meminimus *n.* 3. quandoquidem rationes hujuſmodi vendicant ſibi locum ſi ſalutatio fiat principaliter, ſecus ſi incidenter, ut ſalutis verba apud eum magis proficiant, ut in *dict. cap. Cum voluntate, & in cap. Cum excommunicato*, 11. q. 3. *& in cap. Reſponſo, infra eod.*

Et eodem modo reſponderi poteſt ad doctrinam Hoſt. & gloſ. *hic* ut ſupra ponderatam pro contraria parte, quia debet intelligi ſi ſalutatio ſit nuda, & ſimplex, ſecus ſi admixta cum verbis ad ſalutem pertinentibus, ut in juribus prææallegatis.

Quinimò Petr. de Anch. *in d. c. Cum voluntate, in 2. not.* 22
n. 3. [Si quis, inquit, principaliter ad hoc tendit ut excommunicatum ad pœnitentiam reducat verbis perſuaſivis, ſi cum tali locutione immiſceat incidenter potum, vel comeſtionem in menſa, vel cum eo cohabitet principaliter ad finem converſionis, talis non incidit in Canonem.] Ad quod inducit principium illius Decretalis. *Cum voluntate, & propoſito, &c.* Item quia hæc incidenter eveniunt, & per conſequens non curantur, ut ibi: *illa enim, quæ incidunt, nec ad abſolutionem faciunt, nec ad ſalutem:* puta quærit de uxore, & liberis ad dilectionem, quam habuit erga illius genus, & his ſimilia: ad hoc *l. Quæ extrinſecus, ff. de verb. obligat.* ſi ergo ſecundum Anch. incidenter licet cum excommunicato participare etiam cohabitatione ad finem converſionis, longè magis licebit ſalutem dicere, arg. *c. Ex parte, il terzo, de dec.*

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III. Ferrarieñ. Epiſcopo.

C A P U T XLIII.

RESponſo noſtro poſtulas edoceri, an cùm Ferrar. cives excommunicationis & interdicti ſententiis ſint ligati, liceat tibi viros & mulieres ſemel in hebdomada, vel in menſe, apud aliquam Eccleſiam convocare, quibus prædices verbum Dei, & eoſdem ad correctionem inducas. Super quo reſpondemus, quòd ſine ſcrupulo conſcientiæ hoc facere poteris, cùm videris expedire: dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum officium celebretur. Præterea quæſiviſti, cùm Ferrar. civitas ſit interdicto ſuppoſita, & ideò ſint ibidem (præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias morientium) univerſa ſacramenta Eccleſiaſtica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus conſignare. Super quo reſpondemus, quòd ſicut baptizari poſſunt pueri, ſic & baptizati ad confirmationem in frontibus à te poſſunt ſacro chriſmate deliniri.

S V M M A R I V M.

1 *EXcommunicatis, & interdictis prædicari poteſt verbum Dei.*
2 *Excommunicati licitè poſſunt Eccleſiam ingredi, dummodo officium non audiant.*
3 *Excõmunicatus permittendus eſt per Eccleſiam tranſire.*
4 *Excommunicato Miſſam audiente extra Eccleſiam Sacerdos ceſſare debet, niſi inceperit Canonem.*
5 *Orare licet in Eccleſia, in qua excommunicatus exiſtit non orandi cauſa.*
6 *Excommunicatis licitum eſt communicare ad finem, ut ad pœnitentiam reducantur.*
7 *Excommunicatus ſive occultus, ſive manifeſtus nullo tempore intrare debet Eccleſiam, niſi ad audiendam prædicationem verbi Dei.*
8 *Eccleſia quid ſit.*
9 *Excommunicationis gladius nervus eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac ſi contemnatur, perniciem potius parit, quàm ſalutem.*
10 *Excommunicatio eſt medicinalis, non mortalis.*
11 *Excommunicatis non denunciatis, nec publicis Clericorum percuſſoribus an liceat Eccleſiam ingredi poſt Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis.*
12 *Excommunicati minore excommunicatione Eccleſiam intrare non prohibentur.*
13 *Divinorum appellatione an veniat prædicatio verbi Dei, & num. ſeqq. uſque ad num.* 22.
14 *Prædicatio verbi Dei non eſt actus Ordinis ſacri, & demandari poteſt etiam Clerico in ſacris non conſtituto, & num.* 19.
15 *Non tamen mero laico, & num.* 19.
16 *Prædicatio verbi Dei non incumbit ex officio niſi Epiſcopo, & Parocho.*
17 *Monachus etiam Diaconus, vel Sacerdos de iure cõmuni prædicare nõ poteſt ſine licentia Epiſcopi, vel Curati.*
18 *Epiſcopus etiam non conſecratus, & Parochus non Sacerdos tenetur prædicare populo verbum Dei.*
20 *Suſpenſus à divinis non intelligitur ſuſpenſus à prædicationis officio, nec è converſo.*
Proſp. Fagnan. in V. Lib. Decretal.
21 *Suſpenſus à divinis celebrando efficitur irregularis, ſecus in ſuſpenſo ab officio prædicationis.*
22 *Intellectus Clem.* Quamvis de foro compet.
23 *Interdicti tempore adminiſtrari poſſunt Baptiſmi, & Confirmationis Sacramenta etiam adultis, & n.* 27.
24 *Item Sacramentum Pœnitentiæ etiam ſanis.*
25 *Viaticum decedentibus non denegatur.*
26 *Euchariſtia ſanis non conceditur.*
27 *Confirmatio eſt complementum Baptiſmi, & ante eam quis non dicitur plenè Chriſtianus.*
28 *Interdicti tempore permittitur Chriſmatis confectio in die Cœnæ Domini, & conſecratio olei baptizandorum.*
29 *Extrema Unctio denegatur.*
Et quid de Ordine, & Matrimonio, ibidem remiſſivè.
30 *Cives unius civitatis omnes, & ſimul poſſunt non tantum interdici, ſed etiam excommunicari.*
31 *Univerſitas an excommunicari poſſit, & num. ſeqq. uſq; in fin.*
32 *Univerſitas unde dicta.*
33 *Quid ſit.*
34 *Et quot homines faciant univerſitatem.*
35 *Univerſitatis nomine quid veniat.*
36 *Communitas quid ſit.*
37 *Collegium quid, & in quo differat ab univerſitate.*
38 *Epiſcopus cum Capitulo faciunt unum corpus.*
39 *Excommunicationis pœna quàm gravis ſit.*
40 *Excommunicatus traditur Diabolo corporaliter, & ſpiritualiter.*
41 *Interdici quis poteſt pro peccatis alienis, ſed non excommunicari, & num. ſeq. & num.* 51.
42 *Regnum interdicitur pro peccatis Regis, civitas pro peccatis Epiſcopi, vel Domini, & monaſterium pro peccatis Abbatis.*
43 *Univerſitas ex more ſacrorum Canonum interdicitur, ſingulares perſonæ excommunicantur.*
44 *Excommunicantur in Bulla Cœnæ omnes, & ſinguli appellantes ad futurum Concilium; univerſitates verò, & Collegia interdicuntur.*
45 *Officiales laici relegantes perſonas Eccleſiaſticas excommunicantur ab Urbano VI. eorumque civitates, &*

terra ſupponuntur Eccleſiaſtico interdicto.

46 *Conſules mercatorum non faciunt Collegium.*

47 *Legatos, & Nuncios Apoſtolicos impedientes excommunicantur, & eorum regna, & terræ interdicuntur.*

48 *Lucana civitas, & dominium interdicitur, Vexillifer, Antiani, & Officiales nunciantur excommunicati ob violatam libertatem Eccleſiaſticam.*

49 *Princeps, & multitudo non eſt excommunicanda.*
Declaratur, ibidem.

50 *Multitudo etiam notorii peccati rea excommunicari non debet.*
Declaratur, num. 57.

51 *Univerſitatem excommunicari non poſſe qui Auctores ſenſerint.*

52 *Univerſitas, & Capitulum de iure veteri poterant excommunicari.*

53 *Intellectus cap.* Si autem vobis, 11. quæſt. 3.

54 *Populum quot homines faciant.*

55 *Univerſitas duplex.*

56 *Intellectus cap.* Romana, §. In univerſitatem, de ſent. excommun, lib. 6. *& num.* 72, 79. 80. 84. *& ſeq. & num.* 94. *&* 109.

57 *Multitudo an, & quando excommunicari poſſit.*

58 *Multitudo peccantium patrocinium errori non parit.*

59 *Multitudini an ſit parcendum, qui numerus requiratur.*

60 *Univerſitas dupliciter accipitur, & num. 72.*

61 *Univerſitas prout eſt quid abſtractum a ſingularibus perſonis nulla auctoritate excommunicari poteſt, & num. ſeq. uſque ad num. 72.*

62 *Univerſitas, Communitas, Societas, Collegium, ſeu Capitulum dicuntur unum, non ſimpliciter: ſed aggregative.*

63 *Gregem faciunt decem oves.*

64 *Collegium, & univerſitas non dicitur perſona vera, ſed ficta, & repræſentata carens anima, & Baptiſmo, & num. ſeq.*

65 *Excommunicatio non ligat niſi perſonam veram, & num. 69.*

66 *Actus activorum ſunt in patiente bene diſpoſito.*

67 *Excommunicatione non ligatur niſi perſona rationabilis, & baptizata.*

68 *Univerſitatis res non ſunt ſingulorum, neque è converſo.*
Animæ ſingulorum non ſunt univerſitatis, ibid.

69 *Actus, & paſſiones prout conſiſtunt in facto, ſunt ſingulorum, non univerſitatis, & num. 81.*

70 *Excommunicatione ut quis ligetur quas qualitates habere debeat.*

71 *Univerſitas ut eſt quid præſcindens à ſingularibus perſonis non eſt capax interdicti.*

72 *Excommunicare univerſitatem, vel omnes de univerſitate non differunt.*
Declaratur, num. 89.

73 *Interdictum corporis in materia cuius corpus non eſt capax, reſpicit ſingulos.*

74 *Capitulum eſt nomen intellectuale, & res incorporabilis, & nihil facere poteſt niſi per membra ſua.*

75 *Univerſitas, Collegium, vel Senatus an poſſint per Papam excommunicari, & num. ſeqq. uſque ad num. 79.*

76 *Papa prædeceſſorum ſuorum Conſtitutionibus non ligatur, tam ex defectu voluntatis, quàm poteſtatis, & num. 77.*

78 *Heronymus, & Auguſtinus contra auctoritatem Papæ ſententiam ſuam non defendunt.*

79 *Univerſitas, vel Collegium an ab inferioribus à Papa excommunicari valeat, & num. ſeqq. uſque ad num. 88.*

80 *Prohibitio nunquam fit generaliter ad cautelam eorum, quæ poſſunt contingere.*

81 *Communitas non præſumitur ita tota ad malum conſentire, quin aliqui ſint diſſentientes.*

82 *Iuſtus cum impio non eſt condemnandus.*

83 *Epiſcopi non poſſunt Sedis Apoſtolicæ decreta in totum, vel in partem convellere, vel mutare.*

84 *Excommunicari poſſunt ab Epiſcopo Priores, & omnes de univerſitate mandatis eius rebelles.*

85 *Collegii maior pars, ſi delinquat, Collegium ipſum dicatur deliquiſſe.*

86 *Capituli alia eſt cauſa, alia Canonicorum.*

87 *Canonici ſingulares citati, etiamſi fuerint contumaces, non poſſunt excommunicari pro Capitulo non comparente, ubi decreta fuit citatio contra Decanum, & Capitulum.*

88 *Excommunicatio lata à Papa in univerſitatem an valeat.*

89 *Et an liget innoxios.*

90 *Et quid in foro poli.*

91 *Infantes excommunicationis ſententia ligari non poſſunt, & num. 109.*

92 *Eccleſia non poteſt per excommunicationem excludere à Regno Dei niſi indignos, qui per peccatum mortale charitatem amiſerint.*

93 *Excommunicatio lata in univerſitatem ab inferioribus à Papa an liget, & timenda ſit, & n. ſeq. uſque in fin.*

94 *Penitus prohibere quid importet, & num. 105.*

95 *Excommunicatio lata in univerſitatem non poteſt referri ad ſingulos, & num. ſeqq.*
Contrarium, num. 106. & ſeqq.

96 *Capitulo excommunicato an cenſeantur excommunicati ſucceſſores.*

97 *Genere exiſtente incapaci non fit diſtributio, vel diffuſio in eius ſpecies.*
Contrarium, num. 111.

98 *Sententia lata contra privilegium non tenet, & n. 115.*

99 *Potentia eſt de genere bonorum.*

100 *Excommunicatio, ſive iuſta, ſive iniuſta timenda eſt, & num. 112. & ſeqq.*

101 *Si lata ſit ab Ordinario, & in talem, qui quamvis ſine culpa, tamen culpam committere potuit.*

102 *Excommunicationis ſententia contra Canonis prohibitionē tenet ſi feratur ab Ordinario, ſecus ſi à Delegato.*

103 *Geſta contra prohibitionem legis non procedentis ad irritationem actus an & quando ſint nulla, & n. 112.*

104 *Opinio tutior ex præcepto eligenda eſt inter opiniones utrinque probabiles, ubi vertitur ſalutis periculum.*

105 *Sententia lata a non ſuo iudice eſt ipſo iure nulla.*

106 *Univerſitas nihil aliud eſt, quàm ſinguli homines, qui ibi ſunt.*

107 *Excommunicans Capitulum cenſetur excommunicaſſe ſingulos, & num. ſeq.*

108 *Actus, qui non poteſt applicari univerſitati, applicatur ſingularibus perſonis.*

109 *Excommunicatio generaliter lata in univerſitatem referri non poteſt niſi ad capaces excommunicationis.*

110 *Diſpoſitio quantumcumque generalis recipit reſtrictionem de habilitate, & poſſibilitate.*

112 *Excommunicatio in ſuffraganeos lata ab Officialibus Archiepiſcopi, qui de facili poteſt haberi, ligat, quamvis ferri non debeat.*

113 *Excommunicatio lata ab Epiſcopo non ſervata forma* cap. 3. ſeſſ. 25. *Conc. Trid. valida eſt, licet ſit iniuſta, & excommunicatus indiget abſolutione.*

114 *Prohibitio legis non eſt inutilis, licet geſta contra prohibitionem ſint valida.*

115 *Excommunicatio lata in univerſitatem an dicatur lata contra illius privilegium.*

R*Eſponſo.* Excommunicatis, & interdictis prædicari 1
poteſt verbum Dei, & tempore generalis interdicti
concedi poteſt Baptiſmus, & Chriſmatio in fronte, &
pœnitentia morientium. Hoc dicit. Sunt duæ partes principales. Secunda ibi, *Præterea:* & quælibet ſubdividitur in conſultationem, & reſponſionem: & ſecunda utriuſque incipit, *Super quo.*

Nota primò ibi, *apud aliquam Eccleſiam convocare*, 2
juncto verſ. *Dummodo*, excommunicatos poſſe Eccleſiam
ingredi, dummodo officium non audiant, ut *hic* notat
Innoc. *in fine*, Anton. de Butr. *num.* 4. Cardin. *num.* 2. &
Marian. Socin. *num.* 3. *in* 4. *notab.* & tenet gloſ. *in cap. Qui*
ſtudet, *in ver. Dimiſit*, 1. *quæſt.* 1. ubi dicit quemlibet pec-
catorem, & etiam excommunicatum poſſe intrare Eccle-
ſiam orandi cauſa, dummodo non interſit divinis officiis,
cùm non inveniatur prohibitum, *cap. Nuper, ſupra eodem*:
idem firmat Bartholomæus Brixien. *in d. cap. Qui ſtudet*,
Ant. de Butr. & Jo. de Imola *in cap.* 1. *de vit. & honeſt. Cler.*
& Silveſt. *in ver. Excommunicatio*, 5. *num.* 2. *verſ. Unde ſi* 3
Eccleſiam ingreſſus, nec diſſentit Joann. Andr. *in cap.*
Sa-

Digitized by Google

3 *Sacro, in ver. Ingreſſum, infra eodem*, dum tenet excom-
municatum permittendum eſſet tranſire per Eccleſiam.
Idem videtur ſentire Innocent. *in dict. cap. Nuper, num.* 5.
4 *in ver. Orando*, obi primò dicit: [Nullo modo debemus
orare ubi excommunicatus orat, quia videmur ſibi com-
municare, cùm eundem Deum ſimul pro populo Chriſtia-
no rogemos: unde etiam ſi ſit excommunicatus extra
Eccleſiam, & audiat Miſſam, ſtatim Sacerdos debet ceſſa-
re, & alii orantes recedere, niſi fortè incœpiſſet Canonem
Miſſæ, quia tunc debet ibidem Miſſam perficere, quia non
capit diviſionem, *cap. Nihil, 7. quæſt.* 1.] Deinde ſubjun-
5 git: [Tamen ſi in Eccleſia eſſet excommunicatus oon cau-
ſa orandi, ſed pro alio ſuo negocio, non video quare in
eadem Eccleſia orare non poſſim, quia ſibi non communi-
co in oratione, quia non orat;] & ſequitur Archid. *in cap.
Sicut Apoſtoli, num.2. verſ. Sic intelligit Innocentius*, 11.
*quæſt.*3. & *hic* Petr. de Anchar. *n. 2. in 2. notab.* & Cardin.
*num.*2.

6 Sed alii contradicunt intelligentes hunc textum proce-
dere in hoc ſpeciali caſu, quando excommunicatus in Ec-
cleſiam iogreditur ut audiat verbum Dei. Et ratio ſpecia-
litatis eſt, ut facilius ad correctionem inducatur. Quod
ſatis innuit littera ibi, *& eoſdem ad correctionem indicas:*
licitum eſt enim excommunicatis communicare ad finem,
ut ad pœnitentiam reducantur, *cap. Anteceſſor*, 11. *qu.* 3.
& cap. Cum voluntate, infra eodem, & notant *hic* Butr.
7 Abb. Marian. Socin. & Felin. omnes *in 2. notab.* Sed extra
hunc caſum exiſtimant excommunicato eſſe prohibitum
ingreſſum Eccleſiæ per textum *in cap. Perlectis, 25. diſtinct.
& cap. Cleros, 21. diſtinct.* ubi dicitur ad Oſtiarium pertine-
re claves Eccleſiæ, ut fideles recipiat, excommunicatos, &
infideles reſpuat: & hoc tenet Raym. *in ſumm. hoc tit.* §.
Sed numquid, ubi dicit excommunicatos ſive occultos,
ſive manifeſtos nullo tempore debere intrare in Eccleſiam,
& concordat Goffred. *hic* & Aſten. *lib. 7. tit. de damn. ex-
comm. in princip. verſ. Item Eccleſiam.*

Nec obſtat ſi dicatur, Alius oon debet excommunicatum
occultum prodere, vitando eum in publico: ergo multò
minus idem excommunicatus debet prodere ſeipſum: quo-
niam non eſt ſimile, cùm non ſit in poteſtate alterius ex-
communicatum corrigere, taliter eum vitando, ſicut eſt
in poteſtate ſua ſeipſum corrigere, & abſolutionem impe-
trare, ut poſt gloſ. Guil. Aſten. & Joan. Friburg. formaliter
hic dicit Henric. Boich. *poſt princip.* & in hoc videtur reſi-
dere Hoſtien. *n.* 3. dum dicit: [Diſpenſatur enim hoc caſu
propter favorem animarum, & ita poſſunt intrare Eccle-
ſiam; verbo tamen finito ſtatim exeant, & fugiant, quia
nec licet eis divina audire, ot notatur in *cap. Quod in te*,
§. 1. *ſupra tit. prox.*] & idem repetit in *ſumma hoc tit.* §. *fin.
verſ. Sed numquid*, & apertius Joan. Andr. *in dicto cap.
Nuper, in ver. Orando, num.5. ſupra eodem*, ubi concludit
excommunicatum non debere Eccleſiam ingredi, licèt ibi
non celebrentur divina, niſi cauſa audiendi verbum Dei,
ut hic & ſequitur Marian. Socin. *in cap. Sacris, in 9. prin-
cipali articulo, in 17. dubio, num. 124. & ſeq. ſupra eodem*,
ubi dicit hanc eſſe regulam ot excommunicatus extra ca-
ſum prædicationis verbi Dei non poſſit ingredi Eccleſiam,
etiamſi intraret alia cauſa, quàm audiendi divina, ſubdens
hanc partem eſſe de jure veriorem, licèt contraria ſit
8 æquior. Ergo adhæreo huic ſecundæ opinioni; tum quia
cùm Eccleſia nihil aliud ſit, quàm cœtus, & communio
fidelium, *cap. Legimus circa med. 93. diſt. cap. Multa*, 1.
*quæſt.*1. *cap. Loquitur Dominus*, 24. *quæſt.* 1. ſicut excommu-
nicatus eſt à communione fidelium excluſus, *cap. Nihil, &
cap. Canonica*, 11. *quæſt.* 3. *cap. Viduas*, 27. *quæſt.* 1. *& cap.
Tam ſacerdotes*, 24. *quæſt.*3. ita conveniens eſt, ut exclu-
datur ab Eccleſia materiali, ubi fideles Deum deprecaturi
conveniunt, *cap. Oratorium, & cap. ſeq. 42. diſt. & cap. 2. de
immun. Eccleſ. lib.*6. tum quia jura præallegata in *d. c. Cleros,
& c. Perlectis*, generaliter, & indiſtinctè arcent excommu-
nicatos ab Eccleſia, nec apparent limitata, niſi in caſu præ-
dicationis verbi Dei, ut hic, in aliis, ergo ſtabimus regulæ,
*quia quod non mutatur, &c. l. Sancimus, C. de teſtam. l. Ab
ea parte, ff. de probat.* & not. gloſ. 1. *in fine in cap. Inter hæc*,
9 32. *q.* 2. Tum denique quia excoommunicationis gladius
nervus eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in
officio populos valde ſalutaris, ac ſi contemnatur, perni-
ciem potius pariat, quàm ſalutem, ut legitur in *cap.* 3.
*ſeſſ.*25. Concilii Tridentini. Per hoc autem quod excom-
municatus excluditur ab Eccleſia: cenſura magis formi-
datur, ob quam rationem amplectitur hanc opinionem,
& veriorem putat etiam Felin. *hic in princip.* & tutiorem
Henrich. Boich. *circa medium*. Neque hoc in odium ex- 10
communicati, ſed ad illius utilitatem, & medicinaliter
ſancitum eſt, ut ſcilicet citiùs reſipiſcat, & ſpiritus ejus ſal-
vus fiat, *cap. Multi, 2. quæſt.*1. *cap. Audi*, 11. *quæſt.* 3.
*cap. Cum medicinalis, de ſentent. excommun. lib.*6. Rota
*deciſ.*35. incipien. *Si quis in cauſa, aliàs* 10. *num.*2. *de ſen-
tent. excommun. in noviſ.* Procedit autem hæc concluſio 11
etiam poſt Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, quæ
incipit *Ad evitanda:* nam etſi per eam indulgeatur Ca-
tholicis ut communicare poſſint cum excommunicatis,
non tantùm in divinis officiis, ſed etiam in adminiſtratio-
ne, & perceptione Sacramentorum, exceptis tantummodo
publicè denuociatis per ſeotentiam, & notoriis Clerico-
rum percuſſoribus: non tamen per hoc ipſi excommuni-
cati in aliquo relevantur, ut ibi expreſsè cavetur in fine:
unde quoad eos remanet antiqua prohibitio ingrediendi
Eccleſiam etiam ex alia cauſa, quàm audiendi divina, cùm
non reperiatur immutata, *l. Præcipimus, in fine, C. de appel.
cum ſimil.* & de intellectu, & robore prædictæ Conſtitutio-
nis, vide quæ ſcripſi latiſſimè in *cap.* 1. *ſupra de ſchiſmat.* In-
tellige prædicta in excommunicatis majori excommunica- 12
tione: ſecus ſi minori, quia non prohibentur Eccleſiam
ingredi, argum. *cap. A nobis, ſupra de except. & cap. Qui
ſtudet, in fine* 1. *quæſt.*1. & reprobata Hugonis opinione te-
net Guliel. *in cap. Is cui, inf. eod. lib.* 6. & Henric. *hic in
princip.*

Secundò nota divini officii appellatione noo venire 13
prædicationem verbi Dei: nam textus decidit primò ex-
communicatos, & interdictos poſſe in Eccleſiam convo-
cari ad prædicationem verbi Dei. Deinde ſubjicit limita-
tionem, dummodo nullum in eis divinum officium cele-
bretur. Et ſic ſub illis verbis, *nullum divinum officium*,
licèt univerſalibus negativis non includitur prædicatio.
In contrarium eſt gloſſ. in Clemen. *Quamvis, in verb. Ad
divina, de foro competent.* obi determinat divinorum ap-
pellatione comprehendi etiam prædicationem verbi Dei,
allegat *cap. Inter cætera, ſupra de offic. Ordin.* & pro gloſſa
facit text. *in cap. Perlectis*, §. *Ad Diaconum*, 25. *diſt.* ubi
dicitur pertinere ad Diaconum prædicare Euangelium, &
Apoſtolum: concordat *cap. In ſancta*, 92. *diſt.* ibi: *Quos*,
(ideſt Diaconos) *ad prædicationis officium vacare congrue-
bat*. Item pro gloſſa facit text. *in cap. Adiicimus*, 16. *q.* 1. ubi
ſtatuitur ne nullus præter Domini Sacerdotes, prædicare
audeat. Item prædicationis munus dicitur Epiſcoporum præ-
cipuum eſſe à Coocilio Tridentino *in cap. 4. ſeſſ.* 24. &
ſic videtur actus Ordinis ſacri, & conſequenter com-
prehendi divinorum appellatione: unde ſicut quis ſu-
ſpenditur aliquando ab officio ſacerdotali, *cap. Sane
il ſecondo, ſupra de offic. deleg. & cap. 2. eodem tit. lib.* 6.
ita & à prædicationis officio, ot eſt textus in Clement. *Cu-
pientes, de pœnis.* Sed Doctores communiter tenent oppo- 14
ſitum, quia oullo jure apparet prohibitum: quominus
prædicandi munus delegari poſſit Clerico in minoribus
Ordinibus conſtituto: & quamvis ſtatutum ſit ne qois præ-
dicet, niſi mittatur, ot ad *Roman.* 10. *cap. Ad abolendam,
& cap. Cum ex injuncto, de heret.* non tamen reperitur ſta-
tutum, ut mittendus eſſe debeat ſacro Ordine initiatus,
ut plenè reſpondit Navar. *conſil.* 7. incipien. *An prædicare
ſit actus Ordinis ſacri, in tit. de offic. iud. deleg.* qui amplius 15
putavit, licèt non beoè, ut paulò poſt patebit, etiam me-
rum laicum poſſe prædicare de licentia Sacerdotis, & Cle-
ricorum per *cap. Mulier*, 23. *diſt.* Et abſolutè officium præ-
dicationis non eſſe Ordini annexum ſentit etiam Silveſt. *in
ver. Suſpenſio, num.* 1. dum dicit ſuſpenſionem quandoque
fieri non ab Ordine, ſed ab aliquo alio, putà ingreſſu Ec-
cleſiæ, actu prædicationis, & hujuſmodi. Non obſtat
text. *in d. cap Perlectis, & in cap. In ſancta*, quia intelligi
poſſunt de cantione, vel lectione Euangelii ad Miſſam, ot
notat gloſ. utrobique, & Navar. *ubi ſupra*, & dixi in *cap.
Cum contingat, ſupra de ætat. & qualit.* Item non obſtat 16
cap. Adiicimus, & Concilium Tridentinum in *d. cap.*4. quia
intelliguntur de prędicatione exercenda auctoritate pro-
pria, & ratione ſui officii, quale non habent niſi Sacerdotes
Curati, & Epiſcopi. Qua ratione Monachus etiamſi ſit 17
Diaconus, vel Sacerdos ſimplex non habens Eccleſiam cu-
ratam noo poteſt prædicare niſi de licentia Epiſcopi, vel

18 Sacerdoti Curati, ut probatur in *d. cap. Adjicimus, juncto §. Ecce*. At è converſo Sacerdos curatus etiam nondum promotus ad Sacerdotium, poteſt, & debet prædicare populo, verbum Dei, ſicut & Epiſcopus non conſecratus, qui prohibetur ea tantum exercere, quæ ſunt Ordinis, non autem ea, quæ ſunt juriſdictionis, vel officii, ut in *cap. Tranſmiſſam, & cap. Quod ſicut §. Præterea, de*
19 *elect. & in cap. Quamvis Corepiſcopis, 68. diſtinct.* & hanc partem alias probavit Sacra Congregatio Concilii articulo diligenter examinato; nam propoſito dubio an officium ſolemnis prædicationis in Eccleſia poſſet ſimplici Clerico in ſacris minimè conſtituto ab Epiſcopo delegari: Die 23. Junii 1580. cenſuit munus prædicationis per Epiſcopum committi poſſe etiam Clerico, qui non ſit in ſacris Ordinibus conſtitutus. Dictum tamen fuit in Sacra Congregatione, laico committi non poſſe. Et ita videbatur tota Congregatio ſentire tum per allegata capitula de hæret. tum per Concilium Lateranenſe *ſeſſ.* 11. ſub Leone X.

20 Concludo igitur prædicationem verbi Dei regulariter non venire divinorum appellatione, ut hic probatur. Et propterea de illa nihil agitur in *tit. de celebr. Miſſ.* & divinis officiis, *ſed in titulo de offic. Ordin. ut in cap. Inter cætera*. Unde ſuſpenſus à divinis non intelligitur ſuſpenſus à prædicationis officio, nec è converſo, ut not. gloſ. in d. Clement. *Cupientes in ver. Suſpenſi*; Quæ propterea advertit ſuſpenſionem ab officio prædicandi eſſe novam
21 ſuſpenſionis ſpeciem. Sic etiam quamvis ſuſpenſus à divinis celebrando efficiatur irregularis, *cap. Is cui eodem tit. lib. 6. cap. Si quis Epiſcopus*, 11. *quæſt.* 3. Innocen. *in cap. Cum æterni, in ver. Divinis, de ſentent. & re judic. lib. 6.* tamen ſecus eſt in ſuſpenſo à prædicationis officio, ut notatur in *cap. Cum dilectus, de conſuet. in cap. Si celebrat, de Cler. excommun. miniſtr.* & in d. Clemen. *Cupientes, de pæn.* & per Silveſtr. *in ver. Suſpenſio, num. 4. in 5. quæſt.*
22 fallit ſi ſubjecta materia, & identitas rationis aliud ſuadeat. Et ita intelligo gloſſam in dict. Clemen. *Quamvis in ver. Ad divina, de foro compet.* ibi enim conſiderantur divina reſpectu concurſus Populi ad hoc ut facta citatio ad expulſores Epiſcoporũ pervenire veriſimilius præſumatur, ut legitur in textu, & not. Joan. Andr. *in cap. fin. num. 5. in ver. In Eccleſiis, ſupra de clandeſt. deſponſ.* Unde non mirum ſi appellatione divinorum etiam prædicatio comprehenditur, quia non minus ad ſacras conciones audiendas, quàm ad divina officia fideles confluere conſueverunt. Et adde Silveſtr. *in ver. Interdictum 5. num. 5. verſ. Secundum*, ubi dicit divinorum nomine ſolum venire ordinatum in Breviario, & Miſſali.

23 Tertiò nota tria Sacramenta, quæ adminiſtrari poſſunt tempore generalis interdicti. Primum eſt Baptiſmus. Et quamvis hic, & in *cap. Non eſt, ſupra de ſponſal.* exprimatur de parvulis habito reſpectu ad id, quod eſt frequentius; tamen idem eſt in adultis, ut in *cap. Quoniam,*
24 *hoc tit. lib. 6.* Secundum eſt pœnitentia morientium; ſed hodie non tantummodo morientes, ſed etiam viventes tam ſani, quàm infirmi ad pœnitentiam licitè admittuntur, ut in *cap. fin. eodem titulo, & lib.* Hæc enim duo Sacramenta ſemper excipiuntur de quolibet interdicto, quia ſunt Sacramenta neceſſitatis, *dict. cap. Non eſt*, juncta
25 gloſſ. *in ver. Baptiſmum parvulorum*. Et per pœnitentiam intelligitur etiam Viaticum, quòd decedentibus conceditur, ut in *cap. Quod in te, ſupra tit. prox.* ibi, *In illo verbo, per quod Pœnitentiam morientibus non negamus; Viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipſum decedentibus denegetur*, & notat gloſſ. *hic in ver. Præter baptiſma*: Hæc enim eſt regula à Canone tradita, ut nulli pœnitenti ſit denegandum in morte Viaticum, *cap. Pœnitentes, in fine 5. di-*
26 *ſtinction.* Sed ſanis tempore interdicti Euchariſtia non conceditur, ut tenet gloſſa in *cap. final. in ver. Admittantur*, & Abb. *hic in ultimo notab. num. 4.* & Navarr. *in Manual. cap. 27. num.* 178. Tertium Sacramentum eſt Chriſmatis. Et quamvis textus ſimiliter exprimat de pueris, tamen in adultis, ut in *dicto cap. Quoniam*:
27 nam etſi hoc Sacramentum regulariter non ſit neceſſitatis, eſt tamen complementum Baptiſmi, ut in *dict. cap. De his vero, de conſecrat. diſtinct.* 5. & ibi gloſſ. *final.* Atque, ut Urbanus inquit *epiſtol. 1. ad omnes Chriſtianos, cap. 7. Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur*, refertur in *cap. Omnes, eadem diſtinct.* & not. gloſſ. *fin. hic*, & Hoſtien. *in fine, in ver. Ad confirmationem*, non quod prima gratia per Confirmationis Sacramentum conferatur, & ante Confirmationem per Baptiſmum originale peccatum non deleatur, qui eſt perverſus nonnullorum hæreticorum error; ſed quia per Confirmationem baptiſmalis gratia roboratur, ut explicat Suarez *tom. 5. diſput. 34. ſect. 2.* Ad
hoc *cap. Spiritus Sanctus de conſecrat. diſtinct.* 5. Et eadem 28
ratione in die Cœnæ Domini permittitur conſecratio Chriſmatis: quæ ad Confirmationem, & Baptiſmum eſt neceſſaria, ut in dicto *cap. Quoniam, infra eodem lib. 6.* & conſecratio olei baptizandorum, ut per Navarr. *loco cita-*
to. Sed Sacramentum extremæ Unctionis denegatur, ut 29
in *dict. cap. Quod in te*, & not. hic gloſſ. *in ver. Præter baptiſma*, Hoſtienſ. *num. 4. in eodem ver.* Abb. *num.* 1. & reliqui, Anton. de Butr. *in dict. cap. Non eſt vobis, ſupra de ſponſal.* & Silveſt. *in ver. Interdictum, 5. num. 8. in fine in 7. quæſt.* De matrimonio autem, & Ordine dic, ut notatur per DD. *in dict. cap. Non eſt vobis*, & per Silveſt. *dict. quæſt. 7. num. 9. verſ. Quinta exceptio, & verſ. Sexta eſt in Ordinum collatione*.

Ultimò nota ibi, *Ferrarienſes Cives excommunicatio-* 30
nis, & interdicti ſententiis ſint ligati: omnes cives unius civitatis pariter, & ſimul poſſe non tantum interdici, ſed etiam excommunicari, prout hic notant Abb. *in 4. notab. num. 4.* & Felin. *num. 3.*

QUÆRO utrum Univerſitas excommunicari poſſit. 31

Ad evidentiam præmitto ſecundum Joan. Mon. & Joan. 32
Andr. *in cap. Romana, num. 7. infra eodem lib. 6.* Univerſitatem dictam eſſe ab Univerſo, & univerſum dici quaſi in num verſum, cùm ſcilicet plures habent jus, vel cauſam vertendi ſe in unum, ut faciant Univerſitatem, eo quod reperiatur hoc eis conceſſum ab his, qui ſuper hoc jus ha-
bent, *ut l. 3. ff. de Colleg. illicit.* Unde, ut ipſi diffiniunt, 33
Univerſitas eſt plurium corporum inter ſe diſtantium uno nomine ſpecialiter eis deputato collectio, uel ſecundum Oldrad. *conſil. 315. circa iſtud*. Univerſitas eſt multorum in unum Congregatio eidem capiti ſubjectorum, vel ut Roman. inquit *conſil. 400. Quæritur num. 9.* eſt corpus quoddam, quod ex multis invicem collectis conficitur, non autem ex una ſola perſona, licet in una propter caſus ſupervenientiam jus ejus conſervari poſſit, ut *l. Sicut, ad fin. ff. Quod cujuſque univerſ. nom.* & not. in *cap. 1. ſub de elect. & in cap. Gratum de poſtulat. Prælat.* &
quinque homines faciunt Univerſitatem caſtri, vel vil- 34
læ, ut notat. Bald. *in d. cap. 1. num. 8. ſup.* per text. *in l. fin. C. de teſtament.* ubi propterea infert ut ſi ſtatuto caveatur, ut villa teneatur emendare damna commiſſa in ſuo territorio, & in villa non ſint quinque viri, ideſt Patres familiæ, non comprehendatur in ſtatuto; ſed gloſſa *final. in dict. l. Sicut*, tenet Univerſitatem poſſe conſtitui per tres, & eam ſequitur Bartol. *in l. Prætor, la ſeconda, num.* 1.
ff. de vi bonorum raptor. Et Univerſitatis nomine cenſen- 35
tur ſynodus, concilium, cœtus, conventus, de quibus Iſidor. *in cap. 1. 15. diſtinct.* Et ſunt quaſi ſynonyma, ſeu idem importantia Univerſitas, Communitas, Collegium, Corpus, Societas, ut dicunt Joan. Monach. & Joan.
Andr. *in dict. cap. Romana*: nam *Communitas* dicta eſt à 36
communi, & eſt *commune* compoſitum à *cum*, & *munium*, ideſt officium, quaſi Communio plurium in unum officium *cap. Conſulti, ſupra de Procur.* ut quia habent arcam communem, ſigillum commune, & unum Rectorem, & ſimilia, argum. *cap. Dilecta, ſupra de exceſs. Prælat.* not. Bald. *in cap. Cum omnes, num. 36. de conſtit.* & dixi in *dict.*
cap. 1. de elect. Collegium autem dicitur quaſi in unum 37
collectum, & eſt Societas Collegarum in uno honore poſitorum, ſecundum Joan. Mon. & Joan. Andr. ubi ſupra. Vel ut dicit Prob. *in eodem cap. Romana, num. 6.* Collegium eſt collectio plurium corporum rationabilium conſtituens unum corpus repræſentatum, omne tamen Collegium eſt Univerſitas, ſed non è contra, ut *l. Omnibus, ff. ad Trebell.* & not. Bald. *in cap. Tertio loco num. 3. ſupra de probat.*
Et hoc poteſt dici Capitulum, de quo per Joan. Andr. & 38
DD. *in cap. Capitulum ſupra de reſcript.* Et Epiſcopus cum Capitulo faciunt unum corpus, cujus Epiſcopus eſt caput, Canonici membra, *cap. Novit, ſupra de his, quæ fiunt à Prælat.*

Qui-

Quibus præmiſſis quæſtio propoſita duas habet inſpectiones. Prima eſt an Univerſitas excommunicari poſſit licitè. Secunda eſt, an excommunicari poſſit validè, ita ut ſententia excommunicationis quamvis ferri non debeat, tamen ſi feratur, liget, & tenenda ſit.

Circa primam inſpectionem, ut videtur expedita per Conſtitutionem Innocentii IV. in dicto *cap. Romana*, §. *In Univerſitatem, de ſentent. excommunicat. lib. 6.* ubi diſertis verbis prohibetur ferri ſententia excommunicationis in Univerſitatem, vel Collegium, jubeturque promulgari in illos dumtaxat de Collegio, quos culpabiles eſſe conſtiterit. Unde cùm de hoc ibi ſit caſus apertus, fruſtra verſantur, qui in dubium revocant, an Univerſitas poſſit excommunicari: cùm præſertim Conſtitutio illa rationi innitatur ſanctæ, quæ in littera exprimitur ibi: *Volentes amicorum periculum vitare, quod exinde ſequi poſſet, cùm nonnunquam contingeret innoxios hujuſmodi ſententia irretiri.*

39 Et confirmatur, quia excommunicationis pœna graviſſima eſt, imò nulla major in Eccleſia Dei, *cap. Corripiantur*, 24. *quæſt.* 3. *cap. Abſit*, 11. *quæſt.* 3. ſeparat enim à Deo, *cap. Certum*, 24. *quæſt.* 3. Ab Eccleſia fidelium removet, *cap. Omnis, & cap. ſeq.* 11. *quæſt.* 3. tradit Satanæ, *cap. Audi*, & æternam damnationem inducit, *cap. Nemo*
40 *Epiſcoporum, eadem can. & quæſt.* Unde Sanctus Thomas *in 4. diſtin. 18. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 2.* ad tertium poſt Magiſtrum Sententiarum docent excommunicatum triplex incommodum incurrere, quia privatur gratia Dei, & protectione ejus ſpeciali, & traditur Diabolo corporaliter, & ſpiritualiter. Quamobrem cùm tot, & tam gravia mala per excommunicationem inferantur, ad vitandum periculum feriendi innoxios providè ſancitum eſt, ut cenſura hujuſmodi feratur tantummodo in perſonas culpabiles de Univerſitate, non autem in ipſum corpus Univerſitatis, vel Collegii.

41 Atque ita non obſtat, quòd civitas, vel Univerſitas poſſit interdici, ut hic patet, & ſic quandoque puniantur qui non peccaverunt, ut *cap. Non eſt vobis, ſupra de ſponſal. & cap. Sane, il ſecondo, de offic. Delegat.* Quoniam
42 hoc verum eſt in pœna interdicti: nam pro peccatis Regis regnum interdicitur, ut in dict. *cap. Non eſt vobis*. Civitas pro peccatis Epiſcopi, ut in dict. *cap. Sanè*, vel Domini, aut Rectoris, ut in *cap. Si ſententia, de ſentent. excommunic. lib. 6.* & monaſterium pro peccatis Abbatis, ut in *cap. Cùm dilectos, ſupra de relig. domib.* non autem in pœna excommunicationis, qua quis plecti non debet pro peccatis alienis, ut egregiè probat Auguſtinus in *cap. Si habes*, 24. *quæſt.* 3. & notat hic gloſſa *in verb. Interdicto ſoppoſita*, Hoſtien. Joan. Andr. & alii inferiùs relati *numer.* 51.

Rationem diverſitatis aſſignat Divus Thomas *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 2. artic. 3. quæſt. 2. ad ſecundum*, quia interdictum non eſt tanta pœna, quanta excommunicatio; quia interdicti non fraudantur Eccleſiæ ſuffragiis, ſicut excommunicati.

43 Unde mos Sacrorum Canonum eſt ſingulares tantùm perſonas anathematis mucrone ferire. Univerſitates verò interdicto ſupponere, ut *cap. Sicut, il terzo, de iureiurand. cap. Cùm dilectus, verſ. Mandantes, de relig. domib. & cap. P. & G. de offic. Delegat.* nam etſi in compilatione, qua utimur, ſcriptum ſit, *Excommunicationis, & interdicti ſententias in perſonam, & terram eius promulgares*, melius tamen in manuſcriptis legitur, *Excommunicationis in perſonam, & interdicti in terram ſententias promolgares*, ut ibi eſt adnotatum in gloſſa *marginali*. Et hæc differentia colligitur etiam ex textu noſtro: nam in prima parte, ubi agit de excommunicatione, loquitur de civibus Ferrarienſibus. In ſecunda verò agens de interdicto loquitur de civitate ipſa, ut obſervat Joan. Andr. *num.* 3. *verſ. Et nota quod ſupra dixit Cives.*

44 Et propterea in Bulla Cœnæ §. 2. Omnes, & ſinguli cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint ab Ordinationibus Apoſtolicis ad Univerſale futurum Concilium appellantes excommunicantur, Univerſitates verò, Collegia, & Capitula interdicuntur. Quod caput deſumptum eſt ex Conſtitutione Pii II. contra appellantes ad futurum Concilium, quæ incipit, *Execrabilis, in fi-*
45 *ne*, & habetur in Bullar. *tom. 1. pag.* 316. Et ſimiliter Urbanus VI. in Bulla contra officiales laicos relegantes, ſeu proſcribentes quoquomodo perſonas Eccleſiaſticas, incipien. *Quia ſicut*, §. 1. *eodem tom. pag.* 229. *Talia*, inquit, *præſumentes, ſi ſingulares perſonæ fuerint, earum ſingulas; ſi verò Communitates, vel Univerſitates extiterint omnes, & ſingulos eorum Poteſtates, Capitaneos, Scabinos, Rectores, Iudices, Conſules, & Officiales, & Conſiliarios, & privatas perſonas, quæ huius ſacrilegii principaliores patratores extiterint, excommunicationis ſententias, nec non eorum Civitates, Terras, Oppida, & Caſtra interdicto ſubiacere volumus ipſo facto.* Ubi obſer- 46
vandum eſt, per excommunicationem latam in Officiales, vel Conſules, non cenſeri excommunicatum corpus aliquod Univerſitatis, vel Collegii; quia ut Bald. inquit in *cap. Duobus, num.* 15. *ſupra de ſentent. & re iudic.* Conſules Mercatorum non faciunt Collegium, quia eſſent duo Collegia in eodem ſubjecto, ſed ſunt Patres Collegii.

Et eodem modo in Extravag. Joannis XXII. *Super gentes, de conſuetud.* excommunicantur Impedientes ne Legati, & Nuntii Sedis Apoſtolicæ recipiantur, aut liberè exerceant officium ſuum; & eorum Regna, Terræ, & loca quælibet interdicuntur, quamdiu in contumacia duxerint perſiſtendum. 47

Quem morem hoc ipſo tempore ſervatum vidimus in caſu Reipublicæ Lucanæ: nam Civitatem, Statum, & Dominium nuper interdixit Epiſcopus Civitatis Caſtelli Commiſſarius Apoſtolicus; Vexillifero verò, Antianos, & Officiales, qui pro tempore extiterunt nominatim excommunicatos nuntiavit, eo quod nonnullos familiares Cardinales Epiſcopi, & Inquiſitoris cum armis repertos, duoſque ejuſdem Cardinalis fratres germanos in contemptum, & depreſſionem libertatis Eccleſiaſticæ carceribus mancipaverint, & eumdem Commiſſarium à S. D. N. ſuper his ſpecialiter ablegatum admittere recuſaverint. 48

Suffragatur etiam huic ſententię gloſſa Auguſtini Matth. 13. ad hoc propoſitum relatæ à Divo Thoma *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 2. artic. 3. quæſt. 2. verſic. In contrarium*, ubi dicit: *Princeps, & multitudo non eſt excommunicanda, ideſt Princeps cum multitudine, ſeu Univerſitate:* Nam de Principe ſolo non ambigitur, quin excommunicari queat, *cap. Valentinianus*, 63. *diſtinct. cap. Quoniam*, & ibi gloſſa *in verb. Communione*, 18. *diſtinct. cap. Duo ſunt*, 96. *diſtinct.* ubi dicitur: *Plerique Pontificum alii Reges, alii Imperatores excommunicaverunt, & cap. Ad Apoſtolica, de re iudic.* & apertiùs hoc ipſum docuit idem 49
Auguſtinus *lib. 3. contra epiſt. Parmen.* ubi valdè deteſtatur excommunicationis ſententiam latam adverſus multitudinem, etiam manifeſti, & notorii peccati ream, refertur in *cap. Non poteſt*, 23. *quæſt.* 4. Ad idem textus in *cap. Comeſſationes, in fine*, 44. *diſtinction.* ubi dicitur leviſſimis quidem, ſed inſtantiſſimis admonitionibus multitudo frangatur. Ergo non excommunicatione. Et ita ad hoc ponderat illum textum Felin. in *cap. Dilecta, numer. 1. verſic. Aliam rationem, ſupra de except.* & Philipp. Prob. in dict. *cap. Romana, num.* 5. *de ſent. excomm. lib. 6.* 50

Quamobrem Univerſitatem non eſſe anathema feriendam cenſuerunt in dict. *cap. Romana, infra eodem, lib. 6.* Innocentius illius Conſtitutionis Conditor Hoſtienſ. Archidiac. Joan. Monach. Joann. Andr. Lap. Geminian. Ancharan. & Franc. & in hac Decretali gloſſa *in verb. Interdicto ſuppoſita*, Innocent. *in princip.* ubi exponit verbum *Cives*, hic poſitum, ideſt Conſiliarii, vel alii, qui delinquerent, argum. *cap. Veniens, ſupra de Simon. & cap. Lator, de Cleric. excommun. miniſtr.* quia, inquit, civitates non polluunt excommunicari: vel Univerſitas, *cap. Romana, infra eodem, cap. Si habes*, 24. *quæſt.* 3. vel quod ſpeciales cives erant excommunicati, ſed tota civitas interdicta, Hoſtien. *num.* 3. dicens: [Civitas excommunicari non poteſt, & ideò eſt interdicenda; & Conſiliarii, & Majores, per quos regitur civitas, excommunicari poſſunt: excommunicari enim non debet unus pro alio, ſed benè interdici.] Joan. Andr. *numer.* 3. [Nota, inquit, quod ſupra dixit, *Cives*, hoc pro eo, quia civitas non excommunicatur, ſed cives ſcilicet, Conſiliarii, & Majores, per quos civitas regitur, excommunicari poſſunt, allegat dict. *cap. Romana, infra eodem, lib. 6.* 51

cap.

Digitized by Google

*cap. Dilectus, il ſecondo, de Simonia, & cap. Significave-
runt, de except.* Nec enim excommunicatur unus pro de-
licto alterius, licèt benè interdicatur, ſecundùm eum
Anton. de Butr. *num.* 8. [Univerſitas, inquit, non ex-
communicatur, quia pœna excommunicationis pro deli-
cto alterius quis non ligatur. Sed cives ſingulariter benè
poſſunt excommunicari, ut principales civitatem regen-
tes.] Idemque totidem ferè verbis repetit Petr. de Ancha-
ran. *num.* 1, *in* 1. *notab.* & ſequitur Abb. *num.* 4. *in* 4. *no-
tab.* ubi ait: [Nota quod omnes cives unius civitatis pa-
riter, & ſimul excommunicari poſſunt; Et intelligo,
quod excommunicatio feratur in perſonas capaces: nam
in Univerſitatem non debet ferri excommunicatio.] Et
idem dicit Felin. *num.* 3. Idem docuit Sanctus Thomas *in*
4. *diſtinct.* 18. *quaſt.* 2. *artic.* 3. *quaſt.* 2. & Turrecremat.
in *cap. In criminalibus, num.* 1. 5. *quaſt.* 3. & ex recentiori
Covarruv. *lib.* 2. *variarum reſolut. cap.* 8. *numer.* 8. *in fi-
ne*, ubi teſtatur de communi opinione Navarr. *conſil.* 24.
numer. 1. *hoc tit. in antiq.* Henriq. *in Summa lib.* 13. *cap.*
25. §. 4. *littera B.* & Sayr. *de cenſuris, lib.* 1. *cap.* 8. *nu-
mer.* 15.

52 Cæterùm etſi prædicta videantur ſatis clara; in oppoſi-
tum tamen conſidero Conſtitutionem Innocentianam
in dict. *cap. Romana*, §. *In Univerſitatem, hoc titul. lib.* 6.
Jus novum continere, propterea enim non procedit per
53 viam declarationis. Unde ante ipſam Conſtitutionem
Univerſitas, vel Collegium benè poterat excommunica-
ri. Ad quod allego tria jura; Primò, ſcilicet textum in
cap. Si autem nobis, 11. *quaſt.* 3. ubi populi, qui non obe-
dierint Epiſcopo, fiunt extorres à Regno Dei, & à con-
ſortio fidelium, & à liminibus Eccleſiæ alieni, & ita ex-
communicationis ſententia innodantur, ut ibi explicant
gloſſ. Archidiac. & DD. & clarè probatur ex littera; nam
illa tria non congruunt niſi excommunicationi, quæ ex-
cludit à Regno Dei, *cap. Certum*, 24. *quaſt.* 3. à conſor-
tio fidelium ſeparat, *cap. Nihil, & cap. Canonica*, 11.
quaſt. 3. & arcet a liminibus Eccleſiæ, *cap. Cleros*, 21. *di-
54 ſtinct. & cap. Perlectio*, 25. *diſtinct.* Populus enim non
eſt unum ſimpliciter, ſed aggregativè, ſeu collectivè: nam
decem homines faciunt populum, *cap. Unico*, 10. *quaſt.* 3.
gloſſ. 1. & DD. in *cap.* 1. *ſupra de elect.* & Bartol. in *l. Præ-
tor, la ſeconda, numer.* 4. *ff. de vi bonorum raptorum*, &
ut inquit Bald. in *cap. in Pertractandis, nu.* 1. *ſupra ut lite
55 non conteſt.* Univerſitas eſt duplex, quædam diſcretorum
tantùm, ut Monachorum, & artificum; quædam non
diſcretorum, ut populus: & hanc appellat mixtam, &
confuſam Univerſitatem. Secundò allego textum in *cap.
Significaverunt, verſ. Sed a parte, ſupra de except.* ubi
contra Capitulum Tornac. in gradu appellationis fuit op-
poſita excommunicationis exceptio, & textus decidit per
hujuſmodi exceptionem Capitulum non repelli à proſe-
quutione appellationis: quia omnis legitima defenſio ex-
communicato in judicio reſervatur: & ita clarè admittit
Capitulum potuiſſe excommunicari: unde benè Anton.
de Butr. ibi *num.* 2. [Nota, inquit, Capitulum poſſe
excommunicari, licèt ſubdat hodie hoc eſſe intelligendum
ut in dict. §. *In Univerſitatem*, & Hoſtienſ. ibi *num.* 1. *in
verb. Contra Capitulum*, dicit illum textum loqui in ſim-
plicitate antiqui juris, ſecundùm quam & Capitulum,
& Univerſitas excommunicabantur, & dicebantur poſſe
excommunicari. Tertiò ad idem allego textum in *cap. U-
nico, in princip. ſupra de lit. conteſt.* nam, ut ibi dixi *num.*
1. & patet in compilatione antiqua, & recitant ibi Joan.
Andr. & Abb. uterque *num.* 2. Capitulum S. Quintini ir-
rogaverat injurias Epiſcopo Novienſi, & Epiſcopus pro-
pter ejuſmodi injurias illud excommunicavit: & quamvis
textus ſimpliciter narret factum, tamen illud non impro-
bat, nec proceſſum irritum decernit ex eo, quod Capi-
tulum non potuerit excommunicari, ſed ex eo, quod litis
conteſtationem non invenit eſſe factam, ut ubi dicitur: &
ita Capitulum, & Univerſitas olim excommunicabatur,
ſecundùm Joan. Andr. & Abb. *ubi ſupra*, & Butr. *num.* 6.
56 *in ſecunda oppoſ.* Cùm igitur de jure veteri liceret Univer-
ſitatem, vel Collegium excommunicare, dicimus non
eſſe recedendum à diſpoſitione antiquorum Canonum,
niſi quatenus jure novo reperiantur expreſsè correcti, *leg.
Sancimus, C. de teſtam. & l. Præcipimus, in fine, C. de
appellat.* expedit enim jura juribus concordare, *cap. Cùm
expediat, de elect, in* 6. nova autem Conſtitutio Innocen,
in dict. *cap. Romana*, §. *In Univerſitatem, infra eodem,
lib.* 6. non corrigit jus vetus niſi in eo caſu, in quo Uni-
verſitate reperiantur, aut reperiri poſſint innoxii, & non
culpabiles.

Movetur enim ratione periculi animarum, quod ſequi
poſſet, cùm nonnunquam contingeret innoxios hujuſmo-
di ſententia irretiri, ut expreſsè ibi legitur. Et hanc ratio-
nem conſiderat Hoſt. Jo. Andr. Butr. Cardin. & alii ſupra-
citati *num.* 51. dum firmant idcircò Univerſitatem excom-
municari non poſſe, ſed interdici, quia pro delicto alterius
non poteſt quis excommunicari, ſed benè interdici. At-
que ita loquuntur de Univerſitate illa, in qua aliquis repe-
ritur innoxius: nam ſi omnes eſſent culpabiles per excom-
municationem Univerſitatis; unus non ligaretur pro deli-
cto alterius, ſed unuſquiſque pro ſuo delicto. Et hanc ip-
ſam rationem ponderat S. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *q.*
2. dum dicit Eccleſiam providè ſanxiſſe, ut tota Commu-
nitas non excommunicetur, ne cum zizania, ideſt cum
delinquentibus, eradicetur & triticum, id eſt feriantur
inſontes, & non culpabiles. Ergo ſi ceſſet hæc ratio, eo
quod appareat totam Communitatem deliquiſſe, non erit
prohibitum in eam proferre excommunicationis ſenten-
tiam: quod expreſsè docuit Dominus meus Jo. Franciſcus
Fagnanus in libello *de inſt. & validit. cenſurar.* Pauli V. *in*
5. *part. de cenſur. pag.* 136. *verſ. Præterea*, ait enim:
Ideò in Conſtitutione Innocentii prohibita eſt excom-
municatio in Univerſitatem, vel Collegium; quia
cùm probabile non ſit aliquam multitudinem in totam
delicto conſenſiſſe, juſtus cum impio non eſt condemnan-
dus, ut apertè inſinuat d. Innocen. Conſtitutio. Quam-
obrem quoties conſtat totam Univerſitatem, vel totum
Collegium deliquiſſe, ceſſante tunc dictæ Conſtitutionis ra-
tione, poteſt excommunicari, allegat Hoſt. *in ſumma, tit.
de Contumac.* §. *fin. verſ. Ergo ſi conſtat*, Lap. Petr. de An-
char. & Domin. quos ſequitur Franc. in d. *c. Romana*, §. *In
Univerſitatem, verſ. in gloſſ. fin. in fin.* Et hanc opinionem
tanquam dictæ Conſtitutioni Innocentii, & S. Thomæ ver-
bis congruentem ſequitur Tabiena *in ver. Excommunicatio*,
2. *verſ. Vel accipitur Collegium pro perſonis applicatis.*

Nec obſtat auctoritas Auguſtini in dict. *cap. Non poteſt*, 57
23. *quaſt.* 4. quoniam intelligenda eſt ubi ſcandalum time-
tur, & multorum ſtrages jacent, ſi ſervetur rigor, ut in
cap. Ut conſtitueretur, in fine, 50. *diſtinct.* aliàs verò ſi
non contemnatur diſciplina Eccleſiæ in populo, ſed ſpera-
ri poſſit fore, ut patienter ſuſtineant ferienda eſt multitu-
do, *cap. final. de pœnitent. diſtinct.* 6. Hæc ſunt verba gloſ-
ſæ in *cap. Latores, in verb. Multitudinem, de Cleric. ex-
comm. miniſtr.* & tenet Silveſt. *in verb. Excommunicatio*,
1. *numer.* 10. *verſ. Nec debet.* Multitudo quippe peccan- 58
tium patrocinium errori non parit, ut Hieronym. inquit
epiſt. 2. *ad Ruffinum*, relatus ab Henric. Boich. in dict. *cap.
Latores*, adde Divum Thomam in 2. 2. *quaſt.* 108. *artic.* 1.
ad quintum, ubi dicit, quando tota multitudo peccat, eſ-
ſe de ea vindictam ſumendam, ſicut Ægyptii proſequen-
tes filios Iſrael ſubmerſi ſunt omnes in mari rubro, Exo-
di 14. ſequitur Felin. alia cumulans in *cap. Dilecta, num.*
6. *de exception.*

Demum cùm in hac materia qui numerus requiratur ut 59
multitudini impunè ſit deliquiſſe, à judicis arbitrio depen-
deat, ut ibidem gloſ. Henr. & cæteri declarant: meritò S.
Auguſtinus Donatiſtarum, eorumque populorum, qui ma-
jorem Africæ partem occupabant, multitudinem utpotè im-
menſam, arbitratus eſt non debere excommunicatione fe-
riri: unde ſecus dicendum eſt in particulari Univerſitate,
vel Collegio. Ad hoc d. *cap. Latores*, ibi: *Si vero multitu-
dinem magnam in hoc deliquiſſe cognoveris, &c.* Et hanc
partem tenent expreſsè Jo. de Anan. in *cap. Dilectus, il ſe-
condo, in* 9. *col. verſ. Vel adde prædictis, de Simon.* & Fe-
lin poſt eum in *cap. Dilecta in Chriſto, nu.* 1. *col.* 2. *verſ. Li-
mita tamen, ſupra de except.* ubi notabiliter limitant d. §.
In Univerſitatem. Niſi omnes de Univerſitate eſſent capa-
ces doli, & culpæ; quia tunc ſi omnes eſſent culpabiles,
poſſent excommunicari per nomen collectivum: & exem-
plificant in Collegio Doctorum, in Capitulo, in Con-
ventu Monachorum, in Conſilio populi, & ſimilibus, in
quibus ceſſat ratio d. §. *Inducunt*, Bart. in *l. Si grege, ff. de-
legat.* 1. & aliis in locis, ubi tetigit an ſucceſſores Capitu-
li, quod erat excommunicatum, ſint etiam excommuni-
cati: ergo ſupponit Capitulum eſſe excommunicabile.

His

60 His in utramque partem adductis pro veritate conſidero
Univerſitatem poſſe accipi dupliciter, ex Silveſt. *in verb.*
61 *Excommunicatio*, 1. *num.* 10. Uno modo prout eſt quid
abſtractum, & præſcindens à ſingularibus hominibus: &
hoc modo ſumpta Univerſitas nulla auctoritate etiam
Summi Pontificis excommunicari poteſt; tum quia non
communicat, cùm communicatio in actibus ſit ſingula-
rium, quorum ſunt actiones; & conſequenter à commu-
nione fidelium non poteſt excludi: tum quia cùm ſit quid
fictum, & intellectuale carens anima, & baptiſmo, im-
poſſibile eſt, ut per excommunicationem excludatur à Re-
gno Dei, & tradatur Satanæ juxta textum in *cap. Certum*,
24. *quæſt.* 3. *& cap. Audi*, 11. *quæſt.* 3. & in ſpecie not.
Archid. in dict. *cap. Romana*, *num.* 5. *in verb. In Univerſi-*
62 *tatem:* & hoc intendunt ibi Jo. Mon. & Jo. Andr. ambo
num. 9. dum dicunt Univerſitatem, Communitatem, So-
cietatem, Collegium, ſeu Capitulum dici unum non
63 ſimpliciter, ſed aggregativè, ut Arca eſt unum aggrega-
tione, & Domus, & Grex, quia decem oves faciunt gre-
gem, ut *l. Oves*, *ff. de abig.* & ob hoc nullum horum eſt
perſona vera, quæ eſt rei rationabilis individua ſubſtantia.
64 Unde Collegium, & alia hujuſmodi dicuntur perſona non
65 vera, ſed repræſentata, ut *l. Mortuo*, *ff. de fideiuſſor.* Item
Univerſitas caret anima, & baptiſmo: ergo non eſt capax
impreſſionis excommunicationis, quæ non ligat niſi per-
ſonam veram, *cap. P. & G. ſup. de off. deleg. cap. Sicut*, *il
terzo*, *de iureiur.* & principaliter animam, ut in *cap.* 1.
66 *infra hoc tit. lib.* 6. Et ſi contra fiat nihil agitur, quia ſecun-
dùm Philoſophum 2. de anima; *Actus activorum ſunt in pa-
tiente bene diſpoſito:* ad quod facit *l. Pater Severinano*,
§. Conditionum, *ff. de condit. & demonſtr.* ita Jo. Monac.
& Jo. Andr. *ubi ſupra*, & idem Monach. in *cap. Ut circa*,
de elect. lib. 6. Gemin. & Præpoſ. in *cap. Sicut vir*, 7. *quæſt.*
1. relati à Philippo Probo in d. *cap. Romana*, *num.* 5. *verſ.
Ut veniamus ad intentum*, *infra eod. lib.* 6. & Mar. Socin.
in *cap. Mulieres*, *in* 7. *principali artic. num.* 15. *ſupra eod.*
Oldrad. *conſ.* 65. *in fine*, *verſ. Punitur etiam pœnis*, ubi re-
fert Joannem XXII. ſemel in Conſiſtorio dixiſſe Univerſi-
tatem non poſſe excommunicari: & hoc quia non habet
animam, nec perſonam veram, ſed fictam, Feder. de Sen.
conſ. 15. *Quæſtio talis eſt*, *num.* 6. *verſ. Eodem modo*, &
Turrecrem. in *cap. In criminalibus*, *num.* 15. *quæſt.* 3. ubi
ait: Univerſitatem, vel Collegium puniri poſſe non capi-
taliter, non corporaliter, vel ſpiritualiter, ideſt per ex-
communicationem, cùm ſit corpus inanimatum. Et hoc
ipſum firmat Hoſt. in d. *cap. Romana*, *nu.* 5. ait enim: [Di-
67 cas ergo, quod quantumcumque Univerſitas, vel Colle-
gium excommunicetur, numquam Univerſitas eſt excom-
municata, nec excommunicari poteſt; quia cum hac ſen-
tentia ligetur anima ſolummodo creaturæ rationabilis, *cap.
Si quis Presbyterorum*, *ſupra de reb. Eccleſ. non alien.* &
baptizatæ, *cap. Omnis Chriſtianus*, 11. *qu.* 3. patet quod
Univerſitas, quæ nec animam habet, nec baptizata eſt,
68 excommunicari non poteſt. Sicut enim res Univerſitatis
non ſunt ſingulorum, nec contra *§. Qui manumittitur*,
12. *q.* 2. ſic nec animæ ſingulorum ſunt Univerſitatis: nam
Univerſitas unum corpus eſt, *l.* 1. *ff. Quod cujuſque Univer-
ſit.* & monſtruoſum eſſet, ut unum corpus Univerſitatis
haberet plures animas: ſed ſi animæ ſingulorum conſide-
rarentur, tot haberet corpus Univerſitatis animas, quot
ſunt ſinguli, niſi forſan videamur animam ponere, quam
falsò fingit Averroes, quæ ſecundùm ipſum hominibus eſt
communis, quod eſſet hæreticum dicere, & inſanum; id-
eòque hac naturali ratione conſiderata ad excommunican-
dum tale corpus, ſicut eſt Univerſitas, vel Collegium, na-
turaliter non eſt aptum.] Hæc Hoſtienſis.
69 Eodem argumento utitur Gemin. nam actus, & paſſio-
nes prout conſiſtunt in facto, ſunt ſingulorum, non Uni-
verſitatis, *cap.* 2. *de teſtib. lib.* 6. *& cap. Si ſententia*, *§.* 2.
de ſentent. excommun. eodem lib. Univerſitas autem, vel
Collegium non eſt quid ſingulare, niſi per repræſentatio-
nem, *l. Mortuo*, *ff. de fideiuſſor.* Tunc arguit ſic: *Excom-
municatio ligat perſonam veram, non repræſentatam*,
cap. P. & G. de off. deleg. & cap. Sicut, *il terzo*, *de iure-
iur.* & habentem animam rationalem, *cap. Si quis*, *de reb.
Eccleſ. non alienan.* ſed hæc omnia ceſſant in Univerſitate:
ergo Univerſitas non eſt excommunicabilis, ita Gemin. in
cap. Sicut vir, *in gloſ.* 3. 7. *q.* 1. & Felin. poſt alios in *cap.
Dilecta in Chriſto*, *num.* 1. *verſ. Tu vide Dominicum*, *ſu-
pra de exception.* Itaque ſi hoc modo ſumatur Univerſitas, 70
quæſtio propoſita eſt de indubitabili, quia ad hoc ut quis li-
getur ſententia excommunicationis, infraſcriptæ qualita-
tes ex neceſſitate requiruntur, videlicet ut ſit creatura,
ſeu perſona vera, rationabilis, mortalis, baptizata, ſub-
dita, doli capax, quam theoricam ponit, & per partes
explicat Marian. Socin. in d. *cap. Mulieres*, *in* 7. *principali
articulo*, *num.* 12. *ſupra eodem*. Nulla autem ex his quali-
tatibus concurrere poteſt in Univerſitate, ſi accipiatur, ut
quid abſtractum, & ſegregatum à ſingularibus perſonis,
ut ad ſenſum patet.
Quinimò hoc modo ſumpta Univerſitas non modo non 71
eſt capax excommunicationis, ſed nec interdicti. Textus
eſt, ni fallor, ſatis clarus in *cap. Si ſententia*, *infra eod.
lib.* 6. ubi interdicta civitate, vel populo fit reſolutio in
ſingulares perſonas. Et redditur ratio, ne alioquin ſenten-
tia effectu careat, cùm divinorum auditio, & Sacramen-
torum perceptio populo, ut univerſis non competant: er-
go inanis eſt ſententia interdicti lata in Univerſitatem, ut
eſt quid præſcindens à ſingularibus perſonis: quod clariùs
patebit ex dicendis infra *num.* 73. *& ſeq.*
Alio modo accipi poteſt Univerſitas pro ſingularibus 72
perſonis omnibus collectivè, ita ut cùm controvertitur an
Univerſitas excommunicari poſſit, hoc ſit in quæſtione
an ſinguli de Univerſitate poſſint collectivè omnes, & u-
niverſaliter excommunicari, ſive dicatur, excommunico
totam Univerſitatem, vel Collegium, ſive omnes de
Univerſitate vel Collegio, hæc enim non differunt ſecun-
dùm Silveſt. *ubi ſupra*. In quibus terminis loquitur dict.
§. In Univerſitatem: non enim prohibet, ut multi puta-
runt, quominus excommunicari poſſit Univerſitas, ut eſt
quid abſtractum, & præſcindens à ſingularibus perſonis,
quia huic abſtracto non congruit ratio illa periculi anima-
rum in textu expreſſa, ſed loquitur de Univerſitate in or-
dine ad perſonas de Univerſitate exiſtentes, quæ poſſunt
eſſe innoxiæ, & ideò non debent excommunicationis ſen-
tentia irretiri, ut ibi declarat Franc. *num.* 3. *verſ. Loquitur
enim iſte textus:* quando profertur in Univerſitatem ani-
mo ligandi ſingulos: & Felin. *cap. Dilecta*, *num.* 1. *ſupra
de except.* In materia enim, cujus corpus non eſt capax, 73
interdictum corporis reſpicit ſingulos, ut inquit Joann.
Andr. in dict. *cap. Romana*, *num.* 2. *per dict. cap. Si ſenten-
tia*, *infrà eod. lib.* 6. Unde ut dicebat Innocent. in dict. 74
cap. Romana, *num.* 3. *verſ. Ex iſto loco*, & poſt eum Joan.
Andr. dict. *nu.* 2. ſi litteræ impetrentur contra Capitulum,
ut cogatur ad alicujus receptionem, Delegatus compellet
ſingulos Canonicos ad receptionem ipſius, licèt litteræ tan-
tùm contra Capitulum, & non contra ſingulos Canoni-
cos ſint impetratæ: & hoc eſt ea ratione, quia mandatum
factum Capitulo, ut aliquid faciat, intelligendum eſt, ut
Canonici, & alia membra Capituli illud faciant, *cap. Pro
illorum*, *ſupra de præben.* quia Capitulum, quod eſt no-
men intellectuale, & res incorporalis nihil facere poteſt, ni-
ſi per membra ſua.
In Univerſitate autem hoc ſecundo modo conſiderata 75
credimus eſſe diſtinguendum inter Papam, & Prælatos in-
feriores. Et quidem à Papa ambigendum non eſt, quin
Univerſitas, Collegium, Senatus, & hujuſmodi excom-
municari poſſint. Ratio eſt, quia prohibitio Innocentii 76
in dict. *cap. Romana*, *§. In Univerſitatem*, *infra eod. lib.*
6. eſt juris merè poſitivi, cùm nulla ratio naturalis, aut
divina repugnet, quin perſonæ de Univerſitate, ſi omnes
ſint culpabiles, ſimul, & collectivè excommunicari va-
leant ſub nomine Univerſitatis: quid enim intereſt, inſpe-
cto jure naturali, & divino, an ſententia excommunica-
tionis feratur in omnes de Collegio, an in Collegium?
Jure autem veteri hoc non erat prohibitum, ut oſtenſum
eſt ſuprà *num.* 52. At Romanus Pontifex prædeceſſorum
ſuorum Conſtitutionibus non adſtringitur, cùm ſit ſupra
omne jus humanum poſitivum, *cap. Propoſuit*, *de conc. præ-
ben.* *§. His ita*, 25. *quæſt.* 1. ubi dicitur: *Sacroſancta Ro-
mana Eccleſia jus, & auctoritatem Sacris Canonibus imper-
titur, ſed non eis alligatur; habet enim jus condendi Cano-
nes, utpotè quæ caput eſt, & cardo omnium Eccleſiarum, à
cujus regula nemini diſſentire licet: ita ergo Canonibus aucto-
ritatem præſtat, ut ſeipſam non ſubjiciat eis.* Hæc ibi: Un-
de Conſtitutio Innocentii non ligat ſucceſſores, tam ex
defectu voluntatis, quàm poteſtatis; textus eſt ſingularis
in *cap. Innotuit*, *§. Quamvis autem*, *ſupra de elect.* ibi:
Cum

Digitized by Google

Cùm ea non fuerit prohibentis intentio, qui ſucceſſoribus ſuis
nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari poſt
eum; imò eadem poteſtate functuris, cùm non habeat impe-
rium par in parem. Et docet S. Thomas quodlib. 4. art. 13.
& in 2. 2. qu. 96. art. 5. ad 3. Et in terminis prædictæ pro-
hibitionis Innocentii tenet Silveſt. in ver. Excommunicatio,
primo, nu. 10. verſ. Si autem Papa excommunicet, qui non
ſubjicitur dict. cap. Romana, & Dominus meus Jo. Fran-
ciſcus Fagnanus in præciato libello de inſtit. & validit. cen-
77 ſur. part. 5. de cenſur. fol. 136. verſ. Reſpondetur Pontificem
juri poſitivo, quod habetur in dict. cap. Romana, non ſub-
eſſe. Et huic ſententiæ obſervantia etiam ſubſequuta au-
ctoritatem contulit temporibus noſtris, ut in eodem libello
dict. par. 5. unde temerarium eſſet hoc amplius in dubium
78 revocare. Nam obſervantia, & conſuetudo Romanæ
Eccleſiæ prævalet auctoritati cujuſcumque Doctoris, ut
inquit Sanctus Thomas in 2. 2. q. 10. art. 12. unde art. 2. do-
cuit contra auctoritatem Romani Pontificis nec Hierony-
mum, nec Auguſtinum, nec alium Sacrum Doctorem
ſuam ſententiam defendere t & eum refert, & ſequitur
Turrecr. in cap. 1. diſtinct. 20. Atque ita non obſtat, quod
dixit Auguſtinus de excommunicatione in multitudinem
non ferenda præter ea, quæ dicta ſunt ſuprà num. 57. Hæc
de Summo Pontifice.
79 Cæterùm inferioribus Prælatis exiſtimo abſolutè prohi-
bitum eſſe excommunicationis ſententiam ferre in Uni-
verſitatem, vel Collegium: nam etſi poſſibile ſit omnes
de aliqua Communitate deliquiſſe, tamen carò hoc con-
tingit, & jura adaptantur ad frequentiùs accidentia, leg.
Nam ad ea, ff. de legib. Ergo ſtandum eſt generali prohi-
bitioni Innocentii in dict. cap. Romana, §. In Univerſita-
tem, infra eodem, lib. 6. licèt in aliquo ſpeciali caſu om-
nes, & ſinguli de Univerſitate deliquerint. Quam ratio-
nem ponit Richard. in 4. diſtinct. 18. qu. 5. artic. 3. & poſt
eum Felin. in cap. Dilecta, num. 1. verſ. Aliam rationem,
80 ſupra de except. & Philipp. Prob. ad Monach. in d. cap. Ro-
mana, num. 5. eodem verſ. Præterea textus in dict. §. In Uni-
verſitatem, non fundat ſuam prohibitionem in eo, quod
in Univerſitate actu reperiantur innoxii, ſed in eo, quia
poteſt contingere ut reperiantur: atque ita ſe fundat in ſo-
la poſſibilitate, ut ſic eligatur pars tutior, & periculum a-
nimarum vitetur. Et quia ſemper eſt poſſibile, ut in com-
munitate reperiatur aliquis, qui delicto non conſenſerit;
propterea nullo caſu ab inferioribus a Papa tota Communi-
tas ferienda eſt anathemate: non enim eſt novum in jure,
ut prohibitio generaliter fiat ad cautelam eorum, quæ poſ-
ſunt contingere, ut cap. Dixit Dominus, 32. qu. 1. l. Di-
vortio, ff. de negot. geſt. cap. Licet, ſupra de elect. cap. Ad
Aures, de tempor. ordinat. cum concord. in propoſito ad-
ductis per gloſſ. in dict. §. In Univerſitatem, in ver. Eſſe po-
81 teſt, & Hoſtien. num. 5. in eodem verb. Et hoc apertè ſen-
ſit D. Thom. in diſt. 18. qu. 2. art. 3. q. 2. ait enim: Excom-
municari non debet aliquis, niſi pro peccato mortali; pecca-
tum autem in actu conſiſtit; actus autem non eſt Communita-
tis, ſed ſingularum perſonarum ut frequenter, & ideò ſin-
guli de Communitate excommunicari poſſunt, non au-
tem ipſa Communitas: & quamvis quandoque actus ſit
totius alicujus multitudinis, ut quando multi navim tra-
hunt, quam nullus trahere poſſet, non eſt probabile, ut
aliqua Communitas ita tota ad malum conſentiat, quin
82 aliqui ſint diſſentientes. Et quia non eſt Dei, qui judicat
omnem terram, ut condemnet juſtum cum impio, ut di-
citur Gen. 18. Eccleſia, quæ judicium Dei imitari debet,
ſatis providè ſtatuit, ut tota Communitas non excommu-
nicetur, ne collectis zizaniis ſimul eradicetur & triti-
83 cum. Servent ergo Epiſcopi Conſtitutionem Innocentii,
ſicut tenentur, quia ſunt cuſtodes Canonum, cap. Cum
quibus, 24. quæſt. 3. & debitores omnes ſacras regulas cu-
ſtodire, cap. Cum ſimus, 9. quæſt. 3. nec poſſunt inſtitutio-
nis Apoſtolicæ decreta in totum, vel in partem aliqua ra-
tione convellere, vel mutare, cap. Inſtitutionis, 25. q. 2.
plenè Archid. in cap. Licet canon. num. 3. verſ. Et ibi aſſer-
tivè dixit, de elect. lib. 6. Federic. de Sen. conſ. 17. Quæ-
ſtio talis eſt, per totum. Petr. de Anchar. in repet. cap. 1.
num. 188. verſ. In contrarium, & num. 190. verſ. Accedit
his utilis quæſtio, ſupra de Conſtit. & dixi latiſſimè in cap.
Cum dilectus, de tempor. ordin.
84 Præſertim verò, quia nulla ratio cogere poteſt Epiſco-
pum ad ferendam ſententiam excommunicationis in ip-
ſam Univerſitatem, vel Collegium, cùm circa tranſgreſ-
ſionem prohibitionis Innocentii poſſit habere intentum di-
cendo: Excommunico Priores, & omnes de tali Collegio,
qui parere noluerunt, vel mandato meo rebelles: Hoc enim
non obviat Decretali Innocentii, & licitè fieri poteſt, ut
docet Hoſtien. in ſumm. tit. de contumacia, §. final. verſic.
Ergo ſi conſtat, & allegat cap. Propoſiti, ſupra de Cleric. ex-
commun. miniſtran. & cap. Pro illorum, de præben. & idem
firmat in dict. cap. Romana, num. 7. in verb. Innoxios, &
ibi etiam Lap. Gemin. & Ancharan. quos ſequitur Franc.
in gloſſ. final. in fine, & Philipp. Prob. num. 9. & Felin.
in cap. Dilectæ in Chriſto, numer. 1. ſupra de except.
Nec obſtat, ſi dicas cum Silveſtro in verb. Excommuni-
catio, 1. num. 10. idem eſſe excommunicare totum Colle-
gium, vel omnes de Collegio. Etenim hoc debet intelligi
ſi excommunicentur omnes de Collegio ſimpliciter; ſecus
ſi omnes de Collegio, qui fuerunt mandato rebelles, vel
culpabiles, prout loquitur Hoſtien. hic enim modus mul-
tum differt ab excommunicatione ſimpliciter lata in Colle-
gium. Ratio differentiæ eſt, quia quando excommuni-
cantur omnes de Collegio, qui fuerunt culpabiles,
nullum ſubeſt periculum irretiendi innoxios; & ſic
ceſſat ratio prohibitionis dict. §. In Univerſitatem.
Secus eſt quando excommunicatur ipſum Collegium, 85
vel Univerſitas delinquens; quia ſtant ſimul, ut Colle-
gium dicatur deliquiſſe, & tamen aliqui de Collegio repe-
riantur innoxii, ut contingit quando delinquit major
pars Collegium repræſentans: Nam ipſum Collegium de-
liquiſſe dicitur, leg. Quod maior, ff. ad municip. Oldrad.
conſil. 315. circa iſtud, numer. 4. plenè Ancharan. conſil.
158. Ex narratis, num. 12. & ſeq. Hoſtienſ. in dict. cap.
Romana, num. 9. & ita in excommunicatione Collegii,
ſeu Univerſitatis ſemper viget ratio periculi animarum
in textu conſiderata, quæ non viget in excommunicatio-
ne omnium de Collegio, qui fuerunt culpabiles, alia eſt
enim cauſa Capituli, alia Canonicorum, §. Qui manu- 86
mittitur, 12. quæſt. 2. Innocent. in dict. cap. Romana, nu-
mer. 2. in verb. Culpabiles, & Hoſtien. numer. 11. in eodem
verb. Federic. de Sen. conſ. 15. in princip. verſ. Præterea
aliud, & aliud delictum Univerſitatis, vel Capituli, a- 87
liud ſingulorum, ut latè deducit Rota deciſ. 1. incipien.
Citatis Decano cum Capitulo, de dolo, & contumac. in an-
tiquior. ubi propterea reſolvit Canonicos ſingulares cita-
tos, etiamſi fuerint contumaces, non poſſe excommuni-
cari pro Capitulo non comparente: ubi decreta fuit cita-
tio contra Decanum, & Capitulum. Et idem dixit de-
ciſ. 315. incipien. Nota, quod ubi mandatur citari Deca-
nus, & Capitulum, alias 1. de ſentent. excommun. in an-
tiquis.
Circa ſecundam inſpectionem, an ſcilicet excommu- 88
nicatio in Univerſitatem lata liget, & timenda ſit; ſi
quidem feratur à Summo Pontifice, non eſt dubitandum,
quin liget omnes de Univerſitate; quia ipſe non ſubja-
cet prohibitioni juris poſitivi, dict. cap. Romana, §. In
Univerſitatem, infra eodem lib. 6. ut latè oſtenſum eſt ſu-
pra numer. 75. & ſeqq. Quinimò hujuſmodi ſententia li- 89
gantur etiam innoxii, clarè deducitur ex littera dicti §. In
Univerſitatem, dum prohibet excommunicari Univerſi-
tatem, vel Collegium, ne irretiantur innoxii. Ergo cir- 90
cumſcripta illa prohibitione, cui non ſubjacet Romanus
Pontifex, etiam innoxii, & non culpabiles per hujuſmo-
di excommunicationem irretiuntur, intellige, quoad
Eccleſiam; ſecus quoad Deum, cujus judicium nec fal-
lit, nec fallitur, cap. A nobis, il ſecondo, ſupra eodem,
& ita tenet, & declarat gloſſa in dict. §. In Univerſitatem,
in verb. Irretiri, & Joann. Andr. & Franc. uterque
numer. 3. in eodem verb. Item intellige quoad perſonas ca- 91
paces excommunicationis: nam infantes, vel furioſi non
ligantur, etiam quoad Eccleſiam. Nec mirum, quia
excommunicari quis non poteſt, niſi pro gravi contuma-
cia, & culpa mortali, cap. Nemo, 11. quæſt. 3. ſed tales
non poſſunt delinquere, nec mortaliter peccare, ut in
cap. 1. & 2. ſupra de delict. puerorum. Ergo nec ligari ex-
communicationis ſententia, ita Marian. Socin. in cap.
Mulieres, numer. 41. ſupra eodem. Eccleſia enim non 92
poteſt per excommunicationem excludere a regno Dei, ni-
ſi indignos, qui per peccatum mortale charitatem amiſe-
rint, ut per Divum Thomam in 4. diſtinct. 18. quæſt. 2. ar-
ticulo 1. quæſt. 3.

Sin

Digitized by Google

93 Sin autem excommunicatio in Univerſitatem feratur ab inferioribus à Papa, duæ ſunt opiniones. Prima eſt Hoſtien. Joan. Mon. Archidiac. & Franc. quorum meminit gloſſ. in dict. *cap. Romana*, §. *In univerſitatem*, *in verb. Penitus*, *infra eodem*, *lib.* 6. exiſtimantium ſententiam non tenere, & idem Archid. in *cap. Sicut*, *in gloſſa* 2. 7. *quæſt.* 1. Philipp. Franc. in dict. §. *In univerſitatem*, *num.* 2. & Phillpp. Prob. *in addit. ad Monach. num.* 12. Felin. in *cap. Dilecta in Chriſto*, *numer.* 6. *ſupra de except.* ubi etiam allegat Richard. *in* 4. *diſt. in.* 18. *quæſt.* 5. *art.* 3. & Rotam *deciſ.* 1. *de dolo*, *& contumac. in antiquioribus*, quam retuli ſuprà *num.* 87.

94 Fundatur principaliter hæc opinio in verbis dict. §. *In univerſitatem*, ibi, *penitus prohibemus*, quæ dicuntur poteſtatis privativa, ut notat Joan. Andr. in *cap. Unico*, *numer.* 2. *de poſtul. Prælat. lib.* 6. ibi, *penitus*, ac ſi dicat ipſo jure, & ſine exceptionis ope; ideòque hujuſmodi excommunicationis ſententia dicitur ipſo jure nulla, tamquam à non ſuo judice lata, *cap. At ſi Clerici*, *ſupra de judic. cum ſimilibus*, & ita Hoſtienſ. in dict. *cap. Romana*, *num.* 4. exponit verbum, *penitus prohibemus*, quaſi dicat, in hac parte poteſtatem omninò ſubtrahimus. Et ſi in hoc caſu de cætero lata ſententia nulla erit, argum. *cap.* 1. *de verborum ſignificat. lib.* 6. & idem dixit Joan. Monach. & alii præallegati. Secus ſi diceretur proferre non præſumat, in quibus terminis ſecundùm Hoſt. loquitur textus in *cap. Romana*, §. *Officiales*, *de offic. Ordin. lib.* 6.

Prætereа, ut poſt Joan. Andr. advertit Franc. in dict. §. *In univerſitatem*, *numer.* 3. *verſic. Et ex iſtis verbis liquet*, ibi, *eſt fortior prohibitio*, *quam in dict.* §. *Officiales*, cùm illic ſit vera perſona, & etiam materia capax, & apta ad recipiendum hanc pœnam, licèt modus non ſit aptus. At ſecus eſt in Univerſitate, ut mox dicitur. Deinde pro nullitate ſententiæ adducitur ponderatio de qua ſupra *num.* 64. quia Univerſitas non eſt materia capax impreſſionis excommunicationis, cum ſit perſona ficta, & intellectualis ſine anima, & baptiſmo.

95 Nec dicatur: Excommunicatio lata in Univerſitatem referenda eſt ad ſingulos de Univerſitate; ſiquidem ſi hoc eſſet, ſequeretur abſurdum, ut etiam puer unius diei, & abſentes ligarentur, ut in dict. *cap. Romana*, conſiderant Innocent. *num.* 1. *in verb. In Univerſitatem*, Hoſtien. *numer.* 8. Joan. Monach. *nu.* 10. & Joan. Andr. *num.* 9. *in fi-*
96 *ne*. Item ſecundum gloſſ. in *cap. Sicut vir*, 7 *quæſt.* 1. hinc ſequeretur aliud abſurdum; nam mortuis omnibus de Capitulo excommunicato, & aliis ſubſtitutis eſt idem Capitulum, ut *l. Sicut*, §. *final. ff. quod cuiuſque Univerſ. nom.* Ergo adhuc eſſet excommunicatum, ſi priores Canonici non fuiſſent abſoluti. Quod an ſit verum quærit Bart. in *l. Inter ſtipulantem*, §. *Sacram*, *in fin. ff. de verborum obligat. & in l. Quod in rerum*, §. *final. de legat.* 1. nihil tamen decidit, ſed remittit ad Canoniſtas in *cap. Adverſus*, *ſupra de immun. Eccleſ.* & Innocent. in *cap. Gravem*, *ſupra eodem*, quos videas, & gloſſ. in *cap. Si habet*, 24. *q.* 3. & quod notatur in *cap. Si ſententia*, *eod. tit. in* 6. & Mar. Soc. in *cap. Nulli*, *in* 7. *principali articulo*, *q.* 3. *ſupra eod.*

97 Et confirmatur ex motivo Baliceri in *conſ. Schiſmatis*, edito per Urbanum VI. incipien. *Factum aliàs de Curia Romæ tranſmiſſum*, *in* 23. *col.* relati a Felin. in *cap. Dilectæ*, *numer.* 1. *colum.* 2. *verſ. Et illum paragraphum*, *ſupra de exception.* videlicet præſuppoſito genere non deducibili incapaci in ſua generalitate, non fit diſtributio, vel diffuſio in ejus ſpecies, ut illæ intelligantur per ſe deductæ; unde excommunicata Univerſitate, & ſic genere incapaci, non ſunt excommunicati ſinguli, licèt excommunicabiles.

Ac poſtremò ſi teneret excommunicatio, non eſſet proviſum periculo animarum, cui obviare voluit text. in d. §. *In univerſitatem*, ut conſiderant Richard. de Media Villa, & Felin. *locis citatis*.

98 Addit Franciſcus Bottinus in dict. *cap. Romana*, relatus ibi a Joan. Andr. *numer.* 7. *verſ. Et idem Franciſcus*, hoc eſſe privilegium Univerſitatis, contra quod ſententia lata non tenet, ut in *cap. Quia cunctis*, *de conceſſ. præben. lib.* 6. *& in cap. Volentes*, *de privileg. eod. lib.* & ſequitur Philipp. Franc. in d. §. *In univerſitatem*, *num.* 2.

99 Non obſtat illud generale; *Si non valet ut ago*, *valeat ut valere poteſt*, de quo in *cap. unic. de deſponſ. impuber. lib.* 6. quoniam intelligi debet niſi ſequatur inconveniens, ut ibi. Hoc autem etiamſi per talem ſententiam ligarentur ſinguli de Univerſitate, contingeret unius diei puerum, vel abſentem ligari, quod eſſet abſurdum, ut dictum eſt ſupra proximè *num.* 95. unde agere in ſingulis in hoc caſu non eſt poſſe, cùm potentia ſit de genere bonorum ſecundùm Philoſophum. Et propterea illud poſſumus, quod commodè poſſumus, *l. Nepos Proculo*, *ff. de verborum ſignificationibus*. Et quod de jure poſſumus, *cap. Niſi cum pridem*, §. *Perſonæ vero*, & ibi gloſſ. *in verb. Non oportuerit*, *ſupra de renunciat. cum concord.* de quibus per Prob. in dict. *cap. Romana*, *num.* 10. *in fine*, *in verb. Bonorum*, *& num. ſeqq.* Et ita ad hanc objectionem reſpondent ibi Jo. Monach. & Joan. Andr. *num.* 9. *in fin. verſ. Nam ſi referatur*, & Franc. *in* §. *In univerſitatem*, *num.* 3. *verſ. Nec obſtat ſi diceretur*.

Item non obſtat, quod etiam ſine culpa ligari quis poſſit 100
ſententia excommunicationis, ut videtur deduci ex dict. §. *In univerſitatem*, *in verb. Innoxios*, eo quod ſententia Paſtoris ſive juſta ſit, ſive injuſta, ſemper timenda eſt,
cap. 1. *& §. Cum ergo*, 11. *quæſt.* 3. Etenim ut reſpondet 101
Archidiac. in dict. *cap. Romana*, *num.* 6. hoc verum eſt, quando lata eſt per Paſtorem, & Judicem ordinarium, & in talem, qui etiamſi ſit ſine culpa, tamen culpam committere potuit pro qua excommunicatus eſt, ſicut ſi eſſet doli capax; verùm ſi nec culpam commiſit, nec committere potuit, ut infans; tunc non ligat, nec timeri debet. Sicut in ſimili ſi excommunicetur notoriè eunuchus eo, quod ex Moniali filium generaverit prætextu talis excommunicationis vitari non debet, licèt in ſententia expreſſum non fuerit eum eſſe eunuchum, cùm culpam, pro qua fuit excommunicatus, nec commiſerit, nec committere potuerit, ſecundùm Archidiac.

Si autem excommunicatio in Univerſitatem promulgata referenda eſſet ad ſingulos, ligaret etiam infantes, quod eſt abſurdum, & conſequenter qui excommunicat Univerſitatem non intendit irretire ſingulos, ſed corpus ipſum Univerſitatis, quod eſt impoſſibile, cùm ſit ſine anima, & baptiſmo, ut ex dictis patet.

Contrariam opinionem, id eſt ſententiam excommu- 102
nicationis latam in Univerſitatem eſſe validam, & ligare ſingulos de Univerſitate doli capaces, tenet Bernar. & poſt eum gloſſ. in dict. *cap. Romana*, §. *In univerſitatem*, *in verb. Penitus*, *hoc titul. lib.* 6. & ſequuntur ibi antiqui teſte Felino in *cap. Dilecta in Chriſto*, *numer.* 6. *ſupra de exception.* Idem tenet Anton. de Butr. in *cap. Unico*, *num.* 6. *ſupra de litis conteſtat.* ubi ait: Olim excommunicabatur Capitulum, hodie ſtandum contrario, ut in dict. §. *In univerſitatem*, ſi tamen feratur; excommunicatio etiam hodie tenet, ut hic, Petr. de Anchar. in dict. *cap. Romana*, *num.* 4. *in verb. Prohibemus*, ubi dicit eo verbo non obſtante ſententiam latam tenere, licèt ſit injuſta. Et idem ſecundùm eum tenet Lap. Abb. Et propterea in ſimili ſententia excommunicationis lata contra Conſtitutionem, *cap. Sacro*, *ſupra eodem*, *& cap. Cum medicinalis*, *eod. tit. lib.* 6. non eſt nulla ſecundùm Bernard. Hoſt. & alios, dummodo feratur ab Ordinario, ut in dict. §. *In univerſitatem*, *& in cap. Sententia Paſtoris*, & ibi per Archidiac. *in verb. De hoc*, 11. *quæſt.* 3. Secus ſi feratur à Delegato, quia tunc eſt nulla ſecundùm Ancharan. qui de hoc remittit ad notata per Archidiac. in *cap. Cum in illis*, *de præben. lib.* 6. *& in cap.* 1. *de offic. delegat. eodem lib.* ſubdens hæc eſſe verba ipſius. Et ejuſdem ſententiæ videtur eſſe Innocent. in *cap. Capitulum*, *num.* 1. *in ver. Appellationem*, ubi tenet in caſu illo ſententiam excommunicationis latam in Capitulum non ſolùm fuiſſe validam, ſed etiam juſtam. Et hanc partem tamquam tutiorem amplectitur etiam Dominus meus Joan. Franciſcus Fagnanus *in eodem libello de Inſtitut. & validitat. cenſur. Pauli V. part.* 5. *de cenſur. fol.* 137.

Doctores pro hac ſententia nihil adducunt, ſed ſimpli- 103
citer dicunt illam eſſe tutiorem. Probari tamen poteſt hoc præcipuo fundamento: nam etſi actus geſtus contra prohibitionem legis ſit ipſo jure nullus, etiamſi lex ulterius non procedat ad irritationem actus, ut *l. Non dubium*, & ibi not. Bart. Bald. & Legiſtæ, *C. de legibus*, quæ eſt canonizata in *cap. Imperiali*, 25. *quæſt.* 2. tamen hoc habet locum dumtaxat ſi eodem contextu lex tribuat poteſtatem faciendi actum illum, & præſcribat conditiones, & modifica-

Digitized by Google

ficationes prohibendo ne aliter fiat; tunc enim recipitur poteſtas qualificata, ſeu modificata; & ideò actus non ſervatis modis præſcriptis à lege, redditur nullus ex defectu poteſtatis. Secus verò ſi lex conditiones præſcribat, & prohibitionem faciat ei, qui priùs poteſtatem, vel juriſdictionem habebat, quia tunc actus contra legis prohibitionem geſtus ſuſtinetur in vim poteſtatis præexiſtentis, licèt tranſgrediens ſit puniendus, & ſententia eſt injuſta, ſed non eſt nulla. Hæc eſt ſingularis theorica gloſſæ in *Clem.* 1. *in verb. Inhibentes, verſ. Sed quæro, de jurepatron.* quam ſequitur Petr. de Anchar. in *cap. Statutum, §. final. verſ. Adverte, de reſcript. in 6.* Abb. in *cap. Ex parte, num. 5. ſupra de Conſtitut.* Roman. *conſ.* 203. *Quoad primum, numer.* 7. ſed Epiſcopi, & locorum Ordinarii ante prohibitionem Innocentii in dict. *cap. Romana*, habebant poteſtatem excommunicandi Univerſitatem, vel collegium, ut probatum eſt ſupra *num.* 52. ergo excommunicatio lata in Univerſitatem contra prædictam prohibitionem non eſt nulla, licèt ſit injuſta. Et hanc differentiam poſt Archidiac. optimè agnovit Petr. de Ancharan. in dict. *cap. Romana, num. 4. in verb. Prohibemus*, dum dixit excommunicationem tenere non obſtante prohibitione illius textus, ſi lata fuerit ab Ordinario, & Paſtore. Nimirum quia facultas excommunicandi, quam prius habebat non fuit ei per illam prohibitionem adempta; ſecus verò ſi feratur à delegato, qui eodem contextu accipit juriſdictionem reſtrictam, & modificatam ad terminos ejuſdem prohibitionis.

104 Et hanc partem arbitror eſſe amplectendam, quia cùm in hoc articulo adſint utrinque graviorum Canoniſtarum auctoritates, & rationes ſuaſibiles; atque ita verſemur in concurſu duarum opinionum probabilium: ex præcepto eligenda eſt opinio tutior, propter periculum animæ, ut latiſſimè probavi in *cap. Ne innitaris, ſupra de Conſtitut.* & in materia excommunicationis docet Sanctus Thomas *quodlib. 4. art.* 14.

105 Non obſtat, quod verba illa, *penitus prohibemus*, quæ habentur in dict. §. *In univerſitatem*, ſint poteſtatis ablativa: ſiquidem nullibi hoc jure probatur, ſed tantummodo fuit intellectus Hoſtienſis, & ſequacium, contra quos ſtat auctoritas gloſſæ, & aliorum, quos retulimus ſupra *n.* 102. dum enim tenent ſententiam excommunicationis latam in Univerſitatem valere, non obſtante prohibitione illius textus; in neceſſariam conſequentiam tenent per illa verba non eſſe ademptam excommunicandi poteſtatem; aliàs enim ſententia eſſet nulla ex defectu poteſtatis, ut in *cap. At ſi Clerici de judic.* & *in l. ult. C. ſi à non compet. jud. cum multis ſimil.*

106 Non obſtat, quod Univerſitas tamquam perſona ficta ſine anima, & Baptiſmo non ſit materia capax excommunicationis: nam hoc procedit ſi Univerſitas accipiatur in abſtracto, præſcindendo à ſingularibus hominibus: ſecus verò ſi accipiatur pro ſingularibus perſonis omnibus collectivè, ut diſtinximus ſupra *nu.* 60. Hoc enim modo ſumpta Univerſitas nihil aliud eſt, quàm ſinguli homines qui ſunt ibi, ut inquit Petr. de Anchar. *conſ.* 158. *Ex narratis, num. 22. ad fin.* poſt gloſſ. *in l. Sicut, §. Si quid, in verb. Non debetur, ff. Quod cujuſque Univerſ. nomine*, & not. Bart. in *l. Aut facta, §. Nonnunquam, num. 3. ff. de pœn.* dicens hoc tenere omnes Philoſophos, & Canoniſtas, qui tenent totum realiter non differre à ſuis partibus, & ſubdit eos verum dicere, ſi loquamur realiter, verè, & propriè, licèt ſecus ſit ſecundùm fictionem juris.

107 Unde egregiè Imol. in *cap. Capitulum, penult. colum. de reſcript.* dicit valere excommunicationem, ſi conſtet excommunicantem utentem verbo collectivo, vel excommunicare ſingulos, ut res potiùs valeat, quam pereat, *cap. Abbate, infra de verb. ſignificat.* & ſequitur Felin. in *cap. Dilecta in Chriſto, num. 1. col. 2. verſ. Dixit etiam egregiè Imola, ſupra de except.*

108 Quinimò id conſtanter tenendum videtur: nam ridiculum eſſet, ut judex intenderet ſententia excommunicationis ligare corpus illud phantaſticum, ſeu imaginarium, quod eſt nomen juris in abſtracto, ſicut homo in communi non capax parentelæ, ut inquit Feder. de Sen. *conſ.* 15. *Quæſtio talis, in princip.* hoc enim modo poſſet excommunicari etiam Chimæra, & Hippocentaurus: quotieſcumque autem aliquis actus ſit contra Univerſitatem, qui non poteſt applicari Univerſitati, ut eſt excommunicatio, quæ non afficit niſi animam baptizatam; tunc applicatur ſingulis perſonis, *cap. Si ſententia, in fine, de ſentent. excommun. lib. 6.* Federic. de Sen. dict. *conſ. 15. numer. 4. verſ. Nam quando.* Et hoc intendit Hoſtien. in *cap. Significaverunt, in verb. Contra capitulum, num. 1. & 2. ſupra de exception.* dum dixit impoſſibile juris eſſe, ut Capitulum, & Univerſitas excommunicetur, niſi intelligatur Capitulum, idest ſinguli de Capitulo, facit textus optimus juncta gloſſ. in *cap. Præſentium, de teſtib.* nam cum textus ibi dicat juramentum eſſe recipiendum in animas Conventuum, gloſſa exponit illud verbum, *Conventum*, idest ſingulorum de Conventu; quia, inquit, Conventus, ſicut Univerſitas non habet animam.

Nec urget replicatio, de qua ſupra *num.* 95. quod ſi ſen- 109
tentia excommunicationis lata in Univerſitatem referenda eſſet ad ſingulos de Univerſitate, ſequeretur inconveniens, ut tali ſententia ligaretur etiam puer unius diei; quoniam negatur hæc conſequentia: nam etſi poſſibile ſit, ut tali ſententia irretiantur innoxii, ut probat littera d. *c. Romana, §. In univerſitatem, inf. eod. lib. 6.* nihilominus hoc intelligi debet de his tantùm, qui quamvis ſint ſine culpa, tamen culpam committere poſſunt; & ita procedit ille textus, dum dicit, *quia nonnunquam contingeret, &c.* non autem de his, qui nec ſunt, nec poſſunt eſſe culpabiles, ut declarat Archidiac. in dict. *cap. Romana, num.* 6. & dictum eſt ſupra *num.* 101. & probatur apertiſſimè: nam excommunicatio ſi feratur in ſingulos de Univerſitate, valida eſt ſecundùm omnes hic, & in dict. *cap. Romana*, & tamen non ligat infantes. Item tenet excommunicatio lata à Summo Pontifice in Univerſitatem, ut fusè probatum eſt ſupra *num. 75. & 88.* & tamen per eam non ligantur, qui doli non ſunt capaces, ut dixi *num.* 91. ergo non eſt bona conſequentia, excommunicans Univerſitatem intendit excommunicare ſingulos de Univerſitate, & ſic ligat ſingulos: ergo ligat
etiam puerum unjus diei, quia diſpoſitio quantumcumque 110
generalis ſemper recipit ſanum intellectum, ut reſtringatur ad perſonas habiles, & capaces, *cap. unico, de ætat. & qualitat. lib. 6.* Dec. in *cap. Cum omnes in 2. lect. num. 2. ſupra de Conſtitut.* Jaſ. in *l. 2. §. Præter, num. 3. ff. qui ſatiſd. cogan.* Item reſtringi debet ad id, quod eſt poſſibile, argum. *cap. Erit autem lex, 4. diſtinct.* at non eſt poſſibile, ut infans unius diei anathemate innodetur, ut oſtenſum eſt ſupra eodem *num.* 91.

Non obſtat motivum Saliceti, de quo ſupra *numer.* 97. 111
nam reſponſio patet ex dictis *nu. 73. & 108.* ubi oſtenſum eſt in materia, cujus corpus non eſt capax, fieri diſtributionem in ſingulis; & ita corruit illius motivum: & contra eum videtur text. apertus in *cap. Si ſententia*, in fine ponderatus, ut ſupra *num.* 71.

Non obſtat conſideratio Richardi de Media Villa, quod 112
aliàs non eſſet conſultum periculo animarum: etenim eadem objectio fieri poſſet in qualibet ſententia excommunicationis injuſta: quæ prohibetur ferri propter animarum periculum, & tamen lata ab Ordinario, & Paſtore tenet, ut in *cap. Sententia Paſtoris*, & ibi per Archidiac. *in verb. de hoc, 11 quæſt.* 3. & in ſpecie in *cap. Romana, §. Officiales, de offic. Ordinar. lib. 6.* Archiepiſcopo exiſtente in provincia, vel circa illam, ejus officiales prohibentur ferre excommunicationis ſententiam in Suffraganeos; & tamen lata tenet ſecundùm Bernar. ibi in gloſſ. *in verb. Non attentent*, quam ſequuntur Doctores ibi, & hic Hoſt. *n. 4. in ver. penitus*, & alii communiter. Et eſt ratio ſecundùm gloſſ. quia quamvis ſufficiat legislatorem aliquid prohibuiſſe, etiamſi non adjiciat actum fore nullum, ut *l. Non dubium, C. de legib.* tamen ſpeciale eſt in ſententia excommunicationis, ut injuſtè lata liget, *cap. 1. 11. quæſt. 3. cap. Sacro, infra eod.* & docet S. Thom. *in 4. diſtin. 18. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 4.*

Unde Sacra Congregatio Concilii conſulta an excom- 113
municationes latæ ab Epiſcopo non ſervata forma Concilii *cap. 3. ſeſſ.* 25. ſint ipſo jure nullæ, vel annullandæ; reſpondit eſſe validas, & excommunicatum indigere abſolutione, per ea, quæ tradit Abb. poſt gloſſ. in *cap. 1. de exceſſ. Prælator.* & Felin. in *cap. Rodulphus, num. 76. de reſcript.* videlicet excommunicationem latam ſine citatione, & monitione, vel juris ordine non ſervato tenere, quamvis injuſta ſit, licèt Sacra Congregatio noluerit, ut darent litteræ publicæ, ſed ut Cardinalis Alciatus privatis litteris

ſcribe-

Digitized by Google

ſcriberet ad Epiſcopum valere excommunicationem, ſed illum ſeriò moneret, ut in poſterum omni diligentia ſervaret formam Concilii.

114 Nec eſt novum in jure, ut propter animarum periculum aliquid prohibeatur; & tamen ſi contra fiat, teneat, ut in *cap. Nos novimus*, 17. *quæſt.* 2. *in cap. Si vir*, 27. *diſtinct. & in cap. Ad Apoſtolicam, ſupra de regular.* Nec tamen propterea Innocentiana prohibitio erit inanis, quia Ordinarii cum majori circumſpectione, & rariùs procedent ad ſententiam excommunicationis contra Univerſitatem: nam contrafacientes puniri poterunt tamquam illius Canonis violatores, ut dicitur in d. §. *Officiales*, & ibi not. gloſſ. prælleg.

115 Demum ad motivum Franciſci Boattini, de quo ſupra *num.* 98. reſponderi poteſt prohibitionem dict. §. *In univerſitatem*, non fuiſſe editam in favorem Univerſitatis, ſed ob ſpecialem rationem periculi animarum, ne irretiantur innoxii, nec ibi legitur verbum, *concedimus*, ſeu *indulgemus*, vel aliud ſimile, ex quo deprehendi poſſit Papam voluiſſe privilegiare Univerſitatem, ad notata in *cap. Porrò, ſupra de privileg. & in cap. Si Papa, eodem titul. lib.* 6. Deinde deſtruitur hoc motivum per textum in dict. §. *Officiales*: nam ibi magis videtur conceſſum Epiſcopis Suffraganeis in privilegium, ut excommunicari nequeant ab Officialibus Archiepiſcopi; quia in textu exprimitur ratio concernens favorem eorumdem Suffraganeorum, videlicet ob reverentiam Pontificalis officii; & tamen ſententia excommunicationis ab Officialibus contra tenorem dictæ conceſſionis valida eſt, ut dictum eſt ſupra proximè: ergo multò magis valere debet ſententia lata contra prohibitionem dict. §. *In univerſitatem*, in qua exprimitur alia ratio non concernens favorem Univerſitatis.

Concludit ergo excommunicationem latam in Univerſitatem, vel Collegium ligare, & timendam eſſe, dummodo lata fuerit ab Ordinario, & Paſtore, ſecus ſi à Delegato per ea, quæ dicta ſunt ſupra *num.* 103.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III.

C A P U T XLIV.

INquiſitioni tuæ reſpondentes, credimus diſtinguendum, utrùm alter conjugum pro certo ſciat impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſsit: an non ſciat pro certo, ſed credat? In primo caſu debet potiùs excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus, utrùm habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi & temeraria, an probabili & diſcreta? & quidem ad ſui paſtoris conſilium (conſcientia levis & temerariæ credulitatis exploſa) licitè poteſt non ſolùm reddere, ſed exigere debitum conjugale. Verùm cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.

I*Nquiſitioni*. Si conjux ſcit pro certo impedimentum matrimonii, non debet reddere debitum, ſed potiùs excommunicationem pati, reddit autem ſed non exigit, ſi credit ex cauſa probabili, & diſcreta, ſed ſi ex levi, & temeraria, reddit, & exigit. Hoc dicit ſecundùm Jo.
56 Andr. & communiter Doctores. Et primò ad caſum, de quo quæritur, diſtinguit: & primum membrum proſequitur ibi, *in primo*. Circa ſecundùm ſubdiſtinguit ibi, *in ſecundo*: & tertium ſubdiſtinctionis membrum proſequitur ibi, *Verum eam*.

Nota ex hac Decretali differentiam inter fidem 57
ſeu plenam credulitatem, & opinionem, & ſcrupulum: & pro intelligentia horum terminorum, & textus vide quod plenè ſcripſi in repetitione *cap. Ne unitaris, à num.* 240. *uſque ad num.* 262. *ſupra de Conſtitut.*

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III.

C A P U T XLV.

COntingit interdùm: & infrà. Sanè ſicut accepimus inſinuante comite Flandreſi. in diœceſi tua quidam exiſtunt, qui nec in modo tonſuræ, nec in veſtimentorum forma, nec in qualitate negotiorum de Clerico quidquam oſtendunt, ad pœnæ ſubterfugium ſe Clericos exhibentes: cùm enim ſuper exceſſibus, quos ſæculari luxu committunt, ad publica judicia pertrahuntur, circumciſis criminibus ut poſsint circumvenire vindictam, ſe pro Clericis repræſentant: Clericalis fori privilegium labiis allegantes, qui factis paulò antè negaverant Clericatum; & infrà. Verùm quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, ac fruſtrà legis auxilium invocat, qui committit in legem: Volumus & mandamus, ut tales ſi tertio à te commoniti ſeipſos contempſerint, emendare, illius efficiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda dignoſcitur inſtituta.

Digitized by Google

S V M M A R I V M.

1 *CLericus ſi à Prælato ſuo tertiò monitus non reaſſumit habitum, & tonſuram, perdit privilegium clericale.*

2 *Clericus quamvis habitum, & tonſuram dimittat, & negotiis ſæcularibus ſe immiſceat, non perdit privilegium Canonis, niſi tertiò monitus noluerit ſe emendare.*

3 *Clerici à laicis diſcernuntur in modo tonſuræ, in veſtimentorum forma, & negotiorum qualitate.*

4 *Facta ſunt potentiora, quàm verba, & nu. ſeq.*

5 *Clericus non poteſt verbis renuntiare privilegio fori, nec Canonis; poteſt tamen facto ipſo.*

6 *Clericus per dimiſſionem habitus, & tonſuræ ante trinam monitionem non perdit privilegium fori, & numer. 9.*

Nec privilegium Canonis, num. 10. & 13.

Et quid poſt Concilium Tridentinum, num. 25.

7 *Et monitio fieri non poteſt per judicem ſæcularem, vel alium, ſed per Epiſcopum, vel alium Prælatum habentem Epiſcopalem juriſdictionem.*

8 *Nec ſufficit una monitio pro omnibus, ſed debet eſſe trina.*

11 *Clericus, qui dimiſſo habitu, & tonſura immiſcet ſe negotiis ſæcularibus, non perdit privilegium immunitatis ab oneribus laicalibus, niſi ter monitus à negotiationibus non deſiſtat.*

12 *Intellectus* cap. Ex parte, il ſecondo, de privileg.

13 *Intellectus* cap. Perpendimus, de ſententia excommunicationis.

Sacerdos, qui depoſito habitu, & tonſura in ſævis enormitatibus deprehenditur, non gaudet privilegio Canonis, ibid. & num. ſeq.

Gaudet tamen privilegio fori, niſi ter monitus non deſiſtat, nu. 13. & nu. ſeq.

14 *Clericus deprehenſus in enormitatibus, & captus ſine habitu, & tonſura remittendus eſt ad judicem eccleſiaſticum.*

15 *Clerici etiam in ſacris per annum exercentes artem joculatoriam, vel hiſtrionum, perdunt ipſo facto privilegium clericale: ſed ſi breviori tempore, requiritur trina monitio.*

16 *Clericus, qui miles efficitur, & ſæva exercet, perdit eo ipſo privilegium clericale.*

17 *Clerici conjugati non incedentes in habitu, & tonſura, clericale privilegium ſine ulla monitione amittunt.*

18 *Clericus incorrigibilis quando perdat privilegium fori.*

19 *Clericus aſſaſſinus ſine ulla monitione, vel ſententia relinquitur Curiæ ſæculari.*

20 *Clericus de aſſaſſinio imputatus, ſi reperiatur carceratus per Judicem laicum, an ſit remittendus ad judicem eccleſiaſticum, ut ferat declaratoriam ſuper facto, & nu. ſeqq. uſque ad num. 25.*

21 *Clerici habent juris aſſiſtentiam ſuper omnimoda exemptione à ſæculari poteſtate.*

22 *De qualitate juriſdictionem tribuente ante omnia conſtare debet.*

23 *Judex laicus ante declaratoriam judicis eccleſiaſtici ſuper aſſaſſinio neſcit ſe judicem contra Clericum.*

24 *Sententia abſolutoria, vel condemnatoria in uno foro parit exceptionem rei judicatæ in alio.*

25 *Clericus minorum Ordinum non beneficiatus, niſi habitum, & tonſuram deferat, & Eccleſiæ inſerviat, ex Concilio Tridentino fori privilegium perdit ſine alia monitione.*

1 C*Ontingit, il ſecondo.* Clericus ſi à Prælato ſuo tertiò
monitus non reaſſumit habitum, & tonſuram, perdit privilegium clericale. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Cardin. Ancharan. & Felin. Vel ſecundùm Marian. Socin. ut
2 expreſſiùs conveniat titulo: Quamvis Clericus dimittat
habitum, & tonſuram, & negotiis Clerico non convenientibus ſe immiſceat, non perdit tamen privilegium Canonis, niſi tertiò monitus noluerit ſe emendare. Hoc dicit. Primò ponitur Comitis querela. Secundò proviſio, ibi, *Verum quia.*
3 Nota primò ibi, *nec in modo tonſuræ.* Clericos in tribus
diſcerni à laicis. Primò ſcilicet in modo tonſuræ, ſeu coronæ, ut in *cap. Duo ſunt genera, 12. quæſt. 1. in cap. Clericus, 1. & 2. de vita, & honeſtate Cleric.* Secundò in forma veſtimentorum, de quo in *cap. Clericus, il ſecondo, eod. titul.* ubi habetur veſtem debere eſſe talarem, & aliam formam non legimus, ſecundùm Abb. hic *num. 2. verſ. Et cavetur, ut portent veſtes uſque ad talos.* Tertiò in qualitate negotiorum, ut in *cap. fin. de vita, & honeſtat. Cleric. cap. 1. & 2. Ne Cleric. vel Monach. cap. Pervenit, 86. diſtinct.* & hic notant Joan. Andr. *num.* 2. Cardin. *numer.* 1. Butr. *num.* 2. Anchar. *numer.* 1. Abb. & Marian. Socin. *in 1. notab.*

Secundò nota ibi, *factis*, ad amiſſionem privilegii cle- 4
ricalis potentiora eſſe facta, quàm verba, *cap. ult. ſupra de vit. & honeſtat. Cleric.* Nam Clericus non poteſt ver- 5
bis renuntiare privilegio fori, nec judicem laicum ſibi conſtituere, etiamſi proprium juramentum, & adverſarii conſenſus accedat, ut eſt caſus in *cap. Si diligenti, ſupra de foro competent.* & idem in privilegio Canonis, ut *cap. Contingit, ſupra eod.* & tamen poteſt hujuſmodi privilegiis renuntiare facto ipſo, ſi poſt dimiſſionem habitus, & tonſuræ tertiò commonitus ſeipſum contempſerit emendare, ut hic in littera; & in *cap. In audientia, ſupra eod.* facit *cap. 1. 44. diſtinct. cap. Si quis uxorem, 26. quæſt. 2. & cap. Dilecti, de appell.* & eſt gloſſ. notab. in *cap. Perpendimus, in verb. Cogantur, ſupra eod.*

Tertiò nota ibi, *ut tales ſi tertiò à te commoniti.* Per di- 6
miſſionem habitus, & tonſuræ Clericum non perdere privilegium clericale ante trinam monitionem; & ita hic eſt caſus ſecundum Abbatem in Summ. text. & cùm in littera dicatur, *à te commoniti*, & ſupra, *in diœceſi tua.* Hinc collige hujuſmodi monitionem fieri non poſſe per judicem ſæcularem, vel alium quemcumque, ſed fieri debere per Diœceſanum, ut hic obſervant Joan. Andr. *num. 1. in verb. à te*, Anchar. *num.* 3. & Abb. *num.* 5. tamen Decretalis *in audientia, ſupra eodem:* generaliùs loquitur de Prælatis: unde per illum textum dicendum eſt hanc monitionem fieri poſſe per quemcumque Prælatum habentem juriſdictionem Epiſcopalem, ut benè hic per Abb. dict. *nu.* 5. & in ſimili notat gloſſ. in *Clem. 1. in verb. Proprii, de reb. Eccleſ. non alien. & in Clem. 1. in verb. Diœceſanis, de foro compet.*

Rurſus cùm textus noſter dicat tertiò commoniti; ex 8
hoc collige in hac materia privationis privilegii clericalis non ſufficere unicam monitionem pro omnibus, ſed abſolutè trinam monitionem eſſe neceſſariam, ex quo ad pœnam incurrendam, jus tertiam monitionem requirit, ut notat gloſſ. ſingularis in *Clem. 1. in verb. Tertio, de vita, & honeſtat. Clericor.* Joan. Andr. in *cap. Tuæ, num. 4. in verb. Trina, de Cleric. non reſident.* & Abb. hic *num. 4. in verb. Tertiò*, quod nota perpetuò ad limitationem *cap. Conſtitutionem, §. Statuimus, de ſentent. excommunic. lib. 6.*

Stat igitur concluſio, quod Clericus apoſtatando ab ha- 9
bitu, & tonſura, non perdit privilegium clericale hoc jure inſpecto, niſi præceſſerit trina monitio; & hæc eſt communis opinio, ut atteſtatur Covarruv. *pract. quæſt. 32. numer.* 1. & Jul. Clar. *in §. fin. quæſt. 36. verſ. Hæc autem quæ de Clerico*, & videtur communiter practicari, ut inquit Imola in *cap. final. poſt numer. 7. verſ. Adverte tamen, de vita, & honeſtat. Cleric.* & irrefragabiliter probatur in hoc cap. Et quamvis Marian. Socin. intelligat hunc tex. de privilegio Canonis *Si quis ſuadente, 17. quæſt. 4.* ut faciat ad titulum: verè tamen loquitur de privilegio fori, ut patet ibi, *Ad pœnæ ſubterfugium.* Item ibi, *ad publica judicia pertrahuntur*, necnon ibi, *ut poſſint circumvenire vindictam:* unde Bernardus format caſum in quibuſdam, qui nec in tonſura, nec in forma veſtimentorum, nec in qualitate negotiorum aliquid de Clerico oſtendebant, ſed ut pœnam poſſet aliquando evitare, ſe pro Clericis exhibebant, & cùm ſuper exceſſibus conveniebantur, circumciſis crinibus allegabant fori privilegium. Verumtamen idem 10
juris eſt in privilegio Canonis, quod non perdit Clericus gerens ſe pro laico ante trinam monitionem, ut eſt ca-
ſus in *cap. In audientia, ſupra eodem*, & idem in privi- 11
legio immunitatis, & oneribus laicalibus, quibus non privatur Clericus, niſi tertiò monitus à negotiationibus ſæcularibus non abſtineat, ut eſt expreſſum in *cap. ultim. ſupra de vita, & honeſtat. Clericor.* & de privile-

vilegio clericali in rebus, & perſonis eſt textus in Clem. 1. *eod. tit.*

12 Prædictis non obſtat textus *in cap. Ex parte, il terzo ſup. de privil.* ubi eſt caſus, quod qui in habitu, & tonſura, & cæteris ut laici converſantur, deprehenſi in maleficiis, ſe pro Clericis non defendunt: quoniam ille text. procedit quando non conſtat eos verè eſſe Clericos, licèt aliquando aſſumpſerint habitum clericalem, & tonſuram, & poſteà depoſuerint: nam per hoc defendi non poſſunt ut Clerici, ſi delicto fuerint deprehenſi, & anteà communi opinione non putabantur Clerici, etiamſi deinde velint reaſſumere habitum, & tonſuram, ut ibi declarat gloſ. *penult.* Abb. *num. 4. in princip.* juncto fine, & communiter Scribentes, Alexand. *in conſ. 8. Videtur ſuper primo dubio num. 2. verſ. non obſtat id, quod habetur lib. 1.* licèt aliter intelligant illam Decretalem Abbas Antiq. hîc in ſua plena diſtinctione *n.* 1. Jo. Andr. *num.* 5. & Anchar. *n.* 4.

Item non obſtat *cap. 1. de Apoſtat.* quia plures habet intellectus, ut ibi per Doctores, & per Alexand. *dict. conſ. 8. num. 2. circa fin. verſ. non obſtat etiam*, & gloſs. ultim. ibi intelligit textum quando præceſſit trina monitio, quo ſenſu illa Decretalis concordat cum textu noſtro.

13 Rurſus non obſtat *cap. Perpendimus, ſupra eodem*, ubi ſacerdos, qui dimiſſo habitu, & tonſura ſe immiſcuit ſævis enormitatibus, privilegium amittit: nam & ille textus multiplices habet intellectus, de quibus per gloſ. & DD. ibi, & per Alex. *dicto conſil. 8. num. 2. verſ. Et ad dict. cap. Perpendimus lib.* 1. Capyc. *deciſ.* 161. *In cauſa Cruſconi*, & Jul. Clar. *in §. fin. quæſt. 38. verſ. Quæro modo*, & magis communis intellectus eſt, quod Decretalis illa locum habeat tantummodo in privilegio Canonis, *Si quis ſuadente 17. quæſt. 4.* non autem in privilegio fori, quod non amittitur, niſi præceſſerit trina monitio. Cui intellectui multum applaudent verba illius cap. dum dicit interfectores dicti Sacerdotis non eſſe cogendos Apo-
14 ſtolicam Sedem adire pro abſolutione obtinenda. Quæ verba videntur magis congruere excommunicationi, quæ incurritur ex Canone, *Si quis ſuadente*: quam illi, quæ incurritur propter violatum privilegium fori: & hunc intellectum poſuit ibi Jo. Andr. *num.* 5. dicens, ſi Clericus ſumptis armis, & dimiſſo habitu ingreditur bellum, vel aggreſſiones quoad illos, qui tunc eum percutiunt, perdit privilegium, ſed non quoad forum; unde tunc captus debet reſtitui judici Eccleſiaſtico: ſimiliter Petr. de Ancharan. *in cap. 1. num. 2. verſ. Si vero relinquit, de Apoſt.* concludit Clericum, qui dimiſſo habitu, & tonſura ſævis enormitatibus ſe immiſcet, & perſeverat, ac deprehenditur in illis per judicem ſæcularem, non poſſe ab eo puniri, ſed eſſe remittendum ad judicem Eccleſiaſticum, niſi monitio præceſſerit: idque probat multis juribus, & allegat gloſ. quæ idem videtur dicere *in cap. Ex parte il terzo, in verb. Deprehenſi de privileg.* & ſequitur Alex. *dicto conſ. 8. num. 3. lib. 1.* dicens veriorem, & magis communem intellectum eſſe, quod *d. cap. Perpendimus*, locum habeat in privilegio Canonis, non autem in privilegio fori, quod ſecundum eum non amittitur niſi poſt trinam monitionem, & ſecundum illud conſilium Alex. dicit millies, imò ſemper fuiſſe judicatum per Curiam, & conſilia Neapolitana Grammaticus *ſuper Conſtitutionibus Regni fol. 29. col. 1. verſ. Decimò ubique*, quidquid contra ſcripſerit Alexand. de Nævo *in conſ. 59. poſt num.* 20. & alii plures relati à Julio Claro *d. §. fin. quæſt. 36. verſ. Quæro modo circa finem*: licèt hodie hæc altercatio ceſſet quoad Clericos primæ tonſuræ, vel minorum Ordinum propter decretum Concilii Tridentini *cap. 6. ſeſſ.* 23. ut dicam infrà *n.* 25.

15 Declara primò regulam hujus textus, ut locum non habeat in Clericis, qui ſunt publici joculatores, vel hiſtriones, etiam artem ignominioſam per annum exercent, carent enim ipſo jure ante ullam monitionem omni privilegio clericali; licèt ſi breviori tempore quàm per annum integrum exercuerit artem illam, tunc privilegium non perdant, niſi ter moniti ab Epiſcopo non reſipuerint, ut eſt caſus ad litteram *in cap. 1.* & ibi omnes, *de vita, & honeſtate Clericorum lib. 6.* quod per Papam ſtatui deſideraverat Hoſt. *in cap. Perpendimus numero 1. & 2. ſupra eodem*. Licèt aliter, & non *benè illud cap.* fuerit ſummatum à Compilatoribus, & procedit ille textus etiam in Clericis ſacrorum Ordinum ſecundùm Archid. Jo. Andr. Geminian. & alios communiter licèt Joan. Monach. contra.

Declara ſecundò, ſupradictam regulam, ut locum non 16 habeat in Clerico, qui dimiſſo habitu & tonſura fecit actum omninò contrarium ordini clericali, ut quia miles efficitur & ſæva exercet: nam ſine ulla monitione perdit eo ipſo privilegium clericale, ut *cap. Quiſquis 84. diſtinct.* & tenet Innocent. *in cap. 1. numero 3. verſ. Sed alii contradicunt, de apoſtat.* Cùm quo concordant ibi Hoſtien. *num. 4. verſ. Alii contra*, Ancharan. *num.* 2. & reliqui omnes, Alexand. *d. conſil. 8. numero 3. lib. 1.* & ſentit à contrario ſenſu gloſ. Bernardi poſt caſum *in cap. In Audientia ſupra eodem*, dum ait Clericos, qui arma ſumunt, dummodo ſe enormibus non immiſceant, retinere privilegium clericale uſque ad tertiam admonitionem; quod nota pro limitatione, & intellectu illius Decretalis; ſed hoc intelligas de privilegio Canonis, non autem de privilegio fori, ut conſtat ex dictis ſupra *n. 13. & 14.*

Declara tertiò, regulam hujus Decretalis, ut procedat 17 in Clericis non conjugatis, non autem in Clericis conjugatis, quia per dimiſſionem habitus, & tonſuræ ſine ulla monitione amittunt eo ipſo privilegium clericale, ut *cap. Unico, §. In cæteris, de Cleric. conjugat. lib. 6.* & hoc omnes fatentur, ut inquit Covar. *practica quæſtion. 32. poſt num.* 1. quem refert, & ſequitur Clar. *in §. fin. qu. 36. verſ. Hæc autem*.

Declara quartò, eamdem regulam, ut non procedat 18 in Clerico incorrigibili qui ſervatis gradibus præſcriptis in *cap. Cum non ab homine, de iudic.* ſtatim efficitur de foro ſæculari, nec requiritur traditio judicis Eccleſiaſtici ſecundum opinionem Joan. Andr. licèt alii contra, ut ibi dixi *num. 25. & 26.* Eo tamen caſu Clericus non perdit privilegium fori ſine monitione, quam poſt depoſitionem debet excommunicari quod non fit niſi competenti monitione præmiſſa, ut *cap. Sacro, ſupra eodem, cap. Conſtitutionem, eodem titulo lib. 6.* & ſic non eſt incorrigibilis, niſi ter monitus non deſiſtat, ut poſt Jo. Andr. notat Butr. *in d. cap. Cum non ab homine n.* 22.

Declara quintò, regulam hujus cap. ut locum non ha- 19 beat in clerico Aſſaſſino, qui abſque ulla monitione, vel ſententia tamquam publicè diffidatus ipſo jure, & facto relinquitur Curiæ ſæculari, ut eſt textus notabilis *in cap. Pro humani, de homicid. lib. 6.*

Sed hîc incidit dubitatio, an Clericus imputatus de 20 aſſaſſinio, ſi reperiatur carceratus per judicem laicum, remittendus ſit ad judicem Eccleſiaſticum, ut ferat declaratoriam ſuper facto.

Solutio. Cùm Clericus habeat regulam pro ſe, & ju- 21 ris aſſiſtentiam ſuper omnimoda exemptione à ſæculari poteſtate, *cap. Continua, cap. Si quiſquam, cap. Clericum, cap. Volumus*, cum pluribus ſequentibus, 11. *quæſt.* 1. *cap. Si diligenti, de foro competenti*, cum multis ſimilibus, ut dixi *in cap. Eccleſia ſancta Mariæ numero 10. de Conſtitution.* & judex laicus ad regulæ limitationem fun- 22 det intentionem ſuam ſuper aſſaſſinio: utique de hujuſmodi qualitate juriſdictionem tribuente in primis, & ante omnia conſtare debet, *l. 2. §. Si dubites, & l. Si quis aliena, ff. de iudic.* conſtare autem non poteſt, niſi per de- 23 claratoriam judicis competentis, *cap. Cum ſecundum, de hæret. lib. 6.* Ergo non videtur ambigendum, quin curiæ ſæcularis teneatur hunc Clericum remittere ad ſuum judicem, qui ferat ſententiam declaratoriam ſuper facto; quandoquidem ante eam laicus neſcit ſe judicem, *cap. Si iudex laicus, de ſentent. excommunicat. eodem libro*, atque ita in terminis clerici aſſaſſinii per hanc rationem concludit Cardinal. Alban. *conſil.* 13. & de communi teſtatur Alexander *conſil. 166. num. 5. lib. 7.* & latiùs dicetur inferiùs.

Ac propterea non obſtat *cap. 1. de homicid. lib. 6.* ubi diſponitur, ut talis ipſo facto incurrat ſententias excommunicationis, & depoſitionis ab Ordine, officio, beneficio, & nullatenus alia ſententia adverſus eum requiratur. Nam, etſi non requiratur ſententia declaratoria incurſus pœnarum, requiritur tamen declaratoria, quod talis commiſerit aſſaſſinium, ut probat littera ejuſdem Decretalis ibi; *& poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis aliquem*

ſcelus tam execrabile commiſiſſe ; & ita tenet ibi Archid. Joan. Andr. Gemin. & alii omnes, Capyc. *deciſ.* 112. *num.* 7. Dum enim in principio ejus deciſionis legitur, videlicet eſſe communem opinionem, quod talis Clericus poſſit puniri à laico ſine ſententia ſaltem declaratoria, puto litteram eſſe corruptam per ablationem particulæ negativæ, *non*, aliàs nec verba proxima cohærerent ſine ſententia ſaltem declaratoria, nec ratio congrueret, ibi, *Sine enim tali ſententia*, & contradiceret ſibi Capyc. *in fin. num.* 7.

Hæc autem declaratio fieri debet per judicem Eccleſiaſticum DD. *in dicto cap.* 1. Clar. *in* §. *fin. quæſt.* 36. *verſ. Sed quæro*, ibi, *Sed numquid talis declaratoria*. Et eſt ratio, quia ſi juriſdictio, & poteſtas, circa hoc data ſæculari non exercetur niſi declarata qualitate juriſdictionem conferente, talis declaratio fieri debet per judicem Eccleſiaſticum, alioquin, cognitione, & ſententia emanaret à non habente juriſdictionem, ut arguit Capyc. *dict. dec.* 112. *prope fin.* & quamvis, ut teſtatur idem Capyc. *dict. deciſ.* 112. & *deciſ.* 155. *num.* 25. obſervantia in Curia Neapolitana aliter ſe habeat, & Clar. referat ſimiliter obſervari in foro Mediolanenſi, ut ſi talis Clericus ſit in poteſtate judicis ſæcularis rejecta exceptione Clerici procedatur ad ulteriora, & profectò proceſſu, conſtitoque de aſſaſſinio, feratur per judicem ſæcularem declaratoria ſimul, & condemnatio : tamen contra hujuſmodi obſervantiam ſtant jura, & DD. communi calculo, teſtibus eiſdem Capyc. & Clar.

24 Ubi autem judex Eccleſiaſticus prævenit cognoſcendo, & ſententiando ſuper eodem delicto, judex ſæcularis deberet omninò quieſcere; ſiquidem ſententia ſive condemnatoria, ſive abſolutoria lata in uno foro parit exceptionem rei judicatæ in alio, *cap.* 1. *de except. lib.* 6. *l. Cùm quæritur*, & *l. Et an eadem*, *ff. de except. rei judicat.* Federic. de Senis *conſ.* 157. Alexander Epiſcopus *num.* 2. *verſ. Præterea Dominus Papa Boniſacius*, Aret. *conſ.* 58. *n.* 12. Boſſ. *in tract. de foro competent. num.* 100.

Declara ultimò regula hujus textus, ut vendicet ſibi locum inſpecta juris communis diſpoſitione ſecundum quam Clericus, qui habitum, & tonſuram depoſuit, non perdit privilegium Clericale ante trinam monitionem. 25 Sed hodie ex jure noviſſimo Concilii Tridentini Clericus non beneficiatus fori privilegio non gaudet, niſi habitum Clericalem, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ inſerviat, ut *in cap.* 6. *ſeſſ.* 23. neque ad hoc ulla requiritur admonitio, ut ex ſententia Sacræ Congregationis dixi *in c. Si quis num.* 21. *ſuprà de foro competent.* loquitur tamen decretum illud de Clericis Minorum Ordinum, ut patet ibi, *prima tonſura initiatus*, *aut etiam in Minoribus Ordinibus conſtitutus*. Quæ verba cenſentur repetita *in ver. Is etiam*, unde in Clericis Sacrorum Ordinum ſervabitur regula hujus Decretalis cum declarationibus ſupraſcriptis : nam quod non mutatur, &c. *l. Sancimus*, *C. de teſtam. l. Præcipimus*, *in fin. C. de appellat.* Item loquitur Concilium in privilegio fori : unde quoad privilegium Canonis, *Si quis ſuadente*, & reliqua privilegia Clericalia, de quibus notatur *in cap. Altercationis*, in gloſſ. *in verb. Omni privilegio*, *de bigam. lib.* 6. ſervabitur regula hujus *cap. Cum ſuis declarationibus*, ut ſimiliter ex Sacræ Congregationis ſententia dixi *in dict. cap. Si quis num.* 72. & 73. *de foro competent.* & ibi plenè videas, quæ requirantur ex Concilio Tridentino ad hoc, ut Clericus fori privilegio gaudeat *à n.* 19. *uſque ad num.* 72.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Idem Innocentius III. in Concilio Generali.

C A P U T XLVIII.

SAcro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis ſententiam, niſi competenti admonitione præmiſſa, & perſonis præſentibus idoneis, per quas (ſi neceſſe fuerit) poſſit probari monitio, promulgare præſumat: quod ſi contrà præſumpſerit, etiamſi juſta fuerit excommunicationis ſententia, ingreſſum Eccleſiæ per menſem unum ſibi noverit interdictum, alia nihilominus pœna mulctandus, ſi viſum fuerit expedire. Caveat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cujuſquam abſque manifeſta & rationabili cauſa procedat: ad quam ſi taliter fortè proceſſerit, & requiſitus humiliter proceſſum hujuſmodi non curaverit abſque gravamine revocare : gravatus apud ſuperiorem deponat de injuſta excommunicatione querelam, qui ſi abſque periculo moræ poteſt, ad excommunicatorem, illum cum ſuo mandato remittat, infra competentem terminum abſolvendum: alioquin ipſe per ſe, vel per alium, prout viderit expedire, ſufficienti cautione recepta, munus ei abſolutionis impendat. Cùmque adverſus excommunicatorem de injuſta excommunicatione conſtiterit, excommunicator condemnetur ad intereſſe excommunicato : aliàs nihilominus, ſi culpæ qualitas poſtulaverit, ſuperioris arbitrio puniendus: cùm non levis ſit culpa, tantam infligere pœnam inſonti : niſi forſitan erraverit ex cauſa probabili, maximè ſi laudabilis opinionis exiſtat. Verùm ſi contra excommunicationis ſententiam nihil rationabile fuerit à conquerente probatum, idem & ſuper injuſta excommunicationis moleſtia per pœnam ad intereſſe, vel aliàs ſecundùm ſuperioris arbitrium condemnetur, niſi forſan & ipſum probabilis error excuſet : & ſuper eo, pro quo fuerit juſta excommunicatione ligatus, per cautionem receptam ſatisfacere compellatur, vel in priſtinam reducatur ſententiam, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervandam. Si verò judex ſuum recognoſcens errorem, paratus ſit talem revocare ſententiam; & is, pro quo lata fuerat, ne abſque ſatisfactione revocet illam, appellet, appellationi non deferat in hac parte: niſi talis ſit error, de quo meritò debeat dubitari: & tunc ſufficienti cautione recepta, quòd coram eo ad quem appellatum extiterit, vel delegato ab ipſo, juri parebit, excommunicatum abſolvat : ſicque pœnę præſcriptæ minimè ſubjacebit : Cavens omninò, ne voluntate perverſa in alterius præjudicium mentiatur errorem, ſi diſtrictionis Canonicæ vult effugere ultionem.

S V M M A R I V M.

1 *PRælatum excommunicare non debet niſi monitione præmiſſa, & ex manifeſta, & rationabili cauſa, & num.* 4.

2 *Subditus qui falsò conqueritur ſe excommunicatum injuſtè, punitur.*

3 *Excommunicatio dicitur injuſta ex cauſa, ex animo, & ex ordine, & num. ſeqq.*

5 *Excommunicatio fertur propter contumacia præſeverantiam,*

Digitized by Google

tiam, & num. 12. & num. 22. & num. 29.

6 *Excommunicatio ferri non debet niſi trina monitione præmiſſa, vel una pro omnibus cum competentibus dierum intervallis, num. 16.*

Et quid poſt Concilium Tridentinum, num. 19.

7 *Prælatus excommunicans unica monitione præmiſſa, non incidit in pœnam huius Decretalis.*

8 *Monitio ex cauſa eſt arbitraria, & poteſt omitti quando eſt periculum in mora.*

9 *Monitio debet præmitti quando excommunicatio fertur pro culpis præteritis, ſecus ſi pro futuris.*

10 *Monitio non requiritur ſi exceſſus ſit notorius.*

11 *Contrarium.*

12 *Declaratur.*

13 *Monitio non eſt neceſſaria ſi excommunicatio feratur ad defenſionem ſui iuris.*

14 *Prælatus Regularis ſi excommunicet Monachum non præmiſſa monitione, & non in ſcriptis, an incidat in pœnam interdicti per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & num. ſeqq.*

15 *Regulares excuſantur ab apicibus Iuris quoad extenuandam delicti gravitatem, non quoad excludendum delictum in totum.*

17 *Excommunicatio non præmiſſa monitione eſt iniuſta, ſed non eſt nulla, niſi feratur in participantes, & num. 24. & 26.*

18 *Excommunicatio ex Concilio Tridentino non fertur niſi in ſubſidium, ideſt ubi executio realis, vel perſonalis in cauſis tam civilibus, quam criminalibus fieri non poteſt, & num. 25. & 35.*

Si tamen feratur ea forma non ſervata eſt valida, & excommunicatus indiget abſolutione, num. 26.

20 *Monitio ex Concilio Tridentino poteſt fieri etiam per edictum, ſed de iure communi fieri debet perſonaliter.*

21 *Fallit in quatuor caſibus hic poſitis.*

23 *Excommunicationis pœna nulla eſt maior in Eccleſia.*

24 *Separat à Corpore Chriſti, & non infligitur niſi pro culpa mortali cum contumacia, & num. 29.*

27 *Excommunicationis materia, & illius cognitio ſpectat ad iudicem Eccleſiaſticum tantum, & num. ſeqq. uſque ad num. 34.*

28 *Eius uſus fuit in Eccleſia etiam temporibus Apoſtolorum.*

30 *Iudici ſæculari nefas eſt prohibere iudici Eccleſiaſtico ne quem excommunicet, vel mandare, ut latam excommunicationem revocet.*

Nefas, ideſt impium, & execrabile, ibidem.

31 *Parlamenti Dolenſis edictum circa cenſuras à iudicibus Eccleſiaſticis latas improbatur, & num. ſeqq.*

32 *Excommunicatio ubi minus rite, recteve lata fuit, ad ſolum Superiorem Eccleſiaſticum ſpectat errorem corrigere.*

33 *Epiſcopi, & Prælati ſunt executores decretorum Concilii, Principes vero tantùm ſunt moniti, ut ad ea exequenda Prælatis auxilium præſtent.*

34 *Iudex ſi velit excommunicare contumaces an ſit neceſſe, ut conſtet in actis executionem realem, vel perſonalem fieri non poſſe, & num. ſeqq. uſque ad num. 41.*

35 *Remedia ſeveriora non ſunt adhibenda, ubi leviora ſufficiunt.*

36 *Iudex debet iudicare ſecundum acta, & probata.*

37 *Notorium iudici, ut iudici ex actis conſtare debet eſſe tale.*

38 *Principis aſſertiani bona ob rebellionem publicantis non ſtatur, niſi de rebellione conſtet.*

39 *Excommunicationis ad finem revelationis relinquuntur arbitrio iudicis.*

40 *Auditoris Cameræ ſtylus in cenſuris decernendis, & numero 55.*

41 *Cenſuræ an poſſint relaxari contra unum ex duobus reis inſolidum obligatis in forma Cameræ, ſi contra alium tamen poſſit fieri executio realis, vel perſonalis, & n. ſeqq. uſque ad num. 54.*

Et quid ſi ex inſtrumento obligationis, vel ex actu iudiciario ſuſceptionis cenſurarum iam legitimè fuerit irrogata excommunicatio, & ſic agatur de declaratione excommunicationis iam incurſa, num. 54. 55. & 56.

42 *Obligationis Cameralis practica antiqua hic relata, fuit abolita poſt Concilium Tridentinum, & reformationem Pii V.*

43 *Penſionarii declarari poſſunt excommunicati, etiamſi contra eos executio realis, vel perſonalis fieri poſſit, & num. 56.*

44 *Cenſuræ ſecundum ſtylum hodiernum obligationis Cameralis non ſunt relaxandæ contra reos, ſi fieri poſſit executio realis, vel perſonalis.*

45 *Pronomen,* ipſum, *eſt perſonaliſſimum, & demonſtrativum ad oculum.*

46 *Reis duobus inſolidum obligatis, creditor à quo maluerit poteſt debitum exigere.*

47 *Nec conventus poteſt opponere exceptionem diſcuſſionis, ut correus conveniatur.*

Declaratur, num. 53.

48 *Ordinario remedio quandiu locus eſſe poteſt, non eſt confugiendum ad extraordinarium.*

49 *Fideiuſſor excutiendus eſt prius, quàm deveniatur ad carcerationem principalis.*

50 *Confideiuſſoris facultates aggregatæ cenſentur, cùm quæritur, an ſolvendo ſit principalis fideiuſſor.*

51 *Excommunicationis ferendæ cauſa in obligatos in forma Cameræ eſt contumacia.*

52 *Iudex ſuum non tuum tibi denegat auxilium.*

53 *Iudex ſupplet ex officio, ubi vertitur periculum animarum.*

55 *Excommunicationis gladius ex Concilio Tridentino in ſubſidium eſt adhibendus, ubi agitur de excommunicatione ferenda; non autem ubi agitur de declaratione excommunicationis iam incurſa.*

56 *Tridentinum Concilium cap. 3. verſ.* In cauſis, *ſeſſ. 25. non habet locum in penſionariis vigore litterarum, quibus cavetur, ut lapſo termino ſententiam excommunicationis incurrant.*

57 Incurrat *verbum, importat excommunicationem ipſo iure.*

58 *Monitoria ad finem revelationis quoad ſubditos Abbatis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis petenda ſunt à Sede Apoſtolica.*

59 *Et quid ſi Abbas habeat dictam iuriſdictionem in una parte Diœceſis, ſed appellationes ab ipſo ad Epiſcopum interponantur, & num. ſeqq. uſque in fin.*

60 *Prælati inferiores habent iuriſdictionem in certa parte Diœceſis duplici modo.*

61 *Iiſque negligentibus an ſuccedat in eorum iuriſdictionem Papa, an Epiſcopus.*

62 *Papa eſt Iudex ordinarius exemptorum.*

63 *Prælatus inferior quomodo poſſit præſcribere iura Epiſcopalia in aliqua parte Diœceſis.*

64 *Appellatio ab inferiori Prælato ad Epiſcopum eſt effectus iuriſdictionis habitualis apud Epiſcopum remanentis.*

S*Acro*. Prælatus excommunicare non debet niſi moni- 1
tione præmiſſa, & ex manifeſta, & rationabili cauſa,
& contrafacienti pœna imponitur. Secundò punit ſubdi- 2
tum, qui falsò conqueritur ſe excommunicatum injuſtè.
Tertiò dicit quid juris ſi Prælatus dicens ſe erraſſe vult excommunicatum abſolvere, & adverſarius appellat. Secunda ibi, *rerum*. Tertia ibi, *ſi vero*, Joan. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Abb. Felin. & Mar. Soccin.

Nota ex hoc textu ſententiam excommunicationis dici 3
injuſtam tribus modis, de quibus plenè habetur *in cap. Epiſcopus, §. Si ergo, & cap. Non debet, §. Cum ergo, 11. q. 3. & in cap. Cum medicinalis, infrà eodem lib. 6.* & hic notant gloſſ. 3. Hoſt. *num.* 3. Joan. Andr. *num.* 14. Butr. *num.* 18. & alii communiter, Roman. *conſ.* 368. *circa primum num.* 13. *verſ. Quod autem*. Primò enim dicitur injuſta ex cauſa, ideſt quando non ſubeſt legitima, aut vera, ut patet in text. ibi, *abſque manifeſta, & rationabili cauſa*, & latiùs dicam infrà *num.* 5. 12. & 22. ſecundò ex animo, ſcilicet, quando fertur potius ad vindictam, quam ad correctionem: nam quod ſeverius caſtigare neceſſe eſt non plectatur ſævientis animo, ſed medentis, *cap. Odio, 86. diſtinct.* tertiò ex ordine, ſcilicet quando competens monitio non
præceſſit, ut in littera, & notant omnes in ſumm. text. ſi- 4
cut enim citatio prærequiritur ad aliàs ſententias, ita etiam
monitio ad ſententiam excommunicationis, quia excom- 5

Digitized by Google

municatio fertur propter contumaciæ perſeverantiam, *cap.*
Nemo, il ſecondo 11. *quæſt.* 3. & ibi Præpoſ. *num.* 3. *verſ.*
Item nota, quod nemo Abb. *ſuprà in hac rubrica num.* 1.
Felin. *hic num.* 7. unde monitio requiritur, ut à contuma-
6 cia deſiſtat; ut benè hic per Butrium *num.* 2. Dicitur au-
tem monitio competens, id eſt trina, *cap. de illicita*, 24.
quæſt. 3. *& cap. Contingit, il ſecondo, ſuprà eod. cum concor-*
dan. ibi poſitis in gloſſ. *in verb. Tertio*, & hic notant gloſ. 1.
Hoſtien. *in princip. in verb. Niſi competenti*, Butr. *num.* 20.
7 Si tamen Prælatus excommunicaret ſubditum unica tan-
tum monitione præmiſſa non incurreret pœnam hujus De-
cretalis, & quandoque expedit, ita fieri ſecundùm Inno-
cent. *hic num.* 1. *in verb. Admonitione*, argum. *cap. Tua*,
8 *ſuprà ut lit. non conteſt. & cap.* 1. *in fin.* 4. *quæſt.* 5. Quin-
mò ex cauſa monitio arbitraria eſt: quid enim ſi paratæ ſint
partes ad arma, & ad monitionem Epiſcopi ſupervenientis
nolunt à pugna deſiſtere; & ideò ad ipſos refrænandos ſta-
tim excommunicat omnes pugnantes: utique ab omni pœ-
na excuſabitur, argum. *l. æquiſſimum*, *ff. de uſufruct. cap.* 1.
ſuprà de treug. & pac. cap. Si quis contriſtatus, *& cap.*
ſeqq. 90. *diſtinct.* & notatur *in cap. Statuimus*, §. 1. *de*
offic. delegat lib. 6. & hic firmat Hoſtien. *in princip. verſ.*
Vel ex cauſa arbitraria, ſubdens, & alia multa poſſe afferri
exempla, in quibus una monitio ſufficit: plerumque enim
nec tempus, nec locus patitur plenius deliberandi conſi-
lium, *l.* 1. *reſ.* 1. *ff. de exercit. act. & ff. de damn. infect.* &
propterea hæc Decretalis cautè non dixit trina, ſed com-
petenti, quaſi dicat arbitraria, arg. *cap. fin. ſupr. de tran-*
ſact. Et cum Hoſt. concordat Felin. *hic num.* 4. ubi aliis re-
latis concludit Prælatum poſſe excommunicare non præ-
miſſa monitione, quando periculum eſt in mora. Et ſit
prima declaratio ad regulam hujus Decretalis.
9 Declaratur ſecundò, ut locum habeat ſi excommu-
nicatio feratur pro culpis præteritis: ſecus verò ſi pro cul-
pis futuris, quia tunc nulla requiritur monitio, ut hic
declarant Innocen. *num.* 1. Hoſtien. *eodem num.* qui ad hoc
allegat *cap. fin. in fin. ſupra de locat.* Joan. Andr. *num.* 2. &
Felin. *num.* 5. plenè Lapus *allegat.* 73. *Prælatus Regularis*
num. 1. *&* 2.
10 Declaratur tertiò, ut non procedat ſi exceſſus ſit noto-
rius, quia tunc nulla requiritur monitio. Ita poſt Innoc.
Hoſtien. Butr. & DD. concludit Felin. *hic num.* 3. *in* 1. *li-*
mitation.
11 Sed oppoſitum ex diametro determinat idem Innocent.
hic num. 1. dicens monitionem eſſe neceſſariam etiam in
notoriis, & in omnibus præteritis. Et eum totidem
verbis ſequuntur Hoſtien. *num.* 1. Joan. Andr. *num.* 2. Ar-
chid. *in cap. Indignè num.* 2. 12. *quæſt.* 2. & notat gloſ. 1.
in cap. Ecce, 24. *quæſt.* 3. ubi ait eſſe ibi argumentum
quod monitio requiritur etiam in notoriis. Item gloſſ. *in*
cap. De illicita in verb. Manifeſtorum eadem cauſ. & quæ-
ſtione, ubi ſimiliter ait eſſe ibi argumentum, quod in ma-
nifeſtis criminibus præcedit admonitio, Federic. de Senis
conſ. 11 incip. *Quæritur an excommunicatio num.* 10. *verſ.*
Quod quarto, dicens quantumcunque delictum ſit noto-
rium, nunquam poſſe aliquem propter hoc excommuni-
cari juſtè, niſi primo moneatur, ut ſatisfaciat.
12 Pro concordia, dicas hanc ultimam opinionem Innoc.
& ſequacium procedere ubi ſolùm delictum eſt notorium,
ſed non conſtat de contumacia: cùm enim excommunica-
tio ab homine feratur tantummodò contra perſeverantem
in contumacia, ut conſtat ex dictis ſuprà *num.* 5. ſemper
requiritur admonitio, ut à contumacia deſiſtat, quantum-
cunque delictum ſit notorium, ut probatur *in dict. cap. De*
illicita, 24. *qu.* 3. ubi delictum ſupponitur manifeſtum,
& tamen requiritur trina monitio, vel una pro omnibus
peremptoria, ut ſi parere noluerit adverſus eum quaſi in
contumacem judicari poſſit, ut dicitur in littera, ut notat
gloſſ. *in cap. Cum medicinalis*, *in verb. Cauſam*, *infrà eodem*
lib. 6. & ſic ponderatur contumacia, quæ ſurgit poſt moni-
tionem, licèt delictum ſit manifeſtum. Prima autem opi-
nio locum habet quando ipſa contumacia eſt notoria,
tunc enim ſupervacua eſt admonitio, *cap. Venerabilibus*, §.
Porro, ibi, *Secus autem ſi ſe contumacem confiteatur*, *vel*
aliàs de ſua contumacia conſtet, *de ſent. excomm. lib.* 6. & hic
junge, quæ ſcripſi *in cap. Cum ex injuncto num.* 42. *cum qua-*
tuor ſeqq. ſuprà de nov. oper. nunciat. & ad præſcripta vide
Aretinum *conſ.* 163. *num.* 9. *verſ. Et tamen iis non obſtan-*
tibus.

Declaratur quartò, niſi excommunicatio feratur ad ſui 13
juris defenſionem, quia tunc Prælatus poteſt vim propul-
ſare, & jus ſuum tueri armis ſpiritualibus, ut *c. Dilecto*,
infrà eod. lib. 6. nec ulla requiritur cauſæ cognitio, aut mo-
nitio, quia non procedit ut judex, ſed ut pars. Ita Innoc. *in*
cap. Venerabilis num. 4. *verſ. Quia illa habent*, & ibi etiam
Butr. *num.* 10. *verſ. Quarto ſupra de cenſib.* quos ſequitur Fe-
lin. *hic num.* 6. Lap. *d. allegat.* 73. *num.* 3. dixi plenè *in cap. Pro-*
curationis à num. 27. & præſertim *num.* 3. *de cenſib.*
Declaratur quintò in Prælato Regulari, quia ſi Mona- 14
chum excommunicat non præmiſſa monitione, & non in
ſcriptis non incidit in pœnam interdicti per menſem ab in-
greſſu Eccleſiæ, de qua *in hoc cap. Ut concludit*, Felin. *hic*
num. 7. allegando text. *in cap.* 1. *de ſent. excomm. lib.* 6. & Lap.
d. alleg. 73. ubi plenè.
Sed contrarium tenet idem Lap. *alleg.* 13. incip. *Hic con-* 15
cludit, ubi firmat Prælatum religioſum, qui excommuni-
cavit monitione non præmiſſa, non excuſari ab errore
juris, neque ab irregularitate, ſi ſic ſuſpenſus ignoranter
celebravit quia licèt excuſetur, tamen quoad extenuan-
dam gravitatem delicti, non quoad tollendum delictum
ex toto, *In* 1. *alleg.* Lap. videtur loqui de excommunica-
tione lata pro culpis futuris, in 2. verò pro culpis præ-
teritis.
Extra præſcriptos caſus, etſi qui ſint alii, non debet 16
quis excommunicari niſi monitione præmiſſa, & moni-
tio debet eſſe trina, vel una pro omnibus cum aliquot
dierum competentibus intervallis, ut eſt determinatum
in *cap. Conſtitutionem*, §. *Statuimus infra eod. tit. lib.* 6. & hic
notant Butr. *num.* 20. & Felin. *num.* 1. *ad hoc cap. De illi-*
cita, 24. *q.* 3. practicam ponit Covarr. in *cap. Alma mater*,
hoc tit. lib. 6. *part.* 1. *prælect.* §. 9. *num.* 5. videlicet, moneo te
ad hoc faciendum, vel non faciendum infra quindecim
dies, quorum quinque pro prima, quinque pro ſecun-
da, & reliquos quinque pro tertia monitione aſſigna-
mus.
Cæterùm ſi monitio præmittatur, non propterea excom- 17
municatio redditur nulla niſi in caſu *cap. Statuimus infra*
eod. lib. 6. videlicet cùm excommunicatio fertur in parti-
cipantes cum excommunicato, & ita intelligas gloſ. 2.
hic in fin. ibi: *Non tenet ſententia*, *ſi admonitio non præce-*
dat, ut *hic* declarat Felin. *num.* 2. poſt Joan. Andr. & alios
per eum allegatos, quibus addo Feder. de Sen. *d. conſ.* 11.
Quæritur an excommunicatio, *num.* 1. *&* 7. *verſ. Et per hoc*
tolluntur, & alii in reſponſione ipſius Federic. *ibi num.* 10.
quibus in locis firmat excommunicationem latam non præ-
miſſa trina monitione non eſſe nullam, ſed injuſtam, &
ideò timendam; quod etiam tenent Domini de Rota
deciſ. 7. *num.* 1. *de ſent. excommun. in novis*. Hactenus de
injuſtitia excommunicationis ex cauſa, ex animo, & ex or-
dine in terminis juris communis.
Se de jure noviſſimo Concilii Tridentini hæc tria non 18
ſufficiunt, ſed requiritur ut excommunicatio in ſubſi-
dium feratur: nam Sancta Synodus animadvertens ex-
communicationis gladium ſi temerè, aut levibus ex re-
bus incutiatur, magis contemni, quam formidari, præ-
cepit omnibus judicibus eccleſiaſticis, ut in cauſis civi-
libus abſtineant ſe à cenſuris, ubi executio realis, vel
perſonalis propria auctoritate ab ipſis fieri poterit: quod
ſi hujuſmodi executio non poſſit fieri, ſitque erga judi-
cem contumacia, tunc eos etiam anathemate arbitrio
ſuo ferire poſſit. Sed & in cauſis criminalibus ita demum
cenſuris uti liceat, ſi executioni reali, vel perſonali facilè
locus eſſe non poſſit, & delicti qualitas præcedente bina
ſaltem monitione etiam per edictum id poſtulet, ut in *cap.* 3.
ſeſſ. 25. *de reformat.*
Ex hoc contextu collige primò tria requiſita ad hoc, ut 19
quis poſſit juſtè excommunicari. Primum eſt, ut præce-
dat monitio ſaltem bina, & ita hac in parte receditur à
diſpoſitione juris communis, quod regulariter trinam
requirebat, vel unam pro omnibus cum competenti-
bus dierum intervallis, ut oſtenſum eſt ſupra *numer.* 6.
& 16. Item ex Concilio ſufficit monitio etiam per edi- 20
ctum; cùm tamen de jure veteri debeat fieri perſonali-
ter, ut determinat Innoc. in *cap. Si adverſarius*, *num.* 1.
verſ. Eſt enim ſemper citandus, *ſupra de eo, qui mitt. in*
poſſ. cauſ. re. ſervan. Rota *deciſ.* 28. *numer.* 5. *de appell.*
in antiq. niſi in quatuor caſibus. Primus, quando ex- 21
communicatus latitat, vel in fraudem ſe abſentat,

Digitized by Google

Rota *in novis deciſ.* 11. *in fin. de dol. & contum.* Secundus, quando ſemel fuit citatus perſonaliter, ut *in deciſ. unica de feriis in novis*. Tertius, quando monitio, vel citatio ad domum pervenit ad notitiam citati. Quartus, quando fuit malè abſolutus, & agitur de reincidentia, Rota *deciſ.* 7. *de ſent. excomm, in novis*, Covar. *in cap. Alma mater in* 1. *part. relect.* §. 9. *numero* 4. *hoc tit. lib.* 6.

22 Secundùm requiſitum, quod eligitur ex Concilio *in dict. cap.* 3. *ſeſſ.* 25. ad hoc ut quis poſſit juſtè excommunicari pro cauſa civili, eſt contumacia, ut patet ibi, ſitque contra judicem contumacia, veluti ſi peremptoriè citatus coram judice renuit comparere, de juſtitia reſponſurus; vel quia juſſus, ut infrà talem diem centum Titio ſolveret, ad quæ illi ex cauſa depoſiti tenebatur, facere recuſavit, ut declarat gloſ. *in cap. Cum medicinalis*, *in verb. Cauſam*, *de ſenten. excomm. lib.* 6. quod & jure veteri ſancitum erat, ut *cap. Nemo, il ſecondo* 11. *quaſt.* 3. *cap. De*
23 *illicita* 24. *quaſt.* 3. & dictum eſt ſupra *num.* 5. & 12. Et in cauſis criminalibus præter contumaciam exigitur, ut delicti qualitas id poſtulet, & meritò, quia pœna excommunicationis nulla eſt major in Eccleſia, *cap. Corripiantur*,
24 24. *quaſt.* 3. & *quaſt.* 1. *cap. Non affirmamus*. Illa enim ſeparat à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, *cap. penult. infra eod.* & *cap. Engeltrudam quaſt.* 4. gloſ. 3. *hic in verb. Tantam infligere pœnam*, & ideò non infligitur niſi pro culpa mortali cum contumacia, *d. cap. Nemo il ſecondo*, 11. *quaſt.* 3. Capella Tholoſan. *deciſ.* 298.

25 Tertium requiſitum eſt, ut cenſura in ſubſidium feratur, ſcilicet ubi fieri non poteſt executio realis, vel perſonalis ſive cauſæ ſint civiles, ſive criminales, quòd jure communi cautum non erat, quin potiùs ordine inverſo primò utendum erat gladio excommunicationis, eòque non proficiente in ſubſidium deveniendum erat ad capturam, ſeu perſonalem diſtrictionem, ut *cap. Odoardus*, & ibi Abb. *in* 1. & 2. *notab. de ſolution.* dixi *in cap. Licet*, *num.* 22. *de pœnis*.

26 Verumtamen ſacra Congregatio ejuſdem Concilii Interpres conſulta, an excommunicationes latæ ab Epiſcopo non ſervata forma *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de reform.* ſint ipſo jure nullæ, vel invalidæ, reſpondit eſſe validas, & excommunicatum indigere abſolutione, per ea quæ tradit Abb. poſt gloſ. *in cap.* 1. *de exceſſ. Prælat.* & Felin. *in cap. Rodulphus n.* 76. *de reſcript.* excommunicationem latam ſine citatione, vel monitione, vel ejus ordine non ſervato, tenere, quamvis injuſta ſit.

27 Deinde collige ex præcitato *cap.* 3. §. *Sane*, *ſeſſ.* 25. excommunicationis materiam, & illius cognitionem ad Eccleſiaſticos judices pertinere privativè ad judices laicos: *ad idem cap. Corripiantur*, cum gloſs. 1. 24. *quaſt.* 3. *cap.*
28 *Cum ab Eccleſiarum*, ubi etiam gloſ. 1. *ſupra de Offic. Ordin.* nam excommunicatio mucro Epiſcopi dicitur, gladius Eccleſiaſticus, ſpiritualis defenſio & nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, *cap. Viſis*, 16. *quaſt.* 2. & *cap. Dilecto*, *de ſent. excommunic. l.* 6. cujuſque uſum fuiſſe in Eccleſia, & temporibus Apoſtolorum patet ex verb. *Matth.* 28. *Si autem Eccleſia non audierit*, &c. & 1. *ad Corint.* 5. cujus
29 etiam meminit Cyprianus in hæc verba: *Interfici juſſit Deus Sacerdotibus ſuis non obtemperantes judicibus a ſe ad tempus conſtitutis obedientes; & tunc quidem gladio occidi debent, quando & circumciſio carnalis manebat: nunc autem quia circumciſio ſpiritualis eſſe ad fideles ſervos Dei cœgit ſpirituali gladio ſuperbi, & contumaces necantur, dum de Eccleſia eiiciuntur: neque enim vivere foris poſſunt, cùm domus Dei una ſit, & nemini ſalus niſi*
30 *in Eccleſia eſſe poſſit*. Hæc ille. Quamobrem Sanctæ Synodus ne magiſtratus ſæculares ex eo decreto anſam arriperent ſibi aliquam juriſdictionem vindicandi in materia excommunicationis providè ſtatuit per hæc formalia verba: *Nefas autem ſit*, ideſt ut Droſæus ait in methodo juris, impium, & execrabile, de quo ne fari quidem liceat *ſæculari cuilibet magiſtratui prohibere eccleſiaſtico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet ſub prætextu, quod contenta in præſenti Decreto non ſint obſervata, cùm non ad ſæculares, ſed ad eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat*. Hæc ibi.

31 Sed nihilominus cùm in Curia Parlamenti Dolenſis relatum eſſet à Regis Secretario, quod Concil. Tridentini decretis interdictus, & prohibitus erat uſus gladii excommunicationis pro contumacia, & executione ſententiarum eccleſiaſticarum quotieſcumque executio realis, vel perſonalis fieri poſſit, & quod ejus Majeſtas, ut tam ſancto Decreto effectum daret, voluerat ut omnes ſententiæ eccleſiaſticorum judicum, quæ ipſo jure deberent exequutioni mandari, non obſtante appellatione, ſuſpendantur, donec obtentum ſit mandatum in Curia dicti Parlamenti, in qua declarabitur an ſit locus executioni reali, vel perſonali. Prohibuit Senatus Curiæ, ne aliqui ſe cenſuris non ſervata dicta forma laceſſerent ſub pœnis, &c. Sacra Congregatio Concilii cenſuit hoc Decretum convellere juriſdictionem eccleſiaſticam contra Canones veteres, contra Concilium, quod dedit hoc arbitrium Epiſcopis, contra Bullam Cœnæ Domini, quæ eos excommunicat, qui quomodolibet impediunt juriſdictionem eccleſiaſticam: Regem autem, vel Senatum non potuiſſe ſibi quicquam juriſdictionis vindicare in materia excommunicationis: Si qui autem in ea abuſus irrepſerint, debuiſſe, conſulere Pontificem, ad quem ſolùm ſpectat tollere eos: ideò Cardinales Urſinus, & Senonenſis cenſuerunt mittendum Nuncium ad Regem: cæteri verò ne detegatur hoc negocium, & aliis de cauſis ſcribendum ad Nuncium ut alloquatur Regem cum informatione plena, quæ à Congregatione firmabitur, in qua adducantur rationes, quod hoc eſt contra Canones, contra Bullam Cœnæ Domini, contra ſervitium Dei, ſalutem illarum animarum, contra publicam utilitatem illius provinciæ, contra etiam privatum intereſſe ipſius Regis, quia hac via ei ſubtrahitur obedientia Regni, quia Hugonotti nihil aliud affectant, quàm evertere poteſtatem Epiſcoporum Catholicorum. Ideòque inſtet omninò, & jubeat revocari hoc edictum, & aboleri, & abradi de libris, in quibus ſcriptum eſt: quod ſi rex ſe difficilem oſtendens, dicat expreſsè, Sanctiſſimum ſi viderit Regem non providiſſe, coactum iri exercere poteſtatem ſpiritualem contra Senatum Dolenſem.

Rationes autem, quibus mota eſt Congregatio ſeparatim ſunt adnotatæ manu Cardinalis Alciati in hanc formam.

Tota materia excommunicationis eſt ſolius judicis 32
eccleſiaſtici, *cap. Corripiantur*, ubi gloſ. 24. *quaſt.* 3. & *cap. Cum ab Eccleſiarum*, ubi gloſ. *de offic. Ordin.* Abb. *in rubr. de ſentent. excommunicat. num.* 3. & quando excommunicatio minus ritè, rectève lata eſt ab ipſo judice eccleſiaſtico, ad ſolùm Superiorem eccleſiaſticum pertinet hos errores corrigere, *cap. Per tuas*, *cap. Sacro*, *de*
ſentent. excommunicat. ubi Abb. Idque præcipuè dicen- 33
dum ſi facta ſit contra formam Decretorum Concilii, quorum obſervandorum cura mandata eſt tantùm Epiſcopis, & aliis Prælatis eccleſiaſticis: Reges autem, & alii Principes tantùm ſunt moniti, ut ad ea exequenda Prælatis, cùm opus fuerit, auxilio ſuo adſint; & ſi quid in hoc difficultatis emerſerit, conſulendus eſt Summus Romanus Pontifex, ut Decreto ejuſdem Concilii ſancitum eſt *ſeſſ.* 25. *tit. de recip. & obſervand.* Propterea Concilium *d. cap.* 3. dicit, quòd ſi executio realis, vel perſonalis hac ratione, ideſt propria auctoritate, & per proprios executores à judicibus eccleſiaſticis fieri non poterit, tunc anathemate ferire poſſunt: Ergo non hac forma, & modo, quo ſententiæ Regiæ. Item, hæc cognitio, & juriſdictio data eſt ab eodem Concilio judicibus eccleſiaſticis, etiam contra laicos, ut legitur *dict. cap.* 3. ibi: *Liceat eis in cauſis civilibus ad forum eccleſiaſticum contra quoſcumque etiam laicos*, unde hæc manifeſta eſt uſurpatio eccleſiaſticæ juriſdictionis, propter quam uſurpantes incurrunt excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ Domini, ut per Summa Angel. *in verb. Excommunicatio V. caſu* 28.

QUÆRO, An ſi judex velit excommunicare con- 34
tumaces ex *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. Trident. Concil. ſit neceſſarium, ut conſtet ex actis realem, vel perſonalem executionem fieri non poſſe, an verò ſufficiat id extrajudicium liquere.

Excommunicatio, quæ eſt pœnarum graviſſima, *c. Cor-* 35
ripiantur 24. *q.* 3. à S. Synodo *d. c.* 3. *verſ. ſed liceat*, tunc demum à judice ferri permittitur in contumaces, cùm nulla alia illis remedia proſunt: nec enim ſeveriora ſunt adhibenda, cùm leviora ſufficiunt, S. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 18. Tabiena *in verb. Excommunicatio* 1. *num.* 3. *verſ. Utrum excommunica-*

nicatio poſſit infligi: itaque ſi poſſet adverſus reos fieri realis, vel perſonalis executio, non eſſet deveniendum ad excommunicationem, ut *in dict. cap. 3. verſ. Quod ſi executio*: non eſſe autem locum reali, vel perſonali executioni, videtur neceſſarium, ut conſtet ex actis, ad hoc ut judex ritè adhibere valeat excommunicationis remedium.

36 Primò enim judex ex ſeipſo nihil judicare debet, ſed ex auditis, viſiſque apud acta judiciorum, ut colligitur ex *c. Judicet*, 3. *quæſt.* 7. & ſententiam ferre tenetur ex allegatis in judicio, & probatis, & quę ſibi ut judici nota ſunt, non autem ex his, quæ privatim, & extra judicium cognovit, gloſſ. *in cap. 1. de offic. Ordin. in verb. ſecundum quod Canones*, Bart. *in l. 1. num. 4. Cod. Ut quæ deſ. advoc. partium iud. ſup.* Federic. de Sen. *conſ.* 21. *Numquid heres n. 2.* Covarr. *lib. 1. variar. reſol. cap. 1. num. 1.* & ſcripſi plenius *in cap. Canonum ſtatuta à num. 52. ſupra de conſtit.*

37 Secundò etiam notoria, quæ nulla indigent probatione, *cap. De manifeſta*, 2. *quæſt.* 1. *cap. Evidentia, de accuſat. l. 1. ff. de in integr. reſtit.* tamen debet conſtare judici, ut judici ex actis eſſe notoria, Felin. *in cap. Paſtoralis num. 23. verſ. Limita primo, de offic. Ordin.* ergo longè magis debebit conſtare judicialiter non poſſe fieri realem, vel perſonalem executionem, ut judex poſſit devenire ad cenſuras.

38 Tertiò ubicumque non licet procedere ad actum, niſi aliqua præcedant, conſtare debet illa præceſſiſſe, ut actus geri validè poſſit, nec ſtatur aſſertioni agentis, ſicut probat Alexan. *conſ.* 101. *num. 6. vol. 1.* ubi ait non ſtari aſſertioni Principis alicujus bona ob rebellionem publicantis, niſi de rebellione, vel cauſa ingratitudinis conſtet: cùm enim præcedere debeat cauſa, ob quam uti rebellis condemnetur, non creditur Principi de cauſa, niſi aliter conſtet, quàm per ejus aſſertionem, ut notat DD. *in l. Si forte, ff. de Caſtr. pec.* Itaque cùm judex in caſu noſtro ad cenſuras procedere non poſſit, niſi cùm locus non fuerit reali, vel perſonali executioni conſequitur debere id conſtare in judicio legitimè, nec ejus aſſertioni eſſe quoad hoc fidem adhibendam.

39 Quartò hanc opinionem confirmant verba *dict. cap.* 3. in quo excommunicationes illæ, quę ad finem revelationis decernuntur penitus relinquuntur arbitrio judicis. At in cauſis judicialibus vult omnia remedia tentari, nec niſi in ſubſidium ad cenſuras aditum patere, unde colligitur non ſat habuiſſe Patres, ut extra judicium ſciret judex cætera remedia non prodeſse: nam potuiſsent etiam in hoc judicis arbitrium tribuere ſicut in ſuperiori fecerunt.

40 Et ita in tribunali Auditoris Cameræ uſus obtinuit: nec enim ibi aliter decernuntur cenſuræ, quam ſi ex legitimis probationibus apud acta conſtet non eſſe locum reali, vel perſonali executioni.

Quare propoſito dubio, an ſi judex deficientibus cæteris remediis velit excommunicare contumaces ex decreto *c. 3. ſeſſ. 25. verſ. Quod ſi executio*, neceſſarium ſit, ut ex actis conſtet realem, vel perſonalem executionem fieri non poſſe; an verò ſufficiat hoc extra judicium liquere: S. Congregatio cenſuit non ſofficere, ſed neceſsarium eſse, ut conſtet ex actis per relationem Nuncii.

41 Secundò QUÆRO, ſi duo ſint inſolidum obligati in forma Camerę pro eodem debito, & contra unum tantùm poſſit deveniri ad executionem realem, vel perſonalem, an contra alterum, adverſus quem non poteſt fieri executio realis, vel perſonalis, poſſint ad inſtantiam creditoris in ſubſidium relaxari cenſuræ.

42 Præmittendum eſt, Primò poſt Concilium Trident. & reformationem Pii V. practicam in obligationibus Cameralibus, de qua per Galeſ. *ad 2. par. qu. 3. fol. 8.* ſecundùm parvam impreſſionem abolitam eſse: Nam prius debitor confitebatur debitum coram judice, & judex ex tunc condemnabat eum abſolvendum creditori, & conſentiente debitore ferebat excommunicationem ſub conditione niſi ſatisfaceret in termino, & tunc elapſu termino erat excommunicatus ſine alia monitione. Hodie juxta reformationem Pii V. judex præſenti, & ſe obliganti præcipit, ut die certa ſolvat, monens ſi ea die ſponte non ſolverit, nulla exindè facta perſonali citatione ad executionem contra ipſum procedet, & in ſubſidium ubi executio realis, vel perſonalis facilè fieri non poterit, in ipſum tanquam contumacem, contemptoremque ſui præcepti excommunicationem decernet, ut in Bulla 113. Pii V. incip. *Inter illa*, in Bullar. *tomo 2. pag.* 318. unde infertur, ut etiamſi ſuſceptio cenſurarum validè proceſserit coram judice competenti, non propterea cenſeatur ulla irrogata excommunicatio, ſed dumtaxat præſtitus conſenſus excommunicationi ferendæ.

Deindè præmittendum ſecundùm formam antiquam non eſse locum quæſtioni, quia cùm ſupponatur lata ſententia excommunicationis, ſolùm ſupereſt ejus publicatio ad effectum, ut excommunicatus evitetur ſecundùm ea, quæ ponit Galeſ. *ubi ſuprà*, de proceſsu ipſo *fol.* 251. *cum ſeq.* qua ratione S. Congregatio Concilii declaravit cum penſionariis non eſse neceſsariò ſervandam diligentiam, quam requirit Concil. *c. 3. ſeſſ.* 25. hi enim vigore clauſulæ in litteris Apoſtolicis inſertę elapſo termino ſententiam excommunicationis incurrunt, nec agitur ampliùs de illis excommunicandis, ſed tantùm de declaratoria in eos ferenda. 43

Tertiò, Præmittendum ſtante ſuſceptione cenſurarum, præcepto, & monitione ſecundùm ſtylum hodiernum, cenſuras non eſse relaxandas, ubicumque ex mente Concilii *dict. cap.* 3. executio realis, vel perſonalis fieri poteſt. Siquidem reformatio obligationis Cameralis ab ipſo Concilii decretum manavit; ac proindè excommunicatio in ſubſidium decernitur, & adhuc ipſius judicis arbitrio relinquitur per Concil. *dict. cap. 3. in verſ. Quod ſi executio*, ibi, *Tunc etiam anathematis mucrone arbitrio ſuo præter alias pœnas ferire poterit*, juncta *l. Non quicquid, de iudic.* 44

His præmiſſis cenſuras de rigore relaxari poſse in reum, contra quem executio realis, vel perſonalis fieri non poteſt, etiamſi alter reus ſimiliter in ſolidum obligatus ſolvendo ſit, & contra eum executio facilis ſit, videtur ſuaderi poſse ex infraſcriptis.

Primò, quia quando duo ſunt obligati inſolidum, ſunt etiam duę principales obligationes paris poteſtatis, *l. Si reus, & l. Eadem in fine, de duob. reis*, nec una dependet ab altera: Ergo concurrentibus in unum requiſitis a Concilio, & ſecundùm formam obligationis, cenſurarum relaxatio fieri poterit contra eundem. Requiſita a Concilio adſunt, quia ſupponitur contra eum executionem fieri non poſse. Item adeſt debitum, obligatio Cameræ, præceptum judicis, & monitio contra ipſum facta, necnon ipſius contumacia. Quare ſi pœna delicti tenere debet authorem, *l. Sancimus, Cod. de pœnis*, excommunicatio huic debita eſt ponderando pronomen, *ipſum, in dict. cap.* 3. appoſitum, quod eſt perſonaliſſimum, & demonſtrativum ad oculum, ut Bald. ait *in conſ. 304. Nobilis vir num. 1. in fin. vol. 5.* Soccin. jun. *conſ.* 144. *num. 14 vol. 3.* 45

Secundò ubi ſunt plures rei creditor poteſt exigere debitum à quo voluerit, *l. 2. Cod. de duob. reis*, nec auferenda ei eſt hæc electio, *l. Exprimere, eodem tit.* At auferretur, ſi omiſsa via cenſurarum contra unum, teneretur invitus alium excutere, ergo, &c. 46

Tertiò ipſe reus conventus utpotè principalis, non poteſt opponere exceptionem diſcuſſionis, ut correus conveniatur, Alex. *conſ. 32. num. 12. vol. 4.* Gabr. *comm. concl. lib. 3. de fideiuſſ. concl. 7. num. 84. & num. 99. & concl. 2. in fin.* Ergo neque judex. 47

Quibus tamen non obſtantibus æquius videtur, & proprius ad mentem Concilii, ut quandiu alter correus ſolvendo eſt, & contra eum executio fieri poteſt, abſtineat judex à cenſuris contra alterum. Primò, quia cùm re inſpecta una tantùm ſit obligatio correorum, *l. 3. §. Ubi duo, eod. tit. & actio*, quæ ex obligatione oritur, ſit jus proſequendi quod ſibi debetur, *inſtit. de action. in princ.* ſufficere debet creditori, ut à quocunque ſibi obligato debitum conſequi poſſit, ut ab actione ſubſidiaria, quæ ultimum affert præſidium, excludatur, argum. §. *Sciendum, inſtit. de ſatiſd. tutor.* Ergo ſimiliter judex abſtinebit à cenſuris, quæ dumtaxat in ſubſidium decernuntur etiam in vim obligationis Cameralis.

Confirmantur, quia acceptio plurium reorum eſt remedium proviſum ab homine, & excommunicatio eſt remedium juris: Ergo quandiu poteſt eſse locus remedio ordinario, non eſt confugiendum ad extraordinarium, Bart. *in l. 3. in princ. de nov. oper. nunc.* 48

Secundò, antequam ad carcerationem debitoris perveniatur, excutiendus eſt etiam fidejuſsor, Roman. *conſ.* 320. *in princ.* ergo antequam innodetur vinculo excommunicationis unus reus, alterius rei facultates excu[illegible] 49

etunt

50 erunt. Facit quia Confidejuſſoris facultates aggregatæ cen-
ſentur, quando quæritur, an ſolvendo ſit principalis fide-
juſſor, *l. Si plures*, §. *Præterea*, *de fidejuſſor.* juncto, quod
ubi ſunt duo correi, partes quoque a ſingulis peti poſſunt,
quemadmodum a reo, & à fidejuſſore, *l. 3. de duobus reis.*
Tertio, Per Concilium quandocumque in una cauſa
poteſt aliter fieri executio contra reos, à cenſuris abſtinen-
dum eſt, d. *cap. 3.* §. *In cauſis verò*. At quando pro eodem
debito duo ſunt obligati in ſolidum, una cauſa eſt, & una
obligatio: ergo non poteſt non iniquum videri, ut uno
ſuſtinente cenſuras, nihilominus fiat, ſeu fieri poſſit pro
eodem debito executio contra alterum.
Non obſtat, quod videatur auferri electio creditori, &
quodammodo id, quod inductum eſt in ejus favorem, in
odium retorqueatur, quatenus cogitur exigere ab eo, à
51 quo fortè nollet. Quia advertendum eſt proviſionem, ſeu
pactum hominis non eſſe cauſam hujus excommunicatio-
nis, ſed contumaciam, & delictum ſpreti præcepti judi-
cis, ad tradita per DD. in *cap. P. G. de off. deleg.* & declarat
52 Galeſ. *in 2. par. q. 3. fol.* 83. unde judex denegando hoc ca-
ſu excommunicationem, ſuum non tuum tibi denegat au-
xilium, juxta dictum gloſſæ in *l. Sive apud acta*, *in verb.
Pacto*, *C. de tranſact. tex. in l. Ex aſſe*, *ff. ad Trebell.* Non
53 obſtat, quod ipſe reus non poteſt opponere hujuſmodi ex-
ceptionem, quia judex ſupplet ex officio ſuo, prout ſæpè
facere debet, maximè ubi vertitur periculum animarum,
ad notata per Abb. in *cap. In litteris*, *in princip. de reſtitut.
ſpoliat.* Non obſtat, quod Concilium in verbis nihil diſpo-
nat expreſsè hoc caſu, quia ſatis oſtendit in ſua ratione,
quid obſervandum, & quanta cum circumſpectione hoc
remedio utendum ſit, cui concordat forma obligationis,
ſecundùm quam ad cenſuras non devenitur, niſi in ſubſi-
dium, & ita reſolutum, ut in ſubjecta declaratione videli-
cet. Præſuppoſito quod ſint duo inſolidum obligati in for-
ma Cameræ pro eodem debito, & quod contra unum tan-
tùm poſſit deveniri ad executionem realem, vel perſona-
lem: An contra alterum, contra quem non poteſt fieri e-
xecutio realis vel perſonalis, poſſint ad inſtantiam credito-
ris in ſubſidium relaxari cenſuræ: Sacra Congregatio cen-
ſuit non poſſe.
54 Quæ deciſio videtur intelligenda juxta noviſſimam for-
mulam obligationis in forma Cameræ præſcriptam Conſti-
tutione Pii V. ſecundum quam non irrogantur cenſuræ ni-
ſi in ſubſidium. Quod ſi obligatio contineret præceptum
de ſolvendo ſub pœna excommunicationis ipſo jure juxta
antiquam formulam, ſecus eſſet, ut declaratur ex ſequen-
ti deciſione, edita tempore Cardinalis Alciati.
55 Cùm Titius, & Mævius eſſent obligati inſolidum, &
in forma Cameræ ad ſolvendum Sempronio certam pecu-
niarum quantitatem, & Titius ſolvendo non eſſet, Sem-
pronius contra eum ad cenſuras procedere volebat. Sed
cùm Mævius dives Sempronio ſatisfacere poſſet, fuit dubi-
tatum an Conc. 3. *ſeſſ. 25. In cauſis*, obſtaret Sempronio,
ut contra Titium ad cenſuras procedere non poſſet ex eo,
quod poterat ſibi à Mævio correo ſatisfieri. Cùm viſum
eſſet Inſtrumentum obligationis, in quo erat clauſula,
quod lapſo termino incurrat excommunicationem, ut in
penſionariis: Sac. Congregatio dixit, quod ſi ex inſtru-
mento obligationis in forma Cameræ, vel ex actu judicia-
rio ſuſceptionis cenſurarum appareat, quod validè, & ab
habente poteſtatem fuerit jam irrogata excommunicatio,
ita ut nunc agatur de irroganda excommunicatione, ſed de
declarandi tantùm, jam irrogatam fuiſſe legitimè; ſicque
ſit declaratio excommunicationis jam incurſæ: non intra-
re tunc decretum Concilii. Quod ſi nulla excommunica-
tio facta jam appareat, tunc intrare Concilium, & locum
habere, ut ſcilicet non imponatur excommunicatio Titio,
ſi aliunde poteſt creditor ſuum conſequi, adjiciendum erit,
quod etiam ſuſceptio cenſurarum valida fuiſſet, non ta-
men eſt excommunicatio facta, ſed ſolùm præſtitus con-
ſenſus excommunicationi faciendæ à judice: & ideò ſi
nondum facit judex, & creditori poſſit aliunde ſatisfieri,
debebit abſtinere; & ita elicitur ex praxi, quæ ſervatur in
ſuſceptione cenſurarum, ut fiat per menſem diligentia, ſi
aliunde, &c. & poſteà relaxatur mandatum.
Tertiò, QUÆRO, an *cap. 3. ſeſſ. 25.* Trident. Conc. 56
verſ. In Cauſis, procedat in penſionariis vigore litterarum
Apoſtolicarum, quibus inſerta ſunt illa verba, *elapſo ter-
mino*, ſententiam excommunicationis incurrat.
Ad hoc dubium Sac. Congregatio reſpondit, non pro- 57
cedere, quia cùm verb. *Incurrat*, importet excommunica-
tionem ipſo jure, Tiraquell. in *l. Si unquam*, *in verſ. Re-
vertatur*, *nu. 145. & 146. C. de revoc. donationib.* lata jam
à Papa ſententia, Auditor Cameræ, & quilibet alius in-
ferior non poteſt non exequi ſententiam, & licèt Conci-
lium dicat in procedendo, intelligitur quando judex ex ſe
procederet, non quando Papa jam excommunicavit.
Quartò, QUÆRO, Poſita deciſione Sacræ Congrega- 58
tionis, qua declaratum fuit jus decernendi excommunica-
tionis, quæ pro rebus deperditis, vel ſubtractis ferri ſo-
lent, quoad ſubditos Abbatis exempti, & juriſdictionem
quaſi Epiſcopalem habentis non pertinere ad Epiſcopum,
ſed adeundam eſſe Sedem Apoſtolicam.
An hæc deciſio procedat in caſo, quo Abbas habeat qui- 59
dem juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in certa parte diœce-
ſis, ſed appellationes ab eo ad Epiſcopum interponantur.
Videtur reſpondendum non procedere: nam inferior E- 60
piſcopo poteſt habere juriſdictionem in certa parte diœceſis
duplici modo prout nulla juriſdictio penes Epiſcopum re-
maneat neque actu, neque habitu, ut ſi ſit exemptus, &
immediatè ſubjectus Papæ, quo caſu data negligentia, vel 61
impotentia ipſius, non ſuccedit in juriſdictione Epiſcopus,
ſed Papa, Abbas in *cap. Grave*, *ad fin.* per illum text. *de off.
Ordin.* Felin. in *cap. Irrefragabili*, *in princ. verſ. Declarat
prædicta*, *eod. tit.* Et hoc caſu propriè procedit deciſio Con-
gregationis: nam cùm Concilium ademerit inferioribus
jus decernendi hujuſmodi excommunicationes, in caſu
impotentiæ illorum non debet ſuccedere Epiſcopus nullam
habens in eorum ſubditos juriſdictionem neque in actu,
neque in habitu, ſed Papa, qui eſt judex ordinarius exem- 62
ptorum, Doctores in *cap. Si Papa*, *eod. tit. & lib.* gloſ. in
cap. Auctoritate, *in verb. Sedis Apoſtolicæ*, *de privil. lib. 6.*
Secundò modo inferior poteſt habere juriſdictionem a-
ctu, ita ut habitu remaneat penes Epiſcopum, ut puta
per privilegium, quod tribuat huic inferiori juriſdictio-
nem, ſed eum non ſubjiciat immediatè Papæ, vel ſi hic in-
ferior non habeat privilegium, ſed per præſcriptionem ac- 63
quiſiverit juriſdictionem in certa parte diœceſis, quo caſu
non poteſt eam ita præſcripſiſſe, ut conſtituat caput in ea-
dem diœceſis parte, cùm una diœceſis non poſſit habere
duo capita, ſed ita potuit acquiſiviſſe, ut ipſe ſit ſub Epi-
ſcopo, & Epiſcopus habeat univerſalem juriſdictionem
habitu, ſecundum opinionem Hoſt. & Ant. de Butr. in
cap. Cum contingat, *de foro competen.* quam ibi ſequuntur
Abb. *num. 18.* Felin d. *cap. Irrefragabili*, *in princ.* Bald. *de
præſcript. in 1. par. 5. partis princ. q. 11. nu. 9.* Rota *dec. 114.
num. 1. & 2.* In hoc ſecundo caſu cùm Concilium ademerit
hujuſmodi inferiori jus decernendi excommunicationes ad
effectum revelationis, illud videtur pertinere ad Epiſcopum,
& non eſſe neceſſe adire Sedem Apoſtolicam: nam hoc ca-
ſu juriſdictio habitualis, quæ eſt penes Epiſcopum opera-
tur, ut cùm inferioribus vel non vult, vel non poteſt exer-
cere juriſdictionem, in ea Epiſcopus ſuccedat, & habitus
reducatur ad actum, Abb. d. *cap. Cum contingat*, *num. 13.
& in cap. Cæterùm*, *nu. 5. de judiciis*, Bald. *ubi ſuprà*. Nos
verſamur in ſecundo caſu, quo juriſdictio habitualis eſt pe-
nes Epiſcopum, quia ut in dubio ſupponitur ab inferiori ha- 64
bente juriſdictionem in certa parte diœceſis ad Epiſcopum
appellatur, qui recenſetur a DD. inter alios effectus juriſ-
dictionis habitualis apud Epiſcopum remanentis, ut per
Abb. in d. *cap. Cum contingat*, *nu. 1.* Felin. & Bald. in lo-
cis ſupracitatis, & ex conſequenti adempta ei per Con-
cilium juriſdictione hujuſmodi excommunicatione decer-
nendi in illo jure Epiſcopus ſuccedit.

Digitized by Google

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Gregorius IX,

C A P U T LIV.

CUm voluntate ac propoſito maleficia diſtinguantur, excommunicationis ſententiam non incurrit, qui excommunicato, in his quæ ad abſolutionem, vel aliàs ad ſalutem animæ pertinent, in locutione participat, licèt etiam alia verba incidenter (ut apud eum magis proficiat) interponat.

Prædicatores quoque, qui penes excommunicatos, vel alios alienarum rerum detentores, in prædicationibus & confeſſionibus quaſi gerunt cauſam [vel curam] eorum, ad quos res ipſæ ſpectare noſcuntur, eleemoſynas licitè poſſunt ab illis recipere; præſertim ſi aliàs non valeant in illo loco ſuſtentationem habere.

Si qui verò ratione officii, quod in Eccleſia obtinent, aut etiam alii Clerici ſeniores zelo devotionis, pueros vel adoleſcentes in minoribus Ordinibus conſtitutos turbantes divinum officium, & hi qui obtentu Prælationis vel magiſterii, ſubditos & ſcholares correctionis cauſa leviter fortè percuſſerint, excommunicàtionis ſententiam non incurrunt. Quod & de his dicendum eſt, qui aliquos de familia ſua, vel propinquos inferiorum graduum ſimili modo, ut cohibeantur à ſuis inſolentiis, & ſcientia boniſque moribus informentur, duxerint corrigendos.

S V M M A R I V M.

1 *EXcommunicatum alloquens in his, quæ pertinent ad ſalutem, etiamſi alia verba interponat, excommunicatus non eſt, & num. 8.*
2 *Prædicatores, præſertim qui aliter ſuſtentari non poſſunt, ab excommunicatis, & detinentibus aliena poſſunt eleemoſynam recipere, & nu. 12.*
3 *Voluntate, & propoſito maleficia diſtinguuntur.*
4 *Meretricem ancillam alienam recipiens furti non tenetur.*
5 *In delictis primaria cauſa ſurgit à voluntate, & ab anima rationali.*
6 *Maleficia an tranſcendant animum, & voluntatem.*
7 *Furtum æris, non auri committit, qui æs ſurripuit putans aurum ſurripere.*
9 *Pœnam ſtatuti participantis cum bannito non tenetur, qui cum eo participat, ut ad ſatisfactionem inducat.*
10 *Excommunicato an liceat communicare, in ſpectantibus ad ſalutem corporis.*
11 *Et quid in oratione, menſa, & cohabitatione.*
12 *Excommunicatum alloquens converſionis cauſa an poſſit verba interſerere, quæ ad abſolutionem non faciunt.*
13 *Prædicatoribus an liceat abſque neceſſitate eleemoſynam recipere ab excommunicatis, & detentoribus rerum alienarum, & num. ſeq. uſque ad num. 27.*
14 *Eleemoſynas cur liceat recipere ab excommunicatis, & furibus, non autem oblationes.*
15 *Viatores, & peregrini an in terra excommunicatorum poſſint ab ipſis aliquid recipere.*
16 *Dictio*, præſertim, *quid importet, & num. ſeq.*
17 *Intellectus huius cap. 1. & nu. ſeq. uſque ad nu. 24.*
18 *Neceſſitas excuſat à furto, & rapina.*
19 *Neceſſitatis tempore omnia ſunt communia, præſertim cibaria.*
20 *Prædicatores qui intelligantur quoad hoc ut poſſint accipere eleemoſynam ab excommunicatis, & detinentibus aliena.*
21 *Et cur liceat eis huiuſmodi eleemoſynas recipere.*
22 *Negotium ſufficit ab initio fuiſſe utiliter cœptum, licèt res effectum non habeat.*
23 *Negotiorum geſtores vivere debent ſumptibus eorum, quorum negotia utiliter gerunt.*
24 *Eleemoſyna licitè poteſt recipi ab excommunicatis, & peccatoribus etiam notoriis de rebus licitè acquiſitis.*
25 *Eleemoſynam de rebus reſtitutioni obnoxiis recipere non poſſunt non habentes officium prædicandi, niſi ob neceſſitatem famis.*
26 *Et quid in habentibus officium prædicandi.*
27 *Confeſſori an liceat aliquid accipere a pœnitente ex iniuſte acquiſitis, & nu. ſeq.*
28 *Simoniæ ſuſpicione non caret accipiens pecuniam etiam ſponte oblatam in actu adminiſtrationis Sacramenti.*
29 *Clericum percutiens quibus caſibus in excommunicationem non incidat, & num. ſeqq.*
30 *Prælatis & magiſtris licet ſubditos, & ſcholares etiam in ſacris Ordinibus conſtitutos leviter percutere ſine incurſu excommunicationis.*
31 *Intellectus huius cap. in §.* Si qui verò.
32 *Membra honorabiliora exceptis gravioribus culpis non ſunt verberibus ſubiicienda.*
33 *Magiſter maiorem habet poteſtatem in diſcipulum, quàm pater in filium.*
34 *Pater percutiens filium in ſacris conſtitutum incidit in ſententiam Canonis.*
35 *Ordo ſacer an ius patriæ poteſtatis ſolvat, remiſſive.*

C*Um voluntate*. Alloquens excommunicatum in his, 1
quæ pertinent ad ſalutem, etiamſi alia verba interponat, excommunicatus non eſt. Hoc dicit primò. Præ- 2
dicatores, præſertim qui aliter ſuſtentari non poſſunt, ab excommunicatis, & detinentibus aliena, eleemoſynam recipere poſſunt. Hoc ſecundò. Tertiò ponit quoſdam caſus, quibus percutiens Clericum excommunicatus non eſt. Diviſio patet per paragraphos. Secunda ibi, *Prædicatores*, Tertia ibi, *Si qui vero*.

Nota primò ex principio litteræ inſignem regulam in 3
materia maleficiorum, videlicet ex voluntate, & propoſito delinquentis maleficia qualificari, & diſtingui, ut hic, & in *l. Qui iniuriæ cauſa, in princip.* unde hæc regula deſumpta eſt, *ff. de furt.* concordant textum in *l. 1. ff. ad l. Cornel. de ſicariis*, ibi, *Crimen enim contrahitur, ſi & voluntas nocendi intercedit*, & in *l. eum qui duas, ff. ad leg. Iul. de adult.* ibi, *in ea namque re non iuris effectus, ſed animi deſtinatio cogitatur*, & in *l. Ve-*
rum, ff. de furt. ubi qui meretricem alienam ancillam 4
rapuit, furti non tenetur, quia non factum quæritur, ſed cauſa faciendi: cauſa autem faciendi libido fuit, non furtum: unde ut notabiliter hic dicebat Anton de Butr.
numer, 3. In delicto primaria cauſa ſurgit à voluntate, 5
& ab anima rationali; & ſic conſideratur voluntas in delictis, etiam prout temporaliter puniuntur, non autem ſimplex, & rude factum: ad hoc §. *Contra animum, cum ſex capit. ſequentibus*, 50. *diſt. cap. Si virgo, &*
cap. In lectum, 34. *quæſt*. 2. Ex his videtur inferri poſſe, 6
ut malefica voluntatem, & propoſitum non tranſcendant. Sed contradicunt text. in *l. Vulgaris*, §. *Si quis æs, ff. de*
furt. ubi qui æs ſurripuit putans aurum ſurripere, commit- 7
tit

tit furtum non auri, quod ſurripere intendit, ſed æris, quod re ipſa ſurripuit: & ſic ſpectatur opus, non animus, & in *l. Qui ſaccum, ff. eod. & in cap. Qui ſaccum*, 50. *diſt.* ubi qui ſaccum ſurripuit habentem pecuniam, furti actione tenetur, etiam pro ſacco, quamvis non ſit ei animus ſaccum ſubripiendi, in *l. Quoniam multa facinora, C. ad L. Juliam, de vi publ. & in cap. Is qui mandat. de homicid. lib.* 6. ubi mandanti aliquem verberari ſecuta mors imputatur, licèt expreſsè inhibuerit ne occideretur. Pro ſolutione vide hic plenè per Henr. Boich. *poſt princip.* ubi quærens an, & quando in delictis aliquis ultra propoſitum teneatur, ponit prolixam diſtinctionem, & materiam luculenter examinat ferè per tres columnas.

8 Secundò nota ſpecialem caſum, in quo communicans excommunicato in excommunicationem etiam minorem non incidit, videlicet cùm eum alloquitur converſionis cauſa, etiamſi alia verba incidentia interſerat, ut hic eſt caſus, & docet D. Thomas in *4. ſentent. diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 4. *in corpore*, dicens Eccleſiam inſtituiſſe excommunicationem non ad interitum, ſed ad medelam; ac proinde de his, quæ pertinent ad ſalutem, poſſe hominem licitè loqui cum excommunicato, & etiam alia verba interſerere, ut faciliùs ſalutis verba ex familiaritate recipiantur.

9 Hinc inferunt Anton. de Butrio, Abb. & Felin. omnes in *ſecundo notab.* ut ſi ſtatuto caveatur ut participans cum bannito certam pœnam incurrat: qui cum eo participat ut inducat ad ſatisfactionem, in pœnam ſtatuti non incidat: quod etiam firmat idem Butr. *in cap. Si aliquando, n.* 5. *ſupra eod.*

10 QUÆRO, cùm liceat excommunicato communicare in his, quæ pertinent ad ſalutem animæ, ut hic dicitur, & in *c. Reſponſo ſupra eod.* quid in pertinentibus ad ſalutem corporis.

Videtur reſpondendum non licere, quia cùm hæc littera de uno concedat, à contrario videtur de alio negare, *c. Diſciplina*, 45. *diſt. c. Per Eliam* 1. *qu.* 1. *c. Qui fecit*. 33. *q.* 5. gloſ. *in c. Qualis, in ver. Negatur*, 25. *diſt.* cùm præſertim infirmitas corporis ſæpè proveniat ex infirmitate animæ, *c. Cum infirmitas, ſupra de pœnit. & remiſſ.* & ita concludunt hic Doctores, & in ſpecie Card. *n.* 1. ſed hoc intelligit Jo. Andr. *n.* 1. *in ver. Salutem animæ*, & Anchar. *n.* 2. *in ſecundo notab.* verum eſſe in eo, qui negligit, vel contemnit, ut in d. *c. Cum infirmitas*, alias ſecus.

11 Item QUÆRO, cùm hic permittatur participatio cum excommunicato in locutione, quid in oratione, menſa, & aliis, de quibus in *c. Nuper, ſupra eod.*

Dic ſecus, imò & in locutione caveat participans à cohabitatione, *c. Omnis*, 24. *q.* 1. *c. Cum deſideres*, §. 1. *in fin. ſupra eod.* ſecundum Hoſtien. & Jo. Andr. *hic n.* 2. *in verbo Locutione*, & Card. *n.* 1. Quid autem juris ſit in ſcriptione, & ſalutatione, dic ut ſcripſi in *c. Si aliquando, a n.* 16. *uſque ad finem, ſupra eod.* Hodie tamen in his ſervari debet Conſtitutio Concilii Conſtantienſis, de qua infra ſub *n.* 24. *verſ. Sed hodie*.

12 Item QUÆRO, cùm textus dicat in locutione cum excommunicato in pertinentibus ad ſalutem poſſe etiam incidenter alia verba interponi, quæ dicantur hujuſmodi verba incidentia.

Innoc. *hic in princ.* exponit incidentia, ideſt quæ nec ad abſolutionem, nec ad ſalutem faciunt. Sed Hoſtien. *num.* 2. *in vers. Incidenter hoc temperat*, intelligens verba incidentia, quæ ad abſolutionem, & ſalutem non faciunt principaliter, ſed tamen inducunt, ut ſi quærat de uxore, & liberis, & præmittat dilectionem, quam habuit erga illum, & ejus genus, & his ſimilia. Et hoc videtur magis congruere litteræ, quæ admittit interpoſitione verborum incidentium, ut alloquens apud eum magis proficiat. Et ſic videtur requirere, ut verba hujuſmodi aliquo modo ejus ſaluti conducant, licèt non principaliter, & cum Hoſtien. tranſeunt Jo. Andr. *num.* 2. *in eodem verb.* Henric. Boich. *col.* 4. *in princ. verſ. Aut quæris utrum poſſis cum eo participare in locutione*, Anton. de Butr. *n.* 11. & Card. *n.* 2.

13 Tertiò nota in §. *Prædicatores*, ab excommunicatis, & detentoribus rerum alienarum licitum eſſe Prædicatoribus eleemoſynam recipere: quod procedit de plano ſi Prædicatores in loco aliàs ſuſtentari non poſſint.

Sed QUÆRO num eis hoc liceat, ceſſante neceſſitate.

Negant gloſ. *in verb. Præſertim*, Innoc. *n.* 2. Hoſtien. *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 8. *in gloſ.* præſertim Butr. *n.* 5. Card. *in hoc* §. *n.* 2. *verſ. Nota de dictione præſertim*, Abb. *in* 3. *notab. & n.* 6. & Felin. *in* 3. *notab.*

Pro hac ſententia gloſ. allegat *c. Oblationes, & c. Quia in omnibus, ſupra de uſur.* ad idem text. *in c. Non eſt putanda*, 1. *qu.* 1. ubi Gregor. adducit illud *Proverb.* 22. *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.*

Sed hæc jura non admodum urgent, quia non loquuntur de eleemoſynis, ſed de oblationibus, quæ à tam malis, & famoſis perſonis non ſunt recipiendæ, ut notatur in *cap. Ex tranſmiſſa, ſupra de decim.* ſecundum Innoc. *hic num.* 1. *verſ. Oblationes autem*, cum quo tranſeunt Hoſtien. Joan. Andr. Henric. Boich. & reliqui omnes. Ratio autem differentiæ cur eleemoſynæ recipiantur à perfidis, non autem oblationes, ea eſt ſecundum Innoc. & Doctores, quia oblationes fiunt in Eccleſia, & in publico, quæ prohibentur ne exinde peccator conſolationem ſuſcipiat, neve peccatum ipſius videatur Eccleſia publicè approbare: ſed eleemoſynæ fiunt in occulto, de quo nihil ad Eccleſiam, *cap. Sicut tuis, in fin. de ſimon.* Et quamvis nonnumquam etiam eleemoſyna fiat palam, nihilominus hoc eſt per accidens, nec propterea mutatur jus, de quo hic, quia ſemper natura eleemoſynæ conſideranda eſt, quæ fieri debet clam, ſecundum Hoſt. *num.* 3. *verſ. Et quid dices ſi eleemoſyna fiat in publico*, & Henric. Boich. *col.* 4. *circa med. verſ. Idem tamen eſt.* 14

Pro eadem ſententia videtur magis urgere *c. Quoniam multos*, 11. *qu.* 3. ibi: *Quicumque orator, ſive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus.* Ex quibus verbis liquet itademum licere aliquod ab excommunicatis recipere, ſi ſubſit neceſſitas: ad idem textus in *c. Inter alia*, §. *fin. ſupra eod.* ubi viatores, peregrini, & mercatores tenentur à communione excommunicatorum abſtinere niſi articulus neceſſitatis immineat. 15

Et tenendo hanc partem non obſtat dictio, *præſertim*, hic poſita, quia ſecundum gloſ. exponitur ideſt maximè, & referri debet ad verbum *Prædicatores*, ita ut ſit ſenſus, tempore neceſſitatis omnes poſſunt recipere eleemoſynam ab excommunicatis, præſertim Prædicatores: & hoc modo gloſ. concordat cum Innoc. & habuit bonum intellectum, licèt fuerit malè poſita, ut dicunt Butr. *num.* 17. & Abb. *num.* 6. vel certè ſecundum Innoc. dictio, *Præſertim*, exponi debet, ideſt tantum; quia Prædicatores non debent recipere eleemoſynam à talibus, niſi quando aliter ſuſtentari non poſſunt. Adde non eſſe novum, ut hæc dictio ponatur pro *tantum*, ut patet in *cap. Diſcretionem, ſupra de eo qui cogn. conſangu. uxor. ſuæ, in cap. Licet, de foro competen. & in l. fin. ff. de his quæ in teſtam. delen.* & notat Calder. *conſ.* 548. *aliàs* 3. *de verbor. ſignific.* 16

Sed his non obſtantibus contrariam opinionem videlicet Prædicatores poſſe eleemoſynam recipere ab excommunicatis, & detinentibus aliena, etiam ceſſante neceſſitate, efficaciter judicio meo probat hæc Decretalis non cavillando litteram. Primò in illis verbis, *eleemoſynas licitè poſſunt ab illis recipere, præſertim ſi aliàs non valeant in illo loco ſuſtentationem habere:* ponderanda eſt enim dictio *præſertim*, quæ importat idem eſſe ſi poſſint habere ſuſtentationem, cùm ex ſui natura ſit ampliativa caſus magis dubitabilis, *c. Ex litteris, il ſecondo*, & ibi gloſ. *fin. ſup. de homicid. c. Illud*, ubi gloſſ. *in ver. Præſertim, de præſumpt. l. Quod & lex*, juncta gloſ. *in eod. ver. ff. de lib. hom. exhib.* & notat Jo. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de teſte*, §. 1. *verſ. Item excipitur quod eſt impubes*, ibi, *ſed numquid fratres:* unde ſenſus eſt, Prædicatores eleemoſynam poſſunt ab illis recipere generaliter, & indiſtinctè, ſed multò magis ſi in loco non valeant ſuſtentationem habere. 17

Deinde ſi hæc littera intelligeretur tantummodò in defectum neceſſariæ ſuſtentationis, fruſtra reſtringeretur ad Prædicatores, quia eo caſu non tantùm Prædicatoribus, ſed cuilibet permittitur accipere eleemoſynam à detentoribus rerum alienarum; quinimò & rapere, quia neceſſitas excuſat à furto, & rapina, *c. Diſcipulos*, & ibi gloſ. *fin. & c. Quidquid enim, de conſecr. diſt.* 5. *& c. Si quis, ſupra de furtis*. Et eſt ratio, quia tempore neceſſitatis omnia 18 19

Digitized by Google

ſunt communia, *c. Sicut hi*, 45. *diſt.* & maximè cibaria, *l.2. §. Cum in eadem navi*, *in fine ff. ad leg. Rhod. de jact.* & notat gloſ. præalleg. in dict. *cap. Diſcipulos*, & gloſ. *unica in dict. cap. Si quis*, & tamen Innoc. *n.2.* dicit, quod hic ſtatuitur eſſe ſpeciale in Prædicatoribus ob rationem, de qua infra in quarto fundamento *n.21.*

20 Tertio quamvis hoc cap. loquatur ſimpliciter de Prædicatoribus, & audientibus confeſſiones; tamen Doctores illud reſtringunt ad eos, qui prædicant, & confeſſiones audiunt ex officio, & ſic ad Presbyteros Curatos; quibus unuſquiſque proprius Parochianus tenetur confiteri; *cap. Omnis*, *de pœnit. & remiſſ.* Rurſus hoc intelligunt de Vicariis Papæ, ſicut ſunt legati, argum. *cap. ſupra de officio legati*, *c. fin.* 23. *diſt. c.24. diſt.* & de Epiſcopis viſitantibus, vel eorum vicariis ad hoc miſſis, *cap. Inter cætera*, *ſupra de offic. Ordin.* Ac demum de fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, qui habent univerſale officium prædicandi, & à Papa ſunt approbati, ut in Clem. *dudum*, *de ſepult.* & in extravag. *Vas electionis*, *de heret.* quinimò pro ipſis edita fuit hæc Conſtitutio, ut putat Hoſtien. *hic num.2. in ver. Vel confeſſionibus*, & poſt eum Joan. Andr. *num.3. in eod. ver.* Butr. *num.12.* & plerique alii.

At hujuſmodi reſtrictiones ineptæ eſſent, ſi hæc littera intelligeretur tantummodo in defectum neceſſariæ ſuſtentationis; quia eo caſu nedum ſacerdotibus curatis, & aliis prædictis, ſed cuilibet licitum eſt hujuſmodi eleemoſynas accipere, ut ſupra proximè oſtenſum eſt.

21 Quartò, dum text. determinat licere Prædicatoribus ab excommunicatis, & detinentibus alienas res eleemoſynam recipere, fundat ſe in ratione illa, quia in prædicationibus, & confeſſionibus quaſi gerunt cauſam, vel curam eorum, ad quos res ipſæ ſpectare noſcuntur; videlicet ſecundum Hoſtien. *num.2.* & Joan. Andr. *num.3.* quia in prædicationibus, oſtendunt res alienas ab eis illicitè occupari, & detineri, ac niſi reſtituant, pœnas æternas eis comminantur: & in confeſſionibus dicunt peccatum non remitti niſi reſtituatur ablatum, *c. Si res aliena*, 14. *quæſt.6. c. Cum tu*, *§.1. ſupra de uſur.* quaſi dicat: quamvis a detentoribus rerum alienarum non liceat eleemoſynam recipere in detrimentum eorum, ad quos res ipſæ noſcuntur pertinere, tamen quia Prædicatores, & Confeſſores ſuadent occupantibus illarum reſtitutionem; idcircò æquum eſt, ut de iiſdem rebus recipiant eleemoſynam quaſi mercedem, & ſtipendium laborum, cùm gerant negocium eis utile: & hoc conſiderat gloſ.4. *hic*, & Hoſtien. *num.2. in verb. Quaſi gerant:* dicunt enim Prædicatores hujuſmodi poſſe accipere eleemoſynas quaſi negociorum geſtores, quia illi, quorum res aguntur, li-
22 citè ab occupatoribus ſua recipere poſſunt. Et ſic iſti Prædicatores licitè ea recipiunt pro eleemoſynis: & quamvis res non habeat effectum, ſufficit ut ab initio negocium ſit utiliter cœptum, *l. Sed an ultro*, *§. Is autem qui*, *ff. de negot. geſtor.* poteſt agere ad ſumptus, quos fecerit, ut ibi
23 dicitur. Idem notat Innoc. *circa finem*, dicens hoc caſu Prædicatores, cùm ſint negociorum geſtores, poſſe vivere de rebus eorum, quorum negocia gerunt: ſubdit tamen in hoc eos agere contra jus civile, ſecundum quod non debent propria auctoritate recipere, ut *l. Extat*, *ff. quod met. cauſ.* Item quia non poſſunt hoc agere contradicente ſpoliato, ut *l. ult. C. de negot. geſt.* Supradicta autem ratio, in qua text. ſe fundat, & conſiderationes Doctorum apertè demonſtrant Prædicatores poſſe hujuſmodi eleemoſynas recipere etiamſi aliunde habeant ſuſtentationem, quia non debent vivere de proprio, ſed ſumptibus eorum, quorum negotia utiliter gerunt.

Et hanc ſententiam ſatis clarè amplectitur Anton. de Butr. *hic n.17.* exponendo gloſ. *verb. Præſertim*, ait enim, [Gloſſa dicit optimè, nam ſi ſubeſt neceſſitas, licitum eſt recipere Prædicatoribus, & non Prædicatoribus: ſi non ſubeſt neceſſitas, eſt licitum Prædicatoribus, non
24 aliis.] Concludendo diſtingue. Aut quæritur an liceat eleemoſynam accipere ab excommunicatis, & peccatoribus de rebus licitè acquiſitis, aut de illicitè acquiſitis, & reſtitutioni obnoxiis.

Primò caſu non tantùm Prædicatores, ſed etiam quicumque accipere poſſunt eleemoſynam ab excommunicatis, & peccatoribus quantumcumque notoriis: nam ad eas tenentur omnes *cap. Non ſatis*, *in fin.* 86. *diſt.* & ſunt omnibus maximè ſuadendæ, ut ad pœnitentiam mereantur citiùs pervenire, *cap. Deinde*, 26. *diſt.* ſecundum Innoc. *hic num.1.* Hoſtien. *num.2. in ver. Eleemoſynas*, Henric. Boich. *col.4. ſuper*, *§. Prædicatores*, *verſ. Si quæris utrum ab excommunicatis*, & Cardin. *num.2.* licèt Hoſt. *infra num.5.* dicat nihil eſſe recipiendum ab excommunicato, nec cum eo communicandum in aliquo, niſi in caſu à jure conceſſo, ut legitur, & notatur in *cap. Si verò 1. reſponſ. & c. Cum deſideres*, *§.1. in fin. ſupr. eod.* & cum eo concordat Raymun. *hoc titulo §. Trigeſimo nono ſuper ver. Nomine ipſius*, dicens non licere accipere eleemoſynam ab excommunicatis, niſi in caſibus exceptis, ſcilicet in caſu neceſſitatis, & ſimilibus, quod tamen non credit eſſe reſtringendum ad extremam neceſſitatem, ſed ſufficere ad excuſationem ut indigeat, & non poſſit commodè, & de facili habere neceſſaria aliunde. Et idem recitat Joannes Friburg. *in ſumm. confeſſ. hoc tit. quæſt.* 117. incip. QUÆRO, *An liceat*, *&c.* & Aſten. *lib.7. tit. de perſonis communicat. cum excommun. art.5. in princ.*

Sed hodiè ceſſant hujuſmodi ambages, quia ex conſtitutione edita à Martino V. in Concil. Conſtantien. quæ incipit, *Ad evitanda*, licitum eſt cuilibet participare cum excommunicatis, non tantùm in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus, & Sacramentorum adminiſtrationibus, præter quam in duobus caſibus, videlicet cùm excommunicati ſunt publicè denunciati, aut notorii clericorum percuſſores, ut ſcripſi latiſſimè in *cap.1. infra de ſchiſmat.* Unde ad hoc caſus dumtaxat hodiè reſtringuntur Doctorum opiniones.

In ſecundò autem caſu ſcilicet cùm res ſunt illicitè ac- 25
quiſitæ, & reſtitutioni obnoxiæ. Aut quæritur de non habentibus officium prædicandi, & iſtis non licet de prædictis rebus eleemoſynam accipere, niſi ob neceſſitatem famis juxta textum in *cap. Diſcipulos*, *de conſecrat. diſt.5.* & patet ex dictis ſupra *num.18. & ſequ.* de quo vide pleniùs per Henric. Boich. *in cap. Pervenit*, *diſtit. verſ. Aut quæritur de iniuſte, & illicite*, *ſupra de decimis*, *& in c. Ex eo*, *§. Cum igitur de pœnit. & remiſſ.* Aut quæ- 26
ritur de habentibus officium prædicandi, de quibus loquitur hoc capitulum. Et iſti ſi aliunde non habeant ſuſtentationem, abſque dubio poſſunt eleemoſynam accipere etiam de illicitè acquiſitis, ut hic eſt caſus, & in hoc conveniunt omnes. Si verò aliunde ſuſtentationem habeant, tunc ſunt opiniones Innoc. *num.1.* dicit eleemoſynas nominatim non eſſe recipiendas de illicitè quæſitis, & exponit verbum *Præſertim*, id eſt *tantùm*, & hoc eſt tutiùs ſecundum Hoſtien. & alios ſupracit. *num.3.* Contrarium tamen videtur verius in puncto juris, ut conſtat ex dictis *à n.17.*

Quartò nota in eod. *§. Prædicatores*, ſecundum Abb. 27
in 4. notab. Sacerdotem licitè recipere aliquid eleemoſynæ à pœnitente, etiam ſi illud ſit injuſtè quæſitum, & ſubjectum reſtitutionis. Hoc ego intelligo cum duobus temperamentis. Primum eſt, ut ſacerdos aliàs non valeat in eo loco ſuſtentationem habere, prout intelligit Felin. *ver. Item nota quod audiens in confeſſione.* Et hoc ſi ſequamur opinionem Innoc. de qua in præcedenti notabili: nam hæc littera ſub ead. clauſula determinat Prædicatores, & confeſſores. Sed de Prædicatoribus intelligitur in caſu neceſſitatis tantùm, ſecundum Innoc. Ergo & in Confeſſoribus, ut utrumque determinabile uniformiter determinet, ad *l. Iam hoc iure*, *§. fin. ff. de vulgar. & pupillar. & l. final. Cod. de ſent. cum ſimilibus.*
Alterum eſt, ut hujuſmodi eleemoſynam accipiat extra 28
Sacramentum pœnitentiæ, alioquin ſi illam reciperet in ipſo actu audiendi confeſſionem, non careret ſuſpicione ſimoniæ, arg. *cap. Conſtitutus de tranſact. & l. Unica*, *ff. ad l. Iul. de ambitu.* Opus enim per ſe laudabile ratione temporis reprobatur, ne malignandi occaſionem præbeat. Ideòque quamvis opus pietatis ſit nummos in concham mittere pro ſuſtentatione miniſtrorum, & manutentione luminarium Eccleſiæ; tamen id reprobatur tempore, quo baptizandus offertur, ne ſacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur, ut dicit text. in *cap. Emendari*, 1. *quæſt.1.* præſumitur enim ſimonia, ut ibi notat gloſ. 1. Hugo, Archid. & Doctores, & ſecundum communem intellectum habet locum ille tex. etiam in his,

quæ

Digitized by Google

quæ ſpontè offeruntur, quia in ipſa collatione Sacramenti
nec ſpontè oblatum licet accipere.
29 Ultimò nota *in* §. *Si qui vero*, ſex caſus, in quibus percu-
tiens clericum non incurrit ſententiam Canonis, quos
perſtringit gloſſ. *in ver. De familia*, & unà cum aliis plu-
ribus continentur in ſequentibus carminibus poſitus ab
Hoſt. *num.* 12. videlicet, *Officium*, ut hic in textu, *& in
cap. Vniverſitatis* §. *laici*, *& cap.* 3. *reſponſ.* 1. *&* §. 1. *ſu-
pra eodem*, *Zeluſque*, *ut hic & in cap. Veniens ſupra eo-
dem*, & eſt ſimile *in l. Apud Labeonem* §. *Adiicit ff. de iniur.
Pater*, *Doctorumque propinquus*, de quibus ſimiliter pro-
batur hic. *Affectus ſcilicet matris*, *filiæ*, *ſororis*, *& uxo-
ris*, *cap. Si verò*, *ſupra eod. & inf.* §. *fin.* Dominus fami-
liam corrigens, ut hic *Vis*, hic caſus reſpicit inferentem
vim *cap.* 3. §. *Si vero ſupra eod.* & enormitatibus ſe im-
miſceotem, *cap. Perpendimus*, *& cap. Cùm non ab homi-
ne ſupra eod. Et correctio*, hic caſus reſpicit levitatem re-
prehenſibilem clericorum, & omnes caſus qui ipſos in-
corrigibiles reddunt trina monitione præmiſſa, *c. Con-
tingit*, *& cap. In audientia*, *ſupra eod. ludus*, *ſupra cap.* 1.
§. 1. *in fin. Quiſque ſit exceptus*, ſcilicet à pœna Canonis.
Si ſit moderamine ſeptus, ideſt niſi ſit enormis exceſſus,
& niſi in defendendo excedatur modus. Ita Hoſt. qui
eoſdem caſus latius explicat in ſumm. *hoc tit.* §. *quis poſ-
ſit ſuc.* §. *Super illo autem canone*, & cum totidem verbis
ſequuntur hic Jo. Andr. *n.* 8. Butr. *n.* 23. Card. in hoc §. *Si
quis verò n.* 3. Alios verſus poſuit Abbas antiquus, quos re-
citat Jo. Andr. *circa finem*.

Neque verò circa hoc aliquid novi ſtatuit Concil.
Triden. *in cap.* 6. *ſeſſ.* 23. quia decretum illud loquitur
de privilegio fori, non autem de privilegio Canonis,
ut ſæpiùs fuit reſolutum: unde percutiens Clericum
carentem requiſitis ibi præſcriptis, incidit in ſententiam
Canonis ad eum modum, quo ante Concilium incidebat.
30 Io gloſſas *in ver. de familia*, pondera hanc gloſ. prope
fin. quæ notabiliter vult, ut Prælatis, & Magiſtris li-
ceat ſubditos, & ſcholares etiam in ſacris Ordinibus con-
ſtitutos leviter percutere ſine incurſu excommunicatio-
nis.
31 Et dictum gloſſæ efficaciter probatur in hoc §. *Si qui
vero*: nam in princ. ubi textus loquitur de percutientibus
ratione officii, quod in Eccleſia obtinent, ac de Clericis
ſenioribus, qui zelo devotionis percutiunt Clericos tur-
bantes divina officia, adjicit illa verba, *In minoribus
Ordinibus conſtitutis*: nam membra honorabiliora, exce- 32
ptis gravioribus culpis, non ſunt verberibus ſubjicienda,
c. Cùm beatus 45. *diſt. gloſ. hic in ver. In minoribus*, & Hoſt.
num. 8. & ſimiliter in fine ubi agit de correctione familia-
rium, & propinquorum, addit verba, inferiorum gra-
duum: at verò in medio ubi agit de Prælatis, & Magi-
ſtris, non reſtringit ſe ad Clericos in minoribus, ſeu infe-
riorum graduum, ſed ſimpliciter loquitur de ſubditis, &
ſcholaribus, innuens propterea licitum eſſe illos correctio-
nis cauſa moderatè percutere, ſive ſint in minoribus, ſive
in ſacris Ordinibus, & ita poſt gloſ. firmat Hoſtien. *num.* 8.
in ver. Prælationis, dicens: [Iſti ſcilicet Prælati, & Ma-
giſtri etiam majores, & conſtitutos in ſacris leviter corri-
gere poſſunt,] allegat text. *in cap. Ea quæ ſupra de ſtat.
Monach. cap. fin. de Regular. cap. Vt fama* §. *Laici*, *&
cap. Ex tenore* §. *fin. ſupra eod.* & ſequuntur Joan. Andr.
num. 8. *verſ. Et ibi*, & Magiſtris Butr. *num.* 22. Anchar.
num. 6. Card. *in hoc* §. *Si qui verò num.* 3. *verſ.* 33. &
ibi Magiſtris, & Felin. *circa med. verſ. Secus à Prælato*,
vel à Magiſtro. Idem tenet gloſ. *in cap.* 1. *in ver. Et à Ma-* 33
giſtris 23. *q.* 5. quæ propterea hinc infert majorem poteſta-
tem habere Magiſtrum in diſcipulum, quàm patrem in fi-
lium, quia Magiſtrum poſt ſacrum Ordinem adhuc habet
eum in poteſtate, ut hic, *& in cap. ſuprà eod.* ſed patri da-
tur poteſtas corrigendi filium quouſque ſacrum Ordinem
receperit.

Gloſ. ultima ponderando illa verba *inferiorum graduum*, 34
colligit à contrario patrem, qui correctionis cauſa verbe-
rat filium in ſacris Ordinibus conſtitutum, incidere in
ſententiam Canonis: & in hoc gloſ. communiter appro-
batur, licet Barthol. Brixien. *in ſuis quæſtionibus venerabi-
libus q.* 87. & quidam alii ex antiquis contrarium ſenſerint,
ut hic per Abb. *n.* 8. & ſcripſi pleniùs *in c. Indecorum n.* 47.
verſ. Infertur ſecundo, *ſupra de ætate*, *& qualit.*

Deinde gloſ. hinc deducit ſacrum Ordinem liberare à pa- 35
tria poteſtate, quia liberat à ſervili, quòd plus eſt, *c. Si ſervus
ſciente* 54. *diſt.* ſed in hoc ſecundo dicto gloſ. communiter
reprobatur, ut dixi *in d. c. Indecorum à n.* 17. *uſque in fin.* ubi
pleniſſimè diſputavi hunc articulum, an Ordo ſacer jus
patriæ poteſtatis ſolvat.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

Innocentius III. Patriarchæ Gradenſi.

CAPUT XVI.

OLim tibi ſcripſiſſe recolimus, ut ſi Canonici Paduani, magiſtro G. Canonico Paduano præbendam, quæ tantùm reſidentibus de communi confertur, ſicut uni ex aliis de communibus proventibus, & manualia beneficia non conferrent, tu eos ad id appellatione ceſſante compellere procurares. Quia verò quidam mandatum noſtrum interpretari aliter quàm deceat, moliuntur, (cùm beneficia Principum ſint interpretanda largiſſimè) noſtrum aperiendum duximus intellectum, videlicet quòd præbendam, quæ tantùm reſidentibus in victu & veſtitu de communi confertur, ipſi magiſtro G. plenè, ſicut uni ex aliis reſidentibus, injunximus conferendam.

SVMMARIVM.

1 *PRivilegiorum verba ſunt interpretanda largiſſimè. Declaratur n.* 15.
2 *Privilegium quandoque appellatur beneficium.*
3 *Beneficia Principum ſunt latiſſimè interpretanda, & num.* 12.
Declaratur n. 13. *&* 14.
4 *Beneficium in genere quid ſit.*
5 *Beneficii appellatione an veniat privilegium, & reſcriptum, & n.* 13.
6 *Beneficium ſtrictè ſumptum quid ſit.*
7 *Privilegium quid.*
8 *Privilegio fruſtra impetratur, quod iure communi competit.*
9 *Reſcriptum quid ſit, & quid impetretur.*
10 *Reſcripta contra ius elicita non valent.*
11 *Reſcriptum quotuplex, & an beneficium, vel privilegium dici poſſit.*
12 *Principis liberalitatem temerarium eſt in diminutionem interpretari.*
13 *Beneficium Principis, quatenus concernit præiudicium tertii, ut privilegium debet strictè interpretari.*
14 *Verba etiam in beneficiis Principum tenaciſſimè obſervari debent.*
15 *Privilegia quatenus concernunt præiudicium concedentis, ſunt latiſſimè interpretanda.*
16 *Verba generalia, & indefinita in præiudicium concedentis ad futura extenduntur.*

17 *Ec-*

17 *Eccleſia Romana non præſumitur in ſui præjudicium voluiſſe quemquam privilegiare.*
18 *Privilegii verba in præjudicium tertii ſunt ſtrictè accipienda.*
19 *Nec extenduntur de caſu ad caſum, nec de perſona ad perſonam, etiam ex majoritate rationis.*
20 *Receſſus omnis a iure communi eſt odioſus.*
21 *Interpretatio in dubio fit pro iure communi, quando concurrit cum privilegio.*
22 *Privilegium recipit interpretationem paſſivam à iure communi.*
23 *Privilegia etiam contra tertium ſunt latè interpretanda quatenus patitur verborum proprietas.*
24 *Privilegium etiam in præjudicium alterius debet latè interpretari, ut aliquid conferat.*
25 *Item favore divini cultus.*
26 *Privilegium contra legem communem debet ſtrictiſſimè interpretari.*
27 *Secus ſi contra ſtatutum, vel conſuetudinem.*
28 *Reſcripta ad lites ſunt interpretanda ſtrictiſſimè.*
29 *Lites ſunt potius reſtringendæ, quàm ampliandæ.*
30 *Interpretatio fit contra eum, qui potuit legem apertius dicere.*
31 *Reſcripta ad beneficia ſunt ambitioſa, & ſtrictiſſimè intelligenda.*
32 *Privilegia in dubiis recipiunt intellectum ſecundum intentionem concedentis.*
33 *Infamis eſt, qui reſcriptum Principis aſtutè, vel malitioſe interpretatur.*
34 *Privilegii interpretatio pertinet ad Principem concedentem.*
35 *Citatio, vel præſentia partis an requiratur in modificatione, vel interpretatione privilegii.*
36 *Diſtributiones quotidianæ debentur privilegiato ſuper fructibus in abſentia percipiendis, ſi redditus omnes in his diſtributionibus conſiſtant, uſque ad num. 41.*
Intellectus hujus c. ibid. & n. ſeqq.
37 *Canonicus non datur ſine præbenda.*
38 *Diſpenſatus ſuper fructibus in abſentia percipiendis habetur pro præſente, non autem pro intereſſente ibi.*
39 *Papa non conſuevit reſcribere, ut Canonici abſentes habeantur pro intereſſentibus.*
40 *Canonico ex juſta cauſa abſenti debentur poſt Concilium Tridentinum duæ tertiæ partis quotidianarum diſtributionum, ſi nulli ſint fructus a diſtributionibus diſtincti.*
41 *Manualia beneficia quæ dicantur, & n. 44.*
42 *Talis intereſt divinis officiis pro denario, qui non intereſſet pro Deo.*
43 *Canonicus, qui pro lucrandis quotidianis diſtributionibus intereſt Choro an ſimoniam committat.*
44 *Diſtributiones quotidianæ quæ ſint, & quibus nominibus appellentur, & n. 48.*
45 *Diſtributiones quotidianæ an dicantur redditus illi, qui in fine anni dividuntur pro rata ſervitii cujuſque horæ, & n. ſeqq. uſque in fine.*
47 *Seminario non eſt contribuendum ex diſtributionibus quotidianis, & n. 64.*
48 *Fructuum appellatione non veniunt quotidianæ diſtributiones.*
49 *Diviſio proventuum in fine anni fit gratia commodioris ſolutionis.*
50 *Diſtributiones quotidianas non lucrantur abſentes ſtudiorum cauſa, nec valet contraria conſuetudo.*
51 *Et quid ſi nulli ſint fructus à diſtributionibus diſtincti.*
52 *Et quid poſt Concilium Tridentinum.*
53 *Diſtributiones duplices an debeantur obtinenti in eadem Eccleſia dignitatem cum Canonicatu.*
54 *Decimæ Papales, & ſpolia an deducantur ex diſtributionibus quotidianis.*
55 *Et quid ſi redditus omnes in diſtributionibus conſiſtant.*
56 *Conſuetudine, vel Conſtitutione Eccleſiæ an poſſit induci, ut divinis intereſſentes non lucrentur quotidianas diſtributiones.*
57 *Conſtitutio Eccleſiæ ut abſentes per quinquaginta vices amittant integras diſtributiones quotidianas, an valeat.*
58 *Diſtributiones quotidianæ ad quem finem inſtitutæ fuerint.*
59 *Inducta ad augmentum divini cultus non debent operari diminutionem.*
60 *Diſtributiones quotidianæ, in quibus univerſi redditus conſiſtunt, in materia favorabili, & privilegiata ſuccedunt in locum præbendæ.*
61 *Secus in materia odioſa, & reſtringibili.*
62 *Fidei profeſſionem non emittentes an perdant diſtributiones quotidianas, in quibus univerſi redditus conſiſtunt.*
63 *Diſpoſitio partim favorabilis, & partim odioſa reſtringi debet quatenus præjudicat tertio, vel cultui divino.*
64 *Seminario non eſt contribuendum ex quotidianis diſtributionibus, etiamſi dividantur in fine anni, & in illis univerſi Capituli redditus conſiſtant.*

O*Lim*. Verba privilegiorum ſunt interpretanda largiſſimè. Hoc dicit ſecundum Jo. Andr. Card. & Ancharan. vel ſecundum alium intellectum. Verba privilegiorum quæ conſonant juri communi, ut beneficia, latiſſimè ſunt interpretanda. Dividitur in duas partes. Primò ponit mandatum. Secundò ipſius interpretationem, & ejus cauſam. Secunda ibi, *quia vera*. 1

Nota primò privilegium appellari beneficium, ut patet ibi, *cum beneficia*; & ſigna textum contra nonnullos tacito nomine hic relatos à Joan. Andr. *num.* 9. qui reprehendunt gloſſas, quæ privilegia contra jus conceſſa vocant beneficia, dicentes beneficia propriè eſſe liberalitates, & gratias præter jus, pro quibus facit *c. Cum dilecti de donat.* ubi ponuntur eademmet verba, quæ habentur hic in verſ. *Cum beneficia*, & tamen textus ibi loquitur de donatione gratuita, ſed gloſſæ prædictæ, ut inquit Joan. Andr. defenduntur per hunc textum, & per Decretalem *Ordinarii §. Si vero de offic. Ordin. in 6.* ubi diſpenſatio ſuper pluralitate dicitur beneficium: ad idem textus *in cap. Quia circa de privileg.* ubi exemptio à ſolutione decimarum Epiſcopalium ſimiliter beneficium appellatur. 2

Secundò nota ex littera beneficia Principum eſſe latiſſimè interpretanda, concordat *dict. cap. Cum dilecti in fin. cap. Per tuas de donat. & l. fin. ff. de Conſtit. Princip.* cum aliis hic allegatis in gloſ. *ultim.* de hoc notatur *in cap. Cauſam infra eod.* ſecundum Innocentium. 3

Sed pro pleniori doctrina dicendum eſt ſecundum Doctores, præſertim Jo. Andr. *num.* 9. Butr. & Abbat. *num.* 7. beneficium eſſe nomen generis: & hoc modo nihil eſt aliud beneficium, quàm benevola actio tribuens gaudium capientibus, ut diffinitur *in tit. In quib. cauſ. feud. amitt. verſ. Beneficium in uſib. feudor.* & notat Jo. Andr. *in cap. Ad aures de pænit.* & DD. hic Beneficium ut genus eſt, dividitur in beneficium propriè ſumptum, & ſic aſſumit nomen ſpeciei, ſicut de arrogatione, & adoptione dicitur *in l. 3. ff. de iuriſdict. omn. iudic. & in l. 1. ff. de adoption.* Item dividitur in privilegium, & in reſcriptum: & ſecundum hoc, omne privilegium, & reſcriptum poteſt appellari beneficium, ſed non è converſo. Si beneficium accipiatur ut ſpecies, & ſic in ſtrictiori ſignificatione, aliud eſt beneficium, aliud privilegium, & aliud reſcriptum: nam beneficium eſt actio benevola præter jus, ſecundum Jo. Andr. *ubi ſupra*: unde donatio beneficium dicitur in prææalleg. *c. Cum dilecti de donat.* Vel ſecundum Abb. *n.* 7. beneficium dicitur liberalitas quædam, ſeu gratia conceſſa ſine alterius præjudicio præter jus commune; & in idem redit quod ait Butr. *d. n.* 7. videlicet beneficium ſtrictè accipiendo eſſe quando aliquid conceditur ex largitate concedentis, non ad præjudicium alterius, vel juris, ſed ad præjudicium concedentis tantùm. 4 5 6

Privilegium dicitur lex privata, *cap. Privilegium 3. diſt. c. Abbate infra eod. cum concord.* & dicitur jus privatum, vel ſingulare, quia eſt contra jus commune, *l. Ius ſingulare ff. de legib. l. 1. in fine ff. ad municip.* quapropter ubi ſcriptum eſt jus commune, à quo princeps aliquem eximit, illud eſt privilegium propriè; & dicitur actio bona contra jus, ſecundum Jo. Andr. *num.* 10. & ita ſumitur *ſupra de pri-* 7

8 *Privileg. per totum*. Ideòque dici ſolet, quod jure com-
muni competit, fruſtra per privilegium impetratur, *l.* 1.
C. de theſaur. lib. 10.
9 Reſcriptum ſecundum Joan. Andr. *num.* 11. dicitur bo-
na factio ſecundum jus; & ſic ſumitur *ſupra*, *de reſcript.*
10 *& C. de diverſ. reſcr. in rubro*, *& nigro*: impetratur enim
ad juris obſervantiam, ut impetranti fiat juſtitia, & ideò
dicit lex canonizata, non valere reſcripta, contra jus
elicita, *cap. Reſcripta*, 25. *quæſt.* 2. plenè Oldrad. *conſ.*
326. *Quod articuli*, *num.* 1. *in fine*, *verſic. Cum etiam ſit*
11 *legale*. Item reſcriptum ſecundum Anton. de Butr. *num.* 7.
eſt in duplici differentia: quandoque enim datur ad lites,
& hoc poteſt appellari beneficium, ſed certo reſpectu po-
teſt dici privilegium, quia ſcilicet emanat in præjudicium
poteſtatis ordinariæ: quandoque datur reſcriptum ad be-
neficia, & tunc poteſt ſimiliter dici beneficium, ſed certo
reſpectu privilegium, quia emanat ad poteſtatem Ordi-
narii adimendam.
12 Quibus præhabitis, cùm quæritur qualis interpreta-
tio in prædictis facienda ſit, conclude beneficium ſtrictè
ſumptum, & prout eſt ſpecies, eſſe largiſſimè interpre-
tandum, ut in juribus hic allegatis in gloſs. ultima: nam
temerarium eſt, & abſurdum liberalitatem Principis in
diminutionem velle interpretari, ut *l. Hac ſaluberrima*,
C. de agen. in reb. lib. 12. & ita præter DD. hic, reſpondit
Oldrad. *conſil.* 300. *in princip.* incipien. *Factum tale eſt*,
Magiſtro, ubi hoc extendit pluribus modis, Abb. *conſil.*
101. *in quæſt. in fin. num.* 11. *l.* 1. Anchar. *conſ.* 245. *Pro
clariori*, *in princip. & num.* 3. Alex. *conſil.* 160. *Viſo themate*, *num.* 3. *verſ. Secundo præſuppono*, *lib.* 2.
13 Non me latet multos ex Doctoribus hoc limitare,
ut non procedat quando beneficium Principis redunda-
ret in præjudicium tertii, ut in ſpecie Oldrad. *conſil.* 50.
Gratia, *in fine*, *verſ. Non obſtat*, Anchar. *conſil.* 161.
Viſo diligenter, *in princip.* Joan. de Imola *conſil.* 121. *n.* 2.
Jaſon multa cumulans in *l. fin. num.* 19. *& ſeq. ff. de Con-
ſtit. Princip.* Alexand. *conſil.* 215. *Non obſtat*, *num.* 4. *&
ſeq. verſ. Item licet*, *lib.* 7. & Anton. de Butr. *hic num.* 7.
verſ. Modo ſi quæritur, ubi dicit beneficium Principis eſ-
ſe latè interpretandum, quando non præjudicat alteri, nec
privat legem, ſed ſolum concernit præjudicium conce-
dentis. Imò incertus Author poſt regulas Socini *reg.* 1.
ponit hanc regulam, videlicet: Beneficium principis in
præjudicium tertii ſtrictè interpretandum, eamque am-
pliat ſex modis, & limitat decem. Sed tamen Doctores
citati, & paſſim alii, qui ſic loquuntur, accipiunt bene-
ficium non ſtrictè, prout eſt benevola actio præter jus, &
conceditur non ad præjudicium alterius, vel juris, ſed
ad præjudicium concedentis tantùm, ut idemmet Butr.
fatetur *d. num.* 7. *verſic. Tamen ſtrictè loquendo*, & dictum
eſt ſupra *num.* 6. ſed uſurpant nomen beneficii in latiori
ſignificatione pro privilegio, vel reſcripto: & ita etiam
intelligi debet Butr. dum loquitur de beneficio, quod
privat legem: hoc enim non congruit beneficio ſtrictè
ſumpto, ſed prout ſonat privilegium: quod ut idem
Butr. dixerat paulò ante, eſt quod conceditur contra
legem, & privat legem: nam ſecundum aliquos di-
14 ctum eſt privilegium quaſi privans legem. Itaque
ſtatuitur generalis concluſio ut in beneficio ſtrictè
ſumpto latiſſimè ſit interpretandum, ita tamen ut
verba tenaciſſimè obſerventur, & concurrant alia,
quæ ponit Ludovic. Roman. *in conſil.* 89. *Viſis iis*,
num. 4.
15 In privilegiis verò diſtingue ſecundum Doctores.
Aut agitur de præjudicio ſolius concedentis; & con-
tra eum fit latiſſima interpretatio text. eſt in *cap. Quia
circa*, *de privil.* ubi gloſſ. *final.* reddens rationem, ideò,
inquit, in privilegiis contra dantem fit interpretatio,
ne excogitata fraude ſuæ obviet liberalitati, *cap.* 1. 16.
quæſt. 2. *l. Si quis argentum*, *§. final. Cod. de donat.* & ita
tenet Feder. de Sen. *conſ.* 61. *num.* 2. *verſ. Non obſtat*, Abb.
conſ. 70. *Id de iure*, *in fin. lib.* 2. Alexand. *conſil.* 110.
Adeo gravis, *num.* 10. *verſ. Quia privilegium*, *lib.* 6. &
16 DD. *hic*. Et propterea in præjudicium concedentis ver-
ba generalia, & indefinitè prolata ad futura extendun-
tur, ut eſt caſus in *dict. cap. Quia circa*, & ibi notat gloſ.
ultim. & Calderin. *conſ.* 527. *circa fin. aliàs* 12. *de privil.*
17 & Guido Papa *deciſ.* 489. Fallit in privilegio conceſſo ab
Eccleſia Romana, quæ in ſui præjudicium non præſumi-
tur voluiſſe quemquam privilegiare, text. eſt in *cap. Cum
inſtantia*, cum ſua gloſſa *in ver. non credimus*, *de cenſib.*
quem ad hoc dicit notabilem Ludov. Roman. *conſil.* 498.
In caſu, *num.* 8. *verſic. Quinta ratio*.
Aut agitur de præjudicio tertii, vel juris communis, 18
& fit ſtricta interpretatio, *cap. Relatum*, *de præben. &
cap. Archidiaconum Florentinum*, 85. *diſtinct.* gloſſ. ult.
& DD. *hic*, Roman. *conſil.* 180. *Si admittimus*, *in fin.*
Alexand. *d. conſil.* 110. *num.* 10. *& ſeqq. lib.* 6. verba enim
privilegiorum ſecundum Innoc. ita ſunt interpretanda, ut
non trahantur ad iniquum gravamen alterius, *l. Ex fa-
cto ff. de vulg. & pupil.* & ut inquit Oldrad. *conſ.* 168. *Quæ-
ſtio eſt*, *in princip. num.* 1. *verſ. Sed in contrarium*: pri-
vilegium civiliter, & temperatè eſt intelligendum, ita ut
quanto minus fieri poſſit, juri alieno præjudicet.
Quòd adeo verum eſt, ut neque ex identitate, imò 19
neque ex majoritate rationis privilegium extendatur de
caſu ad caſum; & eſt communis opinio, ut teſtatur in-
certus Author poſt regulas Socini *reg.* 8. Privilegia debent
ſtrictè interpretari in prima ampliatione; nec de perſona
ad perſonam ſecundum Anton. de Butr. *in cap. Sanè*, *de
privil.* & Bald. *in l.* 1. *in princ. ff. de legib.* Gemin. *in cap.
Ne aliqui*, *in* 4. *notab. de privileg. in* 6.
Alia ratio bujus concluſionis eſt, quia omnis receſſus 20
à jure communi eſt odioſus, *cap.* 1. *&* 2. *de fil. Presbyter.
lib.* 6. *cap. Quod dilectio*, *de conſangu. & affin* Abb *hic
num.* 3. Quare in dubio fit interpretatio pro jure commu- 21
ni, quando concurrit cum privilegio, ut per Feder. de
Sen. *conſ.* 256. *circa med. verſ. Item quando ius commune*:
nam privilegium recipit interpretationem à jure com- 22
muni, & debet interpretari, ut minus lædat jus commu-
ne, quàm fieri poſſit, *cap.* 1. & ibi DD. *de reſcript. §. Num-
quid*, ubi Gemin. *in* 1. *notab. de privileg. lib.* 6. *l. Si quan-
do*, ubi Bart. & alii, *Cod. de inoff. teſtament. cap. Dudum*,
ubi Anton. de Butr. *de donat.* Aret. *conſ.* 163. *Diligenter*,
col. fin.
Declaratur nunc ſupradicta concluſio, ut procedat in 23
dubio; ſecus ſi verba privilegii ſint clara, quia tunc fit
lata interpretatio etiam in præjudicium tertii, quatenus
patitur verborum proprietas, ita declarat Dec. *conſil.* 113.
Viſo tenore, *num.* 6. *verſ. Et ideo*, & ſentit Abb. *hic
num.* 4 *verſ. Et ex hoc*, ubi dicit privilegium contra jus
commune debere largiſſimè interpretari, ubi verba hoc
patiuntur: & probatur hic ſecundum intellectum eorum,
qui dicunt Papam hic voluiſſe providere Canonico contra
jus commune; ſed conſtare de illius intentione, quia
mandavit eidem provideri ſicut uni ex aliis reſidentibus.
Declaratur ſecundò, ut procedat dummodo privile- 24
gium aliquid conferat; aliàs enim fit lata interpretatio,
etiamſi agatur de alterius præjudicio, ne privilegium ſit
inutile, *cap. Paſtoralis*, *de privil.* text. *in cap. In his*, qui
quotidie ad hoc ſolet à Doctoribus allegari, *eodem tit. l.
Quod vero*, *ff. de legib.* Oldrad. *d. conſ.* 268. *num.* 1. *verſ.
Sed in contrarium*.
Declaratur tertiò, ut non procedat favore cultus divi- 25
ni, quia tunc in privilegiis fit lata interpretatio etiam in
præjudicium tertii, ut per Calder. *conſ.* 422. *aliàs* 6. *de
privileg.* quod eſt Petri de Anchar. & Gaſpar. Calder.
Supradictam diſtinctionem in effectu poſuit hic brevi-
ter Jo. And. *num.* 10. *verſ. In iſto procedit*: ait enim, con-
tra concedentem eſſe largè interpretandum; contra alios,
quorum jus læditur, ſtrictè, dummodo tamen privilegium
aliquid conferat, & à verbis non recedamus.
Sed Anton. de Butr. *hic num.* 7. diſtinguit ſic: Aut privi- 26
legium privat legem communem, & ſemper debet ſtri-
ctiſſimè interpretari, *cap. Privilegia* 3. *diſtinct. cap.* 1. *de
reſcript.* Aut privat legem privatam, ideſt conſuetudinem, 27
vel ſtatutum; & tunc latiſſimè debet interpretari, ut hic
probatur ſecundum intellectum eorum qui dicunt in hac
Decretali fuiſſe impetratum privilegium de percipien-
dis fructibus à Canonico præſente, quia obſtabat aliquod
ſtatutum, puta primæ reſidentiæ, vel ordinum, ne prædi-
cta perciperentur: qui intellectus magis placet Joan. And.
hic num. 8. *in gloſ.* 1. & pro eo facit littera ibi, *aliis reſiden-
tibus*.
Sed primum membrum hujus diſtinctionis videtur in-
telligendum in præjudicium tertii, non autem in præjudi-
cium

Digitized by Google

cium concedentis, contra quem ſit lata interpretatio etiamſi privilegium privet legem communem, ut in *dict. cap. Quia circa de privileg.* & latius dictum eſt ſuprà.

28 Denique in reſcriptis ad lites planum eſt fieri ſtrictiſſi-
29 mam interpretationem, *cap. Sedes, de reſcript.* Tum quia præjudicant ordinariæ poteſtati, præbentque materiam litigandi, & ideò ſunt odioſa, cùm lites ſint potius reſtringendæ, quàm ampliandæ, *cap. Nonnulli, & cap. fin. eod. tit.*
30 Tum quia conſueverunt impetrantes illis abuti, ut in *d. cap. fin.* tum demum, quia imputandum eſt illi, qui potuit legem apertius dicere, *cap. Contra eum, de reg. iur. lib. 6.* & ita concludit *hic* gloſ. *fin.* Hoſtien. *num.* 5. Jo. Andr. *in fin.* Butr. *num. 7. verſ. in reſcriptis ad lites*, Abb. *num. 7. verſ. Sed ſi datur ad lites, & alii communiter.* Et idem dicendum in reſcriptis ad beneficia, quia ſunt ambitioſa, & præjudicant ordinariæ poteſtati; & ideò fit in eis ſtri-
31 ctiſſima interpretatio ſecundum Abb. *in fin.* imò fortius in eis, quia agitur de majori præjuditio, *cap. Quamvis, de præben. in 6.* ut per Butr. *ubi ſupra*; & de materia vide gloſ. *in cap. Licèt, de tranſact.* & Legiſtas *in l. Si quando, C. de inoff. teſtam.*

32 Tertiò nota ibi, *noſtrum aperiendum duximus intellectum*, privilegia in dubiis recipere intellectum ſecundum intentionem concedentis, *c. Dilecto, infra eod. c. Mandatum, & ſeq. de reſcript. & l. Neratius, ff. de reg. iur.* Innoc.
33 *hic in ver. Intellectum*: qui verò reſcriptum Principis aſtutè, vel malitiosè interpretatur, infamis eſt, ut inquit gloſ. noſtra in *verb. Aliter quam doceat*; & eſt expreſſum *in l. 2.* ibi, *Infamia notam ſubituro, eo quod vel aſtute eam interpretari voluerit, &c. C. de legib.*

34 Quartò nota in eod. verſ. interpretationem privilegii pertinere ad Principem concedentem, concordat *cap. Cum veniſſent, de iudic.* Et eſt ratio, quia ejus eſt interpretari, cujus eſt concedere, *c. Inter alia, ſupra tit. prox. c. Sicut, §. Ex his, 11. q. 1. l. fin. C. de legib.* gloſ. 1. & DD. *in d. c. Cum veniſſent*, Hoſtienſ. *hic num. 5. in ver. Aperiendum*, & Abb. *num. 2.*

35 Hanc autem interpretationem poteſt Princeps facere etiam parte abſente, ut hic. Sed circa hoc Innocentius diſtinguit inter modificationem, & interpretationem, nam modificatio eſt cùm aliquid detrahitur privilegio: & hæc fieri debet præſentibus partibus, ut in *c. Nuper, de decim.* poſſet tamen Papa etiam in abſentia partium hanc modificationem facere: interpretatio verò, nempè ubi Princeps reſpondet de intentione ſua, ſiquidem fiat extrajudicialiter, non eſt neceſſe ut partes ſint præſentes, ſed talis interpretatio obeſt partibus etiam abſentibus, & non vocatis, ita ut ad ejuſmodi interpretationem ſervandam cogantur, ut hic patet; & talis dicitur propriè declaratio, *l. Heredes palam, §. 1. ff. de Teſtam.* ad hoc *c. Cum tibi, & c. Dilecto, infra eod.* Si autem fiat in forma judicii, tunc ſive Princeps declaret ſecundum proprietatem verborum, ſive aliter, hæc declaratio fieri debet parte præſente, vel citata, ut ſupra, *cap. prox.* & latius *hic* per Innocen. *num. 1.* Hoſtienſ. *num. 5. verſ. Sed contra*, Anton. de Butr. *num. 5. verſ. Eſt etiam dare interpretationem*, & Abb. *num. 2. verſ. Secundo collige.*

De multiplici autem interpretatione, quàm hic proſequitur Innoc. ſcripſi latiſſime in *cap. fin. de Conſtit. & in d. cap. Cum veniſſent, de iudic.* poſt gloſſ. *in cap. 1. in ver. Interpretatus, de poſtulat. Prælator.* & gloſſam juris civilis in *l. Si de interpretatione, ff. de legib.* & Cardin. *in cap. Cum dilectus, de conſuetud.*

36 Quintò nota privilegiato ſuper fructibus præbendæ in abſentia percipiendis deberi etiam manualia beneficia, ſeu diſtributiones quotidianas, ſi in Eccleſia nulli alii ſint fructus à quotidianis diſtributionibus diſtincti, ſed redditus omnes in his diſtributionibus conſiſtant, prout erat in caſu hujus Decretalis, ponderando litteram ibi, *de communibus*, & in fine ibi, *de communi*, quæ innuit Canonicos habuiſſe omnia communia, ut accuratè obſervat Hoſtienſ. *num. 1. in ver. Reſidentibus, & ver. De communibus*, & fuſiùs infra *num. 3.* & Joan. Andr. *num. 1. in fine in eod. ver.*

Hujus concluſionis duplex eſt ratio. Altera quia in illis Eccleſiis, ubi nulli alii ſunt redditus, quam hujuſmodi manualia, ſeu diſtributiones quotidianæ, ſi privilegiatus illas non perciperet, privilegium eſſet prorſus inutile, contra text. *in cap. In his de privil. & cap. Si Papa, eodem tit. lib. 6.* & fuſiùs dictum eſt ſupra *num. 24.* quam rationem aſſignant Hoſtienſ. & Joan. Andr. *ubi ſupra.* Altera 37
ratio eſt, quia non datur Canonia ſine præbenda, *cap. Relatum, & cap. Dilectus, il primo, de præben.* & ideò in illis Eccleſiis, ubi non ſunt præbendæ diſtinctæ, ſeu fructus, ut vocant, groſſi, diſtributiones quotidianæ ſuccedunt in locum præbendæ: quam rationem cum prima per Hoſtien. adducta ponit gloſſ. *penult. verſ. Et ad hoc facit, & verſ. Sed quid dicis, in cap. unico, de Cler. non reſiden. lib. 6.* quam ibi ſequuntur Gemin. §. *Qui verò, num. 14.* Franc. *num. 8.* & cæteri omnes, & ſcripſi latius *in cap. Licet, num. 124.* poſt gloſ. ibi, *ſupra de præben.*

Itaque in Eccleſia, de qua agitur in hac Decretali, redditus omnes conſiſtebant in his manualibus beneficiis: alioquin ſi diceremus in illa fuiſſe fructus præbendæ à quotidianis diſtributionibus diſtinctos, hæc Decretalis eſſet ſine ratione.

Et, ut verbis Hoſtien. utar *num. 2. verſ. Etſi de talibus*, quærenti cur Papa conceſſerit hujuſmodi manualia à fructibus diſtincta Canonico privilegiato ſuper fructibus in abſentia percipiendi, non poſſum reſpondere, niſi quia ita placuit, ut *cap. In memoriam, 19. diſtinct. & Inſtitut. de iure natur. §. Sed & quod Principi*, ſequitur Joan. And. *num. 2.* ideſt, non debuit Papa ſic interpretari, ut explicat Butr. *num. 6. verſ. Videtis*: nam cùm diſtributiones quotidianæ, ubi ſunt fructus diſtincti, non dentur his qui in ſervitio Epiſcopi, vel etiam Papæ ſunt, nec Theologiæ ſtudentibus, ut *cap. De cætero, cap. Cum dilectus, & cap. Ad audientiam, de Cler. non reſiden. & cap. Licet, de Præben.* per quam durum eſſet, ut Papa illas conceſſiſſet huic
Canonico, & ita eſſet pro ratione voluntas. Adde quod 38
generaliter diſpenſatus ſuper fructibus in abſentia percipiendis, percipere debet fructus præbendæ tantùm, non autem diſtributiones quotidianas, ut eſt text. *in dict. cap. Licet, de præben.* ſecundum intellectum Abb. & aliorum, ibi dixi in princ. Rationem reddit gloſ. *in cap. unico, in ver. Adfuerint, de Cler. non reſiden. lib. 6.* & Joan. Andr. *hic num. 5. in ver. Plene*, quia diſpenſatio hæc facit ut Canonicus reputetur pro præſente, non autem pro intereſſente divinis officiis: ſed ſi præſens eſſet, & officiis non intereſſet, has diſtributiones non perciperet, ut in *d. cap.*
unico. Ergo nec diſpenſationis vigore percipiet; & quam- 39
vis ſecus eſſet ſi diceretur in gratia, ut reciperet, ac ſi præſens eſſet, & divinis officiis intereſſet; tamen ſubdit gloſſa ſe numquam vidiſſe talem formam ab Apoſtolica Sede emanaſſe. Nec eam formam obſervabit Papa in terminis hujus Decretalis, ſed ſimpliciter reſcripſit, ut Canonico Paduano daretur præbenda, quæ tantum reſidentibus de communi confertur: unde dicendum eſt in ea Eccleſia non fuiſſe corpus præbendæ diſtinctum, ſed omnia conſtitiſſe in quotidianis diſtributionibus: quomodo Decretalis fulcitur optima ratione, & vitantur omnia contraria. Et hunc eſſe verum intellectum hujus textus affirmat, & pluribus comprobat Hoſtien. *num. 3.* Joan. Andr. *num. 2.* quos referunt, & ſequuntur gloſ. pragm. ſanct. *tit. Quo tempore quiſque debet eſſe in Choro, §. Iubet, in ver. Diſtributiones*, & Pariſ. *conſ. 32. num. 7. lib. 4.* de quo vide quod ſcripſi in *eod. cap. Licet in 2. membro principali, in 1. fallentia, num. 124. & ſeq. de præben.*

Itaque inſpecta juris communis diſpoſitione, Canonici 40
privilegiati ſuper fructibus in abſentia percipiendis lucrantur ſine diminutione hujuſmodi diſtributiones, ut hic patet in fine ibi, *plene ſicut uni ex aliis reſidentibus.* Verùm poſt Concilium Trident. quod in *cap. 3. ſeſſ. 21.* jubet converti tertiam partem fructuum in diſtributiones quotidianas, ſic abſentes percipere debent tantummodo duas tertias illarum partes, amiſſa alia tertia, quæ inſervientibus accreſcit, ut fuſius oſtendi *in cap. De cætero, à num. 29. uſque in fin. de Cler. non reſiden. & in dict. cap. Licet, num. 126. de præben.*

Ultimò nota manualia beneficia eſſe proventus illos, 41
qui dietim dividuntur inter eos, qui divinis officiis interſunt, ut per gloſſ. 2. Innoc. & Joan. Andr. *in ver. Et*
manualia; & ſic appellantur, qui traduntur de manu in 42
manum illis tantùm, qui ſingulis diebus, & horis perſonaliter interſunt, ſicut fit pluribus in locis, ut melius Eccleſiæ ſerviatur; quia talis intereſt pro denario, qui non in-

Digitized by Google

intereſſet pro Deo, ut verbis Hoſtien. utar *hic n.2. in eod. ver.*
43 *Et manualia:* qui propterea etiam concludit ſic intereſſentes non committere quidem ſimoniam veram, cùm nulla pactio, nulla conditio expreſſa intercedat, ſed tamen graviter peccare, & committere ſimoniam mentalem, pro qua ſufficit ſine diſpenſatione aliqua per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori, de quo dic ut legitur, & notatur *in c. Tua nos, & c. fin. ſupra de ſimon.*

44 Itaque Papa hic appellat manualia beneficia diſtributiones quotidianas, quæ ſcilicet Canonici quotidie pro diurnis, & nocturnis horis diſtribuuntur ſine fraude; quæ ſunt verba Extravagan. *Cum nonnulla, la prima, §. Præterea de præbend.* quæ etiam alibi vocantur victualia, ut *in cap. De cætero, ſupra de Cler. non reſiden.* & utriuſque nuncupationis meminit text. *in cap. unico, eod. tit. lib. 6.* ibi, *diſtributiones quotidianas, quæ alias manualia beneficia, ſeu victualia nuncupantur.*

45 QUÆRO, An proventus, qui in fine anni dividuntur inter eos tantùm, qui divinis officiis interfuerunt pro rata ſervitii cujuſque horæ, ſint verè, & propriè diſtributiones quotidianæ, ita ut propterea ex illis non ſit contribuendum Seminario erecto juxta formam Concilii Tridentini *in cap. 18. ſeſſ. 23.*

46 Hìc caſus contingit in prima Congregatione Concilii, cui ego interfui ut Secretarius die 20. Aprilis 1613. in Collegiata Eccleſia Aquavivæ Barenſis Diœceſis, in qua non ſunt præbendæ diſtinctæ, ſed redditus omnes dividuntur non quotidiè, ſed in fine anni inter Canonicos, habito tamen reſpectu ad ſervitium quotidianum cujuſque horæ, ita ut qui minus Eccleſiæ in Choro inſervierit, minus percipiat. Et orta controverſia inter Archiepiſcopum Barenſem, & Capitulum prædictæ Eccleſiæ, an ex redditibus, & proventibus hujuſmodi eſſet contribuendum Seminario ad præſcriptum *dict. cap. 18. ſeſſ. 23.* emanavit propoſitum dubium.

47 Pro cujus ſolutione ſupponendum eſt ex diſtributionibus quotidianis non eſſe contribuendum Seminario, quia Concilium *in eod. cap. 18. in verſ. Et quia ad Collegii fabri-*
48 *cam*, jubet detrahi portionem Seminario applicandam ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis, & Capituli, Dignitatum, Canonicatuum, & beneficiorum quorumcumque, fructuum autem appellatione non veniunt diſtributiones quotidianæ, ut probatur *in cap. unico, de Cler. non reſid. lib. 6. in cap. fin. §. in illis, de conceſſ. præben. eod. lib. & in cap. Licet*, & ibi dixi *in 1. notab. ſupra de præben.* & decidit Caſſador. *deciſ. 1. de Cler. non reſid.* unde ex his diſtributionibus quotidianis non eſſe contribuendum Seminario ſæpius reſpondit Sac. Congreg. Concilii, & conſuluit Mandoſ. *conſ. 15.* quem recentiores communiter poſteà ſequuti ſunt.

49 Quibus præhabitis verius videtur, proventus, ſeu redditus, de quibus agitur, eſſe verè, & propriè diſtributiones quotidianas; quia tametſi dividantur in fine anni, hoc tamen fit gratia commodioris ſolutionis: & cùm dividantur inter eos tantùm, qui divinis interſunt pro rata ſervitii diurni, & abſentes nihil percipiant: hinc neceſſario concluditur, ut ſint quotidianæ, text. eſt in Extravag. *Poſtulaſti, Io. XXII. verſ. Licet autem de præben.* cui non adverſatur Extravag. *Cum nonnulla la prima, §. Præterea de præben.* ut probavi *in cap. Licet num. 20. eod. tit.* & ita firmat Rot. apud Achil. *deciſ. unica, de diſtribut.* & Caputaq. *deciſ. 29. part. 2.* & in individuo redditus hujus Eccleſiæ Aquavivæ eſſe diſtributiones quotidianas, non obſtante quod dividantur in fine anni, decidit Rota coram Cardin. Seraph. *deciſ. 1141. num. 2.*

Nec relevat reſponſio Archipresbyteri, quod Rota intellexerit de relictis incertis, qui dietim diſtribuuntur; imò enim deciſio Seraph. loquitur apertè de illis redditibus, qui dividuntur in fine anni, & ſic de certis, ut *in verſ. Neque obſtare quod non videantur, &c.* Et pro hac parte etiam reſolvit Sac. Congregatio, licèt una tantùm parte informante, ut in litteris, ad Archiepiſcopum datis: unde in hoc non videtur ulterius immorandum, cùm pro Capitulo extet deciſio Rotæ, & reſolutio Sacræ Congregationis.

Tantùm ſupereſt, ut reſpondeatur ad objecta, quæ ſiunt pro Seminario.

50 Opponitur enim primò, quod emolumenta prædicta percipi conſueverunt in abſentia ab Archipresbytero, & aliàs juſſu Sac. Congregat. Epiſcoporum aſſignata fuerunt cuidam Canonico ſtudiorum cauſa abſenti: ergo non ſunt diſtributiones quotidianæ, quas non lucrantur abſentes ex prædicta cauſa, *cap. Poſtulaſti, §. Licèt autem, & cap. Cum nonnulla il primo, §. Præterea de præben.* in Extravag. *commun.* nec valet contraria conſuetudo, *cap. unico de Cler. non reſiden. lib. 6.*

At reſpondetur adverſus Archipresbyterum extare deciſionem Seraphin. *ſupra cit.* qua reſolutum fuit, ei non eſſe dandum mandatum de manutenendo in perceptione prædictorum emolumentorum in abſentia, quia cùm ſint diſtributiones quotidianæ, reſiſtit jus, & decretum Concilii Tridentini *in cap. 12. ſeſſ. 24.*

Quo verò ad Canonicum, reſpondetur idcircò fuiſſe illi 51
aſſignata emolumenta, quia in his omnes redditus Capituli conſiſtunt: quo caſu ex juris communis diſpoſitione debentur ſine diminutione Canonicis abſentibus ſtudiorum cauſa, quia ſuccedunt in locum præbendæ, ne alioquin detur Canonia ſine præbenda, & privilegium ſit eluſorium: ita tenet gloſ. communiter approbata *in d. cap. Licèt in ver. Diſtributiones, verſ. Sed quid dices, de preb.* &
latius oſtenſum eſt ſupra *in 5. notab.* Et hoc caſu cùm ſcili- 52
cet univerſi Capituli redditus quotidianis diſtributionibus conſtant, Sac. Congregatio conſuevit reſcribere, ut Canonicis ex legitima cauſa abſentibus aſſignentur duæ tertiæ illarum partes, amiſſa alia tertia, quæ inſervientibus accreſcit, propter decretum Concilii *cap. 3. ſeſſ. 21.* ut ſcripſi *in d. cap. De cætero in fin. de Cler. non reſiden.*

Opponitur ſecundò, Archipresbyter dum intereſt divi- 53
nis, percipit duas partes horum proventuum: ergo non ſunt diſtributiones quotidianæ, quæ non debentur duplicatæ eidem perſonæ ratione duorum officiorum, non enim magis præſens eſt qui ſimul Archipresbyter, & Canonicus eſt, quam qui ſolus Canonicus, *cap. Cum olim, de re iudic.*

Sed objectum tollitur, quia ſecundum magis communem Canoniſtarum opinionem obtinenti in eadem Eccleſia dignitatem cum Canonicatu debentur duplices diſtributiones, quam ſequuti ſunt Joan. Andr. Abb. & Felin. *in d. cap. Cum olim:* & de communi teſtatur Covarr. *lib. 3. variar. reſol. cap. 13. num. 6.* & ita reſpondit Sac. Congreg. in cauſa Alberti Luti Archipresbyteri, & Canonici Metropolitanæ Eccleſiæ Senenſis die 7. Maii 1602.

Opponitur tertiò, quòd cùm ex prædictis proventibus 54
deducantur onera ſpoliorum, & decimarum Papalium, hinc etiam videtur inferri, ut non ſint quotidianæ diſtributiones, quæ hujuſmodi oneribus non ſunt obnoxiæ, d. Extravag. *Poſtulaſti, §. Licèt autem, de præben.* Gemin. *conſ. 58. num. 18.* Mantica *conſ. 1. per tot. lib. 1.* Ferrett. *conſ. 237. per totum lib. 2.*

At reſpondetur ut ſupra ad 1. oppoſit. videlicet id non 55
procedere hoc caſu, in quo univerſi Capituli redditus conſiſtunt in diſtributionibus, ut declarat Tiber. Decian. *reſpon. 43. num. 14. vol. 1.* ubi dicit abſurdum eſſe contrarium aſſerere, cùm præſertim uſus quotidianus doceat de his diſtributionibus ſolvi ſupradictas impoſitiones; & tamen de his ex ſententia Sac. Congregationis non eſt contribuendum Seminario.

Opponitur demum, quòd in diſtributionibus quotidia- 56
nis conſuetudine induci non poſſit, ut intereſſentes Choro eas non percipiant, Lap. *alleg. 43. in princ.* Mill. *in repert. in ver. Conſuetudo* non valet, & tamen ex conſtitutione prædictæ Eccleſiæ, qui abfuerunt per quinquaginta vices, integras diſtributiones amittunt, ita ut quamvis poſteà inſerviant, tamen nihil percipiant. Ergo ſignum eſt, hos proventus non eſſe diſtributiones, quia alioquin conſtitutio non valeret, ſicut non valet conſuetudo, ut in terminis tradit Lap. *ubi ſupra in fin.* & Franc. *in cap. unico, §. Statuimus in fine, de Cler. non reſid. lib. 6.*

Cæterùm reſponderi poteſt prædictam Conſtitutionem 57
non diſponere principaliter, ut inſervientes Eccleſiæ nihil lucrentur, ut in caſu Lapi, & Franchi, ſed ut abſentes per quinquaginta vices amittant integras diſtributiones. Et quamvis in quandam conſequentiam inde eveniat, ut qui eas amiſerunt, poſteà inſerviendo nihil lucrentur: tamen hoc non debet attendi, ſed quod principaliter eſt actum, *l. 1. ff. de author. tut.* Bart. *in l. Ambitioſa in 2. reg. de decret.*

Digitized by Google

58 *decret. ab ord. facien.* præſertim quia inter utrumque caſum
eſt evidens ratio diverſitatis; nam conſuetudo, vel ſtatu-
tum, ut inſervientes nihil percipiant, propterea non va-
lent, quia ſunt damnoſa Eccleſiæ: reddunt enim Canoni-
cos ad inſerviendum ſegniores, quibus nulla merces labo-
rum præſtituta eſt; & ſic deſtruunt finem augmenti cultus
divini, propter quem inſtitutæ ſunt diſtributiones quoti-
dianæ, Abb. *in cap. Licet, in 2. notab. de praben.* Rota *deciſ.*
434. *in novis*, Decian. *reſpon. 69. num. 2. vol. 2.* & conſtat ex
59 *cap. 3. ſeſſ. 21.* Conc. Trid. & dictum eſt *ſupr. num. 41.* At per
contrarium Conſtitutio prædictæ Eccleſiæ metu pœnæ red-
dit Canonicos ad inſerviendum promptiores: unde cum
reſpiciat Eccleſiæ utilitatem, & divini cultus augmentum,
potius cenſeri debet præſervata à Concilio, argum. *d. cap.*
3. *verſ. Salvis tamen. ſeſſ. 21. cap. 3. verſ. Hæc in iis tantum
Eccleſiis ſeſſ. 22. & cap. 12. verſ. Salvis nihilominus ſeſſ.*
24. Et cùm d. Conſtitutio edita fuerit in augmentum
ſervitii Eccleſiæ, operari non poteſt, ut prædicta emo-
lumenta ſortiantur naturam fructuum præbendæ, quia
cùm fructus hujuſmodi dentur etiam abſentibus ex legiti-
ma cauſa, ſublatis diſtributionibus, minueretur ſervitium
Eccleſiæ & inducta in augmentum operarentur diminutio-
nem, contra *l. Legata inutiliter, ff. de adimen. legat. & l. Quod
favore, C. de legib.*

60 Sed præter oppoſitiones ſuperiùs propoſitas, adhuc vide-
tur urgere contra Canonicos, quod in illis Eccleſiis, ubi
redditus univerſi in quotidianis diſtributionibus conſiſtunt,
hujuſmodi diſtributiones ſuccedunt in locum præbendæ, &
ſortiuntur naturam fructuum, ut fusè oſtenſum eſt ſupra
in penult. notab. ſed ex fructibus præbendæ clarum eſt con-
tribuendum eſſe Seminario: ergo ſimiliter contribuendum
eſt ex his diſtributionibus, quæ loco fructuum ſunt ſub-
rogatæ.

Verùm reſponderi poteſt prædictam ſobrogationem in
locum præbendæ habere locum dumtaxat favore illorum,
qui habent privilegia de percipiendis fructibus in abſentia,
ut in Canonicis abſentibus pro ſervitio Epiſcopi, vel in ſtu-
dio Theologiæ, & his ſimilibus: tunc enim, ne aliis privi-
legium ſit eluſorium, percipere debent hujuſmodi diſtri-
butiones, quæ loco fructuum ſuccedunt de jure commu-
ni integrè, & poſt Concil. Trid. pro duabus partibus, ut
dixi ſupra *num. 51. & 52. & in d. cap. Licet à num. 124. de*
61 *præben.* At verò in materia odioſa, & reſtringibili diſtribu-
tiones quotidianæ retinent propriam naturam, nec ullate-
nus ſuccedunt in locum præbendæ, Ad quod induco hanc
Decretalem: nam Papa hic mandat aſſignari Canonico
privilegiato ſuper fructibus percipiendis, victualia benefi-
cia, ſeu diſtributiones quotidianas, in quibus univerſi red-
ditus conſiſtebant, ut probatum eſt *ſupra in 5. notab.* &
reddit rationem cur hoc mandaverit, quia ſcilicet benefi-
cia Principum ſunt largiſſimè interpretanda. Ergo ut di-
ſtributiones ſuccedant in locum præbendæ non ex natura
rei, aut ex proprietate, ſed per viam interpretationis exten-
ſivæ. At hujuſmodi interpretatio, ſeu extenſio fit in favo-
rabilibus tantùm, non autem in odioſis, quia odia reſtrin-
gi, & favores convenit ampliari, ut in regula Sexti, *Odia.*
62 Et in hanc partem aliàs reſpondit S. Congregatio Conci-
lii: nam cùm Canonici S. Juvenalis de Narnia non haben-
tes diſtinctas præbendas, ſed omnia bona in communi
maſſa diſtributionum quotidianarum, quæ poſteà in fine
anni diſtribuuntur intereſſentes in genere abſque eo quod
aliquid certi habeant, petierint declarari, an iſtæ diſtri-
butiones veniant appellatione fructuum, juxta tradita per
Gemin. *in cap. Præſenti col. 5. verſ. Ex his, de offic. Ordin.
lib. 6.* adeò ut qui non emiſerunt Fidei profeſſionem, ipſas
diſtributiones amittant ad præſcriptum *cap. 12. ſeſſ. 24. verſ.
Proviſi autem:* & quatenus amittant, an cæteris Canoni-
cis accreſcant, vel Eccleſiæ debeantur: Sac. Congregatio
cenſuit dicendum primò ut Canonici ſupplicent Sanctiſſi-
mo pro gratia. Secundò, ſi præbenda adeſt diſtincta à quo-
tidianis, Canonicos lucrifacere quotidianas. Tertiò, etiam
dato quod non lucri fecerint, non ideò diſtributiones acceſ-
ſuras aliis Canonicis, quia diſtributiones non ſervientium
accreſcunt ſervientibus; ſed iſti Canonici ſervierunt;
ergo, &c. Quartò, ſi contendatur omnes redditus eſſe
in quotidianis, licèt aliàs Sac. Congregatio in una Piſto-
rien. inclinaverit, ut tunc habeantur loco fructuum, &
ideò perdantur; tamen quia materia hæc eſt pœnalis, cen-
ſuit ampliùs deliberandum.

Sanctiſſimus gratiam fecit prædictis Canonicis ut quam-
quam omiſerint profeſſionem Fidei; tamen fructus faciant
ſuos, non obſtante decreto Concilii: idque ſive fructus
ſint verè, ſive & multò magis diſtributiones, quas jure
lucrifeciſſe eos Sanctitas Sua dixit, prout & Congregatio
cenſuit, ſive etiam omnes fructus eſſent in quotidianis;
quo caſu quotidianæ videntur loco fructuum, licèt Sacra
Congregatio in hac materia pœnali nondum id declarave-
rit, ſed in omnem eventum eiſdem Canonicis Sanctiſſi-
mus gratiam fecit.

Quod ſi inſiſtas, materiam contributionis Seminarii eſſe
favorabilem, propter Eccleſiæ, & augmentum divini cul-
tus, ut colligitur ex contextu *d. cap. 18. ſeſſ. 23.* præſertim
ibi: *Quorum indoles, & voluntas ſpem afferat eos Eccleſia-
ſticis miniſteriis perpetuò inſervituros:* & ibi, *Studium præ
ſe ferant Deo, & Eccleſiæ inſerviendi:* nec non ibi, *ut hoc
Collegium Dei miniſtrorum perpetuum Seminarium ſit;* ergo
diſtributiones ſuccedere debent loco fructuum, quemad-
modum ſuccedunt in aliis caſibus favorabilibus, & privile-
giatis. Reſpondebimus hanc materiam eſſe mixtam, partim 63
enim eſt favorabilis, reſpectu ſcilicet Seminarii, & Eccle-
ſiæ generalis, cui ex Collegio ſuppeditantur miniſtri; par-
tim verò odioſam, ideſt reſpectu Canonicorum, quibus
ſubtrahitur pars diſtributionum, & reſpectu cultus divini,
in cujus favorem diſtributiones quotidianæ ſunt inſtitu-
tæ, ut dictum eſt ſupra *num. 41. & num. 58.* At diſpoſitio
partim favorabilis, & partim odioſa reſtringi debet,
quatenus præjudicat alteri vel cultui divino, ut in hac
ipſa materia diſtributionum notat Abb. per illum text. *in
cap. Licet in 2. notab. num. 3. de præben.* & conſequenter
non eſt locus ſupradictæ ſobrogationi. Idque jam probavit 64
Sac. Congregatio, dum reſpondit ex diſtributionibus quo-
tidianis non eſſe contribuendum Seminario, etiamſi divi-
dantur in fine anni, & in illius univerſi Capituli redditus
conſiſtant.

DE

Digitized by Google

DE UERBORUM SIGNIFICATIONE.

Idem Innocentius III. Epiſcopo Pariſien.

C A P U T XXVII.

NOvimus expedire, ut verbum illud, quod in antiquis canonibus & in noſtro decreto contra falſariùs edito continetur, videlicet, ut clericus per Eccleſiaſticum judicem degradatus, ſæculari tradatur curiæ puniendus, apertibus exponamus. Cùm enim quidam anteceſſorum noſtrorum ſuper hoc conſulti diverſa reſponderint, & quorumdam ſit opinio à pluribus approbata, ut clericus, qui propter hoc, vel aliud flagitium grave, non ſolùm damnabile, ſed damnoſum, fuerit degradatus, tamquam exutus privilegio clericali, ſæculari foro per conſequentiam applicetur: cùm ab Eccleſiaſtico foro fuerit projectus, ejus eſt degradatio celebranda, ſæculari poteſtate præſente, ac pronuntiandum eidem cùm fuerit celebrata, ut in ſuum forum recipiat degradatum: & ſic intelligitur tradi curiæ ſæculari: pro quo tamen debet Eccleſia efficaciter intercedere: ut citra mortis periculum, circa eum ſententia moderetur.

Pro illo vero falſario ſcelerato, quem ad mandatum noſtrum capi feciſti, hoc tibi duximus conſulendum, ut in perpetuum carcerem, ad agendam pœnitentiam ipſum includas, pane doloris, & aqua anguſtiæ ſuſtentandum: ut commiſſa defleat, & flenda ulterius non committat.

S V M M A R I V M.

1 *CLericus traditur Curie ſaculari, quie degradatur ſaculari poteſtate praſente, cui etiam denunciatur, ut recipiat illum in ſuum forum, & num.3. & 5.*

2 Aliud, *diſtinctio eſt repetitiva ſimilium, & facit poſitionem einſdem qualitatis ad pracedentia.*

Degradatio fieri non poteſt pro quolibet flagitio damnabili, & damnoſo, niſi in caſibus in iure expreſſis, ibid.

3 *Iudex laicus non poteſt pravenire Epiſcopum in proceſſu, & ſententia contra Clericum ſuper crimine atrociſſimo, niſi poſt actualem degradationem, & traditionem Curie ſaculari.*

4 *Privatio praſupponit habitum.*

5 *Traditio Curia ſaculari intelligitur fieri, quande ab ipſo Epiſcopo fit degradatio ſaculari poteſtate praſente, & pronunciatur, ut in ſuum forum recipiat degradatum.*

6 *Nec requiritur traditio manualis, ſed verbalis.*

7 *Carcer perpetuus eſt gravior pœna, qua poſſit Clericis imponi ab Eccleſia.*

8 *Et proportionatur morti naturali.*

9 *Carcer perpetuus non debet eſſe ita durus, ut infra paucos dies carceratus moriatur.*

Nec debet tantum ſubtrahi de victu neceſſario, ut veriſimiliter debeat mori.

10 *Et Officiales hec facientes ſunt homicida, & irregulares, & num.13.& 14.*

11 *Mors magis eſt afflictiva, qua cum longiori languore fit.*

12 *Miſericordia genus eſt, cito occidere.*

14 *Pralatis Regularibus nefas eſt damnare ſubditum, ut fame pereat, pracipiendo aliis ne cibos deferant.*

1 N*Ovimus*. Clericus traditur Curiæ ſæculari, quia degradatur ſæculari poteſtate præſente, cui etiam denunciatur ut recipiat illum in ſuum forum. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. & Abb. Finis non reſpicit titulum, & ſecundum aliquos ponit gratiam, de quo per Jo. Andr. *n.6.* Cardin.*n.3.*

2 In textu ibi, *propter hoc, vel aliud flagitium grave, non ſolum damnabile, ſed damnoſum fuerit degradatus*. Pondera illam dictionem, *aliud*, quæ oſtendit non pro quolibet flagitio damnabili, & damnoſo Clericum eſſe degradandum, & tradendum Curiæ ſæculari, ſed pro illo dumtaxat, pro quo expreſsè cautum eſt in jure, ut debeat degradari: nam cum text. primò loquatur de falſario litterarum Apoſtolicarum, de quo eſt expreſſum in jure, ut degradetur, ut hìc, *& in cap. Ad falſariorum ſupra de crim.falſi*, & ad hoc crimen ſe referat, dum dicit propter hoc: utique dum poſteà immediatè ſubjungit, vel aliud flagitium, intelligi debet de alio ſimili, & ſic de expreſſo in jure, cùm dictio, *aliud*, ſit repetitiva ſimilium, & facit poſitionem ejuſdem qualitatis ad præcedentia, *l. Si fugitivi*, & ibi gloſ. *in ver. alia, Cod.de ſervis fugit.* gloſ. *in l.1. ff. Mandati*, Bald. *in l. final. num.1.C. de his qui a non Domin.* & quamvis Innoc. *hic n.1.* generaliter adnotaverit, pro quolibet crimine, dummodo ſit damnabile, & damnoſum, poſſe aliquem tradi Curiæ ſæculari, tamen hoc non firmat, imò ſe poſteà remittit ad ea, quæ ſcripſit *in cap.Excommunicamus, de haret.* ubi *num.1.* concludit pro tribus tantùm criminibus poſſe Clericum degradari, videlicet pro crimine hæreſis, pro falſificatione litterarum Apoſtolicarum, & pro conſpiratione in proprium Epiſcopum, prout etiam tenet gloſ. *hìc in ver. Tradatur*, quàm communiter ſequuntur Doctores, nec in materia degradationis poteſt fieri extenſio de caſu ad caſum etiam ex identitate, vel majoritate rationis, ut efficaciter probavi *in cap.Cum non ab homine num.66. & 83.uſque ad n.90.ſupra de iudiciis*, ubi plenè videas.

3 Io textu ibi, *& in ſuum forum recipiat degradatum*. Pondera benè hanc litteram, quia per eam apertè reprobatur opinio Abbatis *in c. At ſi Clerici n.41.de iudiciis*, ubi dixit poſſe dari novam doctrinam, quod ubicumque lex civilis pro crimine atrociſſimo imponit aliquam pœnam ex ſæviſſimis, poſſit judex laicus procedere in Clericum ſuper tali crimine, & Epiſcopum prævenire in proceſſu, & ſententia; & eo degradato, legali pœna punire. Hoc enim patet eſſe falſum, quia etiam pro crimine, pro quo expreſſum eſt in jure, ut Clericus debeat degradari, ſicut eſt falſificatio litterarum Apoſtolicarum, de quo hìc in text. tamen reus non efficitur de foro ſæculari, nec judex laicus habet in eum juriſdictionem, niſi poſteaquam ab Epiſcopo fuerit actualiter degradatus ſæculari poteſtate præſente, & pronunciatum, ut in ſuum forum recipiat degradatum: per hoc enim intelligitur tradi Curiæ ſæculari ut in littera: & ita ante degradationem, & traditionem hujuſmodi reus non intelligitur ab Eccleſiaſtico foro projectus: nec judex laicus poteſt ſuper tali cauſa ſe ullatenus immiſcere, ut hic per Jo. Andr. *num.3.in ver. Pronunciandum*, & Abb. *num.7.* ad idem *cap.degradatio, in fin. de pœnis lib.6.* ubi præſcribitur forma degradationis, ſecundum quam Epiſcopus pronunciat, *Exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali*, ut etiam habetur in Pontificali Romano *in Rubr. de Degradatione*: ergo ante 4 actualem degradationem non erat exutus, quia privatio præſupponit habitum, *l.Decem, ff. de ver. obligat.cap. ad diſſolvendum, de deſponſat. impuber.* Quod latius proſequor in primo allegato *cap. Cum non ab homine, à nu.83. uſque ad n.92.de indic.*

5 In textu ibi, *Per hoc enim intelligitur tradi Curie ſaculari*. Nota hanc litteram contra eos, qui dixerunt degradatum ſtatim exutum eſſe omni privilegio Clericali, nec

opus

Digitized by Google

opus eſſe ut tradatur Curiæ ſæculari, prout communiter
teneri aſſeruit Alciat. *in d.cap.Cum non ab homine num.* 108.
de indic. quem referunt Villalob. *in ſua Collectar. commun.*
*opinion.litt.C. num.*71. & Jul. Clar. *in praxi criminal.* §.*fin.*
*quæſt.*36. *verſ. Scias autem*; etenim cùm degradatio fiat
ſæculari poteſtate præſente, quando Epiſcopus pronunciat,
ut judex laicus in ſuum forum recipiat degradatum, tunc
intelligitur facta traditio, ut dicitur in littera: unde benè
Joan. Andr. & ſequaces in ſumm. textus dicunt Clericum
tradi Curiæ ſæculari, quia degradatur ſæculari poteſtate
præſente, & ei denunciatur, ut illum in ſuum forum re-
6 cipiat. Salvari tamen poſſunt Doctores ſi dicamus non
requiri, ut degradatus tradatur, id eſt actu conſignetur in
manibus Curiæ ſæcularis, quia hoc fieri intelligitur per
ipſam degradationem, & pronunciationem, ut ſupra: quod
benè declarat Jo. Andr. *hic num.*3.*in ver. Pronunciandum*,
dicens non ſolùm fit degradatio, ſed etiam pronunciatio
verbalis, non tamen fiet manualis traditio, ſicut quidam
dicunt, ne tam rigidæ juſtitiæ ſanguinis conſentire videa-
tur Prælatus, *cap.Clericis*, *& c. Sententia*, *ne Cleric. vel*
Monach & ita non fit traditio actualis, ſed verbalis, ſecun-
dum Abbatem Siculum *num.*7.

7 In §. *Pro illo verò*, ibi, *In perpetuum carcerem ad agen-*
dam pænitentiam eum includas. Nota hanc pœnam carce-
ris perpetui: nam, ut inquit Innoc. *hic ad finem in ver. In*
perpetuum, Eccleſia non poteſt Clericis graviorem pœnam
imponere; quod etiam tenet Archid. *in cap. In memoriam*
*num.*11.19.*diſt.* & Cardin.*hic num.*3.quinimò ut dicit idem
Cardin. *in cap.Cum non ab homine n.*4. *verſ. Oppono*, & poſt
8 eum Aretin. *n.*53.*de iudiciis*; hujuſmodi pœna detruſionis
in Monaſterium ad agendam pœnitentiam eſt loco ultimi
ſupplicii, & proportionatur morti naturali, ſaltem in eo
caſu, in quo ſic detruſus ſuſtentatur pane doloris, & aqua
anguſtiæ, juxta text. hìc; minor enim pœna eſt ſtatim
mori, quàm diu affligi, & ſalutem non ſperare.

9 Cæterùm adverte, quia officiales, qui condemnant Cle-
ricos in perpetuum carcerem, non debent condemnatos
ponere in tali loco, vel carcere, in quo vivere non poſſint,
ſicuti ſunt multi carceres Epiſcoporum Regni Franciæ pro
Clericis de atroci crimine damnatis, ubi non vivunt ultra
ſex, vel octo dies, quorum pœna, ſeu mors eſt gravior pa-
tibulo ſuſpenſorum, cùm pejori, & duriori morte magis
10 languendo intereant: Et Officiales tali morte aliquos ex-
11 ponentes homicidæ, & irregulares reputantur: magis
enim eſt afflictiva illa mors, quæ cum longiori languore
fit, *cap.Nihil enim il ſecondo*, *de conſecrat. diſtinct.*5. Vn-
de Seneca: *Acerbiſſima eſt crudelitas, quæ pœnam trahit*: 12
ſicùt è converſo: *miſericordiæ genus eſt citò occidere*, *d.cap.*
Nihil enim, & ita in prædictis concludit Guliel. de Monte
Laud. in Clem. *prima* 5. *quæſt. de pœnit. & remiſ.* quem ibi
ſequuntur Cardinal. *n.*9. Anchar. *n.*8. *&* 9. & Imol. *nu.*13.
Henric. Boich. *in hoc cap. n.*4. Et hoc veriſſimum putat An- 13
char. *ubi ſupra num.*9. cùm de victu quotidiano, vel aliis
vitæ neceſſatiis tantùm detrahitur, ut veriſimiliter debeat
mori: hoc enim occidere eſt, *l.Necare*, *ff. de liber. agnoſc.*
cap.Paſce fame 86.*diſt.* nec fuit intentio Canonum, dum
ad pœnitentiam peragendam dant panem doloris, &
aquam anguſtiæ, voluiſſe ut homines citò morerentur,
quia ſic via indirecta exercerent Clerici judicium ſangui-
nis contra omnia jura, ut *cap. In Archiepiſcopatu de raptor.*
& d.cap.Clericus, *& cap. Sententiam*, *Ne Cler. vel Monach.*
& faciunt hæc ſecundùm Anchar. contra Epiſcopos, & 14
Prælatos, qui Clericos de atroci crimine damnatos po-
nunt in gabia, vel in loco, in quo modico tempore veri-
ſimiliter vivere poſſunt, ut ex hoc homicidæ, & irregula-
res ſint cenſendi, ut dicit Laurentius. Ex quibus etiam
patet quàm ſit cavendum ab opinione quorumdam Mo-
dernorum, qui exiſtimarunt Prælatos Regulares poſſe
damnare ſubditum, ut fame pereat in carcere, præcipien-
do aliis ſubditis, ne cibos ei deferant, inter quos Suarez.
*tom.*4.*de Religion.lib.*2.*cap.*10.*n.*10.*&* 11.

LECTOR.

HÆc habui, quæ mihi olim collecta in quinque Decretalium Libros tecum Pontificio nutu juſſus communicarem: in quibus ſi quid utile, aut bonum deprehendas, utere, nec id ingenio, vel labori meo in acceptis refer, ſed æternæ Sapientiæ, quæ aperit os mutorum, & linguas infantium facit eſſe diſertas: Si quid ſecus, & animadverſione aliqua, vel ſeveriore oculo dignum, ut humanus es, veniam imbecillitati humanæ, & infirmitati meæ ne deneges. Cæterùm quicquid eſt, totum Sacroſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ Matris omnium fidelium, & Magiſtræ fidei, & veritatis judicio ac cenſuræ ſubjectum volo, ut ſi quid mihi exciderit dictum, ſcriptumve, quod vel minimum ab illius mente abire videatur, pro non dicto, ſcriptove ſit. Et ita profiteor, & teſtificor coram Deo, & Chriſto JESU, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula. Amen.

Finis Quinti Libri Decretalium.